Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Ecclesiastica historia, integram Ecclesiae Christi ideam, quantum ad locum, Propagationem, Persecutionem, Tranquillitatem, Doctrinam, Haereses, Ceremonias, Gubernationem, Schismata, Synodos, Personas, Miraculas, Martyria, Religiones extra Ecclesiam, & statum Imperij politicum attinet, secu[n]dum singulas Centurias, perspicuo ordine complectens: singulari diligentia & fide ex vetustissimis & optimis historicis, patribus, & aliis scriptoribus congesta ...

https://hdl.handle.net/1874/456712



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

II. fol.
305





ullam et hoc anno: usq; dū fodiam
circa illam & mittā stercora. Et si
quidem fecerit fructum: sin autē
in futurum succides eā. Erat autē
docens in sȳnagoga eor sabbatis.
Et ecce mulier quę habebat spm
infirmitatis annis decem & octo:
et erat inclinata nec omnino po
terat sursum respicere. Quā cū vi
disset ihc: vocauit ad se et ait
illi. Mulier: dimissa es ab infir
mitate tua. Et imposuit illi ma
nus: & confestim erecta est. et
glorificabat deum. Respondens
autē archisinagogus indignans
quia sabbato curasset ihc: dice
bat turbę. Sex dies sunt in quibus
oportet operari: in his ergo vente
te et curamini: & nō in die sabba
ti. Respondit autē ad illū dns: &
dixit. Hypocrita: unusquisq; ūrm

quidam. Dnē: si pauci sint qui sal
uantur: Ipse autem dixit ad illos.
Contendite intrare p angustam
portam: quia multi dico vobis
quęrent intrare & non ppterunt.
Cum autē intrauerit pater fa
milias & clauserit hostiū: incipi
etis foris stare & pulsare ostium
dicentes: Dnē: aperi nob. Et re
spondens: dicet vobis: Nescio vos:
unde sitis. Tunc incipietis dicere.
Manducauimus coram te & bibim⁹:
& in plateis nr̄is docuisti. Et dicet
vobis: Nescio vos unde sitis. Disce
dite a me omnes operarii iniqui
tatis: ibi erit fletus et stridor
dentium. Cum autē videritis
abraham & isaac & iacob & oēs
prophetas in regno dī. vos autem
expelli foras: et venient ab orien
te & occidente & aquilone. et

N 101 b

Quarta Centuria ECCLESIASTICAE HISTORIAE, CONTINENS DESCRIPTIONEM AMPLISSIMARVM RERVM IN REgno Christi, quæ quarto post eius natiuitatem seculo acciderunt, cum Imperium Romanũ gubernarent CONSTANTINVS MAGNVS, eius filij, Iulianus, Iouianus, Valentinianus, Valens, Gratianus, Theodosius maior, & multa præclara lumina Doctorũ in Ecclesia Christi fulgerent: eodem illustri ordine ac ueritate, quo priores Centuriæ, ex uetustissimis & optimis historicis, patribus, & alijs scriptoribus contexta:

Per aliquot studiosos & pios uiros in urbe Magdeburgica.

Accessit Rerum uerborumq; in hac Centuria præcipuè memorabilium, tum locorum Scripturæ explicatorum geminus INDEX.



Ex Donatione Hub. à Burckel.

BASILEAE, PER IOANNEM Oporinum. 1560.





SERENISSIMAE AC POTENTIS-SIMAE REGINAE AC DOMINAE, D. ELIZABETHAE, ANGLIAE, FRANCIAE & Hyberniæ Reginæ, G. & P. per CHRISTVM.



ORNAMENTA Rerumpublicarum præcipua esse, leges honestas, et debitam earum executionem, omnes homines, saltem ratione naturali præditi, omnibus ætatib. iudicarũt. Ex his enim quasi fontibus, disciplina scaturit, & omnes præclaræ actiones emanãt, ipsaq́ hominum societas crescit atq́ conseruatur: excitantur & aluntur artes, toti uitæ humanæ in primis necessariæ & utiles. Vbi enim aut nullæ aut sceleratæ leges uigent, ibi, sicut inter immanes feras, aut in Cyclopum congregatione, omnia sursum ac deorsum turbari, profanari, excindi, ac denicq́ interire necesse est. Geritur enim crudele bellum cõtra normam actionum, quæ adhuc ex dono Dei in mentibus humanis reliqua est. Sed longè maius bonũ ac præstantius decus est rerumpublicarum & regnorum, uerbum Dei seu cœlestem doctrinam, ut est diuinitus patefacta, de diuina lege, deq́ omnibus articulis fidei, purè ac integrè habere. Causa eius rei nõ est obscura. Est enim lex naturalis, ex qua florentissimarũ rerumpub. & regnorũ inter Ethnicos sanctiones atq́ moderationes rerũ omniũ extructæ constitutæq́ sunt, tantũ particula quædã de lege diuina, quæ in secunda tabula summariè delineatur: eaq́ ipsa miserè mutilata ac depraua ta, multiplici hominũ cæcitate & prauis cupiditatibus. Quã ob causam uidere est, etiã honestissimas & clarissimas politias, regnorumq́ administrationes, nõ raro turpiter contra illud ipsum fundamentũ, unde extructæ sunt, impegisse. De articulis uerò fidei præcipuis, de uno trinoq́ Deo, de hominis creatione, innocẽtia, lapsu: de peccato, de remissiõe peccatorũ per fidẽ in CHRISTVM, de ueris Dei cultibus, de Inuocatione, de Resurrectione mortuorũ, de Vita æterna, & similibus rebus, quia sunt mysteria diuina peculiariter reuelata, nihil humana ratio nouit. Etsi igitur homines aliàs opibus, potentia, pace, uirtutibus externis, gloria rerũ gestarum, artiũ scientia florent: tamẽ sub hanc tristẽ Prophetæ sententiam referũtur, quòd sint populus sedens in tenebris, & in regione umbræ mortis: imò sint filij iræ, mancipia diaboli, & æternæ damnationi destinati, ut pronũciat ipse Deus: siquidẽ prẽter illam legẽ naturalẽ nihil altius sapiant, ac luce uerbi diuinitus patefacti, iusti-

cia,fauore Dei ac uita deſtituantur. Athenæ, Alexandria, Roma,& aliæ multæ nobiliſsimæ & clariſsimæ ciuitates,regnaq́; amplisſima,maxima in hac uita ornamenta conſecuta ſunt,omnes paginas in hiſtoriis cum eximia celebratione obtinentes. nam Philoſophi,Oratores,Medici,Iureconſulti, Muſici, uariarumq́; rerũ in hac uita utiliũ ac laudatiſsimarũ ſolertiſsimi ſcrutatores,in iis locis excelluerunt. Multi ſapientiſsimi & fortiſsimi duces in iis,& bello & pace nomina ſua uſq́ ad aſtra,quod dicitur,extulerunt. Imperia patriasq́ ſuas nõ tantum ab iniuſta hoſtilisq́ ui ac iniuria præclarè defenderunt,ſed & uſq́ in exteras Barbarasq́ gentes glorioſè dilatarunt: opum atq́ omnium commodorũ deliciarumq́ genere unà cum ſuis affluxerunt. Inuenta, dicta, facta, res magnæ atq́ mirabiles illarum rerumpub. plurimis libris quaſi æternitati conſecratæ ſunt,cunctisq́ mortalibus ad imitationem exemplumq́ propoſitę ſunt. Verùm hęc omnia quid aliud fuerunt,aut ſunt adhuc,quàm nauigatio in cæca nocte, quam horribiles tandem tempeſtates & fluctus ad ſcopulos immanes alliſerũt ac perdiderunt: uel etiã,ſicut quidam dixit,lugubris tragœdia? Lux enim Verbi diuini ipſis nõ fulſit,& grauiſsimam ſententiam in eos profert Chriſtus: Qui nõ credit, non habebit uitam æternam,ſed ira Dei manet ſuper eum. Eſt ſanè ſeria diſciplina iuxta legem naturæ inſtituta,ingens decus uerè lucens in genere humano tanquam heſperus in cœlo,ut præclarè dixit Ethnicus ille philoſophus: ſed tamen ea collata ad eum Solẽ,qui ex uerbo diuino lucidiſsimos radios emittit, uerè exigua tantum ſcintilla eſt,& quidem uariis nebulis,quę ex deprauata hominis natura exhalant, obſcurata. Vbi igitur uerbum Dei inter homines fulget, atque arcem in gubernatione tam externarum, quàm Spiritualium rerum obtinet: ibi ceu paradiſus pulcherrima ipſius omnipotentis Dei uiret, uernatq́. Nam in iis locis homines ueram cognitionem Dei conſequuntur: quæ nimirum ſit eius eſſentia, quæ opera, quos cultus requirat: quantum quidem homines de his maximis rebus ſcire uoluit Deus. Diſcunt certè, unde ſint & exiſtant omnes creaturæ: quòd longè aliter homo ſit à Deo in initio formatus,quàm qualis nunc exiſtat: quomodo ingenita præſtantia amiſſa, quomodo Euangelium de gratuita acceptatione generis humani per ſemen mulieris ab ipſo Deo reuelatũ: id quod aliàs nulla ullius creaturæ ſapientia ſcrutari potuiſſet. quomodo ſimus redempti per Meſsiam, in cuius perſona mirando & inenarrabili modo duæ naturæ, nempe diuina & humana, unitæ ſunt: tantum eam ob cauſam, ut homines Deo reconciliarentur,nec perpetuò tyrannidi mortis ac Diaboli ſubiacerent. Diſcunt,quę ſit iuſticia noſtra illa mutuaticia ſeu imputatiua, ex merito atq́ obedientia CHRISTI per fidem accipienda,qua coram

ram Deo consistimus, iusti censemur, & cõsequimur remissionem peccatorum. Discunt, quomodo Deum de omnibus rebus necessarijs compellare: eiq; confidere debeant, quòd certò sit auxilium laturus. Discunt, quibus sigillis Deus promissionem gratiæ, ut euidentius applicari possit, & altius cor penetret, erigat & sustẽtet, obsignarit atq; confirmarit. Discunt non modò quòd simus certò resurrecturi: sed etiam quomodo, & quo fine. Neq; uerò ista tantum in speculatione inani uersantur: sed reuera Deus tali Ecclesiæ, (quæ quidem inde nomen sortita est, quòd sit peculiaris cœtus ex misericordia Dei electus ac uocatus) adest, eiq; impertit atque largitur præter illam sapientiam, qua res omnium amplissimæ & grauissimæ, quæ aliàs ignotæ sunt humanæ rationi, solidè cognoscuntur, etiam alia dona omnium maxima: nempe iustitiam, quam CHRISTVS peperit: remissionem peccatorum, qua & delet peccata nostra omnia, & exornat nos eo decore, quo unicè delectatur: donat Spiritum sanctum, saluberrimum hospitem, gubernatorẽ & parastaten in omnibus aduersis: regenerat, transfert in regnũ gratiæ, excitat ueram confessionem, præbet uictoriam aduersus Diabolum & mortem, ita quidem, ut credens in CHRISTVM non moriatur inæternùm. Hæ scilicet sunt reuera arbores uitæ, uernantes in hac incundissima Dei paradiso, sanguine ipsius CHRISTI rigatæ, & ex eo gratissimos fructus in odorẽ suauitatis Domino proferentes.

Neq; uerò ea bona sola sunt. Nam ex uerbo Dei politia & œconomia suum uigorem, ornamenta & fructus, ueluti ex radice trahunt atq; percipiunt. Propitio enim Deo, iuxta normam ab ipsomet traditã, hilari corde cuncta exequi, & præcipuè ad eum finem quem Deus requirit, cõniti possunt omnium ordinum homines. Ideo conditi & redempti sunt homines, ut Deum autorem rerum omnium celebrent. Ideo iam post lapsum uiuimus, ut renascamur per salutare lauacrũ à CHRISTO institutũ: & credentes in ipsum, æternis eius bonis ditemur & fruamur. Verbum Dei metas philosophiæ naturali præscribit, & eam mirificè illustrat: Reges, Principes & Magistratus omnes erudit, quòd sint custodes totius Decalogi: in cuius priori loco id sui officij esse intelligunt, ut non tantum ipsi Deum uerũ rectè cognoscant, inuocent, celebrẽt, sed & totas ei portas in uniuersa gubernatione aperiant, eiusq; uerbum foueant, promoueant ac propagent, ac deinde in timore Domini etiam reliqua externa administrẽt. Parentes uerbum Dei instruit, ut in uera pietate liberos à primis incunabulis educent, plantasq; cœli suauissimo imbri uerbi cœlestis irrigẽt. Sed ne nimis procul nostra cõmemoratio excurrat, nulla est conditio hominũ, siue infima, siue summa, siue media, quam non illuminet, exornet ac regat

Verbū Dei. Abſq; eo enim omnia in profundiſsimis tenebris, imò in multiplici atq; pernicioſo errore, uerſari atq; perire neceſſe eſt.

Augetur autem ſplendor Eccleſię Dei multis modis, ſi & Magiſtratus ipſi, & populus ſimul ueræ iſtius Eccleſię Dei ciues exiſtāt, diuinisq; illis beneficijs pari feruore atq; alacritate potiātur. Quid putabimus in terris pulchrius fuiſſe, quàm cum Dauid, aut Salomon, aut alius pius Rex, in uniuerſa religione cultuq; Dei uero, cū toto ſuo populo conſenſit? Egregium fuit decus, quando illi eximij Heroes armati ferro, & ſtipati ingenti robore exercitus, fortiſſimis animis in prælia exierunt, & tanquā animoſiſsimi leones contra hoſtes ſumma cum felicitate pugnauerunt. Sed longè fuit excellentius decus, quando illi in templo aut alibi mira grauitate ſederunt, populumq; ſuum de rebus diuinis atq; æternis, ſingulari dexteritate & perſpicuitate erudierunt. Non enim tantum propter pacem aut diſciplinam, ſicut Ethnici Imperatores, foris bella geſſerunt: ſed omnium maximè, ut uerbum Dei ſyncerè & rectè tradi diſciq; poſſet, & homines agnito Meſsia, æterna ſalute fruerentur.

Etſi autem nulla fuit, eſt, aut erit Eccleſia Dei, quam non deformet Satan, in qua non plurima grauiſsimaq; ſcandala ſubinde exoriantur, & quæ non ſub ſancta cruce Domino militet: tamen ornamentis ac donis ſuis ſpiritualibus et corporalibus, de quibus ſuprà quædam ſtrinximus, uerè & longè antecellit omnibus alijs hominibus, in toto orbe terrarum in ſumma temporalium atq; caducarum rerum abundantia uiuentibus. Præclarè igitur dictum eſt ab Hieremia: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & nō glorietur diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium & iuſticiam in terra.

Deleta autem Paradiſo terrena per diluuiū, ut credibile eſt, propter tetrum primorū hominum lapſum: ſpiritualem illam Paradiſum, in qua uerbum Dei prouenit, ac ſalutarē animę cibum adfert, non in uno tantum orbis terrarum loco plantare uoluit Deus: ſed dilatandam atque ampliandam eam ex ingenti miſericordia & potentia cenſuit quâq; uerſum, ad omnes gentes. Etſi autem filius Dei omnibus ætatibus, tanquā conditor atque gubernator iſtius nouæ Paradiſi, ipſemet totum mundum peragrauit: tamē poſt incarnationem, partamq; ſalutem totius generis humani, peculiari mandato certæ perſonæ ad hoc miniſterium delectæ, atque miranda ſapientia, robore fidei, ac paraſtate Spiritu ſancto inſtructi, armati atque animati, ablegantur ad omnes gentes in toto terrarum orbe, ad annunciandam pœnitētiam & remiſsionem peccatorum in nomine CHRISTI: ut omnis qui baptiſatus fuerit, & crediderit in CHRISTVM, ſaluus fiat, & habeat uitam æternam. Hoc pacto

nulla

nulla est natio, quæ non eum sonum Dei altissimi perceperit, & in qua non Deus paradisum illam suam spiritualem plantarit. Etsi autem erroribus, abusibus, impœnitentia, & atrocibus sceleribus ea sæpe non tantum horribiliter polluta, uerùm etiam crudeliter excisa atque uastata sit: tamen subinde alium post alium locum delegit Deus, & adhuc in eo negocio occupatur, ut eam spiritualem Paradisum in diuersis nationibus adornet & excolat.

Digna res est admiratione, quòd breui tempore post CHRISTI ascensionẽ, passim per celeberrimas orbis habitati partes, eiusmodi Paradisus instituta est: licet rursus postea interierit, multis in partibus. Neque est postrema gloria alicui uel ciuitati uel nationi, statim in primis initijs uoce ministerij cœlestis uocatam atq; illustratam, & Paradisum Domini factam esse. Vtinam uerò illæ antiquę historiæ primitiuæ Ecclesiæ tum literis atq; memoriæ fuissent uerè ac luculenter & cum quodam iudicio traditæ, tum & postea usque ad nos conseruatæ ac propagatæ: nihil profectò maiori uoluptate & fructu cognosci iam posset.

Est autem Britannia quoq; inter eas regiones, quæ statim post exhibitum Messiam, lucem Verbi diuini accepit: & quã Deus hoc honore dignatus est, ut in ea Paradisum spiritualem plantaret atq; excoleret. Sunt enim qui affirmare non dubitent, Ioſephum illum Arimathiensem, qui corpus mortuũ CHRISTI mirabili fide in tãto Iudæorum furore de cruce leuauit, & cum certa spe resurrectionis sepulchro imposuit, in Britanniam uenisse circiter annum Domini sexagesimum tertium, ibiq; fidum colonum nouæ ac spiritualis paradisi ingenti zelo egisse. Excoluisse eam postea & Luciũ regem, de quo ob pietatem eximiam uana superstitio uaria (ut fieri solet) adiecit, fama est. Etsi autem subinde accidit, ut in agro Domini tribuli, spinę, urticę, aliaq; zizania nascerentur: ac tandem Antichristus Romanus, tanquã aper in uinea Domini, homo peccati, furiosaq; bestia, suas ibi disseminaret uenenatas corruptelas, tetrasq; idololatrias: tamẽ rursus crebrò diuina clementia quidam coloni industrij ac uera fide præstantes emicuerunt, qui in prærealtis tenebris quosdam errores taxarunt, & paradisum Domini ab interitu uindicare conati sunt, licet parum feliciter successerit. Nã tantas tenebras Antichristus passim offuderat mentibus hominũ, ut illi non possent se omnino euoluere atq; expedire. Hac etiam ætate, qua lux Euangelij, indicatis atq; repudiatis corruptelis Antichristi, rursus uelut ex atra nube emicuit, cœpit Britannia rursus ad illud antiquum decus nonnihil aspirare. Sed tantum ualuit error inolitus & induratus, ut rursus ueluti densa nocte iubar solis obtenebratum sit. Sæpe autẽ eiusmodi pœnas ipsi Magistratus, sæpe populus, sæpe utriq; commerentur. Nec potest ullum atro-

cius ſupplicium à Deo in hac uita infligi, quàm ſi patiatur zizanijs peſtilentiſsimis totum agrũ obduci, deformari ac perdi, aut fame Verbi diuini populum excruciari & interire.

Hæc omnia pios ac prudentes gubernatores præcipuè expendere decet, ut agnoſcant, quæ ſint omnium maxima in uita humana: & in quibus rebus potiſsimum elaborare, ſuos ſubditos iuuare, totamq; rerum ſuarum adminiſtrationem exornare debeant.

Ad te igitur nunc, Regina potentiſsima & ſereniſsima, conuertimur. Audimus enim, te poſt accepta Regia ſceptra, etiam de præcipuo fine ac munere tui officij, ſocietatis ac uitæ totius omnium ſubditorum tuorum cogitare. Itaq; non tantum lætis acclamationibus Regiæ tuæ dignitati gratulamur: ſed toto etiam pectore patrem Domini noſtri IESV CHRISTI inuocamus, ac rogamus, ut totam tuam terram, populorum frequentia, opibus, atq; omnibus uitæ huius pręſidijs atq; ſplendoribus exuberantem, faciat nouam ac ſpiritualem Paradiſum, in qua tu ſis Eccleſiæ nutrix, & ſedula colona: ſubditi tui omnes uerbo Chriſti irrigati, plantæ ſalutares in hac uita, & denicq; regni æterni participes exiſtant. Quod enim maius, excellentius, dignius, durabilius, magiſq; ſalutare tibi precemur, non habemus. Sed quia non ſatis eſt bene cœpiſſe, hortamur etiã te illuſtriſsima & potentiſsima Regina, ut totis uiribus in id opus incumbas, ut Religio pura, integra, inuiolata in toto regno tuo inſtauretur, omnibus Antichriſti crudelitatibus, uulneribus, peſtibus ac carcinomatis rectè curatis, atq; ſublatis. Debes enim hunc honorem Deo conditori ac redemptori tuo, debes tibi ipſi, debes ſubditis tuis. Intelligis proculdubio, nequaquam te ad iſtud culmen à Deo euectam, ut tantum uel commodis quibuſdam humanæ uitæ, quæ flori herbaceo cõparatur, ſtudeas, uel diſciplinam externam ſaltem cuſtodias: ſed omnium maximè, ut tanquam Dei miniſtra, operum primæ Tabulæ cuſtos atq; executor ſis: hoc eſt, ut tua cura auxilioq; ſubditi, uerbo Dei regenerati, cultores eius fiant, & æternam ſalutem percipiant.

O infelices Reges, qui tantùm delicias huius uitæ, inanẽ gloriam aut potentiam uenantur: aut ſolummodo honeſtatis ſe moderatores arbitrantur. Nam ignari ſui præcipui finis, & ſe & ſubditos tantum momẽtaneis ac perituris rebus paſcunt, grauiſsimamq; Deo in extremo iudicio ſunt reddituri rationem: quòd non tantum ſuę ipſius animæ fuerunt parricidæ, ſed ſimul tot innumerabilium animarũ damnationis ſemetipſos participes reosq; fecerunt. Ac graſſatur pœna impiorum regum non tantum in præſentes homines, tremendo Dei iudicio, ſed etiam in longam poſteritatem. Non eſt fortuitum quiddam, quòd admodum ueteres, uirtuteq;, ſapientia ac ſucceſsibus clarę familię delentur, fiunt uarię cædes mutuęq;

lanienæ

lanienæ inter cognatos, nutant regna, crebræ accidũt turbationes inteſtinæ, premunt hoſtes externi, & alia quæ enumerari non poſſunt omnia: ſed procul dubio iram Dei, ex plurimis etiam antiquis maiorum peccatis, ſecum ferũt. Quid uerò in nouiſsimo illo die fiet, quando Rex regum in ſua maieſtate apparens, rationem uilli-cationis ſuæ ab omnibus hominibus ſeueriter flagitans, atrocitatem huius peccati regibus ob oculos ponet, quòd in tãtis dignitatibus à ſe ad hoc ipſum ut eſſent honori bono operi, utq; filio ſuo regni portas aperirent conſtituti, gloriam Dei & ſalutem ſuorũ ſubditorum non quæſierunt?

Decet igitur pios ac ſapientes reges iſta agnoſcere atque expendere, ne ſimiles calamitates ſibi ſuisq; accerſant: ſed potius, ut benedictiones diuinas ſibi ſuisq;, totiq; poſteritati acquirant et relinquant. Teſtatur enim ſua uoce Deus, ſe pios reges, & ueræ religionis hoſpites ac patronos, non tantum in hac uita præmijs ornaturum, & ſubditorum placidam gubernationem ac neceſſariarum rerum affluentiam eis largiturũ: ſed etiam poſteritati eorum clementer adfuturum eſſe. O quanta erit fœlicitas, quanta gloria in uita æterna piorum regum, qui regnũ ipſius Dei in terris ſumma alacritate, ſtudio, opera, ſumptibus periculisq; auxerũt & ornarunt.

Non es ignara, ſereniſsima Regina, te aliquando iſtam tuam coronam ad pedes omnipotentis Dei unà cum mortali hoc corpore rurſus depoſituram eſſe, ſicut fecerunt plurimi ante te. Eam ob cauſam, immarceſsibilẽ illam, de qua Apoſtolus Chriſti concionatur, ut conſequaris, prorſus tibi enitendum eſt.

Porrò ubi fax hæc uerbi Diuini palàm relucet, radiosq; ſuos liberè ſpargit: ibi etiam diſciplina facilius homines reguntur, & educant̃ liberi in pietate, bonis moribus, et omnibus honeſtis artibus.

Illud uerò etiam non prætereundum eſt, cum iam uariæ paſsim graſsentur quaſi factiones opinionum, inter quas aliqui etiã teſtamentum Domini planè philoſophicis rationibus ita euacuant, ut corpus & ſanguinem Chriſti, quod ad præſentiam & communicationem, iuxta clariſsima, euidentiſsima, ueraciſsima & potentiſsima uerba ipſius CHRISTI, prorſus, remoueant, miraq; uerborum perplexitate fucum faciant: in primis uidendum tibi eſt, ut & articuli fidei ſine phariſaico fermento, & Sacramenta à Chriſto inſtituta citra omnem adulterationem inſtaurentur. id quod te facturam eſſe, omnes pij ſperãt, ſummisq; uotis à te contendunt.

Vt autem uniuerſa Religio rectius inſtitui & exerceri poſsit, utiliſsimum eſt ſine dubio, ſtatum antiquæ Eccleſiæ cognoſcere. Cũ itaq; in ea deſcribẽda occupati ſimus, & hanc partem iam in publicum demus: tuæ Maieſtati eam nuncupare atq; inſcribere placuit,

hanc

hanc prȩcipuè ob cauſam, ut tuos ſanctos ac pios conatus, hac ipſa re, quantulum quidem pro noſtra mediocritate poſſumus, adiuua remus. Commemorat enim hæc hiſtoria, quid de articulis fidei fuerit traditum aut receptū quarto poſt CHRISTVM ſeculo, quȩ Diabolus per ſua organa hæreticorum interſpergere conatus ſit, qui ritus in uſu fuerint: & quomodo Antichriſtus ſubinde quaſi nidum ſuum parare cœperit, donec tandem conſtructis omnibus, longa incubatione id portentum excluſerit, quod uoluit: & quali ratione Eccleſia fuerit gubernata, aliaq; eius generis non pauca. Manifeſtum eſt, ſacroſancto antiquitatis titulo plurimos quaſi faſcinari, ut citra omnem attẽtionem, rectumq; iudicium, quantumuis tetris erroribus applaudant. Monſtrabit igitur hæc Centuria cum prioribus, quȩ ſit illa antiquitas uera, quam omnes neceſſe ſit immobiliter ſequi: quæ ſint falſa, ſiue uetera illa ſiue noua ſunt, quæ neceſſe ſit fugere atq; execrari. Speramus etiam hoc nomine iſtud Opus tuæ Maieſtati gratum futurum, quòd non modò ex hiſtoricis, ſed ex patribus, & alijs ſcriptoribus quoq; uetuſtis, res cognitione digniſsimæ, graui multorum labore & perſpicuo ordine ſinceraq; fide eruuntur atq; recenſentur.

Deberi tuæ Maieſtati inſuper uidetur iſte labor, quia eam ætatem deſcribit, qua Conſtantinus ille Magnus habenis Imperij Romani potitus, de uniuerſa Eccleſia CHRISTI optimè meritus eſt, æternumq; nomen accepit. Cum enim ille, ut tradunt hiſtoriæ, in Britannia, et ex Britannica ſtirpe natus ſit, idq; regnum eximia pietate & uirtute gubernarit: redit hic Conſtantinus iam ad te, adferens ſtatum eius Eccleſiæ, quæ ſuo tempore totum orbẽ ſuo ſplendore illuſtrauit. Ferrum & æs triplex circa pectus eum habere neceſſe eſt, quem nõ maiorum ſuorum res, piè, feliciter, ac cum eximia laude geſtæ afficiunt. Cum autem tua Maieſtas omnibus bonis literis ſit exculta, nõ dubitauimus, Conſtantini Britannici Eccleſiaſticas res tuæ Maieſtati iucundiſsimas atq; acceptiſsimas fore, hoc ipſo reſtaurationis ueræ Religionis tempore. Noſtrũ certè ſtudium atq; uoluntatem ſperamus tuam Maieſtatem, pro pietate tua & animi celſitudine, impro[illegible]turam non eſſe.

Poſtremò, ſunt iam poſtrema mundi tempora, ingruunt illa omnia quæ Chriſtus prȩdixit in hac inclinatione rerum omniũ graſſatura eſſe: ideo nihil laudabilius atq; utilius Reges facient, quàm ſi contendent omni ſtudio, totisq; uiribus, ut uerbo Dei puro, homines ad poenitentiam uocentur, & ad iamiam uenturum & imminens iudiciũ Dei præparentur. Non dubitamus Antichriſtũ, eiusq; ſatellites, ipſumq; etiam Diabolum, uarias remoras atq; impedimenta obiecturum eſſe. Sed confiſa dextera & potentia Dei, alacriter perge: omnes pij in toto orbe Chriſtiano tecum pia uota

coniun-

coniungent. Ac nos quoq; iam Deum patrẽ Domini nostri IESV CHRISTI ardentibus pectoribus oramus, ut Tuam Maiestatem, Spiritu suo sancto gubernet, successum illi ad puræ religionis instaurationẽ largiatur, frena iniſciat molitionib. Diabolicis: donet denicq; pacem, honestatem, & augeat etiam reliqua dona, ad nominis sui gloriam, & tam Tuæ Maiestatis quàm omnium subditorum tuorum salutem æternam, Amen.

Bene in Domino IESV, unico nostro Saluatore, Vale.

T. R. M.

A.

Mathias Flacius Illyricus.
Iohannes Vuigandus.
Matthæus Iudex.
Basilius Faber.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ
Centuriæ Quartæ

13

CAPVT I.



ESCRIPTIO nem hiſtoriæ ſequentis ſeculi, ſeu Centuriæ Quartæ poſt Domini natiuitatẽ, deinceps ingredimur: initium conſtituentes ab anno Diocletiani Imperatoris decimotertio, ad Arcadium uſq;, qui Theodoſio magno ſucceſsit.

Fuit in eo ſeculo, Eccleſiæ CHRISTI facies & forma omnino illuſtris, & præclara. Etſi enim initiò atrociſsima in ea uaſtatio facta eſt per Diocletianũ: tamen repẽtina non multo pòſt per Conſtantinũ ſecuta reſtitutio, ſuperioris ſtatus fœlicitatem non reparauit modò, ſed & egregiè auxit. Rurſus tamen indefeſſum diaboli odium uide. Quantum ad externam pacem & tranquillitatem attinet, floret Eccleſia: deinde propagatur etiam doctrina CHRISTI: ſed interea ex ipſo Eccleſiæ pulcherrimo corpore auellũt ſe quædam membra, & bellũ inferunt triſte non minus et exitiale, quàm aut Decius, aut Diocletianus, aut ſi qui horũ immanitatem ſuperant, prius mouerãt. Ariũ dicim⁹, & ex eo quaſi ab hydra aliqua Lernæa natas portentoſa fœcũditate factiones, per quas Eccleſiæ non quaſſationes ſolum, & turbationes multiplices illatæ ſunt, ſed & producta ab illis piorum doctorum exilia, bonorum publicationes, tormenta, lacerationes, & mortes: quemadmodum in illis quæ ordine & loco ſuo ſubſequentur, oſtendetur.

CAPVT II.

DE LOCO ET PROPAGATIONE *Eccleſiæ.*



VNC, quibus in locis hoc ſeculo hoſpitia ſua Eccleſia habuerit, aut quas alias ſibi ſedes apud alias gentes acquiſiuerit, breuiter explicabim⁹. Primùm Euſebi⁹ lib. 3 de uita Conſtantini, in hiſtoria Synodi illius celeberrimæ Nicenæ, Eccleſias fuiſſe indicat per omnem Aſiam, Africam & Europam. Conſpectum enim in ea ſynodo fuiſſe talem CHRISTVM profitentium cœtum, qualem poſt aſcenſionem Domini in Pentecoſte uiderant Hieroſolyma, ut Lucas ſcribit: Parthos ſcilicet, Medos, Elamitas, habitantes Meſopotamiam, Iudæam, Cappadociam, Pontum, Aſiam, Phrygiam, Pamphiliã, Ægyptum, &c. Meminit & Athanaſius, in libro de Fidei unitate & trinitate, eccleſiarũ ab Oriente ad Occidentẽ uſq;. & Arnobius aduerſus gentes lib. primo: Nónne uel hæc, inquit, ſaltem fidem uobis faciũt argumẽta credẽdi, quòd iam per omnes terras, in tam breui tempore, & paruo, immenſa nominis huius ſacramenta diffuſa ſunt? Et Iulius Firmicus Maternus, in libello ad Imperatores de abolendis idololatrijs ethnicis, inquit: Quis locus in terra eſt, qui non CHRISTI nomen poſſederit? quà ſol oritur, quà occidit, quà erigitur ſeptentrio, quà uergit auſter, totum uenerãdi numinis maieſtas impleuit. Et Optatus Mileuitanus libro ſecundo cõtra Parmenianum inquit: Concedite Deo, ut hortus eius ſit longè lateq; diffuſus. Quid illi negatis oriẽtis & ſeptẽtrionis, & iam occidentis prouinciarum omnium, & innumerabilium inſularũ populos Chriſtianos? Idem Baſilius ſentit epiſtola lxxij. Vniuerſa, inquit, Eccleſia ab orbis finibus uſq; ad fines, Euangeliũ recepit. Et de multitudine Epiſcoporum totius orbis, & eccleſijs in Piſidia, apud Lycaones, Phrygas, utroſq; Armenios, Macedones, Achæos, Illyrios, Gallos, Hiſpanos, Italos, Siculos, Aphros & Ægyptios, meminit epiſt. lxxv. Sic & eccleſiarũ per prouincias Romani imperij, Hilari⁹ lib. 6 de Trinitate, mentionem facit.

14

DE ECCLESIIS PER ASIAM.

IN Aſiaticis eccleſijs præcipui hoc adhuc tempore nominis fuerunt hę, quæ per Palæſtinam ſitæ fuerunt, quarũ Euſebius meminit lib. 3 de uita Conſtantini, & Ruffinus lib. primo. Manſiſſe enim Hieroſolymis eccleſiam celeberrimam, ſucceſsio probat Epiſcoporum: quorum catalogum annotarunt Euſebius in libris hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & in Chronico, & alij. Fuit & eccleſia CHRISTI Cæſareæ, quemadmodum Euſebius & alij eius meminerunt. Recenſet & plurima loca Palæſtinæ, ex quibus ad Synodum œcumènicam, quam apud Nicæam Conſtantinus conuocarat, uenerunt Epiſcopi, eius Synodi hiſtoria, quæ extat in tom. j Conciliorum: ut Neapolim, Sebaſtiam, Aſcalonẽ, Gadaram, Nicopolim, Eleutheropolim, Maximinopo-

minopolim, Hierichuntẽ, Zabulonem, Lyddam, Iamneam, Azotum, & alias. Fuisse in Tyro & Sydone Ecclesiã, inde liquet, quòd utriusq; loci episcopos nominat Euseb. lib. 8 cap. 7 & 13. huius quidẽ Zenobium, illius autem Tyrannionẽ. Imò & Synodum apud Tyrum fuisse sub Constantino, Eusebius idem indicat lib. 4 de uita Constantini. Plures deniq; in eadẽ prouincia Ecclesiæ sedes recitat catalogus concilij Niceni: ut Ptolemaida, Damascũ, Tripolim, Paneada, Emissam, cuius in persecutione episcopum fuisse Syluanum Eusebius testatur lib. 8 cap. 13. Sicut Beryti Phœniciæ episcopum nominat Apollinariũ Socrates, lib. 2 cap. 46. eiusdẽq; Petrus Alexandrinus meminit in epistola sua apud Theodoretum lib. 4 cap. 22. Fuit & Gazę ecclesia Christi. nam & ibi episcopum Syluanum alium fuisse, Sozomenus refert lib. 5 cap. 3.

In Arabia fuisse ecclesias, persecutio quam ibi Diocletianus exercuit, testatur. Euseb. lib. 8 cap. 12. Et recitat aliquot Ecclesiæ in ea sedes concilium Nicenum, & Athanasius in epistola ad episcopos Achæos. Bostræ certè clara fuit ecclesia, cuius episcopum Titũ prædicat Sozom. lib. 5 cap. 15.

Inter Syriacas ecclesias, quarum Eusebius lib. 3 de uita Constantini meminit, pręcipua hoc adhuc tempore fuit Antiochena: quemadmodum ex ordine & successione episcoporum, quam Eusebius & alij annotarunt, cõstat. Et numerat aliquot illustres ecclesias in Syria concilium Nicenum: ut Seleuciam, ubi frequens fuit Synodus sub Constantio, & episcopus Neonas, de quo Socrat. lib. 2. cap. 42. Laodiceam, Apameã, Hierapolim, Samosata, Larissam, & alias. Antaradi in Syria fuisse ecclesiam, ex eo clarum est, quòd eius episcopum Carteriũ celebrat Theodoretus lib. 2. cap. 15. Et de Rhinea Syrorũ, Sozomenus ait lib. 6. cap. 31, eã ab initio bonos habuisse præceptores, & ad suam usq; ætatem nondum defeciisse.

Ecclesiarum in Cœlosyria concilium Nicenum meminit: & fuisse ibi ecclesias non obscuras, testatur Sozom. lib. 6. cap. 34. Venerunt ex eadem episcopi ad cõcilium quoddam Romanum, ut Athanasius indicat Apolog. 2. Fuit in eadem prouincia ad Libanũ Helio polis, ubi diaconum fuisse Cyrillum quendam, Theodoretus ostendit lib. 3. cap. 7. Ecclesiarum etiam per tres Syrias meminit Optatus lib. 2 contra Parmenianum.

Sequitur Mesopotamia, in qua ecclesias fuisse uel inde perspicuum est, quòd ibi persecutio Diocletiani grassata est, ut Eusebius indicat lib. 8. cap. 12 & 13. Ex ea uerò, Edessa mittit episcopum in Synodum Nicenum, quam urbem & Theodoretus lib. 3. cap. 26. pietate ornatam appellat: eandemq; uniuersam Christianam ab initio fuisse testatur Sozom. libro 6. cap. 1. & Niceph. lib. 10. cap. 34. Nominantur in concilio Niceno etiam hæc Mesopotamiæ loca, quasi in quibus ecclesia fuerit: ut Nisibis, Rhesinate, Macedonopolis. Etiam Carris fuisse ecclesiam, testatur Sozom. lib. 6. cap. 32, & Niceph. lib. 11. cap. 40.

In Asia minori Cilicia est, in qua fuisse aliquot Ecclesię hospitia cõsentaneum est. Episcoporum enim Cilicum Eusebius meminit in uita Constantini. Et Epiphaniæ Ciliciæ episcopum Amphionem memorat Sozom. lib. 1. cap. 10. Nominat & Theodorũ episcopum Mopsuestiæ Socrates lib. 6. cap. 3. Et ecclesiæ in Apside Ciliciæ meminit Ioan. Zonaras Tom. 3, in historia Iuliani. Meminit eiusdem loci & concilium Nicenum, ut & aliorum quorundã: nimirũ Tarsi metropolis, cuius episcopum fuisse Syluanum, Socrat. retulit lib. 2. cap. 39. Adanan, cuius episcopum fuisse Cyriacum, Sozom. scripsit lib. 7. cap. 10. Irenopolim, & alias.

In Pamphilia celebris fuit ecclesia Pergensis, cuius episcopum Iouinianum Theodoretus nominat lib. 4. cap. 15. Sed & nominatim ecclesiarũ in Pamphilia Eusebius meminit in uita Constantimi. Ac plures in eadẽ prouincia fuisse Ecclesiæ locos, Conciliũ ostendit: uidelicet Tegmessam, Aspendum, Seleuciam, & alias. Antiochiæ in Pisidia patriarchatum obtinuisse Optimum, sub Valentiniano & Theodosio, Sozom. autor est libro 5. cap. 8. Ecclesias etiã in Cilicia & Pamphilia esse contendit Optatus Mileuitanus, lib. 2. contra Parmenianum.

Numerat idem aliquot etiam Pisidiæ urbium episcopos: quemadmodum & Pataræ prouinciæ Lyciæ, quæ & ipsa ecclesias habuit, quarum Sozom. meminit lib. 2. cap. 27. et Niceph. lib. 8. cap. 42 apud Myram Lyciæ episcopum fuisse Nicolaum iudicat, sub Cõstantino. Olympi uerò ciuitatis Lyciæ episcopũ celebrat Methodiũ Socrat. lib. 6. ca. 13.

Nec Lydia ecclesijs caruit: nam episcopos ex ea aliquos Socrates recẽset libro 2. ca. 40. Mittuntur ex eadem episcopi in synodũ Sardicensem, ut Sozom. indicat lib. 2. cap. 8. Ac plura eius loca concilium Nicenum exprimit: ut Sardes, quarum ecclesiæ Sozom. meminit lib. 4. cap. 24. Philadelphiam, Tripolim, Peparam, Thyatiram, &c. Laodicensium præterea Ecclesia celebris hoc seculo fuit episcopis clarissimis, Theodoro & Gregorio, ut Socrates ostendit lib. 2. cap. 45.

De Iconio Lycaonię, antiqua Ecclesiæ sede, libro superiori diximus: & meminit eius hoc seculo Basilius epist. 8, sicut & ecclesiæ apud Nisan eiusdem, epistola 10. Fuit in eius metropoli Amphilochius episcopus, ut Theodoretus ostendit lib. 4. cap. 11.

Ephesina & Smyrnẽsis ecclesiæ, sicut iam olim

olim celebres fuêre,ita & hoc ſeculo permãſiſſe inde cognoſcuntur, quòd ex ijs epiſcopi in concilium Nicenum prodierunt.

De eccleſijs porrò in Phrygia, teſtimonia certa ponunt Euſeb. lib.8. cap.11, & Lactantius lib.5.cap.11.Plures in eadem Eccleſię ſedes hiſtoria de concilio Niceno numerat:ut Ilium,Synnadam,Eucarpiam, Hierapolim, Laodiceã,Sanidem, Azanam, Dorylam, &c. Et epiſcoporum Phrygiæ Euſebius meminit lib.3. de uita Conſtantini: ut & Socrates lib.2. cap.42, Eleuſij epiſcopi apud Cyzicũ. Quin & in Lampſaco Synodus memorabilis contra Eudoxium & Acacium Arianæ factionis principes fuit, quemadmodũ in Valentiniano refert Paul. Diaconus.

In Bithynia fuiſſe eccleſias notũ inde eſt, quod ex ea epiſcopi in Synodum collectam apud Tyrum Phœniciæ ueniũt:ut Euſebius indicat lib.4.de uita Conſtantini. In eiuſdem prouinciæ ciuitate Chalcedone, ut loco Eccleſię celebri, Synodus cõgregatur ſub Arcadio & Honorio:Socrates libro 6. cap.15. Nicomedienſis uerò eccleſia teſtimonij ſatis habet ex initio perſecutionis, quod ibi dedit Diocletianus:quemadmodum Euſebius indicat lib.8. cap.5.& Ruffinus lib.1.cap.5. Nicenam d eniq; eccleſiam Synodus illa magna,ab Imperatore Chriſtiano, in Chriſtianorum & Eccleſiæ clariſsimo loco,celebrat.

Hinc nec de Helleſpontiacis eccleſijs dubitari quicquam poteſt. Ex illis enim epiſcopi ueniunt in ſynodum Sardicenſem,ut Sozom.autor eſt lib.2.cap.2. ac recenſet epiſcopos per Helleſpontũ idem lib. 6.cap.7. Meminit & Parthenij epiſcopi Helleſpontiaci, Niceph.lib.8.cap.42.

In Ponto uerò celebris eccleſia Neocæſarienſis fuit: cui ſub Conſtantino præfuiſſe epiſcopum Longinum,hiſtoria concilij Niceni teſtatur, quæ & Domni epiſcopi Trapezuntis meminit.

Habuit & Galatia eccleſias:eius enim epiſcoporum meminit Euſeb.in uita Conſtantini. Mittuntur inde epiſcopi in ſynodum Sardicẽſem, ut Theodoretus oſtendit lib.2. cap.8.Ac nominat Galatarum epiſcopũ Baſilium Sozom.lib.2.cap.33. Nobilis denique in Galatia Eccleſiæ ſedes Ancyra fuit metropolis,cuius epiſcopum Clementẽ nominat Niceph.lib.7.cap.14.

Galatis & Iſauri annumerãtur,apud quos celebres fuiſſe eccleſias hiſtoria Athanaſij ꝓbat,qui in Apolog.2. omnes Iſauriæ epiſcopos ſecũ ſenſiſſe,ac ꝓ ſe ſubſcripſiſſe,narrat.

In Paphlagonia Pompeiopolis Philadelphum habuit, qui in ſynodum Nicenam uenit. Poſt eum Sophronius intereſt Synodo cõgregatę Seleuciæ, ut Socrat. autor eſt lib. 2.cap.39. Recenſet & alia eius prouinciæ loca Catalogus epiſcoporum Niceni concilij, ex quibus ueniunt epiſcopi: ut Amaſtrim, Iunopolim. Meminit præterea Synodi in metropoli Paphlagonum Gangris,ſub Conſtantio,Sozom.lib.3.cap.14.

Eccleſiæ in Cappadocia pręclarum habẽt teſtimonium Gregorij Nazanzeni,qui Saſimorum primùm ciuitatis Cappadociæ epiſcopus fuit, poſtea Nazanzi. Meminit & Theophronij epiſcopi Thyanenſis Athanaſius,de Synodo Ariminenſi & Seleuciæ.Plura loca concilium cõmemorat: ut Cæſareã, quę clara hoc tempore fuit pręſtantibus epiſcopis Gregorio, Baſilio, Gregorio Nyſſeno,ut Socrates indicat lib.5.cap.8.Sozomenus lib.6.cap.16. poſt eum uerò Helladio patriarcha:idem lib.5.cap.9.& Coloniã Comanam. Deniq; & in Cappadociam pertigiſſe Diocletiani perſecutionem, Euſeb. teſtatur lib.8.cap.12 & 13. Amaſeæ uerò perſecutionem motã fuiſſe à Licinio,Nicephorus ſcripſit lib.7.cap.44.

Sed & Armenos Chriſtianos, ac pietatis quidem præ cæteris ſtudioſos Euſebius uocat lib.9.cap.7. Habet Sebaſtia Armeniæ celebrem epiſcopũ Euſtathium, ut Socrat.indicat lib.2.cap.43.& Sozomenus lib.4.cap. 24 eccleſię Satalorum meminit,in Armenia interiori:item Caſtabalenſis,cuius epiſcopũ Theophilũ nominat Socrates lib.3.cap.25. Plura ex utraq; Armenia oppida annotauit concilium Nicenum. Deniq; & in Melitina regione graſſatam perſecutionis tyrannidẽ, ſub Diocletiano, Niceph. ꝓdidit lib.7.cap. 7. Optatus Mileuitanus in duab. Armenijs eccleſias collocat,lib.2 contra Parmenianũ.

Ita nec apud Perſas fuiſſe eccleſias dubiũ eſt.epiſcopi enim è Perſia mẽtio fit apud Euſebiũ lib.3 de uita Conſtantini. Et numeroſiſsimas quidem fuiſſe in ea eccleſias, patet ex eodem lib.4 de uita Conſtantini.Cum enim cõperiſſet Conſtantinus, felicẽ religionis Chriſtianę progreſſum in Perſia, & eccleſias multas,quas rex Perſarum Sapores perſequeretur, ad eum pro Chriſtianis ſcripſit. Indicat idem Theodoret. lib.1.cap.23. Teſtatur & Sozom. lib. 2. cap. 8,Perſas ab initio Chriſtianos fuiſſe, præſertim uerò regionẽ Diabenorum,quam in uniuerſum Chriſtianam fuiſſe ſcripſit lib.2.cap.12.

Et in Nomadũ prouincia Chriſtianorum uiguiſſe religionem,teſtatur Arnobius lib.1. aduerſus gentes.imò & ultra Hyrcaniam,ut Athanaſiꝰ monet lib.de humanitate Verbi.

Meminit & epiſcoporum è Scythia Euſebius lib.3.de uita Conſtantini.Et Scythas cõſtantes uocat Sozom.lib.6.cap.21.Cumq; in diuerſis habitent ciuitatibus, omnes tamen unius epiſcopi gubernationi Scythas ſe ultro ſubijcere,idem autor eſt lib.7.cap.19.

Apud Indos poſtremò, Seras & Medos, Chriſtianos fuiſſe, Arnobius oſtendit lib.1.

contra Gent. Ac meminit Paſtoris Nitriæ presbyteri, Bergomenſis.

DE ECCLESIIS PER AFRICAM.

IN Africa Ægyptus hoc adhuc tẽpore clariſsima fuit multis illuſtribus eccleſijs, ex quibus præcipua erat Alexandrina. præſtantes enim habuit doctores & epiſcopos, celebrem item ſcholam: de quibus ornamentis ſingulis infrà dicemus. Et laudat eam eccleſiam à pietatis ſingulari feruore Nazanzen⁹, in orat. ad Heronem philoſophũ. Meminit quędam de eccleſia etiam in Mareote regione Alexandrina, Athanaſius Apolog. 2. Poſt eas, aliæ in hiſtorijs horum temporum celebrantur non ignobiles eccleſiæ: ut Rhinocururæ, ubi epiſcopũ fuiſſe Milanen, Sozom. ſcripſit lib. 6. cap. 31. Et Thmuitana, quę præſtantiſsimum ſub Diocletiano epiſcopũ Phileam: ut Euſebius indicat lib. 8. cap. 9, & 10. Scribit & ad Serapionem Thmuitanorũ epiſcopum, Athanaſius de Spiritu ſancto. Paphnutius uerò, magnus & celeberrimus ille, multas uidetur in Ægypto eccleſias gubernaſſe. Nicephorus eum ſuperioris Thebaidis epiſcopũ fuiſſe ſcripſit, lib. 8. cap. 14. Numerat perplura Ægypti & Thebaidis loca cõcilij Niceni catalogus: ut Cynopolim, Pharbetum, Memphim, Peluſium, Panephyſam, Heracleam, Ptolemaida, Tentyrã, Schediam, Antinoam, & Lycopolim.

In Libya deinde eccleſias fuiſſe, nõ obſcurè Euſebius indicauit lib. 3 de uita Conſtantini. Nam & cõcilium Nicenum fratribus in Libya ſcribit, ut Sozom. indicat lib. 1. cap. 9. Fratribus item in Pentapoli, cuius eccleſiarum Euſebius etiã meminit, & Athanaſius Apolog. 2. Canones item cõcilij Niceni, cap. 6. Fuit in Africa etiã Carthago uetuſta Eccleſiæ ſedes, cuius ſub hoc ſeculo Conſtantinus meminit in epiſtola ad Cecilium epiſcopum Carthaginenſem, apud Euſeb. libro 20. cap. 5. ubi & Mauritanię eccleſiarum mentio fit, aliarumq; Africanarum, ut Numidiæ, in qua Hipponẽſis eccleſia clara fuit, & epiſcopum habuit Valerium, iuxta Nauclerum. Et Arnobius lib. 1. aduerſus gentes, apud Getulos eccleſiam fuiſſe teſtatur.

Eccleſiarum deniq; apud Æthiopas, Athanaſius libro de humanitate Verbi ita meminiſſe uidetur, quaſi hoc tempore, ut omnino ueriſimile eſt, adhuc durarint.

DE ECCLESIIS PER INSVLAS *in mari mediterraneo.*

SCribit Arnobius lib. 2. aduerſus Gentes, eccleſias Chriſti ſuo fuiſſe tempore in inſulis, quaſcunq; ſol oriens atq; occidens luſtrat. Ac celebrantur à ſcriptoribus hiſtoriarum huius ſeculi, aliquot inſignes Inſulares eccleſiæ: ut quæ in Cypro fuerunt. meminit enim Ruffini hiſtoria lib. 1. cap. 5, & Sozom. lib. 1. cap. 11, Spiridionis epiſcopi in Thrymitunte Cypri, qui ad ſynodum Nicenam uenit: & Triphyllij epiſcopi Cypri Ledecẽſis. Sic & Conſtantiæ Cypri, quæ hodie Salamina uocatur, epiſcopus Epiphanius fuit, clariſsimus ille hereſeõn confutator. Nec dubium eſt, diu ante eum, cùm hanc tum alias eius inſulæ urbes, Eccleſiæ ſedes fuiſſe. nam & Gelaſium epiſcopũ Salaminenſem Catalogus concilij Niceni habet, ut & Cyrillum epiſcopum in Papho.

Fuiſſe & in Creta eccleſias, inde apparet, quòd ex ea epiſcopi mittuntur in ſynodum Sardicenſem: quemadmodũ Athanaſius indicat Apolog. 2. Item in Cycladibus. nam & ex ijs doctores in Synodũ eandẽ conueniũt: ut Sozom. oſtendit lib. 2. cap. 8. Theodoret. lib. 2. cap. 8. & Hilari⁹ de Synodis. Meminit & cõcilij Niceni hiſtoria epiſcoporũ in Rhodo, Coo, Lemno, & Corcyra. Habẽt teſtimonia præclara etiam Siculæ eccleſiæ. ad Chreſtum enim Syracuſiorum epiſcopũ ſcribit Conſtantinus, & extat eius ſcripti exemplum apud Euſebium lib. 10. cap. 5. Scribit & Regino, fuiſſe in urbe Catanenſium Siciliæ, perſecutionem ſub Diocletiano.

Eſt in mari Tyrrheno inſula parua, nec habitationib. ſatis apta, Gallinaria, in qua Martinus Pannonius, cõſtans Nicenæ fidei profeſſor, ab Arianis pulſus aliquandiu delituit. Nec dubiũ eſt, in eum locum ipſum ſeſe recipere per fugam uoluiſſe, in quo Chriſtianos eſſe noſſet. Refert hoc de Martino Sozomenus lib. 3. cap. 14.

In Sardinia fuiſſe eccleſiã ex hoc ſatis conſtat, quòd Luciferũ apud Caralam eius inſulæ epiſcopũ fuiſſe, Theodoretus narrat lib. 3. cap. 4, & ait Conſtantiũ eò relegaſſe Chriſtianos ex Thebaide Ægypti. Hinc etiam Eccleſiæ eius Hilari⁹ meminit ad Conſtantiũ.

Habuit epiſcopos & Corſica inſula, quos ſecum ſenſiſſe Athanaſius ſcribit, ad ſolitariam uitam agentes.

DE ECCLESIIS PER *Europam.*

FVIſſe eccleſias per uniuerſam Europam, aut maiorem certè eius partem, non eſt dubium. Omnium enim eccleſiarum per totam Europam epiſcopos in ſynodum Nicenam conueniſſe, Euſebius ſcribit lib. 3. de uita Conſtantini. Ac nominatim ait, Achæos eò ueniſſe epiſcopos, item ex Theſſalia & Thebis, ex Epiro & Macedonia: in qua Arethuſa nobilis ciuitas epiſcopũ habuit Marcum, cuius meminit Theodoret. lib. 3. cap. 7. Theſſalonicenſis uerò epiſcopi Socrates meminit lib. 5. cap. 6. ibiq; Theodoſium in morbum ſubitò lapſum, baptizatum eſſe ſcribit. In tota Græcia eccleſias eſſe, Optatus Mileuitanus lib. 2 aduerſus Parmenianum docet: item in Macedonia, Achaia & Thracia. Veniunt eò & ex Thracia epiſcopi, ut Sozom.

refere

refert lib. 2. capite 8. Lib. uerò 6. cap. 7. memi nit Hypatiani episcopi Heracleæ, Perinthi, Thraciæ. Constantinopolitanã ecclesiam commendant Euseb. lib. 4. de uita Constantini, & Sozom. lib. 2. cap. 3. Ac fuisse ibi Macedonium episcopũ sub Constantio Constantini filio, indicat Socrates lib. 2. cap. 42. Plures etiam Constantinopolitanos episcopos enumerat lib. 6. aliquot capitibus, ut Nectarium, Ioannem Arsacium, & alios. Translatus in eam ecclesiam etiam sub Gratiano & Theodosio Gregorius Nazanzenus, sicut idem testatur lib. 5. cap. 6. Libro uerò 6. cap. 18. etiam Philippis in Thracia Ecclesiã fuisse significat, quia eorum episcopi Brisonis meminit. Ac fuisse ibi synodum sub Constantio & Constante, ex Socrate uidere est lib. 2. cap. 22. Et Athanasius Adrianopoli in Thracia Eutropiũ episcopum fuisse indicat, in epist. ad solitariã uitam agentes. Denique & ecclesiarum Thracensium Ambrosius meminit lib. 2. De fide, cap. 4.

Tomis in Mysia inferiori ecclesiam fuisse, ex Sozomeno patet, qui lib. 7. cap. 9, Terentium Tomæorum episcopum nominat.

Illyricarum ecclesiarum frequens hoc toto seculo mentio fit. Meminit earũ Sozom. lib. 1. cap. 2 & lib. 4. cap. 24. Et scribũt episcopi Romę cõgregati in Synodo, cui Damasus præfuit sub Constantio, magna reuerentia, ad fratres in Illyrico: ut Theodoretus indicat lib. 2. cap. 22.

Meminit & ecclesiarũ apud Dalmatas Athanasius, in epistola ad fratres per Africam.

Nunc ad Italiam transeamus, in qua fuisse numerosas ecclesias, sequentia probabunt. Ac meminit earum Sozom. lib. 4. cap. 24. ubi & in fratrum apud Venetias in mari Adriatico positas mentionem incidit, quorum etiã mentio fit in epistola Synodi Romanæ sub Constantino apud Theodoret. lib. 2. cap. 22. Synodi Aquileensis mentio fit apud Theodoretum libro quinto, capite nono.

Ad Romanos uerò episcopos Miltiadem & Marcum scribit Constantinus, apud Eusebiũ lib. 10. cap. 5. Martyrum ex Bononiensium Ecclesia meminit Vincẽtij Speculũ, lib. 12 cap. 49. Veronæ Zenonem fuisse episcopum sub Constãtino, Bergomẽsis indicat lib. 9. Meminit eius ecclesiæ Athanas. in Apolog. ad Constant. imperatorem. Capuæ episcopus fuit Iulianus, cuius Athanasius meminit ad solit. uit. agent. & Gennadius. Arimini apud Senones concilium celebratur sub Constantio: cuius præter Socratem, Sozomenum & Theodoretum, etiam Hilarius meminit contra Arianos.

In Campania & Calabria fuisse ecclesias, ex Sozomeno patet, qui episcopos inde uenisse in synodũ Sardicẽsem scripsit lib. 2. cap. 8. Meminit episcoporum Campaniæ Athanas. in Apologia ad Constant. imperatorẽ.

In Apulia Athanasius cũ Constãte cõmoratus est, quod ipse refert in eadẽ Apologia.

Vercellæ apud Ligures, quæ Taurinũ hodie dicitur, clarissimus fuit episcopus Eusebius Vercellẽsis, cuius Socrates meminit lib. 2. cap. 26. et Hilarius ad Constant. Extat ad eandem ecclesiã Ambrosij epist. 82. lib. 10. in qua & Liguriæ, & Æmiliæ, & Venetiarum, aliarumq; finitimarum ecclesiarum meminit. Idem & Ecclesię in Foro Cornelij meminit lib. septimo, epist. 44. Albæ, quæ Italiæ metropolis est, episcopus fuit Dionysius: cuius meminerunt Theodoret. libro secundo, cap. 15. & Sozom. libro quarto, cap. nono.

Plura loca Italiæ, in quibus Ecclesiæ fuerint, Regino enumerat in persecutione sub Diocletiano: ut Spoletũ, Cumas, Pergamũ, Neapolim, Venusam. Leidæ & Patauij episcoporũ Athanasius meminit in Apolog. ad Constant. Idem & sensisse secũ scribit episcopos ex Apulia & Brutia, in epist. ad solit. uit. agent. Ait postremò Sozom. lib. 1. cap. 6. sub Constantino Christianã religionẽ liberè usurpasse eos, qui ad Tyberim fluuiũ, & Eridanũ seu Padũ, & circa Aquilã habitarint.

Gallicæ porrò ecclesiæ in multis Synodis quæ hoc tempore diuersis in locis coactæ fuerunt, celebrantur. Constantinus in epistola ad Meltiadem & Marcum Romanos, Gallicos nominat episcopos, Rheticũ, Maternũ & Marinum: Euseb. libro decimo, cap. quinto. Gallicanarum ecclesiarũ etiam Optatus Mileuitanus meminit, lib. 2. aduersus Parmenianum.

Clarior uerò præ cæteris Galliæ ecclesijs Mediolanensis fuit, cuius meminit Hilarius ad Constant. eamq; à doctrinæ puritate commendat, in libro cõtra Arianos & Auxentiũ. Meminit eiusdẽ & Athanasius ad Constant. & ad solit. uit. agent. Denique & Ambrosij episcopi nomine celebris fuit.

Nec inferior fuisse uidetur Massilienſium ecclesia, cuius Martyres sub Diocletiano, Regino recensẽt.

Pictauij Ecclesiã nõ ignobilẽ fuisse, uel Hilarij episcopi testimonium probat: quem totam Franciam ab hæreticis defendisse, Antoninus prodidit lib. 14. cap. 23.

Post eas Lugdunensium ecclesia sine dubio non postrema fuit. Meminit Iusti episcopi Lugdunẽsis Otto Phryſ. libro quarto. Meminit & Viennẽsis episcopi Nectarij sub Cõstantino, Chronicon Iuonis:

Denique & apud Vascones, qui in Gallia Aquitanica quondam confederant, fuisse ecclesiam, notũ inde est, quòd Bituricensis cuiusdam synodi Hilarius meminit ad Constant. Et in Gallia Celtica episcopum fuisse Martinum, Sozom. ostendit lib. 3. cap. 14.

De ecclesijs in Hispania, si aliud nullum,

hoc certè firmum satis posset esse testimoniũ, quòd in tanta hoc seculo autoritate Osius fuit, Cordubensis ille episcopus, cuius & in Nicena & Syrmiẽsi synodo magna fuit existimatio: quemadmodum Eusebius, Socrates, Theodoret. & Sozomenus indicant. Deinde Hispanicarũ ecclesiarum etiam Eusebius meminit libro 3. de uita Constantini. Et ex Lusitania martyres progressos, enumerat Prudentius περὶ στεφανῶν. Regino, & Cæsareæ Augustę & Compluti Diocletiani persecutionem grassatam fuisse scripsit lib. 1.

In Gallia occidẽtali multę etiam præstantes fuerunt Ecclesiæ: ut Arelati, ubi conciliũ frequens fuit sub Constantino. Euseb. libro decimo, cap. quinto. cuius & Hilarius meminit ad Constant. & ex Augusta Rhetiæ martyres recenset Regino lib. 1,

Apud Treuerim Athanasius iubetur habitare à Constantino, quemadmodum Sozomenus ostendit libro secũdo, cap. trigesimo secundo. qui & lib. tertio, capite undecimo, Treuerẽsem episcopũ nominat Maximum. Ac Rictionarium Galliæ præfectum, ingentem Treueri persecutionem exercuisse, Fasciculi temporum testantur, & martyres Regino recenset.

Idem & Colonienses martyres recitat, episcopum uerò Colonienſem Euphratem nominat Athanasius in epist. ad solit. uit. agẽt. Meminit & Seuerini episcopi Colonienſis sub Theodosio, Otto Phrising. lib. 4.

Tungrorum etiam episcopi Seruationis meminit Sulpitius, sacræ historiæ lib. 2.

Vixisse inter Alemannos, Christianos, scribit Arnobius lib. 1. aduersus gentes. quemadmodum & ad fratres & coepiscopos Germaniæ primæ & secundæ, Hilarius scribit.

Fuit & in Norico ecclesia. inde enim episcopus ad concilium Sardicense uocatus est: ut Athanasius indicat Apolog. secunda. Meminit & Mogũtiæ Ambrosius lib. 5. cap. 27.

Ex ecclesijs apud Mysios & Pannonios mittũtur episcopi, in synodum conuocatam à Constantino in Tyro Phœniciæ. Euseb. libro quarto de uita Constantini. Mittũtur ex ijsdem etiam in synodũ Sardicensem episcopi, Hilario & Athanasio testibus. Ac in Sirmio quidem Pannoniæ imperator Constantinus synodum coegit, euocatis ad eam episcopis ex oriẽte & occidente, contra Photinum. Socrates lib. 2. cap. 29. Et Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum, in tribus Pannonijs ecclesias esse contendit.

Fuisse & apud Dardanos Mysię populos, & Dacos, ecclesiam, cõiectura facilis est. Mittuntur enim inde etiam episcopi in synodũ Sardicensem. Athanasius Apolog. 2. & Hilarius oratione j. cõtra Arianos. Meminit & ecclesiarũ Daciæ Ambros. lib. 2. de fide, cap. quarto. & Optatus Mileuitanus libro secundo contra Parmenianum.

Denique Constantij imperatoris ætate, in qua Hilarius floruit, annis scilicet post Christum passum plus minus CCCXX, celebris iam & decantata fuit Christiana religio in omnibus tam Rhenanis quàm Danubianis prouincijs.

Mansit & in Laureaco adhuc ecclesia. nominat enim eius episcopos Quirinũ & Maximilianũ, Chronicon Hartmãni Schedeli.

Gotthi, qui hoc tempore ulteriora Istri tenuerunt, episcopũ primum habuerũt Theophilum, qui cõcilio Niceno interfuit. Deinde Vlphilam: quem Socrat. lib. 4. cap. 33. & Sozom. lib. 6. cap. 34, sub Valentiniano & Valente Gotthicas literas inuenisse, & scripturas diuinas in Gotthicam linguam transtulisse tradiderunt. Meminit & alterius cuiusdam Gotthorũ episcopi Selenæ, Socrat. lib. 5. cap. 23, & Sozom. lib. 7. cap. 17.

DE ECCLESIIS PER OCEANVM.

FVisse in Britãnia præclaras ecclesias, certum omnino est. Scribit enim ad fratres in Britannia Hilarius: & Constantinus in epistola sua apud Theodoretũ, libro primo, cap. 10, Britannicarũ ecclesiarum meminit.

Et mouisse ibi persecutionem Maximianum, & alios, in capite sequẽti ostendemus. Multa denique de Anglicis ecclesijs scripsit Beda lib. 1 Historiæ gentis Anglorum. Fuit & in Hybernia seu Scotia ecclesia: quæ qua occasione conuersa sit, paulo pòst dicemus. Ac Gotthiæ prouinciæ episcopi mentio fit in Catalogo eorum qui ad synodum Nicenam conuenerunt.

DE PROPAGATIONE.

PRopagationis Ecclesię sub Diocletiano factę exempla aliquot Vincẽtius in Speculo recenset, quorum & fidem & iudicium lectori permittimus. Primùm Firmiũ quendam episcopum narrat lib. 12. cap. 79. in Gallias ueniſse, ibiq; in quadam urbe quæ Andegauis ab ipso appellatur, annum cum tribus mensibus concionatum, multos conuertisse. Deinde in Beluacum transijsse: ubi tametsi aliquãdiu uinctus, & flagris cæsus fuerit, solutus tamẽ prædicarit tandẽ, & Ecclesiam collegerit. Inde rursus digressus, ad Ambanensem uenerit ciuitatem, ibiq; tria hominum millia intra dies quadraginta baptizarit. Ambianis etiam Quintinum prædicasse refert lib. duodecimo, cap. 136: aliosq; quos nominat, alijs in locis Galliæ.

Idem, Felicem in Impuritana & Gerundensi ciuitate Hispaniæ concionatum, narrat libro duodecimo, capite 134. In eiusdem uerò regionis ciuitate quadã, eum multos ad fidem CHRISTI perduxisse, trium annorum spacio, idem indicat libro eodem, capite 152, ubi & Narcissum in Augusta ciuitate

uitate multos conuertisse narrat.

Sub Constantij imperio, qui fautor Christianæ religionis fuit, Sozom. scribit lib.1. cap.6,propagatam esse doctrinã CHRISTI ad ulteriores Gallos, Italos & Britannos, eosq; qui circa montem Pyræneum ad Oceanum usq; occidentalẽ habitarint, Imperatore propagationẽ ita curante & iuuante. Constantini Magni uerò tempore, & propagationes & ampliationes multas memorabiles factas esse, historię huius seculi omnes loquuntur. Edicta enim Constantinus misit ad omnes gentes quæ Romanorum parebant imperio, ut pristinis idolorũ cultibus abnegatis, Christianã religionem amplecterentur. Theod. lib.1. cap.16. Hinc igitur memorabiles accessiones ad Ecclesiam CHRISTI factæ sunt. quod tum ex alijs constat,tum ex Pauli Diaconi historia, qui sic inquit lib.11.in historia Constantini: Currebant assiduè omnes nationes ad fidem CHRISTI, & baptizabantur, patria simulachra conquassantes. Ait autem factum id fuisse miraculis sacerdotum eorum qui sub Galieno captiuati fuerant,quibus motæ gentes multæ, ad baptismum ultrò accesserint.

De occasionibus alijs Sozomenus scribit lib.2.capite 5.uidelicet quòd Imperator cupiens totum orbem ad Christianã adducere religionem, doctores passim per urbes cum edictis, de quibus diximus, miserit, quibus illico magnæ multitudines accesserint. Fecit ad hoc, quòd templis idolorum apertis, statuæ quas antea uenerandas & religiosas uulgus habuerat,stipula & fœno repletæ intus esse uiderẽtur. Ex qua re secutus ingens simulachrorum contemptus est. Alij uerò conspicientes, in magna esse gratia apud Imperatorem eos qui se Christianos profitentur, æmulandi quasi studio, religionem Christianã sine mora amplexi sunt. Alij etiã, uel signis uel somnijs admoniti, accesserũt.

Scribit & Euseb.lib.4 de uita Constantini, immẽsas multitudines in Persia Christianorum ecclesijs se adiunxisse,eaq; fama Imperatorem plurimùm delectatum esse. Scribit de ea uoluptate Constantinus ad Saporẽ Persarũ regem, cuius scripti exemplum in Eusebio extat. Recitat ibidem,quomodo post diuulgationem scripti cuiusdam,ex sacris literis, Imperatoris mãdato ab Eusebio Nicomediẽsi facti, duæ in Phœnicia ciuitates idololatriam, pietatis impulsu ultro deposuerint,& Christianę religioni nomẽ suũ dederint,statuas deorum quas prius coluerant concremantes. Scripti eius exemplum Eusebius ibidem ponit:neq; has solũ Phœnicię ciuitates conuersas,sed & alias prouincias & ciuitates ad CHRISTVM accessisse, destructis simulachris & templis magnificentissimis, ibidem testatur.

Eodem tempore regio inter Indiã & Parthiam, multis uarijsq; linguis & gentibus habitata, quam Indiam ulteriorem,seu interiorem seu ultimam nominant, & ad quam nulla adhuc Apostolicæ prædicationis uox peruenerat, eiusmodi occasiõe ad fidẽ CHRISTI adducta est. Tyrius uir quidam, cupiditate uisendi eam terram,cum duobus adolescentibus ex fratre suo nepotibus,iter in Indiam ultimam ingreditur. Fortè uerò barbari in eos irruentes, Tyrium ipsum interficiunt:adolescentes uerò,quorum nomina fuere Aedesius & Frumẽtius, ad Regem captos deducunt.Rex admiratus eorum industriã, apud se eos retinet, & partem administrationis postea illis committit.Mortuus rex,hærẽdem regni relinquit filium suũ: apud quẽ in maiori honore & precio adolescentes esse incipiunt.Ibi paulatim, quos ad pietatẽ dociles animaduertũt,seu mercatores,seu aliàs aduenas, amicè ad se inuitant, & pro more Christianæ religionis conuẽtus unà secum agere hortantur:hoc modo quasi fundamenta quædã pietatis Christianæ apud eam gentem iacientes.Interea eos desiderium patriæ incessit.Regem adeunt,potestatem reuisendæ suæ patriæ ab eo petunt. Permittit Rex: abeunt.Aedesius Tyri manet. Frumentius uerò,parentum & patriæ desiderio posthabito,Alexandriam proficiscitur:pręsulem eius urbis,qui tum Athanasius fuit, adit, docens qua sint Indi cupiditate discẽdi religionem Christianam.Ibi Athanasius: Neminem,inquit, instructiorẽ ad eam rem noui, præterte,qui religionis nostrę fundamenta sine dubio in illis terris nunc iecisti.Patria igitur relicta,in Indiã Frumentius reuertitur: & cooperante secum diuina gratia, gentem illã ad fidem Christianam cõuertit: Apostolicis miraculis, si qui doctrinæ reluctarentur, permulcens.Narrat Theodoret.lib.1.cap.22. Sozom. lib.2. cap.24. Ruffin. lib.1.cap.9.qui, Aedesio eã rẽ referẽte,se cognouisse scribit.

Simili occasione etiã ad Iberos, qui ultra Armenios ad Arcton habitant, propagata Christiana fertur religio. Ad eos enim abducta Christiana quædam captiua mulier,Christum ibi suũ coluit, orationibus & ieiunijs assiduè uacans.Conspicati hęc exercitia Barbari, religionem mulieris paulatim admirari cœperũt.Fortè uenit ad eam mulier Barbara,infantem infirmũ gestans, ac remediũ, si quod ipsa nosset, ab ea petẽs. Illa precibus à Deo sanitatem infanti cõtinuò impetrat. Nec multo pòst, difficili corrupta morbo ipsa eius gentis Regina,simile mulieris captiuæ beneficium experitur mercedem quam uellet,postulare iubet.illa nihil se aliud petere respondet,nisi ut pietatem Christianã regina accipiat,& à regẽ templũ impetret.Rex miraculosam sanationem admiratus quidẽ

est: attamen seu religionem eam amplecti, seu templum ædificare nondũ instituit. Interea uenatum profectus, à Domino, ut quondam Paulus, conuersus est. Etenim caligine percussus, Dei quem captiua coleret recordatus est: eoq; inuocato, lucem recepit. Mox à captiua formam templi demonstrari sibi iubet, deq; eiusdem cõsilio legatos ad imperatorem Constantinum mittit, doctores ab eo petens. eos aũt ille summo cum gaudio misit. Atq; ad hunc modũ Iberi CHRISTVM cognouerunt. Hæc sic gesta fuisse, eius gentis rex Bacurius ipse Hierosolymis postea confessus est, cum Palæstini limitis ducem ageret. Ruffin. lib. 1. cap. 10. Socrates lib. 1. cap. 20. Theodoret. lib. 1. cap. 23. Sozom. lib. 2. cap. 6.

Simili occasione etiam aliæ Barbaræ gentæ CHRISTO adductæ sunt: quæ maximo numero Thraciam egressæ, in Asiam irruerant, contra Romanos bellum moliẽtes. Quibus tumultibus capti, & in sedes earũ abducti, multi sacerdotes, plurimas ex ijs conuerterunt, cum ægrotos eorum CHRISTO inuocato curarent, & uita inculpabili uirtutibusq; illis essent admirationi. Sozom. lib. 2. cap. 6.

Est ad fidem CHRISTI sub eodem Imperatore etiam conuersus portus ciuitatis Gazæ Maima dictus, in Palęstina, qui antea superstitionib. Ethnicis celebris fuerat. Sozom. libro 2. cap. 5. Conuersos igitur Gazęos Imperator plurimo adfecit honore, & portum eorum urbẽ fecit, & de filij sui nomine Constantiam dixit.

Christianismum receperunt etiã ad Rhenum gentes quædam habitantes: Celti item & Galatæ, extremi ad Oceanũ. Sozom. ibid.

Addit & hoc Niceph. lib. 7. cap. 34. Anno eo quo Cõstantinus baptizatus sit, duodecies mille uiros, exceptis mulieribus & pueris, ad CHRISTVM accessisse, & baptizatos esse.

Sub Constantio & Constante, Constantini filijs, Sozom. indicat lib. 3. cap. 14, nouæ philosophiæ, quæ sub illa tempora cœpit, professores, seu monachos, Abrilium Antheonium, Alexionem à Bethagathone, & Alaphionem ab Absalea, Christianam religionẽ in ciuitatib⁹ ethnicis plurimùm prouexisse. Atq; ob id beneficium Palæstinos illis anniuersarium publicũ diẽ celebrare instituisse.

Sub eodem Imperatore Burgundiones, gens numerosa & ualida, qui in Gallijs habitãt, Christiani omnes facti sunt. Indicat Orosius lib. 7. & Paul. Diacon. de gest. Romanorum lib. 12. Sed Eutropius sub Valentiniano Burgundionum conuersionis meminit.

Eremitæ philosophi solitudines Saracenis uicinas occuparunt. Eorum igitur congressibus, &, quia uicini essent, contubernijs & familiaritate, Saraceni Christiani effecti & ipsi sunt. Idq; non diu ante imperium Valentis euenisse, Sozom. scripsit lib. 6. cap. 34 & 38. Aliam etiam occasionem, qua ad CHRISTI fidẽ Saraceni peruenerint, Socrat. recitat lib. 4. cap. 36. nimirum quòd Mosen quendam ex Saracenorum gente eremitam, Mauia Saracenorum regina episcopũ à Romanis petijt. Idem eadem occasione, monachorum scilicet cohabitatione, etiã apud Syros & Persas factũ, narrat libro eodẽ cap. 34.

Cum Valẽs imperator monachos Alexandrinos persecutionib. adfligi lege præcepisset, Lucius Arianus continuò monasteria in Ægypto tyrannide aggressus est: alijsq; post alios diuersis supplicijs affectis, alijs pulsis & fugatis, patres monachorum qui tum ambo Macarij erant, Ægyptius & Alexãdrinus exilio multauit. Relegati igitur in insulam quandam Paludium, quæ neminẽ Christianum habebat incolam, templum ibi offendunt, quod curabat sacerdos, quem insulani omnes tanquam Deum uenerabantur. Confestim autem horum præsentia turbati dæmones, sacerdotis eius filiam furore corripiũt. Quæ omnia subuertẽs, horribiliter uociferabatur, ad pios eos uiros hospites subinde dicens: At quid huc ueniſtis nos eiecturi? Illi igitur per gratiam Dei puellam à dæmone liberãt: restitutã sanitati, in fide Christiana erudiunt, & conuertunt. Mox etiam sacerdotem ipsum, cum omnibus eius insulæ incolis baptizant. Atq; hac occasione exilij sanctorum uirorum, ea insula Christiana facta est. Recitat Ruffinus, qui se spectatorẽ eius persecutionis Lucij fuisse asseuerat, lib. 2. cap. 4. Socrates lib. 4. cap. 24. Theodoret. lib. 4. cap. 21. Sozom. lib. 6. cap. 20.

Edessæ item, quò cum præfecto Modesto uenit Imperator Valens, conuocantur è uicinia episcopi, diaconi & presbyteri: quibus blanda primùm & placida oratione Modestus, Imperatoris nomine, persuadere nititur, ut cum Lucio cõsentiant. recusantes uerò, deinde exilij minis terret: quas illi flocci pẽdere. Erant inter eos primarij, Eulogius, Protogenes, presbyteri Edesseni: cum quibus octoginta alij partim in Thraciam, partim in Arabiam, partim in Thebaida deportantur. Eulogius & Protogenes Antinonẽ in Thebaida deducuntur: ubi ecclesiasticos quidem conuentus, sed exiguos reperiunt. Sciscitantibus causam, respondetur, incolas Græcos infideles esse. Ibi continuò uterque de incremẽtis cogitat: pro quibus Eulogius assiduis precibus Deum solicitat. Protogenes uerò scholam aperit, & magistrum se formandæ iuuẽtutis profitetur. Ad profectum uerò pietatis Christianæ, non nugas poeticas, sed Dauidica carmina pueris proponit, & ediscendos tradit conuenientes Apostolicæ doctrinæ locos. Theodorit. lib. 4. cap. 19.

Theodosium Imperatorẽ leges scripsisse de subuertendis fanis & lucis simulachrorũ per

per totum orbem, Theodoretus narrat lib.5. cap.20. Qua occasione gentilismi superstitionibus reiectis, multi ad fidem Christianam perducti sunt: Alexandriæ Serapidis illud magnificētissimum templum repurgatum, & in ædem Christianorum mutatum est. In ea repurgatione cum literæ Hieroglyphicę crucis formam representantes, & in lapide sculptæ: aliæ item literæ, significantes templum illud finem habiturū, inuentæ essent: paganorum multi ad Christianismū accesserunt, & peccata sua confessi baptizati sunt. Socrat.lib.5.cap.17.Sozom.lib.7.cap.15.

Paulo pòst Nilus in Ægypto immodicè effusus, fluentis suis etiam sublimiora loca attigit. Quæ inundatio hoc beneficij secum attulit, ut ea conterriti plurimi Ægyptiorū, patria superstitione damnata, Christianā religionem amplexi sint. Sozom.lib.7.cap.20.

DE CONVERSIONIBVS.

SVb Diocletiano, in Creta, Affra meretrix conuertitur ab episcopo Narcisso. Vincent.lib.12.cap.151.

Sub eodem & Hermolaus presbyter baptizat Pantaleonem medicum Nicomediæ: qui postea etiam patri suo Eustorgio Senatori persuasit, ut Christianus efficeretur. Bergomensis lib.8.

Acceperat Constantinus Imperium hæreditate à patre. Factus igitur Imperaror, cum illa sibi animo proposuisset, quæ regno necessaria esse intelligeret, primùm omnium de Deo quem coleret, cogitare cœpit: uidens firmiori sibi & potiori ad imperium rectè gerendum opus esse præsidio, quàm armati essent exercitus. In hac cogitatione, dū in exempla superiorum Imperatorum intuetur, quorum alij alijs atq; alijs dijs freti, alij diuinationibus & oraculis res prosperas pollicētibus confisi, pessimum fuissent finē sortiti, adeò ut nec genus ipsis, nec nomen ullū, aut memoria apud homines supereesset: Deū eū quem pater suus Constantius coluisset, atq; regni custodem, & felicitatis omnis ac boni largitorem expertus esset, colere ipse quoq; secum constituit. Mox precibus inuocat eū Deum: ac ut se, quis esset, ostenderet sibi, manumq; suā negocijs regni porrigeret, orat. Hæc indesinenter oranti ostentum trophæi crucis è luce constructi, in cœlo declinante die tum sibi, tum exercitui suo apparet, addi tam habens scripturā hanc, IN HOC VINCE. Obstupefactus eo signo, dum cogitabundus secum quærit, quorsum pertineat, aut quid moneat: nocte illa proximè sequenti, dormienti sibi adstitit, cum signo quod in cœlo uiderat, CHRISTVS, monens ut ad eius formā trophæum compararet, eoq; contra hostes prę sidij loco uteretur. Hoc ab Imperatore audisse se iureiurando affirmari, Eusebius tradidit lib.1 de uita Constātini. Tale igitur signū fieri Imperator curat: iubet & illius similium dines præferre omnem exercitū. Deinde ad se sacerdotes uocat, de Deo illo, & ratione signi, quod sibi apparuerat, doctrinam ab ijs exigens. Illi de Deo uno, ac filio suo, de causis aduentus eius in carnē, accuratissimè eū instruūt. Ipse uerò cupidissimè, & cum gaudio quę dicerent illi animaduertit, et animū ad lectionem diuinarum scripturarū adiungit, cœlesti illa uisione & admonitione subinde sese confirmans.

Signum illud postea Imperator Maxentio victo, Romam ingressus triumphās intulit, Senatum exhortatus, ut ueri Dei cultū amplecteretur. Senatus Imperatoris pedes complectitur, lachrymis obortis uexillis inclinat: CHRISTVM, cuius & nomen & signum arma triumphantia ostentabant, adorans:

Tum primum senio docilis sua secula Roma
Erubuit, pudet exacti iam temporis, odit
Præteritos fœdis cum relligionibus annos.

Prudentius contra Symmachum libro 1.

Idē et in Apotheosi narrat, sacerdotē quēdā idolis, Imperatore cum alijs multis præsente, sacrificātē, in medijs sacris exclamasse:

En quid ago? maius Rex optime, maius,
Nescio quod numen nostris interuenit aris.
Accitas uideo longè dispergier umbras:
Nil agit arcanum murmur, nil Thessala prosunt
Carmina, turbatos reuocat nulla hostia manes:
Nescio quid certè subrepsit Christicolarum,
Hic iuuenum.——
Dixit, & exanguis conlabitur, ac uelut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum, &c.
Tunc tremefacta cohors, Dominiq; oblita, supinas
Erigit ad cœlum facies, atq; inuocat Iesum.

Imperatoris uerò matrem Helenam à Sylueſtro Romano episcopo cōuersam esse, Niceph.scripsit lib.7.cap.40.

Venerant in synodum Nicænam ethnicorum sapientes aliqui, disputationibus exercitati: quorū alij dogma, ob quod conuocata synodus erat, cognoscere quidē auidè expetebant: alij in gentilium superstitionibus educati, & Christianæ religioni infensi, pugnas de illa uerborū mouebant. Fortè inter eos unus est nugosus uerborum ostentator, Christianis sacerdotibus illudēs. Quod molestè ferens senex quidam simplex, celebris tamen propter confessionem, in disputationem cum eo descendit. Rident alij senis audaciam: alij moderatiores, ne ab artifice uerborum risui & ludibrio omnib. exponatur, metuunt. Sed quid fit? petit à philosopho sene x, ut quæ dicere uellet, sibi permitteret. Qui cum non recusaret, incipit ille: In nomine IESV CHRISTI, philosophe audi. Vnus est Deus cœli & terræ, omniumq; uisibilium & inuisibiliū opifex, qui hæc omnia uerbi sui uirtute condidit, & sancti Spiritus sui sanctificatione confirmauit. Verbum hoc, inquit,

quod

quod nos filium Dei appellamus, hominum errores ac beſtialem conuerſationem miſeratus, è muliere naſci, cumq; mortalibus conuerſari, ac pro ipſis mori uoluit: reditur⁹ eſt autem, ad iudicandum ea quæ quiſq; in uita ſua commiſit. Hæc ita ſe habere, ſine ſcrupuloſitate credimus. Noli itaq; fruſtra fatigari, & redarguere quæ fide apprehenduntur: ac modum, quo iſta uel poſsibilia ſint, uel impoſsibilia, diuexare quærēs: ſed ſi credis, interroganti mihi reſpōde. Hac oratione conſternatus philoſophus, continuò reſpondit, credere ſe: ac uictum ſe ultro confeſſus, ſenis ſententiam probauit: eosq; qui antea ſecum ſenſerant, monuit, ut & nunc ſibi conſentirent: iurans, ſe non ſine numine Dei, & arcana quadam & inexplicabili uirtute ad Chriſtianiſmum cōuerſum eſſe. Sozom. lib. 1. cap. 18. Arij etiā ſubita & fatali morte multos, qui ab eo prius decepti fuerant, conuerſos, ſcribit Athanaſ. in epiſtola ad Serapionem.

Antiochiæ paganus quidam ex ordine iudicum eius loci, eiuſmodi occaſione conuerſus eſt: cum excubans ſcilicet noctu ad prætorium, ex tractu quodam & congerie ſtellarum ducta in cœlo, & deſcripta, legiſſet hæc uerba: HODIE IVLIANVS IN PERSIA OCCIDITVR. Siue enim tum ex nece Iuliani, religionem pro qua tantopere Iulianus depugnarat, falſam eſſe ratiocinatus eſt: ſiue quis alius acceſsit motus: hac uiſionis occaſione Chriſtianam religionem amplexus eſt. Narrat Zonaras Tom. 3. in hiſtoria Iuliani.

Iuuentius Samaritanus parentes ſuos paganos ad fidem conuertit. Monitus deinde ab angelo, Theſſalonicam adit, idola conculcat, & uerbum Dei prædicat: Daciani poſtremò filiam à dæmone liberatā, unà cum 200 hominib. baptizauit. Vincent. lib. 13. cap. 99.

Erat Iuliano ſacerdos idolorum: cuius uxori amicitia interceſſerat cū muliere Chriſtiana: ad quam ſæpe uenit prophani ſacerdotis uxor, ducens ſecum filium adoleſcentulum. illa adoleſcētulum complexa, ad pietatem Chriſtianam paulatim formauit. Mortua matre, adoleſcēs pro cōſuetudine ad mulierem illam quaſi ad magiſtram accedit ſæpius, doctrina eius eruditur, & Chriſtianus conſtans euadit. Exoſus igitur patris ſuperſtitionem, quærit aliquando ex ea, quo nam pacto effugere patris ſui ſuperſtitiones poſſet? Reſpondet illa, patrem deſeri, & præferri ei Deum creatorē oportere. Dat ſimul conſilium, ut in aliam quandam ciuitatem ſe recipiat, in qua patrē latēre poſsit. Veniam igitur, inquit adoleſcens, ad te, animam meam apud te depoſiturus. Habitabat autem illa mulier Antiochiæ. Venit interea Iulianus Daphnen, ibiq; per ſeptem dies publicū feſtum celebrat. Adeſt ibi ſacerdos, adoleſcentis illius pater. oportet & ipſum intereſſe adoleſcentem: qui opportunitatem nactus, à patre fugit Antiochiam ad mulierem. Illa ducit eum in ædes Meletij, qui adoleſcentem in ſuperiori domo occultare ſeſe iuſsit. Sed pater inſecutus, cum ad Meletij ædes ueniſſet, fortè proſpicientem per cancellos adoleſcentē agnoſcit: in ædes irruit, abſtrahit, domumq; reducit. Ibi cū cauſam fortaſſe ſuę fugæ, & odium ſuperſtitionis paternæ expoſuiſſet, abripit eum: ac flagris & uerubus cantibus excruciatum prius, tandem in cubiculū concludit, oſtio obſerato. Adoleſcens inde miraculoſe liberatus, poſtea etiam patri ipſi ut Chriſtianus fieret, autor fuit. Hæc ſe ex ipſo, ſed iam ſene audiuiſſe Theodoretus narrat, lib. 3. cap. 14.

Alius quidam Buſyris nomine, de hæreſi Encratitarū, ſub Iuliano, quòd cōtra Ethnicos egiſſet, atrocibus apud Ancyram Galatiæ tormentis affectus, & in carcerem coniectus eſt. Ex eo uerò poſt Iuliani interitum ſolutus, hæreſi damnata, ad Eccleſiam catholicam tranſijt. Sozom. lib. 5. cap. 11. Qui in eodem libro cap. 15 narrat, auum ſuum, natum ex patre gentili, cum omni ſua familia Chriſtianiſmum ſuſcepiſſe in Bethelia, uico Gazæo. Deinde & Alaphionē quendā, quem à dæmone quo corrept⁹ fuerat, & nec Ethnicorum nec Iudæorum ſuperſtitioſis ritibus & incantationibus ſanari potuerat, liberatum, ad Chriſtianorū religionem cum omni familia conuertiſſe Hilarionē monachū.

Baſilius Cęſareæ Capadocię epiſcopus, in reditu ex Ægypto, ubi ſacros quoſdā libros conquiſierat, in Gręcia multos philoſophos conuertit. Antiochię uerò, quò cum Eubolo præceptore ſuo uenerat, Libanium Sophiſtam, & diſcipulos eius. Recitat ex Amphilochio Vincēt. in Speculo, lib. 14. cap. 78. Eiuſdem Baſilij miraculo quodā, quod infrà ſuo loco cōmemorabimus, Arianos multos conuerſos, ſcribit Nauclerus Gener. 13.

De Saracenis, ad quos paulo ante imperiū Valentis religio Chriſtiana propagata fuit, ſuprà diximus. Eorū princeps Zocomus, ad celebrem quendam abijt monachum, queritur ſe prole deſtitui: quod Saraceni maximæ infamiæ loco habent. Monachus prolem certam promittit, ſi in CHRISTVM credat. Principem bono eſſe animo, & in regiā ſuam reuerti iubet. Interea pro principis ſobole preces aſsiduas ad Deum fundit. Exauditur, ac naſcitur ſuo tempore Zocomo filius hæres. Hic euentus occaſio fuit, ut & religionem Chriſtianorū Zocomus acceperit, & ſubditis ſuis ſimul omnibus eandē amplecti præceperit. Sozom. lib. 6. cap. 38.

DE AMPLIATIONIBVS *Eccleſiarum.*

BIzantij, quam urbem poſtea Conſtantinus à ſe inſtauratam & amplificatam Conſtan-

Constantinopolim dixit, ecclesiam fuisse, suprà diximus: sed auctam nõ mediocri accessione & incremento hoc seculo apparet. Et magna adeò felicitas fuit, cum muris latius circumscriptis, diffunderetur etiam, et excrescerat ad plures homines ecclesia. Scribit ea de re Constantinus ipse ad Eusebium Nicomediensem, ut Theodoret. indicat lib. 1. cap. 16. ad hunc modum. In urbe quæ nostrũ nomen complectitur, auxiliante saluatoris Dei prouidentia, ingens hominũ multitudo sese addixit Ecclesiæ: ita admodum augescente omniũ ibi numero, admodum dignum uidetur, etiã ecclesias in ea plures cõstrui, &c.

Scribit & Nicephorus lib. 7. cap. 34. maximas accessiones ad Ecclesiã factas esse eo anno, quo Constantinus baptizatus est. & addit, supra duodecies mille homines, exceptis mulierib. & pueris, tũ simul baptizatos.

Ecclesia in Beryto Phœnicię, de qua suprà diximus, memorabilia accepit incrementa, cum terræmotu ingenti consternati plurimi gentilium, ultro sese Christianis adiungerent, ritus eorum se seruaturos spondentes. Eutrop. lib. 11, sub filijs Constantini. In eadem urbe etiam ex Iudæis plurimos & CHRISTVM accepisse, & ab episcopo eiꝰ loci baptizatos esse, motos miraculo sanguinis Christi, qui ex imagine Christi à Iudæo confossa effluxerat, apud Athanasiũ lõga scribitur historia, in libello de Passiõe imaginis Christi.

Ecclesia etiã in Ægypto, quamdiu ab Athanasio gubernabatur, quotidie crescebat accessionibus multorum, tam ex gentibus quàm alijs hæresibus. Sozom. lib. 2. cap. 23.

In Armenia ecclesiam fuisse, suprà ostendimus. Sed fortasse nondũ hoc tempore Christiana fuit uniuersa Armenia. Scribit enim Sozom. lib. 2. cap. 7, Teridatem cuiusdam Armeniorum gentis, occasione stupẽdi cuiusdam miraculi, Christianum factum, omnibus suis subditis regio præcepisse edicto, ut religionem Christianorum amplecterentur. Narrat idem Niceph. lib. 8. cap. 35, & miraculum cuiusmodi fuerit explicat, quod ridiculum & de industria confictum uidetur.

Sub Iuliano Socrat. scribit lib. 3. cap. 10, Hilarium Pictauiensem episcopum, in Illyria Euangelij doctrinam propagasse. Obstupefactos item Iudæos nonnullos prodigijs illis, quæ circa ædificationem templi Hierosolymis, quam Iulianus illudens Iudæis persuaserat, euenerũt, cõfessos esse, Deum illũ esse, qui à maioribus ipsorũ ligno fuisset affixus. Theodoretus indicat lib. 3. cap. 20. Quamuis Socrates diuersum tradat, ac nihil prorsus eã miraculorum uim apud eos effecisse scripserit, lib. 3. cap. 20.

Iuliani uerò monachi opera totã multitudinẽ Antiochiæ ad Christũ transijsse, Theodoretus autor est libro 4. cap. 27.

DE INSTAVRATIONIBVS *Ecclesiarum.*

ARiani Alexandriæ, Gazæ, & in alijs locis sub imperio hæredum Constantini pios episcopos expulerant, atq; Arianos in eorum locum surrogauerãt. Decernit igitur & scribit Synodus Sardicensis, expulsis rursus Arianis per uim intrusis, priores doctores recipiẽdos esse. Theodoret. lib. 2. ca. 8.

Intercedit & Athanasius apud Constãtiũ Imperatorem pro Alexandrinis, ut eorum ecclesiæ restaurentur. Impetrat & templum peculiare Christianis Antiochiæ: cùm Arianis, qui ecclesias omnes occupauerant, coniungi nollent. Theod. lib. 2. cap. 12. Sozom. lib. 3. cap. 20.

Lectus ab exercitu imperator Iouinianus cum è Persia ueniisset, motę sunt res Ecclesiasticæ. Adeunt enim Imperatorem ecclesiarũ præsides, & sperant singuli habituros eum se suæ fidei & sententiæ suffragatorem. Iouinianus uerò ab initio cũ Homoousianis sentiebat. Itaq; illi soli beneuolum, & fidei sociũ, cæteris spe sua frustratis, Imperatorẽ habuerunt. Cõfirmatur statim Imperatoris literis Athanasius, & reuocãtur ab exilijs episcopi, qui à Constantio electi fuerant. prętereà etiã uniuersa Gentilium templa clauduntur. Socrat. lib. 3. cap. 24.

Scripsit & præsidibus reliquis ecclesiarũ, ut congregatis in ecclesijs fidelibus, Deum accuratè colerent, & solam christianam fidẽ profiteri & obseruare subditos iussit. Reddidit & bona ecclesijs & clericis, ab antecessoribus suis surrepta. Sozom. lib. 6. cap. 3.

Tantum præterea aliquando turbæ, quas in expellendis & affligendis pijs doctoribus Imperator Valens mouit, effecerant, ut Constãtinopoli nec episcopus esset, nec ecclesia. Metu itaq; eius periculi, ne Nicæna ibi prorsus fides extingueretur, Gregorius ex Nazianzeno episcopatu paruo, eò trãsfertur: qui ecclesiam collapsam, & in fide propemodũ periclitantem restaurauit. Sozom. lib. 6. cap. 17. Socrates autem lib. 5. cap. 7 scribit, Gregorium paulo pòst quam eò translatus fuisset, pro paruo oratorio, in quo cõuẽtus primùm habuerit, maximum accepisse.

Valente extincto, Gratianus, Valentinianus iunior, et Theodosius imperiũ sortiti, ecclesijs plurimũ profuere. Gratianꝰ patrui sui Valentis impietatem execratus, Christianos eos qui ab eo in exilia deportati erãt, reuocat: ac lege sancit, ut Ariani pastores sacris ędibus expellantur, ecclesię uerò pijs & rectè sentiẽtibus doctoribus restituantur. Socrat. lib. 5. cap. 2: Theodor. li. 5. ca. 2 & Sozom. lib. 7. ca. 1. De Gratiano etiã Platina scripsit in uita Innocentij, eum pulsa Ariana hæresi, Ecclesias in

tota Italia ad uerę fidei cõfeſsionẽ reduxiſſe.

Theodoſius deinde bonum eccleſiæ conſtantinopolitanæ ſtatũ contemplatus, ex eo quaſi exemplum & formã reſtaurandi alias eccleſias mutuatus eſt. Ac mox Demophilo, qui poſt Eudoxiũ in epiſcopatum Conſtantinopoli uenerat, mandat, ut aut ſocijs profeſsionis Nicænæ fidei conſentiat, aut eccleſiæ gubernatorem agere deſinat. Præclara in ea actione Imperatoris hæc uox fuit, cum ſe fidem Nicænam amplecti, & concordiã cum eius profeſſoribus fouere recuſaſſet: Si pacẽ & concordiam fugis, etiam te oratoria fugere iubeo. Sic igitur Ariani, cum per annos XL oratoria Conſtantinopoli tenuiſſent, urbe ſunt egreſsi: Homouſiani uerò ingreſsi, eccleſias receperũt. Socrat. lib. 5. cap. 7. Sozom. lib. 7. cap. 5. Theod. lib. 5. cap. 9.

Sub Theodoſio reſtauratur eccleſia Mediolanenſis, cùm Auxẽtia, Ariano ibi defuncto, Ambroſius, & Imperatoris ipſius autoritate, & rectè ſentientium doctorũ iudicijs, epiſcopꝰ in ea cõſtituitur. Socrat. lib. 4. cap. 5.

Audierat & Meletius Antiochenus, ſapientiſsimus doctor, Germaniciam peſte Eudoxij infectã eſſe. Miſit igitur eò Stephanũ, qui ſatis fœliciter Ariana uenena ſuſtulit, & Eccleſiam eam priſtinæ puritati reſtituit. Theod. lib. 5. cap. 4.

CAPVT III.

DE PERSECVTIONE ET TRANquillitate *Eccleſiæ ſub Diocletiano & Maximiano Herculio.*

NVMERIANO egregiæ uirtutis adoleſcente, Apri inſidijs interfecto, ſucceſsit in Imperiũ, ab exercitu uictore è Perſide redeunte creatus, Dioclerianus Dalmata: anno Domini, ut Euſebius annotauit, CCLXXXVIII: idq; per annos XX, in annum uſq; Chriſti CCCVII geſsit. Referri is in ordinem laudatiſsimorum principum potuiſſet, ſi non egregias uirtutes, quibus præſtabat, Chriſtianorum ſanguine obſcuraſſet. Ingenio enim fuit, ut Eutropius de eo ſcripſit, ac iudicio ſagax & ſubtilis, ſolers, ſeuerus & diligens: quibus uirtutibus in imperio multa geſsit ſalutaria. Autor Pomponiꝰ Lætus eſt, Trebellium Pollionem de Diocletiano ſcriptũ reliquiſſe, eum, cum priuatam adhuc uitam ageret, dicere ſolitũ, Nihil difficilius eſſe quàm bene imperare: Quemq; etiã ꝓ uoto ſuo, quę uellet, de principe loqui: Eum uerò cubiculo clauſum, uera minimè noſcere poſſe: ſed aures præbere illis quos ſuos eſſe putaret, eorumq; uerbis accendi & ſedari: Magiſtratus & iudices alios creare, quos fieri minimè oporteat: alios à repub. amouere, quos cõſultius interdum & regno utilius fuerat retinere. Deniq; ut maximè is qui imperaret bonus, cautus & optimꝰ eſſet, omnino tamẽ uendi eũ ab aulicis, ac decipi.

Interrogatum porrò, quæ in principe dos eſſet laudatiſsima, reſpõdiſſe eum Lætus ſcripſit, liberalitatem & clementiam. Quamobrem & ad imperium euectus, id ſummopere ſtuduerit, ut ab illis uirtutibus cognomen quoddam ſortiretur: quod tandem ipſe ſibi finxit, ac ſe Iouium, quaſi iuuantẽ & largientem appellari uoluit.

Sed quod nihil eius ſeu uirtutis ſeu cognominis ſimile præſtiterit, euentus declarauit. Sanguine enim imperium ſibi pepererat, ſanguine etiam clauſit, infeliciſsimo & glorioſiſsimo (ut Euſebius ait lib. 8. cap. 1.) Eccleſiæ ſtatu perſecutionem mouens, quam crudelior & funeſtior nulla aut præceſſerat unquam, aut ſecuta eſt. Cum quidem prius in cõſortium regni æquale ſibi adſciuiſſet Herculium Maximianum, hominem (quemadmodum Lætus, Victor & Eutropius prodiderunt) palàm ferum, horridum, infidum et crudelem, præterea & ad omnia atrocia Diocletiani conſilia obſequentem: ſtolidum tamen alioqui, quãtum ad communes mores pertinet, & libidinoſum.

Fuit hæc, ut Eutropius indicat, decima à Nerone Chriſtianorũ perſecutio, quam cum Herculio ſocio & ſubminiſtro crudelitatis ſuæ Diocletianus mouit, anno imperij ſui decimonono, Chriſti uerò trecenteſimo ſexto. Cuius cauſam hanc habuiſſe uidetur, quòd ſtudio reducendi in priſtinum ſtatum ac mores Regnum Romanum, à diſsimilitudine religionum è medio tollenda incipiendum eſſe duxerit. Huc acceſsit, quòd in iudicum amicitias inſinuantes ſe philoſophi & ſophiſtæ (qualis tũ Apollonius fuit, Chriſtianorum accuſator) ipſiq; tempori ſeruientes, ut Lactant. ſcribit lib. 1. cap. 1. & lib. 5. cap. 1. contra religionem nomenq; Chriſtianum libros euomuerunt: in quibus profeſsi ſunt, ſummam hanc eſſe officij uerè philoſophici, erroribus hominum ſubuenire, atque ad ueram eos uiam reuocare: nimirũ ueram eam uiam eſſe aſſerentes, cultum deorũ, quorum numine, maieſtate & potentia, uti dicebant, mundus gubernaretur: rationibus inſidioſe confictis, quòd noua eſſet, impia & anilis Chriſtianorum ſuperſtitio, prima uerò omnium & antiquiſsima exiſteret religio Ethnicorum.

Interiores cauſas et quaſi ſcaturigines quaſdam perſecutionũ, etiam haſce recenſet Euſebius lib. octauo, cap. primo: nempe quòd nimia pax & libertas Eccleſiæ, ita ut fit, ad molliciem & ſegniciem degenerarit, & exortę ſint inter Eccleſiæ doctores ac gubernatores λογομαχίαι, ſeu certamina non neceſſaria, odijs

odijs atque ambitione inflammata. Vnde & petulantia uulgi subsequuta est. Insuper & infanda hypocrisis, & simulatio ad summum usq; maliciæ progressa est. Sensim itaq; ac pedetentim iudicio quodam singulari Dei persecutio cœpit ingruere, qua Ecclesiam suam, pace luxuriantem, & ueluti pestifera ulcera contrahentē, humiliaret, ad officium retraheret, sanaret & excitaret.

Fuit tum Imperatorū, qui in Oriente consederāt, regia sedes Nicomedia. Cum igitur ibi Diocletian⁹ esset, inde quasi ex Æthneo quodam rapidissimoq; incēdio, ignes & fulmina primùm eiaculatus est. Fortè ibi tum quædā regia Imperatoris domus cōflagrauerat. id statim maleuoli in Christianos transferunt, & Imperatorem contra eos exasperant atque inflammant. Eusebius lib. 8. cap. 6. Nec mora, quasi honesta causa accepta, proponuntur mense Martio edicta uiolentissima, de euertendis funditùs ac solo æquandis Christianorum templis, per uniuersum Romani imperij orbem. Nec defuit edictis strennua executio per præfectos. Templa enim ipsis diebus Paschæ destructa sunt. Euseb. lib. 8. cap. 2. Proxima edictorum sententia fuit, de exurendis diuinarum scriptu rarū libris: quod in ipso etiam foro fecerūt. Item, de exautorādis cum ignominia Magistratibus, & honores quoscunq; in Imperio gerentibus: priuatis uerò hominib. in seruitutē rapiendis, si qui Christianismū abiurare, & religioni ethnicę subscribere nollent. Euseb. lib. 8. cap. 3. Niceph. lib. 7. cap. 4. Zonaras tomo secundo. Atq; hæc quidem initia fuerunt atrocitatis contra Christianos.

Breue intercedit interuallum, cum edicta noua, nihilo prioribus mitiora proponuntur, de conijciendis in uincula & custodias sacerdotibus, & ecclesiarum omnium ubiq; locorum præsidibus: atque supplicijs omnibus adigendis, ut simulachris immolarent. Accidit ibi factum admiratione & cōmemoratione dignum, hominis Christiani, nobilis & præstātis, qui zelo Dei motus, posteaquàm edictum contra ecclesias Nicomediæ affixū esset, statim accurrit, & in publico ac manifesto loco propositā edicti scripturam sustulit, ac discerpsit: nihil ueritus, quòd tū in urbe præsentes essent Imperatores duo. ob quod facinus ad dirum suppliciū raptus est, quod summa fide & constantia usque ad extremum halitum pertulit. Euseb. lib. 8. cap. 3. & 5. Continuò autem in plurimos ecclesiarum gubernatores atrocissimis supplicijs sæuitum est: quorum alij fortiter ea pertulerunt, neque ijs uicti sunt: alij uerò innumeri, metu et infirmitate, primo mox impulsu miserè lapsi sunt.

Processum inde in Orientem omnē & Occidentem est. Diocletianus enim, qui uniuersam Christianam religionē simul extinguere sibi proposuerat, persecutionem atrocissimam in Oriente, Maximianus in Occidente exercuit. Sed Diocletianus insidiosè admodum & dolosè orsus est. Periculum enim primum in proprijs fecit castris, in quib. lustrator exercitus, ut Euseb. scribit lib. 8, cap. 4. optionem militibus Christianis eam obtulit, ut uel Imperatorio mandato, quo iubebantur sacrificare, obsequētes, dignitates retinerent, & ordines ducerent: uel recusantes militiam deponerēt. Vbi animosè quidā Christiani milites responderunt, paratos se esse, non ad militiam solum deponēdam, uerùm mortem etiam, si acrius instaretur, subeundā, potius quàm impijs Imperatoris edictis obtēperare uellent. Plurimos ibi uidere erat, qui cupidissimè priuatā uitā amplexi, honores quoscunq; ueræ pietati posthabebāt. Insidiosum eiusmodi seu artificium, seu principium blandum & hoc fuit, quòd serius pietatem abiurantibus, præmium proponebatur libertas. Item, quòd primo persecutionis tempore, pauci tormentis & supplicijs tenta ti sunt: paulatim uerò deinde magis ac magis sic processum sit, ut ad enumeranda omnium certamina & afflictiones & supplicia nullius sermo sufficere possit.

Narrat Euseb. lib. 8. cap. 7, nouisse se, qui in Palæstina præclaros sese Martyres præbuerint. In Tyro uerò Phœniciæ, miraculosa etiam facta martyria, ibidē narrat: ubi bestijs immanissimis obiecti Christiani, nihil ab illis, omnium circumstantiū cum admiratione & stupore, passi sunt: leonibus, ursis, pardalis, ne quidem incitatis accedere ad eos cupientibus: qui tamen in eos, à quibus in circum immissi essent, quiq; extra septa consisterēt, crudelissimè sæuierūt, ac in aera prius proiectos discerpserunt. Christiani uerò martyres, quia à feris lædi nō potuerunt, gladio tandem interfecti, & in maria abiecti sunt. Martyrio tum perfuncti sunt, Tyrānion episcopus Tyri, & Zenobius Sydonis. Syluan⁹ uerò Gazensium episcopus, in Phœnices metallorum fodinis, cum alijs triginta nouem capite plexus est. Cæsareæ Pamphilus presbyter, nobile illud decus eius ecclesiæ, martyr clarissimus obijt: cuius tum uitam, tum martyrium laudatissimū, peculiari libro se conscripsisse, aliquoties Eusebius indicat lib. 8. cap. 13.

In Syria omnes Ecclesiarum præcipui doctores, carceribus primùm traditi sunt, tristi admodum & crudeli spectaculo: episcopos, presbyteros et diaconos, carceribus includi, qui homicidis, aliorumq; flagitiorum reis deputati erant. Euseb. libro eodem cap. 6. Postea martyres ibidem factos, Tyrannionē

quendam alterum, qui in mare esca piscibus proiectus sit: & Zenobium Medicum optimũ, qui inter cruciatus lateribus adhibitos mortuus sit, recensetidem libro eodem, cap. 13. Præterea ibidem refert, alios nõ ad mortem, sed ad cruciatus diuturnitatẽ adustos esse: alios uerò ad sacrificia deductos, & sacrificare iussos, dextras potius in ignem immisisse, quàm sacrificia scelerata & prophana cõtigisse. Alios item, priusquam ab insidiatoribus caperẽtur, è sublimi præcipites se dedisse, ne quid comprehensi contra pietatẽ delinquerẽt. Rursus duę uirgines forma corporis et uenustate conspicuæ, cum matre, à qua ad pietatẽ ab ipsis incunabilis studiose informatæ fuerãt, quæsitę diu, ac tandem inuentę, & à custodibus obseruatæ, in fluuium, cum se secessuras paulisper custodibus dixissent, præcipites sese dedere. Aliæ item puellæ duæ, sorores, adolescentulæ, genere illustres, morumq; honestate & pietate insigni prędite, à persecutoribus in mare abijcie bantur. Atq; hæc quidem Antiochiæ gesta sunt, ut narrat Eusebius libro eodem cap. 12. Emissæ uerò Syluanus episcopus, unà cum alijs aliquot, bestijs obiectus, martyr præclarus mortuus est. Eusebius libro eodẽ cap. 13.

Varij cruciatus & Christianis in Mesopotamia intẽtati sunt, ubi pedibus in sublime capite demisso suspensi, fumo ignis remissioris, martyres extincti sunt. Et in Cappadocia, in qua martyribus crura infracta sunt. Euseb. lib. eodem cap. 12. Tarsi Ciliciæ martyres recensetHenricus de Erphordia, Tharatum, Probum, & Andronicum. Attamẽ longè atrociora & exquisitissima supplicio-rum genera sancti Martyres in regionibus Ponti perpessi sunt, de quibus postea dicemus. Eusebius ibidem: Sed Nicomediæ in Bithynia atrox, ut diximus, Imperator persecutionis principiũ fecit, ubi nec ab Imperatorum puerorum, præcipuorumq; aulicorum principum, quos perinde ut filios proprios ante complexus fuerat, supplicijs & cæde sibi temperauit. Talis fuit Petrus, qui inter diuersissimos & multiplices cruciat°, quibus nudus in sublime sublatus, toto corpore flagris cæsus, laceratusq; est, ad osium usq; nudationem, postea aceto sale mixto, in purulentis corporis partibus perfusus, postremò igne lento in modum carniũ uescendarum tostus, uictor tandem expirauit. Dorotheus ac Gorgonius, supremis apud Imperatorem honoribus perfuncti, post uaria certamina suspendio mulctati sunt. Post quos Anthimus Nicomedensis episcopus, edita præclara confessione, ac secum ducens amplam & honestissimam Martyrum cateruã, capite cæsus est. His enim tanquam choragis è medio sublatis, reliquam omnem turbam facilè eò quò uellet se pertrahere posse, Imperator uanissimam sibi spem fecerat. Eusebius libro eodem cap. 4. 6 & 13. Eõdem productus & Lucianus Antiochenus presbyter, post recitatam coram Imperatore apologiam, martyr obijt. Euseb. libro eodẽ cap. 13. Hermannus Gigas etiam Serenam, Diocletiani Imperatoris uxorem, martyriũ pro fide Christiana constanter perpessam prodidit. Adeò immanitas persecutionis etiam naturalium affectuum prorsus obliuiscitur. Martyres alios Nicomedienses Nicephorus lib. 7. cap. 14 recitat, Eulampium & Eulampiam. Et in eodẽ libro cap. 6, tale quiddam horroris & doloris plenum narrat. Conuenerant frequentes in die Natalis Domini, Christiani in templum, senes & adulti simul cum minoribus, alijsq; cuiusuis & ætatis & sexus hominibus, memoriam Natiuitatis CHRISTI celebraturi. Ibi Maximianus nactũ se occasionem peropportunam explendi sui in Christianos furoris ratus, misit eò, qui tẽplum undiq; prius clausum, incenderẽt. Veniunt illi, adferunt ignes: sed præconem clara uoce prius significare iubent, ut qui uiuere uellent, ex templo exirent, & in proxima Iouis ara adoleret: alioqui nisi hoc feciissent, cum ipsa æde conflagraturos omnes. Tum assurgens in templo unus, ingenti cum animo & libertate cæterorum omnium nomine respondit: Christianos se omnes esse, atq; unum, eumq; solũ Deum & regẽ credere esse CHRISTVM, ipsiq; ac patri eius & spiritui sancto se sacrificare. Nunc uerò etiam omnes se ei offerre paratos esse. Ad hanc uocem ignis succensus, templum omne complexus est, ac concremati sunt homines uicies mille. Sunt & in Arabia securibus cæsi multi martyres, ut Eusebius indicat libro 8. cap. 12.

In Phrygia ciuitas fuit, ad quam mandata aliquot, ut dijs sacrificarent, & simulachra adorarent, Imperator miserat. quæ quidem ciues illi omnes, & magistratus ipse, & quæstor ac dux, Christianos se esse cõfessi, detrectauerunt, Cincta igitur obsidione ciuitas, et succensa, cum omni populo conflagrauit. Eusebius lib. eodem cap. 11.

In Melitina Armeniæ regione, episcopi & presbyteri in uincula cõiecti sunt. Eusebius lib. eodem cap. 6. In Arabrace uerò regione Armeniæ uicina, Eustratius martyr factus est: ut Nicephorus refert lib. 7. cap. 14.

Non minus et in Ægypto uniuersa hæc persecutio sęuijt. Martyres enim Ægyptios, Pelea & Nilum commemorat Eusebius lib. eodem, cap. 13. Sed Alexandriæ cumprimis præclara Martyria facta sunt, quæ Phileas Thmuitanus episcopus descripsit apud Eusebium lib. eodem cap. 10. Eorum martyrũ nobiliores ac pręcipuos Eusebius recitat, Petrum.

trum Alexandrinum episcopũ cum presbyteris, martyribus egregijs, Fausto, Didio, & Ammonio. Phyleas etiã, Hesychius, Pachymius & Theodorus, ecclesiarum aliarũ per Ægyptum episcopi, præterq; eos alij innumeri illustres uiri. Euseb. libro eodẽ, cap. 13. ubi & in Thebaide insignia multorum fuisse martyria cõmemorat, quod & suprà cap. 9 retulit. Thebis Ægypti, tota legio Christianorũ, cum Imperatoris mandato de adorandis idolis obedire noluisset, martyrio cõstanti uitã finijt. Narrat Vincentius in Speculo, lib. 12. cap. 2. Apud Antinonem uerò Christiani omnes studiosè requisiti, supplicijs affecti sunt: interq; eos Ascla, Philemon, & Apollonius. Idẽ in eodẽ cap. 50. Sed & in reliqua Africa, & Mauritania quoq;, persecutionẽ inualuisse, Euseb. scripsit lib. eodẽ cap. 6.

Nec desunt, qui in Insulis progressam persecutionem eam prodiderũt: ut in Lesbum, quod Sabellicus indicauit Ennead. 7. lib. 8. Item in Samum, cuius loci Chronicon meminit: ac Sciliam, ubi septuaginta nouẽ martyres ob confessionem Christi trucidatos simul, scribit Henricus de Erfordia.

¶ Nunc ad Europam transeamus. Narrat Niceph. lib. 7. cap. 14. Nicopoli in Thracia, martyres crudelem & miserãdum in modũ tractos atq; raptatos fuisse, Lysia ibi orientis præfecto persecutionẽ exequente. In Chalcedone uerò passam esse Euphemiã sub Prisco procõsule, Vincẽti⁹ narrat lib. 12. cap. 77.

Romæ martyrium fecisse Ioannem & Crispum presbyteros, narrat Henricus de Erfordia. Bononiæ uerò, Agricolam & Vitalem, Vincent lib. 12. cap. 49. Apud Aquileiam uerò, omnes è medio tollere Christianos Imperator iussit: eodem autore, libro eod. cap. 58. Atq; ex illis martyribus recitat Felicẽ & Fortunatum, libro eodem, cap. 159. In reliquis Italiæ locis grassatam persecutionẽ Regino scripsit, ut Florentię, Pergami, Neapoli in Campania, Beneuẽti, Venusæ in Apulia, & in Thuscia. Veronæ meminit Henricus de Erfordia.

In Gallia sine dubio atrocissimè sæuijt Rictionarus præfectus: cuius ingentem fuisse crudelitatem, contra Christianos præcipuè, historiæ memorant. Mediolani passum esse Victorẽ, Henric⁹ de Erfordia indicat. Apud Massiliam uerò Maximianus decretum proposuit, ut aut omnes dijs sacrificarent, aut diuersis suppliciorum & mortis generibus interficerẽtur. Multi igitur tum ibi Martyres pro Christi gloria interierunt. Antoninus et Vincent. lib. 12. cap. 2. In Beluaco uerò Lucianum passum, idem refert lib. 12. cap. 159.

In Hispanijs plures locos, ubi persecutio grassata est, Vincẽtius & Regino recensent: ut Emeritam, ubi Eulalia: Adulam, ubi Vincentius, Sabina & Christina: Toletum, ubi Leucadia uirgo: Cæsareã Augustam, ubi octodecim, alijque innumerabiles martyres sub Daciano præside occubuerunt, qui & omne Hispaniæ littus (ut Vincentius refert) persecutione adflixit. Vinc. lib. 12. cap. 123. 124. 128. 130. 134.

Treueri ad flumẽ Mosellam, Rictionarus maximam persecutionem exercuit, adeò ut Christianorum interfectorum sanguis riuulorum instar decurrens, totos amnes tinxerit. Nec satis hoc fuit: sed inde cum mandatis cursores hinc inde emisit, ut quisquis alicubi Christianum depræhendisset, ad mortem ilico proderet. Vincent. lib. 12. cap. 136.

Martyrum deniq; apud Coloniam Agrippinam & Augustam meminerunt Henricus Erfordensis & Regino. Idem & persecutiones in prouincia Rhetia fuisse dicit.

Beda etiam usq; ad Britannos peruasisse eam persecutionẽ scripsit, in libro de Ratione temporũ: & Martini Chronicon, ac Temporum fasciculus, indicarunt sublatos fuisse in uniuersa Brytánia omnes Christianos. ex quibus S. Albanum, Vincentij Speculũ martyrem præ cæteris illustrem commemorat.

Mortium porrò ac suppliciorum genera tot tantaq; in illa persecutione fuerũt, ut ad ea commemoranda nullius oratio sufficiat. Initium cum arte magis Imperator luderet, & insidijs, quàm asperitate, uincula & carceres minabatur. Mox uerò ubi seriò agi cæptum est, innumerabiles tormentorũ & cruciatuum formæ excogitatæ sunt: ut flagra, torturæ, rasuræ horrendæ. Euseb. lib. 8. cap. 3. Gladius, ignis, scaphæ, quib. in maris profundum impositæ Christianorum multitudines demersæ sunt. Euseb. lib. eodem, cap. 6. Verberationes, & post eas subitũ cum bestijs hominiuoris, ut ursorum uarij generis, pardalorum, boumq; igne & ferro stimulatorum certamen. Idem libro eodem, cap. 7. Suspendia in cruces, alligationes ad truncos capitibus demissis, patibula, in quibus uiui tantisper asseruabantur, dum fame necarentur. Idem cap. 8. Fodicationes per ungulas ad mortem usque, sublationes in aera capitibus demissis: quales in Thebaide mulieribus fiebant, nudis & intectis corporibus, altero pede alligato sublatis in aera, atrocissimo & inhumanissimo spectaculo. alligationes ad arbores & ramos, distractiones membrorum alligatorũ ad ramos robustiores incuruatos. Idem cap. 9. Secures, suffocationes per fumos ex igne lento & remisso, aurium & manuum mutilationes, ac reliquorum membrorum concisiones: qualia passi sunt sancti martyres Alexandriæ. adustiones per carbones, non ad mortem, sed ad cruciatuum diuturnitatem: quo tormenti genere

martyres Antiochiæ afflicti ſunt. In Ponto uerò alia horrenda auditu ſunt paſsi,quorum in utraque manu digiti acutis calamis ſub extremis unguibus ſunt perforati: alij plumbo,igne liquefacto,bulliente ſunt perfuſi,& membris corporis potiſsimũ neceſſarijs mutilati:alij in arcanis membris & uiſceribus turpes, intolerabiles & inenarrabiles cruciat⁹ perpeſsi ſunt.Euſeb.in eodẽ cap.12.

Perſecutionis deniq; Alexandriæ quanta fuerit immanitas, & quàm uarijs modis excogitata ſupplicia Chriſtiani martyres pertulerint, Phileas Thmuitarũ epiſcopus, uir præclarus deſcripſit, in epiſtola ad Thmuitanos:quorum exemplum Euſeb. habet libro eodem, cap.10. ex quo & nos obiter quædam hic recitamus.Quoniam liberũ,inquit, uolentibus erat quaſuis ſanctis martyribus inferre contumelias,alij fuſtibus eos,alij uirgis, alij flagris,alij loris,alij funiculis percuſſerunt. Et erat ſpectaculum hoc uerberũ uarium,& multum habens maliciæ. Nam alij manibus poſt tergum uinctis,in ligno extollebantur,ac inſtrumentis quibuſdam membratim extendebantur, atq; ita poſtea uniuerſum corpus,tortores iuſsi, pendentes & extenſos torquebant,& nõ ſicut homicidas ſolis lateribus, ſed & uentre & tibijs & genis ungularum aſperitate dilaceratis cruciabant. Alij una manu à teſtudine pendentes uidebantur, qui acerbiorem iuncturarũ & membrorum extenſionem ſuſtinebant.Alij ad columnas ita ligabantur,ut frontibus aduerſis ſeſe aſpicerent,& pedibus tamen non ſubſiſterent, ſed corporum pondere uiolenter adacti, ut uinculorum conſtrictione extenſi torquerentur. Et hoc patiebantur non modò tantiſper dum inquirerentur,neq; cũ illis pręſes quiſquam agebat, ſed tantum nõ per integrum diem. Dum enim tranſibat ad alios,interea poteſtatis ſuæ miniſtros priori bus attẽdere permittebat,an forſan quiſquã ex illis tormentorum acerbitate uictus deprehenderetur:iubebatq; uincula inceſſanter reſtringere,ac deinde frigore periclitãtes in terrã deponere ac protrahere. Neq; enim uel tantillam noſtri commiſerationem eſſe habẽdam: ſed ita debere eos in nos animari, & perinde ferocire, ac ſi amplius nõ eſſem⁹. Ideoq; & alterum hoc tormentum aduerſarij excogitarunt, ac prioribus plagis adiecerunt. Ligno poſt uerbera imponebantur,ac per quatuor foramina utroq; pede ſic extendebantur,ut neceſſe eſſet eos ſupinos eſſe in ligno, nec tamen corporis ſui facultatem haberent, propter uulnera quæ toti erant corpori à plagis inflicta. Alij ad pauimentũ proiecti,denſa tormentorum ui adurebantur,& acerbius ſpectaculum uiſentibus præbuerũt quàm ipſa eſſet tormentorum efficacia, inq; corporibus ſuis uaria et uarijs modis excogitata ſupplicia pertulerunt. Refert Sabellicus Ennead.7.lib.8.Chriſtianũ eum, qui impium Imperatoris edictum diſcerpſerat Nicomediæ, nudatum pelle, & ſale atq; aceto perfuſum, atrociſsimo eiuſmodi cruciatu necatum eſſe. Eũ uerò ad cõſtantiã exhortatos Dorotheũ & Gorgoniũ, Platina ſcripſit.

Sed ut erant exquiſitiſsima omnia tormẽta,& induſtriè excogitata,dura item & atrocia:ita tamen ijs Martyres beati nõ uicti, ſed confirmati magis ſunt, ut alacres & exultantes ea omnia ſuſtinuerint. Narrat Euſebius, ſpectatorẽ ſe fuiſſe crudelis eius perſecutionis,qua in Thebaide ſæuitum eſt,adeò ut lictorum gladij frequenti cæde hebetati ſint: ipſi uerò laſſati defecerint, ac ſibi inuicẽ ſucceſſerint:ubi tamen ſummam alacritatem ac diuinam reuera uirtutem animiq; promptitudinem, Chriſtiani trucidati oſtenderint, cum animo infracto, & cum gaudio & riſu extremam de ſe latam ſententiam ſuſceperint, ac hymnos & gratiarũactiones Deo ad extremũ uſq; halitum cecinerint. Talia de martyribus Alexandrinis etiam Phileas ſcripſit:Sancti martyres,inquit,Chriſtum in pectore retinentes, zelo potiorum chariſmatũ ducti, quemuis laborẽ & omnis generis excogitata ſupplicia non ſemel tantum, ſed & ſecundo quidam nunc ſuſtinuerunt, & cunctas ſatellitum contra ſe non modò uerbis, ſed & operibus contendentiũ, minas animo infracto, ac timore propter dilectionis perfectionem excluſo pertulerunt. quorum uirtus,& in ſingulis tormentis fortitudo,nullo poterit ſermone explicari. Ait & Sulpitius Sacræ hiſtorię lib.2. Certatim in certamine glorioſo Chriſtianos tũ proruiſſe, multoq; auidius tum martyria expetita & quęſita eſſe,quàm nunc appetantur Epiſcopatus.

Nec defuerũt tamẽ, qui terrore & minis, quemadmodũ diximus, & infirmitate propria uicti defecerũt. Euſeb. lib.8. cap.3.Inter eos Meletium Socrates nominat lib.1.cap.6. Et Athanaſius Apolog.2. epiſcopũ Lyci, ciuitatis paruæ Ægypti: quem Petrus Alexandrinus epiſcopus,ideo quòd Dijs in perſecutione ſacrificaſſet,excommunicauit.De Marcellini Rom. epiſcopi lapſu, dicẽdum nobis infrà erit,in cap.de Cõcilijs. Inductus enim is ab alijs, maximè uerò ab Imperatore ipſo Diocletiano perſuaſus,ſacrificauit,& poſtea excommunicatus ob eam culpã eſt:ſed pœnitentia tandem acta,receptus,& martyr factus eſt.Refert Platina,et Compilator tomorum Conciliorum.

Martyrum autem numerus creuit quotidie,& aliquando ſupra decẽ,aliquando plures quàm uiginti occidebãtur. Interdũ non infra triginta, quandoq; & propè ſexaginta: rurſus

rursus interdum centum una die, uiri cum mulieribus et liberis admodum paruulis, uarijs ac subinde mutatis tormentis cõdemnabantur. Euseb. libro eodem, cap. 9. Testes præterea sunt, Damasus, Beda de Temp. ration. Orosius lib. 7. cap. 25. Honorius & alij, cæsa in hac persecutione, spacio triginta dierum, martyrij nomine fuisse septẽdecim hominum millia: ac præter eã multitudinẽ, numerũ aliũ ingentẽ, metallorũ effossionibus, lapidibusq; excidẽdis pari sęuitia damnatũ.

Alexandriæ cum Petro episcopo, de quo diximus, trecenti alij, & amplius, securi percussi sunt: ut Sabellicus refert. Gereon Coloniæ Agrippinæ, cum socijs trecentis & octodecim capite cæsus est. Henr. de Erford. Mauritius ductor Christianæ legionis, cum socijs mille sexcẽtis sexaginta sex. Victor in urbe Troia, quæ nunc Xanthus est, cum socijs trecentis sexaginta. Otto Phrysingensis lib. 3. cap. 45. Martyrum aliorum nomina plurima recitat Regino, ex Fasciculis temporum: ut Cyriacum Rom. diaconum, Largum, Smaragdum, Apronianũ, Papiam, Maurum, Claudium, & Prepedignam cum filijs, Gabinium presbyterum, Castulum, Pancratium, Arthemium cum uxore filia, Sebastianum, Marcum & Marcellianũ, Marcellinũ presbyterum, Petrum exorcistam, Tranquillinum, Nicostratum, Zoen uxorem eius, Primum, Felicianũ, Claudium, Castorium, Victorinum, Simphorianum, Basiliscum, Faustinum, Simpliciũ & Beatricem, Tiburtium filium Coromatij, Susannam uirginẽ, Ioannem, Crispum, Genesium, Felicem & Audactum, Luciam & Geminianum, Sergium & Bacchum, Chrysogonum, Saturninum: quatuor coronatos, Theodorum, Pontianũ, Prætextatum, & Thrasonem. apud Spoletũ, Gregorium presbyterũ, Sabinum episcopum, Exuperantium, & Marcellum diaconum. apud insulas Parmarias, Anastasiam, Antiochiam, Iulianum & Basilissam. In Hispania, ciuitate Cæsaraugustana, Vincentium diaconum. in Barcinona, Eulaliam uirginem. apud Gerundam, Felicem. in Cucumis, Iulianam uirginẽ. apud Tyrum, Tyrannonem, Syluanũ, Peneleum, atq; episcopos cum innumera multitudine. apud Sirmium, Strenum, Nicomediã, Petrum & Lucianũ presbyterum Antiochenum, Antimum episcopum, Panthaleonem, Ioannem Adrianum, Dorotheum & Gorgonium, Eleutherium, Ireneum episcopum. In Palæstina ciuitate, Garam, Siluanum. Mediolani, Victorem. apud Illyricum in ciuitate Siscia, Quirinũ episcopum. apud Tharsum, Bonifacium. apud Aquileiam, Fœlicem & Fortunatũ. apud Ciliam, Vitum & Modestum. Albanum, apud Massiliam. Victorem, apud Augustam. In Sicilia, ciuitate Catanensium, Euplum diaconum. apud urbem Italię Pergamum, Alexandrum: in ciuitate Chalcedona, Eufemiam. in Neapoli Campaniæ, Ianuarium episcopum Beneuentanum, Socium diaconũ. in Mesenate ciuitate, Faustum & Desiderium. In Palæstina, Pelum & Nilum episcopos. In Cirzico, Faustam & Euilasium, Agannonem. Cyprianum episcopum, cum Iustina, apud Egeam ciuitatem. Cosmam & Damianum, in Gallia. In Venusa ciuitate Apuliæ, Felicem episcopum, Audacem, & Ianuarium presbyterum. Suessionis ciuitate, Crispinũ & Crispinianũ. apud Sidonem, Cenobium presbyterum. In territorio, Tiberium, Modestium & Florentiam. In Scythia, Mennam: Antiochiæ, Romanum: Alexandrię, Petrum episcopum. In Africa ciuitate, Crispinam uirginẽ. In Hispania, Leocadiam.

Scripsit porrò Beda, semel cœptam à Diocletiano persecutionem, usq; ad annũ Imperij Constantini septimũ sæuijsse. Et Euseb. lib. 8. cap. 16. ait, eam decimo demum desijsse anno. Anno tamen uno nondum exacto, ex eo die quo persecutionem cõiunctis operis Diocletianus & Maximinian⁹ inceperant, cũ crescere magis ipsi quàm diminui, quamcũque etiam ostendissent immanitatem, Christianorum numerum uiderent, ac de extinguenda Christiana religione (qui primi eorum conatus extiterant) desperarent, satietasq; eos cæpisset effundendi sanguinis, ad placiditatẽ quandam & humanitatem, ipsorum scilicet iudicio, conuersi sunt, & morte afficere amplius Christianos supersederunt quidem: sed immẽsas multitudines, dextris oculis ferro effossis, ac poplitib. finistris cauterio infractis ac debilitatis, ad fodinas metallicas damnarũt, non tam usus & laboris, quàm afflictionis ferendæ gratia. Hæc scilicet clementia fuit, & releuatio atrocitatis in Christianos, eorum principum, qui nõ oportere dixerãt intestino sanguine ciuitates fœdare, & Imperatorum celsitudinem crudelitatis nomine infamem facere, sed ostendendam esse erga omnes ubiq; mortales regiam beneficentiam. Euseb. lib. 8. cap. 10.

DE TRANQVILLITATE ECCLESIAE *sub Constantio.*

CVm socium tenuissent Imperium Diocletian⁹ & Maximinianus annis uiginti, uterq; anno altero persecutionis, Imperatoriam dignitatem, Diocletianus quidẽ Nicomediæ, Maximinianus uerò Mediolani deposuerunt, & uitam priuatã ingressi sunt: anno Christi trecentesimo septimo. Prębuit hæc rara ac mira planè mutatio, occasionem πολυπραγμίας: factumq; est, ut breui tempore multos simul Respublica Romana Imperatores habere cœperit. Quorum primus Con-

ſtantius fuit, cognomento ob pallorẽ dictus Chlorus, patre natus Eutropio, Romanę gentis nobiliſsimo, qui (ut Lętus ſcripſit) ab Ænea gen⁹ duxerat, & Claudia Claudij Auguſti filia. Caruit is omni latè dominandi libidine: proinde & regnũ cum Galerio partitus, in Gallia tantũ, Italia & Africa imperare uoluit, cęteris prouincijs ob magnitudinem & difficultatẽ gubernationis repudiatis. Princeps alioqui fuit, ut Eutropi⁹ de eo ſcripſit, egregius, ciuilis, mitis, benignus, & utilitati ac commodis prouincialium & priuatorum ſtudens. Ac ſicut quondam Cyrus dixit, ſe theſauros ſibi parare, dũ amicos diuites redderet: ita Conſtantius in ore ſæpe habuiſſe fertur, melius eſſe, opes publicas à priuatis haberi, quàm intra unum ærarium conſeruari. Hinc & paucis natura contentiſsimus fuit, adeò ut & fictilibus (quod de Agathocle Siculo magna gloria prædicatur) uſus ſit, ac ſi quãdo menſam exornare res poſtularit, apparatũ & uaſa argẽtea ab amicis cõquiſierit.

His uirtutibus, quas quies & tranquillitas in prouincijs ſecuta eſt, maius tamen & illuſtrius ornamentum addidit, pietatẽ, atq; erga uerbum Dei (ut Euſebius ait libro octauo, capite decimotertio) amorem & adfectum. Quo ductus, nec bellum ullum contra pietatem & religionem Chriſtianam geſsit ipſe, nec quidem alijs gerentibus ſocium ſe præbuit: nec domos ſacras demolitus eſt, ſed ſaluos Chriſtianos, quoad imperauit, atq; ab omni cõtumelia & iniurijs ſecuros ſeruauit. Ac cum per alterum imperij orbem (ut Sozom. refert libro primo, capite ſexto) eccleſiæ perſecutionibus infeſtarentur, ſolus is Chriſtianis liberè & ſecurè ſecundũ religionem ſuã uiuere cõceſsit. Pietatis enim Chriſtianæ ſincerũ eum fuiſſe cultorẽ, præter alia, etiam hoc admirabile eius factũ teſtatur.

Expulerãt ab aulis Imperatoris plerunq; omnes pios, ij qui inter Ethnicos primores haberentur, & prouincijs præeſſent. Ex aulis enim principum laudatiſsimi ferè martyres, & probatiſsimi exierant. unde & hoc ſecutum erat, ut & Imperatores ipſi tandẽ ſucceſsibus deſtituerentur, abactis illis qui cum pietate in eorũ aulis uerſantes, pro Imperij felicitate & Imperatorum ſalute preces ad Deum fuderant. Volens igitur aliquãdo experiri Conſtantius, ecquos haberet adhuc in aula ſincerè Chriſtianos: omnes tũ aulæ miniſtros, tum qui ſub præſidum erant poteſtate, in cœtum conuocat, optionem ſe eiuſmodi illis ferre ſimulans, ut qui dęmonibus ſacrificarent, in aula ſua manerent, ac conſuetis honoribus fungerentur: ſi qui uerò idem facere recuſarent, ex aula exirent, atq; ab omni ſua conſuetudine & gratia ſe excluſos ſcirent. Ad hanc conditionẽ aulico omni cœtu in duas partes diuiſo, deprehendit Imperator, qui uerè & conſtanter pij, qui minus eſſent: cum alij ſe ſacrificaturos ultro dicerent, alij palàm & confidenter negarent. Hic iam Imperator eos qui ſacrificare uoluiſſent, duriter obiurgat, atq; ut proditores Dei & perfidos damnat, indignos eos eſſe adſerẽs, qui cum in Deum perfidi ſint, cum Imperatore eſſent, ideoq; ab Imperatoria aula procul arcendos eſſe ſtatuit. Eorum uerò qui ſacrificare detrectaſſent, conſcientiã, qua Deum confeſsi fuerant, ſummis effert laudibus: dignos eos ſolos eſſe pronuncians, qui apud Imperatorem eſſent: ſimul præcipiens, ut deinceps & regni & ſalutis ſuæ cuſtodes fidi permaneant. illud ſimul addẽs: Tales ſolos dignos eſſe, quos inter amicos Imperator numeret, ac in maiori honore & precio habeat, quàm magnorum theſaurorum æraria. Narrat Euſebius libro primo de uita Cõſtantini: & Sozomenus libro primo, capite ſexto.

DE PERSECVTIONE ET TRANQVILLITATE *Eccleſiæ ſub Maximinis.*

IMperator creatus cum Conſtantio etiam Galerius Maximin⁹ fuerat, uir (ut Eutropius ait) probè moratus, & in re militari egregius, amãs præterea ſapientũ & literatorũ, ingenio quieto, et aſpera nõ niſi per ebrietatem præcipiens: quorum tamẽ mox eum pœnituit, ut Victor ſcribit. Sed longè aliam de moribus huius Imperatoris narrationem Euſebius habet libro octauo, capite decimoquinto. ait enim, tyrannico eum fuiſſe ingenio præditum, meticuloſiſsimum, & ſuperſtitionis ac magię curioſiſsimum, adeò ut ſine diuinationibus & dæmonum reſponſis ne latum quidẽ unguem mouere quicquã auderet: ob eamq; rem incantatoribus ampliſsimos magiſtratus diſtribuit, & dignitates. Exactorem præterea & compilatorem facultatum ſuorum ciuium, largum in aſſentatores, crapulę & luxui deditũ, uinolentũ, & in ebrietate furioſo & inſanienti ſimilẽ, obſcœnũ, adulterũ: qui per nullã iter faceret cĩ uitatẽ, in qua nõ uirgines raperet, & mulieres corrumperet. Tantum denique idololatram, ut per ſingulas ciuitates templa erexerit, diruta uerò longa uetuſtate reſtaurarit, & ad ſacerdotes ſimulachrorũ legerit ex poliricis magiſtratibus illuſtriſsimos quoſq;: & ut cũ autoritate & dignitate eas functiones adminiſtrarẽt, militari ſatellitio & pompa inſtruxit. Chriſtianæ uerò pietati & religioni inimiciſsimus fuit, & perſecutionem in Oriẽte crudelem exercuit, executorib. ad eam uſus Peucetio Quintiano, Theotecno, ac pręſidibus alijs. Reuocatus eſt autem ab ea crudelitate, diuina corrept⁹ uindicta. Morbo enim fatali, turpiſsimo & deſperato ſubitò affectus, atq; ad ſe rediens, conuocauit omnes

nes quos secum habuit, edicens illis, ut Christianos persequi cessarent, legesq; & edicta Imperialia de restaurādis eorum templis affigerent: à Christianis uerò hoc impetrarent, ut in conuentibus, quos nunc liberè facere non dubitarent, uota pro Imperatore facerent. Cessatur igitur à persecutione, & proponuntur edicta Imperialia per ciuitates, palinodiam eorum quæ aduersus Christianos acta fuerant, ad hunc modum continentia.

Imperator Cæsar Galerius Maximinus, inuictus, Augustus, Pontifex Maximus, Sarmaticus, &c.

¶ Inter cætera quæ pro Reipub. utilitate & commoditate statuimus, uolebamus quidem primùm cuncta secundum antiquas leges, & publicam Romanorum disciplinam dirigere: & hac uti prouidētia, ut & Christiani, qui parentum suorum religionē reliquerunt, ad rectum animi propositum redirent. Etenim sensu quodam tanta eos excellendi libido cepit, ut quæ olim ab antiquis sunt recepta, nō sequantur, quæ sanè & patres eorum antea cōstituerunt: sed iuxta suum propositum, & pro sua quisque uoluntate, sibi ipsis leges finxerint, easq; obseruent, ac uarias uarijs locis multitudines congregent. Igitur cum tale à nobis edictū uulgaretur, ut ad priscornm statuta redirēt, plurimi periculo subiecti, plurimi turbati, quęlibet mortis genera pertulerunt. Et quoniam multos in eadem dementia permanentes, nec cœlestibus dijs debitum prętare cultū, neq; Christianorum Deum suspicere uidemus: respicientes ad nostram benignitatē, ac diutinā consuetudinē, qua cunctis hominibus ignoscere solemus, etiam in hac causa indulgentiam nostram extēdendam esse putauimus, ut rursus Christiani sint, ac domos in quib. conuenerunt sic denuò constituant, ut nihil contra disciplinam publicam faciant. Per aliam uerò epistolā Iudicibus indicabimus, quid ipsi obseruare debeant. Quapropter secundum hanc nostram indulgentiam, Deo suo pro salute nostra, pro republica, proque seipsis supplicēt, ut omnibus ubiq; locis status reipub. retineatur sanus, & securè in laribus suis uiuere ualeant. Euseb. lib. 8. cap. ultimo. Palinodiam igitur eam per Asiam passim, illiusq; prouincias propositam, Maximinus alter ægerrimè tulit. Exemplo tamē illo motus, quod principum eorum, penes quos præcipua esset autoritas, Maximini scilicet & Constantini, uoluntati repugnare sibi minimè licere existimaret, edictum quidem à se nullum proposuit: sed præsidibus suis coràm mandauit, ut à persecutione aduersus Christianos paulisper quiescerent. Id mandati alij alijs per literas indicant. Sabinus uerò, qui tum inter eos supremæ præfecturæ nomine, præcipua ualebat dignitate, singularū gentium præsidibus eam Imperatoris sententiam per epistolam rescripsit in hanc formam.

¶ Dominorum nostrorum Augustissimorum Imperatorum Maiestas, summa diligentia ac deuotione cunctorum mortaliū mentes ad sanctam & rectam uiuendi uiam, iam olim quidē inducere decreuit, quo & hi qui à Romana consuetudine aliena uiuendi ratione discedere uidentur, cultus dijs immortalibus debitos exhiberent. uerùm quorundam pertinacia ac mens omniū obstinatissima usq; adeò restitit, ut neq; iusta & æqua ratione à proposito auerti, nec ullis supplicijs inflictis perterrefieri potuerint. Quoniā igitur euenit, ut hac ratione multi seipsos in discrimina coniecerint, Maiestas Dominorū nostrorum Potentissimorum Imperatorum secundum pietatis ipsorum nobilitatē alienum ab augustissimo ipsorum proposito iudicans, ob huiusmodi causam mortales in tantum discrimen conijcere: mihi præcepit, ut per meam deuotionem industriæ tuę scribam, ut si Christianorum quisquam suę gentis religionem exercere deprehēdatur, nihil illi molestiæ ac discriminis inferas, nec quēquam propter hanc causam supplicio afficiendum putes: cum tanti temporis tractu cōstiterit, nulla eos ratione induci posse, ut ab huius pertinacia desistant. Debet igitur solertia tua, quæstoribus, ducibus, ac præpositis cuiusq; ciuitatis ac pagi scribere, ut sciant sibi ultra mandati huius præscriptum non cōpetere, ut aliquid in hac causa tentare præsumant. Eusebius libro nono, capite primo.

Præsides igitur omnium prouinciarum, eam esse Imperatoris non simulatam uoluntatem opinantes, de ea primùm agrestem & paganam multitudinem certiorem faciunt: deinde captiuos omnes, ad carceres & metalla propter fidem damnatos, liberos dimittunt. id enim Imperatori placere, per errorem arbitrabantur.

Hic igitur quasi lux quædam noua, in nocte caliginosa illuxerit. Cōgregantur per singulas ciuitates ecclesiæ, habētur synodi, admirantur repentinam mutationem: ethnici increduli, Christianorum solum Deum, uerum Deum prędicant: Christiani libertatem omnem recipiūt: ac si qui in certamine persecutionis lapsi antea fuerant, pœnitentiam agunt, pœnitentia acta ad Ecclesias redeunt: incedunt Christiani alacres per singulas ciuitates, hymnis & psalmis Deum laudantes. Eusebius ibidem.

Subita hæc & admiranda erat Ecclesiæ ex infelici statu in meliorem mutatio, sed quā ne per sex quidem menses tyrannus Maximianus integram permittere potuit. Quic-

quid igitur ad pacis uixdum natæ ſubuerſionem facere uideretur, meditari inſtituit. Ac primùm omnium libertatem & poteſtatem conueniendi in Cœmiterijs, prætextu quodam, Chriſtianis omnẽ eripit: poſtea miſsis flagitioſis ad Athenienſes hominibus, cõtra Chriſtianos eos ſollicitat, ac impellit, ut abs ſe ingẽtis beneficij loco id petant, ne quempiam Chriſtianũ in patria ſua habitare ſinat.

Erat inter eos omniũ ſceleratiſsimꝰ Theotecnus quidam, incantator, & Chriſtianorum hoſtis infenſiſsimus. Is omnem tũ mouit lapidem, ut Chriſtiani apud Imperatorẽ deferrentur, & accuſarentur. In quam fraudem idolum ſimul quoddam Iouis, incantationibus ac præſtigijs ſtatuit, & ceremonias fraudis & ueneficorum plenas comminiſcitur. Deniq; & hæc uerba idolum illud ſonare facit: Edicere Iouem, ut Chriſtiani in exilium extra ciuitatem, ac ciuitatis agros, tanquam ſibi inimici, expellantur.

Eandemq; contra Chriſtianos ſententiam promulgãt reliqui omnes prouinciarũ præſides, atq; ita demum perſecutio contra eos inardeſcit. Maximinus enim ſacerdotes idolorum & pontifices ſummos per ſingulas ciuitates cõſtituit, omnesq; quos ſub ſe habet primores & ſubditos eò inducit, ut nihil nõ contra Chriſtianos, ad ſuam uoluntatem & gratiam faciant: ac nouis aduerſus eos excogitatis accuſationibus, liberrimè quoſcunq; poſsint, quouis modo interficiant.

Illi igitur acta quædam Pilati & Seruatoris blaſphemiæ plena confingunt, & in uniuerſum Maximini imperium mittunt, literis mandãtes, ut ubiuis illa locorum, tam in agris quàm ciuitatibus omnibus exponerẽtur: ludimagiſtris deniq; exhiberẽtur, ut ad ea memoriæ mandanda pueros adigerent.

Poſtea præfectus quidam Caſtrorũ, quem ducem Romani uocant, Damaſci Phœniciæ infames aliquot è foro raptas mulierculas, partim tormentis, partim minis eò adducit, ut ſcripto tradito publicè dicerent, fuiſſe ſe aliquando Chriſtianas: ac noſſe, quas ſceleſtas & laſciuas actiones Chriſtiani Dominicis diebus inter ſe exercere ſoleant: ac quę alia ad calumnias Chriſtianorum augendas idonea uiſa ſunt. Præfectus ea uerba in acta relata Imperatori exhibet, Imperator uerò continuò publicari ea per ſingulas ciuitates mandat.

In medijs præterea ciuitatibus, quod antea nunquam factum fuerat, edicta Imperatorum cõtra Chriſtianos æneis inſculpta tabulis ſuſpenduntur. Pueri uerò in ſcholis cũ ſtrepitu & plauſu, Ieſum & Pilatum, ac quęcunq; alia contumeliæ faciendæ cauſa à præſidibus cõficta erant, quotidie ſonabant. Euſebius lib. octauo, capite tertio, quarto, quinto, ſexto, & ſeptimo.

Eſt autem hoc exemplum edicti affixi columnis à Maximino, plenum inſolẽtis & arrogantis contra Deum & Chriſtum odij.

¶ Tandem imbecillis illa humanæ mentis rebellio, abiecta & diſsipata omni erroris obſcuritate ac nebula, quæ hactenus nõ tam impiorum quàm miſerorum hominum ſenſus pernicioſa ignorantiæ caligine inuolutos obſedit, cognoſcere ualuit, gubernari ſe ac corroborari per deorum immortaliũ prouidentiam probitatis amantem: quæ res, incredibile dictu eſt quàm accepta nobis, q̃ iucunda & grata fuerit, quamq; magnũ piæ ueſtræ uolũtatis documentũ dederit: quando & antea nemini fuit ignotum, qua obſeruantia & pietate erga deos immortales fueritis, quorum fides non nudorum & ſubinanium uerborum, ſed firma & admirabilis illuſtrium operum cognoſcitur. Quapropter & ciuitas ueſtra meritò deorum immortalium ſedes & habitatio uocatur: multisq; exemplis apparet, florere eam cœleſtium deorum præſentia. Ecce igitur ueſtra ciuitas omnib. illis neglectis quæ ipſam peculiariter concernunt, & contemptis ijs rebus quę pro ipſa cum primis erant petendæ, ubi maledictam illam uanitatẽ rurſus ſerpere, & uelut neglectum ac ſopitum incendium excitatis denuò facibus maximas flammas eiaculari ſenſit, confeſtim ad noſtram pietatem, tanquam ad omnium diuinorum cultuum metropolim, abſq; mora cõfugiens, remedium & auxilium petijt: quem ſalutarẽ animum propter pietatis ueſtrę fidem, deos uobis indidiſſe patet. Ille igitur, ille inquam altiſsimus & maximus Iupiter, qui illuſtriſsimæ ueſtræ ciuitati præſidet, ut patrios ueſtros deos, uxores quoq; & liberos, & lares & domos ab omni exitioſa corruptione liberet, ſalutarem hanc uoluntatem mentibus ueſtris inſpirauit, demonſtrans et oſtendens, quàm eximium, præclarum & ſalutare ſit, ad religionem & ſacros cultus deorum immortalium debita cũ ueneratione accedere. Quis enim adeò inſenſatus, & ab omni mente alienus reperiri poterit, qui non intelligat, fauore deorum probitatis ſtudioſo hoc nobis euenire, quod nec tellus accepta ſemina denegat, agricolarumq; ſpem uana expectatione fallit, nec facies illa impij belli ſuper terram in offenſione roboratur, nec corrupta cœli temperies ſqualentia corpora in mortẽ conijcit, nec mare immoderatis uentis æſtuans extollitur, neque procellę inopinatò delapſę pernicioſam tempeſtatem excitant? deniq; nec tellus, nutrimẽtum & mater omnium, à ſuis ipſius infimis hiatibus terribili motu mergitur: nec montes telluri impoſiti, factis ſciſſuris abſorbentur? quę mala cuncta,

cta,illis etiam maiora, hactenus ſæpenumero accidiſſe nemo ignorat. Et hæc omnia proptet pernicioſum errorem uanę ſtultitię nefandorum illorum hominum facta ſunt, quando turpitudo illa mentes eorum occupauit, & propemodum (ſic dicendo) ubiq; terrarum obtinuit. Deinde aliquanto pòſt ſubijcit: Inſpiciant iam campum latè patentem, florentes ſegetes, & ſpicis uelut inundantes, & prata imbrium irrigatione plantis ac floribus amœna, & redditam aeris conſtitutionem temperatam ac placidam. Deinde gaudeant omnes, quòd per ueſtram pietatẽ, ſacrificia & cultus, potentiſsimi ac rigidiſsimi Martis potentia placata eſt: lętętur, quòd ob eam cauſam placida pace conſtanter fruimur. Et quotquot cæco illo errore & ambitu per omnia relicto, ad rectam & optimam mentem redierunt, magis gaudeant, tanquã tempeſtate inopina uel graui morbo erepti, & uitæ deinceps iucundę delectationẽ conſequuti. Si uerò in execranda illa uanitate permanſerint, quàm remotiſsimè à ueſtra ciuitate & locis finitimis, ſicut petiſtis, ſeparentur & abigantur, ut ciuitas ueſtra hoc pacto ſecundum laudabilem ueſtrã diligentiã ab omni impuritate & impietate ſemota, pro inſito ipſi propoſito, debita cum uenera tione immortalium deorũ ſacrificijs incumbat. Vt autem conſpicuũ uobis ſit, quàm grata nobis ſit ueſtra hac in re petitio, etiam ſine ſuffragijs, & abſq; petitione, ſpontanea uoluntate animus noſter ad prouehẽda probitatis ſtudia propenſiſsimus, ueſtræ deuotioni concedimus, ut quodcunq; magnificentię noſtrę munus uolueritis, pro pio hoc ueſtro propoſito petatis. Et ut iam hoc fiat, & accipiatis, petite. Etenim illud abſq; mora conſequemini, quod exhibitum ueſtræ ciuitati perpetuum erit pietatis erga immortales deos teſtimonium: filijsq; ueſtris & poſteris documentum præbebit, condigna uos à noſtra probitate, pro hac ueſtra rectę uitę uoluntate conſecutos eſſe præmia. Euſebius libro nono, capite ſeptimo.

Ita igitur factum eſt, ut denuò cõtra Chriſtianos uires perſecutio ſumpſerit, inſolescentibus in eos prouinciarum præſidibus, qui alios ad exilia, alios ad mortem damnarunt. Inter quos tres Chriſtianos Emiſæ in Phœnicia, cum quibus Syluanus epiſcopus ſenex, Eccleſiaſtica gubernatione per annos totos quadraginta functus, mortis ſentẽtiã pertulit. Nicomediæ, Lucianus Antiochenus presbyter, eò pertractus, poſt exhibitam Imperatori pro doctrina Chriſtianorũ apologiam, in carcerem coniectus & occiſus eſt. In Amaſæa Cappadociæ, Bringes Maximiani præfectus perſecutionem eodẽ tempore exercuit. Alexandriæ, Petrus, præclariſsimus epiſcopus, gladio percuſſus eſt. Quod ſupplicium & alij plures Ægyptiorum epiſcopi ſubierunt. Euſeb. libro eodẽ, cap. ſeptimo: Nicephorus lib. ſeptimo, cap. quadrageſimoquarto. Quirinus epiſcopus Sceſcanus manuali mola ad collum ligata, è ponte prępceps datus in flumen, diutiſsimè ſupernatauit: & cum adſtantibus collocutus, ne ſuo terrerẽtur exemplo, uix orans ut mergeretur obtinuit. Chron. Euſebij.

Romæ uerò Meltiades epiſcopus, Platina autore. item Timotheus presbyter, cũ alijs pluribus epiſcopis & ſacerdotibus, uitam martyrio finierũt. Alij deniq; in alijs paſsim locis, quorum nomina Faſciculi temporum oſtentãt: ut Victorianus, Symphorianus, Caſtorius cum uxore, Caſtulus, Cæſarius, Menas, Nobilis, Dorotheus, Gorgoniꝰ, Petrus, innumerabiles martyres, Eraſmus, Bonifacius, 30000 martyrum, Iuliana, Coſmas, Damianus, Baſilius cum 7, Dorothea, Theophilus, Theodoſia, Vitalis, Agricola, Aſcha, Philemon, Hyreneus, Ianuarius, Feſtus, Deſiderius, Gregorius Spol. Agapes, Chyonia, Hyrenea, Theodora, 270 martyres, Florianus, Primus & Felicianus, Vitus & Modeſtus, Creſcentia, Albinus, Rogatianus, Donatianus, Pancratiꝰ, Catharina, Margareta, Lucia uirgo, & Antheas rex, 37000 martyrũ, Simplicius, Fauſtinus, Beatrix, Panthaleon, Georgius, Iuſtus, Leocandia, Anthonia, & alij infiniti numero paſsi ſunt in hac perſecutione: quorum nomina Deus ſcripſit in libro uitæ. item Felix, Victor cum parẽtibus, Lucia uidua, Geminianus cum 79, Sabinus, Anaſtaſia, Chryſogonus, Felix & Adauctus, Adrianus, Nathalia, Eugenia, Agnes 13 annorum paſſa eſt.

¶ Suppliciorum & cruciatuũ formas Euſebius lib. octauo, capite decimoquinto has recenſet: Ignem ſcilicet, beſtias feroces, ferrum, crucifixiones, maris fundum, membrorum amputationem & aduſtionem, oculorum effoſsionem, corporis totius mutilationem, famẽ, uincula, ac quaſcunq; alias comminiſci atrocitates præſides perſecutores potuerunt. Quæ tamen pij, potius quàm ut ſacrificare iubentibus obſequerentur, animo forti perpeſsi ſunt. Nec mulierum in illis perferendis minor fuit animus & alacritas: nam ſolicitatæ ad libidinẽ, aut exilia potius pertulerunt, aut mortem ſibi ultro intentarunt. Nec ſolitudines quidem liberæ Chriſtianis manſerũt, ſed ex ijs protracti ſunt ad ſupplicia & mortem: adeò etiam priori atrociſsima perſecutione grauior fuit hæc, quæ ſub Maximino tyranno magis quàm principe graſſata eſt. Euſeb. lib. 9, cap. 6 & 10.

Refulgeſcebat autem pax quædam Eccleſiæ, cum Conſtãtinus cum Licinio rectè adhuc

huc ſentiente, Maxentium, qui Romę tyrannidē exercebat, repreſsiſſet. Tum enim ipſe & Licinius Romam uictores ingreſsi, legem pro Chriſtianis perfectiſsimam promulgarunt. Maximinus uerò, qui in Oriente imperabat, Chriſtianorum odio ardens, etſi territus ea lege primùm quidem eſt: attamen ne alienus à Conſtantini & Licinij ſuperiorum principum autoritate uideretur, pietatem ſimulauit, & edictum ipſe quoq; pro Chriſtianis tulit: cuius ſententia hæc fuit.

Iouius Maximinus Auguſtus Sabino.

¶ Et dexteritati tuæ, & cunctis mortalib. manifeſtum eſſe confido, dominos noſtros Diocletianum & Maximianum, patres noſtros, cum omnes ferè mortales, deorum cultu relicto, Chriſtianorū ſe genti commiſcere uidiſſent, rectè prȩcepiſſe, ut cuncti mortales à cultu deorum immortalium diſcedentes, indubitatis pœnis ac ſupplicijs ad religionem deorum reuocarentur. Verùm cum ego feliciter primùm in Oriētem ueniſſem, cognouiſſemq́; plurimos homines, qui reipublicæ poterant eſſe uſui, à iudicibus ob dictam cauſam in loca quædam exilio eſſe relegatos: cuilibet iudici hoc in mandatis dedi, ut nemo illorum cum prouincialibus deinceps ſeuerius agat: ſed blanditijs potius & adhortationibus eos ad cultum deorum reuocet. Cum itaq; à iudicibus iſta, ſicuti iuſſeram, perficerentur: hoc eſt conſequutum, ut nemo ex Orientalibus partibus uel exilio relegaretur, uel contumax eſſet: ſed ob id quòd nihil contra eos grauiter ac ſeuerè fiebat, ad cultū deorū reuocarentur. Poſtquam uerò anno prȩterito, proſpero ſucceſſu Nicomediam ueniſſem, illicq́; morarer, acceſſerūt ad me ciues urbis illius unà cum ſtatuis deorum, obnixè orantes, ut huiuſmodi gentem nullo modo in patria ipſorum habitare permitterē. Verùm quoniā ſciebam quàm plurimos religionis illius uiros in ipſis habitare partibus, reſpōſum illis ad hunc modum temperaui: quòd petitione quidē ipſorum delectatus eſſem, uerùm eam non ab omnibus fieri uidiſſem. Quapropter, ſi qui in ſuperſtitione illa manerēt, ſic unicuiq; uoluntatis ſuę liberum reliqui propoſitū: etſi deorum cultum agnoſcere uellēt, ut ſimul cum Nicomedenſibus eadem ciuitate, ac reliquis quoq; ciuitatibus uterentur, quę & ipſę conſimilem ad me petitionem eo ſtudio detulerunt, ut ne unus quidem ex Chriſtianis inciuitatibus ipſorum habitaret: neceſſe fuit, ut amicè & benignè illis reſpondere, quod hoc ipſum etiā antiqui Imperatores cuncti obſeruarūt, & dijs ipſis probatur, propter quos uniuerſi mortales & ipſa reipublicæ gubernacula conſiſtunt. Placuit igitur, tantam petitionē, quam ad me pro ſummi Dei ſui cultu detulerunt, confirmare. Quocirca, etiamſi potiſsimū deuotioni tuę etiam antea ſcriptum eſt, ac ſimiliter mandatum, ne contra prouinciales huiuſmodi gentem cōſeruare ſatagentes, aſperum quid agatur, ſed illis patienter obtemperetur, et nec ab officialibus, nec alijs quibuſcunq; contumelias uel exagitationes patiantur: rationi conſentaneum putaui, etiam hiſce literis dexteritatē tuam admonere, ut potius blanditijs & adhortationibus prouinciales noſtros deorum curam agnoſcere facias. Quapropter ſi quis ſua pte ſponte deorum cultum agnoſcendū eſſe duxerit, eiuſmodi complecti conueniet. ſi uerò nulli religioni ſuæ peculiari adhærere uoluerint, id illorū arbitrio relinques. Debet itaq; deuotio tua quod iniunctum eſt cuſtodire: nec ulli data ſit hæc poteſtas, ut prouinciales noſtros cōtumelijs & cōcuſsionibus premat: quandoquidē, ſicut & antea ſcriptū eſt, adhortationibus magis & blanditijs prouinciales noſtros ad cultum deorum reuocari decet. Vt autē iuſsio hæc noſtra omnibus prouincialibus noſtris innoteſcat, conſtitutione abs te adiecta, quod mandatū eſt publicare debes. Euſebius libro nono, cap. nono.

Sed hęc tum ſimulabat. Paulo pòſt autem in pugnam cum Licinio congreſſus, cum victoriā amiſiſſet, ſacerdotes & prophetas deorum ſuorum, quos antea ſuſpexerat & ueneratus erat, quorumq́; reſponſis cōfiſus bellum mouerat, tanquā incantatores atq; ſeductores, quiq́; ſalutem ſuam omnino prodidiſſent, occidit. Ipſe uerò ſubito oppreſſus morbo, Chriſtianorum Deū glorificauit: ac legem pro illorum ſecuritate, libertate & iure abſolutiſsimam conſtituit, cuius exemplum hoc eſt:

¶ Imperator, Cæſar, Caius, Valerius, Maximinus, Germanicus, Pius, Fortunatus, Auguſtus. Prouincialium noſtrorum profectibus indeſinenter & quouis modo cōſulere, & ea nos illis exhibere uelle conuenit, quibus conſequi poſsint quæ potiſsimum proſunt. Quæ uerò utilitati commoditatiq́; cōmuni & reipub. compendijs conducant, ac uniuſcuiuſq; menti ſint accepta, manifeſtū credimus, neminem eſſe qui ignoret: ſed unumquenq; ad ipſum quod factum eſt recurrere, et quemuis mortalium hoc cognoſcere, & in ſeipſo habere. Cū igitur & antea ſcientiæ noſtræ innotuerit, ex eadē cauſa propter quam à Diocletiano & Maximiniano felicis memorię parentibus noſtris, Chriſtianorum ſynodos amputari præceptum fuit, multos eſſe ab officialibus conquaſſatos & ſpoliatos, idq́; etiamnum porrò fieri contra prouinciales noſtros, quibus potiſsimū cōpetenter proſpicere ſtudemus, ita ut facultates

tates illorum abſumantur: miſsis literis ad uniuſcuiuſq; prouinciæ prędides, anno prę-terito ſtatuimus, ut ſi quis huiuſmodi ritibus, uel religionis illius obſeruantiæ adhærere uoluerit, huic licere ut inoffenſe propoſitum ſuum ſequatur, & à nemine impediatur ac prohibeatur: eſſeq; illis liberũ ſine ullo metu & ſuſpicione, quod cuiq; placuerit facere. Quin ne nunc quidem latêre uos poteſt, iudices quoſdã iuſſa noſtra neglexiſſe, ac ſubditos noſtros de mandatis noſtris dubios reddidiſſe: idq; effeciſſe, ut cunctãtius cultibus illis adhæſerint, qui ipſis tamẽ magis adlubeſcunt. Vt igitur poſthac omnis ſuſpicio, hęſitatio ac metus auferatur, edictum hoc publicare decreuimus, quo cunctis manifeſtum fiat, licere illis quotquot hæreſim illam & religionẽ ſectari uolunt, ex hac noſtra largitione, ſicut cuiq; cordi eſt, & adlubeſcit, ita religione illa uti, quam pro more ſuo exercere uoluerit. Quin & hoc illis permittitur, ut Dominica oratoria conſtruant. Ad hæc, ut maius ſit hoc noſtrum donum, etiam illud conſtituere dignati ſumus, ut ſi quæ domus & prędia ad ius Chriſtianorum antea pertinẽtia, iuſſu maiorum noſtrorum ad ius fiſci tranſierunt, aut à ciuitate quapiã occupata, uel aliàs diuendita, ſiue dono cuipiam ſunt tradita: hæc omnia ad priſcũ Chriſtianorum ius reuocari iuſsimus, quo etiam hac in re pietatis ac prouidentiæ experientiam cuncti capiant. Euſebius lib. nono, capite decimo.

DE TRANQVILLITATE ET PERSECVTIONE *Eccleſiæ ſub Maxentio.*

INterea dum in Britania Conſtãtin⁹, Conſtantio patre mortuo, Imperator creatur, ut Eutropius ſcribit, Maxentius, Maximiani Herculij filius, non procul ab urbe in uilla quadam excitato tumultu, à militib. prætorianis Auguſtus nuncupatur, nõ abnuente (ut Lætus ſcripſit) Senatu: quanquã non ut Auguſtus, ſed ut tyrannus imperium geſſit, prætorianis eum ad ſæuitiam & crudelitatem impellentibus. Quamuis nec natura ipſius ab ijs uitijs aliena fuit. aſperitate enim patri Maximiano ſimilis fuit, ſæuitia Domitiano & Commodo. Nam pleroſq; claros uiros occidit, & bona eorum rapuit. Interdum uerò inſaniens, immenſam populi Romani multitudinem haſtis & armis (ut Euſebius narrat lib. octauo, capite decimoquarto) militum ſuorũ obiecit. Nullum etiam nec ſceleſtum nec laſciuum facinus intẽtatum reliquit: pudicitiæ uerò muliebris hoſtis erat ipſo nemo flagitioſior, qui honeſtas coniuges maritis ſuis claris ſenatorib. ereptas, cõtumelia & ludibrio affectas remiſit. à nullis adulterijs & corruptionibus abſtinebat: libidine enim ſtuprãdi mulieres ardebat inextinguibili. Narrat Lætus, captum eum ali quando amore nobiliſsimæ & caſtiſsimę fœminæ, miſiſſe ad eam libidinis ſuæ aulicos miniſtros, quos præ cæteris caros habebat, & cum quibus de Repub. conſultare conſueuerat. Maritũ ipſum, cum in ædes illi irruiſſent, tyranni & mortis metu, nõ prohibuiſſe mulierem abduci, nec potuiſſe quidem. Illam uerò, quia Chriſtiana eſſet, petijſſe à miniſtris breue orandi ſpacium, ac poſtea ſe ultrò quæ cuperent facturã promiſiſſe. Ingreſſam igitur in cubiculũ quaſi oraturam, manus ſibijpſi inieciſſe. Milites uerò cum cunctari mulier diutius uideretur, moram mole ſtè ferentes, in cubiculum irrupſiſſe, ac mortuam offendiſſe. Rem eam igitur ad Imperatorem detuliſſe. Qui, tantum abeſt ut triſti eo exemplo à flagitijs eiuſmodi deterritus ſit, ut etiam in plures appetendas magis fuerit incenſus.

Magicis etiam artibus, quibus exercendis aptior erat quàm Imperio, deditus fuit: & interdum mulieres prægnantes ſecuit, nonnunquam infantum recens natorum uiſcera inquiſiuit. Quandoq;, arcano quodã modo dæmones aduocauit, eorumq; reſponſis bellum quod ſibi à Conſtantino & Lycinio parari ſenſerat, amoliri conatus eſt. Vtq; magis ad ſententiam ſuam, quæ animo improbiſsimo concepiſſet, ſcelera & flagitia perpetrare poſſet, initio imperij ſui Chriſtianum ſe eſſe ſimulauit. In qua re ut populo ſeſe Rom. probaret, ſubditis ſuis mandauit, ut perſequi Chriſtianos deſineret: ipſe interim à nullis cõtumelioſiſsimis eorum uexationibus quieſcens, donec ſe perſecutorem eſſe apertè præ ſe ferre cœpit: quo tempore, Romę in proximos quoſq; Chriſtianos, ut Zonaras ſcripſit, crudeliter ſęuijt, omnibus eos ærumnis exagitans. Quod eum non minus quam Maximinum feciſſe, etiam Euſebius indicare uidetur lib. octauo, capite decimoquinto. Et in uita Marcelli pontificis Platina refert, nobilem quandam Romanam fœminam, ideo quòd Eccleſiam hæredem bonorum ſuorum inſtituiſſet, relegaſſe.

DE PERSECVTIONE ET TRANQVILLITATE *Eccleſiæ ſub Licinio.*

NAtus apud Dacos Licinius, ſimul cũ Conſtãtino ab exercitu Imperator factus erat, ac ſocium deinde cum eo imperiũ geſsit, homo auaritia inexplebili omnes ſuperans, luxui uenereo deditus, aſper, immitis, & ſupra modum impatiens: Literis uerò, quo nullum uitium principe indignius habere potuit, quod nullas ipſe didiciſſet, adeò infeſtus fuit, ut uirus eas ac peſtem publicã nominaret, præcipuè uerò forenſium artiũ & iuris cognitionem. Eutrop. Lætus, Egnatius, Euſebius libro 8. cap. decimotertio.

¶ Erat

¶ Erat inter ipsum & Constantinum initiò magna familiaritas, ac tantus quidem cõsensus, ut sororem suam Constantiam (ut Aurel. Victor scribit) Constantinus ei matrimonio iungeret. Nec à religione Constantini alienum Licinium quis dixisset, adeò per omnia cum eo sentire uidebatur. Vnde & legem, ut diximus, pari cum Constantino sententia & uoluntate pro Christianis constituit. Eusebius libro nono, capite nono.

Ac talis quidem initio Licinius fuit. Verùm tyrannicos postea furores induens, insidias Constantino, à quo summis beneficijs & honorib. affectus fuerat, meditari cœpit: neq; naturę legibus, ut Eusebius ait, parcés, nec iuramentorum, nec sanguinis, nec pactorum memor. Sed cum insidijs se nihil proficere animaduerteret, ideo quòd diuina defensione Constantinus facilè tutus esset, odio in eum uehementi flagrare, & Christianam religionis & pietatis professionẽ non abijcere solum, sed & uiruléter odisse cœpit. Christianis uerò eam ob causam inimicum se esse dicebat, quòd in cõuentibus & solennitatibus non pro se, sed pro Constantino orarẽt. Primùm igitur, sensim ac tacitè Christianos, qui nihil quicquam imperio ipsius incõmodi attulissent, premere & oppugnare est aggressus, atque ex aula eos sua reiecit. deinde eos qui milites essent, ordinis honore, nisi dæmonibus sacrificare uellent, priuari mandauit. Eusebius libro decimo, capite octauo. Eam persecutionem postea ex aula sua in omnes prouincias deduxit, excogitatis & propositis iniquissimis legibus. Primùm, ne quacunq; ratione, aliqua in re communicarẽt inter se episcopi: nec cuiquam liceret ad uicinas adire ecclesias, aut Synodos conuocare, aut de rebus necessarijs & utilib. Ecclesię consultare. Deinde, ne uiri cum mulieribus ad orandum Deum, in cœtum congrederentur: nec mulieres ipsę honesta contubernia, in quibus uirtutis doctrina traderetur, frequentarent: nec ab episcopis in pietate instituerentur, sed mulieres alias, à quibus docerẽtur, inter se eligerent. Tertia lex omnium iniquissima & atrocissima erat, ne qui illis qui in custodias coniecti essent, humanitatis aut officij quicquam exhiberent: nec misericordiæ quicquam, si in famis periculum incidissent, impenderẽt: supplicium interminatus, quo, qui misericordiam præstitissent, perinde punirentur, atq; ij quibus eam declarassent: uinculisq; & carcerib. inclusi, pari supplicio cum adflictis adficerentur, qui aliquid humanitatis aut reuelatiõis in eos conferre deprehensi essent. Eusebius libro primo de uita Constantini. Hæ Licinij erant immanissimæ, quęq; naturã ipsam excederent, constitutiones.

Post eas autem, episcopos inuasit, nõ apertè quidẽ, metu Constantini: sed clàm, & per insidias: quibus qui inter doctores & præsules præstãtissimi essent, occidit. Circa Amasęam autem, ac reliquas Ponti ciuitates, ecclesias alias ad pauimẽtum usq; diruit: alias cõclusit, ne cuiquã pro more orare, Deumq; colere uolenti, aditus ad eas patêret: ideo q, malè sibi conscius, Christianos, ut diximus, pro Constantino tantum orare, pro se uerò nihil facere suspicaretur. Hinc & in Oriente ad Libyes, qui Ægyptijs cõtermini sunt, usque, Christiani nõ audebant propter immutatam Licinij in eos beneuolẽtiam, ecclesiasticos frequentare conuentus. Sozom. libro primo, capite secundo. Episcoporum prętерea nõnullos, etiam præsides, adulatores, hoc nomine gratificaturos ei arbitrati, supplicijs subiecerunt, abduxerunt: ac sine ulla causa, perinde ut sceleratos & homicidas, supplicijs & morte affecerũt: tanta in eorum aliquos usi immanitate, ut corpora ipsorum in frusta ac partes minutas conciderint, lanionum in morem, & postea piscibus escam in fundum maris abiecerint. Eusebius libro decimo, capite octauo.

Quid de exilijs ac bonorum publicationibus dicemus? Omniũ enim facultates, quacunq; id posset specie, rapuit: mortem minatus, nisi cedere uoluissent. Exilijs uerò eos multauit, qui iniqui nihil commiserant. Generosos ac præclaros uiros abduci pręcepit. nec crudelitatis satis hoc ei fuit, sed & innuptas eorum puellas sceleratis seruis in contumeliam & probrum tradidit. Quin & Licinius ipse multas mulieres, coniuges ac uirgines, quantumuis corpore suo senio confecto, petulanter adortus est. Euseb. libro primo de uita Constantini.

Quę crudelitas pios uiros exilia etiã sponte & fugas suscipere coegit: rursusq; factum est, ut agri, syluæ, solitudines & montes sanctorum Christianorum hospitia & habitacula essent. Eusebius libro decimo, capite decimoquarto.

Qui uerò Martyres sub ea persecutione egregij & illustres euaserint, Nicephorus indicat libro septimo, capite decimoquarto: Theodorus nimirum dux exercitus, qui in crucẽ primùm actus, deinde subulas in meatus corporis secretiores immissas pertulit, postremò capite truncatus est. Theodorus rursus alius, episcopus Tyri: tertius uerò quidem etiam Pergensis, & Basilius episcopus Amasenus: Nicolaus etiam Myrorũ episcopus, Gregorius Armenię maioris: Paulus deniq; Neocæsarienſis, qui ambarũ manuũ usu, Licinij improbitate, ferro ignito uenis atq; neruis perustis orbatus est. Præter eos urbs Sebastia, in stagno suo quadraginta

egregios

egregios & diuinos uiros, milites Christianos, per frigus et undam ad mortem torqueri uidit: cùm Lofias adhuc, quem prefectum Orientis fuisse diximus, & Agricolaus, satellites Licinij propugnatoresq; superstites essent, & inueniendis aduersus martyres nouis cruciatibus apprimè pollerent. Illorum uerò coniuges, quæ & ipsæ quadraginta fuêre, Heracleam Thraciæ abductæ, ibi cum Amone quodam diacono tormentis, quæ uix exprimere quisquam possit, generosè & fortiter toleratis, cum insigni professione gladio cæsæ sunt. Hæc Nicephorus. Meminit & Sozomenus libro nono, capite secundo, eorundē martyrū. Basilius in oratione quadam eorundem uidetur historiam commemorare, nisi quòd circunstantiæ quædam uariant, ut infrà de martyribus dicemus.

Habuerat autem in animo Licinius, quia ex sententia sua hæc prima persecutionis principia cessissent, in omnes ubique sæuire. ad quam rem nec cōsilium, nec animus, nec occasio ei forsan defuisset: nisi Deus Constantinum in eas partes, in quibus imperabat, deduxisset. ubi bello quod ipse prius mouerat, certior factus Constantinum insidias comperisse, cum Constantino congressus, turpiter ab eo uictus est. Quę occasio Christianis, ad sereniſsimam tranquillitatem fuit, & pacem altam, ut postea dicemus. Eusebius lib. 10, capite ultimo.

DE TRANQVILLITATE ECCLESIÆ *sub Constantino.*

REpressis ad hunc modū, & sublatis de medio omnibus tyrānis, Imperij summa ad Constantinum solū & filios eius deuoluta est, circa annum Domini trecentesimū uicesimumquartum. Fuit autem Constantinus Constantij Imperatoris filius, bonus à bono, pius à pio, in Britānijs obscuriori matrimonio (ut Eutropius ait) natus, ex matre Helena, quam stabulariam Ambrosius in oratione funebri de obitu Theodosij appellat: princeps cōmodisimus & salutaris, qui nutrire bonas artes, ac studia præcipuè literarum, legere præterea ipse, scribere & meditari solebat. In rebus gerendis miræ felicitatis & successus, quod illi deinde ex eo prouenisse creditur, quòd fidei Christianæ plurimùm faueret. quā cum amplexus semel esset, religiosisimè deinceps & sanctisimè perpetuò coluit: eandemq; fidem, ut omnes in uniuerso Romani regni orbe profiterentur, per edicta mandauit. Idolorum cultum, cui impellente Fausta uxore sua aliquandiu adhęsit adeò ut etiā sacrificaret, post Maxentium deuictum abnegauit: baptisimum uerò in senectam usq; distulit, quòd professionē in Persas susciperē, & in Iordane baptizari secum constituisset. Eusebius libro quarto de uita Constantini. Quod ad animi & ingenij beneficia attinet, eloquētia non uulgari præditus fuit, nec philosophiæ expers, & in differendo solers & acutus.

Dicere frequenter solebat, Pro utilitate Reipub. Imperatorem nō debere labores recusare: &, Partem corporis recidendam, si remedium non admitteret: sin contrà, fouendam. Hæc Aurelius Victor, Pomponius Lætus & Egnatius referunt. Autor & Ælius Lampridius est, in uita Heliogabali, dicere solitum Constantinum, Imperiū fato dari: eum uerò cui datum sit, operā dare debere, ut imperio dignus fuisse uideretur. Meminit eius dicti etiam Augustinus libro 3 contra Cresconium, & epistola 49 & 50. Venit ad Imperium benignitate Dei, uolentis aliquando Ecclesię tot persecutionum fluctibus quassatæ tranquillum restituere portū, anno Domini trecentesimo undecimo: quēadmodum in Chronico Eusebius annotare uidetur. Imperauit autem annis triginta, iuxta Eutropiū: triginta uerò duos, minus mensibus duobus, iuxta Lætum.

Pax igitur Ecclesiæ alta sub hoc optimi principis imperio reddita est, nihil non pro Ecclesiæ salute susciepiente & agente laudatisimo hoc Imperatore. Primùm, edicta pro libertate Christianæ religionis, etiam antequam Liciniū oppressisset, multa tulit, pro restituendis etiam bonis Ecclesiæ, pro reuocandis Christianis exulibus, pro tollēdis ex Ecclesia doctorum dissensionibus, pro liberatione ab oneribus publicis, &c. quemadmodum exempla constitutionum subiecta declarant, quæ commemorat Eusebius libro decimo, capite quinto.

Exemplum constitutionis Imperialis Constantini & Licinij, pro liberè colenda Christiana religione.

¶ Iam olim quidem considerantes, nō esse religionis libertatem prohibēdam, sed uniuscuiusq; animo & uoluntati facultatem tribuēdam, res diuinas pro suo uoto quemlibet curare, et Christianis hæreseos ac religionis suæ fidē custodire iusimus: uerùm quoniam multæ ac uariæ hæreses per illam antigraphum pullulant, qua huiusmodi permissa est potestas, uisum est ea perspicuè adijcere, quibus forsan nōnulli ex illis paulo pòst ab huiusmodi obseruantia prohibiti sunt. Cùm igitur felici successu ego Constantinus Augustus, & ego Licini⁹ Augustus, Mediolanum ueniſsemus, & quæcunq; ad utilitatem & profectum reipublicæ facerent inquireremus, hæc inter alia multa cūctis profutura uisa sunt, imò cum primis constituenda decreuimus, quibus reuerentia & cultus erga Deum comprehenduntur: hoc est, quibus etiam Christianis omnino liberā optio-

nem, religionem quam uelint sequendi daremus, quo quæ est uspiam cœlestium rerum diuinitas, nobis & cunctis nostris subditis placida esse possit. Secundũ hanc itaque nostram uoluntatem sano ac rectissimo iudicio decreuimus, nemini prorsus denegandam esse potestatem, Christianam obseruantiam uel religionem eligendi ac sequendi: sed unicuiq; dandam esse hanc facultatẽ, ut animũ suum illi religioni addicat, quam ipse sibi competere putat, quo nobis Deus consuetam in omnibus diligentiam & probitatem præstet. Hæc ita nobis placere, necessarium erat ad te rescribere, quo ablatis in uniuersum hæresibus, quę prioribus nostris literis deuotioni tuæ pro Christianis missis continentur: & quæ admodum ineptæ & à nostra clemẽtia alienæ uidentur, illæ abscindantur. Et nũc igitur liberè ac firmiter, quisquis hanc uoluntatem habet ut Christianorum religionem seruet, hoc ipsum sine omni molestia faciat. Hæc tuæ diligentiæ plenissimè significãda esse decreuimus, ut scias, nos Christianis liberam & absolutam potestatem suam ipsorum seruandi religionem dedisse. Et quoniam absolutè est à nobis data potestas, obseruantiam & religionẽ suam exercendi, si qui uolunt: id tranquillitati nostrorum temporum conducere manifestum est, ut quisq; potestatem habeat eligendi & colendi quodcunq; numẽ uoluerit. Hoc autem factum à nobis est, ne quid à nobis cuipiam cultui uel religioni demi uideatur.

Et hoc præter cæteros etiam ad ipsas Christianorum personas decernimus, ut loca sua recipiãt, in quibus antea cõuenire solebant: de quibus & prioribus literis ad deuotionem tuam missis, alia erat forma priori tempori attemperata. ut si qui uel à nostro illa ærario, uel quopiam alio coemissent, sine argento, & sine ulla impensi precij repetitione Christianis absq; omni negligentia & hæsitatione restituãt. Et si qui illa dono data adepti, à nostra honestate quicquam illorum nomine petierint, ad præfectum, eius loci Iudicem, accedant, ut & ipsorum à nostra benignitate ratio habeatur: quæ quidem omnia societati Christianorum, sedulitate tua sine omni dilatione dari petes. Et quoniam ipsi Christiani non solùm ea loca in quibus conuenire consueuerunt, sed & alia quædam peculiaria, non singulis priuatim, sed iuri societatis ipsorum competentia, habuisse cognoscuntur, omnia illa secundum legem, cuius mentionem fecimus, reiecta omni hæsitatione, ipsis Christianis, hoc est cuilibet societati ac synodo illorũ restitui iubeas: seruata interim dicta iã ratione, ut si qui illa sine recepto precio, sicut diximus, restituerint, indemnes se per nostram honestatem futuros spe-

rent. In his omnibus dictæ iã societati Christianorum, summam debes impendere diligentiam, quò mandatũ hoc nostrũ quàm citissimè adimpleatur, & etiam hac in re per nostram clementiam communi ac publicæ tranquillitati prouideatur. Hac etenim ratione, quemadmodum prædictum est, diuina erga nos beneficentia, quam in multis iã rebus experti sumus, omnibus temporibus immota permanebit. Vt autem constitutionis huius & honestatis nostræ determinatio omnibus innotescere ualeat, hæc scripta nostra passim proponi, & ad omnium cognitionem duci conueniet, ne quenquam honestatis huius nostræ constitutio latẽre queat.

Exemplum alterius constitutionis Imperialis, per quam soli Catholicæ Ecclesiæ demum hoc competere significatur.

¶ S. Aniline nobis honoratissime. Modus honestatis huius nostræ hic est. Quæ alieno iuri competunt, non solùm nõ occupari, sed restitui etiam uolumus. Quapropter uoluntas nostra est, ut quamprimum hasce literas acceperis, si qua ex illis bonis quæ ad catholicam Christianorum ecclesiam per singulas ciuitates, uel in alijs etiam locis pertinent, à ciuibus iam uel ab alijs quibusdam occupantur, ea confestim ecclesijs illorũ restitui facias. Iã enim antea sic decreuimus, ut quæ ecclesiæ antea habuerunt, iuri illarum restituantur. Cùm itaq; deuotio tua manifestũ hoc esse iussionis nostrę mandatum uideat, cura ut siue horti, siue domus, siue quæcunque alia ad ius ecclesiarum pertinuerũt, cuncta illis quàm uelocissimè restituantur, quo te huic nostro mandato quàm diligentissimè obtemperasse cognoscamus. Vale Aniline honoratissime ac desideratissime.

Exemplum epistolæ, per quam Ecclesiarum præsides publicis oneribus liberari præcipit

¶ Salue Aniline honoratissime. Quoniã ex pluribus rebus apparet, religionẽ, in qua summa custoditur sanctitatis reuerentia, si extenuetur, magna pericula adferre rebus publicis: ac rursus eandem, si legitimè tractetur & custodiatur, maximam prosperitatem Romano nomini, & cunctis mortalium rebus præcipuam præstare felicitatem, diuina illam exhibente beneficentia: uisum est, ut uiri illi, qui debita sanctitate ac sedula legis huius obseruantia diuinæ huic religioni ministrant, laborum suorum præmia reportẽt. Quapropter illos qui in prouincia tibi concredita in catholica Ecclesia, cui Cecilianus præsidet, sanctæ huic religioni ministrant, quos clericos nominare solent, ab omnibus publicis oneribus in uniuersum liberos & immunes seruari uolo, ne fiat ut errore quopiam, uel exorbitatione sacrilega, à cultu diuinitati

uinitati debito abstrahantur, sed potius sine omni perturbatione suæ legi seruiãt: qui dũ maxima diuini cultus ministeria perficiunt, communibus rebus plurimum prodesse uidentur. Vale, Aniline honoratissime.

Exemplum Imperialis Epistolæ, per quam Synodus episcoporum Romæ ad uniendas Ecclesias congregari præcipitur.

¶ Constãtinus Augustus Miltiadi episcopo Romano, & Marco. Quoniam plures huiusmodi literæ ab Anilino, illustrissimo Aphricę proconsule, ad me missæ sunt, in quibus Cecilianum Carthaginis episcopũ à nõnullis collegis ipsius in Aphrica constitutis, multis in rebus reprehendi fertur: & hoc mihi uehementer graue uidetur, etiam in istis prouincijs, quas deuotioni meæ diuina prouidentia peculiariter commendauit, magnã populi multitudinem ad peiora procliuem ac dissidentem, interq; episcopos discernentẽ reperiri: placuit mihi, ut ipse Cecilianus, unà cum decem episcopis qui ipsum reprehendere uidentur, & decem alijs quos ipse causæ suæ putauerit accommodos, Romam nauigio ueniat, ut illic uobis præsentibus, unà cũ Rheticio & Materno & Marino, collegis uestris, quos ob hanc causam Romam properare iussi, audiri possit, quo quæ religiosissimæ legi conueniunt cognoscatis. Vt autem & de his omnibus plenissimã cognitionem habere possitis, exempla literarum quas ad me misit Anilinus, literis meis subiecta, dictis uestris collegis misi: quibus lectis, integritas uestra probet, quomodo dicta iam causa, quàm accuratissimè discerni, & ad æquitatis normam terminari queat. Non enim latet uestram diligentiam, tantum me reuerentiæ Ecclesiæ catholicæ tribuere, ut uelim uos nullum prorsus schisma uel dissidium aliquo in loco ferre. Diuinitas magni Dei multis uos annis custodiat.

Exemplum Imperialis Epistolæ, qua alteram Synodum ad tollendum uniuersum episcoporum dissidium præcipit.

¶ Constantinus Augustus Chresto episcopo Syracusiorum. Iam antea quidem, quando malè ac peruerse quidam à religione sanctæ & cœlestis uirtutis, ac hæresi catholica separari cœperunt, uolens ut huiusmodi illorum contentiones amputarentur, ita scripsi & constitui, ut quibusdam episcopis ex Gallia missis, deinde & ex Aphrica uocatis illis qui ex altera parte inter se cõtentiose ac pertinaciter dimicant, præsente etiam Rom. episcopo, quicquid hoc dissidij obortum uidetur, in ipsorum præsentia summa cum diligentia discernendi corrigi queat. Verùm quoniam, sicuti euenit, nonnulli illorum & propriæ salutis, & reuerentiæ quæ sanctissimæ hæresi debetur, obliti, etiamnum inimicitias suas prorogare nõ cessant, nolentes latæ iam sententiæ consentire: nec cõsiderant, quòd etiamsi pauci quidam sententias suas protulerunt, non tamen citius quàm cuncta quæ debebant inquiri exactè excuterentur, ad iudicandum admodum uelociter ac festinanter proruperunt. Ex his autem omnibus hæc euenerunt, quòd & ipsi, quorũ erat fraternam & unanimẽ seruare concordiam, turpiter, imò flagitiosè à se inuicem dissentiunt, & hominibus à sanctissima religione mente abalienatis, ludibrij occasionem præbent. Quapropter curandũ mihi est, ut quod post latum iam iudicium ultro quiescere debebat, uel nunc tandẽ multis præsentibus terminetur. Quoniam igitur quàm plurimos episcopos ex uarijs & innumeris locis ad ciuitatem Arelatensem Calendis Augusti conuenire iussimus, etiam tibi scribendum esse iudicauimus, ut accepto ab illustrissimo Latroniano Siciliæ præfecto, publico uehiculo: ac unà cum duobus quibusdam ex ijs qui secundi ordinis sunt, quos tu ipse seligẽdos putaueris: quin & cum tribus seruis, qui uobis in itinere seruire ualeant: intra eundem diem ad locum iam dictũ accurras, ut & per tuam integritatem, ac reliquorum qui conuenturi sunt, concordem & unanimem prudentiam, etiam hoc dissidiũ quod hactenus malè, turpi quadam recalcitratione durauit, auditis cũctis quę dicẽda sunt à dissidẽtibus, quos similiter adesse iussimus, ad debitã religionẽ & fidem fraternam q; concordiam, uel serò tandẽ reditus fieri queat. Sanũ te Deus omnipotens multos annos custodiat.

Exemplum Imperialis Epistolæ, per quam eccle sijs pecunias est largitus.

¶ Constantinus Augustus Cecilio episcopo Carthaginẽsi. Quoniam per singulas prouincias Aphricæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, certis quibusdã legitimæ & sanctissimæ catholicæ religionis ministris, aliquid sumptuum gratia suppeditare placuit, literas ad Vrsum illustriss. prefectũ Aphricę misi, illiq; significaui, ut integritati tuę ter mille ruffos numerari curet. Tu itaque, ubi dictam pecuniarum summã receperis, cunctis illam prædictis, secundũ Breue ad te ab Osio missum, distribui iubeas. Si uerò ad hoc, ut erga hos omnes uoluntas mea perficiatur, aliquid desiderari cognoueris: ab Heraclida pecuniarũ nostrarum quæstore indubitãter, quantum deesse noueris, petere debes. Etenim præsenti illi hoc in mãdatis dedi, ut si quam ab ipso pecuniã integritas tua petierit, illam tibi sine dubitatione numerari curet. Et quoniã nonnullos animis inquietis percitos, populum sanctissimæ & catholicæ Ecclesiæ praua quadam corruptione peruertere uelle cognoui: scias me Anilino procõsuli, imò & patricio

tricio præfectorum uicario præsentibus, hu iusmodi mãdata dedisse, ut inter reliqua cuncta, etiam huius rei potissimùm competentem curã gerant, nec sustineant tale quid accidere. Quapropter si tales quosdam homines in hac uesania perdurare uideris, sine aliqua hæsitatione dictos iam iudices accede, & hoc illis significa, ut illi eos sicut præsentibus præcepi conuertant. Magni Dei diuinitas per multos annos te custodiat.

Alia exempla edictorum Constantini, plena prolixissimis in Ecclesiã & Christianos beneficijs, recitat Eusebius libro secundo de uita Constantini ad hunc modum.

Edictum Constantini pro Christianis ad prouinciales Palæstinæ.

¶ Victor Constantinus, Maximus, Augustus, prouincialib. Palæstinę. Erat quidem & olim superioribus temporibus apud rectè ac moderatè de Deo tanquam potẽtiore sentientes, manifestum discrimen, omnem procul dubitationẽ excludens, quàm uidelicet exacta circa religiosissimã Christianismi culturam obseruãtia, ab illis qui eam impugnarunt & cõtempserũt discrepet: iam uerò magis etiam perspicuis factis, & illustrioribus uirtutibus demonstratũ est, quanta sit cùm dubitationis absurditas, tum magni Dei potentia: quando ijs qui sanctissimã legem uenerantur, nec quicquam præceptorum audent dissoluere, copiosa bona, & præstans quoddam robur conatibus ipsorũ, etiam bona cum spe respondẽs, alijs uerò impiam sententiam complexis, à uoluntate illorum abludentia, & præter expectationẽ contingentia usuueniunt. Etenim si quis bono quopiã potitus fuerit, Deum bonorũ autorem nec cognoscens, nec cõuenienter colere uolens, fidem ei, quod dicitur, etiam opera tribuũt. Itaq; si tempora quisquã inde ab initio hucusq; pertingentia, mente secum percurrerit, & priora facta cogitatione expenderit, cunctos eos qui iustum & bonũ rerum suarum fundamentum locarunt, ad bonum peruenisse conatuum suorum finem, et quasi de iucunda quadam radice suauem etiam reportasse fructum: rursus eos qui temeraria facinora aggressi sunt, nec iustum aliquẽ & æquum sensum erga genus humanum induerunt, sed exilia, ignominias, bonorum publicationes, cædes & huiusmodi alia multa ausi, neq; pœnitentiam egerunt unquam, neq; mente ad honestiora cõuersi sunt, parem remunerationẽ recepisse deprehendet. Et hæc nec inconuenienter, nec præter rationẽ eueniunt. Quotquot enim animo bono ad res quasdam gerendas accedũt, & timorem Dei optimi in mente continuè, firma erga eum fide seruata, retinent, nec præsentis uitę terores & pericula tanti faciunt, ut futuras illis spes postponant, etiamsi tempore tristiũ tententur, propterea quòd potiores sibi repositos esse honores credunt, nec quæ ipsis aduersa contingunt molestè ferunt, sed tanto cõsequuntur illustriores glorias, quanto grauioribus etiam malis tentantur. Quotquot uerò id quod iustum est ignominiosè cõtemserunt, nec Deum agnouerunt, & præterea eos qui iusticiæ fideliter incubuerunt, contumelijs ac supplicijs nefandis subijcere nõ dubitarunt, & seipsos non iudicarunt infelices, propter eos quos talib. de causis punierũt: illos uerò felices et beatos, qui cum tantis etiam adflictionibus pietatẽ erga Deum retinuerunt: horum multi ceciderunt exercitus, multi in fugam conuersi sunt, & cuncta illorum belli acies extremè deuicta est. Et hi grauium bellorum autores fuerunt, ex illis exitiales depopulationes prouenerũt, ex illis est rerum ad humanum usum necessaria rum diminutio, & impendẽtium malorum multitudo. Et hinc est, quòd tantæ impietatis autores, uel omnimodum postremò exitium passi, infelices facti sunt: uel uiperinã uitam, quam egerunt, ipsa morte grauiorem cognouerunt, atq; ita æqualia & iniquitatibus suis competentia supplicia reportarunt. Tantum enim calamitatis quisque inuenit, quantum ad expugnandum, sicuti putabat, diuinam legem, per dementiã impulsus est: ita ut illis non solum quæ per hanc uitã concernunt, grauia sint, sed & timorẽ expectent multo quàm sint terrena tormenta sæuiorẽ. Cùm itaque talis tamq; grauis impietas res humanas occuparet, ac respub. quasi pestifero quodam morbo penitus perdenda periclitaretur, salubriq; ac multa cura opus haberet, uide quódnam leuamen Deus, quamq; liberationem à malis excogitarit? Illud autem omnino diuinũ iudicandum est, quod solum & uerè est, & in uniuersum sufficientem habet temporis potentiam. Omnino uerò arrogans fuerit, eum qui diuinam beneficentiam confitetur, iactanter loqui. Nam ministerium meum uoluntati suæ accommodum requisiuit & elegit, qui inde à mari Britannico & illis orbis partib. orsus, ubi solem occidere necessitate quadam constitutũ est, potentiore quadam uirtute cuncta illa mala quæ orbem premebant, repulit ac dissecit, ut simul & genus humanum ad sanctissimæ legis culturam, meo institutum ministerio reuocaretur, et beatissima fides sub potiore ductore crescceret. Haud enim ingratus esse uelim, ut debitam gratiam, optimũ scilicet ministerium negligam: hoc mihi donum concessum credens, per quod etiam ad Orientis usq; regiones progressus sum. Quod autem grauioribus calamitatibus detinebatur, maiorem etiam curam à nobis efflagitauit. Certè

tò autem credidi, prorſus & totam animam, & quicquid ſpiro, & omnino ſi quid intimũ in mente uerſatur, maximo à nobis deberi Deo. Noui quidem exactè, non egere eos humana beneuolentia, qui ſpem cœleſtem rectè ſectantur. Et qui hanc eximiam in diuinis locis accuratè fundarunt, tanto maioribus ſunt honorib. potiti, quanto illos à terrenis defectibus & malis ſecuros ſeparárũt. Neceſsitates tamen, quæ illis ſucceſſu temporis illatæ ſunt, & adflictiones quas incompetentes nullis de cauſis, nulli culpæ obnoxij, pertulerunt, iam nobis conuenire puto, ut procul arceamus. Alioqui abſurdiſsimũ fuerit, ſi cum ijs qui uiros iſtos propter cultũ Dei perſequi uoluerunt, tolerantia & fortitudo illorum innotuerit, gloria eorum à ſeruo Dei in maiorem ſplendorem & felicitatem non exaltetur. Quotquot itaq;, propterea quòd honorem cœleſti numini debitũ, ac fidem non neglexerunt, cui ſeipſos totis animabus conſecrarunt, ſæuis iudicum ſententijs ſubiecti patriam exilio commutarũt, quibuſcunq; ſinguli temporibus id perpeſsi ſint, uel ſi qui curialium catalogo adnumerati ſunt, priorem illorum numerum non adimplentes, hi patrijs locis ac conſuetæ quieti reſtituti, omnium liberatori Deo gratiarũ actiones perſoluant: aut ſi qui bonis ſuis ſpoliati, & uniuerſę facultatis iactura ſuppreſsi, mœſtiſsimam hactenus uitam egerunt, antiquis ſuis & iſti ſedibus, cognationibusq; & facultatibus redditi, diuina beneficẽtia cum gaudio fruantur. Quinetiam quotquot in inſulis præter animi ſententiam detinẽtur, hac prouidentia noſtra frui præcipimus: ut qui hactenus difficilibus montiũ locis ac circumfluo incluſi mari fuerunt, inamœna & immani ſolitudine liberati, iucundiſsimis ſeſe locis reſtituentes, uoti ſui, ſicuti deſiderant, compotes euadant: & qui pauperculã uitam multo tempore in ſordibus auerſandis egerunt, hi cupidè ac raptim ad ſuos reuerſi, & curis in poſterum liberi, abſq; metu uiuãt apud nos, qui nos Dei & gloriamur & credimus eſſe ſeruos, quibus non debeat abſurdum quid ne ad aures quidem uenire, nedum credi, quum & aliena delicta corrigere ſoleamus. Quotquot igitur ita condemnati ſunt, ut in laborioſis metallorum officinis laborent, uel operibus publicis ſeruiant, continuos labores dulci ocio, facilioriq; eorum qui liberè uiuunt uita commutantes, immoderatas laborũ moleſtias in placidam quietem terminent. Et ſi qui à publica parrheſia exciderũt, & in ignominia infeliciter uiuũt, competenti cum lętitia, tanquam diuturna quadam peregrinatione liberati, ad patriam quiſque ſuam properent. Quinetiam, ſi qui olim militaribus dignitatibus probati, illis propter atrocem & iniuſtam cauſam excide runt, eo quòd diuinæ cognitionis confeſsionem dignitati quam habebant prętulerunt: horum liberum ſit arbitrio, uel, ſi militiam affectant, in gradu quo fuerunt manere, uel cum honorifica dimiſsione in libertate agere. Decet enim & conueniens eſt, ut qui tantam magnanimitatem & continentiam aduerſus obiecta pericula oſtendit, & ocio, ſi uolet, & honore, pro ipſius arbitrio fruatur. Adhæc, quotquot nobilitatis prærogatiua uiolenter priuati, talem aliquo pacto iudicũ ſuſtinuerunt ſententiam, ut uel in gynæcia uel texendi officinas iniecti, iniucundum ac miſerum ferant laborem, uel ſerui penuarij æſtimentur, nec quicquam illis prior generis nobilitas conferat: hi cùm honorum, quibus antea potiti fuerant, tum libertatis bonis gaudentes, & ad cõſuetas dignitates reuocati, cum omni deinceps animi alacritate uitam ducant. Et qui libertate in ſeruitutem commutata, infandæ & inhumanæ ciuis cuiuſdam arrogantię, ſæpenumero inſueta etiam miniſteria obire ſe deplorat, utpote quòd ſubitò ſe è libero ſeruũ factum eſſe uideat, priſtina ſecundũ præſens hoc noſtrum edictum libertate recepta, genitoribus ſuis ſeſe reſtituat, eosq; labores obeat qui liberũ hominem decent: & quibus antea non ſuis miniſterijs moleſtat⁹ fuit, ex animo ſuo proijciat. Adijciendę ſunt autem facultates, nõ quib. uarijs ſint & alijs de cauſis priuati: ſed ſiue quidam optimo ac diuino martyrij certamine tolerato, imperterrita & uirili mente bonorum priuationem ſuſtinuerũt, & in confeſsione perdurantes, æternam ſibi ipſis ſpem cõpararunt: ſiue aliquò demigrare coacti, & quoniam perſequutoribus non ceſſerunt ut fidem proderẽt, facultatibus ſuis priuati ſunt & ipſi: uel ſi quidam morti adiudicati, ſpoliationẽ bonorum ſuorum miſerè ſuſtinuerunt, horum facultates cognatis reſtituendas eſſe pręcipimus. Eſt autem omnino cognitu facile, quibus uicinioribus inter cognatos hæreditates competant, cùm de his ipſæ leges conſtituant, et rationi congruum ſit eos ad ſucceſsionem uenire, qui & familiariores fuerunt, & ad hoc ultrò ſunt à morituris deſtinati. Si uerò nemo ex uicinioribus ſuperſtes fuerit, ita ut nemo adſit prædictorum ſiue Martyrum ſiue Confeſſorum, ſiue eorum qui ob talem cauſam ad exiliũ tranſlati ſunt, hęres, cuiuſq; loci eccleſia perpetuò deputata ſit ad huiuſmodi ſucceſsionis hæreditatem. Nec erit id ullo pacto graue mortuis, ſi eam ſortiãtur hęredẽ, cuius gratia omnis generis pertulêre labores. Neceſſariũ fuerit & hoc adijcere, quòd ſi prædictorũ ali qui de facultatibus nõnihil, quibus uoluerunt, largiti fuerint, rationi cõgruum eſt, ut

propria illis maneat possessio. Ne uerò error aliquis in hoc appareat edicto, sed in prõptu sit cuiuis quod æquum est cognoscere, sciendum est omnibus, siue agrum, siue domum, siue hortum, uel aliud quid prædictorũ possederint, bonum ipsis & utile fore, ut id confiteantur, & illis quàm citissimè restituant. Quapropter etiam si uideantur quidam illorum ex iniusta possessione multum tulisse emolumenti, huius repetitionem nos nõ iudicamus esse iustam: ita tamen, ut ipsi quantum & unde collegerint agnoscentes, peccato isti ignosci à nobis petant: ut simul & præterita auaricia huiusmodi emendatione destruatur: & maximus hoc Deus pœnitentiæ loco admittens, placatus erga eos qui deliquerunt reddatur. Etenim dicent fortè nõnulli, apologiæ sese uice excusantes, qui talium sunt facultatum possessores (si tamen dignum est, & fieri potest, ut tales appellentur) quòd impossibile fuerit ea tum temporis abstinere, cùm multifariũ esset omnium malorum spectaculum, quo tempore crebrę erant perditæq; ac temerè proiectæ publicationes eorum qui rei non erant, deinde & irremissæ persecutiones, ac facultatum distractiones. Si uerò talia uerba nõnulli obfirmauerint, & indesinentes admonitiones expectauerint, sentient id ipsis non fore impunè: præsertim cum nostri conatus tantopere ad seruiendũ Deo dirigantur. Periculosum itaque sit ea nunc retinere, quę antea pernicioſa necessitas accipere coegit. Alioqui necesse est quouis modo insatiabilem hanc auariciam, cùm rationibus, tum exemplis superare. Neq; enim ærarium ipsum, si quid prædictorum tenuerit, firmum retinere concedetur: sed, tanquã quod nihil ausit sanctis contradicere ecclesijs, quæ pro tempore non iustè possedit, ea iustè ecclesijs cedere patietur. Quæcunq; ecclesijs rectè cõpetere uidebuntur, siue domus sint quæ possidentur, siue agri, siue horti, siue alia qualiacunq;, nullo eorum quę ciuitatem hanc concernunt iure diminuto, sed cunctis integrè permanentibus, restitui præcipimus. Quin & ipsa loca quę martyrum sunt corporibus honorata, & monumenta glorioſi secessus existũt, quis nam ecclesijs competere dubitabit, imò non præcipiet etiam? quando nec melius sit donum, neque gratiosior labor, plusq; utilitatis habens, quàm diuino dirigẽte spiritu de his rebus esse sollicitum, ac quæ malis sunt prætextibus à flagitioſissimis uiris ablata, sanctis ecclesijs restituere ac uindicare? Quoniã uerò ad perfectam prouidentiã pertinet, neque illos silentio transire, qui iusta quid emptione ab ærario compararunt, uel ex dono gratis concesso obtinuerunt, atq; ad huiusmodi bona inexplebilem suam cõcupiscentiam extenderũt: sciant qui tales sunt, quòd tametsi per istam emẽdi audaciam, alienam à seipsis nostram sunt benignitatem reddere conati, illius tamẽ possibili ac decenti modo compotes fieri poterunt.

Aliud exemplum epistolæ Constantini ad Eusebium, de restaurandis ecclesijs.

¶ Victor Constantinus, Maximus, Augustus, Eusebio. Quàm ad hoc usq; temporis impia illa sententia, tyrãnideq; ministros Seruatoris persequente, cunctarũ sint ecclesiarum ædificia uel propter incuriam labefactata, uel metu imminentis iniquitatis uendibilia ac uilia reddita, cognoui, & accuratè persuasus sum, frater dilectissime. Iam uerò libertate reddita, ac Dracone illo à reipublicæ gubernatione maximi Dei prouidentia nostroq; ministerio expulso, cunctis arbitror manifestam esse factam diuinam potentiam, eosq; qui uel metu uel incredulitate in peccata quędam inciderunt, ac uerum bonum iam cognouerunt, ad ueram & rectam uitæ constitutionẽ accessuros. Quotquot igitur ecclesijs uel ipse prędes, uel alios suis quosque locis episcopos, presbyteros uel diaconos præesse nosti, admone ut diligentes sint circa ecclesiarũ structuras: ac uel existentes restaurent, aut auctiores reddant: uel ubi necessitas exigit, nouas ędificent. Petes uerò et ipse, & alij per te, à præsidibus magistratibusq; prouincialibus ea quę necessaria sunt. His enim scriptũ est, ut omni promptitudine quæ à sanctitate tua dicũtur, administrẽt.

Aliud exemplum epistolæ Constantini ad prouinciales Orientis.

¶ Victor Constantinus, Maximus, Augustus, prouincialibus per Orientem. Quæcunq; firmissimis naturæ legibus continentur, sufficientem cunctis, iuxta diuinam dispositionem, prouidentię & contemplationis sensum exhibent. Neq; reliqua est dubitatio aliqua his, quibus secundũ rectam scientiæ uiam ad scopum illũ mens dirigitur: ita ut sanæ rationis, & ipsius uisus exacta cõprehensio, unico uerę uirtutis momento ad scientiã Dei subuehatur. Quapropter nemo sensatus uir perturbabitur, si multos contraria proposita sectari uiderit. Fugit enim insipientes quæ sit uirtutis gratia, nisi è contrario peruersæ uecordiæ uitam malicia produxerit. Quare uirtutis quidem corona proposita est, iudicio uerò summus Deus pręsidet. Ego autẽ quàm maximè perspicuè fieri poterit, de spe quę in me est, uobis omnibus testificari ac confiteri conabor. Ego quidem Imperatores eos qui antehac fuerunt, propter morum ferocitatẽ, exortes Imperij ducebam: ac solus pater meus ea quæ mansuetudinis erant, Deum patrem admiranda pietate in cunctis suis actionibus inuocans, exercebat.

cebat. Reliqui uerò cuncti mentibus non sanis præditi, ferocitatem magis quàm mansuetudinem complectebantur: illamq; abunde suis quisq; temporibus fouētes, ueritatis doctrinam subuertebant. Vsq; adeò autem maliciæ ipsis uehemētia accensa est, ut cùm omnia tam diuina quàm humana tranquilla essent, intestina ab illis sint excitata bella. Apollinem tum temporis ex antro quodam ac tenebricoso secessu, non ex homine, respondisse ferebant, impediri se per eos qui iusti essent in terra, quo minus uera proferret: atq; ob eam causam fieri, ut falsę ex tripodis ederētur diuinationes. Et hoc uates, cum deiectos crines erexisset, diuinatione impulsa mortalibus causam esse malorum cōquerebatur. Sed uideamus quē ista consequuta sint finem. Te nunc altissimū Deum inuoco. Cùm adhuc puer essem admodum, audiui, quomodo qui id temporis primas apud Romanos Imperatores habebat, infelix, reuera infelix, errore seductus à satellitibus suis, qui nam iusti illi in terra essent, curiosę quæsierit: & aliquis ex sacerdotibus qui circa ipsum erant, respondens, Christianos esse dixerit. Ille uerò responso hoc quasi melle quodam uorato, gladios, contra scelera inuentos, contra irreprehensibilē sanctimoniam ac pietatem produxerit. Confestim igitur homicidis cruentorum, ut ita dicam, mucronibus mandata dedit, iudicibusq; præcepit, ut si quam naturalem haberent industriam, ad grauiorum eam suppliciorum adinuentionem extenderent. Licebat tum, licebat inquam cernere, cum quanta licētia honestas illa pietatis per assiduam crudelitatem, haud uulgares quotidie cōtumelias sustinuerit: ac temperantia, in quam nemo hostium unquam iniurius fuit, furentibus ciuibus debacchationis occasio fuerit. Qualis ignis, quales torturæ, qualis tormentorū species, nō cuilibet corpori & ætati indiscriminatim adhibebantur? Tū terra dubio procul collachrymabat, & mundus omnia cōtinens, cruore insperfus ac tinctus plorabat, ac dies ipsa stupore quodam ad luctum adacta cooperiebatur. Sed quid hæc sunt? Gloriantur nunc super illis barbari, qui tum fugientes à nobis receperūt, & benigna humanaq; captiuitate conseruarunt. Non enim salutē modò, sed & religionem illorum securā reddiderunt. Et iam Romana gens notam hanc & maculam continuè retinet, quam illi temporis illius Christiani Romano orbe pulsi, & ad barbaros profugi incusserunt. Quid autem necesse est de threnis illis ac communi orbis luctu plura cōmemorare? Mortui sunt postea & illi, qui scelerum istorum autores fuerunt: & ad continuum supplicium, Acherontis baratho turpissimo fine traditi sunt. Intestinis quippe bellis impliciti, neq; nomen neq; genus suū superstes reliquerunt: quod sanè ipsis non contigisset, nisi impia illa Pythiorum oraculorum diuinatio adulterinas uires habuisset. Te nunc maximum Deum oro, sis Orientalibus tuis clemens ac placidus, & cunctis prouincialibus tuis temporaria calamitate pressis, per me seruū tuū curam ac medelam adhibeas. Et hæc non temerè peto, ô Domine, Sancte omniū Deus. Tuis enim oraculis persuasus, res salutares institui ac perfeci, signiq; tui obiectu instructissimum superaui exercitum. Et si qua reipublicæ exegit necessitas, ipsa uirtutis tuæ symbola sequutus, aduersus hostes egressus sum: ob eam causam animam meam tibi obtuli, amore ac timore purè mundatam. Etenim nomen tuū syncerè diligo, potentiā uerò reuereor, quam multis indicijs ostendisti, ac fidem meam firmiorem reddidisti. Satago igitur, & humeros meos ipse submitto, ut sanctissimam domum tuam renouem, quā sceleśti illi & impijssimi importuna destructione uastarunt. Populum tuum pacificatū, & in tranquillitate firmum reddi cupio, idq; ad communem orbis cunctorumq; mortalium utilitatem. Parem cum fidelibus, ij quī errāt, pacis ac quietis fruitionem gaudentes accipiunt. Ipsa siquidem communicationis ac societatis restitutio, ad rectam etiam ueritatis uiam ducere potest. Nemo cuiquam molestus sit. Quisq; quod animo destinat, hoc etiam faciat. Debent autem rectè sapientes persuasi esse, eos solos sanctè ac purè uicturos, quos ipse ad hoc uocas, ut in sanctis tuis legibus recreentur. Si uerò seipsi uolentes abstrahunt, falsæ doctrinæ delubris adhęrentes, habemus nos illustrissimam ueritatis tuæ domum, quandoquidem secundum naturam dedisti. Optamus hoc etiā illis, ut communi uidelicet consensu, animi delectationem & ipsi reportent. Etenim religio nostra nec noua, nec recentior est: sed inde ab eo tempore, quo omnium constitutionē solidatā esse credimus, hanc cum cultu te decente mandasti. Falsum est autem humanū genus, & uarijs imposturis seductum. Tu uerò per filium tuum, ne malum nimium excresceret, pura luce accensa quosuis ut ad te ueniant admonuisti. Facta tua ista comprobant. Potētia tua insontes nos ac fideles reddit. Sol & luna legitimo cursu feruntur: nec astra inordinatum habent mundani circuli ambitum. Temporum uices legitimè reuoluuntur. Firma telluris cōstitutio uerbo tuo consistit, & spiritus tempore superinducto motum facit. Decurrēs autem aquarum fluxus, inexplebis fluctus mensura prolabitur. Mare firmis cohibetur finibus. Et quod unà cum tellure & Oceano extenditur, hoc totū

randis quibuſdam & utilibus emolumentis fabricatur: quod niſi ad tuæ uoluntatis arbitrium factum eſſet, dubio procul tanta differentia, tamq; multa poteſtatis diſcretio, cunctæ mortalium uitæ rebusq; uaſtationē induxiſſet. Siquidem inter ſeſe pugnantes aliquanto grauius, genus humanū impugnaſſent: id quod inuiſibiles etiam faciunt. Pluri ma ſit tibi gratia Domine, maxime Deus omnium. Quantum enim uarijs beneficijs humanitas tua innoteſcit, tantum ijs qui rectè ſapiunt, ſincerēq; uirtuti ſedulò ſtudent, diuini uerbi diſciplina cōmendatur. Verùm quiſquis curam illius auertit, alijs hoc non imputet. Etenim medendi ars medicamentis præſidēs, omnibus eſt manifeſtè propoſita: modò ne quis hoc labefactet, quòd purū eſſe debere res ipſæ admonent. Vtamur igitur mortales uniuerſi, præſtiti boni conſortio: hoc eſt, pacis bono, conſcientiam uideli cet ab omni contrario ſeparantes. Verùm nemo per hoc alium lædat, quod ſibi ipſi comprobatum eſſe perſuadet. Quod alius cognouit & intellexit, per id, ſi fieri queat, proximo profit: ſi uerò nequeat, deſinat. Aliud enim eſt, immortalitatis certamen prompto animo exercere: & aliud, cum ſupplicio cogi. Hæc autem, hæc inquam fuſius diſſerui, quàm mediocritatis meæ ſcopus exigebat: quoniā ueritatis fidem abſcondi nolo, præſertim ob id, quòd quidam (ut audio) templorum conſuetudines ac poteſtatem tenebrarum amputari queruntur: quod quidem omnibus conſulerem mortalibus, niſi uiolenta flagitioſi erroris rebellio, quorundam animis nimium eſſet ad communem ſubuerſionem ac perditionem infixa.

Hæc edicta, Euſebius indicat per ſingulas gentes ſcripta eſſe eccleſiarū præſidibus, ſtudio incredibili, in quo totus dies noctesq; erat Imperator, eripiendi omnibus hominib. errores idololatricos. Addit & hoc, ſummam Chriſtianæ pietatis Imperatorem omnibus omnium gentium prouincialibus miſiſſe: ac ueris rationibus ſubditos admonuiſſe, ut omnium Deum cognoſcerēt, ipſumq; CHRISTVM ſeruatorem palàm nuncuparēt, & amplecterentur. Quid, quòd & aliarum nationum reges & gentes ad pietatem & religionem Chriſtianam accipiendam adhortatus eſt? ut infrà dicetur.

Recitat autem hanc ſummam beneficiorū Conſtantini in Eccleſiam, Sozom. libro primo, capite octauo & nono. Primùm edixit, liberos reddendos eſſe, quotquot propter confeſsionem Chriſti, quoquo modo uel ad inſulas, uel ad metalla, publica opera, gyneceia, uel lanificia dānati eſſent. Deinde, eos qui infamia affecti eſſent, ab ea ignominia liberauit. Militari ordine & dignitate ſpoliatis, liberum reliquit, ut ſeu ad priſtinum ſtatum redirent, ſi uellent: ſeu honeſtè dimiſsi, in ocio & libertate uiuerent. Deniq; omnes ad libertatem priſtinam, & honores conſuetos reuocauit. Morte multatis, ſi quæ facultates ereptæ & publicatæ eſſent, earū hæredes propinquos & cognatos eſſe iuſsit. Si nulli ſupereſſent, hæreditatis ius eccleſijs eius loci conceſsit. At ſi uel priuatus aliquis, uel reſpublica, de illis facultatib. aliquid haberet, reddere iuſsit. Chriſtianos ſolos magiſtratib. fungi uoluit: reliquis interdixit, ne aut ſacrificarēt deinceps, aut diuinationibus & ceremonijs gentiliū uterētur, aut ſtatuas ponerent, uel gentilium feſta celebrarent. Correxit & mores Eccleſiæ detrimentoſos, per ciuitates, aut alioqui non ſatis honeſtos. Nam cubitus ille qui in Nili inundatione exigebatur, non amplius templis gentilium celsit, ſed ad eccleſias Chriſtianorum portabatur. Apud Romanos uerò publica cruenta ſpectacula prohibebantur, quæ certa lege Conſtantinus damnabat: & abrogabatur mos ille omnium turpiſsimus, quo apud Phœnices, qui Libanum inhabitabant, uſitatū fuerat, uirgines deſponſas, antequā ſponſis traderentur, ſtupro exponi. Eccleſiæ ædes, ſi quæ collapſæ aut deſtructæ fuiſſent, reſtaurabātur: ac ſi quæ minus capaces & anguſtiores eſſent, amplificabātur. Vbi uerò nullæ prorſus erant, ex ipſis fundamentis ſplendidè extruebantur. Ad quas res Imperator, ex Imperialibus theſauris pecunias ſuppeditabat. In qua re ſumptuoſus & profuſus plus ſatis fuit, à quo dehortari debebant eum epiſcopi: ſed ij immodicam in ornatus templorum ſuperfluos profuſionem tum laudabant. De publicis item tributariæ terræ prouentibus certum per ſingulas ciuitates uectigal ademit, idq; cuiuſque loci eccleſijs & cleris adiunxit: atq; eam munificentiam, ut perpetua & firma eſſet, lege ſanxit. Sed & ex proprijs theſauris liberaliſsimè & profuſiſsimè eccleſijs benefecit, opulentis eas & ſplendidis reditib. dotans: quē admodū libro primo & quarto de uita Conſtantini Euſebius ſcripſit. Quid autem de donatione Cōſtantini, ut uulgò appellatur, uano illo & impudentiſsimo quorundā nugatorum cōmento, qui pontificibus Romanis turpiter adulati ſunt, ſentiendum ſit, ſuo loco referemus.

Epiſcopi, ſi quid in ſynodis pium & utile conſtituiſſent, id confirmauit, & infringi à præſidibus prouinciarum noluit: dicens, Sacerdotes Dei quouis iudice probatiores eſſe. Militum præterea, ſi qui uetuſti, ut fit, erroris tenaciores eſſent, arma crucis ſymbolo ſignauit, ut paulatim ad ueri Dei agnitionem & cultum eos hac ratione deduceret.

Quos

Quos non ſolum Deum uerum inuocare ſedulò monebat, ſed etiam catechiſtæ munere quaſi fungi nõ ueritus, formulam illis certam precandi pręſcripſit, quam Euſebius recitat lib. 4. de uita Conſtantini. In palatio Imperatorio ædem conſtruxit, in qua, ſi domi eſſe liceret, de religione & cultu Chriſtiano exercitus & aulici docerentur. Ad expeditiones uerò bellicas, tabernaculũ ad templi formam ædificari curauit, quod militans circumuexit, ut neq; in ſolitudine orandi & colendi Deum occaſio & locus deeſſet. Diẽ Dominicum liberum à iudicijs & negocijs, excepta tamen agricultura (quemadmodũ in eius ipſa de re conſtitutione legitur) ac ut ſacrum ab omnibus coli mandauit. Obiter admonemus, additicium in Sozomeno uideri, quod de die feriato, eo qui ſabbatum præcedit, dicitur. nam neq; in lege, quam de Dominicæ diei ueneratione tulit, eius mentio fit: neq; Euſeb. meminit, qui in libro quarto de uita Conſtantini, eam de Dominica die conſtitutionem prolixè recitauit. Turpia deinde alia multa, antea à nemine prohibita, ut uagos & liberos cõcubitus, interdixit. Eccleſiarum deniq; miniſtros & clericos ubiq; locorum, immunes eſſe conſtituit.

Scholas eccleſiaſticas diligenter conſeruauit & adiuuit: nec eas ſolum, uerùm & illas in quibus bonarum artium literarumq; ſtudia propagantur. quas ualde curę fuiſſe Conſtantino, leges ipſius teſtantur: ut qui optimè iudicaret, etiã illarum ſcholarum beneficijs ſeu ſubſidijs Eccleſiã carere non poſſe. Extat eius de immunitate artes docentium, & mercede, humaniſsima lex, in hunc modum: Medicos, grammaticos, & alios profeſſores literarũ, & doctores legum, cum uxoribus & liberis, nec nõ & rebus quas in ſuis ciuitatibus poſsident, ab omni functione & ab omnibus muneribus ciuilibus uel publicis immunes eſſe præcipimus: & neq; in prouincijs hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, uel iniuriam pati: uel ſi quis eos uexauerit, pœna arbitrio iudicis plectetur. Mercedes autem eorum, & ſalaria reddi iubemus, quo facilius liberalib. & memoratis artibus multos inſtituant.

Quid porrò de illo dicendum nobis beneficio eſt, quòd libros ſacros quàm incorruptiſsimè deſcribi, eccleſijs proponi publicè, & poſteritati omni ad æternam memoriam relinquendos inſtituit? Imitatus ea in re prudentis & religioſi principis exemplum, cui ea cura non poſtrema incumbit, ut publicis ſumptibus Eccleſiæ libri deſcripti, in bibliothecis adſeruentur. Fecit id fortaſſe eo diligentius, quòd perſpiceret, quo animo & cõſilio ſuperiores tyranni ſacros libros exuri iuſsiſſent: nimirum ut libris ſublatis, facilius uniuerſa Chriſtiana religio corrueret. Fortè & hoc cogitauit, quantum damni & errorum in Eccleſiam irrepſiſſet ex eo ipſo, quòd Marcion, & alij hæretici, ſacras ſcripturas infinitis corruptelis adulteraſſent. Deſcribi igitur quàm accuratiſsimè libros ſacros, & ad poſteritatẽ reponi, & neceſſarium omnino iudicauit, & nihil ad cõſeruandam doctrinæ puritatẽ perinde facere prudentiſsimè cenſuit. Extat ea de re epiſtola ad Euſebium Nicomediẽſem, cuius exemplum Euſebius recitat libro quarto de uita Conſtantini, hoc modo:

¶ Victor Conſtantinus, Maximus, Auguſtus, Euſebio. Accipe animo promptiſsimo, quod ſit noſtrum propoſitum. Conueniens uiſum eſt prudentię tuæ ſignificare, ut quinquaginta membranas, operculis impactas, quæ & commodè legi, & propter uſum facilè portari queant, ab artificioſis librariis, artẽ eam exactè ſcientibus, ſcribi iubeas: idq; ex diuinis ſcripturis, quorum potiſsimũ inſtructionem & uſum ad doctrinam Eccleſiæ neceſſariò pertinere noſti. Sunt autem literæ à noſtra clementia ad uniuerſalem gubernatorem ad hoc miſſæ, ut cuncta ad parãdas haſce membranas accommoda exhiberi curet. Vt enim ſcriptæ hæ membranæ quàm citiſsimè parẽtur, tuæ ſolicitudinis opus erit. Conueniet enim, ut authoritate literarũ iſtarum, duorum publicorum miniſtrorum poteſtatem adhoc accipias, ut paratæ membranæ adferantur, uno ex diaconis eccleſiæ tuę id muneris obeunte: qui ſi ad nos uſq; peruenerit, benignitatẽ noſtram experietur. Deus te cuſtodiat, frater dilecte.

Sciens uerò Eſaiæ illud, fore ut Reges eſſent Eccleſię nutricij, liberaliſsima munificẽtia pauperes, ſeu adultos ſeu liberos qui à parentibus ali non poſſent, ex fiſco proprio iuuit: idq; ut ubiq; fieret, ad prouinciales legẽ miſit: in ore illud frequẽter habens, Opulentos ſubire publicas neceſsitates oportet, pauperes uerò eccleſiarũ diuitijs ſuſtentari. Hîc agros (inquit Euſebius libro quarto de uita Conſtant.) illic frumẽtorum largitiones, ad ſubſidium pauperũ, uirorum, puerorumq; orphanorum, ac mulierum miſerabilium largitus eſt. Denique & multa cum ſolicitudine nudis ueſtimẽta procurauit. Iuuit & pauperum ſcholaſticorum ſtudia: maiori tamen eos amore cõplexus, qui in ſacris literis ſtudium ſuum poſuiſſent. Euſebius ibidem.

Regia & hæc, ac commendatione digna liberalitas fuit, & beneficentia, quòd in omnibus Imperij ſui locis cenſus publicos diminuit, & quartam eorum partem agrorum dominis remiſit. Euſebius ibidem.

DE TVRBATIONIBVS ET PERSECVTIONIBVS *Ecclesiæ sub Constantino.*

SOpitæ iam erant per Constantinũ persecutiones, quæ ab Ethnicis prius Imperatoribus, præsidibus, & gentili populo, Christianorum corporibus inferebantur. In animas autem deinceps Sathan sæuijt, excitatis pugnis, & bello tristissimo ac funesto inter ipsos doctores, quo in orthodoxos, Arianæ sententiæ propugnatores uiolenter grassati sunt in orientalibus & Ægyptiacis ecclesijs: ut Theodoretus scribit lib. primo, cap. sexto. Datum autem eius contra pietatem belli signum & principium Antiochiæ primùm est, ab antesignanis & classicis duobus, Eusebio & Theogonio, quorum utrumq; synodus Nicena deposuerat: quod ipsum, simul & alia quędam ad Eusebij & Theogonij mores pertinentia, Constantinus Imperator Nicomediensibus hoc modo perscripsit.

¶ Quis imbuit talibus innocentem multitudinem? Nimirum Eusebius, crudelitate tyrânica initiatus. Fuisse enim semper transfugam sanctorũ, multis est uidere argumentis. Hoc enim partim cædes episcoporum, sed uerè episcoporum, testantur: partim grauissima Christianorum infectatio manifestè clamat. Nam de illius erga me contumelijs, nunc non loquar: quibus cùm sæuirent maximè aduersariorum concursiones, ipse oculos speculatores aduersum me intendebat, & propemodum armato ministerio præsto erat tyranno. Neq; quisquam arbitratus sit, non ad me hæc plana facienda paratum esse. Certissimum enim est indicium, quòd manifestò deprehendi à me contigerit presbyteros ac diaconos asseclas Eusebij. Sed hæc omittam, quæ nõ indignationis meæ, sed pudoris illorum gratia protulimus. Hoc autẽ exercet cogitationem animi mei, quòd intelligo uos ad societatẽ criminis uocari. De Eusebij enim institutione & peruersione, conscientia uestra à ueritate discessit. Medicina tamen non sera fuerit, si nunc saltem delecto episcopo fideli & integro, respexeritis ad Deũ: quod & in præsentia est potestatis uestræ, & iam pridem debuerat iudicio uestro perfectum esse. Ille, quẽ memorauimus, Eusebius, magnopere à quibusdã tum adiutus, huc peruenit, & impudenter rectitudinẽ ordinis acquisiuit. Sed cũ de hoc Eusebio charitati uestræ pauca scribenda sint, meminit patientia uestra coactam esse Niceæ synodũ, cui & ego reuerenter affui ministerio conscientiæ meæ, nullo alio consilio quàm ut omnes in concordiã redigerentur: utq; penitus redargueretur exterminareturq; negocium illud, motum Arij primùm Alexandrini dementia, confirmatum autem mox Eusebij absurdo & exitiali studio. Sed eundem illũ Eusebium, quo censetis, Charissimi honorabilissimiq;, discursionis labore, nempe conscientia superatum, quo ue pudore cum cõuicto omni ex parte mẽdacio conflictatum esse? subornauit enim diuersos, qui pro se apud nos deprecarentur: & ipse petijt auxilium nostrum, ne tanti delicti condemnatus priuaretur honoribus suis. Deum facio horũ testẽ, qui nobis bonitate sua perpetuò assit. Me enim etiam peruertit, & indecenter seduxit ille: quod uos quoq; scire debetis. Nã tunc omnia quæ uoluerat obtinuit, cùm maliciam animo suo penitus absconderet. Sed quæ nuper, ut alia præteream facinora prauitatis ipsius, cum Theogonio socio uesaniæ suæ designarit, quæso cognoscite. Imperaueram, ut Alexandrini quidam, quòd à fide nostra defecissent, huc mitterẽtur: nã illorũ ministerio dissensionum uidebatur flamma excitari. At isti honesti boniq; episcopi, quos semel synodi ueritas seruauerat pœnitentiæ, eos non receperunt, ut essent tuto apud se loco, sed uitæ suæ maliciam cum eis communicauerũt. Eam ob rem hoc cepimus aduersus ingratos istos consilium, ut iuberemus arreptos ipsos in remotissima loca deportari. Quod restat, uestrũ est, ea fide Deũ spectare, qua ubiq; hoc fieri soleat, quaq; esse transigiq; omnia deceat. Ita nos, si habeamus episcopos castos, orthodoxos, humanos, gaudemus. Quòd si quis audacter inconsulteq; ad memoriam, ad laudem pestium illarum exarserit: illius statim audacia, ministri Dei, hoc est mea, executione cohercebitur. Deus uos conseruet, fratres dilecti. Theodoret. libro primo, capite decimonono.

Sic igitur tum uterque honoribus priuatus, & ecclesia sua eiectus fuit. Sed Eusebi⁹ & fraudis & improbitatis suæ successu usus, cùm Constantinopoli Alexander episcopus decessisset, eum pręsulatum sibi rapuit, & in amicitiam Imperatoris denuò uenit. Cumq; apud eum frequens esset, hac eum aliquando fraude circumuenit. Fingit se teneri cupiditate ingenti & desiderio uisendi Hierosolyma, ubi magnificentissimum esset templi ædificium. Norat enim, earum rerum commemoratione Imperatorẽ delectari, & alioqui etiam amantem esse ad profusionem & luxum usq; structurarum. Eusebium igitur cum uehiculis, comitatu & cõmeatu dimittit. Abit ille, atq; in itinere Theogonium, socium improborum cõsiliorum suorum, adhibet. Venit cum eo Antiochiam, excipitur honestè & benignè, atque ut frater ab Eustathio eius loci episcopo amanter & reuerenter habetur: qui tum nihil minus suspicabatur, quàm insidias fieri sibi, aut uim ullã parari. Inde Hierosolyma pergũt. quò cum uenissent, socios suos inueniũt, Eusebium Cæsarienſem,

sarienſem, Patrophilũ Scythopolitam, Aëtium Liddæ, Theodotum Laodiceæ epiſcopum, aliosque aliquot Ariana labe infectos. Quibus conſiliũ ſuũ de turbis ſedandis Antiochiæ, & Eudoxio expellendo aperiunt. Conſentiunt illi, & Antiochiã unà abeunt, accuſationem ſycophanticam & calumnioſam Euſtathio intendunt. Conducunt infamem mulierculam mercede, inſtruuntq;, ut adulterij Euſtathiũ accuſet. Illa ad diem Euſtathio dictam ad iudices uenit, geſtãs infantem pendentem ab uberibus, eumque ſuſceptum & genitum ex Euſtathio coram iudicibus impudenter adfirmat. Euſtathius manifeſtam calumniã uidens, poſtulat, ut teſtem mulier aliquem producat. Illa, cùm ad eiuſmodi facta teſtes & inſpectores non admitti ſolere, ideoq; ſibi teſtem neminem eſſe diceret, dare iubetur iuramentum. Poſt quod iudices cum Euſebij factione ſentientes, Euſthium adulterij reum et conuictum pronunciant. Ad hæc mendacia & calumnias conductam & coactam ſe mercede, ab Euſebij factione, mulier poſtea graui & diuturno morbo correpta, ſacerdotibus ultrò confeſſa eſt. Adſunt in ea accuſatione alij multi epiſcopi, qui ſententiæ, ut iniuſtæ & uiolentę, apertè contradicunt: & Euſtathium, ne ei ſe ſubijciat, aut pareat, monent. Ita fabulæ iſtius ſcelerati compoſitores ad Imperatorem abeunt, accuſationem Euſtathij apud eum retexũt: eamq; ut ueram, & ſententiam condemnationis iuſtam, ei perſuadent: & exilium Euſtathio, ut adultero, conficiunt. Ac ſic in Illyricam quandam ciuitatem exulatum Euſtathius miſſus eſt. Theodoret. libro primo, capite uigeſimo, & uigeſimoprimo. Addit Athanaſius in epiſtola ad ſolit. uit. agent. Euſtathium cum ingenti turba presbyterorum & diaconorum in exilium eiectũ eſſe. Eoq; pulſo, & Arianis in eius locum ſurrogatis, pietatis ſyncerè ſtudioſi, populus & ſacerdotes, relictis eccleſiaſticis publicis conuentibus, priuatos cœtus habuerunt. Theodoret. ibidem.

Nec tamen odio & furijs Arianorum ſycophanticum hoc, & indigniſsimũ in Euſtathium facinus, ſatisfacere potuit. Erat enim Alexandrię Athanaſius, animo in ueritate defendenda præſenti & inuictoſemper prædi-tus, & conſtans. Quem quia impedimento ſceleſtis ſuis cõſilijs futurum uerebantur, ad eum propulſandum & reprimendum, quaſi ad turrim ingentem conuellendam, ut erat eorum flagitioſa audacia, accinguntur. Primùm apud Imperatorẽ eum accuſant, quòd tumultus & ſeditiones in Eccleſia excitaret, arceretq; ab ea qui ſe ei adiungere cum concordia uellent. Poſtea illi & epiſcopis quos ſub ſe habebat tale crimẽ impingunt, quaſi uinculis & carcere, plagis & uulneribus in alios ſęuirent, & templa ſuccẽdiſſent. Venit ad Imperatorem Athanaſius, innocentiam ſuam oſtendens: accuſatores uerò ſuos à cõſtitutionibus ſynodi Nicenæ defeciſſe, fidem rectã impugnare, & aduerſus rectè ſentientes ſeditiones & contumelias exercere, declarat. Sed alterius accuſationibus Imperator turbatus, ſtudio tamen conciliandi concordiam, Athanaſio ad hunc modũ ſcripſit: Accepta uoluntatis meæ cognitione, omnibus ad Eccleſiam accedere uolentibus, liberum ingreſſum permittito. Etenim ſi reſciuero, quòd aliquos eorum qui reſipuerunt, ab eccleſia prohibueris, aut ab illius ingreſſu depuleris, mittam eueſtigiò aliquem qui te meo iuſſu deponat, & aliò trãsferat. Sozom. libro ſecũdo, capite uigeſimoprimo. Sed hic eius cauſę euentus Euſebij, & qui cum eo erant, minimè probabatur.

Fortè tum in Ægypto & Thebaide factionem Meletius, quem Synodus Nicæna etiã depoſuerat, habebat: ex hac conductis aliquot, ne qua de ipſorum accuſatione ſuſpicio eſſet, perſuadet, ut ad Imperatorem celeriter abeant, & Athanaſium calumnioſe inſimulent exactionum, & tributi linearũ ueſtium, quo Ægyptijs moleſtus ſit: ex eoq; pecunias collectas mittat Philumeno cuidam, qui Imperatori inſidias faciat. Nec pudet eos affirmare, miſſam Philumeno eſſe arcam plenam auri ab Athanaſio. Quid ibi Imperator? Euocat Athanaſiũ Conſtantinopolim. attamen priuſquam eò deuenit, accuſationem ſycophanticam & crimen mendax deprehendit, Alypio & Macario presbyteris Alexandrinis falſam & confictam ſceleratè prorſus in Athanaſium accuſationem manifeſtè probantibus. Ita innocens declaratus Athanaſius, ſaluus dimittitur, & Alexandriã cum cõmendatione remittitur. Theodoret. libro primo, cap. uigeſimoquinto: Sozom. libro ſecundo, capite uigeſimo ſecundo. Exemplum partis epiſtolæ ad eccleſiã Alexandrinam pro Athanaſio, Theodoretus habet libro eodem, cap. uigeſimoſexto, hoc modo:

Non potuit improbitas iſtorũ, credite mihi fratres, nõ potuit nocere epiſcopo ueſtro. Nihil aliud ſtuduêre, quàm ut noſtris temporibus conſumptis, nullum haberent in uita pœnitentiæ ſpacium. quare uobis ipſis auxilio ſitis moneo, ueſtrum amorificũ ſtudiũ urgete, omnibus uiribus exagitate eos qui cupiunt abolere gratiam concordiæ ueſtræ: & reſpicientes ad Deum, mutuo amore uos complectemini. Ego ueſtrum epiſcopum Athanaſium libẽter uidi, ſicq; ſum allocutus, ut quem uirum Dei eſſe crederem.

Hoc igitur conatu fruſtrati Meletiani, ũnum & idem cum Euſebianis ſtudẽtes, ut è

medio

medio Athanasius tolleretur, synodũ ab Imperatore impetrant, duplici eum de flagitio apud eam accusantes. primùm, quòd sacrum poculũ contriuisset: deinde, quòd Arsenium clericum, seu episcopum de societate Meletiana, ut Theodoretus ait, interfecisset: brachiumq; eius, incantationis per id exercendæ gratia apud se seruaret. Hanc calumniam ipsi apud magistratꝰ certatim et studiose spargunt: & monachũ Ioannem quendam, ut similia de Arsenio ab Athanasio occiso mentiatur instruunt. Theodoretus narrat, eos dextram recisam de quodã cadauere, & reconditam in lignea arcula circumtulisse, & pro Arsenij dextra ostentasse etiã in synodo. Peruenit ea de re rumor ad Imperatorem. Iuuat Deus innocentiam Athanasij: qui explorato loco in quem Arsenium illi abdidissent, ueris tandem testibus Imperatori probauit, Arsenium adhuc esse in uiuis. Quin & in medium produxisse eum, ambasq; eius manus ostendisse: propter quod & ueneficij, & præstigiarum, quibus oculos hominũ falleret, Athanasius accusatus sit, Theodoretus narrat. Veniunt ex ea re in magnam perturbationem accusatores Athanasij, inter quos Achiab, qui & Ioãnes, à tribunali clam se subducit, et in tumultu orto aufugit. Socrates libro primo, capite uigesimo. Sic igitur accusationem iniquam eam Athanasius retudit. Cui per epistolam Imperator mandat, ut in ecclesia sua maneat, & officium suum faciat: insidijs uerò Meletianorũ nihil moueatur, quos & ipse norit turbatores esse, & pietatis ac disciplinæ hostes: de quib. quomodo pœnas secundum leges sumere possit, cogitaturus sit. Accipit hoc scriptum Athanasius, publicè legit, & Imperatoris uoluntatẽ prædicat. Meletiani igitur in metũ & periculũ ueniũt. Sozom. lib. 2, cap. 23. Theodoretus lib. primo, cap. uigesimonono, trigesimo, & 31. Socrates libro primo, capite trigesimo.

Nihilominus tamen synodus apud Tyrum, quã Athanasij, ut diximus, aduersarij ab Imperatore impetrauerant, quòd ad eam uocatus Athanasius non uenisset, indicta eũ causa condemnat, & depositionem ei decernit. Subscribit ei depositioni Arsenius paulo ante quàm à parte Meletianorum Hypselopolitanus episcopus esset factus, quem antea occisum ab Athanasio dixerant. Socrat. libro eodem, capite trigesimosecundo.

Athanasius tum ad Imperatorẽ Constantinopolim confugit, innocentiã suam, & præcipitem ac falsam Meletianorum condemnationem declarãs. Obiurgat igitur synodum per literas, eamq; ad se, ad cognoscẽdam causam, Constantinopolim accersit. exemplum literarum hoc est.

¶ Victor Constantinus, Maximus, Augustus, episcopis Tyri congregatis. Sunt à synodo uestra nescio quæ tumultuanter & importunè iudicata. Videtur ipsa quodammodo ueritas per turbulentam quandam, uestram uidelicet, ataxiã peruersa, propter contentionem contra proximum, quam insuperabilem esse uultis, non considerantes quæ Deo placeant. Verùm diuinæ prouidentiæ opus erit, etiam huius cõtentionis mala manifestè deprehensa dissipare: nobisq; perspicuum reddere, an ipsi in synodo collecti aliquam gesseritis ueritatis curam, & de occultis sine cuiusquam uel gratia uel odio iudicaueritis. Oportet itaque uos omnes festinanter ad meam uenire pietatem, ut quàm diligenter cuncta gesseritis, per uos ipsos declaretis. Qua uerò de causa ad uos ista scribẽda, uosq; ad me literis hisce uocandos iudicauerim, ex sequentibus intelligetis. Cùm Constantinopolim, agnominem nobis ac felicissimam patriam, ascenderẽ, & equo uecherer, subitò me Athanasius episcopꝰ in media uia publica, sacerdotibus quibusdã comitatus, quos secum habebat, præter expectationem sic accesit, ut & consternationis causam præbuerit. Testis enim mihi inspector omniũ Deus est, quòd ne cognoscere quidẽ eum primo aspectu potuerim, nisi nostrorũ quidam, & quis esset, & quam pertulisset iniuriam, narrassent. Cum audissem quæ illi mihi narrauerant, & ego quidem eo temporis articulo nihil illi loquerer, nec sermonis aliquid cum eo communicarem: ille uerò, ut audiretur peteret (quod ego ita recusabam, ut prope eũ æquo maiore parrhesia repelli ac profligari iusserim) nihil tum à nobis aliud fieri petijt, quàm ut uos huc ueniatis, ut præsentibus nobis necessariò quæ perpessus sit deplorare possit. Quoniam igitur hoc mihi rationi consentaneũ, & temporibus hisce conueniens uidetur, promptè ista ad uos scribi præcepi, ut cuncti quotquot synodum Tyri habitam cõplestis, sine mora ad pietatis nostræ castra properetis, ac re ipsa quàm syncerè ac rectè iudicaueritis ostendatis: idq; coram me, quem syncerum esse Dei ministrum, neque uos sanè negabitis. Per meum enim cultum, quem Deo exhibeo, omnia ubiq; in pace sunt cõstituta: & ab ipsis barbaris nomen Dei sincerè laudatur, qui hactenus ueritatẽ ignorarũt. Manifestum enim est, nec Deum ab eo cognosci, qui ueritatem ignorat. Attamen et Barbari, sicut iam dictum est, propter me, germanũ Dei seruum, Deum cognouerunt, reuereriq; didicerunt, quem me ubiq; quasi scuto quodam prouidẽtia sua tueri reipsa senserunt: unde potissimùm Deum esse sciunt, quem propter metum erga nos reuerentur. uos uerò, qui sancta Ecclesiæ mysteria prætexere (nõ enim dixerim custodire) uidemini,

uidemini, uos inquam nihil facitis, nisi quæ ad disidia & odia tendunt, & ut in summa dicam, quæ ad humani generis exitium uergunt. Verùm, sicuti iam dixi, properate ad nos uelociter omnes, persuasi quòd omnibus uiribus hoc perficere conabimur, ut quę in lege Dei comprehenduntur, præcipuè & illibatè custodiantur: quæ nec uituperium, nec ulla infamia interuertere poterit: dissipatis uidelicet, ac funditùs protritis, & omnino deletis legis inimicis, qui sub prætextu sancti nominis, diuersas ac uarias blasphemias infligunt. Socrates libro eodem, capite trigesimotertio & trigesimoquarto.

Veniunt igitur Constantinopolim, qui cum Eusebio, Theogne, Mari, Patrophilo, Vrsatio & Valente erant: ac priores accusationes in Athanasium, de poculo contrito, de mensa sacra euersa, de interfecto Arsenio missas faciunt, aliamq; uiolentam commini scuntur: quasi minatus Athanasius fuisset, se impediturum, ne frumentum quod ab Alexandria Constãtinopolim deuehi prius consueuisset, posthac eôdem mitteretur: ac nominant quosdã probatæ fidei episcopos testes, qui se id ex Athanasio audisse dixissent. Hæc demum efficax delatio fuit, suffulta scilicet eorum qui fide digni haberentur testimonio. Igitur ad iram cõcitatus Imperator, Athanasium exulatum ad Treuirensium ciuitatem proficisci iubet. Socrates libro eodem, capite trigesimoquinto.

DE PERSECVTIONE ECCLESIÆ *sub Sapore Persarum rege.*

SAporis nomen aliquot Persarũ reges habuerunt. Is uerò de quo nunc dicimus, Persarũ rex nonus fuit, qui patri Narseti in imperium successit, & in utero matris coronatus fuit. Initiũ Imperij eius Nicephorus libro septimo, capite uigesimo, in illud tẽpus reijcit, quo Galerius Maximinus in Oriente tyrannidem obtinuit, circa annum Christi CCCX. Imperauit autem annis LXX.

Crudeli eum fuisse ingenio, uel ex eo apparet, quòd nec à fratrũ persecutione, & supplicijs immanibus sibi temperauit. Alterum enim oculis priuauit, ut Zonaras scripsit: alterum Hormisdam nomine uinctum in carcerem coniecit.

Persecutionem in Christianos atrocem exercuisse eum, circa annũ Domini (ut Eusebius in Chron. annotauit) CCCXLVII, scriptores rerum huius seculi testantur omnes. Atq; eius quidem mouendæ autores & impulsores, Sozomenus scripsit eum habuisse Magos, qui apud Persas proximo, ut Xenophon indicat, post reges loco sunt, & Persarum religionem per successionem custodiunt. Magis uerò illis communes operas locarunt Iudęi, odio incredibili & furore immani aduersus Christianos flagrantes.

Coniuncti igitur ij, Symeonem quendam præcipui nominis in Persia episcopũ, apud Saporem calumniose accusant hoc nomine, quòd Imperatori Romano gratus esset, illiq; res quæ apud Persas gererẽtur proderet. Adhibet fidem eiusmodi delationibus Sapores, & Christianis suæ ditionis primùm tributa immodica imponit: sic fore ratus, ut inopia & tributorum graui onere adacti, religionẽ suam negligerent. Deinde sacerdotes & ministros Dei gladio necari, Christianorũ ecclesias subuerti, & sacra eorũ reposita publicari: Symeonem uerò, ut regni & religionis Persarum, quę Solis erat adoratio, hostẽ & proditorem publicè duci mandat. Magi statim Iudęorum auxilio, oratorias Christianorum ædes demoliuntur, Symeonem in carcerem conijciunt. Accidit ibi factum quoddam admirabile Vsthazaræ, regis ipsius nutritoris quondã, seu pædagogi, ut Nicephorus ait. Is posteaquã Christo nomen aliquando dedisset, postea defecit, regi gratificatus. Dum aũt ad carcerem Symeon ducitur, uidet eum sedentem fortè ad ostium regiæ domus: excandescit, & grauiter eũ increpat, quòd cogi se ad adorandum solem passus esset. Vsthazares hac obiurgatione uenerãdi senis motus, lapsum suum acerrimè dolet: & à Deo peccati ueniam precatus, professionem abiectã repetit. Res defertur ad regem. Conatur eum rex partim blandè, partim minaciter reuocare: sed nihil efficit. Respondet enim Vsthazares, se præter animi sui sententiã adorare uisum fuisse. Deinceps uerò tam stolidum & dementem se nunquam futurũ, ut Dei omnium cõditoris & opificis loco, culturus sit ea quæ ab ipso condita sint. Indignatus igitur rex, educi eum, & gladio cædi mandat.

Hebdomade deinde sexta ante pasionis Dominicæ diem, Christiani centum, quorũ alij episcopi, alij presbyteri, alij alijs ecclesiasticis dignitatibus ornati erãt, in carcere una die occidũtur. quibus adstans Symeon, forti eos iubet esse animo, differens illis multa de mortis sanctorum gloria, de resurrectione, et alijs quæ ad consolationẽ Martyrum facere uidebantur, quorum singula ex scripturis sacris probat. Moritur & ipse simul martyr, cũ Abedechalaa & Anania presbyteris.

Ananiam uerò ad constantiam hortatus Pusices, regius artifex, ex eoq; Christianus iudicatus, abripitur ipse quoq;, & crudele mortis genus perfert. perfossa enim circa τένοντα ceruice, linguam ipsi extrahunt. Atque hæc initia eius persecutionis dantur. Anno ineunte, die pasionis CHRISTI, crudelissimum Saporis edictum per uniuersam Persarum terram euulgatur: quo mortis damnantur, quotquot usquã se Christianos esse con-

feſsi eſſent. Offerunt ſe ſtatim edicti executores Magi, & Chriſtianos per omnem Perſiam ſtudioſiſsimè explorant, capiunt, torquent, & ſine ulla commiſeratione necant. Vidiſſes ibi quoſdã à nemine proditos, nec quæſitos, ſe ipſos ultro offerre, & Chriſtianos ſe eſſe confiteri, ne ſilentio negare Chriſtum uideantur. Innumerabilis igitur multitudo gladijs interimitur, nec Chriſtianis qui in ipſis regijs eſſent parcitur. Fortè inter eos etiam Azades eunuchus regi charus abripitur. Quem interfectũ rex percipiens, contriſtatur uehementer, & à communi & indifferenti illa Chriſtianorum trucidatione quieſcere mandat, perſecutionem uerò in ſolos Chriſtianæ religionis duces & doctores exerceri.

Arripiunt & hoc edictum, executuri pro atrocitate, Magi & archimagi: & per omnẽ Perſiam ſacerdotes, presbyteros & doctores Chriſtianorum capiunt, & adfligunt: maximè per regionem Diabenorum, quam uniuerſam Chriſtianam fuiſſe, ſuprà diximus.

Inter reliquos Perſarum martyres numeratur Trabula Symeonis filia, quam Iudæi apud reginam ægrotantem accuſarũt, quòd patris mortem ulciſci uolens, ueneficijs ſibi morbum paraſſet. Magi igitur eam cum aliquot alijs uirginibus captis condemnant, et medias eas diſſecant, partesq; diſſectas ſtipitibus alligant.

Martyr fit & Puſicæ filia. Alepſimas item epiſcopus, cum multis clericis: Iacobus preſbyter, Acepſimam ſecutus: Azadanas & Abdieſus diaconi.

Aithalas in tormentis nimium extenſus, brachiorumq; luxationẽ paſſus, manus poſtea mortuas ac pendulas circumtulit, ut ex aliorũ manibus cibum ori eius adhiberi neceſſe eſſet. Alij itẽ epiſcopi, ut Barbaſymes, Paulus, Gaddiabes, Sabinus, Mareas, Mociº, Ioannes, Hormiſdas, Papas, Romas, Maares, Agas, Bochras, (ſeu Bocchoris, iuxta Nicephorum) Abdas, Ioãnes alter, Abramius, Agdelas, Sabores, Iſaac, Dauſas: interfecti ſunt.

Alia denique innumerabilis multitudo presbyterorum, diaconorum, monachorũ, ſacrarum uirginum, aliorumq; qui eccleſijs in Perſia miniſtrauerant. Bicor item, cũ Maureanda chorepiſcopo, & clericis quos ſub ſe habuerat, ad ducentos quinquaginta.

Omnium uerò martyrum in Perſia interfectorum ſumma, circiter ſedecim millia uirorum ac mulierum fuiſſe dicitur, & præter illos multitudinẽ aliam innumerabilẽ. Hæc omnia ex Sozomen. lib. ſecundo, capite octauo, nono, decimo, undecimo, duodecimo, decimotertio, & decimoquarto retulimus.

Egit tum Chriſtianorum, ueluti diximus, cauſam apud Saporẽ Conſtãtinus ipſe, cum eos in Perſia ab impijs affligi accepiſſet, ut Sozom. ſcripſit libro eodem, capite decimoquinto. Sed utrum eius interceſsio aliquid mitigationis perſequutioni attulerit, certũ non legitur. Sozom. libro ſeptimo, capite uigeſimoprimo, etiam ſub Cõſtantio adhuc eam duraſſe ſignificauit. Exemplum epiſtolæ ad Saporẽ, præter Theodoretũ libro primo, capite uigeſimoquarto, Euſebius recitat libro quarto de uita Conſtãtini, hoc modo.

¶ Diuinam fidem ſeruãs, ueritatis lucem ſortior. Veritatis luce ductus, diuinã fidem cognoſco. Per ea igitur quibus illa res agendas confirmat, ſanctiſsimam religionem cognitam reddo, & hunc me cultũ doctorem cognitionis ſancti Dei habere confiteor. Huius Dei potentiam auxiliatricem nactus, inde à terminis Oceani orſus, totũ conſequenter orbem firmis ac ſalutaribus ſpebus erexi: cũ antea, quæcunq; Tyrannis ſeruiebant, quotidianis calamitatib. preſſa eſſent: & infirma. Hunc me Deum immortali memoria colere confiteor: hunc ſyncera ac pura mente, ſupremam poſsidentem poteſtatem, uehementer ſuſpicio: hunc genu flexo inuoco, cunctum execrabilem ſanguinem & odores ingratos & auerſandos fugiens, & omnem terrenum ſplendorem declinans: quibus omnibus ſceleſtus & obſcœnus error cõſpurcatus, multos gentiliũ ac totas gentes proſtrauit, & infimorũ ſortibus adiunxit. Quæ namque Deus omnium humanę prouidentiæ, propter Philanthropiam ſuam neceſsitatis gratia in lucem produxit, ea ad cuiuſuis libidinem trahi haudquaquam patitur: ſed puram duntaxat mentem & animam immaculatam ab hominibus exigit, & uirtutis ac pietatis facta ſecundum hanc probat. Delectatur enim probitatis ac manſuetudinis operibus, mites diligens, odio habens turbulentos, fidem amans, incredulitatẽ puniens, cunctã arrogantem potentiam confringens, contumaciam ſuperborum ulciſcitur, faſtu elatos funditùs ſubuertit, animo ſubmiſſo præditis & patientibus quæ condigna ſunt impertit. Ita & regnum iuſtum plurimi faciens, ſubſidijs ſuis cõmunit, ac prudentiam regiam pacis ac tranquillitatis ſtudioſo cuſtodit. Haud uideor mihi errare, frater, quòd hunc unum Deum omnium principem ac patrem cõfiteor: quem multi qui hic regnarunt, ueſanis erroribus ſubiecti negare conati ſunt. Sed illos quidem omnes tantum poſtremò ſupplicium abſumpſit, ut totum poſt eos mortalium genus calamitates eorum paradigmatis loco, illis qui poſt hos ſimilia æmulãtur obijciat. Horũ unũ eum fuiſſe iudico, quẽ ira Dei quaſi fulmẽ quoddã hiſce regnis pulſum, ueſtris partib. tradidit, qui turpitudinis hic apud nos ab ipſis perpetratę diuulga-

uulgatum reddidit tropæum. At bono hoc cecidit, eo quòd talium suppliciũ in hac nostri seculi parte cõspicuum exhibuit. Et ipse siquidem id in illis uidi, qui paulo antè infandis mandatis populum Deo cõsecratum confecerant. Quapropter multa sit Deo gratia, quòd perfecta prouidentia cunctũ mortalium genus, diuinam legem colens, reddita pace exultat & tripudiat. Hinc & nobis ipsis persuasi sumus, quòd optimè & securissimè habeant omnia, quòd per puram illorũ & probatam religionem, concordiamq; circa diuina cunctos ad seipsum aggregare dignatur. Quomodo me lætari putas, quòd istorum hominum, Christianorum dico, catalogum, potissimã etiam Persidis partem plurimùm, sicuti cupio, exornasse audio? Cedat igitur id tibi optimè, & illis similiter, & tibi inquam & illis. Sic enim omnium Dominum patrem Deum propitium ac clemẽtem habebis. Hos igitur tibi cõmendo, propterea quòd tantus es: hos ipsos, quoniã pietate quoq; insignis es, complectere: hos dilige, sicut tuæ cõuenit philanthropiæ. Et tibi enim ipsi, & nobis, immẽsam per fidem exhibebis gratiam.

DE PERSECVTIONE ET TRANquillitate *Ecclesiæ sub Constantio, Constantini filio.*

DEcedens post felicissimam gubernationem Constãtinus, sub annum Domini trecẽtesimum quadragesimum primũ, filios tres hæredes, & nepotem unum ex fratre reliquerat. Erat is Dalmatius Cæsar, felicissima indole, quæ patrem quàm proximè referret, præditus: sed qui nõ multo pòst tumultu militari, & Constantio patruele suo cõniuente potius quàm iubente, oppressus est. Constantinus uerò iunior, cum temerario bello cum fratre congressus esset, apud Aquileiam, triẽnio imperiali dignitate cum fratribus functus, occisus est, anno Domini trecentesimo quadragesimotertio. Constans Magnentij, qui per dolum Imperator factus erat, insidijs apud Helenam oppidum interficitur, anno ætatis suę tricesimo, Imperij uerò sui 13, Anno Christi 354. Hoc igitur modo Imperij summa ad Constantium solũ relapsa est. Hæc Eutrop. Victor, Eusebius in Chronicis.

Is Constantius, quamuis natura & ingenio regio præditus esset: simulatione tamen & impietate omnia, quantũ in ipso quidem fuit, repleuit. quemadmodum de eo Athanasius scripsit ad Solitarios, ubi & hæreticis in morem mancipij ad omnia eum obsequentem uocat. Dixit & Sozom. lib. 2, capite quinto, leuissimo Constantium fuisse animo, instabilitate (ut ipsius utamur uerbis) similis Euripo, & arundinibus à contrario uento agitatis. Talem etiam Constantij animũ fuisse, sequentia probabunt.

Ad naturam igitur improbam, mentemq; uagam, ac nequaquam sibi cõstantem, accesserunt etiam magistri improbi, peruersi scilicet sacerdotes, & eunuchi, qui quócunq; uolunt, leuem & uersatilem Imperatoris animum transuersum agunt & præcipitẽ. Quibus dum fidem habet, nimiumq; præter piũ & bonũ obsecundare & gratificari studet, autor est plurimarũ turbationũ & persecutionum, quibus ecclesias Ariani, ipsius fulti autoritate & præsidio, ubiq; terrarum miserandum in modum afflixerunt. Rufinus libro primo, capite decimoquinto.

¶ Sed dicemus obiter, qua'nam fraude primùm Arianismo implicari cœperit. Cum morienti Constantino filiorum nullus adfuisset, eo defuncto statim ex Orientis partibus Constantius accersitus uenit. Erant autem tum, ut diximus, præcipui factionis Arianæ duces, Eusebius & Theogonius. Hi eiusmodi dolo Constantium circumueniũt, & sibi demerẽtur. Instruunt suæ partis presbyterum quendam, qui primùm Constantini testamentum, in quo Orientis administratione Constantio delegauerat, ei exhibeat. Constantius, cui optatò Oriens contigerat, presbyterũ eum familiariter complectitur, & in aulam suam ingredi, quoties uelit, libere iubet. Fit hoc beneficium ipsi presbytero, atq; ijs à quibus sic instructus fuerat, occasio id quod maximè cuperẽt efficiẽdi. Primùm enim eunuchum, Imperatoris præcipuum cubicularium, cum reliquis eunuchis, dogmate Ariano inficit. Hi autẽ mox idẽ Imperatoris coniugi persuadent. Venit & ad Imperatorem ipsum hæc quæstio: oriuntur per totã aulam de fide disputationes: colloquuntur de ea eunuchi cũ mulieribus, quasi quæ (ut solent) flexibiliores essent: & fortasse meminerãt, per mulieres olim plurimùm profecisse hæreticos. Disputant inter se & milites, ac ciuitas tota. Deniq; per alias quoque prouincias hoc malum grassatur. Hinc igitur perturbationum fiunt plena per Orientem uniuersum omnia, excepto Occidente & Illyria, ubi synodi Nicenæ de fide constitutiones labefactari nolebant. Socrates libro secũdo, capite secundo. Interea Constantinus iunior, Athanasium à patre in exiliũ relegatũ reuocat, Anno Christi 348 (iuxta Eusebium) missis ad populũ Alexandrinũ pro Athanasio literis, quarum exemplũ hoc est:

¶ Constantinus Cæsar populo catholicæ Alexandrinæ ecclesiæ. Haud puto sanctæ mentis uestrę cognitionẽ latêre, ob eam causam Athanasium, solius adorandi Dei interpretẽ, in Gallias ad tempus esse missum, ne per prauorum peruersitatem, quoniam cru-

delium & hoſtium inimicorum eius feritas periculo ſacri ipſius capitis inhiabat, nefanda pateretur. Vt itaq; illa eluderetur, erept⁹ eſt faucibus uirorum qui illi inſidiabantur: iuſſusq; ita agere ſub meo principatu, ut in ciuitate hac, in qua cõuerſatus eſt, omnium neceſſariorum copiam haberet. quamuis uenerabilis illius uirtus, diuino confiſa ſubſidio, etiam aſperioris fortunæ moleſtiam nihili faciat. Quapropter, quoniam Dominus noſter beatæ memoriæ Conſtantinus Auguſtus, pater meus, eundem epiſcopum ueſtrę quidem amiciſsimę pietati remittere, ac ſuo loco reſtituere uoluit: humana tamen ſorte præuentus, antequam quod optabat perficeret, obdormiuit: cõſectaneũ arbitratus ſum, ut diuinæ recordationis Imperatoris uoluntatem ſucceſſor illius adimpleam. Vbi ueſtro hic potitus fuerit aſpectu, quantã ſit apud me conſecutus reuerentiam cognoſcetis. Haud enim mirũ eſt, ſi quid illius gratia feci. Etenim animũ meũ imago quędam deſiderij ueſtri, & tanti uiri aſpectus ad hoc me mouit, & inuitauit. Diuina uos prouidentia cuſtodiat, fratres dilecti. Socrat. lib. 2, cap. 3.

His igitur literis inſtructus Athanaſius, redijt Alexandriam, & à populo cupidiſsimè exceptus eſt. Mouebant eam ob cauſam continuas ſeditiones Ariani. Euſebius autem, Theogonius, & Theodorus Perinthi⁹, ad Imperatorem Conſtantium quotidie curſitant, plurima affirmãtes ex ea Athanaſij reductione mala exorta eſſe, quibus non Ægyptus ſolum implicetur, ſed & Palæſtina atq; Phœnicia, & aliæ gentes uicinæ. Nec aliam eſſe cauſam omnium eorum motuũ, quàm pertinaciam eorum qui pro nuſquam in ſcriptura reperta uoce digladiarentur, Conſubſtantialitatis. Reſtitutionem autem Athanaſij, ſeditionem interpretantur: quia in Eccleſiam, præter eius leges, & epiſcoporum iudicia, inuaſiſſet. Nec apud Imperatorem hoc fieri ſatis uidetur. ſed conuocat Euſebius, qui iam Conſtantinopolim translatus erat, ſynodum Antiochiæ, in qua hoc unum agit, ut communi ſententia Synodi de ijſdem crimi nibus Athanaſius accuſetur: nimirum quòd ſine conſenſu ſacerdotium recepiſſet: quòd ingreſſu ſuo occaſionẽ tumultui & ſeditioni præbuiſſet, in qua mortui multi eſſent: tũ quòd aliquos ipſe cõtumelioſe uerberaſſet, nõnullos etiam tribunalibus tradidiſſet. Socrates libro ſecundo, capite tertio & octauo: Theodoret. lib. 1. cap. 3. Sozom. lib. 3, cap. 2.

Oppugnatur confictis his criminibus leuiſsimus Imperatoris animus, & mandatũ dat de Athanaſio iterum expellendo. Mittitur igitur Alexandriam Syrianus præfectus militiæ, exercitu armato, & collecto (ut Athanaſius ſcribit) ex opilionibus, bubulcis, & forenſi uulgo: quem Ariani iuuant. uenit eò Syrianus, & agmen ſuum circa templum, in quo cùm Eccleſia ſua tũ Athanaſius erat, diſponit, Athanaſium comprehenſurus: ſed is pſallentiũ multitudine occultatus, intercanendum clam ex templo euadit, & Romã cõfugit. Perſecutio uerò nihilominus in omnes mouetur à Syriano, Philagrio, præfectis: & Araſcio eunucho. Mactantur alij, pedibus alij obteruntur, pleriq; conciduntur: multi in carcerem, multi in exilium conijciuntur. Fœminæ miſeris modis raptatæ ad tribunalia crinibus trahuntur, & contumelijs indigniſsimis afficiuntur: quorundam etiam bona in fiſcum compilantur, eam unam ob cauſam, ut ad Arianorum partes, & Gregorium, quem Imperator miſerat, accederent. Subſtituitur igitur in Athanaſij locum Gregorius: ſed id indigniſsimè ferebat populus Alexandrinus, adeò ut & ædẽ Dionyſij incenderet. Socrates libro ſecundo, cap. 11. Sozom. lib. 3. cap. 6. Athanaſius in epiſtola ad ſolit. uitam agentes, ubi quàm ſanguinolentum ac Deo hominibusq; inimicum epiſcopatum geſſerit, pluribus narrat. Epiſcopos enim per Ægyptum alios uirgis cædi, alios duriſsimis uinculis cõſtringi, alios (inter quos Saraſamnon fuit cõfeſſor) in exiliũ mitti curauit. Alius itẽ cõfeſſor Potamõ, qui altero oculorũ in perſecutione orbat⁹ fuerat, plagis ita cõcuſus eſt, ut pro mortuo ſit abiectus: tandẽ uerò ſpiritu per fomenta recollecto, paulo pòſt ex dolore & plagis mortuus ſit. Epiſcopi cuiuſdam matertera cruciatib. necata, ne humari quidem permiſſa, ſed inſepulta abiecta eſt.

In Apologia uerò ſua ad Conſtantium, de alia quadam militũ trium millium impreſſione facta in templum Chriſtianorũ die Paſchę, ſcribit idem: in qua uim atrocẽ fœminę & pueri paſsi, plurimi interfecti ſint, uirgines denudatæ, corporaq; plagis interfectorũ ſepulturę reddi negata, et canib. obiecta ſint.

Ibidem & nonaginta in Ægypto & Lybia epiſcopos pulſos fuiſſe narrat, ſedecim uerò in exilium actos: quorum omnium eccleſiæ Arianis traditæ ſint.

Proximè poſt Athanaſium, præcipuũ Eccleſiæ lumẽ tum Paulus erat, Conſtantinopolitanus epiſcopus: quẽ Euſebio circa hæc tempora defuncto, populus Conſtantinopolitanus in eccleſiam ſuam reſtituit. Cum aũt autoritatẽ iã adepti eſſent, qui prius cum Euſebio operas communicarant, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonius, Theodorus Heracleæ Thraciæ, Vrſatius Singidonenſis ſuperioris Myſiæ, Valens uerò Murſorum Pannoniæ ſuperioris epiſcopus: ea licenter abuſi, turbas multas triſtes in ea Eccleſia dederunt, per hoc maximè, quòd cum Conſtantinopolitani Paulum ſibi reddi expetijſſent, il

li Macedoniũ ui obtruſerunt. Hinc ſeditiones & turbę. Mittit tum Imperator Conſtantius Hermogenem prætorem Conſtantinopolim, ut Paulum eijciat. Perturbatur tota ciuitas: oritur ſeditio, Pauli iniurias uindicare uolentium. Hermogenes militari adſumpta manu, ædes eius circundat & incendit: ſed dum imprudentius contra Paulum ſæuit, à populo occiditur. Quam cædẽ cum audijſſet Imperator, uenit ipſe properans Conſtantinopolim, Paulũ ex urbe eijcit, urbem mulcta premit: & frumentario reditu, quo beneficio urbem eam Conſtantinus affecerat, priuat. Socrates libro ſecundo, capite duodecimo & decimotertio.

Fuerant unà cum Athanaſio & Paulo eiecti etiam Aſclepas Gazenſiũ epiſcopus, Marcellus Ancyranus, & Lucius Adrianopolitanus. Qui cum Romam ſimul ueniſſent, cauſas ſuas Iulio epiſcopo expoſuerunt, apud quem Euſebiani eos prius accuſauerant. Iulius autem intelligens, calumnijs & iniurijs iſta omnia agi, orientales epiſcopos, quaſi qui à decretis Nicæni Concilij diſcedentes, eccleſias turbarent, & iniuſtis iudicijs pro fide Nicæna decertantes expellerent, duriter reprehendit: atq; Athanaſio & Paulo, cæterisq;, qui cũ ijs expulſi fuerant, eccleſias ſuas reſtituit. Sozom. libro tertio, capite octauo.

Arianis igitur hoc iterum moleſtiſsimum accidit. Conuocant ſynodum Antiochiæ, & Rom. epiſcopum per literas uiciſsim obiurgant. De Pauli uerò reſtitutione Imperator, qui tum Antiochiæ erat, certior factus, ægerrimè eam tulit. Miſit igitur ad Philippũ præſidem, proximę poſt ipſum autoritatis, mandatum, ut Paulum urbe eijceret, & Macedonium in locum eius ſubſtitueret. Veritus autem Philippus populi, qui à Paulo totus dependebat, tumultum, arte quadam Imperatoris edictum exequi tentat: Paulum ad balneas honeſtè inuitat, ſimulans ſe de neceſſarijs rebus cum ipſo collocuturũ. Venit Paulus: edictum Philippus oſtendit, & clam per fores occultas Paulũ educit, ac naui ad id adornata exulatum Theſſalonicã mittit. Fert eam ſententiam pro re nata Paulus moderatè, ac ſe abduci patitur. Philippus Macedoniũ militari manu in eccleſiam inducit. Prohibent ingreſſum Homouſiani, & anguſtias obijciunt. Quas milites ſtrictis gladijs perrumpunt, protritis, cæſis & oppreſsis hominibus ter mille centũ & quinquaginta: Socrates libro ſecundo, cap. decimoſexto. Sozom. libro tertio, capite nono. Hæc ſic accidiſſe anno Chriſti 345, Euſebius in Chronico teſtatur.

Eodem tempore et in Athanaſium nouas calumnias Ariani ſtruxerũt: nimirum quòd reditus frumẽtarios pauperibus dicatos uenderet, ac in uſus proprios conuerteret. Iratus eam ob rem Imp. Athanaſio uehementer, mortem ei interminatur. Athanaſius minas eas ueritus, fuga ſibi conſulit: quem Iulius Rom. epiſcopus ſine periculo in Ægypto latêre minimè poſſe arbitratus, ad ſe accerſit. Scribunt ad Iulium Ægyptij aliquot epiſcopi, Athanaſiũ excuſantes, eaq; de quibus accuſaretur falſa eſſe probãtes. Fortè & Paulus Theſſalonica relicta in Italiam uenit, ubi uterq; cauſam ſuã Imperatori Occidẽtis Conſtanti exponit. Cupit quidem utrumq; reſtitui Imperator, ſed propter plebis motus aſsiduos nihil efficit. Petunt igitur qui cum Athanaſio & Paulo ſunt, Synodum: quã Sardicæ Imperator conuocat. Socrates libro ſecundo, capite decimoſeptimo, decimooctauo, & uigeſimo.

Conueniunt in eam ſynodum epiſcopi lecti & probatiſsimi quiq; 250. Adeſt & Athanaſius, Aſclepas, & Marcellus. Adſunt & qui eorum accuſatores & iudices antè fuerant: ſed qui conſtantia & ſanitate ſynodi intellecta, ſtatim ſe ſubduxerunt. Cum quorum improbitate etiam Conſtãtij leuitas fratri Conſtanti innoteſcit. Mittit is igitur ex ſynodo delectos ad eum duos epiſcopos, cum tribuno Saliano, & literis non monitorijs ſolùm, ſed & minacibus, ut Athanaſium in locum ſuũ reſtitui patiatur: aut niſi hoc faciat, uenturum ſe ipſum Alexandriam, & quod ab eo nunc petat effecturum. Veritus igitur fratris minas Conſtãtius, qui tum Antiochiæ erat, pollicetur facturum ſe quod uelit. Quæ res admodũ moleſta Arianis fuit, impulitq; ut ſceleſtũ quendam ludum epiſcopis illis præbuerint. Sed prius atrocia illa, quæ in fuga ſua Ariani deſignarunt, cõmemoremus: de illo ludo poſtea dicturi.

Primùm enim, cum Adrianopolitani eorum communionem, ut hominum nocentium & condemnatorum auerſarentur, rem eam ad Conſtantium, qui nunquam nõ quę uellẽt ipſi, fieri animo prompto patiebatur, deferunt. Is Adrianopolitanos capite truncari mandat. Effecerunt deinde, ut ab Alexandria in Armeniam duo presbyteri, & tres diaconi relegarẽtur. Arium porrò & Aſterium, alterum in Petra Palæſtinę, alterum in Petra Arabiæ epiſcopum, qui ab ipſis deſciuerant, non ſolum in ſuperiorẽ Africam relegarunt: ſed & ut cõtumelias paterentur, operã dedêre. Lucij porrò Adrianopoleos epiſcopi plurima aduerſus ipſos audacia utentis, & impietatem redarguentis, manus & ceruicem, iterum uti prius, ferro uinxerũt, uinctumq; in exilium deportarunt: ibiq; extinctus eſt. Diodorum quoque epiſcopum ſuis ſedibus expulerunt. Olympium item ex Aonis, & Theodulum ex Traianopoli, ambos epiſco-

pos Thraciæ, bonos & orthodoxos uiros, infensos hæresi, calumnijs impetiuerũt. Curauerunt & edicta fieri, quibus portus & introitus ciuitatum obseruari iuberentur, ne quibus à Synodo concessum erat, reditus in ecclesias suas patêret: simulq; diplomata ad iudices Alexandrinos nominatim de Athanasio & presbyteris certis impetrauerũt, ut siue Athanasius, siue quispiam ex eius amicis, urbes aut fines illos ingredi deprehenderetur, capite plecteretur. Circumcursitátes etiam, in quoscunq; inciderunt, qui uel fugam eorum carperẽt, uel hæresim auersaren tur, indignis modis modò flagris conciderunt, modò uinculis constrinxerunt, partim è natali solo expulerunt. Tantus deniq; terror eorum hominum fuit, ut multos coegerint ad hæresis simulationem: multosq; eo metu affecêre, ut maluerint in eremum defugere, quàm uel semel in illos incidere. Hæc fuerunt post fugam eorum audaciæ & insaniæ facinora: ut Athanasius ad solit. uit. agentes narrat.

Nunc quid spectaculi duobus episcopis à Concilio missis præbuerint, breuiter dicemus. Stephanus Antiochenus episcopus, qui hoc unũ agere pro more habebat, ut orthodoxos contumelia & iniurijs afficeret, per adolescentem quendam, perditissimum & audacissimum nebulonem (erat ei Onager nomen) scortum infame in hospitium illud, ad quod episcopi illi duo Euphrates & Vincentius diuerterant, uesperi clàm introduci curauit: & non procul ab illis ædibus constitui factionem, quæ per opportunitatem immissa, strepitum & turbas excitaret, quasi episcopos fornicátes deprehendissent, & improbos esse uociferarentur. quod & factum est. Mulier enim illa à iuuene scelerato in cubiculum usque ipsum, in quo episcoporũ alter Euphrates cubabat, introducta, & factio statim subsecuta est. Sed clamore orto, cùm ipsi, tum alij qui in diuersorio cubabant, excitati sunt. Ianua atrij, per quam ingressa factio erat, cõclusa, septem de illa comprehenderũt, mulieremq; ipsam simul. Quæ interrogata, à quo introducta esset, rem totã exposuit. Ductus deinde ad iudices, ex illis qui in diuersorio capti & comprehensi erãt, natu minimus, ultrò ac sine tormentis fabulam eam & compositionem scelestam omnẽ explicauit, Onagrum autorem esse cõfessus: qui adductus, fassus & ipse est, se, quicquid sit eius, fecisse Stephani iussu. Ita igitur Stephanus à Synodo depositus est. Constantius uerò, cognito tam flagitioso Arianorum scelere, ex eo de cæteris, si non iudicare, tamẽ suspicari cępit, æquiorq; multo quàm antea orthodoxis factus est: nec tam ueritus fratris minas, qui nisi Athanasio reditum ad ecclesiam suam concessisset, bellum se ei illaturũ significauerat, quàm re ipsa quæ improbitas esset Arianorũ partis edoctus, Athanasium per literas reuocauit. Theodor. libro secundo, capite nono & decimo: Socrates libro secundo, capite uigesimo secundo.

Exemplum Epistolæ Constantij ad Athanasium.

¶ Constantius Victor, Augustus, Athanasio episcopo. Vt plurimũ fluctuares, ac ueluti ferocibus maris fluctibus iactareris, non permisit nostræ serenitatis clementia: nec patrijs laribus spoliatum, ac proprijs rebus priuatum, inq; ferarum inuijs locis oberrãtem contempsit indefessa nostra pietas: quamuis maximè diu mentis meæ propositum scribere distulerim, expectans ut tuapte sponte ad nos uenires, ac laborum medelam ac solatiũ peteres. Verùm quoniam timore forsan uoluntatis tuæ impeditum est propositum, ob eam causam literas liberalitate plenissimas, grauitati tuæ misimus, ut intrepidè ac properè prẽsentiam tuam nostris aspectibus exhibere satagas, ut & uotis tuis potiaris: ac beneuolentiam nostram expertus, rebus tuis restituaris. Hac enim de causa dominum ac fratrem meum Constãtem Victorem Augustum tuo nomine hortatus sum, ut ueniendi tibi potestatem tribuat, quo utrisque nobis annuentibus patriæ restituare, & hoc gratiæ nostræ pignus habeas.

Alia eiusdem epistola ad eundem magnum Athanasium.

¶ Constantius Victor, Augustus, Athanasio episcopo. Quamuis tibi prioribus potissimũ literis significauimus, ut securè ad nostrum comitatum uenires, propterea quòd te ad propria mittere uolumus: nihilo tamẽ minus & istas literas ad grauitatem tuam direximus. Quapropter hortamur, ut sine aliqua diffidentia ac metu, publica uehicula ascendas, & ad nos properes, quo quæ cupis consequi ualeas.

Rursus alia, eiusdem ad eundem.

¶ Constantius Victor Augustus Athanasio episcopo. Cum in Edessa commoraremur, præsentibus tuis presbyteris, placuit nobis, ut misso ad te presbytero, ad comitatum nostrum uenire studeres: quò uiso nostro aspectu, confestim Alexandriam profici scerere. Verùm quoniam plurimum temporis interea præterijt, quo literis nostris acceptis ad nos nondũ accurristi, ob eam te causam etiam num admonere curauimus, ut uel nunc præsentiam tuam nobis uelociter exhibere studeas: atq; ita patriæ tuæ restitui, ac uoti tui cõpos reddi ualeas. Vt uerò plenissimam causæ huius expositionẽ habeas, Achetam diaconum amandauimus, ex quo & animi nostri uoluntatẽ, & ea quæ desideras consequi

sequi possis. Hisce epistolis Athanasius Aquileiæ acceptis (nam illic, posteaquã Sardica discesserat, commorabatur) ostendit eas Iulio episcopo, & ecclesiam Romanorũ maximo gaudio affecit. Videbatur enim & Orientis Imperator ipsorum consentire fidei, propterea quòd ad se uocaret Athanasium. Iulius uerò Alexandrinis clericis & populis de Athanasio ad hunc modum scripsit:

Exemplum epistolæ Iulij episcopi Rom. ad plebem & clerum Alexandrinum, pro Athanasio.

¶ Iulius episcopus, presbyteris, diaconis ac populo Alexãdriam incolenti, dilectis fratribus in Domino salutem. Congratulor & ipse uobis dilecti, quòd fidei uestræ fructum iam ob oculos expositum uidetis. Hocenim uerè in fratre & synepiscopo meo Athanasio fieri uideri licet, quem uobis Deus cùm propter uitæ puritatẽ, tum propter uestras preces reddit. unde cernere licet, quàm puras semper ad Deum & plenas dilectionis preces direxeritis. Memores enim cœlestium promissionum, & dilectionis erga ipsas, quã ex doctrina prædicti fratris mei didicistis, uerè cognouistis, & hoc secundum rectam quã habetis fidem intellexistis, quòd non perpetuò separandus à uobis ille fuerit, quem in pijs uestris mentibus semper tanquam præsentem habuistis. Non est itaq; mihi ad uos scribenti multis uerbis opus. Etenim quæcunq; uobis locutus fuero, eadem fides uestra iam antea percepit: & quæ communiter omnes precati estis, per CHRISTI sunt adimpleta gratiam. Gratulor itaq; uobis (ut hoc iterum dicam) quòd animos uestros inexpugnabiles in fide conseruastis. Et ipsi quoque fratri meo Athanasio haud minus congaudeo, quòd cũ multa sit tristia perpessus, nulla tamen hora dilectionis ac desiderij uestri oblitus est. Licet enim corpore ad tempus ũi sus sit à uobis esse diuulsus, spiritu tamẽ uobiscum perpetuò tanquam præsens egit. Et ego, dilecti, cunctam hãc inflictam illi tentationem nõ arbitror esse ingloriã. Per hanc enim & uestra & illius fides apud uniuersos innotuit, probataq; est reddita. Nisi enim tãta illi accidissent, quis nã credidisset uel uos tantum iudicij tantumq; dilectionis erga talem habere episcopum: uel illum tantis esse uirtutibus præditum, propter quas etiam à cœlesti spe non sit alienus? Consecutus igitur quodammodo est tam in presenti quàm futuro seculo, gloriosum confessionis testimonium. Multifariam enim cùm terra tum mari tentatus, cunctas Arianæ hæreseos insidias proculcauit: ac sæpenumero per inuidiam & insidias aduersariorum periculis iectus, mortem contempsit: ab omnipotenti uerò Deo ac Domino nostro IESV CHRISTO custoditus, simul futurum sperauit, ut & hostium insidias declinaret, & ad uestri consolationem restitueretur, uobisq; simul maiora ex uestra conscientia referret trophæa, quib. etiam ad terminos usq; totius terræ gloriosus apparuit, probatus scilicet in uita, & intrepidus proposito ac cœlesti doctrina: declaratus etiam, quòd immortali sit à uobis iudicio dilectus. Reuertitur igitur ad uos illustrior iam, quàm cum à uobis abiret. Si nãq; precioſas materias, aurum dico & argentũ, ad repurgãdum probat ignis: quid nam tanto uiro dignum dici poterit, qui tot ac tãtas tribulationes & pericula pertulit? Recipite ergo, dilecti fratres, cum omni secundũ Deũ gloria & gaudio, episcopum uestrum Athanasium, unà cũ illis qui cõsortes illius sunt: & uoti uestri compotes facti gaudete, qui pastorem uestrũ desiderantẽ, &, ut ita dicam, sitientem uestram pietatem, salubribus scriptis aluistis ac potastis. Vos enim in peregrinatione hac solatium illi fuistis, & profligatum ac insidijs malorum adflictum fidelissimis uestris animabus ac mentibus confouistis. Ego quidem iam exhilaror, cogitans ac mente præuidens uniuscuiusq; uestrũm de reditu illius gaudium, pietissimosq; multitudinis occursus, ac glorioſum concurrentium festum. Et quis erit uobis & qualis ille dies, quo redibit ad uos frater meus, cessabuntq; hactenus perpessa: & precioso reditu obtento, ad lætitiã quandã plenissimũ gaudium cunctos coniunget? Tale gaudiũ maximæ sui parte ad nos usq; pertinget, quib. & hoc diuinitùs concessum esse constat, quòd in cognitionem tanti uiri uenire potuimus. Terminemus igitur epistolã oratione, sicuti decet: Deus omnipotẽs, & filius huius Dominus ac seruator noster IESVS CHRISTVS, gratiam hanc uobis continuam præstet, prẽmiumq; mirabili uestræ fidei largiatur, quã circa episcopum uestrum glorioso testimonio ostẽdistis: ut & uobis & posteris uestris cùm in præsenti, tum futura uita meliora bona cõseruentur, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec ad cor hominis ascenderunt, quæ scilicet Deus his qui se diligunt parauit, per Dominũ nostrum IESVM CHRISTVM, per quem omnipotenti Deo sit gloria in secula seculorum, Amen. Salutem uobis opto, fratres dilecti.

Alia rursus Constantij Imperatoris epistola pro Athanasio, ad Alexandrinos, ut cum cupidè susciplant.

¶ Victor Constantius Maximus, Augustus, episcopis & presbyteris catholicæ Ecclesiæ. Non est gratia Christi destitutus uenerandissimus episcopus Athanasius: sed licet breui tempore humanę probationi subiectus, nihilo tamẽ minus debitam ab omniũ

gubernatrice prouidentia ſententiam retulit, ac uoluntate Dei, noſtroq; iudicio ſimul & patriam & eccleſiam, cui diuino nutu præfectus eſt, recepit. Oportet itaque, ut & reliqua conſentanea à noſtra illi clementia permittantur, ita ut quæ hactenus contra conſortes illius definita ſunt, obliuioni tradantur: & in poſterum omnis contra eum concepta ſuſpicio ceſſet: & immunitas, qua olim unà cum eo potiti ſunt clerici, competenter ipſis confirmetur. Quin & hoc gratiæ, qua in illum afficimur, addendum iudicauimus, ut quotquot ad ſacrum ordinem pertinent, ſecuritatem cunctis ipſi adhærentibus, ſiue epiſcopis ſiue clericis, datá eſſe ſciãt. Quàm autem recta quiſque ſit uoluntate præditus, ex eo ſatis declarabitur, ſi cum illo coadunetur. Quotquot enim plus habentes & iudicij & honeſtatis, huius ſe cõmunioni adiungunt, hos omnes ad ſimilitudinem præcedentis prouidentiæ etiamnum, pro uoluntate Dei, gratia à nobis præſtita potiri iuſſim⁹.

Alia item eiuſdem epiſtola, Alexandrinæ plebi miſſa.

¶ Victor Conſtantius, Maximus, Auguſtus, populo catholicæ Eccleſiæ quæ eſt Alexandriæ. Quoniam ubiq; huc ſpectamus, ut æquitatem conſeruemus: deinde haud ignoramus, quàm diu epiſcopali prouidentia priuatus ſit Athanaſius epiſcopus, uir omnib. cùm propter rectitudinem, tum propter ingenij morumque probitatem notus, ad uos eum remittere iudicauimus. Hunc pro more ac competẽter recipientes, & precibus ad Deum deſtinandis adiutorem cõſtituentes, concordiam & pacem, & uobis conuenientem & nobis placitam, ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem continuè ſeruare ſatagite. Neq; enim conſonum eſt rationi, ut diſſenſio aliqua uel ſeditio inter uos noſtrorũ temporum proſperitati contraria moueatur. Et hoc à uobis prorſus abeſſe uolumus: hortamurq; uos ô clariſſimi Alexandrini, ut præſule & adiutore ipſo, ſicuti prædictũ eſt, continuè utẽtes, in orationib. ad Deum pro more perſeueretis, ut huiuſmodi ueſtro propoſito ad cunctorum uota perueniẽte, etiam ex gentibus qui eidolorum errori etiamnum ſunt addicti, ad ſacræ religionis cognitionẽ promptiſsimè accelerent. Hortor itaq; denuò, ut in prædictis permaneatis, & epiſcopum decreto Dei ac noſtra ſententia miſſum cum gaudio recipiatis, & tota animi ſententia complectendum exiſtimetis. Hoc enim & uos decet, & noſtrę conuenire clementiæ conſtat. Vt enim omnis reluctatio & ſeditionis occaſio illis amputetur, qui maleuolentia utũtur: iudicibus, qui apud uos ſunt, per literas mandauimus, ut cunctos quos ſeditioſos deprehenderint, legũ uindictę ſubijciant. Igitur utrunque ſpectantes, cùm noſtram pariter & Dei ſententiam, & rationem uobis ac concordię ueſtræ cõſulentem: tum uindictã, immorigeris & inordinatis paratam: quæcunq; ſacræ religionis legi conueniunt & competunt cuſtodite, prędictumq; uirum omni reuerẽtia & honore afficite, ac preces omniũ Deo patri ſimul & pro uobis ipſis, & ut uitæ noſtræ bene uelit, deſtinare ſatagite.

Eiuſdem poſtrema epiſtola, de abolendis quæ in iudicijs contra Athanaſium fuerant geſta, ad Neſtorium & præſides in Auguſtomnica, Thebaide, Libya & Lycia.

¶ Victor Cõſtantius Auguſtus, Neſtorio. Si quid olim & hactenus geſtum inuenitur, quod ijs qui cum Athanaſio epiſcopo communicant, & noxium & cõtumelioſum ſit, id iam abrogatum eſſe uolumus. Miniſteriũ enim eccleſiæ publicum, quod clerici illius habuerunt, idem eos iam denuò habere decernimus. Volumus autem, ut hoc noſtrum mandatum cuſtodiatur, ita ut Athanaſio epiſcopo eccleſiæ reddito, qui illi cõmunicant, miniſterio utãtur quo ſemper ſunt uſi, quo utuntur & reliqui clerici, ut ad hunc modũ & ipſi habentes lætentur. Socrates libro ſecundo, capite uigeſimotertio.

His igitur literis fretus Athanaſi⁹, ad Orientem redijt. Vbi etſi amicè ab Imperatore exceptus eſt, tamen per ſimulationem eum egiſſe, inde apparet, quòd ab eo petijt, ut Arianis ſecum cõmunicare nolentibus, in ſingulis ciuitatibus templum peculiare concederet. Reſtituti ſimul eccleſijs ſuis ſunt, Marcellus Ancyranus, Paulus Conſtantinopolitanus, Aſclepas Gazenſis, & Lucius Adrianopolitanus, epiſcopi, ideo quòd à ſynodo recepti eſſent. Socrates ibidem.

Ariani uerò, qui fidem ueram, quod in ea Synodo clarum fiebat, oppugnarant calumnijs, uinculis, cędibus, uulneribus, falſarum literarum inſidijs, pulſationibus, nudationibus uirginũ, exilijs, expulſionibus & eccleſiarum incendijs, depoſiti ſunt. Theod. libro ſecũdo, capite octauo, ex epiſtola Synodi Sardicenſis.

Aderant etiam in Synodo qui uincula & ferrum promebant, quæ ſecum ab exilio, in quod ab Euſebianis expulſi fuerant, retulerant. Videbantur & cognati eorum qui uincti adhuc ab illis aſſeruabãtur, eorũq; amici quos trucidauerãt. Aderãt & epiſcopi, quorũ alij ferrũ & catenas ſibi ab ipſis impoſitas circũferebãt, aliqui & mortes calũnijs eorũ alijs illatas deteſtabantur. Eò enim furoris proceſſerãt, ut epiſcopos etiã interficere conati fuiſſent: & interfeciſſent, niſi eorũ manibus erepti eſſent. ſicut Theodulus Athanaſij presbyter, per calũniam eorum interfici

fici iussus, salutem sibi fuga quæsiuit. Aderant & alij ictus gladiorum ostentantes, alij famem toleratam conquerentes. Neq; harũ rerum uulgares homines, sed integræ Ecclesiæ testes erant, quarũ nomine legati qui eò uenerant, de militum gladijs, turbarum fustuarijs, iudicum minis, adulterijs, & subornatis falsis literis, documenta certa adferebant. Deniq; uis illa, quæ præcipuis totius Occidentis episcopis Osio & Liberio intentata est, indicio, quid alij pertulerint, esse potest. Athanasius Apol. 2.

Sic igitur ut profugis, & iudicium declinantibus, Arianis damnatis, & in suum locũ restitutis ijs qui ab ipsis prius pulsi erãt, deinceps omnia in tuto fore sperabatur: maximè cum ad se redijsse Constãtius, & Arianorum sceleribus cognitis, Orthodoxis (ut diximus) æquior factus uisus esset. Quæ res fecit, ut Athanasius per Orientem demũ proficiscẽs, per ciuitates omnes liberrimè doceret & moneret, ut Arianos, ceu pestes nocentissimas auersarentur, & homousion confitentes amplecterentur. Vrsacius uerò & Valens, qui se prius acerrimos Arianę hæreseos defensores, & Orthodoxorum persecutores prębuerant, errorem suum reuocarunt. Romamq; profecti, pœnitentiæ libellum Iulio episcopo exhibuerunt, ac doctrinę Homousij consenserunt. Socrates libro secundo, capite uigesimoquarto. Sed præterquã quòd nondum sublatum prorsus erat per ciuitates bellum, propter Athanasiũ & uocem Homousij, etiam illa quæ per restitutionẽ Athanasij & aliorũ salutaria Ecclesiæ & tranquilla eueniisse uisa omnibus fuerãt, breuissimo durarunt interuallo.

Constans enim à Magnentio tyranno in Gallijs occiditur. Nacti igitur Ariani opportunitatẽ, sublato scilicet Athanasij defensore, in eum iterum uiolenter sæuiũt, cum Imperium ad Constantium solum nunc peruenisse putaretur. Eum igitur, sibi nunquã constantem, denuò suo ueneno imbuũt, ac persuadent, ut quæcunq; paulo antè decreuerat, omnia mutaret. De Athanasio inducunt eum, quasi Ægyptum & Libyam omnẽ pertertat: & quia Alexandriam post Synodum Sardicensem repetens, in aliquibus ecclesijs ordinauerat: in crimen & accusationẽ illud etiam rapuerunt: quòd in alienis scilicet ecclesijs, ordinandi authoritatem per uim sibi usurpasset. Paulum uerò Constantinopolitanum seditionis (ut Theodoretus indicat libro secundo, capite quinto) & aliorum quorundam criminum calumniose accusabant. In eum igitur primũ Imperator leuissimus, denuò seductus, furorem suum declarat, & in exilium eum abripi iubet. quem in Cappadociam deportatum, illi qui abduxerunt, perfidè ac sceleste in solitudine strangulant. Socrates lib. secundo, capite uigesimoquinto, & uigesimosexto: Theodoret. in Apologia Athanasij libro secundo, capite quinto.

Post paulũ proximè expellitur Marcellus Ancyranus episcopus. Lucius uerò Adrianopolitanus cathenis uinctus, & in carcerẽ coniectus, in eo perit. In Athanasium deniq; adeò Imperatoris furor exarserat, ut interimi, adduciq; sibi seu uiuum seu mortuũ, ingenti mercede proposita præciperet. Occidi simul iussit Theodulũ & Olympium, in Thracia episcopos. Athanasius uerò de minis Imperatoris certior factus, per fugã euasit. Socrat. ibidem: Theod. lib. 2. cap. 14: Sozomenus lib. 4. cap. 2.

Paulo igitur hoc modo sceleste sicariorũ insidijs è medio sublato, Macedonius ecclesijs Cõstantinopolitanis denuò potitus est. Ibi demum tristissimũ contra Orthodoxos bellum, Macedonij insatiabili furore exortũ est. Munit is se confœderatione uicinorũ episcoporũ, & monasterijs multis, quæ Constantinopoli prius ipse constituerat. Ita qui cũ Paulo aut sensisse, aut sentire cognoscuntur, ex ecclesijs eijciuntur, ad communionẽ cum Macedonio adiguntur, æquè atrociter atq; olim tyranni ad statuas adorandas Christianos coẽgerant: multi uerberibus usq; ad mortem multantur, alij facultatibus, alij iure ciuitatis priuantur, alij stigmatis in fronte notantur: omnis deniq; generis contumelioſa supplicia & uariæ torturæ exercentur: sic ut nõnulli in tormentis mortui sint, alij in exilia abducti perierint. Quæ immanitas per totum quidem Orientem grassata est, atq; (ut Sozomenus scribit libro 4. cap. 27) per omnes gentes Imperij Romani, maximè uerò Cõstantinopoli. nã ibi Martyrius & Marcianus, quorũ alter hypodiaconus, alter lector fuerat, Pauli domestici, accusati falso, quasi autores fuissent occisi Hermogenis, trucidantur. Socrates libro 2. cap. 27. Sozomenus lib. 4. cap. 3.

Armauerat Macedonij rabiem Imperator ipse, qui ab eo postulatus, ut uastãti sibi Homousianorum ecclesias, opem ferret, lubens paruit: & Macedonium edictis instruxit, ut quicquid is pro libidine sua gereret, id se lege facere testari posset. Qua fiducia Homousianorũ ecclesias passim subuertit, Imperatoris se hoc edicto facere prætexẽs, subseruiente ad id ei manu militari, ubicunq; sæuiret.

Nec enim eos solum qui ecclesiæ accensebantur adflixit, sed & Nouatianos: quorum templum, quod Cõstantinopoli habebãt, destruxit: ipsos uerò intolerabilibus supplicijs, quia secum communicare nollent, affecit. Quibusdam ligno uiolenter os aperuit, & mysteria imposuit: mulieres uerò & paruulos

paruulos ſimul raptos initiari compulit. Si quis uerò uel recuſabat, uel cõtradicebat, ſtatim plagas, uincula, carceres, aliaq; tormenta experiebatur. Si mulieres communicare noluiſſent, ubera earum arcis compreſſa abſcidit: alijs eadem partim ferro candenti, partim ouis ad ſummum feruorem igne toſtis exuſsit. Erat tum Nouatianorum epiſcopus quidam Alexander Paphlagon, qui plagis in carcere cõfectus interijt. Et Auxanon presbyter, qui ab Arianis multa atrocia pertulit. Quod ſe ex ipſo audijſſe Socrates teſtatur lib. 2. cap. 28. Sozomenus libro quarto, capite uigeſimo.

Similis per omnia Eleuſij erat furor, quem Cyzicorum eccleſiæ Macedonius epiſcopatum nactus præfecerat. nam & is Chriſtianos undiq; pellebat, & ſubuertebat. Nouatianorum uerò eccleſiam, quam Cyzici habebant, ſolo æquauit.

Macedonius, cum Mantini in Paphlagonia plurimos eſſe religioni Nouatianæ deditos comperiſſet, quatuor militum cohortes ab Imperatore impetrauit, & in Paphlagoniam miſit: cum quibus apud Mantinũ Nouatianorum multitudo, zelo religionis ſuæ accenſa, congreſſa eſt, pro armis utens ſecuribus, falcibus, clauis, alijsq; quæ furor minitraſſet. omnes eas cohortes, militibus paucis exceptis, interfecit: plurimis tamen Mantinenſium unà occumbentibus. Id ſe ex Agrio Paphlagone, qui ei pugnæ interfuit, audijſſe Socrates ſcripſit ibidem: & narrat Sozomenus lib. quarto, cap. 21.

Talis denique Macedonij rabies fuit, ut etiam Imperatorem ipſum, cuius tamen permiſſu, iuſſu, præſidijs & autoritate hæc deſignabat, offenderet: præſertim eo facto quod Conſtãtinopoli oſſa Conſtantini ex ea æde in quã primùm collocata fuiſſent, in aliam tranſtulerat, repugnantibus pleriſque ciuibus, qui per religionem id minimè fieri contenderant: adeò ut & ad arma & pugnas res deuenerit, tantaq; multitudo in concurſu & ſeditione ob eam translationem orta, interfecta ſit, ut ueſtibulũ illius ædis & porticus contigua ad plateam uſq;, ſanguine repleta ſint. Socrates ibidem: & Sozomenus lib. eodem, capite uigeſimo.

Erat inter perſecutores Homouſianorũ, cæteris immaniſsimis nihilo mitior Sebaſtianus dux exercituum, profeſsione Manichæus: qui ſingulorum locorum præpoſitis & militaribus præfectis literas miſit, ut epiſcopos ueros perſequerẽtur, ac pro illis ſuffragatores hæreſeos in eccleſias introducerent. Quod & factitatum ab illis ſedulò eſt. Relegarũt enim epiſcopos ſenes admodum, & qui per multam ætatem epiſcopatus geſſerãt: ut Ammoniũ, Muim, Pſenoſirin, Ilamona, Plenem, Marcum, Athenodorũ, Dracontium, Philona, & alios quorum catalogum Athanaſius texit in epiſt. ad ſolit. uitã agentes. Nec eorum quidem qui aduerſa laborabant ualetudine, miſerti quicquã ſunt. Sed ſi qui propter imbecillitatem iter ferre non poſſent, eos lecticis deportari curarunt: addentibus qui ponè eos laſſos & ægros, ob mortis periculum, cum inſtrumentis funeralibus ſequerẽtur. Ex quorum certè numero extinctus unus eſt, cuius ne cadauer quidem ad ſuos reportari permiſerunt.

Si qui uerò in pauperes & uiduas beneficij aliquid & pietatis exercerẽt, ſtatim ut rei ad tribunalia pertrahebantur, ac damnabantur, & uerberabantur, curãte ſibi gratum eiuſmodi ſpectaculum Sebaſtiano: ideo quòd apud Manichæos miſericordia nulla eſt, ac pro re hoſtili habetur beneficium & commiſeratio. Athanaſius ibidem.

Is igitur Sebaſtianus Georgij Cappadocis immanitatem, Scythica quamuis & tyrannica crudelitate atrocioré, de qua nobis nunc dicendum eſt, ſtrenuè adiuuit. Fuerat Georgius eccleſiã Alexandrinã ingreſſus, quemadmodum in ouile lupus: cum Athanaſius certior factus de ijs quę in mandatis de ſe occidendo Imperator dediſſet, fuga ſibi conſuluiſſet. Mox igitur non Athanaſij ſolum abnegare ſocietatem & communionem, ſed & patrum fidem abiurare, quoſcunque poſſet, coegit. Sed quæ in primo ſtatim congreſſu deſignarit, ex ipſa Athanaſij narratione in epiſtola ad orthodoxos audiamus. Venerat Alexandriam in quadrageſima, cum præfecto Ægypti, qui literas in ſpeciem edicti publicè mox propoſuit, quibus declarabatur, Georgium ſucceſſorem Athanaſio datũ eſſe. Quæ res perturbauit omnes: grauiterq; id omnib. ferentibus, ecce Philagrius iam olim in Eccleſiam & uirgines iniurius, per id tempus præfectus Ægypti, olim transfuga noſtræ religionis, Georgij cõterraneus, homo nequaquam ſpectatis moribus, fretus magiſtatus ſui autoritate, præſidioq; ad quiduis audendum promptus, & quia apoſtata, in Eccleſiam infeſtus, & præceps, ethnicas tribus, Iudæosq; item atq; alios proteruos homines adhortatationibus, magnisq; promiſſis, quæ ſecundum pacta pro opera præſtita bene perſoluit, aduerſus Eccleſiam inſtigatos, cuneatim cum gladijs et fuſtibus contra populos in eccleſias immittit. Iam quid inde euenerit, non ſimplicem poſthac ſermonem requirit, quũ ea res nec ſatis dignè explicari queat, aut ſine lachrymis & planctu uel ex minima parte recenſeri. Vbi enim apud priſcos talis tragœdia? aut quid ſimile in bello & perſecutione factum eſt unquã? Siquidem & eccleſijs & baptiſterijs flammæ

iectæ. Magnus igitur luctus, eiulatus & planctus per ciuitatem. Ciues ea quę ageban tur indignè ferre, occlamare præsidi, uim ,p teſtari, eo quòd uirgines ſanctæ & incontaminatæ nudatis corporibus nefaria pateren tur: ijſdemq; ſi contumacius obſiſterent, pe riculum capitis ingereretur: monachi pedibus obtriti expirarent: alij fiſco addicerentur, alij gladijs fuſtibusq; mactarentur, alij uulneribus plagisq; malè mulctati diſcederent. In ſacroſanctam autem menſam (proh) quanta impietas & facinora commiſſa? Vidiſſes enim eos aues & nuces pineas immolare, idola ſua laudibus efferre: in Dominum noſtrum Saluatorem IESVM CHRISTVM & filium uiuentis conuicia, uerborumq; cõtumelias iacere: ſacros ſcripturarũ libros, quos in eccleſijs inueniebant, comburere: in ſacrũ baptiſterium (proh ſuperi) Chriſticidas Iudęos & atheos Ethnicos, nulla cum reueren tia ingreſſos, eam uerborum factorumq; turpitudinem nudatis corporibus deſignare, ut pudendum abominandumq; ſit relatu. Nec defuêre impij homines, æmuli acerbiſsimorum perſecutorum, qui uirgines, continentesq; iniectis manib. traherent, raptarent, & ad blaſphemiã, dominiq; abnegationẽ cõpellerẽt: eosq; qui id facere recuſarẽt cõciderẽt, pedibusq; obtererent. In hoc genere introitus ſui ſplendidus ille & perquam egregius Georgius, lætus de iſtis malis, ſimulq; mercedem præmiaq; pro hac tam ſcelerata uictoria, Ethnicis, Iudæis, cæterisq; quorũ opera ad talia uſus erat, diſpenſans, in prædam rapinasq; eccleſiam dabat. Semel autẽ iſtiuſmodi genere ſcelerum & licentia data, multa tetriora quàm in bello, crudeliora quàm in latrocinio committebantur: quum & iſti obuia diriperẽt, illi in cellis repoſita diuiderẽt, magnamq; copiã uini aut ebiberẽt, aut effunderent, aut aſportarent, oleumq; reconditũ prædarentur, fores cancellosq; tanquam reiectamenta geſtarent, & candelabra inibi ad parietem deponerent, cereosq; eccleſiæ idolis adolerent. In ſumma, magna ubiq; in eccleſia depopulatio, & plurima mortis imago. non tamen ad iſta impij Ariani ullo pudore commouebantur, quin terriora adhuc, atrocioraque accumulauêre. Vidiſſes enim presbyteros & laicos in ius trahi: uirgines à cœtu ſuo diuulſas, ad tribunal præſidis raptari, & in carcerẽ cõijci: alios fiſco addici, alios flagellis cædi, panes ſacrificiorum miniſtris & uirginib. interdici. Hæc autẽ ſub Paſcha, in ſacra quadrageſima acta ſunt, per quod tempus ieiunijs dediti erant. Interim egregius ille Georgius, arrogatis ſibi moribus Caiphæ, cum præſide Pilato, contra pios Chriſti cultores debacchabatur. Certè ipſo die Paſcheues, ingreſſus in quandam eccleſiã cum duce et præſide Ethnicorum populorum, intellecto hominum odio, quo illius uiolentum introitum auerſabantur, authorem conſuaſoremq; ſe præbuit crudeliſsimo præſidi, ut eadem hora triginta quatuor uirgines, & matronę item, uiriq; ingenui publicè flagellis cæderentur, & in uincula conijcerentur: inter quos uirginem quandam ſtudioſam literarum, & adhuc Pſalterium manibus retinentem, publicè flagellari iuſsit: ereptus uirgini à carnificibus liber, ipſa autem poſt flagra in carcerem recluſa eſt. Irruens rurſus poſt Paſchatis ſeptimanam, militari manu, uirgines in carcerem abripi, epiſcopos à militibus uinctos duci, pupillorum uiduarumq; ædes populari, noctu in Chriſtianorũ ædes irrui, Chriſtianosque extrahi, ædesque ipſas obſignari iuſsit. In hebdomade deinde poſt Pentecoſten, cum ad orandũ populus in cœmiterium conueniſſet, ideo quod à communione Georgij in templo abhorreret, ſcelerati ſsimus ipſe, Sebaſtianũ copiarum ducem, de quo diximus, ad arma & uim faciendam incitat. Qui non cunctatus, militarem illico manum cogit, ac telis infeſtis, gladijs, arcubusq; irruptionem in cœtum orantem facit, uirgines nudas ad ignem in media urbe excitatũ adducit, fidemq; abnegare iubet. Sed cum inuitas eas animaduerteret, facies earũ ita contudit, ut aliquandiu cognoſci, à ſuis etiam, non potuerint.

Quadraginta deinde uiros comprehenſos nouo ſupplicio laceravit. Virgis enim palmeis, aculeos ſuos adhuc habentibus, terga eorum ita cæcidit, ut alij ſæpius à medicis, ob tenacius inhærentes aculeos, fruſtra curati ſint: alij curationem non ferentes, interierint. Cæteros uerò omnes, quotquot cõprehendit, in magnam Oaſin relegauit. Corpora interfectorum reddi ſuis noluit, ſed occuli inhumata iuſsit: collocatis ad ſepulchra occluſa cuſtodibus, ne quis mortuorũ locum habere poſſet. Athanaſ. apologia de fuga ſua: Socrat. libro ſecundo, cap. uigeſimooctauo: Theodoretus libro ſecundo, capite decimoquarto.

Interea Ariani, Imperatori ſequaci & flexibili ad quodcunq; ipſi uellent, perſuadent, ut Synodum cogat Mediolani: in quam Orientales conueniunt, & de extrema in Athanaſium ſententia, qua ne unquam ad Eccleſiam ſuam patêre ei poſſet aditus, deliberare inſtituunt. Dionyſius uerò Albæ metropolis Italiæ, & Euſebius Vercellẽſis epiſcopus, Rhodanus & Lucifer, cum Occidentales reliqui, quorum ad trecentos in eam Synodũ conuenerant, ſiue metu, ſiue ſeductione, ſiue ignorantia ueri conſenſiſſent, dolum ſubeſſe, nec tam Athanaſij exitium quàm fidei totius euerſionem ſtudioſe quæri ſentientes,

ex

ex Synodo abeunt, & ab Imperatore postea exilio multantur. Socrates libro secundo, capite trigesimosexto: Sozomenus libro quarto, capite nono. Scribit & Theodoretus libro secũdo, capite decimoquinto, postulasse Imperatorem ab ea synodo, ut Athanasio ex Ecclesia proscripto, aliam fidei formulã, quitum ad eam Synodum cõuenerant, exponerent. Sed id tantum abest ut fecerint, ut etiã Imperatori præsenti insultarint, palàm impium ipsius & iniustum imperiũ coarguentes: ob quam rem Ecclesijs eiecti, & in ultima orbis terrarum loca relegati sunt: Liberius scilicet episcopus Romanus, Paulinus metropolitanus Galliarum, Lucifer metropolitanus Sardiniæ, Osius Cordubensis, Hilarius, alijq;, nullam aliam ob causam, nisi quòd à secta Arianorum alieni essent, & contra Athanasiũ subscribere noluissent. Quod ita euenisse anno Christi 360, Eusebius in Chronico indicat. Iisq; Pancratium Romanum presbyterum, & Hilarium diaconum adnumerat. Sed libet exemplum admirabilis illius sermonis, quẽ cum Imperatore Liberius habuit, obiter hic inserere.

¶ CONSTANTIVS Imperator inquit: Nos, quòd Christianus esses, dignum te iudicauimus episcopatu urbis nostræ. Et ideo accersiuimus, ut hortaremur te, nefarię dementię impij Athanasij abnegare societatem. Hoc enim orbis terrarum cõprobauit, & decreto synodi alienũ ab Ecclesiastica societate pronunciauit. LIBERIVS episcopus inquit: Imperator, Ecclesiastica iudicia cum summa iustitiæ obseruatione fieri debent. Quare si tuę pietati placet, iudicium cogi impera, ubi, si damnandus Athanasius uideatur, sententia in illũ ordine modoq; Ecclesiastico feratur. Nam fieri nequit, ut condemnetur à nobis, de quo iudicium datum non sit. CON. Imperator inquit: Totus orbis terrarũ cõdemnauit scelera illius, sed ipse à primis temporibus omnes eludit. LIB. episcopus inquit: Quotquot subscripsere, haud ipsi uiderant quæ facta essent: sed gloriæ & metus, & à te infamiæ causa. IMPERATOR: Quid est gloria, metus, infamia? LIB. Quicunq; gloriam Dei non diligentes, præferentesq; illi munera tua, quẽ nunquã oculis aspexerant absq; iudicio cõdemnarunt. quod est Christianis indignum. IMP. Atqui coràm est condemnatus in Tyria synodo, & cõdemnatus quidem ab episcopis omnibus totius orbis terrarum. LIB. Coràm ille nunquam est condemnatus. Quotquot enim tunc conuenerunt, & eum damnauerunt, fecere hoc nulla ratione, cum ille de iudicio recessisset. EVSEBIVS eunuchus inquit: In Synodo certè Nicæna declaratum est, illum à catholica fide esse alienum. LIB. Quinq; tantummodo iudicarunt sociorum nauigationis ipsius in Mareote, quos miserãt, ut aduersus reum scripturas compararent: horum duo mortui sunt, Theogonius & Theodor⁹: reliqui tres adhuc uiuunt, nempe Mares, Valens, Vrsatius. Ab his ipsis missis, huius rei causa, Sardicę suffragia collecta sunt: qui Synodo etiã libellos obtulere, petentes ueniam, quòd in Mareota per calumniam scripturas secũ confeciſſent in Athanasiũ: quos libellos etiamnum in manib. habemus. Vtris igitur adiungamur persuaderi nobis conuenit? Iis ne qui prius damnarunt, & postea petierunt ueniã: an his qui illos nunc damnarunt? Inquit EPICTETVS episcopus: Imperator, non facit iste uerba tecũ, quò tantæ sibi curæ sit fides, aut Ecclesiastica iudicia: sed ut apud senatores Romanos gloriari possit, oratione cõclusum à se esse Imperatorem. Tum IMP. Liberio: Quota, inquit, pars tu es orbis terrarũ, qui solus facis cum homine scelerato, & orbis terrarum ac mundi totius pacem dissoluis? LIB. Non diminuitur solitudine mea uerbum fidei. Nam & olim TRES SOLVM inuenti fuêre, qui edicto resisterent. EVS. eunuchus: Facis tu, inquit, Imperatorem nostrum Nabuchodonosorem? LIB. Minimè quidem: sed sic tu absq; ratione condemnas hominem, qui in iudiciũ adductus non fuit. At ego prius generalem orbis subscriptionẽ proponi uolo, qua confirmatur fides exposita Niceæ. Atq; ita reuocatis fratribus nostris de exilio, & restitutis in suum quoq; locũ, si turbas cõsensu cum apostolica fide suo, in ecclesijs excitare uideantur, tum uniuersos conuenire Alexandriæ, ubi & reus & accusatores & defensores illorum sunt, & inquisitio in illos disceptatioq; instituí poterit. Inquit EPICT. episcopus: Sed neque publica uehicula sufficere poterunt episcoporum itineribus. LIB. Neq; indigẽt publicis uehiculis ecclesiastica, suisq; episcopis ad mare mittẽdis quæq; ecclesia suffecerit. IMP. Quorũ forma est expressa, retexi nequeũt. Plurimũ enim episcoporũ calculus ualere debet. Tu es unus qui amicitiã tueris scelerati illius. LIB. Nunquam auditum, inquit, est, absente reo pronunciasse de scelere iudicem, tanquam priuato irritatum erga illum odio. IMP. Ille quidem læsit uniuersos, sed neminem æquè ac me. Qui non contentus interitu iunioris fratris mei, nunquã cessauit beatum Constantem impellere ad inimicitias nostras. sed nos summa mansuetudine & instigãtis et instigati impetus tulimus. Nullus mihi tãtus successus cordi est, neq; aduersus Magnentium, neq; aduersus Syluanũ, atq; scelesti huius à rebus Ecclesiasticis amotio. LIB. Ne ulciscare inimicitias, Imperator, in episcopis. Manus enim ecclesiasticorum sanctificationi

ctificationi uacare debẽt. Proinde ſi tibi uide tur, iube, in ſuum quemq; locum, reſtitui epiſcopos: & ſi fuerint congruentes uiſi cum illo qui tuetur rectè ſententiæ fidem expoſitam Nicææ, tum conuentu habito tractẽt de pace mundi: ne innocentem uirum oppreſſiſſe uidearis. IMP. Vnum eſt quod quæritur. Volo enim tibi gratum eſſe conſenſum cum eccleſijs, & Romam reuerti. quare conſule paci: & cùm ſubſcripſeris, redito Romã. LIB. Vale iam dixi fratribus Romanis: potiores enim ſunt mihi leges eccleſiaſticę, quàm uita Romæ degẽda. IMP. Habes igitur ſpacium trium dierum, quo deliberes, uelis ne poſt ſubſcriptionem Romam reuerti, an aliquem locum quò traducaris eligere. LIB. Trium dierum, uel etiam menſium ſpacium rationẽ nõ immutat. Quare mittas me licet, quò libet. Imperator poſt duos dies requiſitum Liberium, & perſeuerantem in ſententia, imperauit relegari Berœam, quæ eſt in Thracia. Liberio abeũti, miſit Imperator ſolidos quingentos in ſumptus. Liberius illi qui attulerat: Abi, inquit, redde Imperatori: opus enim his eſt, militibus ipſius. Similiter & regina miſit ei totidem, quos & ipſos referri iuſsit ad Imperatorem, quòd eſſe illi opus diceret ad expeditiones. Si autem opus his Imperatori nõ fuerit, det, inquit, Auxentio & Epicteto, quibus opus eſt. Cumq; ab illis noluiſſet accipere, detulit alios ei Euſebius eunuchus. cui Liberius: Deuaſtatis eccleſijs, inquit, orbis terrarũ, nunc mihi eleemoſynam offers, ut cõdemnato? Quin tu abi, & Chriſtianus prius efficere. Theodoretus libro ſecundo, capite decimoſexto.

Sic igitur ſynceris pleriſq; fidei doctoribus et propugnatoribus pulſis, Ariani occaſionẽ ſtabiliendi dogmatis ſui adepti ſibi uiſi, Imperatorem ſolicitant, ut Synodum tam Orientalium quàm Occidentalium aliquam cõmunem indicat, in qua ſtatui poſsit de tollendis ex fidei Nicænæ formula uocibus Eſſentiæ & Coeſſentialitatis, quæ in ſcriptura nuſquam reperirentur. Cogitur itaq; ab Imperatore, ab Arianis faſcinato, ſynodus Ariminum. Conueniunt eò frequentes tam Occidentales quàm Orientales. Vrgent cauſam ſuã Ariani ſtrenuè: & Occidentalibus, quorum ducenti eò uenerat, quiq; ſimplices & boni uidebantur, perſuadere et imponere conantur, minimè ferendam eſſe diſtractionẽ corporis Eccleſiaſtici, propter duas tantum uoculas. At illi fraude, utut erant ſimplices, animaduerſa, Arianos (quorũ tum præcipui ibi fuerunt, ut Athanaſius refert, Vrſatius & Valens, ſemper ad partes uincentiũ declinãtes, Eudoxius, Auxentius, & Demophilus) hoc urgentes abdicarunt. Imperatori uerò ſuam ſententiam duabus epiſtolis ad hunc modum ſignificarunt: ſe ne latum quidem unguem à Nicænę fidei formula diſceſſuros. Theodoretus lib. ſecundo, capite decimonono, & uigeſimo: Athanaſius in epiſla ad Affricanos.

Adferuntur hæ literæ Imperatori, qui ijs irritatus, & ab Arianis magis inflãmatus, poteſtatem eis facit, ut pleroſq; Occidentaliũ inuitos deducant Nicæã Thracię. Quò cùm eſſet uentum, nouam fidei formulã componunt, eiq; alij per impoſturam, alij per errorem ſubſcribunt. qui autem ijs accedere nolebant, in ultimas terras deportabantur. Theodoretus libro eodem, cap. uigeſimoprimo.

Fortè hoc tempore Leontius Antiochenus epiſcopus, qui et ipſe uarijs fraudibus et ſimulationibus Eccleſiam ueram exercuit, moritur. Epiſcopatum eius Eudoxius Germanicia relicta inuaſit: ibiq; non occultè, ut Leontius, ſed rabie manifeſta, aduerſus defenſores Apoſtolicorum dogmatũ ſæuijt: calamitatibus omnis generis, ſi qui ſibi contra dixiſſent, exagitans. Eius autem rabiẽ & ſcelera Baſilius Ancyranus, & Euſtathius Sebaſtiæ Armeniorum epiſcopus, ad Imperatorẽ deferunt. Is, quòd familiares ſibi eſſent Baſilius & Euſtathius, admonitioni eorum obſecutus, Antiochenis reſcribit, Eudoxium inuaſiſſe in epiſcopatum, ſe nec uolente, nec permittente. Imperare itaq; ſe, ut urbe eum eijciant. Velle autem ſe, ubi uiſum ſibi eſſet, dignas ab eo pœnas ſumere. Theodoretus libro eodem, cap. 25. & 26.

Atq; hæc quidem tum de Eudoxio Impẽrator cenſuit: ſupplicij uerò de eo nihil ſumpſit. Quin & in mala cauſa paulo pòſt uincere cum ſocio Acacio Cæſarienſi permiſit: & in gratiã ipſius, ut uidebatur, Eleuſium Cyzicenum, & Syluanum Conſtantinopolitanum, eccleſijs ſuis expulit. Theodoretus libro eodem, cap. 27.

Acacius uerò Hieroſolymis Cyrillum expulit, commentus apud Imperatorem impudentiſsimam de eo fabulam: quòd ueſtem precioſam, quam Conſtantinus eccleſię Hieroſolymitanæ dediſſet, uendidiſſet ſcenico cuidam hiſtrioni, qui ea indutus inter ſaltandum collapſus interiiſſet. Theodoretus lib. eodem, cap. uigeſimoſexto & uigeſimoſeptimo. Ac uendita quidẽ ab eo fuiſſe precioſa aliquot ornamẽta Eccleſiæ, in magna fame, ut ex eorũ precio multitudini pauperi proſpiceret. Sozomenus ſcripſit libro quarto, capite uigeſimoquinto, quod illi in calumniã & crimen uocarunt.

Acacianos porrò, quòd ab Arianorum ſententia abduci ſe non paterentur, paulo pòſt Synodus Seleuciana depoſuit. At illi prioribus, quæ in expellendis pijs doctoribus, Eleuſio, Syluano & Cyrillo, auſi fuerant, mul

to atrociora perpetrare occipiunt. Conueniunt Constantinopolim, eoq; ad se accersunt episcopos numero quinquaginta. Ibi post confirmationem scripturæ cuiusdam, quæ in Synodo Ariminẽsi lecta fuerat, de abrogandis uocibus Essentiæ & Substantiæ, episcopos innumeros deponunt: Macedoniũ quidem, eo quòd ei Imperator propter causas quas suprà exposuimus, iratus esset: Eleusium uerò, quòd Heraclium Tyrium quendam incantatorem, Cyzici diaconum ordinasset, nec ab ecclesia postea, cum eum talẽ esse cõperisset, separasset. Basilium item Ancyranum, cui infinita obijciebant crimina: primùm, quòd Diogeni Alexãdria Ancyram proficiscenti chartas abstulisset, ac uerbera inflixisset: deinde, quòd clericos Antiochenos ad Euphratẽ fluuium, Cilicasq; & Galatas & Asianos exilijs alijsq; supplicijs sine iudicio præsidũ affici iussisset: tum quòd præsides, Hermogenem, Hipparchum & alios, ab executione edicti Imperatorij auocasset, & in suã uoluntatẽ pertraxisset. Item quòd Germanij clerũ aduersus ipsum ad rebellionem, ne cum eo communicarent, excitasset: Valentiq; & Vrsacio scribens, eos apud episcopos Aphricanos detulisset: quòd accusatus aliquando negasset & peieraſſet, deprehensus uerò periuriũ sophisticè eludere tentasset: & disidij ac seditionis causam Illyrijs, Italis, Aphris & Romanis præbuisset. ad hæc, quòd ancillam quandam studio in uincula coniectam, falsa contra heram suam testificari coegisset: ac uirum quendam adulterum & impurum baptizasset, eundemq; ad diaconatum euexisset: quòd ad sacram mensam coniurationes feciſſet, ipseq; iurasset: & clericos, ne alius aliũ accusaret, ad iurandum induxisset, ut hoc artificio ille, quia clero præsideret, conquerentium accusationes subterfugeret. Atq; hęc quidem Basilio ab ipsis intentabantur.

Eustathij porrò deponẽdi hasce causas habere prætexunt. primùm, quòd presbyter ab Eulalio patre suo, Cæsariæ Capadociæ episcopo, condemnatus olim & excommunicatus esset: postea etiã à Synodo Cæsareæ Ponti reiectus, & ab Eusebio Constantinopolitano episcopo depositus, ac propter dispensationes quasdam ipsi concreditas condemnatus esset: præterea quòd à synodo Gangrensi episcopatu depositus esset, tanquã qui rectè nec doceret, nec sentiret. Ad hæc, quòd et in synodo Antiochena in periurio deprehensus, & Melitinensis synodi decreta peruertere conatus esset. Deniq;, quòd multis obnoxius criminibus, iudicem se ipsum constituisset, atq; alios heterodoxos appellasset.

Marin uerò Chalcedonensem episcopum, qui cum Acacianis in ea synodo Constantinopoli tum fuit, deponunt, quòd uiros condemnatos, cum Cyzicum uenissent, illegitimè ordinasset. Heortasiũ uerò Sardensem, quòd sine consensu episcoporum Lydiæ Sardensis episcopus factus esset. Dracontium Pergamenũ, quòd cùm episcopus primùm in Galatia fuisset, utranq; ordinationem tam quam illegitimam soluisset. Sophronium quoque Pompeiopolitanum Paphlagoniæ, eam ob causam deponũt, quòd Ecclesiæ oblata defraudare, et pro lucro suo habere conatus esset: ac quòd post primam & alteram uocationem ægrè accurrens, ad accusationem respondere ipsis noluisset, sed ad iudices exteros adpellasset. Neonem Seleuciæ Isauriæ episcopum ideo, quòd in sua ecclesia Arianum Antiochenum episcopum malo studio ordinasset: & quosdam sacrarum scripturarum ac legum Ecclesiasticarum ignaros, et minus piè uiuentes, episcopos constituisset: qui postea pecuniarum possessionem sacerdotio prætulerint, scriptoq; testati sint malle se pecuniosos & bene nummatos esse ministros, quàm pecunia uacuos agere episcopos. Elpidium Satalorum episcopum ob eam causam, quòd in tumultu Basilio sese iunxisset, & cõfusionis doctor fuisset: ac contra Melitinensis synodi decreta, Eusebium, uirum depositum, presbyterio restituisset: et Nectarium quendam, propter uiolationem pactorum & iurisiurandi excõmunicatum, ad ministerium & honorem Ecclesiasticum admisisset. Deniq; & Theophilum Castabalensis ecclesiæ episcopum abdicant, quòd cum antea ab episcopis Palæstinæ Eleutheropolitanus episcopus ordinaretur, iuramẽto sese obstrinxisset, se nullum alium episcopatum subiturum. Sozomenus libro quarto, cap. uigesimoquarto: & Socrat. 2 cap. 42.

Post illa Eudoxius & Acacius, scripturã lectam Arimini, cum additamẽto suo, Nõ esse scilicet amplius in Deo substantiã aut essentiam nominandam, in omnem regionẽ miserunt, Imperatoris edicto instructi, cuius fiducia quotquot nõ subscribebant, exilijs mulctari iusserunt. Secuta eam insolentiam ingens perturbatio est per omnes eas regiones, & Ecclesiæ persecutio incubuit, haud illi dissimilis quę sub ethnicis olim fuerat Imperatoribus. Sozomenus libro eodem, capite uigesimosexto. Nec ob aliã causam gratificatus illis Imperator Meletium, constantissimum Nicenæ fidei propugnatorem, ex Ecclesia eijci iusit, nisi quòd homousion docebat, & ad obseruationem decretorum Nicenæ synodi exhortaretur. Sozomen' libro eodem, cap. uigesimooctauo.

Redijt hoc tempore, latitante adhuc Athanasio, Alexandriã Georgius, ibiq; nouis modis Christianos & Ethnicos à se dissidentes

grauiter

grauiter adflixit. Sozomenus libro eodem, capite ultimo.

DE PERSECVTIONE ET TRANQVILLITATE *Ecclesiæ sub Iuliano.*

GEsserat Imperium Constantius per annos uigintiquinq;, cum nõ multo ante Imperij sui finem Iulianus, quòd contra Barbaros feliciter pugnasset, et uictor euasisset, à militibus Imperator creatus esset. Ex qua re in solicitudinem & periculum Constantius incidit, adeò ut exitium suum quasi præsagiens ipse sibi, baptizari ab Euzoio cuperet, & ad bellum aduersus Iulianũ aggressus, inter Capadociam & Ciliciam, apoplexia (ut Socrates scripsit libro secundo, cap. quadragesimosexto) ex mœrore contracta, seu, ut Romani de eo scriptores indicarunt, febri acerrima, & peruigili ex dolore impatientia & indignatione contracta, in Mopsi uiculo (ut Hieronymus indicat in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum) mortuus sit. Eo autẽ extincto, Imperiũ Iuliano facilè cessit.

Erat autem Iulianus à pueritia ad pietatẽ institutus. Puer enim, informandus Eusebio Nicomediensi episcopo à parẽtibus, quemadmodũ Lætus scripsit, traditus fuerat. Sed cum Grammaticorum, Philosophorum & Rhetorum simul etiam disciplinæ & magisterio commissus esset, apud eos plus impietate, quàm apud Eusebium pietate profecit. Ab illis enim, præcipuè uerò à Libanio rhetore, & Maximo philosopho (quem postea Valentinianus, ut res magicas exercentem, interfici iussit) pietas eius expugnata, & in ethnicam superstitionẽ transformata est. Nam & philosophiam & religionem Maximi istius philosophi Iulianus imitat⁹ est. Et rectè Eutropius dixit, Christianum eum Imperatorem, antequam ad Imperium peruenisset, putatum tantũ fuisse: cum qualis esset dissimulasset primùm, sed mox palàm postea præ se tulisset.

Idem scribit, adolescentem eum adhuc, lectorem fuisse in ecclesia Nicomediensi. Ex quo & alij Christianum eum fuisse colligũt, quoad usque Imperator factus sit. Sed addit tamen Eutropius, eum munus illud legendi in Ecclesia sacros libros magis gessisse simulatione, ne se scilicet Constantius, de imperandi magis libidine, quam ei Maximus philosophus instillauerat, suspectum habere posset, quàm de recta, de Christiana religione, sententia.

Quod ipsum & inde probari potest, quòd clam post lectionem sacrorum librorũ, nihilominus legit libros philosophicos: ac paulo pòst Athenas missus, philosophos solos audiuit, semper in animo secum uersans Imperium, & Imperatoris maiestatem. Qua cogitatione mox per Hellada totam discurrit, uates responsa reddentes de imperio suo cõsulens. Quibus adde, quòd & magicis artibus, quas eum Maximus edocuerat, perpetuò dedit⁹ fuit, easq; exercuit. quod post interitum eius tandẽ deprehensum est, inuenta in templo, quod per milites accuratè, ne quis ingrederetur, custodiri iusserat, muliere crinibus suspensa, & manus extendente, cuius aluum in Persas profecturus aperuerat, ut seu uictoriam seu belli quemcunq; euentũ in iecore eius rimaretur, & aspiceret. Autor est Eutropius in Iuliano.

Cæterùm quod ad ingenij dotes attinet, scientia philosophię & Gręcarum literarum magna in eo fuit. Nam in studijs earum tanta assiduitate usus est, ut somnũ defraudans suum, noctes interdum totas illis daret. Fuit & facundia egregia & expedita præditus, quemadmodum de eo Aurelius Victor scripsit, & Eutropius.

Nec in cęteris quidem donis laude caruit, similis existimatus Tito, bellorum successibus comparatus Traiano, clementia Antonino Pio, moderatione M. Aurelio Antonino, literarũ scientia magnis philosophis: patriæ deniq; ore & manu, ut ille ait, cõsultor.

Gloriæ tamen nimium cupidus fuit, arrogans etiam, & plus quàm imperatorẽ decet audax: testibus Eutropio & Victore ijsdem.

Ait & Gregorius Nazanzenus libro nono contra pagan. se mores Iuliani Athenis, cum ibi uterq; esset, propius inspexisse: ac nihil utile in eo deprehendisse, sed multa quæ leuissimorum sint hominum animaduertisse: ueluti ceruicem rigidam, humeros iactabiles, oculos currentes & incõstantes, pedesq; furiosè respiciẽtes. Crudelitatis uerò insignẽ notam eam dixit, quòd fratrem suum Gallũ & regno & uita priuauerit.

Factus igitur Imperator sub annum Domini trecentesimum sexagesimumquintũ, cum Ecclesiæ status mediocris esset, in Occidente maximè propter Eusebiũ & Hilariũ, ut Ruffinus scripsit: in Oriẽte uerò, frequenti concilio congregati censores, de Ecclesiæ tranquillitate consultarent: mitẽ se ilico ac clementem præter spem Christianis ostendit, ratus se hac ratione paganismũ facilius omnibus persuasurum. Ac quę simulatio magna erat, ne nõ bonus uideretur, omnes eos qui à Constantio ob religionem exilijs mulctati fuerant, reuocauit, proscriptis bona sua reddidit: populo uerò denunciari mandauit, ne quem Christianorum læderent, aut contumelia afficerent. Hęc enim de eo Sozomenus prodidit lib. 5, cap. 4. & quinto: & Theodoretus lib. tertio, capite quarto.

Sed ut est uirtutis & pietatis simulatio diuturna difficilis, paulo pòst apertè declarabat, quàm esset à religione Christianorum

alienus. Nam, ut Hieronymus in epitaphio Nepotiani dicit, Iulianus in Gallia Christũ negauit: & postea Pontificem se ipsum nominabat, uenienscq; ad templa paganorum sacrificabat, subditis suis idé suadens & præcipiens. Ac mox paganismũ nouis ac exquisitis artibus in regno suo dilatare & amplificare, Christianismum uerò procul exterminare instituit: primùm quidem Galilæorum filijs, quo nomine Christianos uocitabat, interdicens, ne poetarum aut philosophorum scripta legerét. in ore illud habens: Proprijs pennis uulnerantur: ex nostris enim armati conscriptionibus, contra nos bella mouent. Ludos igitur literarum illis solis qui deos deasque colerent, patêre permisit: ut Ruffinus scripsit libro primo, capite trigesimosecundo.

Deinde callidissimo commento, omnia quæ in paganismo essent, ad Christianorum cultum, mores, actiones, ritus, cõsuetudines attemperauit: templa sedibus & processionibus ornauit: lectores qui cœtus docerent & monerent instituit: horas certas precationibus destinauit: mulierum pariter atque uirorum in sacris suis haberi curã iussit: peregrinorum diuersoria & pauperũ habitacula instruxit, collationes præcepit, peccãtibus pœnitentiæ leges ordinauit: et post eam, mediocrem correptionem & receptionem. Notas deniq; et formas literarũ, quas episcopi Christianorum pauperibus et peregrinis dabant, ipse quoq; imitabatur, persuadés sibi, his artibus & nouo fuco se effecturum, ut pagani breui omnes fierent. De quibus omnibus epistolam ad Arsacium pontificem Galatię ad hunc modum scripsit:

¶ Paganorũ ritus nondum agitur secundum intẽtionem nostram, propter cultores eius in negligentia positos. Nam deorũ claritas, magnitudo atque sublimitas, omni ratione, omniq; spe maior est. Sed propitij sint nostris animis dij, propter negligẽtiam quã habemus: cum illorum prouidentia in paruo tempore tanta facta mutatio sit, quãtam nec orare primitus quicunq; præsumpserat. Cur ergo credimus hoc posse sufficere: neque respicimus, quemadmodũ superstitionem Christianorum auxit cura peregrinorum, & circa sepulturas et mortuos multa solatia, honestaq; conuersationis studia, non uera, sed ficta? Quas res arbitror sub ueritate apud nos debere geri. Non itaque fas est te solum talẽ esse, sed omnes absolutè circa Galatiam sacerdotes: quos aut deprecare, aut oratione flecte, aut certè festinanter à sacerdotali ministerio remoue, nisi dijs, cum coniugibus & filijs atq; seruis colla submiserint, non ferẽtes ulterius eorum seruos aut filios hoc facere: contemnentes autem Galilæos, impiè cõtra Deos agentes, & impietates pietatibus præponẽtes. Deinde cunctos admone, ut sacerdos neq; ad spectacula procedat, neque in tabernis bibat, aut cuilibet arti aut operibus turpibus aut impudentibus præsit. Qui obediunt, honorẽtur: inobedientes expelle. Xenodochia constitue per singulas ciuitates, ut nostra peregrini clementia perfruantur: non tantum nostri, sed etiam extranei pecunijs indigentes. Vt autem habeas unde fiat, interim decreui singulis annis triginta milia modios tritici per uniuersam dari Galatiã, & sexaginta milia uini sextarios. Horum quinta pars pauperibus templa obseruantibus debet expendi, reliqua peregrinis indigentibusq; distribui. Turpe nanque est, ut Iudæos quidem non abijciant, sed potius nutriant impij Galilæi, & suos pariter & nostros: nostri uerò nostrorum solatio deserantur. Quapropter doce etiam collationes facere paganos ad talia ministeria, paganorumq; uicos offerre dijs primitias frugũ, eosq; huiusmodi benefactis instituc, docés eos hoc opus olim fuisse nostrorum. Homerus enim hoc probat, introducẽs Eumæum talia facientem. Nos ergo neque bona nostrorum imitamur, sed alijs remittimus, negligentia nõ confusi, magis autem deorum reuerentiam respuentes. Si igitur hæc te facientem cognouero, ego lætitia plenus ero. Præsides prouinciarum rarius domi susci pe, frequenter eis scripta transmitte. Ingredientibus eis ciuitatem, nullus sacerdotum occurrat. Cumq; ad templa uenerint Deorum, intra ianuas eis nemo præcedat militum, aut fortè præcedentium officiorum: sed qui uoluerit, subsequatur. Cumq; ad ipsum limen templi peruenerit, priuatus existat. Tu enim, sicut nosti, iudex intus es. hoc enim etiam sacra sanctio uidetur exigere. Obedientes igitur pro ueritate, pij sunt: reluctãtes uanæ gloriæ, comprimantur. Quid enim patiatur, aut quod mereatur auxiliũ, qui matrem Deorum propitiam habere noluerit? Qui ergo eam neglexerint, non solum sine querela non erunt, sed etiam nostræ indignationis impetum sustinebunt. Neque enim fas est ut illi parcatur, qui deos habuerit inimicos. Suade siquidem eis, ut si mea uoluerint frui tuitione, omnes matri Deorum studeant offerre culturam. Eutropius libro undecimo: Sozomenus libro quinto, capite decimosexto.

Adornauit & imagines imperij sui, ut ea occasione Deorũ suorũ admonitionẽ extorqueret. Ad hæc, aliud quoddam artificiũ excogitauit, quo in publica munerũ & consuetã exhibitione ad manus suas thus adolere, munera accepturos instituit: non religionis nomine, ut putabatur, sed in gratiam Imperatoris

ratori munera benignè exhibenti. Quod tamẽ inuentũ Christianismo profuit, paganismo suo obfuit. Historiã eã narrãt Eutropi⁹, Theodoretus lib. tertio, cap. decimosexto: et Sozomenus li. quinto, cap. decimoseptimo.

Omnino enim à tormentis & atrociorib. coactionibus abstinendum putauit, quòd supplicijs & tormentis Christianorum res ante se magis fuissent amplificatæ, ipsiq; glorioſiores facti: quod ex Diocletiani extrema persecutione didicerat. Socrates lib. tertio, cap. decimotertio: Theodoretus lib. tertio, cap. octauo. tametsi non perpetuò ab ea crudelitate se abstinuerit, ut in sequentibus ostendetur.

In Palæstina igitur, Antiochiæ, apud Cæsaream, & in reliquis Orientis partibus, processum persecutio ad hunc modum habuit. Lege primùm, quemadmodum diximus, cauit, ne pueri Christianorum literis ac Græcorum disciplinis instituerentur, ne si linguas (inquiens) acuerint, gentilium dialecticis repugnent. Sed huic scelesto conatui se opposuerunt Apolinaris & Gregorius, qui ad imitationem Ethnicorum res & dicta ueteris ac noui Testamenti, uersibus omnis generis complexi, Scholis insinuabãt, pueriſq; proponi iusserũt. Narrant Socrates libro tertio, cap. decimosexto: Sozomenus lib. quinto, cap. decimooctauo: Orosius lib. septimo, & Eutropius lib. undecimo.

Proxima deinde in Christianos Imperatoris lex fuit, ne militiam gererent, nec procurationes illis pecuniarum cõmitterentur: illud subinde superbè exprobrans, quòd lex etiam ipsorum gladio eos uti uetuisset. Rufinus lib. primo, cap. trigesimosecundo: Socrates lib. tertio, cap. decimotertio: Sozomenus lib. quinto, cap. decimoquinto.

Tres igitur precipui nominis in curia sua militantes, Valentinianus scilicet Tribunus plebis, Valens & Iouinianus, ad sacrificandũ coacti, militarem dignitatem ultro deposuerunt, potius quàm impiæ Imperatoris uoluntati satisfacerent, & in professionẽ Christianam tam sceleratè delinquerent. Fortè aliquando Iulianus cum cœtu & pompa ad fanum Fortunæ progreditur, in quo utrobique ad ianuas stabant æditui, introeuntes pro more aqua lustrali aspergẽtes, quod purgationem dicebant. Præibat in ea pompa Imperatori Valentinianus, qui pòst Imperator factus est: cuius chlamydi cum uix guttã æditiuus aspersisset, pugnũ illi inflixit, polutũ se ab illo, nõ purgatũ memorans. Quod indignè Iulianus ferẽs, in Armeniã eum relegari mox imperauit: alio tamen, quàm quòd religionis Imperatoris sui contemptor esset, nomine. Theodoretus libro tertio, cap. decimosexto: Sozomenus libro sexto, cap. sexto.

Posthæc exactionibus & mulctis pecuniarijs persecutionem auxit, occasione sumpta ab expeditionibus, quas in Orientis partes, & contra Persas ducere decreuerat. Lege igitur proposita, sacrificare nolentibus mulctã imposuit: duras admodum exercens exactiones, quibus breui spacio ingentem pecuniarum aceruũ cumulauit. Socrates lib. tertio, cap. tertio. Nactiq; hanc occasionẽ prouinciarum præsides, ipsi etiam emolumenti sui causa, longè grauioribus exactionibus Christianos, quàm ab Imperatore mandatũ illis esset, exhauriebãt: nec à capitalibus quidem supplicijs interdũ sibi temperantes. At uerò, etsi de iniurijs & iniusta præfectorum ui querelæ ad Imperatorem perferebantur, surdis eas tamen auribus præterijt, contumelia & sannis accusatoribus insuper illudens: Vestrum, inquit, est ferre, cum adfligimini. hoc enim Dei uestri præceptum est. Socrat. libro tertio, cap. decimoquarto.

Sic Cæsarienſiũ facultates omnes, & pecunias aliarum etiam uicinarum ecclesiarum torturis inquiri, et in mediũ conferri coegit: quibus confestim trecentas auri libras in ærarium publicum confiscauit. Clericis præterea omnem immunitatem, honores, & annonam à Constantino ipsis deputatam ademit, legesq; pro illis latas è medio tulit. Quodq; ad uirgines & uiduas attinet, exigi & ab illis iusſit, quæ antea ab ærario publico acceperant. Quin & in catalogũ militũ clericos conscribi iusſit. Multitudinem uerò Christianorum omnem describi curauit, & tributum ab illis exigi præcepit. Ac quo se magis Christianæ religionis hostem declaret, Ecclesias Christianorum destruxit, auferens ex illis quicquid pecuniarum & sacrorum uasorum inuenisset. Id enim Antiochiæ designauit, ubi per auunculũ suum Iulianũ plurima & preciosissima anathemata abripuit, & in thesauros suos referri iusſit: ubi etiam ex omnibus oratorijs Clericis fugatis, Theodoritum presbyterum Iulianus auunculus, quasi qui sacrorũ uasorũ custos esset, comprehendit, flagris cæcidit, ac gladio tandem interfecit. Postquam uerò sacra uasa diripuit, proiectis illis in terram, Christum subsannans ac blasphemans, super illa conse dit. Imperatori uerò ad eas rapinas et prophanationes (ut Theodoretus scripsit lib. tertio, cap. duodecimo) præter Iulianũ, subseruierunt etiam Felix Quæstor Imperialis thesauri, & Elpidius procurator: quorum uterque in gratiam Imperatoris à religione Christiana defecerant. Atq; hæc quidem in templis Christianorum designata sunt.

Templa uerò paganorum sub Constantini & Constantij imperio diruta, ab illis qui ea demoliti fuerant restruere, aut æsti-

matã pro illis pecuniã ſoluere coegit. Quorum ſi qui præſtare neutrum poſſent, grauiter torquebantur, & in cuſtodias cõijciebantur, ſacerdotes & clerici, alijq́ue Chriſtiani multi. Cæſarienſiũ uerò, qui templum Fortunæ deſtruxerant, alij occiſi, alij exilio damnati ſunt. Quo tempore & eorum epiſcopus Eupſychius occiſus eſt. Sozomenus libro quinto, capite quarto, quinto, octauo & undecimo.

Sic ſcilicet à ſanguine & ſupplicijs abſtinuit Iulianus, cum & eos quos in munerum exhibitione, thuris incẽſo aſtutè decepiſſet, occidi iuſſerit: poſteaquã certiores facti, quo id conſilio Imperator feciſſet, redijſſent, peccatum ſuum per ignorantiã admiſſum confitentes, aurumq́; quod acceperant ad pedes eius proijcientes. Vbi abreptus continuò, morte mulctãdus, adoleſcens Romanus nomine. Sed is, cum eius facti Imperatorem pœnituiſſet, dimiſſus eſt: ac reſpõdit, ſe, ut Martyr appellaretur, non fuiſſe dignum. Recitant hiſtoriam Ruffinus lib. primo, cap. trigeſimoſexto: & Theodoretus libro tertio, cap. decimoſeptimo.

Etſi igitur, quod ad mortes & ſanguinem attinet Chriſtianorum, lentè ageret, inuidia eius gloriæ quam ſuppliciorum tolerãtia & conſtantia antea ſibi pepererant, ductus: tamen in ciuitatibus eos, ut Eutropius ſcribit, habitare nõ permiſit: ſed in exilia, in ultimas Romani Imperij terras extruſit, eos præſertim qui eccleſijs præſidebant, ideo ut cõuentus plebis diſſolueret: efficeretq́;, ut neq; ad eccleſias conuenientes, neq; doctores habentes, neq; de myſterijs participantes, diuturna ceſſatione & temporis progreſſu in obliuionem propriæ religionis deuenirent. Ita enim Athanaſiũ, qui uix Alexandriã regreſſus erat, ac cœtus publicos colligere, multitudines docere, & Ethnicos cõuertere cœperat, ex urbe exire iuſsit: hoc in eum crimen fingens, quòd ab anteceſſoribus ſuis in exilium miſſus, epiſcopatũ & eccleſiã ſuam ſine permiſſu & iudicio ſuo, & temeritate recepiſſet. Expulit Cyzico etiam Eleuſiũ, accuſationis in eum & criminis loco prætexens, quòd templa uaſtaſſet, delubra contumelijs affeciſſet, uiduis alimoniã, ſacris uirginibus monaſteria conſtituiſſet: denique gentilibus hortator fuiſſet, ut patrios cultus negligerent.

Interdixit autem ea ciuitate etiam aduenis Chriſtianis, quorũ cum Eleuſio magnus erat numerus. De Tito Boſtrenſibus ſcripſit, ut urbe eum expellerent: minatus, ſi unquam quiſquam accidiſſet in ea urbe tumultus, ſe Titum ipſum & clericos cæteros pro ſeditionis autoribus condemnaturũ. Offert Imperatori Titus librum, ſignificãs plebem Chriſtianam Boſtræ odiſſe quidem Ethnicorum religionem, illisq́; aduerſari: attamẽ ipſius ductam admonitionibus, nihil adhuc ſeditioſum meditari. Auget ex eo libro Imperator Titi accuſationem: & calumnioſe Boſtrenis reſcribit, cognouiſſe ſe ex Titi ſcripto, ſe ad ciendam ſeditionem iamdudũ paratos eſſe, ac uix quieſcere, retentos adhortatione epiſcopi ſui. Ita igitur in Titum Boſtrenſes, ut delatorem & inimicum, irritati, urbe eum expellunt. Sozomenus libro quinto, capite decimoquinto.

Omnibus præterea ubiq; ſceleratis, impunitatis nomine liberum fecit, cõtumelijs et petulantia quacunq; uellent, in pios & honeſtos illudere: nec ſeu legibus ſeu iudicijs ullis eos ſubiecit, qui uiolenter & iniquè, ſi quid collibuiſſet, cõtra Chriſtianos egiſſent. Quo cõſilio & honores domi militiæq́; crudeliſsimo cuiq; demandauit.

Flagitioſi igitur tales plurimi, tum in Aſcalone & Gaza Palæſtinæ urbibus inueniebantur, qui ſacerdotũ, mulierumq́; uirginitatẽ profitentiũ aluos diſſecabant, hordeoq́; repletas porcis extrema contumelia obijciebant. Theodoretus lib. tertio, capite ſexto: Sozomenus libro quinto, capite decimoquinto.

In primis uerò Gazæi præ cęteris, mira & exquiſita in Chriſtianos uſi ſunt petulantia. Alios enim flagris cõciderunt, alios pronos ac ſupinos traxerunt, & ad pauimenta illiſerunt, lapidibus & fuſtibus uerberarũt, aqua feruenti perfuderunt, uerubus transfixerũt: capita eorum, quoad cerebrum extillaret, confregerunt, in loca cadauerum abiecerunt, igneq́; ſuccenſo corpora eorum combuſſerunt: atq; oſsium reliquias, quas ignis non abſumpſerat, inter oſſa camelorum & aſinorum miſcuerunt, ne pro oſsibus humanis agnoſci, & facile inueniri poſſent. Neſtor ibi confeſſor comprehenſus, uinculis & flagris exagitatatus, & extra portas ſemianimis abiectus eſt: ut narrat Sozomenus lib. quinto, cap. nono.

Heliopoli Cyrillum diaconum, qui Conſtantino imperante multa ſimulachra, quæ in illis locis adorarẽtur, confregerat, nõ interemerũt modò idololatræ ethnici: uerùm etiam uentre diſſecto, illius iecur guſtarunt. Crudelitate enim Heliopolitæ facilè quoſuis ſuperarunt: cuius exemplum aliud Sozomenus recitat lib. quinto, cap. decimo. Sacras uirgines nudatas in publicum locum ad omnium ſpectaculum & irriſionem ſtatuerunt, & poſtquam ſatis ſibi pro libitu illuſiſſe uiſi ſunt, tonſas diſſecuerunt, & ad deuorandum uiſcera eorum porcis obiecerunt: ideo quòd Conſtantinus olim Veneris templum, in quo pro more uirgines proſtitue-

ſtituebantur, deſtruxiſſet, & ſtupra legibus prohibuiſſet. Doroſcoli in Thracia, Æmilianum in certamine uictorem, Capitolinus præſes Thraciæ rogo impoſitum concremauit. Apud Arethuſios uerò, Marcus ſenex Conſtãtino Imperante idolorũ quoddam templum euerterat. ob id Arethuſij, animaduerſa Iuliani uoluntate, eum comprehendunt, nudant, pulſant, totumq; uerberibus lacerant: mox in cloacas fœtidas abiiciunt, atq; inde retractum, pueris ſtylis compungendum proponunt: poſtremò in corbe collatum, iuſculoq; & melle inunctum ſuſpendunt ſub dio in grauiſsimo æſtu, ueſpis & apibus arrodendum. Theodoretus lib. 3, capite ſeptimo.

Apud Daphnen, ubi ſacrificare Iulianus conſueuit, impius quidam ſacerdos filium à tenera ætate clanculum ad pietatem formatum, quòd aufugiſſet Antiochiam ad magiſtram ſuam, quę eum apud Meletium epiſcopum occultauerat, comprehendit, ac uerberibus primùm plurimis multat: mox etiam uerua candentia manibus, pedibusq; ac dorſo inflixit: tandemque concluſum in cubiculum obſeratum reliquit, & abijt. puer uerò diuina ope miraculoſe liberatus eſt. Theodoretus libro eodem, capite decimoquarto.

Ac quoniam in Daphnes mentionem hiſtoriæ ordo nos deduxit, etiam illud obiter adijciamus. Iulianus fontes omnes quibus in ipſa Daphne, & contigua Antiochia homines utebantur, ſacris ſuis abominandis inquinauit: ne non abominatio cum illis communicaretur, qui aquis eorum fontium uterentur. Quin & eò impietatis proceſſit, ut quæ eſui eſſent, & in macello uenderentur omnia, panes ſcilicet, carnes, fructus, olera, ac ſi quid amplius quotidiana uictus ratio exigit, luſtratione pollueret. Quod Chriſtiani magno quidem cum dolore ſpectarunt, & ut facinus infinitis modis impiũ & nefandum execrati ſunt. uti tamen pollutis illis rebus non dubitabant, quia Paulus edere iuſsiſſet abſq; diſcrimine propter conſcientiam, quicquid in macello uenale eſſet. Duo tamen excellentes milites, Imperatoris ſatellites, Chriſtiani, Iuuentius & Maximianus, quodam in conuiuio, uehemẽtius aliquanto facinus illud nefarium deploraſſent, detorquentes in Imperatorem hæc uerba, quæ in Babylone quondam pueri illi eximij in regem impium uſurpauerant: Tradidiſti nos regi iniquo, & transfugæ ſuper omnes gentes in terra. Proditi igitur ab improbo quodam, qui unà cum ijs in eodem conuiuio aſſederat, ab Imperatore accerſiti ſunt: & ab eo interrogati, quæ dixiſſent, intrepidè reſponderũt, eamq; quaſi opportunitatem nacti reprehendendi impium Imperatoris factum, ingenti cum animo dixerunt: Nos in uera, Imperator, pietate educati, legibus optimis à Conſtantino laudatiſsimo, eiusque filijs nobiliſsimis, latis ſeruientes, de abominationibus tuis, & funeſtis ſacris, quibus omnia repleri, cibosque & potus pollui aſpeximus, queſti ſumus, ac deplorauimus: & nunc apud te cum dolore querimur, ut quos aliud in toto tuo Imperio nihil æquè offendit. Ob has uoces ad duriſsima & intolerabilia ſupplicia abrepti, morte mulctati ſunt, hoc nomine, quòd petulantes & contumelioſi in Imperatorem fuiſſent. Eiuſmodi autem criminis famam Imperator ſpargi iuſsit, ideo quòd martyrum nomen & honores illis inuideret. Recitat Theodoretus libro tertio, capite decimoquinto.

Nec Alexandria quidem perſecutionis huius expers fuit: ut Sozomenus teſtatur libro quinto, cap. decimo. Libet unum commemorare exemplũ, de ijs quæ in ea urbe Chriſtiani in tumultu quodam à gentilibus paſſi ſint, initio Imperij Iuliani. Locus ibi quidam fuerat deſertus ac neglectus, & ſordib. plenus, in quo gentiles olim Mythræ ſacra peregerant, & homines mactauerant. Eum locum Conſtantius, tanquam iam antea uacuum, eccleſiæ Alexandrinæ proprium eſſe cõceſſerat. Georgius igitur templum in eo ædificare uolens, repurgari iuſsit: ſed locum ædificio templi ineptum eſſe deprehendit, propter nimiam profunditatẽ, repletam cranijs hominũ, & recens & iamdudum interfectorũ in magicis Mythræ ſacrificijs. Chriſtiani tum ſtudioſe hoc agentes, ut omnium riſui & ludibrio impia gentilium myſteria exponerẽt, crania reperta palàm oſtentabãt, non ſine illuſionib. & execrationibus. Quo ſpectaculo cõmoti Ethnici qui Alexandriæ erant, furore ingenti in Chriſtianos impetum faciũt, atq; ex illis multos quouis mortis genere interficiunt: alios gladio, alios fuſtibus, alios lapidibus enecãt, alios funibus ſtrangulant, nõnullos crucifigunt, plurimos uerò uulnerant. Et in hoc tumultu, ut fit, ne à familiariſsimis quidem ſibi temperant: ſed amicus amicum, frater fratrem, & parentes liberos percutiũt, & in mutuam cædem corruunt. Georgius uerò ex eccleſia protractus, camelo alligatur, ac cum eo à gentilibus comburitur. Socrates libro tertio, capite ſecundo.

Chriſtianos porrò alicubi tanquam uictimas ſuper aras accenſas, præcipitatos fuiſſe, Nicephorus retulit libro decimo, capite decimotertio.

Nec fuit ſine crudelitate hoc ipſum, quòd Iulianus Chriſtianorum legationes,

iniurias acceptas ad eum deferentes, eosq; à quibus læsi essent accusantes, non admisit, nec opem tulit: quemadmodum se id facturũ Nisibenis, quòd Christiani omnes essent, minitabatur. Ac ut uerbis interdum percussores & iniurias reprehendere uideretur, re tamen ipsa ad sæuitiã magis incitabat. Narrat Sozomenus lib. quinto, cap. tertio, & decimoquinto.

Sic contra ius legationũ oratores Persas, qui ad eum Chalcedonem uenerant, afflixit: propterea quòd Christianam religionem colere illos cognouisset. Meminit Nicephorus lib. decimo, cap. undecimo: & Zonaras.

In metropoli Phrygiæ, Macedoni⁹, Theodulus & Tatianus, statuas quas præses Amachius in templa collocauerant, noctu confregêre. Cumq; præses in alios, quos suspectos de eo facto habebat, animaduertere uellet: ipsi prosilière, autores se esse cõfitentes. Abrepti igitur, omnis generis tormentis subiecti sunt: postremò uerò craticulis impositi, assati. Quod supplicium adeò forti animo sustinuerunt, ut etiam præsidi ad hunc modum insultarint: Si de carnibus assis, Amachi, gustare cupis, uerte nos prius in aliud latus, ne ad gustum tuum semiassi uideamur. Socrates libro tertio, cap. decimoquinto: Sozomenus lib. quinto, cap. undecimo.

His annumerari possunt eximij martyres: Artemius dux Ægyptiacorum militum, qui ideo quòd sub Constantino plurima simulachra deiecerat, capite truncatus est: Theodoretus lib. tertio, cap. decimooctauo. Donatus Grammaticus, quem cum parente utroque martyrio sub Iuliano functum, Gigas refert in Floreto temporum. Donatus itẽ alius episcopus Aretiæ: Hilarianus Hierosolymorum episcopus: Priscus presbyter Romanus, Priscillianus clericus, Benedicta fœmina, Pigmenius presbyter, Gordianus, Demetria uirgo, Ioannes presbyter, Ioannes alius, & Paulus: qui quõdam cubicularij fuerant, iuxta Iuonem, Constantiæ filiæ Constantini. Hæc ex Vincentij Speculo, & Reginone,

Explicasse autem ultimum suum actum Iulianus hoc modo fertur, ut his omnibus lõgè duriora & atrociora in Christianos excogitaturũ se minatus sit, ubi bellum Persicum confeciſſet: Quemadmodum Ruffinus lib. primo, cap. trigesimo sexto: & Theodoretus lib. tertio, cap. uigesimoprimo indicarunt. Ac meditatum eum duriorem persecutionem fuisse, inde uerisimile fit, quòd in ipso eius belli medio ardore, septem libros contra Christum euomuisse proditur: cum & antea contra Christianos libris editis pugnare consueuisset, ut Eutropius refert.

Narrat & Orosius, lib. septimo, Christianorũ eum sanguinem dijs suis uouisse: & palàm persecuturum se eos dixisse, si uictor à Persis redijsset. Proinde & theatrum Hierosolymis extrui iussisse, in quo, cum reuersus fuisset, episcopos, monachos, omnesq; eius loci sanctos, bestijs obiectos laniari spectaret.

Sed quid animi tamen in his malis Christiani ostenderint, breuiter exponamus.

Basilius, qui Constantio regnante, perpetuum se hostem & reprehensorem Arianorum professus fortiter fuerat, etiam in hac sub Iuliani persecutione admodum se constantem in uera fide & syncerũ præbuit. Passim enim circumiens, Christianos publicè, solerti cum libertate adhortatus est, ut eam quam ipse traderet doctrinã, fideliter custodirent, nec gentilium se abominationib. contaminarẽt: nec præmijs quidem & honorib. ab Imperatore propositis, quorũ cum æterna perditione iniqua esset permutatio, mollescerent. Fortè aliquando eò uenit, ubi homines publica deorũ suorũ sacrificia celebrabant. Orat ibi cum gemitu & dolore Deum, ne quem Christianorũ implicari impijs abominationibus permitteret. Agnitus autem ibi ad supplicia, quæ forti tamen animo pertulit, abductus est. Sozomenus libro quinto, cap. undecimo.

Ostendit & Athanasius infractum & excelsum animum suum. Cum enim ad magorum, philosophorũ, aruspicum, augurumq; quos secum frequẽtes Iulianus habebat, uoluntatem, eum urbe egredi præcepisset, propterea quòd illi negassent id successurum, quod de extirpanda Christianorum religione animo concepisset, nisi Athanasium sustulisset: tale quiddam accidit, quod tacendum nobis minimè est. Venerat Alexandriam dux cum exercitu, qui Athanasium è medio tolleret. Athanasius fuga elabitur: & iam nauem conscensurus, populo mœsto & flenti se circunstanti dixit: Nolite, ô filij, conturbari: nubecula enim est, & citò pertransibit. Interea naui Nilum ingreditur. Sequitur eum citato cursu comes, iussus insequi Athanasium, & occidere. appellens autem Athanasius nauem ad quendam locum, à prętereuntibus comperit, imminere sibi percussorem suum. Terrentur hac uoce cæteri, qui in naui simul cum Athanasio erant: atq; ut per secessum in solitudinem, tum suæ, tum ipsorum saluti consulat, hortantur. Sed ille: Nolite, inquit, filioli deterreri. Quin in occursum potius abeam⁹ percussori nostro, ut intelligat is, quàm longè maior is sit qui nos defendit, quàm qui persequitur. Ita naui cõuersa, in occursum persecutori suo rectà pergit. Venit ille, sed Athanasij nauem esse nequaquam putat. Quærit igitur tanquã prætereũtes, sicubi Athanasium esse audijssent?

Respon-

Respondent, uidisse se eum non longè euntem. Omni igitur celeritate dux cõsectatus, frustra festinauit. Athanasius uerò Alexandriam redijt, ibiq; latens quo ad persecutio cessaret, seruatus est. Ruffinus libro 1, cap. uigesimotertio, & uigesimoquarto.

Rectè Ambrosius ait, Iulianum, persecutionem arte & subtilitate cœptam, implere non potuisse. Eum enim omnino finem habuit, ut nec ad Iuliani sententiam, quod in Christianos callidis artificijs instituerat, quicquam cesserit, nec Christianis obfuerit: offerentibus subinde se qui Imperatori seu blandienti, seu, ut superbissimè solebat, illudenti, & Christum aliàs Mariæ, aliàs fabri filium uocitanti, confidenter restiterũt. Antiochiæ Libanius sophista impius ludum literarium, quem tum magister eximiè eruditus & Christianus gubernabat, ingreditur, ac per illusionem magistrũ eum compellat, Sciret ne quid fabri faceret filius? Respondit is, non sine futurorum euentuum diuinatione: Esse eum, quem per ludibrium fabri ipsi uocant filium, totius huius rerum uniuersitatis conditorẽ, qui sandapilam nunc pararet. Nec multo pòst, fama de interitu furiosi Imperatoris uenit, occisum eum apud Persas, & in sandapila adferri. Theodoretus libro quarto, cap. uigesimotertio.

Erat in eadem urbe & Publia nobilissima fœmina, cœtus uirginũ, quæ castitatem profitebantur, magistra. Assiduus is cœtus erat in laudando ac celebrando Deo. Quoties igitur pro more Imperator præteriret, altiori semper uoce canere iussit, quæ canere aliàs consueuissent: ideo tantum, ut risui ei cœtui furias suas esse, Imperator intelligeret. Accinebant autem potissimum ea, quibus infirmitas simulachrorum in psalmis incessitur: SIMVLACHRA gentium, argentũ & aurum, opera manuum hominum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes ijs confidentes. Audire hoc summo cum dolore Iulianus cogebatur. Igitur cœtui illi imperabat, ne quid se prætereunte prorsus accinerent. Sed Publia nihili faciens impij Imperatoris mandatum, chorum instituit, ut audacius deinceps, si quando præteriret, canerent: ac nominatim prioribus cantionibus adiungerent psalmũ, EXVRGAT Deus, & dissipentur inimici eius. Grauiter id admodum & indignè ferens Iulianus, iussit eam in Palatium accersi, & alapas impingi. Quam contumeliam illa summum honorem suum interpretata, domum redijt, & ut antea cõsueuerat, sacras cantiones, quæ in eius furorem & impietatem cõpetere uiderentur, cum cœtu suo in eum frequenter cecinit. Theodoretus lib. quinto, cap. decimonono.

Quid uerò in translatione sepulchri Babylæ martyris factum sit à Christianis, notũ est, ac nos suo suprà loco recitauimus. Cum enim apud Daphnen Apollo, pro more oracula postulatus, non respondisset, idq; se facere propter uicinum Babylæ sepulchrũ affirmasset: Iulianus Antiochia Christianos uenire, & martyris monumentum auferre iussit. Conueniunt in Daphnen illi frequenti numero, & arcam cadaueris Babylæ læti tollunt, & inter deferendum alta uoce canunt, Iuliano insultantes: CONFVNDANTVR omnes qui adorant sculptilia, et confidunt in simulachris suis. Qua re tanta quidem ibi rabie Imperator correptus est, ut Christianos eos omnes comprehendi, in custodias conijci, & tormentis ac supplicijs affici iusserit. Tortus autem, præter Theodorum, nemo tum est: ideo quòd Salustius præfectus, cui id negocij in Christianos commissum erat, à tali Imperatorem proposito retraxit. Ruffinus lib. primo, cap. trigesimoquinto.

Postremò et id persecutionem effeciisse Socrates tradit, ut omnibus tum ueri, tum falsi Christiani facti sint manifesti. Qui etiam, inquit, recta animi sententia Christiani erant, animo prompto & alacri uitam ponebant, omnia potius ferre quàm Christum negare parati: inter quos Iouinianus, Valentinianus & Valens fuêre. Reliqui uerò, qui non ex animo Christiani erant, sed pecunias uere felicitati præferebant, sponte sacrificabant: è quibus Ecebolius Constantinopolitanus sophista, qui foro uti, & talis esse plerunque, quales Imperatores essent, solebat. Ante Iuliani enim imperium, Christianum esse se uehemẽter simulauerat: sub Iuliano uerò, gentilismum præ se manifestè tulit. Socrates libro tertio, cap. decimotertio.

DE TRANQVILLITATE ECCLESIÆ *sub Iouiniano.*

IMperauit Iulianus (ut Lætus ait, & in Chronico suo Eusebius) annum unum, & menses septem. Perijt tandẽ in bello Persico, siue ex ictu, quemadmodum infrà dicemus, incerto, siue uulnere à Dæmone facto, clamantibus communiter omnibus Antiochiæ: Maxime fatue, ubi sunt uaticinia tua? Vicit Deus, & CHRISTVS eius. Theodoretus lib. 4. cap. 27. Altera autem die Iouinianus Imperator creatus est, anno Christi trecentesimo sexagesimoquinto, homo literarũ studiosus, ciuilis, natura admodum liberalis, & neq; imprudens neq; iners: qui Christianus constans, ut diximus, sub Iuliano fuerat, & militiam ac quamcunq; dignitatem amittere maluerat, quàm contra religionem suam Imperatori impia mandanti obtemperare. Nam & in ipsa electione illustrem exhibuit pietatis suæ speciem, cum iussus

Impe-

Imperium capeſſere, & uiolenter quidem à militibus ad id tractus, reſpondit: Nolle ſe Chriſtianum, hominibus imperare qui gentiles & idololatrici eſſent. Nec prius quidē, quàm cōmuni uoce omnes proclamaſſent, ſe Chriſtianos fore, imperium ſuſcepit. Eutropius lib. undecimo: Socrat. lib. tertio, capite uigeſimoſecundo.

Digna deinde Imperatore & hęc in eo uirtus fuit, quòd amans fuit conſenſus & concordiæ in Eccleſia docentium. Proinde Macedonianis libellum, de ratione forſan fidei ſuæ, aut accuſatione (ut uidetur) ab ijs diſſentientium exhibētibus, aliud nihil reſpondit, quàm, contentionem ſe deteſtari, concordi uerò ſententia cōiunctos diligere ac uenerari. Cum & aliàs ſubinde diceret: Eos ſe cōplexurum amanter, & præ reliquis honoraturū, qui autores uniēdæ Eccleſiæ eſſent. Huc pertinet, quòd Lucio presbytero Alexādrino, ex illis qui à Georgio ordinati fuerant, Athanaſium deferenti & accuſanti, nihil tribuit, nec in aliquo aſſenſit: ſed cum interminatione mandauit, ut quieſceret. Narrat Sozomenus libro ſexto, cap. quinto. In aſſentatores uerò lepidè illud dicebat: Deprehendi eos non Deum colere, ſed purpuram: nec differre ab Euripo, fluctus ſuos huc atq; illuc ſubinde rapienti.

Ex eo igitur, quòd pietati, paci Eccleſiaſticæ & concordiæ ſtuduit, quam ei laudem ſynodus Antiochena, hoc tempore pro ſtabilienda fide Nicena collecta, tribuit apud Sozomenum lib. ſexto, cap. quarto: uidetur Eccleſia in tranquillitate & reſpiratione aliqua fuiſſe, quantum quidem ad perſecutionem externam attinet. Inter docentes enim, & eccleſijs præſidentes, pax & quies nulla fuit, alijs alios apud Imperatorē præuenientibus: quorum primi Macedoniani erant, qui libellum de exigēdis ab eccleſijs Anomianis Imperatori obtulerunt. Refert Socrates lib. tertio, cap. 25. & Sozomenus lib. 6, cap. 4.

Ab externa tamen uexatione Chriſtianorum ceſſatum eſt: & edicta quæ Iulianus publicauerat, gentilibus adempta ſunt, Deinde epiſcopos omnes qui à Conſtantio in exilium pulſi, nec à Iuliano reuocati fuerāt, reſtituit. Socrat. lib. eodem, cap. uigeſimoquarto. Et Valentinianum: quem Iulianus hoc quidem prætextu quòd milites negligenter gubernaſſet, re autem uera ideo quòd Chriſtianus eſſet, exilio mulctauerat. Sozomenus lib. ſexto, cap. ſexto: Theodoretus li. tertio, cap. decimoſexto. Qui & libro quarto, cap. quarto, hoc Iouinianū in primis nomine laudat, quòd lege edita iuſſerit eccleſijs reſtitui frumētum, quod ijs de publico olim præſtari iuſſerat Conſtantinus, Iulianus uerò prohibuerat.

DE PERSECVTIONE ET TRANQUILLITATE *Eccleſiæ ſub Valentiniano & Valente.*

SAlutaris maximè & regno & Eccleſiæ Imperator Iouinianus fuiſſet, niſi tam breue ei imperandi ſpacium cōtigiſſet. Poſt octo enim menſes, quibus Imperator fuerat, cruditate ſtomachi in lōgo itinere à Perſis cōtracta, & ſuffocatione prunarum quas ſuccēdi nimias iuſſerat, extinctus eſt: ut Hieronymus in epitaphio Nepotiani, Aurelius Victor & Lætus ſcripſerunt. In eius autem locum Nicæę in Bithynia ab exercitu lectus eſt Valentinianus Pannonius, anno Domini trecenteſimo ſexageſimooctauo: uir ingenio ſolerti præditus, animo grauis, fortis, prudens, tēperans, iuſtus, ac uitijs infenſus, præſertim auaritiæ, in quam ſeueris exemplis animaduertit: quemadmodum Eutropius & Lætus ſcripſerunt, ac Theodoretus lib. 4. cap. quinto.

Quod ad pietatis laudem attinet, dederat eius admodum illuſtre ſpecimen ſub Iuliano, ut dictum eſt: quòd ſacrificare iuſſus, tribunatus potius, quem ſub eo geſſit, honores amittere, quàm ſacrificare idolis uoluit. Cuius animi pietatisq; etiam frater eius initio Valens fuit: ſed Ariano poſtea contagio infectus, pietatem poſthabere cœpit, & fratri factus eſt diſſimilimus. Socrat. libro quarto, cap. primo.

Aſciuerat eum in regni cōſortium Valentinianus, poſt triginta electionis ſuæ dies, cum, militibus ſuis cōſulentibus & monentibus, ut ſocium regni ſibi aliquem adiungeret, feſtiuiter reſpōdiſſet: Veſtrum, inquiens, ō milites fuit, Imperatore nemine exiſtente, Imperij habenas mihi committere: eas uerò quoniam nunc ego ſuſcepi, meum nunc eſt, non ueſtrum, de rebus communibus cogitare.

Plena pietatis eiuſdem ad epiſcopos conuocatos poſt Auxentij epiſcopi Mediolanēſis mortē, hæc oratio fuit: Noſtis apertè, inquit, eruditi quippe eloquijs diuinis, cuiuſmodi oporteat eſſe pontificem: cum nō uerbo ſolùm, ſed & conuerſatione, quam bonā & inculpatam eſſe neceſſe ſit, gubernare deceat. Talem igitur eligite, & in pontificali ſede conſtituite, cui & nos, penes quos imperium eſt, capita noſtra ſyncerè ſubmittamus & cuius monita, ſicubi humana fragilitate lapſi peccauerimus, tanquam ſalutaria nobis medicamenta, nō inuiti accipiamus. Poſtea cum communibus ſuffragijs, in Auxentij locum Ambroſius lectus eſſet: Gratias, inquit, tibi ago Domine Deus omnipotens, & Saluator noſter, quia huic uiro ego quidē commiſi corpora, tu autē animas. Ad Ambroſiū uerò conquerentem, permultū peccari à iudicibus,

dicibus, dixit: Festina sanare, quemadmodũ in diuina lege præcipitur, delicta animarum nostrarum. Narrat Paulus Diaconus libro duodecimo: & Theodoretus libro quarto, capite septimo.

Facit huc, quòd cum in Asia & Phrygia dissensiones sũper dogmatis esse intellexisset, ad eas tollendas synodum in Illyrico coëgit: & episcopis ibi cõgregatis legem misit, Valentis sani adhuc tum consensu, Christianissimam, qua manifestè Valentiniani prædicatur pietas: quamobrem & hic commemorare uisum est.

¶ Imperatores Maximi, Diui, Victores, Augusti, Valentinianus & Valens & Gratianus, episcopis diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ, in Domino salutem. Synodo ingenti coacta in Illyrico, post longam quæstionem de salutari uerbo, demonstrarunt beatissimi episcopi, esse Trinitatem coessentialem, parrem & filium & spiritum Sanctum. Quam prorsus fungentes debitis muneribus colũt, cultu inquam magni regis. Et nostra potẽtia eandem prædicari mandauit: sic tamen, ne qui dicant, huius cultus promulgationem esse Imperatoris moderantis terræ huic, non ferentes eius mandata, qui salutis nostræ curam gerens, illa edixit. Vox enim est Euangelij Dei nostri, quæ adhuc pertinet: Persoluite Cæsari res Cæsaris, & res Dei Deo. Quid uos dicitis episcopi, & antistites salutaris uerbi? Si ad hunc se modum habẽt argumenta probationum uestrarum, tum uos mutuo amore complectimini, & abuti Imperatoria dignitate nolite: ne'ue persequimini ueros ministros Dei, quorum precibus & bella sedantur in terra, & auertũtur incursus transfugarũ angelorum. Qui omnes noxios dæmones studeant abigere precibus suis, publica secundũ leges munia subire sciunt, potentiæ Imperatoris nõ obloquuntur, sed sincerè & magni Imperatoris ac Dei mandata custodiunt, & nostris legibus subijciuntur. At uos inobedientes reperti estis. Nos quidem ordine à primo ad ultimum processimus tractatione nostra: ipsi uerò uosmetipsos abalienastis. Volumus tamẽ à uobis puritatem retineri: utq; Pilatus in iudicio de IESV Christo, cuius est administratio nostra, cum nollet interimere tantũ, & qui ad cruciatus sese confirmasset, conuersus ad Orientalem plagam, aquam iussit affundi manibus suis, & lotis illis, Innocens sum, inquit, ego sanguinis huius iusti: ita & nostra potentia ubique edixit, ne quis persequatur, ne'ue exagitet aut irritet operatores in agro Christi, neu repellat procuratores Magni Regis, ne hodie quidem sub nostra potentia gloriari uideamini, ac cum illo cõfirmato ad cruciatus pati testamentũ ipsius quasi in sanguine Zachariæ. Sed quotquot quidẽ fecêre, cum hoc diruptis sunt, & traditi mortis cõdemnationi, unà cum adiutore ipsorum noxio dæmone, dum ueniat supernus rex noster IESVS CHRISTVS. Theodoret. lib. 4, cap. 8.

Atq; hæc quidem de Valentiniani pietate citra inuidiam cogitari & commemorari possunt. Valens uerò ab ea sententia & constantia, quam sub Iuliano cum fratre in confessione ostenderat, imperio suscepto defecit. Ac primùm quidem Arianus factus est, persuasione uxoris suæ, quæ Ariani dogmatis laqueis prior irretita fuerat. Huc accesserat, quòd ab Eudoxio Constantinopolitano episcopo Ariano baptisatus fuerat, cuius religionis zelo deinceps semper duci existimatus est. Eudoxium enim, aiunt, iureiurando eum in baptismo deuinxisse, ut defensionem Ariani dogmatis, & diuersum sentientium persecutionem ei sponderet. Theodoretus libro quarto, cap. 12, & decimotertio: Socrates lib. quarto, cap. 2.

Postea nec Arianus nec Christianus propemodũ esse uisus est. Antiochiæ enim Meletio expulso commoratus, licẽtiam omnibus dedit sua sacra celebrandi, gentibus scilicet ac Iudæis, nec non omnibus hæreticis (nam & gentiles festiuitates agebãt, dæmonibus ministrantes) & idololatricas uanitates à Iouiniano prius destructas, reflorescere permisit: Iouisq; cultũ, atq; Dionysij, sacraq; Cereris, iam non in occulto, tanquã sub pio Imperatore, celebrabant, sed per medias plateas bacchantes, ubiq; curritabant, cùm illis solum inimicum se princeps ostenderet, qui doctrinam Apostolicam prædicare uidebantur. Paulus Diaconus: & Theodoretus libro quarto, cap. 24.

In occidente igitur, quàm diu Valentinianus in uiuis fuit, pacem Ecclesia habuit, & cum decretis Synodi Nicænæ sentiẽtes defensi sunt, cum ne Arianis quidem Valentinianus molestus esset. Socrates lib. quarto, cap. primo.

Verùm Valens, qui ab Eudoxio, ut diximus, unà cum baptismo simul etiam acceperat Arianismum, Arianorum solum etiam amicus & defensor extitit. Obiurgauerat eum quidem Valentinianus, ut Zonaras scripsit, per literas, ut ab eo instituto desisteret: sed ijs ille animo suo indulgens, magis etiã contra rectè sentientes exasperatus est. Bellum enim irreconciabile contra eos mouit, & ab Arianis dissentiẽtes acerbissimè tractauit, expulsis uno & eodẽ tẽpore Meletio Antiochia, Eusebio Samosatis, Pelagio Laodicæa, Barse Edessa, reliquis itẽ omnib. quotquot cum Euzoio communicare noluisset: quorũ alios uarijs insuper supplicijs affecit,

&

& uel pecunijs mulctauit, uel flagris cęcidit. Fertur etiã, quòd in flumine Oronte, quod Antiochiã præterlabitur, multos submerserit. Socrates libro quarto, cap. primo & secundo: Theodoretus libro quarto, cap decimotertio, & decimosexto: Sozomenus libro sexto, cap. septimo & decimooctauo. Qui & libro eodem, capite octauo scribit, Valentẽ atrociora istis omnibus fuisse designaturum, nisi bellum cum Procopio tyranno Constantinopolitano interuenisset: quo occupatus, impetum cõtra Homousianos aliquantisper cohibuit. Socrates lib. 4. cap. 3.

Post confectum autẽ bellum illud, in quo uictoria potitus est, turbas contra Christianos de integro mouit: id unum efficere satagens, ut Ariana fieret omnis religio. Fortè interea Synodus eum Lampsacena exacerbauerat, quæ Arianos episcopos deposuerat. Persequi igitur Homousianos non destitit. Ac Constantinopoli quidẽ omnes expulit, quotquot Eudoxio communicare noluissent. In qua persecutione operam ei egregiã tum nauauit Eudoxius ipse. Nec à sæuitia cessatũ quicquã tũ est, etiamsi persecutores multę poenę diuinitus immissę arripuerint.

Erat tum Eleusius Macedonianus episcopus Cyzici, quem Imperator, ut in fidẽ Arianorum consentiret, coegit. ubi Eleusius negare quidem primùm se Arianis accessurũ: postea uerò exilij minas & bonorum publicationem audiens, perterrefactus & consternatus, Ariano dogmati calculũ addidit. Sed pœnitẽtia mox ductus, Cyzicum reuersus, uim sibi illatam esse conqueſtus, atq; ut aliũ sibi episcopum quærerent hortatus est.

Propter reuerentiã tamen, Basilius & Gregorius, quorũ hic Nazianzi, oppido exiguo Cæsareæ uicino, ille uerò Cæsareæ episcopus fuit, exilijs non sunt subiecti.

Constituerat quidem Valens Basiliũ expellere, sed pœna diuinitùs subitò immissa prohibitus est. Nocte enim, posteaquam cõsilij id cepisset, uxor pauoribus inusitatis correpta est: & filius quem unicum habebat, ac regni successorẽ fore sperauerat, in febrim periculosam incidit. Itaq; ultionẽ hanc esse diuinã animaduertens, Basilio molestus esse destitit. Ac respirationem quandã rectè sentientibus hoc etiam præbuit, quòd eo ipso tempore furorem suum Imperator Valens contra Macedonianos conuerterat.

Irritatur tamen Eudoxij furor hoc ipso, quòd qui Eustathio cõsenserant, cũ reliquis Homousianæ fidei socijs, in synodum Thar si, pro confirmandis Nicæni conuentus constitutionibus, cõuocarentur. Post quæ, edictum Valens de turbandis Homousianorũ ecclesijs ad præfectos per Ægyptũ misit: qui magno id studio agunt, ut ex ecclesia sua Athanasium expellant. Sed id populus animaduertens, in tumultum & seditionẽ coit. Quare fit, ut Athanasius ecclesiæ suæ custos maneat, nec ex eo usq; tempore ecclesia Alexandrina periculi quicquam sustinuerit.

Nam & rectè sentientium multitudo Alexandriæ superior Arianis facilè fuit. Sed illi in Syria, & uicinis gentibus, ac maximè Antiochiæ, ecclesias oppresserũt, cum frequentia & numero Homousianos superaret. Accesit Valentis furor, quẽ in uniuerso Oriente, quicunq; Nicænis adhærerent decretis, tum experti sunt, cũ lacerationib. & cædib. sancti expositi essent. Quod Orosi⁹ factũ esse scribit, anno Imperij Valentis decimotertio.

Interea Constantinopoli Eudoxius moritur: cui Homousiani Euagriũ surrogare conantur. id autem ad Valentem Ariani deferunt, ac efficiunt, ut manum eò militarẽ Imperator mittat, quæ eos, à quibus ordinatus Euagri⁹ fuerat, exilijs afficiat. Quo fit, ut Eustathius Bizyam Thraciæ ciuitatem, Euagrius uerò in alium quendam locum exulatum proficiſci iubeatur. Atq; hinc Ariani ferociores facti, ecclesias adflixerunt uerberationibus, conuicijs, carceribus, pecuniarum mulctis, alijsq; exagitationibus nefandis. Socrates libro eodem, cap. sexto, decimo, duodecimo, decimotertio, decimoquinto: Sozomenus, lib. 6, cap. 12. 13. 16. & 20.

Peruadit ea persecutio ad ecclesias usque Thracenses, Dacicas & Pannonias: ut Ambrosius scribit libro quinto, epistola uigesimaseptima, & quinquagesimaseptima. In Gallijs uerò Treuirensium ecclesiam Maximus præfectus adfligit: attamen in Campania, alijsq; Italiæ locis, ob preces piorũ tranquillitas manet.

Veniunt selecti quidam Ecclesiastici uiri numero LXXXI Nicomediã, ac supplicationum libellos de iniurijs et malis quę perpessi fuerant, Imperatori exhibẽt. Qui ira accensus & furens, Modesto præfecto clam mandat, ut comprehensos uiros eos morte mulctet. Præfectus multitudinis seditionem metuens, manifestè quidem nõ occidit eos: sed nauim parari curat, simulans se eos in exiliũ deportaturum. id uerò supplicij animosè illi & fortiter accipiunt. Sed nautas in nauicula piscatoria ponè sequi iubet, & nauem succendere. Quod & ita factum est: ac sic cum naue ardente medijs in fluctib. hi uiri perierunt. Sed non diu hoc scelus pœna sua et uindicta, ut postea dicemus, caruit. Eulogius autẽ & Protogenes in Thebaida relegantur, ubi multos conuertunt, & ecclesias scholasq; instaurant.

Interea Nicomedia relicta Imperator Antiochiam uenit: ibiq; longius commoratus, eos qui Ariani esse nollẽt, persequitur: nihil eo mo-

eo motus, quod iam ab Ecclesijs per omnes ferè Orientis ciuitates Homousianos repulerat. Plures hic enim multo quàm priº perdidit, & uarijs mortis generibus affecit: plerosq; uerò fluuijs mergendos tradidit. Socrates libro eodem, cap. decimosexto, decimoseptimo: Theodoretus lib. quarto, cap. decimooctauo, uigesimoquarto: & Sozomenus libro sexto, cap. decimooctauo.

Edessam postea, uisendi ibi reliquias S. Thomæ apostoli prætextu, Imperator se recepit. Vbi dum cognoscit omnes ab hæresi Ariana quàm maximè alienos esse, prefecto, ideo quòd initijs non obstitisset, & contra Arium sentiẽtes urbe expulisset, alapam impingit. Prefectus uel inuitus contumelia accepta, animo Imperatoris & uoluntati obsequi studet. Ac cędem quidem nullam patrari cõstituit: attamen ne quis se martyrio offerat, clam edicit. Sed hoc nec consilio nec comminatione quicquam efficit. Omnes enim die sequenti ad oratorium confluunt, mortem, si ita necessitas postulasset, ultrò obituri. Fortè præfecto interea obuiam uenit mulier paupercula, filiolum manu ducens, & ad martyriũ festinans. Interrogata à præfide, quo nam sic properet? respondet, se eò abire, ubi animam tum suam, tum infantis sui, in martyrio cum alijs positura sit. Motus exemplo eo præfectus, Imperatorẽ adit, impium esse facinus dictitãs, tantam multitudinem, tam breui, morti tradere. Persuaderi igitur sibi Imperator sinit, ut edictũ abroget. Socrates lib. quarto, cap. decimooctauo: Theodoretus libro quarto, cap. decimoseptimo: Sozomenus lib. sexto, cap. decimooctauo.

Eodem tempore Valens noua correptus insania, dæmonẽ interrogat, quis post eum Imperio potiturus esset. Dęmon obliquè respondet, & literas Græcas ostentat, ΘΕΟΔ: significans, hoc fore initium nominis eius qui sibi succesturus esset. Ita occidi Valens iubet omnes, quotquot in nominum suorum initijs haberent eas literas, Theodori nimirum, Theodoti, parentes Theodosij eius nimirum qui ad imperium postea uenit, Theoduli: interq; eos Theodosiolus, uir nobilis Hispanus. Cæteri noui periculi metu nomina sua mutant. Socrates libro eodem, cap. 19. Sozomenus lib. eodem, cap. trigesimoquinto: Paul. Diaconus libro duodecimo: Ioan. Zonaras Tomo tertio.

Pax tamen diuturna Alexandrinis, uti diximus, concedebatur Athanasio uiuo: cui plurimos adhærere Imperator cognouerat, ideoq; seditionem timuit. Post mortem autem eius, Petrum successorem statim comprehendi, & in carcerem includi iussit. Quæ res cæteris metum ingentem incussit, adeò ut & clerici omnes dispersi tum sint. Noua igitur, nec mediocris persecutio Alexandrinis oritur, quam Magnus Imperatoris thesaurarius exequitur: quemadmodum Socrates ostendit lib. eodem, cap. uigesimoprimo: Theodoretus libro eodem, capite uigesimo: Sozomenus libro eodem, capite decimonono. Cuius magnitudinem & euentum omnem Petrus Alexandrinus explicat in epistola quadam prolixa, ex qua nos hæc describimus.

Gentis illius prętor erat Palladius, qui sectæ esset gentilis, quiq; simulachrorum gratia periclitari, & aduersum Christum bellum exercere nunquam dubitasset. Is igitur coactis memoratis copijs, tali in Ecclesiam impetu ferebatur, ac si barbaros subiugãdos adoriretur. Tunc quidem deterrima accidêre: quæ conatus exponere tantum, subijciente maximum mihi dolorem memoria, ingentem lachrymarum uim profudi. Quod sanè fieret diutissimè, nisi diuina cogitatione à me repressæ fuissent. Nam in Ecclesiam quæ Theonæ uocatur, introgressæ copiæ, pro uerbis grauibus simulachrorum laudes personabant, pro lectione sacræ scripturæ turpes plausus manuum & fractas fœdè uoces edebant: contumelias uerò eas erga Christi uirgines usurpabant, quas & memorare lingua nõ sustinet ob turpitudinem: & quicunq; audierat si non desiperet modò, aduersus illas obturabat aures suas, optabatq; se surdum potius esse, quàm audire talem fœditatem. Atq; utinam uerbis tantum peccarent, ac nõ reipsa uincerent orationis obscœnitatem. Ferri enim conuicia possunt qualiacunque ab ijs, in quibus cognitio Christi & doctrina diuina manet. Sed isti, qui essent uasa iræ comparata ad interitum, curuato naso obscœnos per nares sonos, clarum & quasi (ut ita dicam) de aquę fistulis eiaculantes, discerpebant uestes sanctarum CHRISTI uirginum, quarum religiosa exercitatione sanctitatis imago exprimeretur: atque ita, sicut natura tulerat, nudas per urbem totam quasi triumphantes agebant, illudebantq; cum obscœnitate pro arbitrio suo: erantq; omnino crudelia et barbarica omnia. Quod si quis misericordia motus, dehortatione sua obsistere auderet, uulneratº discedebat. Verùm, ô rem calamitosam, multis illarũ uis uitium q; oblatum, multæ illarum pulsatione fustium cum capita tunderentur, exanimatæ sunt: quarum neque sepulturæ corpora mandare concedebatur. Multa itaq; etiamnum, quiritantibus parentibus, corpora non compârent. Sed quid ego parua percurro, neq; ingentia potius exequor? Cur immoror his, et non festino ad urgentia? ad quorum narrationem satis scio admiratione perciti manebitis

bitis diu exanimati nobiscum, stupentes cogitatione mansuetudinis Domini, qui non funditùs hanc uniuersitatem cõfecerit. Quę enim, ut scriptum est, neq; facta, nec audita sunt in diebus patrũ nostrorũ, ea super altari ipso perpetrarunt impij. Tanquam enim in proscenio dissolutæ actiones, puerũ uirilem sexum abneganté, & affectantem muliebré, stibio, sicut scriptũ est, oculos litum, & fuco rubentem os, ueluti ipsorũ simulachra confusa uirili ac muliebri figura, imposuêre super sanctum altare, ubi Spiritus sancti aduentum expetimus: qui illic circulari compositoq; motu huc & illuc manus torquês saltaret. huic illi & clarùm arridebant, & nefarias acclamabant uoces. Sed & hoc rati non nimiæ peruersitatis opus, & præterita bella magis quàm nefanda esse, ex ipsis unum notissimæ turpitudinis, nudatum uestibus, simul ac pudore, ita ut in lucem edimur, collocant in solio Ecclesiastico, appellantq; concionatoré turpẽ aduersus CHRISTVM. Nam pro diuinis uerbis fœditatem, pro oratione graui obscœnitates, pro pietate impietatem, pro cõtinentia fornicationem memorabat: docens commoda esse uitæ cùm alia, tum adulterium, uenerem masculam, furta, crapulam, potationes. Inter hæc, cum ego ab ecclesia discessissem, (quid enim faceré aliud, cum irruerent milites, cum esset conducta argento ad seditionẽ multitudo, ubi pecuniæ cupiditas, ubi gentilium copiæ, & maximæ promissiones?) tum igitur noster successor aduenit, episcopatũ ut aliquã dignitaté mundanam auro mercatus, Lucius, affectans improbitatem & gesta luporũ. Non hunc constituerat conuentus Orthodoxorũ episcoporum, non uerorũ clericorũ suffragia, non populi postulatio, quemadmodũ Ecclesiasticis iubetur sanctionibus. Aderant autẽ illi (simpliciter enim urbem ingredi nõ potuit) nõ aliqui episcopi, non presbyteri, nõ diaconi, nõ populi multitudo: nõ deducebatur à cultoribus uitæ solitarię, cum hymnorũ diuinę scripturæ cantu: sed cum illo Euzoius erat, qui pridẽ cum Ario diaconus in urbe nostra Alexandria, à synodo sancta & magna Nicæna exautoratus fuerat, & nunc prę̃sularis est pestis Antiochenorũ. Hunc comitabatur largitionũ comes, cum ingẽti militũ manu, in omni semper impietate nobilis, nomine Magnus: qui imperante Iuliano, ecclesiam Berytiorum, quæ illustris est urbs Phœnicũ, incenderat: fueratq; coactus eandem de sua pecunia restituere, imperante felicis memoriæ Iouiano: neq; multum abfuit, quin capite trũcaretur, nisi multorũ intercessione clemẽtiam Imperatoris obtinuisset. Nunc uestrum feruorẽ considerare decet, quẽ & oro, ut ad animaduersionẽ incitare uelitis, quanta peccata in Ecclesiam Dei cõmissa fuerint, cum talis, qualé dixi, tyrannus bellũ nobis intulisset. simul enim ille à pietate uestra, & omnium ubiq; Orthodoxorũ episcoporũ sæpenumero abdicatus Lucius, occupauit iustissimis sibi de causis infensam urbẽ: non enim hic modò, ut ille maledicus in psalmis insipiens dicit, Non est Deus uerè Christus, sed & actionib. suis cùm perditus, tum exitialis est: cum gaudeat blasphemijs, quæ in Seruatorẽ nostrum immittũtur ab ijs qui neglecto creatore seruiũt creaturæ. Rectè enim hoc à me dicitur, cum scelestus propè ita ut Græci, à recẽtium numinũ ueneratione non abhorreat. Nam tales laudationes coràm ei accinebant: Faustus aduẽtus tuus Episcope, qui filium negas: Serapis propitius te adduxit: nominantes simulachrum patrię suæ. Nullum interceſſerat momentũ, suprà memoratus Magnus impietatis illius inseparabilis socius, & acerbus satelles, ac crudelissimus prætor, cogit suæ curæ commissas multitudines, comprehensos q; presbyteros & diaconos numero decem & nouem, quorum aliqui excederent annum ætatis suæ octogesimũ, quasi reos flagitij alicuius, aut legum Romanarum contrarij facinoris, in publicum iudiciũ abducit, ibiq; perpellere adoritur (ignarus legum uirtutis Christianorum) ut paternam, ab Apostolis ministerio patrum acceptam fidem, prodere uelint: affirmans hæc grata futura esse humanissimo quoque Augusto Valenti, moueri uos infelices clara uoce clamás, Sinite ut accedatis dogmati Arianò. Veniam enim uobis numen, etiamsi uestra sit uera religio, facilè daturũ est, qui non uestra sponte, sed ui coacti feceritis: coactioni enim semper relinquitur defensio, uoluntatis autem est accusatio. Proin de hac ob oculos consideratione posita, accedite libenter, & absque cunctatione subscribendum dogmati Ariano, quod nunc iste (nomine eum appellans) Lucius prædicat. Neque enim uos clam est, si pareatis Imperatoribus, uos pecuniam, opes, honores consecuturos: abnuẽtibus uerò, uincula, tormenta, quæstiones, flagra, carnificinas propositas: nec nõ pecunijs ac possessionibus ademptis patria carendum, & exilij tristium quorundam locorum cõdemnationem subeundam esse. Ita ille uir egregius, temperatis affectu charitatis minis, hortatione sua omnes deducere à sententia pietatis nitebatur. At illi nullum maius tormentum esse arbitrati proditione pietatis, sicuti reuera est, compulsi ad respondendum, talibus uerbis usi sunt, quib. uirtute & forti animo, minas simul ac fraudes illius prostrauerunt: Desine de cætero, desine huiusmodi nos terrere oratione, cessa uerba inania proferre.

Nos

Nos enim neq; nouitium uenerantes, neq; recentem Deum, etiamsi tu frustra undabundus spumes, irruasq; ut uentus uehemens, nō depellemur tamē de pietatis uita, quandiu uiuere licebit. Nunquā sensimus Deum esse à potentia, sapientia, ueritate remotum: nunquā eum qui modò pater, modò non pater foret, secundum istum impiū Arianum, cum opinione esse temporalē aut momentaneum filium. Si enim, iuxta uesaniam Arianorum, creatura est filius, minimè coessentialis patri: ad nihilū recidet etiam pater, qui absque filij substantia, iuxta ipsos, pater aliquando non fuerit. Si uerò semper est pater, cum substantia nimirum ex ipso progeniti ueri, non quasi defluentis germinis, pati eum certè Deus nequit: an non sit demēs ac rabiosus, qui asserat fuisse aliquādo cum nō esset filius? per quem omnia ut gratiosa essent, sunt cōstituta. Nostri igitur totius orbis patres, (à quibus alienati isti spurij sunt) ut conuenit, congregati Nicææ, exterminarunt anathemate prauitatem Arianæ sententiæ, quam nunc iunior iste defendit: neq; illi, quò tu adigis, diuersientialem à patre filium perhibuēre, sed ex eadem essentia. quo rectè & piè intellecto, de collatis non paucis sacræ scripturæ locis, coessentialem illum confessi sunt. Hæc & huiusmodi alia cum dicerent, in uincula cōiectos multis diebus asseruauit, si quo modo posset à pietatis sententia dimouere. Sed illi potius, ut in spacio strenui in primis athletæ, omni formidine pulsa, perungentes sese rebus à patribus diuina mente fortiter gestis, confirmabantur in sensu pietatis, gymnasium quoddam uirtutis credentes esse tormenta. Ad hoc igitur certamen illorum cum essent, ut beatus Apostol⁹ inquit, spectaculo angelis & hominibus, accurrit tota ciuitas, uisuri athletas Christi, qui fortitudine uincerēt tortoris iudicis flagra, & trophæa excitarent de impietate per suam patientiā, & de Arianis triumphos agerent: quos oppressos, acerbus iste hostis, minis simul atque dolis prodere erga Christum impiæ factioni uoluisset. Desperans igitur à tormentis infesto animo inflictis, omni populo querente ac multum lamentante, acerbus & ab humanitate prorsus alienus ille, usitatam turbulentiæ multitudinem rursum ad iudiciū, uel potius inanem condemnationē conuocat, in maris littore: ubi redemptæ mercede aduersus hos, uoces consueto more emittebantur à simulachrorum cultoribus atque Iudæis. cumq; nollent manifestæ impietati Ariani furoris cedere, fertur sententia, omni iudicium circumsistente populo deplorante: Alexandria eos deserta, Heliopolim proficisci debere, cuius incolarū ne audire quidem quisquā Christi nomen sustinet: sunt enim simulachratores uniuersi. Post hæc, iussis nauē illis conscendere, ipse stans in littore (propè enim in publicis balneis pronunciata sententia fuerat) strictū ostentabat ensem, quo se terroré incussurum speraret illis qui ancipiti gladio hostes dæmonas sæpe sauciauerāt: atq; ita iubet nauigare, nullo neq; cōmeatu, neq; omnino fugæ solatio attributo: quod in primis admirabile atq; incredibile sit, undabundo mari, atq; illo ipso facto, ut opinor, cōmoto, nolenteq;, ut sic dicam, ministerio suo illorū iniusti imperij in parte uersari: demōstrabat enim ignorantib. etiam barbaram iudicis illius uoluntatē. Verè igitur possumus de his dicere, Obstupuit cœlum. nam tota ciuitas, cum hæc fierēt, lamentabatur, & nunc quoque in planctu est: quorū alij manib. alternis de pectore plausus excitabant claros: alij manibus oculisq; in cœlum sublatis, de ui testificabātur modò nō his uerbis: Audi cœlum, & auribus percipe terra, quàm indigna facinora cōmittantur. Deniq; eiulatu omnia erant plena, & lamentorū carmina ubiq; celebrabantur, deq; lachrymis omniū subitò manabat fluuius, inūdatione sua maris penè undas obscurans. Sed cum ille suprà dictus in littore astans, iam uela sustollere nautis imperaret: tum confusi eiulatus uirginū, mulierum, senum, adolescentulorū, lamentaq; uehementibus implicata lachrymis, ac uniuersæ multitudinis clamores, accumulatos undabundi maris strepentesq; impetus abscondebant. Illis autem ita Heliopolim uersus iter tenētibus, ubi omnes essent superstitiosi, ubi diabolica uoluptaria uigeret uita, ubi horribiles bestiarū sedes, circū ubiq; montibus cœlum attingētibus: tum reliqua in media urbe multitudo, publicè priuatimq; lu-ct⁹ ac querimoniæ uerba usurpabat, qui neque flere permittebantur, edicto prætoris urbis Palladij, qui & ipse esset superstitiosissimus. Nam multi ex ijs qui lachrymas profudissent, arrepti & cōiecti in carcerē, deinde lacerati ictiq; flagris ac torti, Phennesia postea ac Proconnesia in metalla missi fuēre, homines Ecclesiæ cum diuino feruore propugnatores: magna enim pars fuit solitariā uitam colentiū, & propter exercitia religionis manentiū in desertis locis. cum quibus numero trium ac uiginti, paulo pòst diaconus etiam, qui attulerat nobis cōmunitatis ac consolationis literas ab amico nostro Damaso episcopo Romano, uinctis post tergum manib. publicè à lictorib. trahebatur, tanquam insignis aliquis maleficus: qui magis quàm ullus homicida tortus, saxis & plumbi massis ceruice diu quassata, ad eundē modū ut alij nauem cōscendit, cum signū diuinæ crucis fronti afformasset, & neglect⁹ omnisq; curæ

expers, in Phennesia metalla, quæ æris sunt, deducitur. Iudice autem insuper etiam tenera puerorum corpora torquête, aliqui inter tormenta iacuêre expertes exequiarũ: cum hanc ab illo sibi unam et extremá consolationem peterent parêtes, fratres, cognati, denique uniuersa ciuitas. O uerò singularê inhumanitatê iudicis, uel potius damnatoris. Veritatis pugiles trahuntur cũ homicidis, & illorum insepulta manent corpora: strenui athletæ proiecti, esca iacent feris ac uolucribus: qui patrũ misericordia tangerentur propter conscientiá, capitib. tanquá ob scelerata facinora obtruncati fuêre. Quæ Romana lex, quæ Barbarorũ sentêtia puniuit ob patres susceptum dolorê? Quando ueterũ ullus simile facinus designauit? Iusit olim Pharao necari masculi sexus Hebræorũ fœtus, hoc expresserat mandatũ coniũcta cum metu inuidia: quanto autem his illa humaniora? quanta in optione iniuriæ potiora, quàm in comparatione sceleris minus mala? quamuis sanè inter se scelera inseparabilia sint. Superât fidem quæ memoramus inhumana, immania, crudelia, barbara, immitia, acerba. Ipsi tamen Ariani furoris ministri, inter hæc læta festa agitabant. Tota autem ciuitate in luctum effusa (nõ enim erat domus, ut in Exodo legitur, in qua non esset mortuus) haud acquieuêre petulantia obdurati, quo minus amplius ad scelera exercerentur. Voluntatê enim incitâtes ad deteriora, ad episcopos usque prouinciæ uirus improbitatis suæ protulêre, usi satellite iniuriarum, comite largitionũ, cui nomen Magno, ut suprà diximus: ac illorum aliquos ad iudiciũ adduxerunt: alios, quibus ipsis libuit modis, circumuenêre, undiq; omnibus ponêtes laqueos, ut impietate possent capere: neq; quicquam inausum relinquentes, sed circumeũtes ad exemplum diaboli, patris sectæ ipsorum, quærentesq; quem deglutirent. Sed cum omnino illos conatus erga cunctos sui frustrarentur: tum undecim Ægyptiacos episcopos, uiros qui ab ineunte usq; ætate exercêdæ religionis gratia in desertis locis cõsenuissent, quique pietatem fidei inculpabilis prædicarêt, & educati lacte piorum dogmatũ, uictoria sæpe potiti in cõgressu dæmonum, uirtute sua uenerabiles aduersario, in Arianã sectam sapientissima oratione fuissent inuecti: eos igitur, instructi ab isti⁹ Magni crudelitate, exules eiecerũt in urbem nomine Diocęsaream, cuius incolæ Iudæi essent, trucidatores Domini. Et tamen, ut Orcus, nõ saturati morte fratrum, audent dementes ac furiosi ubique terrarum monumenta crudelitatis suæ relinquere, affectâtes famam nobilitatis facinoribus. Ecce enim rursum clericos catholicæ Ecclesiæ manentes Antiochiæ, cum quibusdam in solitaria uita spectatis, quòd constituissent non relinquere intestata tragica illorum facta Imperatorijs obstrepere auribus, effecêre, ut Neocæsariã in Pontum mitterentur: qui fortasse, quę illorũ locorũ barbaries, uita etiã sunt spoliati. Tales tempora ista tragœdias tulêre, digna quidê oblitione ac silentio: sed narratione comprehensas, ad opprobrium eorum qui linguas suas uibrarũt contra unigenitum: qui morbo blasphemię implicati, non modò configere Dominum huius uniuersitatis conantur, sed etiam aduersum pios famulos illius exitiale bellum susceperunt. Theodoretus libro eodem, cap. uigesimosecundo.

Ariani igitur pauci numero Alexandrinis ecclesijs potiũtur: nec multo pòst ex Imperatoris edicto Homousiani omnes tum Alexandria, tum ex Ægypto pelluntur, circumcursitantibus per urbem Arianis hostiũ more, aliosque fugantibus, alios in carcere custodientibus, alios unguibus laceratibus, loris cædentibus, igni tradentibus, & nullo denique non supplicij atrocis genere afficientibus.

Fiunt inde irruptiones in monasteria, quæ iam in Ægypti desertis monachi instituerant. Trahuntur alij ad tribunalia, alij in carceres cõijciuntur. Antesignani sunt, dux Alexandrinus, & Lucius episcopus Arian⁹, homo nequissimus & crudelissimus. Infestatur incursionibus Antonij monachi celebris uniuersa sodalitas. Macarij uerò duo, clari monachi, relegantur in insulam quandam, quę ab impijs, qui nullum adhuc pietatis magistrum habuerant, incolebatur: ex qua, cũ fama increbuisset, multos in ea per monachos exules ad fidem Christianã conuerti, Lucius eos aliquanto pòst reuocauit, ac reditum ad suas sedes concesit. Socrates libro eodem, cap. uigesimosecundo: Theodoretus lib. eodem, capite uigesimoprimo: Sozomenus libro eodem, capite 19, & 20.

Imperator uerò, ut Paulus Diaconus annotauit lib. duodecimo, legem tulit, qua monachorũ multitudo per deserta Ægypti habitans, ad militiam cogi, recusantes uerò per tribunos & milites fustibus cædi & interfici iusit. Interea ipse Ægypto relicta, Antiochiam profectus est: ibiq; cum per Barbaros, suis se finibus continêtes, quietus esset, petulantius & ferocius in Homousianos sæuijt. Interceisit pro ijs Themistius philosophus, dedicato libro, quo Imperatorem monuit, iniquum esse, dogmatum pa ruam differentiam tam molestè ferre Imperatorẽ, qui interea sexcẽta et amplius ferre posset gentilium dogmata. Qua enim libertate tũ Antiochiæ, gentiles sua festa, ut Dialia, Bacchanalia & Cerealia, celebrari permiserit, suprà dixim⁹.

Modera-

Moderatior hoc quidem ſcripto Valens factus eſt, ita ut à piorum cæde abſtineret, mortis uerò loco exilia ijs decerneret. Socrates libro eodem, cap. 32.

Erat tum Antiochia, ut diximus, eiectus Meletius: cum eccleſiæ curã in ſe ultro transtulerũt Flauianus & Diodorus, qui ſe quaſi muros quoſdã Valentis perſecutioni opponunt, & fortiter & ſapienter gregẽ Domini paſcunt: & ab uno pulſi cum cõuentu ſuo loco, in aliũ ſe recipiunt. Addit ſe ijs ſociũ Aphraates, celeberrimus monachus: qui de afflictionib. tantis piorũ ſub Valentis tyrãnide certior fact⁹, monaſticã uitã reliquit: atq; ut paſtor, pios cõfirmans circumijt. Erat tũ adhuc Antiochię ad Orontẽ Imperator, cui⁹ regiam in ea parte, qua Orontes præterfluit, et ingens porticus duplici culmine cum mœnibus urbis cõiungitur, ſolitudine egreſſus Aphraates, fortè præterit. Quem cum de porticu proſpiciẽs Imperator uidiſſet celeri gradu, & ſenem ac incuruum incedentem: percontatus eſt, quò iret? ille ſapienter ei ac cõmodè reſpondit: Oratũ eo pro Imperio tuo. At id, Imperator inquit, domi te facere oportuit. Tum Aphraates: Rectè, inquit, dicis Imperator: & facere quidem hoc quod mones debebam, & hucuſque facere non deſtiti, do nec in pace eſſe Saluatoris ouibus licuit. Sed nunc ijs turbatis, & in diſcrimen ingens adductis, ne à lupis diripiantur, ipſa me neceſsitas adigit, omnem ad earum ſalutem adfecta re uiam. Dic enim, obſecro, mihi Imperator, quid me, ſi uirgo eſſem, intus in thalamo paternę domus ut cuſtos deſidens, uiderem autem domum exorto incendio abſumi, quid inquam me facere tum cõueniret? Intus ne deſidentem negligere domus conflagrationem, & operiri uſquedum flamma inualeſceret: an potius thalamo deſerto ſurſum ac deorſum diſcurrere, aquas adferre, & flammam reſtinguere? Certè id fieri oportere, Imperator, affirmabis. Id igitur nunc ego ago. Ac quia tu ignem in domũ noſtram paternam eiaculatus es, cum alijs diſcurro, cupidus reſtinguendi illius. Ad hæc Imperator iratus, & cum interminatione obticuit. Sed non multo pòſt, quę uis fuiſſet orationis Aphraatæ, comperit miro exemplo, quod ſuo loco infrà commemorabimus. Attamen nec reprehenſione Aphraatæ, nec miraculo diuinitùs oſtenſo, impietatem ſuam Imperator abiecit: ſed ad exemplum Pharaonis obduratus, rabiem ſuam aduerſus pietatem exercere perrexit. Theodoretus lib. 4. cap. 26.

At non perpetuò ab Imperatore impio diuina ultio abfuit. Irruunt enim paulo pòſt in Romanorũ prouincias maxima frequentia Gotthi, quorum rex Athanaricus, ubicunque in Arianos incidiſſet, in eos atrociter ſæuijt, indignè ferens patriam ſuam uiolari religionem, & ſacrificia ab ijs fieri poſtulans. Quod quicunque facere recuſaſſent, igni traduntur. Declarant, ut & hoc addamus, ibi tamen cõſtantiam præclaram Ariani, uiri æquè ac mulieres, quæ infantes pendentes ab uberibus ſecum deducentes ad eccleſiam confugiunt, ac flammis ſubijci ſe & concremari patiuntur. Alij uerò ne uerbum quidem reſpondent, & occiduntur. Socrates libro eodem, cap. 33. Sozomenus libro 6. cap. 37. Oroſius lib. 7.

Mox Barbari, Romanas prouincias propius infeſtantes, Thracia potiuntur. Quæ occaſio tranquillitatis piorum fuit. His enim rebus Valens motus, ab eorum perſecutione deſtitit: & Antiochia relicta, Conſtantinopolim petit, rationes ibi belli contra Gothos uaſtatores initurus. Socrates libro eodem, cap. 35. Sozomenus lib. 6. cap. 37.

Primùm ſuppetias à fratre petit. Qui reſpondet, impium uideri facinus, auxilium ferre bellum gerenti aduerſus Deum, meritoque audaciam huiuſmodi compeſcendam eſſe. Hæc ut triſtia quidem Imperatori miſero accidebant, hoſtilem tamen cõtra pietatẽ animũ nondũ exuit: Cuius rei exemplũ hic inſerere opportunũ nobis uiſum eſt.

Redit inter hæc ex Armenia, ubi trophæa fixerat, Terentius, dux clarus & pius. Iubet eum Valens pro rebus bene geſtis donũ petere, quodcunq; uelit. Petit autem ille, ut erat pius, non aurum, non agros, non præfecturam: ſed ædem unam pro Homouſianis, pericula pro fide ſua ſuſtinentibus. Indignatus Valens, petitionis eius libellum diſcindi iubet, & Terentium alia potius petere. Qui collectis libelli particulis: Accepi, inquit, Imperator à te donum, neq; aliud quicquam à te petiturus ſum. Quid uerò ego ſpectarim, iudicet huius uniuerſitatis Iudex.

Interea aduerſus Barbaros ducem Traianum cum exercitu miſit: qui prælio cum illis commiſſo turpiter uictus, redijt. Cui cum conuicia, ut molli & timido, Valens faceret, liberè ille reſpondit: At non ſum ego uictus, inquit, ſed tu uictoriam corrumpis Imperator, qui aduerſus Deũ aciem inſtruis, & fortunam belli Barbaris concilias. Nam quia tu bello perſequeris eum, ad Barbaros tranſit, ijsq; uictoriam confert. An te fugit, quos ab eccleſijs repuleris, & quibus illas commiſeris? Quæ ita ſe habere, ſimul alij duces Arintheus ac Victor affirmabant: petebantq;, ne reprehenſionibus cum ueritate coniunctis Imperator ſuccenſeret.

Aiunt et Iſaacem, religioſum monachum, in uicina ſolitudine habitantem, aduentaſſe: & Imperatoris equum, cum nouiſsimè ipſe ad prælium cum Gotthis committen-

dum processisset, apprehendisse, ac clara uoce proclamasse: Quò uadis Imperator, aduersum Deum pugnaturus, et Deum inimicum habens? Qui & Barbaros contra te nunc incitauit: quia multorũ tu linguas ad blasphemiam contra ipsum exacuisti, & ab ecclesijs repulisti laudatores eius. Desine igitur tu, si sapis, pugnare: & bellum Deus sopiet. Redde gregibus pastores suos, contingetq; absq; labore tibi uictoria. Sed si his neglectis ad pugnam perrexeris, ipsa te res docebit, quàm sit durum contra stimulum recalcitare. Neque enim ipse reuertêre, neq; exercitum retinebis. Ibi iratus Imperator: Et reuertar, inquit, & reuersus suppliciũ exigã mẽdacis uaticinij tui. Theodoret° li. 4. ca. 31. 32. 33 & 34.

Ita igitur nata tandem Ecclesiæ tranquillitas est, maximè per Aegyptum & Alexandriæ, & animum receperunt Nicænæ fidei professores. Sozomenus lib. sexto, cap. trigesimonono. Sed de magnitudine persecutionis, qua Valens impius tam diu ecclesiã adflixit, hæc in summa testificantur episcopi orthodoxi, congregati post Valentis exitium Constantinopoli: quæ & nos adscribimus.

¶ Recens est & ipsum persecutionis tempus, & memoriæ adhuc obstrepentis, non solum ijs qui tulêre, sed etiam quos illa propria esse ob charitatẽ ducere oporteat. Nam heri, ut ita loquamur, ac nudius tertius, aliqui uinculis exilij soluti, post mille afflictiones redière ad ecclesias suas: aliquorum in exilio mortuorum relatę sunt reliquię: aliqui etiam decurso spacio exilij, adhuc bullientem in furorem hæreticorum incidêre, grauioraq; passi domi quàm foris, lapidibus obruti, ut beatus quondam Stephanus, oppetiêre mortẽ: aliqui uarijs lacerati modis, adhuc ferunt stigmata CHRISTI, ac uibices in corporibus suis. Pecuniæ uerò damna, & ciuitatum mulctas, tum singulatim publicationes bonorum, insidias, contumelias, carceres nemo omnium enumerauerit. Cunctæ enim certè afflictiones in nos accumulatæ sunt, incomprehensibiles numero, fortasse meritos peccatorum nostrorum hanc pœnam, fortasse etiam quos benignus Deus excitare magnitudine malorum uellet. Deo quidem gratias agimus, cum tantis in afflictionib. erudiuit seruos suos, nosq; pro magnitudine miserationũ suarum deduxit ad refrigerium. Theodoretus lib. 5 cap. 9.

DE PERSECVTIONE ET TRANquillitate *Ecclesiæ sub Gratiano, Valentiniano iuniore, & Theodosio.*

IMperauerat Valentinianus annis undecim, & mensibus octo, iuxta Lætum: tredecim uerò, & mensibus quinq;, secundum Eusebij Chronicon: cum iracunda uocis cõtentione arteriam rumpẽs, & sanguinem effundens mortuus est, in castro quod Bergitium uocant. Socrates lib. 4. cap. 31.

Valens uerò cum Valentiniano regnauerat annis decem, & mensibus quinque, cum ad fatale illud contra Barbaros bellum, excitatum (ut Ambrosius ait libro secundo de Fide) ab ipso Deo, in hoc, ut pœnas tandẽ perfidia Arianorũ daret, profectus, incautius pugnans, in acie uictus perijt: igne intra tuguriũ, in quod ex acie cum militib. cõfugerat, iniecto: quemadmodũ Victor, Lætus & Eutropi° prodiderũt: & Theodoret° li. 4. ca. 26.

Succedunt illis, anno Domini (iuxta Eusebium) trecentesimo octuagesimosecũdo, filij Valentiniani, Gratianus natu maior, iunior uerò Valentinianus. Ac fuit quidem Gratianus homo literis non mediocriter institutus, adeò ut & carmen facere, ornatè loqui, & Rhetorum controuersias explicare posset. Cibi deinde, uini & libidinis uictor fuit: pietatis deniq; paternæ studiosus sectator, et in multis egregius princeps, nisi quòd ad gerendam Rempub. animũ negligentius intendebat: ut de eo Victor, P. Diaconus & Egnatius retulerunt.

Cum autem Imperium Romanum laborare, et Barbari inualescere cœpissent, opusq; esse Gratianus animaduerteret prudente aliquo & felice principe, Theodosium Imperij consortem adsumpsit, uirum ex nobili Hispaniæ prosapia (ut ueteri uerbo utamur) ortum, ac in rebus bellicis plurimum exercitatum, ob eamq; uirtutem etiam ante Gratiani electionem, Imperio dignum iudicatũ: ut Socrates indicauit libro quinto, cap. 2.

Quod ad reliquas uerò Theodosij laudes attinet, Imperator Christianus fuit, à progenitoribus suis, (teste Socrate eodem libro, cap. sexto) propagator atq; defensor Reipublicę eximius, animo clementi, misericorde, & cõmuni in omnes honestos, simplicium ingeniorum amator, eruditorum admirator, largus in omnes profuse, pacis amans, bellorum negligens, pudoris & continentiæ studiosus, literis mediocriter tinctus, & in historiarum lectione diligens. Irascẽs quidem, sed ita, ut de eo meritò quis diceret:

Quo quisq; est maior, magis est placabilis iræ.

Benignus præterea & æquus in omnes fuit, etiam hosti parcens: qui onera à Republicæ quæcunq; auertit. & in cognatos supra modum pius fuit, adeò ut & adfines etiam proprios ac ex sese genitis cõplecteretur: quemadmodum Victor, P. Diaconus, Egnatius & Sozomenus prodiderunt.

Sed pietatis excellentis, quæ in Theodosio fuit, exempla uideamus. Irruerant initio Imperij sui, quod communiter cum Gratiano gessit Theodosi°, Gotthi magna ui in Thraciã: quos Theodosius summa felicitate multis

multis magnisq; prælijs uicit, ac è Thracia pepulit, anno Domini (iuxta Eusebij Chronicon) trecentesimo octuagesimo secundo. Post uictoriam uerò, cum Constãtinopolim properaret, uenit Thessalonicam, ubi morbo subito correptus, ab Acholio Thessaloni censi episcopo baptizari postulauit. Episcopus accersitus primùm eum interrogauit, quam fidem profiteretur? Respondit Imperator, se eã amplecti & profiteri fidem, quam ecclesiæ in Illyrico, Ariano dogmate nondũ infectæ, obseruarent: eã nimirũ quæ ab Apostolis iam olim tradita, & in Nicęna Synodo postea cõfirmata esset. Ita igitur ab episcopo cupidissimè baptizatus, & à morbo liberatus est. Socrates lib. quinto, cap. sexto.

Cum tertium iam annum cum filijs suis Arcadio & Honorio imperaret, anno Domini trecentesimo nonagesimosexto, bellum contra Eugenium, qui Imperium sibi ut tyrannus rapuerat, mouere Theodosius coactus fuit. In ipsa igitur pugna, quæ anceps admodum erat, & Theodosij magis quàm Eugenij copiæ periclitari uidebantur, Imperator, qui aliàs semper plus orationi quàm militum multitudini cõfidere solebat, in terram ipse procubuit, & auxilium Dei implorauit: quod & accepit. Eugenium enim uicit tum, & peremit. Eusebius in Chronico: Socrates lib. quinto, cap. uigesimoquinto.

Ante hoc bellum autem, cum in seditione quadam orta Thessalonicæ, magistratus aliquot saxis obrutos, & contumeliose tractatos comperisset, ira ingenti percitus, & furore uictus, septem tum hominũ millia Thessalonicæ interfici permiserat. Id magno dolore Ambrosius Mediolanensis episcopus cognouerat: Theodosium autẽ postea cum Mediolanum uenisset, templum solenniter ingredi uolentem prohibuit. Quod non ægrè Imperator tulit: sed peccatum suum agnoscens, octo luxit mensibus, quo pœnitentiæ curriculo completo, ad templum postea cum lachrymis redijt, Domino supplicans, non stans, nec genu flectens, sed in terram pronum se prosternens, ac sic cum Dauide orans: Adhæsit pauimento anima mea: Viuifica me Domine, secundum uerbum tuum. Surgens uerò manibus barbam & capillos euellit, frontem cæcidit, & pauimentum lachrymis suis conspersit. Ac ueniam tandem petens, receptus ab Ambrosio est, populo pro eo deprecante. Narrant Theodoretus libro quinto, cap. decimoseptimo, & decimooctauo: Sozomenus libro septimo capite, uigesimoquarto: Paulus Diaconus libro decimotertio: Augustinus libro quinto de ciuitate Dei, capite uigesimo sexto.

Coniunctis igitur studijs Theodosius ipse & Gratianus, sedulò pro pace & tranquillitate ecclesijs reddenda laborarunt. Gratianus quidem Valentis patrui sui crudelitatem, quam in Christianos tam diu exercuerat, palàm damnauit: eosque doctores & episcopos, qui ab eo in exilia pulsi erant, reuocauit, ac singulos Ecclesijs suis restituit. de qua re & legem tulit: ut Theodoretus testatur libro quinto, capite secundo: & Sozomenus libro septimo, capite secundo: Ambrosius lib. quinto Epistolarum, epistola uigesimasexta.

Igitur Ariani ex Oratorijs passim profligati sunt: ex qua re turbæ in ciuitatibus multæ cooriebantur. Sed ne sic quidem Homousianis pace integra frui licuit. Antiocheni enim eos qui Synodo Constantinopolitanæ interfuerant, condemnabant: quemadmodum de his iniurijs Synodus Constãtinopolitana in epistola sua queritur apud Theodoretum lib. quinto, cap. nono. Quamuis, inquit, uehementia maximè persecutionum esse, & nunc serò tandẽ receptas ab hęreticis ecclesias reficere uideamur, tamen permoleſti nobis sunt lupi, eiecti quidẽ caulis, sed in saltibus diripientes gregem, dum contrarios nobis conuentus celebrare audent, concitatoq; seditioso uulgo nihil intentatũ ad detrimentum Ecclesiarum relinquunt.

Accessit huc, quòd Ariana labe contaminata Iustina, Imperatorum Gratiani & Valentiniani mater, etiam alteri filiorum, Valentiniano scilicet, Arianismum persuaserat. Qui ut fenestram quàm maximè patentem sceleratæ hæresi patefaceret, Ambrosiũ, sanctum episcopum, in sententiam suam pertrahere moliebatur. Sed spe sua fraudatus, cum nihil minus quàm Ambrosium seducere posset, centurijs nonnunquam grauis leuisq; armaturæ ecclesiam Mediolani cinxit, & exire iussit. Ad quod Ambrosius fortiter respondit: Nec se sponte hoc facturum, nec proditurum lupis ouile suum, nec templũ Dei blasphematoribus cessurum. Quod si se interficere propositum haberet, in templo suo gladium in se defigeret. Licere enim sibi id, eamq; mortem sibi perquàm gratissimã futuram. Theodoretus libro quinto, capite decimotertio.

Egit toto studio & Iustina id, ut in exiliũ Ambrosiꝰ eijceretur: sed restitit populi multitudo. Qua re accensa magis, conatus suos lege promulgata cõfirmare nititur. Accersit ad se Beneuolum legum scriptorem, atq; ut legem conscribat, iubet. Sed recusat ille: erat enim catholicus. Mox blanditijs & honorum promissionibus tentatus, detractũ sibi ipsi cingulũ ad pedes Imperatoris proijcit, significans se neq; prẹsentem, neq; amplioré honoré, pro impietatis mercede sibi cupere.

Alios igitur ad legis ſcriptionem ſolicitat, cuius hæc fuit ſententia: Vt qui cum Arimineſi ſynodo, ijsq; qui Cõſtantinopoli poſtea congregati fuerunt, ſentirent, intrepidè conuenirent: ſi qui uerò detrectarent, & uel impedirent, uel legi repugnarent, ſupplicium mortis ſubirent. Quæ dum ingenti conatu Regina agit, ecce properè nunciatur mors Gratiani, ab Andragatio Maximi duce occiſi. Sozom. lib. ſeptimo, cap. decimotertio.

Narrat id ſuum periculum Ambroſius in oratione inuectiua in Auxentium, & epiſtola trigeſimatertia ad Marcellinam ſororem, ac quæ & quanta cum auditoribus ſuis à Valentiniano ab Auxentio occupato perpeſſus ſit. Cum uerò iuſſus eſſet Eccleſiæ uaſa tradere, hoc ſe reſponſi dediſſe ibidẽ retulit: Si de meis aliquid poſcerer, & uel aurũ uel argentum, uel fundũ, ac quicquid mei iuris eſſet, libenter offerrem: ſed templo Dei nihil mihi licet decerpere, nec tradere illud, quod cuſtodiendum, non tradendum acceperim. Deinde & Imperatoris meum eſt ſaluti cõſulere: cui id accipere tam non expedit, quàm mihi tradere. Audiat igitur uocem liberi Sacerdotis, ſi conſultum ſibi eſſe expetit. Sed hoc reſponſum quid ſecutum ſit, ibidem recitat: exilium ſcilicet decretum, & percuſſores, à quibus tamẽ diuino beneficio liberatus ſit: gemitus item & lachrymas aliorũ, cum qui Eccleſijs præeſſent, iuſsi eſſent expelli, reſiſtentes uerò gladio feriri, aut proſcribi.

Baſilicas uerò à Valentiniano poſtulatas armata manu, quas tamen defenderit, ac Dei beneficio retinuerit, in epiſtola ad Marcellinam oratione prolixa hoc modo recitat:
Die Veneris quæ præcedit Dominicam palmarum, Ambroſius conuentus à comitibus conſiſtorianis, ut & baſilicã traderet, & procuraret ne quid populus turbarũ moueret: reſpondit: Templum Dei tradi à ſacerdote non poſſe. Hoc reſponſum epiſcopi ſui populus ſequenti die acclamatione ſua comprobauit in eccleſia: in quam etiã Præfectus uenit, ſuadens ut baſilica Portiana cedant.

Sequenti die, quæ eſt Dominica palmarũ, Ambroſio in eccleſia docenti nunciatur, quod ad Portianam baſilicam de palatio decanos miſiſſent, & uela ſuſpenderent, populi partem eò pergere, & Caſtulum presbyterum Arianũ in platea offenſum raptare. pro hoc Ambroſius in officio miſſo orat, ne ſanguis eius profundatur: & miſsis presbyteris & diaconis, ipſum populi iniuriæ eripit. Condemnationes ilico grauiſsimæ decernuntur, primò in corpus omne mercatorũ. Itaq; ſanctis diebus heddomadis ultimæ, quibus ſolebant debitorum laxari uincula, ſtridunt catenę, imponuntur collo innocentium, exiguntur ducenta pondo auri intra totum triduum. Reſpondent aliqui, ſe tantum, aut duplũ, ſi peterentur, daturos, dummodò ſeruarent fidem. Erant pleni carceres negociatoribus. Palatina officia procurantibus interdicitur proceſſus in templũ: & additur hic prætextus, ne interſint ſeditioni. ſimulq; honoratis triſtiſsima cõminantur, niſi baſilicam traderent. Comites & tribuni inſtant apud Ambroſiũ ut baſilicæ traditionem maturent, dicentes, Imperatorem iure ſuo uti, eo quòd in poteſtate eius eſſent omnia. His reſpondet Ambroſius: Si à me peteret Imperator, quod meum eſſet, id eſt, fundum meum, argentum meum, ius huiuſmodi meum me non refragaturum: quanquam omnia quæ mea ſunt, eſſent pauperum. uerùm ea quæ ſunt diuina, Imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubiecta. Si patrimonium petitur, inuadite: ſi corpus, occurram. Vultis in uincula rapere, uultis in mortem, uoluntati eſt mihi. Non ego me uallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo uitam obſecrans, ſed pro altaribus gratius immolabor. Horrebam quippe animo, cum armatos ad baſilicam Eccleſię occupandam miſſos cognoſcerem: ne dum baſilicam uendicant, aliqua ſtrages fieret, quæ in perniciem totius uergeret ciuitatis. Orabam, ne tantæ urbis, uel totius Italiæ buſto ſuperuiuerem. Deteſtabar inuidiam fundendi cruoris: offerebã iugulum meũ. Aderant Gotthi tribuni, adoriebar eos dicens: propterea uos profeſsio Romana ſuſcepit, ut perturbationis publicę uos præbeatis miniſtros? Quò tranſibitis, ſi hæc deleta fuerint? Exigebatur à me, ut populum compeſcerem. referebam, in meo iure eſſe, ut non excitarem: Dei manu, ut mitigaret. Poſtremò, ſi me incentorem putarent, iam in me uindicari oportere, uel abduci me in quas uellent terrarum ſolitudines. His dictis illi abierunt: ego in baſilica ueteri totum exegi diem. inde domum cubitum me recepi, ut ſi quis abducere uellet, inueniret paratum.

Ante lucem, ubi pedem limine extuli, circumfuſo milite occupatur baſilica. Idq; à militibus Imperatori mandatum dicitur, ut ſi prodire uellet, haberet copiam: ſe tamẽ præſto futuros, ſi uiderent eum cum catholicis cõuenire. Alioquin ſe ad eum cœtum, quem Ambroſius cogeret, tranſituros. Prodire de Arianis nullus audebat, quia nec quiſquam de ciuibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gotthi: quibus ut olim plauſtro ſedes erat, ita nunc plauſtrum Eccleſia eſt. Quocunq; fœmina iſta proceſſerit, ſecũ ſuos omnes cœtus uehit.

Circumfuſam baſilicam eſſe gemitu populi intellexi: ſed dum leguntur lectiones, intimatur mihi, plenam populi eſſe baſilicam, etiam

etiam nouam: maiorẽ uideri plebem quàm omnes cum essent liberi: lectorẽ efflagitari. Quid plura? Milites ipsi qui uidebantur occupasse basilicã, cognito quòd præcepissem ut abstineretur à cõmunionis consortio, ad conuentum hunc nostrum uenire cœperũt. Quibus uisis, turbantur mulierum animi, proripit se una. Ipsi tamen milites se ad orationem ueniisse, non ad prælium, loquebantur. Clamauit aliqua populus: quàm moderatè, quàm constanter, quàm fideliter poscebat, ut ad illam pergeremus basilicam? In illa quoque basilica fertur, quòd populus præsentiam flagitabat meam. Tunc ego hunc adorsus sermonem sum: Audistis filij librum legi Iob, qui solenni & munere est decursus, & tempore. Sciuit & usu hunc librum etiam diabolus intimandum, quo uirtus omnis suę tentationis aperitur & proditur. Et ideo se hodie motu maiore concussit. Sed gratias Deo nostro, qui nos ita firmauit fide atque patientia. Vnum Iob miraturus ascenderam, omnes Iob quos mirarer inueni, &c. Quid enim præsentius dici potuit à Christianis uiris, quàm id quod hodie in uobis Spiritus sanctus est locutus? Rogamus Auguste, non pugnamus: non timemus, sed rogamus.

Mandatur denique: Trade basilicam. Respondeo: Nec mihi fas est tradere: nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare, domum Dei existimas auferendam?

Allegatur: Imperatori licere omnia, ipsius esse uniuersa. Respondeo: Noli te grauare Imperator, ut putes te in ea quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: sed si uis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse: Debeo & ego unam basilicam habere. Respondi: Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera enim est, quæ non est legitimo Christi copulata coniugio. Dum hæc tracto, suggestum est mihi, cortinas regias esse collectas: refertam autem populo basilicam, præsentiam mei poscere. statimque eò conuerti sermonem meum, dicens: Quàm alta & profunda oracula sunt Spiritus Sancti? & cætera.

Nec mora, nunciatur Imperatorem iussisse, ut recederent milites de basilica: negociatoribus quoq;, quòd exacti de condemnatione fuerant, redderetur. Quæ tunc plebis lætitia fuit? qui totius populi plausus? quæ gratia?

Erat autem dies quo sese Dominus pro nobis tradidit, quo in Ecclesia pœnitentia relaxatur. Certatim hoc nunciare milites, irruentes in altaria, osculis significare pacis insigne.

Seditio interea & persecutio in Christianos Alexandriæ orta est, quòd templũ Bacchi repurgare, simulachra eijcere è mysterijs gentilium aliquando conati fuissent. Commoti enim Pagani, armis in Christianos irruunt, alios occidunt, alios uulnerant. Comprehensos per tormenta sacrificare cogunt. Nolentes alios crucifigunt, aliorum crura frangunt, alios interimunt: nihil morantes Romanum Ægypti præsidem, & Eusgrium Alexandriæ præfectum, præcipientes ut à seditione ea & crudelitate cessarent. Armauit ibi tum uulgi furorem Olympius sophista hac uoce, quòd cœlestes statuis inesse uirtutes diceret. Sozomenus libro septimo, cap. decimoseptimo.

Atq; hæc quidem orthodoxorum fortuna in regionibus fuit Orientalibus: cum interea Theodosio in Occidente imperante, ecclesiæ, præsertim in Italia, quietæ & tranquillæ essent: quemadmodum Ambrosius in oratione funebri de obitu Theodosij testatur. nam nec Eunomianis petulantiæ aliquid in eos exercere permisit, sed ab aula sua omnes quotquot Eunomium obseruarent, proscripsit. Narrat Nicephorus libro duodecimo, capite uigesimonono.

DE PERSECVTIONE SVB *Isdigerde Rege Persarum.*

THeodosio adhuc imperium obtinente, Isdigerdes Persarum rex contra Ecclesiam bellum eiusmodi mouit occasione. Audas quidam erat episcopus, plurimis ornatus uirtutibus. Is zelo motus diuino, πυρεῖον (sic illi templum Vestæ seu Flamminæ uocant) subuerterat. Hoc cum ex Magis rex cognouisset, ad se Audam uocauit: ac clementer prius obiurgatum, instaurare Pyreum iubet. Quod cum se facturum Audas negaret, uniuersas se rex destructurum interminatur Christianorum ecclesias: quod & factum est. Prius enim ibi uirum illum occidi, & destrui ecclesias rex imperauit. Hinc igitur initio sumpto, per annos continuos triginta persecutio in Persia grassata est. Mortuo enim Isdigerde, filius Gororanes, persecutionis hæredem æquè se ac regni arbitratus, bellum contra pietatem exercuit. Qui & ipse moriens, ambo illa coniuncta filio suo successori reliquit.

Genera autem suppliciorũ, & exquisitas pœnas, quibus pios excruciauerunt, non est facile

facile nunc explicare. Aliorum namque manus excoriauerunt, aliorum dorsa, aliorum capita, à fronte inchoantes ad ceruices usq; pelle detracta, nuda reliquerunt. alios sectis per mediũ calamis, nudos operiẽtes, ipsasq; sectiones calamorum carnibus aptantes, à capite usq; ad pedes funibus stringebãt, ac postea calamos ex eorũ membris uiolenter trahebant, ut acutæ sectiones calamorum cum traherent, carnes secarent, & tormentum maximi doloris inferrent. Multos deinde lacubus accuratè occlusis inclusere, collecta cõdem glirium multitudine, à quibus corpora martyrum inclusorum depascerentur: alligatis quidem eorũ manibus ac pedibus, ne abigere à se glires infestantes possent. Ita glires fame compulsi, paulatim sanctorũ carnes per diuturnum & uehementem cruciatum absumebant. Et quamuis his atrociora tormenta excogitarunt, artificia illis subijciente diabolo, ueritatis hoste: non tamen fortitudinem generosorum pugilum uicêre. Sua enim sponte accurrebãt, qui occasione mortis huius, incorruptibilis uitæ donũ percipere expetebant. Theodoretus libro 5, cap. trigesimonono.

DE POENIS PERSE-
cutionum.

PRiusquam de pœnis, iusto Dei iudicio persecutores tyrãnos secutis, dicamus: de Maximino illo quem Imperij sui socium Diocletianus habuit, & Maximino altero quem Licinius tandem deuicit, pauca monebimus. Eusebij exemplar, quod Ruffini opera prodidit, simpliciter affirmat, lectũ in consortem regni à Diocletiano fuisse Maximianum Herculium, quo eum nomine & Romanarum historiarum scriptores aliqui uocarunt. Et inuentum Romæ in agro Forosempronienſi epigramma, inscriptum saxo quadrato, Lætus prodidit, in hanc formam: AETERNI IMPERATORES DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS AVGVSTI, &c. Pro quo tamen nomine Græcum Eusebij exemplar, quemadmodum & Musculus indicat, ubiq; habet Galerius Maximinus: ut libro octauo, cap. ultimo. Sed perturbationem quandam inducit, quod eodem nomine ab Eusebio appellatur tyrannus Orientalis, ille qui à Licinio uictus, morbo tandem, quemadmodum dicemus, perijt.

Cum eo igitur seu Maximiano, seu Maximino Diocletiani socio, Diocletianus imperium deposuit per furorem, ut Nicephorus ait, & insaniam aduersus Christũ: quod propter fortes nobilium & generosorum martyrum, & constantes animos, illius nomen extirpare & tollere non potuissent. Priuatam autem uitam egerunt, hic Nicomediæ, ille uerò Mediolani. Postea uerò Diocletianus morbo, quo in ecstasin incidit (ut Eusebius ait lib. 8, capite 13) miserabiliter perijt. Ruffinus eum uarijs prius morbis cõflictatũ, tabe tandem corporis, & mentis insania perijsse indicat: qua correptum, uim sibi ipsi intulisse, Eusebius scripsit in oratione ad Conuentum sanctorũ: cum se prius, fulminis ictum metuens, abdidisset. Verùm hæc de interitu Diocletiani, Nicephorus prodidit lib. 7. cap. 20. Diocletianus, inquit, diuinis expetitus plagis, toto primùm corpore tumorẽ ingentem concepit: quo deinde uariè disrupto, lentè ita emarcuit, ut blasphema eius & impia lingua, quæ iniquitatem in altum euomuerat, intra fauces ipsius uermium uim proferret: qui ex ore illius prorepentes, fœtore pessimo locum habitationis omnem replebãt. Postremò autem more canis quàm maximè latrãs, sceleratam & nefariam cum quadam uiolentia exhalauit animam. Gelasius uerò Cæsareæ Capadocum episcopus memorię mandauit, eum cum Maximino, imperio deposito pœnitentia ductum, id recuperare uoluisse: sed Senatusc̃osulto interfectũ esse. Romani scriptores, ut Aurelius Victor & Põponius Lætus, metu eum extinctum fuisse scripserunt: cum à Constantino atque Licinio ad nuptiarum festiuitatẽ uocatus, se per senectam interesse non posse respondisset: postea uerò ab ijsdẽ minaces literas accepisset, quasi Maxentio amicus fuisset, & Maximino faueret: ob quod necẽ ignominiosam suspectãs, uenenũ hauserit. Domũ etiã eius fulmine & cęlesti flamma consumptã fuisse, Eusebius in oratione ad Conuentũ indicat.

Eutropius autem lib. 10, & Orosius libro septimo, autores sunt, persecutionem Diocletiani secutum terræmotum ingentem in Syria, quo apud Tyrum & Sidonem ædium tecta concussa sint, & ruentia multa hominũ millia protriuerint. Tale quiddam & Romæ accidisse, Vincentius narrat lib. duodecimo, cap. quadragesimoprimo, ubi in terræmotu lapsus cameræ, sub qua iudex sedebat, Pirropogonem præfectum cum quadraginta ministris obruit. Spoleti uerò, lapsus regiæ ultra trecẽtos quinquaginta paganos idolis seruientes oppresit: eodem autore libro eodem, cap. quinquagesimoquarto. Et Flaccum præsidem, post martyrium Gregorij episcopi Spoletani, ab angelo percussum, interiora sua euomuisse, & expirasse tradidit. Dioscorus uerò, cum filiam suam Barbaram Christianam è medio tulisset, igne cœlesti consumptus est. Idem libro eodem, cap. 67. Alius rursus, quem Aprofrasium uocat, persecutionẽ apud Mendulas executus est. sed dæmon eum equo insidentem in terram præcipitauit. Idem libro eodem, cap. quadragesimosecundo.

De Maximini supplicio hæc Eusebi⁹ narrat, libro octauo, capite decimosexto: Corripuit, inquit, eum supplicium diuinitùs illatum, initio ex ipsa illius carne sumpto, & progressu ad animam usque facto. Etenim subitò illi accidit in medijs corporis arcanis suppuratio, deinde in imis illorum ulcus fistulosum, & ex his uis quædam mali interiora uiscera depascens, & indicibilis multitudo uermium ebulliens, & lætiferum fœtorem exhalans: toto alioqui corporis tumore, ex abundantia cibi, etiam ante morbum, in nimiam pinguedinem mutato: quæ tum suppurata, intolerabile & horrendissimum appropinquantibus spectaculum præbuit. Itaq; medicorum alij incredibilem fœtorem ferre non ualentes, occidebantur. Alij, quia toto corpore tumefacto, nulla supererat spes salutis, ideoq; medendo nihil efficere poterant, crudeliter interimebantur & ipsi. Additur in Ruffini exemplari, quendam ex ijs, quem iugulari præceperat Maximinus, inspiratum à Deo, Imperatori hæc obiecisse: Cur Imperator erras, & quod Deus infert, ab hominibus putas posse reuocari? Nec humanus est iste morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare, quanta in seruos Dei egeris, quamq; in religionẽ diuinã impius & profanus extiteris: & intelliges, unde tibi sint poscenda remedia. Nã & ego quidẽ mori cũ cæteris potero, tu tamẽ à medicis nõ curaberis.

Post eum, seu Maximianum, seu Galeriũ Maximinũ, Maximinus alter tyránus Orientalis, qui se in literis ad Sabinum, apud Eusebium lib. 9, cap. 9. Iouium nominat, Maximinum in bello primùm turpi fuga euasit: deinde cum bellum denuò mouere conaretur, in morbum & cruciatus horribiles incidit, de quó hæc Eusebius lib. eodẽ, cap. decimo: Post legem pro Christianis latã, inquit, subita plaga Dei percussus, in altero belli conflictu moritur, non eo modo quo duces belli, pro uirtute & amicis uiriliter in bello decertantes, glorioſam mortem magnanimiter sustinent: sed sicut impius ac Deo rebellis, acie adhuc in campo stante, domi manens & abditus, competens supplicium sustinet, subita plaga Dei per totum corpus percussus: ita ut grauibus cruciatibus ac doloribus exagitatus, & inedia consumptus, pronus lecto deciderit, ac carnibus illius inuisibili ac diuinitus immisso igne prorsus labefactatis, ita defluxerit, ut omnem priscæ formæ speciem amiserit, & sola illi arida ossa, instar simulachri lõgo tempore exiccati, reliqua fuerint: nec aliud ab adstantib. corpus eius esse iudicatum sit, quàm sepulchrum animæ, in mortuo iam & prorsus deciduo corpore defossę. Cum aũt uehemẽtius adhuc, et magis quàm thermæ soleant, ex ipsis medullarũ penetra libus cõflagraret, prosilierũt illi oculi, ac limites suos excedentes cæcũ reddiderũt. Spirãs aũt adhuc in istis cruciatibus, cõfessione Domino facta mortem aduocabat, ac tandẽ hęc se propter insaniã contra Christũ prę sumptã meritò, & ultionis uice perpeti cõfessus, animam reddidit. Hæc Eusebius. Sed alij, ut Zonaras indicauit, in fugam eum à Licinio uersum, seipsum interemisse scripserunt.

Ad hunc igitur modũ è medio Maximin⁹ sublatus, omnium Imperatorũ impijssimus, ignominiosissimus, ac Deo supra modũ inuisus tyrannus, publicis est edictis declarat⁹. Tũ quęcunq; literarũ monumenta in illius, liberorumq; eius honorẽ in singulis ciuitatibus cõstituta erant, è sublimi partim ad pauimentũ deiecta, protritaq; sunt: partim ita sunt obscuro colore obducta et denigrata, ut aspici non potuerint. Præterea & statuæ, quæcunq; in honorem illius erectę fuissent, ad eundẽ modũ deiectæ & conculcatæ, omniumq; risui & illusionibus expositæ sunt. Deinde & aliorũ pietatis hostiũ insignia omnia sublata sunt: & occisi, quotquot Maximino fauerant, illi præsertim qui primarijs dignitatib. ab illo affecti fuerãt, ut ipsi assentarentur, & doctrinã ac religionẽ Christianã acerbius infestarent. Inter quos Peucetius erat, quẽ præ omnibus honoratissimũ, uenerãdissimum, & amicorũ intimum habuerat, bisq; ac tertiò consulẽ, & omniũ rerũ præfectum supremũ constituerat. Et Culcianus, qui omnis generis potestate sub eo potitus, fusoq; innumerorũ Christianorũ sanguine, per Ægyptũ celebris factus fuerat. Quin & Theotecnum ultio assecuta diuina est, ob eą quę cõtra Christianos crudeliter perpetrauerat. Nã is propter statuã quã Antiochiæ erexerat glorioſus fact⁹, etiã præses fuerat à Maximino cõstitutus. Licinius aũt cũ Antiochiã uenisset, ut incãtatores cõprehenderet, statuæ nuper à Theotecno erectę prophetas & sacerdotes tormẽtis subiecit, & qua ratione seductionẽ illã palliassent inquisiuit. Illi igitur cruciatib. adacti, Theotecnũ imposturæ illius autorẽ esse cõfessi sunt. Ita Licinius Theotecnũ ipsum primùm, deinde & cæteros incãtationis socios supplicijs affectos nè cari iussit. Quibus omnib. effectis, etiã liberi Maximini, quos iã ipse Imperialis honoris, tabularũq; & insigniũ publicorũ socios reddiderat: deinde et cognati, qui per insolentiã antea omnes oppressĕrãt, eadẽ supplicia sunt perpessi. Eusebius libro eodem, cap. ultimo.

Sed & prę fectus castrorum, seu dux Maximini, qui, ut suprà diximus, Damasci Phœniciæ mulierculas infames à foro rapuerat, & falsa in Christianos cõminisci tormẽtis coëgerat, paulo pòst mortẽ ipse sibi propria manu cõsciuit: ut Eus. testatur li. eodẽ, ca. 5. & 6.

¶ De

¶ De Maxentio tyranno Romano dicendum nobis nunc est, qui aliquot à Constantino prælijs uictus, cum suis tandem in flumine perijt, ponte rupto, quem scaphis coniunctis, ut transire posset, ipse fecerat, & in proprium exitiũ parauerat. Euseb. lib. 9. cap. 9. Miluium eum pontem Nicephorus uocat, eiusq; Maxentij interitus Prudentius meminit hoc modo:

Tristis Christicolæ ducis aduentantis ad urbem
Miluius, exceptum Tyberina in stagna tyrannum
Præcipitans. ——

Verùm cum et Licinius ipse in pietate, quã initiò professus erat, non perstitisset: & religionem Christianorum exosus, bellum contra eam, ueluti diximus, & persecutionem mouisset, atq; ob illud bello eum Constantinus aggressus esset, uictus primùm: deinde iterum repugnans, Cõstantini mandato interfectus est. Eusebius libro secundo de uita Constantini: Socrates lib. 1 cap. 4. Sozomenius libro primo, capite septimo.

Atq; hæc tum in persecutionis autores diuina fuit animaduersio: quã & publicæ multæ calamitates consecutæ sunt, quas Eusebius recitat libro octauo, cap. decimoquinto: uidelicet, quòd eo toto persecutionis, cuius principium Diocletianus dederat, tyranni uerò postea Orientis & Occidentis continuauerant, decennio, nihil ipsis defuerit, quod ad mutuas insidias & bellum intestinum attineret. Mare nãq; nauigijs clausum & innauigabile erat: nec fieri poterat ut aliunde quis nauigio adpellens non omnis generis plagis & tormentis cruciaretur, & an ab hostibus explorator missus esset inquireretur, tandem uerò uel crucis uel ignis supplicio traderetur. Totum præterea tempus illud apparationi rerum ad expeditiones militares necessariarum tribuebatur, ut hastarum, thoracum, scutorum, triremium, aliorumq; armorum nauticorũ: nec in metu & expectatione aliud ubique quicquam fuit, quàm hostium irruptiones. Quæ mala omnia fames & pestis consecutæ sunt. Fames quidem tanta, ut una tritici mensura bis mille & quingentis Atticis uenderetur. Factũ inde est, ut per ciuitates infinita hominum multitudo fame confecta, mortua sit: maior uerò per uicos & agros pestilenti morbo. Alij igitur quæ cariſsima & preciosissima haberent, pro tenuissimo cibo ditioribus uenderent: alij possessionibus suis paulatim diuenditis, ad extremam egestatem redigerentur. Quidã modicas graminis minutias mandentes, & letiferis herbis promiscuè uescentes, ualetudinem corrumperent. Nonnullæ etiam per ciuitates nobiles fœminæ, ad extremam inopiam adactæ, ad agros mendicandi gratia se reciperẽt. Et alij quidem uiribus exhausti, uelut exanima simulachra, huc illuc uacillantes, nutantesq; & collabẽtes, in medijs plateis procíderent: supiniq; palmis extẽsis, ut pauxillũ sibi cibi porrigeretur, suppliciter orarẽt: atq; in extremis cõstituti, animamq; agentes efurire se clamarent, ad hanc etiam uocem proferendam uix ualentes. Sic igitur in medio foro, & per angiportus, mortua ac nuda corpora pluribus diebus inhumata & proiecta, miserabile uisentibus spectaculum exhibebant. Cum & canum cibus nonnulli fierent: ob eamq; causam potissimum qui uiuebant canes interficerent, uerti ne rabidi facti, ad uorandos & laniendos homines conuerterentur.

Pestis præterea in singulas domos & ætates horrẽda sæuijt, eos præsertim absumens, quos propter alimentorum copiam fames absumere nequibat. Opulenti igitur, & principes, ac præsides, alijq; infiniti qui Magistratibus fungerentur, hoc mortis genere miserandum in modum interibant. Erantq; omnia ubiq; luctu, planctibus & ploratibus plena. Et ad hunc modum duplici ueluti armatura mors belligerans, fame scilicet ac peste, totas familias breui tempore absumpsit. Quæ scilicet præmia erant iactantiæ Maximini, & edictorum quæ per ciuitates contra Christianos publicauit. Eusebius libro nono, capite octauo.

Recitat Sozomenus lib. secundo, cap. decimoquarto, Millem quendam episcopum, qui in persecutione sub Sapore in Persia martyrium passus est, uenisse aliquando in ciuitatem Persicam, ac diligẽter singulos ibi exhortatum esse, ut CHRISTO nomen darent: sed uerbera ibi multa passum, ac tractum per ciuitatem: nemini autem persuadere potuisse, ut Christianus fieret. Molestè igitur id eũ tulisse, ciuitatiq; maledixisse, & abijsse. Paulò igitur pòst, cum in regem Persicum, magistratus ciuitatis eius quiddam deliquisset, missum eò fuisse exercitum, qui ciuitatem eam funditus euerterit.

Constantini uerò tempore Teridates quidam in Armenia persecutionẽ exercuit: ubi tum ab eo Gregorius Magnus ille, qui miraculis insignis fuit, multa passus, tandemq; in foueam cœnosam & caliginosam ad annos quatuordecim inclusus est. Post quod Teridates, eius gentis princeps, cum domo sua tota, & cum optimatibus, diuinę iræ uindictam expertus est: sic, ut in porcos omnes transformati, porcorum inter se more uixerint, seq; mutuò deuorarint. Narrat Nicephorus lib. octauo, cap. trigesimoquinto. Verane sit historia, an fabulosa, lector iudicet. Vetustiores certe autores eius rei non meminerunt.

Sub Constantio mulier illa infamis, quæ mercede

mercede ab Arianis conducta, Antiochię Eustathium episcopum adulterij falsò accusauerat, grauissimo & diuturno paulo pòst morbo correpta est: in quo, quomodo fabula illa ab Arianis composita, ipsaq; conducta esset, prodidit. Recitat Theodoretus lib. primo, cap. uigesimoprimo.

Sub eodem, post Synodum Antiochenã, in qua Athanasius condemnatus fuit, ciuitates Orientales, ac præsertim Antiochenorũ, maximis terræmotibus quassatæ sunt: Sozomeno teste lib. tertio, cap. 6.

Cum primo Imperij sui anno Constãtius Athanasium adfligere constituisset, Athanasius fuga euasit ad amicum quendam, qui eum in subterraneo & inaccesso loco occultauit: quod nemini tum constabat, nisi illis apud quos latitabat, & ancillæ, quæ fida esse credebatur, & ministra Athanasio addita erat. Cum autem magno eum studio Ariani quærerent, comprehensuri ubicunq; inuenissent, ancilla ea seu muneribus (ut uerisimile est) seu promissis inducta, prodidit eum. Sed insidias eas Athanasius diuinitus præmonitus iterum euasit: ancilla autem comprehensa est, & quasi contra dominos suos, qui & ipsi aufugerant, mentita esset, pœnas dedit. Sozomenus libro quarto, capite decimo.

Sed nec Constantius ipse perfidiam & improbitatem suam perpetuò impunè tulit. Primum enim infeliciter ei res bellicæ, quas in Oriente gerebat (ut Nicephorus scribit libro nono, capite uigesimooctauo) cesserẽ. Deinde, sub exitum uitæ (ut Theodoretus narrat libro secundo, capite trigesimosecundo: & libro tertio, capite primo) miserè conquestus est, quòd fidem innouasset: quam rem inter mala, quæ regno suo indignè accidisse dicebat, quemadmodum Nazianzenus ait in oratione funebri in Athanasium, enumerabat, Tandem etiam in eo pœnitentiæ gemitu & querelis, tristi ac uiolento morbo è uita excesit. Nunc de Iuliani interitu dicimus.

¶ Bellum is, profecturus in Persas, quemadmodum diximus, Christianis iurauerat, si uictorem se à Persis redire contigisset. Sed in eo bello, exercitus primùm eius (ut Theodoretus indicat libro quarto, capite secundo) annonæ penuria laborauit. Ipse uerò Persæ cuiusdam dolo in deserta ductus, conto traiectus perijt. Sunt qui sagitta è cœlo missa uulneratum eum fuisse dicant: unde in nefariam uocem (uicisti Galilæe) erumpens, pugillumq; proprij cruoris in aerem proijciens occubuerit. Narrat Egnatius Venetus. Nazianzenus uerò in oratione sua, audisse se à quodam scribit, Iulianum tragicè ita & horribiliter mortuum, nec sepulchro conditum fuisse, sed à terra propter ipsum commota absorptum & concrematum esse.

Eius auunculus, qui & ipse Iulianus uocabatur, Antiochiæ in templo sacram mensam lotio emisso profanauerat. Euzoio uerò episcopo ob id eum obiurganti, alapam impegerat. Non multo autem pòst graui correptus morbo intestinorum putrescentiũ, miserè interijt, excrementis non amplius per meatus suos, sed per os sceleratum egredientibus. Theodoretus lib. 3, cap. 13. Sozomenus addit lib. 5, cap. 8, etiam carnem eius putrefactam, in uermes conuersam esse: qui in profundo abditi uiuã carnem tantisper depauerint, donec eum interemerint. Ita denique morbus inualuit, ut nullas medicorum artes aut pharmaca admitteret. Quo casu miserabili etiã thesaurarius Imperatoris, alijq; nonnulli superioribus dignitatibus in palatio Imperatoris fungentes, qui Ecclesiã adflixerant, uitam finierunt. Is enim thesaurarius, qui (ut diximus) cum Christianus antea fuisset, in gratiã Imperatoris ad superstitiones ethnicas defecerat, quiq; in eodem templo sacra conspicatus uasa, En qualibus, dixerat, uasis ministratur Mariæ filio? sanguine ex toto corpore per os emisso, miserrimè perijt. Narrãt Theodoretus, & Sozomenus ibidem, & Nicephorus lib. 10, cap. 29.

Elpidius uerò Imperatoriæ domus præfectus, qui blasphemus in Christum fuerat, affectatæ tyrannidis suspicione bonis omnibus exut⁹, grauesq; ærumnas in carcere perpessus, turpiter tandem uitam finijt: ut Nicephorus ibidem narrat.

Quod ad publicas calamitates attinet, sub Imperio Iuliani terræmotus fuerunt grauissimi, ædificia & domus passim subruentes, adeò ut tutum nusquam esset, uel domi uel sub æthere morari. Præterea siccitates immensæ, omnes terræ fructus perdiderunt. Quo factum est, ut homines necessariorum ex terra fructuum inopia, carnibus animantium brutorum, Alexandriæ & in Ægypto uesci coacti sint: ut Sozomenus indicat lib. sexto, cap. 2. Et Theodoretus libro quarto, cap. quarto scribit, famem illam ingentem, ob impietatem Iuliani, & frumentum ecclesijs à Constantino donatum, raptum, sub Iouiniano adhuc durasse.

Sub Valente porrò Constantinopoli delapsa grando adeò magna est, ut manum globus unus impleret, & lapidibus similis esset. Ac scribit autor Fasciculi temporum, grandinem eam tum homines tum iumenta interfeciss: eamq; per irã Dei demissam multi tum affirmarunt, eo quòd Imperator Valens ecclesiasticos multos uiros, ideo quòd Eudoxio communicare nollent, exilijs adflixisset.

Nec diu multò pòst terræmotus circa Bythyniam factus, Nicæam ciuitatem subuertit. Deinde & Germæ ciuitatis Hellesponti multæ partes alio terræmotu deiectæ & concussæ sunt. Quibus tamen neq; Eudoxius, neq; Imperator motus, persequi à se dissentientes destiterunt. Socrates lib. quarto, cap. decimo.

Sub eodem, propter combustos in naui octoginta presbyteros, quemadmodum suprà retulimus, subsecuta in Phrygia fames magna est: sic ut incolæ sedes mutare, alioq; confugere coacti fuerint. Idem lib. eodem, cap. decimosexto.

Valens ipse, occasione filij grauissimè ægrotantis, quem Basilius oratione à morbo liberauit, doctrinam Basilij accepit, eumque cõcionantem placidè audiuit. Verùm ad ingeniũ paulo pòst redijt: & Basiliũ adortus, cum ei nequaquam persuadere posset, ut alteri parti, Arianorum scilicet, accederet, perscribi iubet exilij legem. Cui cum subscribere ipse uellet, calamus subitò & miraculoso modo contritus, nullius eum permisit signare literę apiculum. Accidit id etiam altero et tertio calamo: ubi dum nihilominus legem subscriptione confirmare nititur, dextram concuti sensit, & tremere. Ibiq; demum exhorrescens, chartam discidit. Theodoretus libro quarto, cap. decimonono.

Eius item cubicularius, quia Aphraatæ monacho, de quo dictum à nobis suprà est, Imperatorem liberius monenti, acrius comminatus fuerat, prodigioso planè modo, ut diuinæ ultionis uim intelligas, uitam finiuit. Iusserat eum Imperator adparare sibi balneum. Abijt ille paraturus. Balneum uerò ingressus, subitò mente captus, in aquã feruentem insilijt, ac interijt. Expectat Imperator, ut sibi lauandi tẽpus cubicularius nunciaret: sed nullus, cum diu quidem & molestè expectasset, nunciat. Mittuntur in balnei locum alij, exploraturi quid de eo fieret. Qui cum eò uenissent, mortuum in aqua feruente, & feruore diffluẽtem cubicularium repererunt. Theodoret. ibid. cap. uigesimosexto.

Tandem uerò Valens ipse miserè perijt. In bello enim cõtra Gotthos infeliciter pręliatus, & sagitta uulneratus est. Quamobrẽ in tuguriũ quoddam se recepit, quod à Gothis igne iniecto incensum, cum ipso conflagrauit, & quo testimonium euidentius supplicij de eo diuinitus sumpti, posteritati extaret, & exemplo indignationis diuinę esset, communi sepultura caruit. Socrates libro quarto, cap. trigesimoctauo: Theodoretus lib. quarto, cap. trigesimosexto: Sozomenus lib. septimo, cap. quadragesimo.

CAPVT IIII.

DE DOCTRINA.

HABVIT hæc ætas, si quæ unquã alia, plurimos præstãtes & illustres Doctores: ut Arnobiũ, Lactantiũ, Eusebiũ, Athanasiũ, Hilarium, Victorinũ, Basiliũ Cęsariensem magnũ, Naziãzenũ, Ambrosiũ, Prudentiũ, Epiphaniũ, Theophilum Alexãdrinum, Hieronymum, Faustinũ, Dydimum, Ephrem, Optatum Mileuitanũ, & alios: ex quibus potissimũ quæ doctrinæ forma hoc seculo usitata fuerit, breuiter indicabimus.

Magna aũt hac etiã ætate, sacræ Scripturę reuerẽtia & autoritas fuit. Sicut ea sola opus nobis esse, atq; in ea Deum expressisse quæcunque ad saluté necessaria sint homini, Lactãtius dixit lib. 2, cap. 9. In quã sententiã & Hilari⁹ li. 3. de Trinitate: Bene habet, inquit, ut ijs tantũ quæ scripta sunt, cõtentus sis. Et lib. 7. & 9. de Trinitate: Nõ relictus est hominũ eloquijs, de Dei rebus, alius præterq; Dei sermo. Et libro 12. de Trinitate: Dei sermo & ueræ sapiẽtiæ doctrina quæ loquitur, & perfecta & absoluta sunt. Et Athanasius contra Gentes: Sufficiũt sanctæ ac diuinitùs inspiratæ scripturę, ad omnẽ instructionẽ ueritatis. Idẽ de interpret. Psalmo 2. senis cuiusdã uerba fuisse indicat: Omnis apud uos, siue noua siue uetus scriptura, numinis afflatu prodijt, & idonea est ad erudiendum. Et grauissima uox Basilij est in sermone de Pœnitẽtia, qua ueteris & noui testamẽti scripturã thesaurũ uocat Ecclesiæ, ut quæ cœlestis sit doctrina, & à spiritu sancto conscripta, quemadmodũ in enarratiõe Psalmi primi idẽ testatur: Omnis, inquit, scriptura diuinitus inspirata, & utilis, & ob eã rem à spiritu sancto est cõscripta, ut uelut è cõmuni medẽdarum animarũ officina, uniuersi mortales, quisq; ꝑ morbi sui ratione medelã deligerem⁹. Idẽ rursus in explicatiõe Psalmi 59. Nostri sunt diuini sermones, & in Dei Ecclesia, ut diuinitus missa bona, ueluti cibus quidam animæ ex spiritu sancto procedens. Hinc in regulis contract. quæst. 1. grauiter monet, nihil unquam suscipiendũ esse sine scripturę sanctę testimonio.

Extat & Marij Victorini, de reuerẽtia sacrę scripturæ illustre testimoniũ, in lib. de generatione diuina: An scripturas, inquit, quas legimus, uanas opinaris? Si ut nomine, ita & re Christianus est quispiã, necesse habet uenerari scripturas. Hinc & repræhẽdi, ut rem sacrã, scripturã Ambrosius uetat, lib. 2. de paradiso, cap. 3. In scripturis, inquit, diuinis nõ facilè repræhendimus aliquid, quod intelligere nõ possumus. Sunt enim plurima, quæ nõ nostro ingenio metienda sunt, sed ex altitudine dispositionis & uerbi sunt æstimãda.

Cæterùm

Cæterùm quas res contineant ſacræ ſcripturæ, teſtantur dilucidè aliquot huius ſeculi, tum Synodorum, tum Doctorum erudita Symbola, magna (ut apparet) Scripturæ reuerentia accuratiſsimè compoſita. Eiuſmodi eſt concilij Nicæni ſymbolum: Credimus in unum Deum, omnipotentem, uiſibilium omnium & inuiſibilium factorẽ. Et in unum Dominum noſtrũ IESVM CHRISTVM, filium Dei, natum ex patre, unigenitum: hoc eſt, ex ſubſtantia patris: Deum ex Deo, lumẽ ex lumine, Deum uerum ex Deo uero: natum, non factum, coeſſentialem patri, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus, & homo factus eſt: & paſſus, tertia die reſurrexit, & aſcendit in cœlos, & uenturus eſt ad iudicandum uiuos & mortuos. Et in ſpiritum Sanctum. Eos autẽ qui dicunt: Fuit aliquando tempus quum non eſſet, aut nõ erat priuſquam fieret, quia ex non exiſtentibus factus eſt, uel ex altera eſſe ſubſtantia aut eſſentia, uel creatum, uel mutabilem filium Dei dicunt: anathematizat catholica & apoſtolica Eccleſia. Socrates libro primo, capite octauo.

Et Euſebij apud eundem, ibidem: Credimus in unum Deum, patrem omnipotentẽ, uiſibilium omnium & inuiſibilium factorẽ. Et in unum Dominum IESVM CHRISTVM, Dei uerbum, Deum ex Deo, lumen è lumine, uitam è uita, filium unigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia ſecula ex Deo patre genitum: per quem etiam cuncta facta ſunt. Qui ſalutis noſtræ gratia incarnatus, & inter homines conuerſatus, & paſſus eſt: & tertia die reſurrexit, & ad patrẽ aſcendit, uenturusq; eſt denuò ad iudicandum uiuos & mortuos. Credimus autem et in unum Spiritum ſanctum. Horum unumquemque eſſe & exiſtere credentes, patrem uerè patrem, & filium uerè filium, & ſpiritũ ſanctum uerè Spiritum ſanctum cõfitemur: ſicut & Dominus noſter, cum diſcipulos ſuos ad prædicandũ mitteret, dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & ſpiritus ſancti. de quibus quòd ita habeant, affirmamus: & quòd ſic ſentiamus, & ad hunc modum ſenſerimus, & ad mortem uſq; ſenſuri, & huic fidei adhæſuri ſimus, anathematizantes omnem impiam hæreſim. Et apud eundem ibidẽ, occaſione dictionis Homouſij ſcriptum: Credimus in unum Deum, patrem omnipotentem, uiſibilium omnium & inuiſibilium factorem. Et in unum Dominũ IESVM CHRISTVM, filium Dei, genitum ex patre unigenitum: hoc eſt, ex ſubſtãtia patris, Deum ex Deo, lumen è lumine, Deum uerum ex Deo uero: genitum, non factum: conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt, cùm quæ in cœlo, tum quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus & paſſus eſt: & reſurrexit tertia die, & aſcendit ad cœlos, ac uenturus eſt ad iudicandum uiuos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. Eos autem qui dicunt, quòd fuerit aliquando tempus quum non eſſet, antequam gigneretur, & quòd factus ſit ex non exiſtentibus, aut eum ex alia ſubſtantia uel eſſentia eſſe, aut creatum, uel mutabilem, uel alterabilem filium Dei dicunt, anathematizat catholica & apoſtolica Eccleſia.

Athanaſij item in Eccleſia celebre ſymbolum eſt: Quicunq; uult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem: quam niſi quiſque integram inuiolatamq; ſeruauerit, abſq; dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hęc eſt, ut unum Deũ in Trinitate, & trinitatem in unitate ueneremur, neq; confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim perſona patris, alia filij, alia ſpiritus ſancti. Sed patris & filij & ſpiritus ſancti una eſt diuinitas, æqualis gloria, & coæterna maieſtas. Qualis pater, talis filius, talis ſpiritus ſanctus. Increatus pater, increatus filius, increatus ſpiritus ſanctus: immenſus pater, immenſus filius, immenſus ſpiritus ſanctus: æternus pater, æternus filius, æternus ſpiritus ſanctus. Et tamen non tres æterni, ſed unus æternus: ſicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus increatus, & unus immenſus. Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens ſpiritus ſanctus: & tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. Ita Deus pater, Deus filius, Deus ſpiritus ſanctus: & tamen non tres Dij, ſed unus eſt Deus. Ita Dominus pater, Dominus filius, Dominus ſpiritus ſanctus: & tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. Quia ſicut ſingillatim unamquanque perſonam, Deum aut Dominum confiteri Chriſtiana ueritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere, catholica religione prohibemur. Pater à nullo factus eſt, nec creatus, nec genitus: Filius à patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus: Spiritus ſanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus eſt, ſed procedens. Vnus ergo pater, non tres patres: unus filius, non tres filij: unus ſpiritus ſanctus, non tres ſpiritus. Et in hac trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales: ita ut per omnia, ſicut iam ſuprà dictum eſt, & unitas in

trinitate, & trinitas in unitate ueneranda sit. Qui uult ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri IESV CHRISTI fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster IESVS CHRISTVS Dei filius, Deus & homo est. Deus est ex substantia patris, ante secula genitus: homo ex substantia matris, in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. Aequalis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est CHRISTVS. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est CHRISTVS. Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationē. Et qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam: qui uerò mala, in ignem æternum. Hæc est fides Catholica: quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.

Item in epistola ad Epictetum contra hæreticos sic ait: Credimus in unum ingenitum Deum, patrem omnipotentem, omnium creatorem, uisibilium pariter & inuisibilium: qui ex se habet quod est. Et in unum unigenitum uerbum, sapientiam, filium ex patre initialiter & perpetuò genitum. Verbum porrò non elocutione pronunciatum, aut cogitatione in animo conceptum, non deriuatum à perfecto, neque item segmentum aut partem impatibilis illius naturæ, neque quod inde productum sit, aut emanauerit: sed filium perfectum, uiuentem, ui agendi præditum, ueram imaginem patris: ut quemadmodùm ueneramur patrem, ita quoque ueneremur & filium: Deum uerum ex Deo uero prosatum, ut inquit in sua Catholica Ioannes: Et sumus in uero filio eius IESV CHRISTO. Hic est uerus Deus, & uita æterna, omnipotens ex omnipotente. Omnibus enim quibus imperat & dominatur pater, imperat & dominatur quoque filius, & totus ex toto similis patri. ut & Dominus testatur: Qui uidet me, uidet & patrem meum. Genitus autem est ineffabiliter, & incomprehensibiliter: Generationem enim eius quis enarrabit? quod idem est ac si diceret, Nullus. Qui in consummatione seculorum descendens è sinu patris, ex impolluta Maria uirgine nostrum assumpsit hominem IESVM CHRISTVM: quem pro nobis passioni tradidit sponte, ac sua ipsius uoluntate, ut ait Dominus: Nemo tollit animam meam à me: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo sumendi illam ipsam. In eo igitur homine cruci affixo, & mortuo pro nobis, resurrexit à mortuis, assumptusq; est in cœlum. Idemque nobis, ubi creatus esset, initium uiarum extitit: & cum in terris uersaretur, ex tenebris lucem, ex errore salutem, ex mortuis uitam, ingressumque in paradisum confecit, ex qua Adam eiectus fuit. in quam rursus Adam intrauit per latronem, ut inquit Dominus: Hodie mecum eris in paradiso. in quam ipse Paulus quoque ingressus fuit, adscensumque Deus in cœlos muniuit: quò præcursor homo, qui in eo fuit, pro nobis introijt, in quo homine iudicaturus est uiuos & mortuos. Credimus itidem in Spiritum sanctum, omnia operantem: excommunicantes omnes qui contra hæc dogmata sentiunt: & cætera.

Et Hilarius libro de Synodo tale symbolum profert: Confitemur plānè in sancti Spiritus dono semper innocentes, & scribimus uolentes, non Deos duos, sed Deum unum, neque per id non & Deum Dei filium. est enim ex Deo Deus. Non innascibiles duos: quia autoritate innascibilitatis Deus unus est. Neque per id non & unigenitus Deus est: namque origo sua innascibilis substantia est. Non unum substantem, sed unam substantiam. Non differentem, non unum indissimilibus naturis Dei nomen: sed unius nominis atque naturæ indissimilem essentiam. Non præstantem quenquam cuiquam genere substantiæ, sed subiectum alterum alteri natiuitate naturæ. Patrem in eo maiorem esse, quòd pater est: filium in eo minorem esse, quòd filius est. Significationem interesse, non interesse naturam. Patrem non intra tempora confiteri, sed contemporalem patri non negare. Patrem in filio prædicare, quia nihil in se habet filius à patre dissimile: filium in patre confiteri, quia non est aliunde quòd filius est. Mutuam sibi ac similem inuicem naturam non nescire, quia par sit quòd unus sit: non existimare, quia unum sunt, unum eos sic per indissimilis naturæ indifferentiam prædicare, ne unus sit.

Basilius Magnus in Asceticis hanc de Deo confessionem recitat: Credimus & confite-

mur

mur unum solum uerum & bonum Deum, & patrem omnipotentem, ex quo sunt omnia, Deum & patrē Domini ac Dei nostri IESV CHRISTI. Et unum illius filium unigenitum, dominū ac Deum nostrū IESVM CHRISTVM, solum uerum, per quem omnia facta sunt, tam uisibilia q̄ inuisibilia, & in quo omnia cōsistūt: qui in principio erat apud Deū, & Deus erat. Qui cum in forma Dei esset, nō est rapinā arbitratus, parem esse Deo: sed seipsum exinaniuit, & per natiuitatem ex uirgine formam serui accepit, & habitu inuentus est ut homo: & omnia quæ in se, & de se scripta sunt, iuxta mandatū patris adimpleuit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et tertia die excitatus à mortuis, secundum scripturas, uisus est sanctis suis discipulis, ac reliquis, sicut scriptū est: ascēditq; ad cœlos, ac sedet ad dexteram patris: unde uenturus est in consummatione seculi huius, ad excitandū omnes, & reddendum unicuiq; secundū facta ipsius: quādo iusti quidem assumentur ad uitam æternam, & regnum cœlorum: peccatores uerò condemnabuntur ad supplicium æternum, ubi uermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Et unum tantum Spiritum sanctum, paracletum, in quo obsignati sumus ad diem redemptionis: spiritum ueritatis, spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater: qui diuidit & operatur charismata à Deo data, unicuique ad utilitatē, prout uult: qui docet & suggerit omnia, quæcunque audit à filio: qui bonus est, qui inducit in omnem ueritatem, & cōfirmat omnes credentes, ad cognitionem ueram & exactam, & pium Dei cultum, & adorationem spiritalem, & ueram confessionem Dei patris, & unigeniti filij eius Domini ac Dei nostri IESV CHRISTI, & sui ipsius. unoquoque nomine, proprietatem significationis suæ luculenter nobis discriminante, & de singulis significatis omnino præcipuis proprietatibus piè cōsideratis, patris in proprietate patris, filij in proprietate filij, sancti Spiritus in ipsius proprietate: neque sancto Spiritu ex seipso loquente, neque filio ex seipso quicquam faciente: & patre filium, filio uerò Spiritum sanctum mittente, ita sentimus. atque ita baptizamus in Trinitatem unius essentiæ, iuxta mandatum Domini nostri IESV CHRISTI.

Gregorius Nazianzenus in oratione sancti lauacri talem summam perstringit: Crede uniuersum, quantū est uisibilis, quantumq; inuisibilis, ex nihilo à Deo factū, prouidentiaq; factoris gubernari, ac in melius suscepturum mutationem. crede nullam esse mali essentiam, neque illius regnum aut principio carere, aut à seipso subsistere, aut à Deo factum esse. sed nostrum hoc, & maligni qui nos ex nostra inertia inuadit, & non conditoris opus esse. Crede filium Dei, uerbum æternum, ex patre absque tempore & corpore natum. Hunc nouissimis diebus propter te genitum esse, ac filium hominis ex Maria uirgine processisse ineffabiliter, & absq; sorde ulla. Nil enim quod sordidum, Deus: & per quem salus est, totum hominē, & eundem Deum. pro uniuersis passum, ut uniuersaliter tibi conferret salutem, uniuersam peccati dissoluens condemnationem, impassibili deitate, passibili humanitate: in tantum propter te hominē, ut tu propter illū Deus fieres. Hunc propter iniquitates nostras, mortem pertulisse, crucifixū, & sepultum, quantum mortem gustare fas erat: & tertia die resurgentem, ascendisse in cœlum, ut te deorsum iacentem, sursum adduceret: iterumq; rediturum aduentu suo glorioso, iudicantem uiuos & mortuos.

Symbolum & M. Victorinus Afer libro primo contra Arium texit: Confitemur igitur Deum patrem omnipotentem: confitemur filium unigenitum IESVM CHRISTVM, Deum de Deo, lumen uerum de uero lumine, formam Dei, qui habet substantiam de Dei substantia, naturam, generationem, filium simul cum patre cōsubstantiatū, quod Græci ὁμοούσιον appellant: primogenitū ante cōstitutionem mundi, & primogenitum ante omnem creaturā, hoc est, & ante in substantiam uiuendi, & regenerationis & reuiuendi: primogenitum à mortuis λόγον, qui sit omnium uniuersalis λόγος. λόγον autem ad Deum, λόγον in postremis temporibus incarnatum, & cruce uincentem mortem, & omne peccatum: Saluatorem nostrum, iudicem omnium, semper cum patre consubstantialem & ὁμοούσιον: potentiam actiuam, à patria potentia & generantem & facientem omnia: & substantiam existendi omnium, & generationem, & reuiuiscentiam: quoniam uita est æterna, & Dei uirtus & sapientia: ipsum inuersibilem, immutabilem, mutabilem iuxta quod λόγος est, & quòd semper λόγος est: iuxta autem quod est creare omnia, & maximè iuxta in hyle actionem impassibiliter patientem. ut fons aquarum immutabilis, impassibilis, extra omnem motionem, cum fluit, & in flumen aduenit, iuxta alueū, & genera & qualitates terræ creditur pati, semper seruans potentiam aquæ suam. & sicuti flumen irrigat terram, nullam diminutionem sentiens, adhoc quod est esse aquam: sic CHRISTVS ille est fluuius, de quo Propheta dicit, Qui irrigat & infundit totam rerram. sed CHRISTVS totus omne irrigat, & uisibilia & inuisibilia, flumine uitæ omnium eorum quæ sunt substan-

tia rigat. In quo autem uita est Christus, in quo rigat Spiritus sanctus, in quo potentia est uitalitatis, pater & Deus, totũ autẽ unus Deus. Confitemur ergo & Spiritum sanctum, ex Deo patre omnia habentem, τῷ λόγῳ, hoc est IESV CHRISTO, tradente illi omnia, quæ Christus habet à patre. Et isto huiusmodi modo simul confitemur esse hæc tria, ex isto quod unum, & unum Deum, & ὁμοουσίαν ista, & semper simul & patrem & filium & spiritum sanctum ineffabili potentia, & ineloquibili generatione filium Dei IESVM CHRISTVM, λόγον qui sit: & Deum, & imaginem, & formam, & characterem, & refulgentiam patris, & uirtutem, & sapientiam Dei, per quæ apparet & declaratur Deus in potentia omnium & existens & manens, & agens omnia secundum actionem filij, id est τὸν λόγον IESV Christi. Quem incarnatum & crucifixum, & resurgentem à mortuis, & ascendentem in cœlos, & sedentem ad dexteram patris, & iudicem futurum uenire & uiuentiũ & mortuorum, patrem omnis creaturæ, & saluatorem, & uoce & toto corde confitemur semper: Amẽ.

Epiphanius in Ancorato eiusmodi symbolum perstringit: Credimus in unũ Deum, patrem omnipotẽtem, omnium uisibilium & inuisibilium creatorem. Et in unum Dominum IESVM CHRISTVM, filium Dei, genitum ex Deo patre, unigenitum: hoc est, ex essentia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum uerum de uero Deo: genitum, non factum: coessentialem patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlis sunt & in terra, uisibilia & inuisibilia. Qui propter nos homines, & propter nostram salutẽ descendit, & incarnatus est: hoc est, genitus est perfectè ex sancta Maria semper uirgine, per spiritum sanctum: & homo factus est, hoc est, perfectum hominem suscepit, animam & corpus, ac mentem, & omnia quicquid est homo, præter peccatum: non ex semine uiri, neq; in homine, sed in seipsum carnem efformauit, in unam sanctam unitatem: non quemadmodum in prophetis inspirauit, & locutus est, ac operatus, sed perfectè homo factus. Verbum enim caro factum est, non mutationem passum, neq; transmutata deitate in humanitatẽ, sed ita ut counierit suam sanctam perfectionem, ac deitatem in unam. Vnus enim Dominus IESVS Christus, & non duo: idem Deus, idem Dominus, idem Rex. Idem passus est in carne, & resurrexit, & ascendit in cœlos, in ipso corpore, in gloria ad iudicandum uiuos & mortuos. Cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum credimus, qui locutus est in lege, & prædicauit in prophetis, & descẽdit in Iordanem, & loquitur in Apostolis, atq; habitat in sanctis. Sic autem credimus in ipsum, quòd Spiritus sanctus, spiritus Dei, spiritus perfectus, spiritus paracletus, increatus, ex patre procedens, & à filio accipiens, ac fidem reperiens. Credimus in unam catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Et in unum baptisma pœnitentiæ, & in resurrectionem mortuorum, & iudicium iustum animarum ac corporum. Et in regnum cœlorum, & in uitam æternam.

Celebratur postremò & Damasi episcopi symbolum. Credimus in unum Deum, patrem omnipotentem. Et in unum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, filium Dei: & in Spiritum sanctum, Deum, non tres Deos, sed patrem & filium & spiritum sanctũ, unum Deum colimus & confitemur. Non sic unum Deum, quasi solitarium: nec eundem, qui ipse sibi pater sit, ipse & filius: sed patrem esse, qui genuit: & filium esse, qui genitus sit: Spiritum uerò sanctum, non genitum, neq; ingenitum: non creatum, neq; factum, sed de patre filioq; procedentem, patri & filio coæternum & coæqualẽ & cooperatorem. quia scriptum est, Verbo Domini cœli firmati sunt: id est, à filio Dei, & spiritu oris eius, omnis uirtus eorum. Et alibi: Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabit faciem terræ. Ideoq; in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, unum confitemur Deũ: quod nomen est potestatis, nõ proprietatis. Proprium nomẽ est patri, Pater: & proprium nomen est filio, Filius: & proprium nomen spiritui sancto, Spiritus sanctus. In hac trinitate unum Deum colimus: quia ex uno patre quod est, unius cum patre naturæ est, unius substantiæ, & unius potestatis. Pater filium genuit, non uoluntate, nec necessitate, sed natura, Filius ultimo tempore ad nos saluandos, & ad implendas scripturas descendit à patre, qui nunquam desijt esse cum patre. Et conceptus est de spiritu sancto, & natus ex uirgine, carnem & animam & sensum, hoc est perfectum susceptit hominem: nec amisit quod erat, sed cœpit esse quod nõ erat: ita tamẽ, ut perfectꝰ in suis sit, & uerus in nostris. Nã qui Deus erat, homo natus est: & qui homo natus est, operatur ut Deus: & qui operatur ut Deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur, ut Deus resurgit. Qui deuicto mortis imperio, cũ ea carne qua natus & passus et mortuus fuerat, & resurrexit, ascendit ad patrem, sedetq; ad dexterã eius in gloria, quam semper habuit, & habet. In huius morte & sanguine credimus emendatos nos, & ab eo resuscitandos die nouissimo in hac carne, qua nunc uiuimus: & nos habemus spem, consecuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni supplicij. Hæc lege, hæc crede, hæc

hæc retine: huic fidei animam tuam subiuga, & uitam consequêris, & præmium à CHRISTO.

Extant & de utilitatibus scripturæ apud hos doctores grauissima testimonia, ut apud Basilium epistola prima: Potissima ad recti inuentionem uia est meditatio diuinarum scripturarum. In illis namq; & agendorum præcepta inueniuntur, & uita beatorum uirorum clarè depicta, instar animatarum quarundam imaginum quæ secundum Deum est conuersationis, ad bonorum operum imitationem tradita proponitur. Et quidem quacunque re indigere se quisque senserit, si illos uersauerit, quasi ex communi quadam rerum medicarum officina, commodum infirmitati suæ pharmacum inueniet. Et epistola 141. Dum frequenter de diuinis dogmatibus aliquid & dicitur & auditur, habitum quendam diuinarum cõtemplationum tenaciter inhærentem induimus.

Et Ambrosius epistola 44. ad Constantium sacerdotem: Mare est scriptura diuina, in quod plurima introierunt flumina. Sunt & fluuij dulces atq; perspicui, sunt & fontes ni uei, qui saliant in uitam æternam: sunt & sermones boni, sicut faui mellis: & gratæ sententiæ, quæ animos audientium spirituali quodam potu irrigent. Sic & Hieronymus in proœmio enarrationis epistolæ ad Ephesios: In hac uita, inquit, uita sapientem uirũ tenet, & inter pressuras & turbines mundi æquo animo manere persuadet meditatio & scientia scripturarum. Epiphanius uerò libro 2. Tomo 2. inquit: Scriptura sibi ipsi non est contraria, sed omnia semper uera dicit. Et libro 3. Tomo 1. Quæcunq; dicit diuina scriptura, ea credere oportet quòd sunt. Item lib. eodem, Tom. 2. Quæcunq; dicit Apostolus, & omnes sanctæ scripturæ, uera sunt, etiamsi apud incredulos & male intelligentes aliter accipiantur. Idem in Ancorato: Scripturæ uita nostra sunt. Et libro 2. Tom. 2. In sacra scriptura nihil est obliquum, neq; tortuosum, sed omnia mirabiliter ad nostram salutem scripta sunt, & perfecta. In eandem sententiam Faustinus in libro de fide contra Arianos inquit: Scripturæ diuinæ ob hoc editæ sunt, ut secundum illarum sensum nostram fidem dirigamus. Ephrem quoq; libro de armatura generali ait: Studeamus iugiter lectioni sanctarũ literarũ, ut nos doceant, quomodo laqueos diaboli possimus effugere, æternamq; adipisci uitã. Ac Dionysius in epistola ad Titum: Diuina & intelligibilia eloquia, & rori & aquæ, & lacti & melli, & uino assimilantur, propter uitæ generatiuam ipsorum, & augmentatiuã: sicut in lacte: & reuiuificatiuã, sicut in uino; & mundificatiuam simul & seruatiuam, sicut in melle. Hæc enim diuina sapientia donat accedentibus copiosè ipsis, & indeficienter, alimentorum affluentiam largiens, & supermanans.

DE DEO.

EX hisce compendijs doctrinæ de Deo, quæ hactenus commemorauimus, satis est manifestum, Doctores huius seculi doctrinam de Deo, puram & integrã custodiuisse, summaque dexteritate propagasse.

Nunc tamẽ de singulis articulis præcipua quædam testimonia proferemus, ut lector quid de singulis Doctores senserint, clarius perspiciat.

Noticiam ueram Dei necessariam esse, hac illustri sententia Ambrosius libro octauo aduersus Gentes testatur: Absq; noticia, inquit, Dei, nulla potest esse solida felicitas.

Non esse autem doctrinam de Deo notam humanæ rationi, sed ex uerbo Dei & illustribus operibus in toto mundo propositis petendam esse, diserte docent. Ambrosius libro primo de pœnitentia, capite quarto inquit: Nõ Deus alienis assertionibus, sed suis æstimandus uocibus est. Marius Victorinus libro tertio aduersus Arianos: Ideo nosse, inquit, uoluit se Deus, ideo mundum opera sua diuina constituit, ut eum per ista omnia cerneremus.

Quod autem non possit sensibus humanis comprehendi Deus, & satis sit firmiter tenere ac credere quòd sit Deus, & talis quidem qualem se patefecit, tali modo docuerunt. Gregorius Nazianzenus libro secundo de Theologia: Deus quid tandem in sua natura & essentia sit, hoc hominum nemo nouerit unquam: sed quòd sit, hoc nemo nõ inuenerit. Et Lactantius libro secundo, capite quinto: Dei principium, quoniam nõ potest comprehendi, nec quæri debet quidem. Satis est homini ad plenã perfectamq; prudentiam, si Deum esse intelligat, cuius intelligentiæ uis & summa hæc est, ut suscipiat & honorificet communem parentem generis humani, & rerum mirabilium fabricatorem. Ad eundem modum & Athanasius monet libro de Assumptione hominis, & de unitate ac sempiternitate substantiæ Trinitatis: Hæc ô Deus, inquit, melius sentirem, quàm ad liquidum dixerim: dum te Deus credendum, non definiendum mihi præbueris: & credere iussum sit, non discutere permissum. Idem ad Serapionem, de Spiritu sancto: Deitas non demonstratione rationum traditur, sed fide, & pia cogitatione, cum religione. Et Nazianzenus in libro de Fide: Deus credi se uoluit, non iudicari, nec examinari. Et Epiphanius libro tertio, Tomo primo: Deus secundum speciẽ non comprehenditur, uerùm per fidem cognoscitur.

gnoſcitur. Gregorius Nyſſenus inquit in libro de uita Moſæ: Dei propriũ eſt, ut cognitionem excedat. Item: Diuina natura inuiſibilis atq; incomprẹhenſibilis eſt. Omnis enim intellectus, qui phantaſtica quadam cogitatione, quaſi coniectura diuinam naturam apprehendit, ſimulachrum quidem Dei finxit in mente, Deum autem non intellexit.

Definitionem quidem integrã & accuratã hi Doctores in ijs ſcriptis, quæ nunc extant, nõ colligunt, licet rem ipſam luculẽter complectantur & explicẽt: ideo generaliores tantum quaſdã deſcriptiones obiter uelutiſtringunt. Gregorius Nazianzenus in libro de fide, quaſi definitionem quandã uidetur colligere: Quæ eſt, inquit, ſubſtantia DEI, niſi ipſum, quod DEVS ſimplex, ſingulare, purũ, nulla conceptione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, ſanctum, totum: quod tamẽ, ut iam dictum eſt, quatenus & qualis ſit, nec mente cõcipi, nec ſenſu æſtimari, nec animo definiri poteſt, dummodo conſtet eſſe quod creditur. Et in oratione in ſanctum lauacrum: Deus lumen eſt ſubtiliſsimũ, inacceſsibile, ac ineffabile, quod neq; mente compræhendi, neque ſermone exprimi poteſt, omnem naturã rationalem illuminans. Lactantius libro primo, capite quarto: DEVS eſt æterna mens, ex omni utiq; parte perfectę cõſummatæq; uirtutis. Et Gregorius Nyſſenus in libro de uita Moſæ: Deus ſuprema eſt eſſentia, omnium cauſa, & à qua omnia dependent.

Incorporeum & inuiſibilem eſſe, Baſilius in ſermone de uerbis Moſi teſtatur: Attende, ait, tibi ipſi. In te ipſo, tanquam in diſtincta quadam rerum ſerie, magnam conditoris tui ſapientiam contemplaberis. Incorporeum noſſe ante omnia Deum, ex anima tua incorporea tibi inexiſtente, non loco circumſcriptum, quoniam neque mens tua præcipuam in loco mãſionem habet, quamuis ob corporis coniunctionem in loco maneat. Inuiſibilem eſſe Deum crede, tui ipſius animam cognoſcens: quando & ipſa corporeis oculis deprehendi non poteſt. Non enim aut colore obducitur, aut figura circumſcribitur, aut charactere aliquo corporeo comprehenditur, ſed tantum ex actibus & geſtis cognoſcitur. Ne ergo in Deo per oculos noticiam quæras, ſed menti fidem committe, & ſpiritualem de illo cognitionem habe.

Docuerunt etiam, Deum eſſe æternum atq; immutabilem. nam Lactantius libro ſecundo, capite nono: Solus Deus eſt, inquit, qui factus non eſt: & idcirco deſtruere alia poteſt, ipſe deſtrui non poteſt: permanebit ſemper in eo quod fuit, quia non eſt aliunde generatus, nec ortus, nec natiuitas eius ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutata diſſoluat. Ex ſe ipſo eſt: & ideo talis eſt, qualem ſe eſſe uoluit, impaſsibilis, immutabilis, incorruptus, æternus. Sic & Euſebius libro quinto de uita Conſtantini: Bonum illud quod omnia appetunt, cuius eſſentia Deus perpetuò exiſtit, natiuitatem non habet: igitur nec principium habet, ſed ipſum omnium eorum quæ naſcuntur principium eſt. Et Fauſtinus libro de fide contra Arianos: Deus ipſe ſolus, ſine initio bonus & perfectus & inconuertibilis, ſine initio quoque habens bonam & perfectam & inconuertibilem uoluntatem, non per inſtitutionem, neq; ex profectu obſeruationis habet bonam & perfectam & inconuertibilem uoluntatem, ſed ex naturæ indemutabilis ueritate, qua bonus & perfectus & inconuertibilis Deus eſt. Sic & Hieronymus in capite tertio epiſtolæ ad Epheſios inquit: Deus qui ſemper eſt, nec habet alicunde principium, & ipſe ſui origo eſt, ſuæque cauſa ſubſtantiæ, non poteſt intelligi aliunde habere quòd ſubſiſtit.

Quòd ſit ubiq; Deus, eiuſmodi uerbis tradiderunt. Hilarius libro primo de Trinitate inquit: Nullus ſine Deo, neq; ullus non in Deo locus eſt. In cœlis eſt, in inferno eſt, ultra maria eſt. Ineſt interior, excedit exterior. Ita cum habet atq; habetur, neq; in aliquo ipſe, neq; in omnibus eſt. Libro ſecundo de Trinitate: Deus & ubiq; eſt, & totus ubiq; eſt: Deus inuiſibilis, ineffabilis, infinitus: ad quem & eloquendum ſermo ſileat, & inueſtigandum ſenſus hebetetur, & complectendũ intelligentia coarctetur. Et Ambroſius de fide libro ſecundo, cap. quarto: Diuinitas gradum neſcit, nec loco aliquo circumſcribitur, nec temporibus definitur. Prudentius in Apotheoſi:

—— At Deus ingens,
Atq; ſuperfuſus trans omnia, nil habet in ſe
Extremum, ut claudi ualeat, ſenſu'ue teneri.
Incomprenſa manet uirtus, cui linea defit
Vltima, quam ſpacium non menſurabile tendit.

Deum non eſſe ocioſum, ſed autorem omnis boni, rectè docuerunt. ut Euſebius de præparatione Euangelica libro primo, capite primo: Non ne Deus uitæ, lucis, ueritatis, bonorumq; omnium ipſe fons atq; largitor eſt? An non ipſe, ut cuncta & ſint & uiuant, cauſam in ſe ipſo complectitur? Et in eodem libro octauo, capite ſecundo: Primùm omnium de Deo opinamur, quòd ipſe perfectiſsimus atq; beatiſsimus ſit, ſibi atq; cæteris ſufficiẽs, omnium ipſe rerum principiũ, ipſe medium, ipſe finis, operibus notiſsimus atq; manifeſtiſsimus, ſubſtantia penitus inuiſibilis: cui ſimile nec uidere, nec excogita-

re

re quicquam possumus. Quare nec materia ulla ad imaginem eius suscipi, nec ars eum imitari fingendo potest. Opera eius oculis cernimus, cœlum, terram, solem, lunam, lucem, fluuios, mare, animalia, plantas, quæ ipse fecit, non manibus, neque labore, nec alicuius auxilio: sed cum uoluerit omnia bene fieri, omnia ilicò facta sunt. Et Gregorius Nazianzenus libro secundo de Theologia inquit: Deum esse, eundemq; omnium effici entem conseruatricemq; esse causam, & oculi & naturæ lex nos docent. Gregorius Nyssenus libro de Prouidentia primo, contra Aristotelem & Platonem negantem Deũ singularium curam habere, probat esse prouidentiam, etiam in singulis. & concludit: Si incomprehensibilis nobis existit prouidentiæ singularium sermo, non propterea dicere oportet non esse prouidentiam.

Vnum esse Deum, fideliter omnes isti sinceri Doctores Ecclesiæ professi sunt. Lactantius libro tertio inquit: Vnus est Deus, quia ad gubernationẽ mundi unus sufficit, et quia diuidi Deus non potest. Athanasius oratione contra Idol. Siquidem par, inquit, non est, ut plures unum mundum ædificẽt. Si enim à multis fabricatus esset hic mundus, imbecilles fuisse eius fabros arbitrandũ foret, eo quòd multorum opera ad unum opus requisita esset. Ipse opifex unum in uniuersum mundum condidit, ne de multorum numero multi etiam opifices existimarentur, sed ex uno opere unus quoque illius autor crederetur. Idem in oratione contra Arianos: Quemadmodum unũ principium, & pro eo principio unus Deus: ita planè ac reuera una est essentia & hypostasis, quia dicit: Ego sum qui sum, & non duplex, ne duo sint principia. Ita & Hilarius libro primo de Trinitate inquit: Diuinum et æternum nihil nisi unum esse, & indifferens, pro certo animus habebat.

DE TRIBVS PERSONIS.

In una essentia diuina, tres existere ꝑsonas iuxta uerbũ & certas patefactiones, rectè & sincerè docuerunt. Sic Epiphanius lib. 3. Tomo primo scribit: Dignitas Dei patris & filij ac spiritus S. omnẽ intelligentiã angelorũ & ultra excedit. Et Arnobi⁹ super psal. 134. ita trinitatẽ in una deitate cõiungit, ut tres uerè dicã esse personas, & unã uerè dicã esse substantiam. Illustre et hoc dictum Athanasij est de unita deitate: Vnita est deitas, quia nulla est in hac plenitudine Trinitatis ambigui tas. Solus est Deus, quia sola deitas in trinitate cõsistit. Vnus uer⁹ Deus, quia una uera est natura diuinitatis. Vnus bon⁹ est Deus, quaten⁹ nulla diuersitas dispar sit, in una substãtia diuinę trinitatis: summus, qa ipsa summa est substãtia trinitatis: un⁹ Domin⁹ est, quia una dominatio est in natura sempiterna trinitatis. Vna imago inuisibilis est trinitatis, quia una eademq; deitas est in imagine ueritatis. Vnus est spiritus, quia una est natura deitatis spiritus S. quæ in patre, filio & in sese consistens est. Et quia una est sempiterna in hac ipsa trinitate plenitudo diuinitatis, æqualis est una trinitas: quia & sempiterna est in ipsa trinitate deitas. Idem de prop. pers. Proculdubio in hoc sanè alius est pater, quòd uerè genuit. Et in hoc alius est filius, quòd uere ab eo genitus est. Sed et in hoc alius est spiritus hic principalis paracletus, quòd in Pentecoste in Apostolos effusus est. Vides quòd alter ab altero, siue alius ab alio, in persona tantum differt, & non in plenitudine diuinitatis ὑσίας. Et in sermone de Euangelio, de Deipar. Credimus in patrem & filium, & spiritum S. trinitatem scilicet personarum indissolubilem, inter se distinctionem & unitatem inconfusam possidentem. Non enim secundum interualla locorũ disiunctionem trium sanctarum personarum constituamus, aut confusaneam unitatem, sed inexemptibilem distinctionem, & incõfusam unitionẽ, cui nomen est Deus, secundum unam singularitatem substantiæ. Siquidem unum Deum in ternione personarum confitemur: Deum inquam nullo principio inchoatum, aut tempore circumscriptũ: singulis tamen personis proprietatem attribuentes, in patre naturam ingeniti, in filio geniti, in spiritu sancto procedentis: nullo principio inchoatum, aut tempore circumscriptum, spiritum sanctum confitentes: non tamen ut prior sit pater, posterior filius & spiritus sanctus, secundum unam & nunquam inchoatã, extemporalemq;, & supersubstantialem unitatem naturæ: uenerantes unum Deum, in tribus proprietatibus credentes, ueneq; glorificantes: non ut alium Deũ priusq; existentem patrem, & alium deum filiũ postea superinductum, & alium Deum spiritum sanctum postmodum excogitatũ, secundum blasphemias hæreticorum: sed unũ Deum in tribus subsistentijs prædicantes, in quibus una sit substantia, uis & efficacia, & quæcunq; huius generis circa substantiã considerari possunt, & diuinitus in sacris literis & hymnis prædicantur. Et ut formulã demus sermoni nostro, consummationẽ ac plenitudinem, ea quæ in sacris literis celebrantur, tenere oportebit. Sed quæ nam ea sint, & circa quæ ná uersentur, deinceps audiemus: nimirũ eũ increatũ, incorporeũ, intemporeũ, experte initij, sempiternũ, indesinentẽ, infinitũ, æternum, incognitum, ineffabilem, nulla figura delineatum, imperscrutabilem, Deum deorum, Dominum dominorum, Regem regum, summum Imperatorẽ, creato-

creatorem,opificem,lumen,uitam,ſanctitatem,bonitatem,immortalem, omnipotentem appellari, & quæcunque alia excellentiam huiuſmodi & naturæ rationem præ ſe ferunt. Non quòd ſingula iſtorum ſubſtantia eius ſint,ſed quòd circa ſubſtantiam eius uerſentur. Veluti quum duo plura ue ad unum, cui attribuuntur, referri intelligimus, quod coaceruationem,plenitudinemq; diuinitatis in ſcripturis nuncupamus:non quòd ad unam tantummodo perſonam, ſed æquè ad quemlibet ex Trinitate pertineant. Quapropter unigenitus Deus ait: Omnia quę habet pater, mea ſunt. & ad patrem loquens: Omnia mea tua ſunt,quemadmodum et tua mea, & glorificatus ſum in ijs. In omnibus enim quib. glorificatur pater,illis ipſis quoque glorificatur filius, & ſpiritus ſanctus. Atque hinc perfectus Deus pater dicitur, & perfectus Deus filius, & perfectus Deus ſpiritus ſanctus:quoniã non ſinguli deſtituuntur plenitudine deitatis,ſed æqualitatem habent omnium earum proprietatum, quibus ęqualiter plenitudo diuinitatis intelligitur.

Hilarius uerò libro 2.de Trinit.inquit: Autor unus eſt omnium. Vnus eſt enim ingenitus Deus pater,ex quo omnia: & unus unigenitus Dominus noſter IESVS CHRISTVS, per quem omnia: & unus ſpiritus, donum in omnibus. Omnia ergo ſunt ſuis uirtutibus ac meritis ordinata:una poteſtas innaſcibilis,ex qua omnia: una progenies, per quã omnia,perfectæ ſpei munus unum. Nec deeſſe quicquã conſummationi tantæ reperietur,intra quam non ſit in patre & filio & ſpiritu ſancto, infinitus in æterno, ſpecies in imagine,uſus in munere. Ac Victorinus lib. 4.aduerſ.Arian.Sit nobis fixa ſentẽtia,quòd Deus ſpiritus ſit, & ſpiritus de quo: & filius ſpiritus: & ſpiritus,ſpiritus S. De ſpiritu autem quod naſcitur, ſpiritus eſt, &c. Sic libro contra eundem: Si ſanctus ſpiritus, Dei ſpiritus eſt, & ſanctus ſpiritus à Dei filio omnia habet,una ſubſtantia tribus,à ſubſtantia patris,ὁμοουσίᾳ ergo tria. Præclarè et Baſilius libro de Spiritu ſancto, cap.12. Fides perficitur per Baptiſmum, Baptiſmus uerò fundamento fidei nititur,& utraq; res per has uoces impletur. Sicut enim credimus in patrẽ & filium & ſpiritum ſanctum, ſic & baptiſamur in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Et epiſtola 147. Confitendũ eſt,Deum eſſe patrem, Deum filium, Deum ſpiritum ſanctum:quemadmodum diuinæ ſcripturę, & qui ſublimiora contemplati ſunt, docuere. Et in ſermone contra Sabellium: Pater perfectam habens ac nullius indigam eſſentiam, radix & fons filij ac ſancti ſpiritus exiſtens, eſt uerè & filius in plena diuinitate uiriens uerbum, & progenies patris nulla re deficiens. Plenus autem eſt & ſpiritus, non pars alterius,ſed perfectus,& totus in ſe ipſo cõſiderandus. Coniunctus quidem indiuulſe patri eſt filius,coniunctus item filio eſt ſpiritus. Eodem modo docet de operationib. communibus trium perſonarum, epiſtola octaua: Sanctificat, uiuificat,illuminat, conſolatur,et omnia huiuſmodi ſimiliter operatur,& pater,& filius, & ſpiritus ſanctus. Et nemo peculiariter poteſtatem ſanctificandi tribuat ſpiritui ſancto, cum audiat Seruatorem in Euangelio de diſcipulis ad patrem dicentem: Pater ſanctifica eos in nomine tuo. Similiter et reliqua omnia æquè in ijs qui digni ſunt, fiũt à patre et filio et ſpiritu ſancto.

Eadem docet Gregorius Nazianzenus in Apologetico,et in oratione de funere patris. & oratione inſtructiua de ſtatu epiſcopali. Neceſſarium eſt, inquit, ut & unum Deum retineamus,& tres hypoſtaſes,ſingulas cum ſua proprietate confiteamur. Siquidẽ unum Deum in trinitate adorandum eſſe, tria uerò in unam deitatem contrahendam ſciebat. Et in oratione de modeſtia in diſceptatione obſeruanda: Decet,ut unum agnoſcamus patrem,principio carentem,nec genitum: ſimiliter & filium unicum ex patre natum: ſpiritum quoq; unum, ſubſtantiam ex patre habentem: patri quidem,quòd is ſit ingenitus: filio uerò,quia genitus ſit,cedentem: in alijs autem naturæ eiuſdem, parem dominatione,gloria & honore.

Conſonat Ambroſius libro ſexto Epiſtolarum, epiſtola 40. Profeſsio fidei eſt,ut patrem Deum, & filium eius unigenitum, & ſpiritum ſanctum ueneremur. Hanc trinitatem unius eſſe ſubſtantię,maieſtatis,diuinitatis. In hoc nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, baptizare nos, quemadmodum ſcriptum eſt. Hunc articulum explicat quoq; Prudentius in præfatione Apotheoſis:

Eſt tria ſumma Deus,trinum ſpecimen,uigor unus:
Corde patris genita eſt ſapientia,filius ipſe eſt:
Sanctus ab æterno ſubſiſtit ſpiritus ore.
Tempore nec ſenior pater eſt,nec numine maior.
Nam ſapiens retro ſemper Deus, edidit ex ſe
Per quod ſemper erat gignenda ad ſecula Verbum.
Edere ſed uerbum patris eſt,ac cætera Verbi:
Adſumptum geſtare hominem, reparare peremptum,
Conciliare patri,dextraq; in ſede locare.
Spiritus iſta Dei complet,Deus ipſe fidelis,
In populos chariſma ſuum diffundere promptus,
Et patris & Chriſti uirtutem in corpora transfert.

Idem in ipſa Apotheoſi:

Hæc eſt noſtra ſalus,hinc uiuimus,hinc animamur:
Hoc ſequimur,nunquam detracto nomine nati,
Appellare patrem,patris & ſine nomine nunquam
Natum noſſe Deum,nunquam niſi ſanctus & unus
Spiritus interſit,natumq; patremq; uocare:
Sic tamen hæc conſtare tria, ut ne ſepare ductu

Tres

Tres faciam, tribus his subsistat, sed Deus unus.

Epiphanius lib.2, Tomo primo: Confitemur trinitatẽ, ait, unitatẽ in trinitate, et trinitatem in unitate, unam deitatẽ patris, filij, & spiritus sancti. Non enim filius seipsum genuit, neq; pater transmutatus est ab eo quod pater est: neq; Spiritus sanctus Christum seipsum unq̃ nominauit, sed spiritũ Christi, & qui per Christũ datur, et à patre procedit, et à filio accipit. In substãtia est pater, in sustantia filiꝰ, in substãtia spiritꝰ sanctus. At nõ coniũctio est Trinitas, uelut Sabellius putauit: neq; alterata à ꝓpria perpetuitate ac gloria, uelut Arrius docuit. Sed semper trinitas est trinitas: & nunq̃ trinitas oppositionem accipit, una existens deitas, una dominatio, una glorificatio: sed trinitas numeratur, pater, filius, & spiritus sanctus: nõ uelut unũ quidã trib. nominib. appellatũ, sed uerè perfecta nomina perfectę substãtiæ, nihil immutatũ. Pater aũt semper pater, & nõ erat tẽpus quãdo nõ erat pater: pater perfectus existẽs semper in substãtia. Ex patre in ueritate genitꝰ, sine principio, sine tẽpore, & inenarrabiliter, nõ cõfrater existẽs patri, nõ auspicatꝰ ipsum esse, neq; q intermiserit unq̃, uerùm semper filius genuinus cũ patre existẽs, ex patre sine tempore genitus, æqualis existens Deus ex Deo, lumẽ de lumine, Deus uerus ex Deo uero, genitus, nõ creatus, sed nõ ipse pater, neque pater ipse filius: sed semper Deus pater & filius & spiritus sanctus. Semper enim spiritus cũ patre & filio, nõ cõfrater patri, nõ genitus, nõ creatus, nõ frater filij, nõ soboles patris, uerùm ex patre procedẽs, & de filio accipiẽs: nõ alienus à patre & filio, sed ex eadẽ essentia, ex eadẽ deitate, ex patre & filio, cũ patre & filio, semper in substantia spiritus sanctus, spiritus diuinus, spiritus gloriæ, spiritus Christi, spiritus patris. Nam spiritus patris qui loquitur in uobis, & spiritus meus cõsistit in medio uestrũm: tertius nomẽclaturæ, æqualis Deitate, non alteratus. præter patrem & filium, uinculum trinitatis, signaculum confessionis. Filius enim dicit: Ego & pater unum sumus. & non dixit, unus sum: sed, Ego & pater: significans in substantia patrem, & in substantia filium. & duo dixit, & non dixit unus. Et rursus, Vnum sumus: & non, unus sum.

Hieronymus quoque adstipulatur in epistola ad Marcellam: Nos patrem & filium & spiritũ sanctum, in sua unumquemq; persona ponimus, licet substantia copulemus. Et in capite tertio ad Ephesios: Deus pater Domini nostri IESV CHRISTI, iuxta substantiam pater est, & unigenitus non est adoptione filius, sed natura. Quicquid autem de patre & filio dicimus, hoc sciamus dictũ esse de Spiritu sancto. Chromatius in quintũ caput Matthæi: Perfecta fides est Triniratis ostensa, cum & pater Christum dominum ac Deum nostrum, filium suum esse testatur: & spiritus sanctus, id est paracletus, in tanto fidei sacramẽto patri filioq; cõiungitur, ut uerum patrẽ, uerũ filium, uerũ etiam spiritũ sanctum crederemus, tres personas, sed unã diuinitatẽ trinitatis, unamq; substantiã. Sic etiam docet Faustinus de fidẽ contra Arian. Vna est diuinitas patris, et filij, et spiritus sancti: sicut & una sanctitas eiusdẽ perfectæ & inseparabilis trinitatis. Victorinus de generatione diuinitatis inquit: Ipse spiritus differt propria actione sua à filio, sicut & ipse filius actione differt à patre suo: qui tamen sit pater, iuxtaid quod est esse, sitq; istorũ trium unũ, & idem existentiũ una diuinitas, & nõ multifida maiestas, sed ἓν ἀλλὰ οὐ τίθεις, μήτε ἄθεις: sed tria unũ, & unũ tria, & ter posita unum, idem atq; solum. Ita & Ephrem sermone de Antichristo scribit: Trinitatẽ increatã, & consubstantialẽ, & fontem unde haurimus spẽ salutis nostræ. Et in sermone de transfiguratione Domini: Trinitatis mysteriũ in monte Thabor declaratur. Nam Deus pater sonat in uoce, & filius apparet in transfigurato corpore, spiritus sanctus ostẽditur in lucida nube. Eusebius Emisenus in homilia in festo Natiuitatis Domini: Deus, inquit, unus est, qui in sapientia sua & in spiritu suo omnia operatus est. Cuius sapientia carnem suscepit, cuius spiritus in igne apparuit.

De Trinitate Optatus Mileuitanus lib. quinto contra Parmenianum: Quia filius, ait, à patre, Deus à Deo erat regẽdus secundũ quod filius petijt, & spiritus promissa nunciauit, compleuit pater in Iordane. Qui, cum ueniret filius Dei, Saluator noster, ad Ioãnem, ostensus est his uerbis: Ecce agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi. Descendit in aquam, nõ quia erat quod in Deo mundaretur: sed uenturũ oleum aqua debuit antecedere, ad ministeria initianda, & ordinanda & implenda, baptismatis locus cum in Ioannis manibus haberetur. Secutus est ordo ministerij, & compleuit pater, quod rogauerat filius, & quod nunciauerat spiritus sanctus. Apertum est cœlum Deo patre ungente, & spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & sedit capiti eius, & perfudit eũ. Cui ne manus imposita defuisse uideatur, uox audita est Dei de nube dicentis: Hic est filius meus, de quo bene sensi: hunc audite.

DE SINGVLIS PERSONIS: AC *primùm de Patre.*

Patrem esse æternum & immẽsum docuerunt, ut Athanasius oratione secunda contra Arian. Æternus est pater, immortalis, potẽs, lux, Rex, Imperator, Deus, Dominus, conditor & factor. Quod etiam Hilarius lib. 3. de

Trinitate

Trinitate his uerbis effert: Æternitas patris, locum, tempora, ſpeciem, & quicquid humano ſenſu concipi poteſt, excedit. Ipſe extra omnia, in omnibusq; capiēs uniuerſa, & capiendus à nemine: non acceſſu, deceſſu ue mutabilis, ſed inuiſibilis, incomprehenſibilis, plenus, perfectus, æternus: non aliunde quod eſt ſumens, ſed ad id quod ita manet, ſibi ipſe ſufficiens. De qua parte Baſilius in ſermone de Fide ſiue Trinitate inquit: Pater omnium principiū, omnium cauſa exiſtentium, animantiū radix. Et Gregorius Nazianzenus oratione ſecunda Epiphan. Pater pater eſt, & initio carens, non enim ex quopiam. Et in ſermone de fide: Eſt ergo Deus pater immenſus, æternus, incomprehenſibilis, inæſtimabilis. Quod & Prudentius in Apotheoſi iſtis uerſibus effert:

——Pater eſt, quem cernere nulli
Eſt licitum: pater eſt, qui nunquam uiſus in orbe eſt,
Nec mundana inter radiauit lumina coram.
Ipſe quidem in terris uirtute & numine præſens,
Semper adeſt quocunq; loci, nec pars uacat ulla
Maieſtate patris, nuſquam eſt genitor Deus abſens
Per uerbum. ſed ſemper adeſt.—— Vnde Epiphanius quoque libro tertio, Tomo primo ſcribit: Pater ſemper ingenitus, & increatus, & incomprehenſibilis.

DE FILIO DEI PATRIS.

Qualis ſit filius Dei, quod ad ſubſtātiam, proprietates & officia eius attinet, diligenter expoſuerunt huius Centuriæ ſcriptores. Euſebius de Demonſtratione libro 4. cap. 3. ait: Cùm unus ſit pater, filiū quoq; unum, non plures eſſe oportet: unumq; perfectum ſolum genitū Deum de Deo, non autem plures. In pluribus enim diuerſitas erit ac differentia, deterioriſq; introductio. Quare unus Deus, unus filij perfecti atq; unici, non plurium deorum neq; filiorum pater: quoniam cum luminis quoque una ſit eſſentia, ipſam item quæ ex eo generetur perfectam unam ponere, omnis cogit neceſsitas. Quam enim aliam præterea ſobolē luminis cogitare poſſumus, niſi unum ipſum, qui ex ipſo proficiſcitur, omniaq; cōplet atq; illuſtrat, radium? Quicquid enim ab hoc alienum fuerit, tenebræ erunt, non lumē. Idcirco etiam ſupremi omnium parentis cum lumen ſit, quod nullis uerbis compræhēdi poteſt: ne ſimile quidem ullum propriúmue exēplar fuerit, prēter ipſum hoc ſolum: quod quidē ipſum dicere item de filio fas eſt. Splendor enim eſt luminis ſempiterni, ſpeculumq; immaculatum diuinæ euidentiæ, & imago bonitatis eius. Ex quo illud dictum eſt: Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, &c. De filio & Athanaſius libro 5 de unitate et ſempiterna ſubſtantia Trinitatis docet: Verum patrem ſempiternum, uerus filius de clarat ſempiternus, qui de eo natus fuerat. Et uerum filium ſempiternum, uerus pater demōſtrat ſempiternus, qui eum genuerat. Ac per hoc, ut dixi, ſicut uerus pater, qui de ſemetipſo genuerat filium, unà cum eo erat ſemper, ante omnia anterior: ſic & uerus filius, qui iam inenarrabiliter natus fuerat à patre, unà cum eo fuit ſemper, ante omnia anterior. Hæc eſt, inquā in his anterior ſempiternitas, quæ ante omne omnino principium fuit, & erat. Ideo nunquam pater ſine filio, qui ſemper filius fuit cum patre, dum nullo modo poteſt pater hic dici ſine filio. Et ibidem: Nos Deum eſſe patrem prædicamus, quia omnipotētem Deum: qualis ipſe eſt in natura, talem genuit filiū: ſicut in ſcripturis cautum inuenimus. Qui eſt, qui fuit, & qui uenturus eſt omnipotēs Deus. Idem, quomodo pater in filio, & filius in patre ſit, explicat ſermone quarto cōtra Arianos, ubi affirmat filium Dei nō eſſe in patre, quaſi in uaſa inania alter in alterū infuſus: quia hoc proprium eſt corporum: neq; ut Deus in ſanctis hominib. eſt: neq; ut nos in eo uiuimus, mouemur & ſumus. Eſt autem filius in patre, quatenus intelligere cōceditur, eo quod quicquid eſt filius, id uniuerſum ſit propriū ſubſtantiæ patris: ueluti ex lumine proradiationem, & fluuium ex fonte: ut qui filium uideat, id uideat quod eſt patri ſuū ac propriū: ac intelligat, quòd filius ſit, eam eſſentiā ex patre eſſe, atq; ita eum in patre exiſtere. Eſtque uice uerſa pater in filio, eo quòd id quod eſt patri propriū ac ſuum, idipſum ſit filius, ut in radijs ſol, mens in ratione, fons in flumine. atque ita quis uidens filium, uidet id quod proprium eſt ſubſtantię patris, & intelligit patrem in filio eſſe.

Idem Hilarius illuſtrat libro ſeptimo de Trinitate: Filius in patre eſt, & in filio pater, non per transfuſionem, refuſionemq; mutuam, ſed per uiuentis naturæ perfectam natiuitatem. Ita in Deo patre, & filio, neque duos cōnumerabis deos, quia unum uterq; ſunt: neq; ſingulare prædicabis, quia uterq; non unus eſt. Non habet igitur fides Apoſtolica duos deos, quia nec duos patres habet, nec duos filios. Confitendo patrem, confeſſa filium eſt. Credēs in filium, credidit & in patrem: quia & nomē patris habet in ſe filij nomen, &c. De filio Dei Baſilius in ſermone contra Sabellium, Arium & Anomios tractat inquiēs: Vnus Deus eſt, & pater: unus Deus & filius, non dij duo. Nam patri filius ſimilis eſt: non enim aliam in patre diuinitatem intueor, & aliam in filio: neq; aliam illius, & aliam huius naturam pono. Cum his conſentit Ambroſius in 1. cap. epiſtolæ ad Galatas: Vtriuſq; beneficio, tam patris, quàm filij, genus humanum ſubleuatum oſtendit. Nec

minorem

minorem filium significat, cum eum Dominum nostrum uocat: neq; patrem maiorem, quia uerum Deum nostrum appellat. Quia non erit uerus Deus pater, nisi & Dominus sit: neq; uerus Domin⁹ filius, nisi & Deus sit.

De eodem articulo Prudentius in Hamartigenia scribit:

Conditor ergo boni pater est, & cum patre Christus:
Nam Deus, atq; Deus pater est, & filius, unum.
Quippe unum natura facit, quæ constat utriq;,
Vna uoluntatis, iuris, uirtutis, amoris.
Non tamen idcirco duo numina, nec duo rerum
Artifices, quoniam generis dissensio nulla est:
Atq; ideo nulla est operis distantia, nulla
Ingenij, peperit bona omnia conditor unus.

Faustinus quoq; de fide cõtra Arium, cap. 3. idẽ docet: Cum Deus in Deo est, & non est Deus præter eum in quo Deus est, & ipse est Deus Israel Saluator, oſtẽditur unitas diuinitatis in patre & filio, sicut & omnipotẽtię, & quicquid omnino diuinæ substãtiæ est: hoc solo differẽs à patre filius, quòd ille pater est, & hic filius: id est, quod ille genuit, hic nat⁹ est. Non tamẽ quia nat⁹ est, minus habet aliquid, q̃ quod in Deo patre est, imago Dei inuisibilis existẽs, & splendor gloriæ, & character substãtiæ eius. Et in eod. cap. 4. Eadẽ cum patre Christo imago est, eadẽ forma, eadem q̃; substãtia, eadẽ naturæ unitas, eadẽ potestas, eadẽ libertas uoluntatis, idem honor: & omnia omnino quæ patris sunt, filij sunt: quia & quæ filij sunt, patris sunt. Eusebius Emisen⁹ homilia de Natiuitate Domini, super illud, In principio erat uerbũ: Nunq̃ pater sine filio fuit, quia nunq̃ sine uerbo, nunq̃ sine uirtute, nunquam sine sapientia esse potuit. Hæc aũt sapiẽtia, hæc uirtus, hic Dei filius, quãuis temporaliter de uirgine natus sit, in principio tamen & ante tempora fuit, &c. Nihil enim in Deo est, quod Deus nõ sit.

¶ Quo modo uerò fili⁹ Dei ab æterno à patre genitus sit, id ut inuestigari nõ posse affirmãt, ita nimis curioſe indagare uetant. Nam Lactantius de uera Sapiẽtia lib. 4. sic inquit: Quomodo igitur ꝓcreauit? primùm nec sciri à quoq̃ possunt, nec narrari opera diuina, sed tamen sanctæ literæ docẽt, in quib. cautũ est, illũ Dei filiũ, Dei esse sermonẽ. Et Ambrosius in lib. de fide ad Gratianũ, sic inquit: Neq; enim angustis sermonib. nostris immẽsæ magnitudinẽ possumus diuinitatis includere: cuius magnitudinis nõ est finis. Namq; hominis generationẽ si definire cõtendas, tẽpus oſtẽdis. Generatio aũt diuina supra omnia est, latè patet: supra omnes cogitationes ascendit, & sensus. Item: Quæro abs te, quando aut quomodo filium putes esse generatum? Mihi enim impossibile est, generationis scire secretum. Mens deficit, uox silet, non mea tantũ, sed & angelorũ supra potestates, supra angelos, supra cherubin, supra seraphin, supra omnem sensum. Si pax Christi supra omnẽ sensum est, quomodo non est super omnem sensum tanta generatio? Tu quoq; manũ ori admoue, scrutari non licet superna mysteria. Licet scire quod natus sit: non licet discutere quomodo natus sit. Illud negare mihi nõ licet, hoc quærere metus est. Nam si Paulus ea quæ audiuit raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit: quomodo nos exprimere possumus paternæ generationis arcanũ, quod nec sentire potuim⁹, nec audire? Quid te ista quæstionũ tormẽta delectãt? Incõprehensibiliter generatur filius, impassibiliter generat pater: & tamẽ ex se generauit, & ante omnẽ intellectũ generauit Deus uerus Deũ uerũ. Hilarius quoq; lib. 2 de Trinitate, affirmãs filij natiuitatẽ sciri nõ posse, inquit: Habet igitur natiuitatis huius uterq; secretũ. Et si quis fortè intelligẽtiæ suæ imputabit generationis huius sacramentũ non posse se cõsequi, cum tamẽ et pater sit absolutè intelligẽdus, & filius, maiore istud dolore à me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro: & cõsolabor me tamẽ. Archãgeli nesciũt, angeli nõ audierũt, sæcula nõ tenẽt, propheta nõ sensit, apostolus nõ interrogauit, filius ipse nõ edidit: cesset dolor querelarum. Non te, quisquis es qui hæc requiris, non reuoco in excelsum, nõ in amplitudinẽ tẽdo, nõ deduco in profundum. Nónne æquanimiter ignorabis creatoris natiuitatẽ, ignorãs originem creaturæ? Hoc saltẽ requiro, Sentis ne te genitũ? Hæc, si potes, enarra, &c. Audi filium imaginẽ, sapientiã, uirtutẽ, gloriã Dei, & intellige per prophetã clamantẽ Spritum sanctum: Generationẽ eius quis enarrabit? Et obiurga Dominũ testantẽ: Nemo nouit filium nisi pater, neq; patrẽ quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et inſere te in hoc secretũ: & inter unũ ingenitũ Deũ, & unũ unigenitũ Deum, arcano te inopinabilis natiuitatis immerge. Sic etiam initio tertij libri dicit: Filium esse inenarrabiliter & incomprehensibiliter genitum.

Eodem modo Basilius in oratione de martyre Manante, de ijs quæ in diuinitate scrutanda nõ sint agens, hæc de generatione filij inquit: Tu uerò iactas, quòd illa deitatis cognoscantur, quæ tu tuo impudenti ore profers? Aut ex præcedẽtib. nõ intelligis mensuram cognitionis? Quid cognoscim⁹ Dei? Oues meæ uocẽ meã audiunt. Vide quomodo cognoscitur Deus, ex eo quòd nos audimus mandata ipsius, ex eo quòd audiẽtes facim⁹. Hæc est cognitio Dei, seruare mandata Dei. Quomodo nõ impertinẽs curiositas de essentia Dei? Non inquisitio rerũ supermundanarum, nõ consideratio inuisibiliũ? cognoscũt me meę, & cognosco meas oues. Sufficit tibi

scire, pastorē esse bonū, animā suam posuisse pro ouibus. Terminus hic sit diuinæ cognitionis. Quātus aūt sit Deus, & quæ mensura ipsius, & qualis secundū essentiā: talia periculosa sunt interrogāti, dubia uerò apud interrogatū. Silentiū autem taliū medela est. Meę oues meā uocē audiūt, dixit: non inquirunt, hoc est, nō negligenter transmittunt, nō contentiosi sunt. Audiuisti filiū: Ne mihi MODOS GENERATIONIS proferas, Neq; ipse à ME exi gas, neq; sub causarū RATIONEM cōtrahe eaq; nulli causarū rationi subiacent: neq; per fissurā diuide, quod est coniunctū: propterea anteuertens te Euangelista præmuniuit. Audisti nuper (scilicet in Oratione ubi dicitur cur filius uocetur Verbum) & sanè audis, In principio erat uerbū: ut ne filiū fœtū humanū putes, ex nō existente productū esse. Verbum, tibi dixit: propter affectionis absentiā. Erat, tibi dixit: propter temporis remotionem. Principiū tibi dixit: quo genitum patri conuerteret. Vidisti, quomodo ouicula obediens uocē Domini audit? Item de humana Christi generatione in die Natali: Christi generatio propria ac præcipua diuinitatis est, quæ quidē silentio magis ac fide ueneranda est, q̄ disputione aliqua nostra, seu curiositate uestiganda. Vbi enim nec tempus, neque æuū intercedit, neq; item modus intelligitur, nec spectator adfuit, nec est qui exponat, quomodo mens aliquid imaginabitur? quomodo mentis cogitationib. lingua famulabitur? Pater erat, & filius est genitus. Ne dicas, quando: sed neglige hanc quæstionem. Ne quæras, quomodo? est enim hic impossibilis responsio. nam Quando, tempus habet: Quomodo uerò, ad modos corporeos imaginationē quandā. Dicere possum è sacris uoluminibus, q̄ splendor gloriæ & imago exarchetypo sit: uerūtamē quoniā nec ratio nec cogitatio talib. renouationis uerbis tuæ curiositati satisfacit, ad ineffabilē incōprensibilemq; gloriā cōfugio, & fateor indeprēsum, ac uerbis humanis inenarrabilē diuinæ generationis esse modū. Et Gregorius Nazianzenus de Theologia lib. 3. ita scriptū reliquit: Quomodo ergo genitus est? Vnū p̄fectò restat tantū, quod respōderi rectè queat: uidelicet, filiū Dei, utcunq; natus sit, aliter atque homo solet, natum esse. Alioqui quid magni haberet Dei generatio, si cōprehenderetur angustijs intellectus tui? qui tuā ipsius generationē uel in totū nescis, uel quandā cognitionē eius adeò exiguā habes, ut dicere etiā sit pudor? Et tu putas adhuc te tibi p omnia cognitū, exploratumq;, quū sudaueris satis, priusquā inueneris rationē qua sis primùm cōpositus, format⁹. Eam ergo nobis expedi, & nō admodū uacabit in Dei generatiōe philosophari: certè parū tutū est, hoc genus quę stionib. indulgere. Nam ut maximè generationē tuā cognoscas, nō tamen, ut & Dei cognoscas, cōtinuò sequtur. Si uerò ne tuā ipsius quidē intelligēdo cōprehendere potes, quomodo diuinā generationē intelligēdo poteris cōplecti? tanto enim eam cōplecti est difficilius q̄ tuā, quāto Deū cognoscere operosi⁹ est quàm hominē. Quin potius missos facito istos tuos fluxus, istas diuisiones, istas sectiones: in primis aūt peruersum disputandi studiū de incorporea natura, perinde ac de corporea, & statim aliqd diuina generatione dignū in mentē uenerit. Quomodo itaq; generatus est? Nā toties eandē cantilenā nō sine molestia cano: Dei generatio silētio est colenda. Et quod sanè generat⁹ sit, didicisse te, magnū quiddā fuerit: Verùm quomodo sit generatus, nosse, ne angelis quidē istis, nedū tibi, datū esse concessero. Porrò si isto tuo Quomodo, nisi respōso accepto, discedere nō potes: Respondeo, sic generatū esse, ut nouit & q̄ genuit pater, & q̄ genitus est fili⁹. Quod uerò his excelsius est, hoc nebula tegitur, ut ingenij tui cæcutiētes oculos facile effugiat. Hac de re etiā Hieronymus super Esaiā cap. 53. inquit: Generationē eius quis enarrabit? Quod dupliciter intelligitur. Aut enim de diuinitate eius accipiendū est, q̄ impossibile sit diuinæ natiuitatis nosse mysteria. De qua ipse loqtur in ꝓuerbijs: Ante omnes colles generauit me. Iuxta illud quod alibi legim⁹: Quis cognouit sensum Domini, aut quis cōsiliari⁹ eius fuit? id est, null⁹. Aut de partu uirginis, quod difficulter possit exponi. Idem super Matth. lib. 1. cap. 1. Liber generationis IHESV Christi. In Esaia legimus: Generationem eius quis enarrabit? Num ergo putem⁹ Euangelistā prophetę esse cōtrariū, ut quod ille impossibile dixit effatu, hic narrare incipiat? quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione est dictū. Huc pertinet & Eusebij narratio li. 5. de Demonstratione Euangelica, cap. 1. De ijs quæ ad primā Dei filij generationē pertinent, nihil sanè habemus amplius quod dicamus aut cogitem⁹, quàm illud, Generationē eius quis enarrabit? quod si quis ulterius progrediens, eò prouehatur audaciæ, ut quæ nulla prorsus intelligentia cōpræhēdi possunt, ea uisibilib. & corporeis exēplis assimilet: forsitā dicat, ingeniti patris naturæ atq; ineffabilis essentiæ quasi fragrātiā quandā ac lucis splendorē ipsum filiū ex infinitis seculis, ac potius ante omnia secula extitisse: dumq; existit, simul esse: neq; patrem unquā relinquere, sicut nec unguentū bonus odor, nec lucē splendor relinquit. Verùm exēpla hæc nō omnino integrā præstāt similitudinē. Nā corpora inanimata, ipsum accidens in qualitatib. retinēt. Splēdor enim cū ipsam lucis naturā comitetur, nec ipsam

unquam

unquam lucis essentiam relinquat, extra id ipsum in quo est, stare non potest. At uerò ipsum Dei uerbum per seipsum & essentiam obtinet, & consistit: neq; absq; gignendi ratione cum patre existit simul, sed tanquam unicus filius, qui solus ante omnia secula ex patre sit genitus. Ephrem in libro ad eos qui naturam filij Dei scrutari uolunt, cap. 1. pag. 122. Si scrutari pergas substantiam Medici, curiositati tuę nullus adit⁹, nullus trāsitus, null⁹ exitus patet. Quicunq; enim eiusce uestigatiōis iter incedere nititur, cōtinuò uia illi omnis occluditur, & ante se nihil nisi deserta loca & inuia conspicit, nullā prorsus habentia mansionē aut requiem: pelagus immensum atq; infinitum est, unigeniti filij diuina natiuitas: & ignis comburens est, diuinæ naturæ uestigatio. Et in eodem capite: Dic mihi temerarie, quomodo in mente tua ipsum effinxisti creaturæ totius autorē, infinitū, glorioſum atq; terribilē, cuius ab aspectu creatura omnis liqueſcit, ut cæra à facie ignis? Idem in eodē libro, cap. 2. Non stulte terreris: qui teipsum nescis, creatorem explorare præsumis? Deus & Dominus unigenitus patris, in excelsis ad patris dexteram residet: angeli, archangeli, Cherubin & Seraphin, cum metu et tremore astant illi, presis deorsum cum horrore obtutibus: cinis autem & puluis in terra sedens, scrutatur opificem? Cherubin prope solium gloriæ sub alis suis contegit faciem, neque in illam maiestatem infigere lumina sustinet: homo autem terrenus et luteus, qui seipsum et mortis suę tempus ignorat, Dominum omnium conditorem perscrutatur? Et paulo pòst: Exprime angelorum naturā, figuram Cherubin, Seraphin imaginem propriam, Gabrielis faciem, ignem Michaelis profectò flagrantem: flagrantis ignis ubi sunt oculi? ubi nares ad requiem spiritus? Quæ nam ipsorum staturę sunt, erectæ in speciē honestæ proceritatis, an globosæ atq; rotundę? tractabiles sunt, an intractabiles? Si te ista superant ignorator ingrate, nec inæstimabiles Domini creaturas eloqui sufficis, creatorem ipsum qua temeritate circumscribere niteris? Idem in eodem quoq; libro & capite: Infelix profectò, miser atq; impudentissimus est, qui scrutari cupit opificem suum. Millia millium, & centies millies millena millia angelorum & archangelorum cum horrore glorificāt, trementes adorant: & homines lutei, pleni peccatis, de diuinitate intrepidè disserunt? Non illorum exhorrescit corpus, non contremescit animus: sed securi & garruli de CHRISTO Dei filio, qui pro me indigno peccatore passus est, deque ipsius utraque generatione loquuntur, nec saltem quòd in lucem cæcutiant sentiunt. Qui filij Dei naturam scrutantur, curiosos magis quàm fideles esse, asserit idem Ephrem, eodem lib. cap. ultimo.

Athanasius in Sermone tertio cōtra Arianos: Neque quærendum est, cum non tale sit Dei uerbum, quale nostrū est: cum Deus nequaquā talis sit, quales nos sumus, quemadmodum dictum est. imò indecorum est quærere, quomodo ex Deo Verbum sit, aut quomodo sit Dei splendor, aut quomodo gignat Deus, & quis sit modus generationis Dei. Insanus erit enim qui talia auderet: quoniam rem ineffabilem, & propriam diuinæ naturæ, & duntaxat ipsi ac filio suo cognitā, uerbis interpretari conatur. Simile est, ac si ijdem quærerent, ubi Deus, aut quomodo Deus sit, & quantus sit pater. Sed ut talia scischitari impium est, & eorum qui Deum ignorant: ita quoq; fas non est, ut de filij Dei natiuitate ad istum modum percunctationes facias, aut ad tuam naturam & imbecillitatem modificare studeas Deum, ac Dei sapientiam. Non tamen ob id præter ueritatem aliquid cogitandū est: neq; si te in quęstione nō explices, diffidendū est sacris scripturis: quoniā melius est, hæsitabundos ignorata causa tacere & credere, quàm ideo nō credere quia hęsitent: ea potissimū de causa, quòd q hęsitat, potest aliquo modo ueniā mereri, quòd quamuis quæsierit, intra quietē tamē maneat. Qui aūt eò quòd in explicanda causa hæsitet, fingit animo quæ nequaquā decēt, atq; ita de Deo indigna eloquitur, indeprecabilē reportat suæ audaciæ punitionē.

Eusebius Emisenus homilia de Natiuitate Domini: Qualiter aūt sapientiā suam, uerbum suum, & filium suum ipse genuerit, quia solui non potest, quæri non debet.

IN IESV CHRISTO DVAS ESSE *naturas, diuinam & humanam.*

De diuinitate CHRISTI etiamsi hactenus satis multa testimonia cōmemorata sint, tamen pauca quędam hoc loco quoq; adijcienda uidentur. Eusebius de præparatione euangelica libro primo, capite primo inquit: CHRISTVS Dei patris uerbum est, Deus ipse quoq;. Et Athanasius de beatitudine filij Dei: Filium cōfitearis, inquit, necesse est, Deū de Deo, lumē de lumine, uerū de uero, filiū de patre, natū, nō factū, unius substantię cū patre. Et in oratione quinta cōtra Arianos: unū esse CHRISTVM, unū eundēq; illum Deū cōfitemur, unā hypostasim, & unā personam, non ut complementum aliquod ad integritatem hypostaseos conferat corpus: id enim prorsus impium, quum diuinitas per se integra & perfecta, incapax omnis defectionis, simplex, uniformis & incōpositа, in partes non distinguatur: hoc est, quatenus uerbum Deus est, & uniforme, in diuersitatem membrorum aut rerū, siue eæ

corporeæ sint, siue incorporeę, nõ cadit. Verbum enim res absoluta est, & penitus incorporalis. non enim Deus ita incarnatus est, ut caro fieret: neque filius Dei ita humanum corpus sumpsit, ut in hominem mutaretur: neque Dominus gloriæ, serui formam gestauit, ut seruus redderetur: sed homo, & filius hominis est ille, qui est filius Dei: idémque seruus specie tenus, qui est Dominus natura. Non corpus igitur uim habuit absoluédæ diuinæ hypostaseos: sed ille qui uerè integer perfectusque est, id quod imperfectum erat, absoluit: & qui nullius indigus erat, coniunctus est & coadunitus cum carne: & qui nullius rei necessitatem sentit, dedidit se corpori necessarijs indigenti. Nullus enim eorum qui rectè sapiunt, aut quisquis sobrius est, aut mente non destituitur, de ea re dubius esse potest, quòd quemadmodum uerbum perfectum est, & sua hypostasi absolutum, neutiquam opus habuit carne, ut Deus perfectus esset: ita neque corpus uerbo indiguit, ut integrum pro sua hypostasi fieret, sed cœlesti Saluatore indigebamus. Et Basilius libro quinto cõtra Eunomium: Deus ex seipso sine passione proprium filium genuit, æqualis honoris, æqualis gloriæ, eiusdem sedis consiliatorem, cooperatorem, consubstantialem patri: & duo, non diuersæ substantiæ, nec alienum ab eius sola deitate. Nam si ita non est, nec adorabilis est.

Et Faustinus libro de fide contra Arianũ: Christus filius Dei & semper fuit, & semper inseparabilis à patre, & semper Deus.

Sic & Ambrosius lib. primo de Fide, cap. octauo: Deus ex Deo, lumen de lumine, uerus Deus de Deo uero: ex patre natus, non factus, unius substantiæ cum patre. Sic nempe nostri secundum scripturas dixerunt patres. Et in eodem lib. cap. quinto. Nos cum audimus ex utero filium, ex corde uerbum credamus: quia non plasmatus manibus, sed ex patre natus: non artificis opus, sed progenies est patris. Et ideo dicit, Hic est filius meus. non dixit, Hic est temporalis: non dixit, hæc est creatura mea, hic seruus meus: sed, Hic filius meus, quem uidetis in gloria.

De humanitate uerò Christi Ambrosius libro primo de sacramento: Memento, inquit, quod dixerim, Christus carnem susceptit: non sicut carnem, sed carnis ipsius ueritatem, uerè carnem Christus susceptit.

De unione duarum naturarum in Christo, Arnobius in psalmo uigesimoseptimo: In filio Dei perfectũ Deum, perfectum hominem confitemur. Et rursus in psalmo sexagesimooctauo: In Domino nostro IESV Christo duas substantias, Dei & hominis confitemur. Et libro primo aduersus gentes: Quis est mortalium qui quæreret eum uidere, quis cernere, si talem uoluisset se inferre terris, qualis in primogenia natura est? Assumpsit igitur formã hominis, & sub nostri generis similitudine potentiã suam clausit, ut uideri posset, & conspici.

Eandẽ doctrinã Athanasius de incarnatione uerbi proponit: Nos Dominũ nostrũ spiritu quidẽ esse Deum, carne uerò hominẽ esse cõfitemur: tametsi increduli procreationem ex fœmina irrisui habeant, eamq; carnis esse, non Deitatis ganniant. Dicimus igitur Deum carni coadunitum esse, & eatenus ex muliere formam & ortum accepisse, atque unum esse, ut Apostolus docuit. Et ibidem: Carnis unitio cum uerbi diuinitate, ex utero traxit originem. Ibi enim eam uerbum, cum è cœlo aduenisset, constituit: quippe quæ non erat, antequam cœlitus uerbum aduenire, aut quàm Deipara uirgo Maria sola ex Adam deriuaretur.

Congruit & Hilarius libro secundo de Trinitate: Est filius ab eo qui pater est, unigenitus ab ingenito, progenies à parente, uiuus à uiuo. Vt enim pater habet uitam in semetipso, ita & filio data est uita in semetipso. perfectus à perfecto, quia totus à toto, non diuisio aut scissio, quia alter in altero, & plenitudo diuinitatis in filio est. Incompræhensibilis ab incompræhensibili: nouit enim nemo, nisi inuicem. Inuisibilis ab inuisibili, quia imago Dei inuisibilis est: & quia qui uidet filium, uidet & patrem. Alius ab alio, quia pater & filius: non natura diuinitatis alia & alia, quia ambo unum. Deus à Deo, ab uno ingenito Deo. Vnus unigenitus Deus: non dij duo, sed unus ab uno. Non infiniti duo, quia natus est ab innato. Alter ab altero nihil differens, quia uita uiuentis in uiuo est. Sic & in libro nono de Trinitate: Ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusq; res eadem est: ita tamen, ut neutro careret in utroque, ne fortè Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset. Hæc itaq; humanæ beatitudinis fides uera est, Deum & hominem prædicare, uerbum & carnem confiteri, neque Deum nescire quòd homo sit, neque carnem ignorare quòd uerbum sit. Et libro quarto de Trinitate, & in psalmo sexagesimotertio: Totum quicquid est, ex eius operatione subsistit. Hic ergo onus est disponẽs ad Abrahã, loquens ad Moisen, testans ad Israel, monẽs in prophetis.

Nazianzenus sermone de sancto Lauacro: Credo filium Dei uerbum æternum, ex patre absque tempore & corpore natum. Hunc nouissimis diebus propter te genitum esse, ac

ac filiũ hominis ex Maria uirgine processisse, ineffabiliter, & absq; sorde ulla. nil enim quod sordidum, Deus, & per quem salus est.

Prudentius in Psychomach. eandẽ doctrinam explicat:

—Innupta Deum concepit femina Christum,
Mortali de matre hominum, sed cum patre numen.
Inde omnis iam dura caro est, quæ concipit illum,
Naturamq; Dei consorti fœdere sumit.
Verbum quippe caro factum, non desinit esse
Quod fuerat uerbum, carnis dum glutinat usum,
Maiestate quidem non degenerante per usum
Carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.
Ille manet quod semper erat, quod non erat esse
Incipiens.— Ita & Epiphanius docet libro 1. Tom. 1. Complacuit Deo, ut ad salutem hominũ proprium filium demitteret, ut in utero uirgineo cõciperetur, qui uerbum est de cœlo, ex paternis sinub. generat⁹, sine tempore, ac sine principio, & ut descẽderet in extremis diebus, Dei uerbũ existẽs, ex Deo patre uerè generatũ, qui coessentialis est patri, & nihil à patre immutat⁹, sed immutabilis, et inalterabilis, purusq; ab affectibus, et penitus nõ patiẽs, cõpatiẽs aũt nostro generi. Qui descẽdit de cœlo, & cõceptus est nõ à semine uiri, sed per spiritũ sanctũ: & uerè corpus de Maria habuit, sibi ipsiq; carnem de sancta matre efformauit, et animã ac mentem humanã accepit: & totum id quod est homo, excepto peccato, in seipsum per suã deitatẽ couniuit. Et lib. 3, Tom. 1. Filius Dei λόγος seu uerbum uocatur, quoniã interpres est uolũtatũ Dei.

Hieronymus uerò sic scribit in tertium caput ad Galatas: Postquam ob nostrã salutem de uirginis utero dignatus est nasci, Dei & hominum, homo Christus IESVS, sequester est dictus. Antequam uerò humanũ corpus adsumeret, et esset apud patrem, in principio Deus uerbum, ad omnes sanctos, ad quos factus est sermo Dei, Enoch uidelicet, Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, & postea Mosen, & cunctos prophetas, quos scriptura commemorat, sine additamẽto hominis, quem necdum assumpserat, mediator tantummodo nuncupatur. Item: Ille mortuus est, ut nos uiueremus: descendit ad inferos, ut nos cœlum ascenderemus.

De humanitate & officio Christi, Theophilus Alexãdrinus lib. 1. Paschali ita scribit: Ex tantis ac talib. assumpsit hominẽ, duntaxat absq; peccato, ex quantis & qualib. nos omnes creati sum⁹: nõ ex parte, sed totus mediator Dei & hominũ, homo CHRISTVS IESVS: nulloq; quod nostræ similitudinis est caruit, nisi solo peccato, quod substantiã nõ habuit inanimã sine anima. Ac paulo pòst: Sciendũ est, ex omni parte temperatũ, quantæ cõditionis exhibẽs sacramentũ, perfectã similitudinẽ nostrę cõditionis adsumpserit: nec carnẽ tantum, ac animã irrationalẽ, & sine sensu: sed totum corpus, totamq; animã sibi socians, perfectũ in se hominẽ demõstrauit, ut perfectã cunctis hominib. in se & per se largiretur salutẽ: habensq; nostri cõsortiũ, qui de terra cõditi sum⁹, nec carnẽ duxit de cœlo, nec animã. De causis unionis istius, etiam Ephrem lib. aduersus scrutantes naturam filij Dei differit: Rex cœlestis, inquit, immortalis Dominus, filius unigenitus, dilect⁹ patris, qui per gratiã suã potestate diuina hominẽ finxit ex terra. & cũ uidisset humanũ genus infirmũ, in malis iacere, descendit de cœlo uolũtate patris, & incarnatus in sanctę uirginis utero, atq; ex ea genitus sua uolũtate processit, ut curaret omnes uarijs languorib. fatigatos, gratia atq; miserationib. suis.

De hac etiam Gregorius Nyssenus, oratione secunda de amandis pauperibus tractat: Ipse Dominus angelorum, ipse cœlestis beatitudinis rex, propter te factus est homo, & sordidas istas abiectasq; carnis exuuiolas, unà cum anima quæ ipsis erat induta, sibi circumdedit, ut attactu suo his ægritudinibus mederetur.

Et Amonius in epistola tertia inquit: Scitis gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, quòd propter nos pauper factus est, cum dues esset, ut nos paupertate illius ditaremur: seruitus autem illius liberauit nos, & infirmitas eius constituit ualidos: stultitia illius nos sapientes effecit.

Et Gregorius Nyssenus, de unione naturarum et humanitate suscepta, eiusq; causis, in lib. de uita Mosæ: Etsi natura, inquit, diuina nullo pacto mutari queat, in eo tamen quòd ad assumendũ hominẽ descẽdit, imbecillitatemq; nostrã uerè suscepit, cõmutatus dicitur. Et sicut Mosi man⁹ è sinu educta, uisa est cõmutata, rursumq; in sinũ reducta, in naturam suã reducta est: simili quoq; modo unigenitus Dei filius, cũ in sinu patris est, dextera excelsi est: cũ uerò è sinu patris ad nos uisitandos descẽdit, secundũ nos factus, quãuis immutabilis sit ipse natura, cõmutatus tamẽ dicitur. At uerò postquã morbos nostros sanauit, naturamq; nostrã in sinum suum reduxit (sinus autem filij pater est) tunc ipse non mutatus, quippe qui impassibilis atq; incommutabilis est, mortalem hanc & corruptibilem naturam in immortalitatem atque immutabilitatem conuertit.

De operibus Christi in diuinitate, Basilius sermone secundo de baptismo, capite ultimo: Dominus noster IESVS CHRISTVS, unigenitus uiuentis Dei filius, per quem omnia facta sunt, uisibilia & inuisibilia, uitã habet, sicut illam habet pater. Et Victorinus lib. 4. aduersus Arium: Hęc uiris fidelib. sanè probata sunt: & ante carnem fuisse, & in car-

ne fuisse eundem filium, illum qui ante secula est genitus, illum qui in carne dicit: Redde mihi propter honorem meum, quem habui apud te, utq; supra cœlos & ante carnẽ illum, quia λόγος est, & in principio λόγος, & iuxta Deum λόγος, & qui λόγος Deus est, & per quem λόγῳ facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil.

De operibus CHRISTI in humanitate, Arnobius in psalmo 67. Prosperum iter crucis suæ fecit nobis Deus saluator noster, qui ideo cunari uoluit, ut nos saluos faceret: ideo mortis exitium suscepit, ut conquassaret capita inimicorum suorum, & liberaret peccatores de manibus dæmonum. Et Eusebius li. 10. de Demonstratione euangelica: Cum Dei uerbũ esset, ei placuit & serui formam recipere, & communi omnium nostro domicilio copulari: patientiũ membrorum labores in seipsum assumpsit, & nostras ualetudinis infirmitates suas fecit, & ex legibus humanitatis, & pro nobis omnibus & dolores & labores sustinuit. Cæterùm non modò rebus his gestis Dei agnus, uerùm etiam pro nobis tormenta passus, supplicioq; affectus, quo ipse quidem dignus minimè erat, sed nos ipsi propter multitudinẽ peccatorum, ut peccata nobis dimitterẽtur, autor existit: utpote qui pro nobis & mortem subierit, & uerbera & probra & contumelias, quibus nos digni eramus, in seipsum transtulerit: & execratio ꝓ nobis factꝰ, execrationẽ quæ nobis debebatur, ad seipsum attraxerit. Quid, num aliud ille, quàm pro animis nostris precium? Et Athanasius de natura humanitatis susceptа, contra Apoll. Christi passio nostra est impatibilitas: illius mors, nostra immortalitas: illius fletus, nostra lætitia: illius sepultura, nostra resurrectio: illius baptisma, nostra sanctificatio: illiꝰ uibices, nostra sunt sanitas: illius disciplina, pax nostra. ob pacẽ enim nostram ille castigatus est. illius ignominia, nostra gloria: unde gloriã petit in nostri gratiam. illius descensus, noster ascẽsus. Et cum in cruce dicit, Pater in manus tuas commendo spiritum meum: nos omnes in se Deo commendat. Membra enim illius sumus, & multa ista mẽbra unũ corpus sunt, quod est Ecclesia. Et Hilarius libro quarto de Trinitate: Per uirginem natus ex spiritu sancto, aduersantes nobis, inimicosq; uirtutis ligno passionis affigens, mortem in inferno perimẽs, spei nostrę fidem resurrectione confirmans, corruptionem carnis humanę gloria corporis sui perimẽs. Soli hæc unigenito Deo propria sunt. Gregorius Nyssenus in libro de uita Mosæ: Contritam, inquit, naturam nostram in integritatem traduxit, qui languores nostros portauit, & sanauit ægrotos, posteaquã in pristinã pulchritudinem dirutas naturæ nostræ tabulas restituit. Et rursus post pauca: Per eum, ne mors sus mortẽ inferat, factum est. De descensu Christi ad inferos, Eusebius Emisenus de resurrectiõe Domini: Sciendũ, inquit, est, quòd illa hora, qua Saluator noster inclinato capite emisit spiritũ, corpore in cruce derelicto, anima simul cum diuinitate ad inferna spolianda descendit.

DE SPIRITV SANCTO.

ESse Spiritũ sanctum, prolixè docent. Hilarius lib. 2. de Trinitate inquit: Est spiritus sanctus, quandoquidẽ donatur, arripitur, obtinetur: & qui confessioni patris & filij connexus est, non potest à cõfessione patris & filij separari.

Spiritum sanctũ autem esse tertiã diuinæ essentiæ personam coessentialẽ, coæqualẽ & coomnipotentẽ cum patre & filio, multis illustrib. sententijs docuerũt. Eusebius lib. 7. de præparatione Euangelica, cap. 7. Tertiò spiritus sanctus additur à scriptura, quem sicuti patrẽ et uerbũ suum, eadẽ dignitate atq; honore honorari præcipit. Athanasius de fide unitatis & trinitatis: Maximum in tota creatura testimonium de diuinitate spiritus sancti, corpꝰ Domini est, quod ex spiritu sancto esse creditur, secundũ euangelistã Matth. 1. sicut angelus ad Ioseph dicit: Quod in ea natum est, de spiritu sancto est. Et in epist. ad Iouinianũ Imperatorẽ, de fide: Nicæna synodus nõ alienauit spiritũ sanctum à patre & filio, & in una sanctæ Trinitatis fide, eo quod una sit in sancta Trinitate deitas. Ac de beatitudine filij Dei: Spiritũ sanctũ qui de unita Trinitate confitĕris necesse est Deũ uerũ, lumẽ uerũ, totum perfectũ, totum plenum, integrũ, sempiternũ, in ipsa sapientia, uirtute, præscientia patris & filij consistentem. Item de humanitate naturę susceptа, contra Apoll. Impium igitur est, creatũ aut factum esse Dei spiritum affirmare: cum omnis scriptura, tum uetus tum noua, eum unà cum patre & filio connumeret & glorificet. quoniã eiusdem deitatis est, & eiusdem potentiæ & essentiæ. Idem docet Basilius in epistola septuagesimatertia ad Monachos: Nos paracletum patri ac filio coniunctum, non creaturæ cõnumeratũ esse confitemur. In patrem namq;, & filium, & spiritum sanctum credimus: deniq; in nomen patris, & filij, & spiritꝰ sancti baptizamur. Quapropter nunq; à cõiunctione patris & filij paracletũ separamus. Mens enim nostra à spiritu sancto illustrata, ad filiũ respicit, & in illo ueluti imagine patrẽ contẽplatur. Neq; igitur nomina ex nobis ipsis cõministramur: sed spiritũ sanctũ paracletũ quoq; nominamus, neq; debitã illi gloriã cassari sustinemꝰ. Consentit et Nazianzenus in oratione de Modestia:

Deces

Decet ut agnoſcamus ſpiritum quoque unum, ſubſtantiam ex Deo habentem: patri quidē, quòd is ſit ingenitus, filio uerò, quia genitus ſit, cedentem. in alijs autem naturæ eiuſdem, parem dominatione, gloria & honore. Et in oratione quinta in Pentecoſte: Spiritus ſanctus erat quidem ſemper, & eſt, & erit, neq; incipiens, neq; deſinēs, ſed ſemper patri & filio coordinatus, & connumeratus. Eſt paulo pòſt: Decebat, cum filius corporaliter nobiſcum cōuerſatus eſſet, ſpiritu ſancto quoq; corporaliter adparere. Ad eundem modum Ambroſius in tribus de ſpiritu ſancto libris, ſcriptis ad Gratianū Imperatorē, multis teſtimonijs probat, ſpiritum ſanctū eſſe uerè Deum, qui non ſit inter creaturas, nec inter omnia, ſed ſuper omnia: qui omnia repleat, qui ſempiternus ſit, qui peccata cōdonet, qui cum patre & filio ſit creator & conſeruator omnium: in ſumma, cui omnia attributa Dei competant, quem adorare, cui ſeruire debeamus. Idem ſpiritū ſanctum diſtinctam à patre & filio perſonam eſſe oſtendit libro primo de ſpiritu ſancto, capite octauo: Quod non eſt creatione corpus, hoc ſpiritus eſt: ſed non confuſus cum patre & filio ſpiritus ſanctus, uerùm à patre diſtinctus, & à filio. Et in eodem libro, capite ſeptimo: Simul illud aduerte, quia Deus dat ſpiritum ſanctum. Nō enim humanum hoc eſt opus, neq; ab homine datur: ſed inuocatus à ſacerdote, à Deo traditur: in quo Dei munus, ſacerdotis miniſteriū eſt. Eandem doctrinā tradit etiam Epiphanius libro tertio, Tomo primo: Spiritus ſanctus eſt unicus, qui ab omnibus adoratur, & ab omnibus creaturis & facturis deſideratur, & nulli adæquatur, non angelo, non alij ſpiritui, ſed unicus eſt. Cum enim multi ſpiritꝰ ſint, hic omnium ſpirituum ſupremus eſt, uelut exiſtens ſemper ex patre, & non de alijs ex nihilo factis exiſtens. Multi ſunt ſpiritus: unus autem eſt ſpiritus ſanctus. uelut unus Deus, & unus unigenitus filius Dei: ſic et ſpiritus ſanctus Dei. A Deo autem, & in Deo, ſpiritus incompræhenſibilis eſt: ex Deo autem, & non alienus à patre & filio. Non autem eſt coniunctio cum patre & filio, ſed trinitas ſemper exiſtens, eiuſdem eſſentiæ, non alterius eſſentię à deitate. Non eſt enim deitas alia ab eſſentia, ſed ipſa per ſe deitas, & ex eadem deitate filius & ſpiritus ſanctus. Eſt ſpiritus quidem ex patre procedēs, & de filio accipiens, perſcrutans profunditates Dei, annuncians quę filij ſunt in mundo, ſanctificans, ſanctos faciens per trinitatem, tertius nomenclatura. Hoc pacto Hieronymus in quartum caput ad Galatas ſentit, ſpiritum ſanctum diſtinctā eſſe perſonam à cæteris, dicens: Alium eſſe ſpiritum ſanctum quàm Dei filiū, manifeſtè in Euangelio comprobatur. Quicunq; dixerit uerbū contra filium hominis, dimittetur ei: quicunq; autē dixerit contra ſpiritū ſanctū, &c. Idē docet Didymus lib. 1. de ſpiritu ſancto: Ipſa uox ſpiritus ſancti nō eſt uacua appellatio, ſed ſubſtantialis eſſentiæ demonſtratrix, patri filioque ſocia, & à creaturis penitus aliena. Item: Nemo ſuſpicetur alium ſpiritū ſanctū fuiſſe in ſanctis uiris ante aduentū Domini, & alium in Apoſtolis, cęterisq; diſcipulis, & quaſi nomina in differentibus eſſe ſubſtantijs. Et in eam ſententiā multa teſtimonia ex ſcriptura allegat. Itē exponit, quomodo procedat & mittatur ſpiritus ſanctus: Spiritus ſanctus conſolator à filio mittitur, non ſecundū angelorum aut prophetarū aut apoſtolorū miniſteriū, ſed ut mitti decet à ſapientia & ueritate ſpiritū Dei, indiuiſam habentem cum eadem ſapientia & ueritate naturā. Etenim filius miſſus à patre nō ſeparatur, nec diſiungitur ab eo, manens in eo, et habens illum in ſemetipſo. Quin ſpiritus ueritatis ſuprà dicto modo miſſus à filio de patre egreditur, nō aliunde ab alio tranſmigrans. Impoſsibile hoc quippe pariter, & blaſphemū eſt. Ineffabili itaq; & ſoli fidei noto ſermone credendum eſt, ſaluatorem dictū eſſe, exiſſe à Deo, & ſpiritum ueritatis à patre egredi. De officio ſpiritus ſancti Hilarius libro ſecundo inquit: Quod ſit officiū eius in nobis, ex uerbis ipſius Domini audiamus. ait enim: Adhuc multa habeo uobis dicere, &c. Et rurſum: Ego rogabo patrem meū, & alium aduocatum mittet uobis, ut uobiſcum ſit inæternū, ſpiritū ueritatis. Poſtea aceruat plura teſtimonia ex Paulo. Itē: Munus hoc quod in Chriſto eſt, uſq; in conſummationē ſæculi nobiſcū, hoc expectationis noſtrę ſolatiū, hoc in donorum operationibus futuræ ſpei pignus eſt, hoc mentium lumen, hic ſplendor animarū eſt. Sic & Marius Victorinus lib. 3. contra Arium: Ipſe ſpiritus ſanctus dictus, quod ſanciat ſanctos, id eſt ſanctos facit, & certe ipſe eſt ſpiritus Dei. Dictus eſt enim prudentia, ſapientia, omniumq; rerum ſcientia. Idem libro ſecundo de ſpiritu ſancto, de officijs ſpiritus ſancti: Spiritus ſanctus ſecundum aliam ſignificantiam paracletus, ab eo quod conſolatur in triſticia poſitos, nuncupatus eſt. Verùm noli ex filij & ſpiritus ſancti operatione diuerſa, uarias æſtimare naturas: ſiquidem in alio loco reperitur paracletus ſpiritus, legati ad patrem perſona fungi, ut in illo: Spiritus ipſe interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Spiritus igitur conſolator, & ſanctus, & ſpiritus ueritatis dicitur à patre, ut ſemper cum Chriſti diſcipulis commoretur.

DE CREATIONE.

RECtè Lactantius censuit, libro secundo, capite decimo, libros philosophicos nihil certi de creatione mundi docere: sed illa quæ de mundi fabricatione scimus, in arcanis tantum sanctæ religionis literis tradi. In eandem sententiam libro septimo, capite primo scribit: Plato, quæ de mundi fabricatione disseruit, nec scire potuit, nec explicare: quippe qui cœleste mysterium, quod non nisi prophetis ac Deo dicente dicitur, ignorabat. Deum itaque causam, architectum & conditorem rerum omnium asserunt. Nam Arnobius in primo libro aduersus Gentes: Nonne huic omnes, inquit, debemus hoc ipsum, primùm quòd scimus? quòd esse homines dicimur, quòd ab eo missi uel lapsi cæcitate, hoc in corpore continemur? Nonne quòd incedimus, quòd spiramus & uiuimus, ab eo ad nos uenit, uiq́ue ipsa uiuendi efficit nos esse, & animali agitatione moueri? Nonne ab hoc effluunt causæ, per quas nostra fulcitur salus? Mundus iste, in quo degitis, cuius est? aut quis eius uobis tribuit fructum possessionemq́ue retinere? Et Athanasius de Synodo Arimenensi & Seleuciana: Quia unusquisque hæreticorum, prout libet fingit, & de rerum natura fabulatur, necessariò beatus Paulus hæc uerba pronunciauit, Ex Deo: utq́ue operatorem cognitum faceret, & ex eius uoluntate uniuersitatis architecturam declararet, statim certè intulit, Vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia. Quæ enim Dei esse dicuntur, ea omnia per filium facta sunt. Sic & Hilarius libro quarto de Trinitate: Pater in eo quod loquitur, efficit: filius in eo quod operatur, quæ fieri sunt dicta, componit. Personarum autem ita facta est discretio, ut opus referatur ad utrunque. Explicat hanc partem & Basilius, homilia prima in Hexameron: Non casu significat mundum extitisse, sed consilio Dei. Non euentu, inquit, fortuito usquâ extructio cœli & terræ orta est, perinde ut quidã sunt opinati: sed originem ab ipso Deo, atq; causam sumpsit.

Ex nihilo mundum esse factum, testatur Lactantius libro primo, capite tertio: Virtute atque consilio Dei, ex nihilo est conflata immensitas diuini operis. Et libro secundo, capite nono: Nemo quærat ex quibus ista materijs, tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit. Omnia enim fecit ex nihilo. Postea subijcit confutationes quasdam philosophorum, qui mundum ex materia ortum senserunt. Et quidem uerbo omnia condita esse, testantur huius sæculi Doctores. Epiphanius libro tertio, Tomo secundo: Sancta Ecclesia confitetur, ex trinitate patris & filij & spiritus sancti omnia creata esse, non ut unquam fuerint, neque simul fuerint cum Deo, neque præextiterint: sed facta sint ex nihilo, ad hoc ut sint à patre, & filio, & spiritu sancto.

Et quidem uerbo omnia condita esse, testantur: ut Epiphanius libro primo, Tomo secundo: De conditione hominis pater aduocat filiũ, ut simul creet hominẽ, per quem etiam alia omnia fecit. Non autem solum filium, sed & spiritum sanctum. Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius, &c. Et Gregorius Nazianzenus in oratione de statu episcopali: Verbo, inquit, uniuersum constitit, & proposito. Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Cum igitur dicis, uerbo Dei omnia creata esse, nõ humanam creationem introducis. Nemo enim ex nobis uerbo facit ea quæ sunt facienda: nihil enim nobis sublimius esset, & liberius, si dicendo opera adimpleri possent. Quod autem Deus uerbo creat creanda, non id humana facit ratione. Arnobius inquit, in psalmo centesimo quadragesimoseptimo: De omni creatura dicitur, Quia ipse dixit & facta sunt: hoc est, per uerbum Dei facta sunt, patre loquente, filio creante, & spiritu sancto animante. Et Basilius libro de spiritu sancto, capite decimosexto: Glorifica conditorem, in quo condita sunt omnia, siue uisibilia, siue inuisibilia, siue principatus, siue potestates, siue uirtutes, siue throni, siue dominationes, siue aliæ quæpiam naturæ rationales, quæ nominari non possunt. In horum autem creatione, cogita mihi principalem causam eorum quæ fiunt, Patrem: deinde conditricem, Filium: perfectricem, Spiritum sanctum: ut uoluntate quidem patris sint administratorij spiritus, filij uerò oratione perducantur ut sint, spiritus autem aduentu perficiantur.

Porro breui tempore omnia esse à Deo perfecta, Athanasius sermone tertio contra Arianũ: Tota rerum natura, inquit, intra sex dies condita est. Ac primo quidem lux, &c.

Bona autem omnia condita esse, similiter docent. Ambrosius libro de Isaac, capite septimo, Deum boni tantum esse cõditorem, non malorum: Omnium bonorum, inquit, autor est Deus: & quæ sunt, eius profectò omnia sunt, & nusquam illic malum: & sine illo mens nostra manet, malum nescit. Et Prudentius in Hamartigenia:

Principio rerum Christus cum conderet orbem,
Vidit enim Deus esse bonum, uelut ipse Moyses,
Historicus mundi nascentis testificatur:
Vidit, ait, Deus esse bonum quodcunq; creauit.
Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo,

Ipsum

Inſpirante Deo, quod ſanctus uaticinator
Prodidit, antiquæ recolens primordia lucis,
Eſſe bonum quicquid Deus eſt ſapientia fecit:
Conditor ergo boni pater eſt, & cum patre Chriſtus.

Et Hieronymus in epiſtola ad Demetriadem: Deus uniuerſa mũdi, & quæ intra mundum ſunt, opera bona, & ualde bona feciſſe uidetur. Gubernari etiam omnia à Deo conditore, docet Euſebius lib. 6. de Præparatione Euangelica, cap. 5: Vniuerſa diuina prouidentia exiſtere ac gubernari, uera pietatis prædicant iura.

Ad quid porrò omnia ſint condita, docẽt: ut Lactantius lib. 2, cap. 9. Et mundum cum omnibus quæ ſub eo cõtineantur, factũ ſenſit eſſe propter hominem, libro ſeptimo, aliquot capitibus. Et Gregorius Nyſſenus oratione prima de pauperibus: Deus & terrã procreauit, & ornatum cœli fabricatus eſt, et temporum uiciſſitudines ſtatuit, & ſolis calorem, & glaciei refrigerantem naturam: omnia denique Deus ipſe non ſibi, cum nullius horum indigeat, ſed nobis continenter præſtat, & conſeruat.

De mundi interitu libro ſeptimo, cap. primo: Ignorãs Plato cœleſte myſterium, mundum dixit in perpetuũ eſſe fabricatũ: quod longè ſecus eſt. Quoniam quicquid eſt ſolido & graui corpore, ut initiũ cepit aliquando, ita finem capiat neceſſe eſt.

Addemus huc ſentẽtiam Gregorij Nyſſeni, qui lib. de Anima, cap. 6. inquit: Principaliſsimum eſt, ex non entibus aliqua fieri. Et de creatiõe hominis, cap. 24. Omnia quæ ſunt, ex Deo eſſe Scriptura pronunciat. Et pòſt aliquanto: Hoc audiẽtes ex Deo eſſe omnia, ſcriptura dicente retinemus. Et qualiter ex Deo ſint, quia ſuper intellectum noſtrum eſt, nequaquam curioſe perquirimus, diuinã naturam creatricem credentes eſſe cunctorum, quæ & quod ratio erat cõſtituit, & conſtitutum iam in quam uoluerit quãtitatem mira percunctatione perquirit. Libro eodem, capite 4, omnia diſputat propter hominem facta eſſe, alia uerò aliorum gratia, ad uſum tamen hominis. Libro de arbitrio, capite 3, ſentit omnia in initio bona condita eſſe. Arbitror, inquit, ex his quæ dicta ſunt demonſtratum eſſe, rationales creaturas omnes à principio optimas fuiſſe cõditas. Quod ſi deinde ita permanſiſſent, ut à principio creatæ ſunt, extra omnẽ utiq; maliciã eſſent.

DE ANGELIS BONIS.

DEſcriptionem qualemcunq; angelorum recitat Athanaſius, de communi eſſentia patris & filij & ſpiritus ſancti. Quæ eſt definitio ſubſtantiæ angelicæ? Angelus eſt animal rationale, expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale. De ſubſtantia ipſorum Baſilius in Pſalmo quadrageſimoquarto ait: Angeli mutationem non patiuntur. Nullus enim apud eos puer, neq; adoleſcens, neq; ſenex: ſed in quo ab initio creati ſunt ſtatu, in hoc perpetuò remanent, qui ſtabili firmaq; natura perſeuerant. Et plures eſſe angelos, Dionyſius de cœleſti Hierarchia, cap. decimoquarto docet: Danielis ſeptimo, inquit, dicitur, Millia milliũ miniſtrabant ei, & decies centena millia aſsiſtebant ei. Quæritur igitur, num tantus ſit numerus? Reſpondeo: Per hos maximos numeros, quo ad nos, ſignificatur numerus eorum eſſe infinitus nobis, excedens materialẽ multitudinem. Et cap. 2. Non æſtimemus cœleſtes & Deiformes animos multipedes eſſe, & multorum uultuum, & animalibus rebusq; corporeis ſimiles, licet ſacra ſcriptura utatur iſtis poeticis formationibus.

Angelos uerò creatos eſſe tum, cum cœleſtia corpora Deus condidit, teſtatur Epiphanius lib. 2, Tom. 2: Firmamẽtum terræ ac cœli, & cũ his angeli ſimul facti ſunt. Niſi enim unà cum cœlo & terra angeli quoq; creati eſſent, nõ utiq; dixiſſet ad Iob: Quãdo genita fuerãt ſidera, laudauerunt me omnes angeli.

De angelorum officio, & in quem finem conditi ſint, Arnobius libro 2, cap. 15. docet: Angeli, inquit, ad tutelam cultumq; generis humani à Deo mittuntur. Euſebius lib. 3. de Demonſtratione euangelica, cap. quinto: Ex Saluatoris decretis accepimus, eſſe quaſdam poſt ſupremum Deum poteſtates, naturas incorporeas, intelligentes, rationales, omniq; uirtute præditas, quæ circum regem uniuerſi choros exerceãt: quarum plures etiã uſq; ad homines, ipſius patris nutu, quadam ſalutari diſpoſitione mittantur: quasq; & cognoſcere & uenerari pro ratione graduq; dignitatis edocti ſumus, ut ſoli Deo qui eſt rex uniuerſi, adorationis honorem tribuamus. Et de Præparatione Euangelica libro ſeptimo, capite ſexto: Virtutes miniſtrantes, & ſpiritus qui ad miniſterium mittuntur, propter eos qui æternæ conſecuturi uitæ ſunt hæreditatem, ſanctos dico angelos Dei diuina luce fieri: ac idcirco luminaribus cœli cõferri, docti à ſcriptura didicimus. Sic etiam Athanaſius de communi eſſentia patris & filij & ſpiritus ſancti ſcribit: Opus angelorũ, quòd & hymnus irremiſſus, & amor inceſſabilis erga maieſtatem Dei, fortaſſe etiam obſeruatio cõtinua de ſalute noſtra. Hilarius de officio angelorum ſic loquitur lib. ſecundo de Trinitate: Archangeli & dominatus, principatus & poteſtates, ſine ſomno, ſine occupatione, ſine crimine, æternis & indefeſsis in cœlis uocib. Chriſtũ laudãt. Et ſũ per Pſalmũ 135. Sunt angeli paruulorũ, quotidie Deũ uidẽtes. Hi igitur ſpiritus ad ſalutẽ humani generis miſsi ſunt. Neq; enim infirmitas

mitas noſtra, niſi datis ad cuſtodiam angelis, tot, tantisq; ſpiritualium cœleſtium nequitijs obſiſteret, opus ad id fuit naturæ potioris auxilio, &c.

Baſilius in pſalmo trigeſimotertio ait: Omni in Chriſtum credenti angelus aſsiſtit, niſi nos illũ ob noſtra peccata abſterreamus. fumus apes fugat, & fœtor columbas expellit: ſic angelum uitæ noſtrę cuſtodem, lacrymoſum ac graue olens peccatum. Si enim in anima tua, ea quæ ſunt digna angelica cuſtodia habueris, & mens diues ueritatis contemplatione, propter opera præclara, quæ ſecundũ uirtutem egeris, tibi adfuerit, procul neceſſariò cuſtodes & præſidia cõſtituet tibi Deus, teq; angelorũ munitione circumuallabit. Conſidera igitur quanta ſit angelorum natura: quoniã toti exercitui & caſtris frequentibus unus cõparatur angelus. Item libro 3. contra Apol. Eunomij. Omnes angeli ſumunt appellationem unam, ſic etiam naturam omnino eandem habent. Attamen alij ipſorum gentibus præſident, alij ſingulos credẽtes cõſequuntur. Quanto uerò prę-ſtantior eſt gens tota uni uiro, tanto nimirũ maiorem neceſſe eſt eſſe angeli gentib. præſidentis dignitatem, ſupra eum cui ſingulorum præfectura commiſſa eſt.

Sic Gregorius Nazianzenus in Metaphraſi in Eccleſiaſtico, capite decimo, dicit: Habet ille qui ſolus Rex eſt ac diues & magnificus, angelos ueloces & alatos, qui omnia perferentes, ſpirituale ſimul & rationale miniſterium exequuntur. Et Epiphanius libro ſecundo, Tomo primo, ex Proclo: Angeli facti ſunt à Deo, ad prouidentiam eorum quæ ab ipſo conſtructa ſunt. Ac libro ſecundo, Tomo ſecundo: Angeli primùm munus culturæ Dei habent in aſsiduis hymnis, & ſunt immortales ſecundum gratiam ab ipſo creati, & nõ ſecundũ naturã: & immortales fieri digni facti ex ipſo immortali. & ob id nõ ſunt in tremore, & ſub examinatione, iuſsione ac mãdato ſanctæ deitatis ſeruitio preſsi.

Similiter docet Hieronymꝰ lib. 3. in Eſaiã: Angelorũ multitudo in Dei miniſteriũ præparata eſt. Itẽ ſuper Matth. lib. 3. Magna dignitas animarũ, ut una: quę q; habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodia ſui angelũ deputatũ.

Ephrem quoque libro ad eos qui ſcrutari uolunt naturam filij Dei, capite ſecundo: Inuiſibilis eſt natura conditionis angelicæ: in ſupernis immorantur deitatis miniſtri. Semper Deo adſtant, eumq; cum tremore glorificant. Et in libro de extremo iudicio: In extremo die uidebitis angelos & archangelos per uniuerſum mundũ diſcurrere, & omnes ſanctos & electos Dei congregare. Et in libro de pœnitentia: In illa horã cũ nubes rapuerit omnes ſanctos ſuos ſurſum in cœlos, ipſum diabolum & omnes impios angeli rapiẽt, immittere eos in caminũ ignis ardẽtis.

De officio angelorum & Dionyſius in cœleſti Hierarchia, cap. decimoquarto: Omnes diuinæ illuminatiões & uiſiones à Deo mediatè fiunt, per miniſteriũ angelorum: quin ſacra legislatio, quæ à Scriptura deſcribitur, ut à perſona Dei immediatè facta, Exodi 33, miniſterio angelorum tradita eſt: ut ad Galatas tertio dicitur. Ergo multo magis hoc erit uerum in alijs illuminationibus. Item, illuminationes de myſterio incarnationis Chriſti, quæ ſunt nobiliſsimæ, factæ ſunt miniſterio angelorũ, ut Luc. 1. etc. Multo magis igitur aliæ illuminationes ab angelis fiunt. Et in epiſtola ad Demoſthenẽ monachũ, Angelos beneficos dicit, eosq; amare homines, miſerari gentes, & pro illis bonũ deprecari, pditas et malũ operãtes multitudines inerepare, cõtriſtari malo, lętari ſaluatiõe hominũ.

DE ANGELIS MALIS.

De defectione uerò angelorum, & actionibus eorum poſt lapſum, hæc tradiderunt. Euſebius libro tertio de Demonſtratione euangelica, capite quinto: Peruerſi quidã ſpiritus, cùm ſua nequitia diuinam lucem ſuſcipere nequiuerint, tenebræ factæ ſunt. Quorum primũ, qui etiam alijs defectionis cauſa fuit, quoniam penitus propter impietatem ſuam in terrã decidit, quiq; totius uenenoſæ prauitatis autor, ſpõte à lumine ad tenebras lapſum draconem, ſerpentemq; Luciferi, ueneni productorem, ferocem beluam, & leonem humanis carnibus uiuentem, ac deniq; baſiliſcũ ſcriptura ſolet appellare. Cauſa uerò, quare lapſus eſt, furor mentis & arrogantia dicitur fuiſſe. Sic Athanaſius, de beatitudine filij Dei, affirmat angelum apoſtaticum in natura qua factus eſt, à Deo factum fuiſſe, & non à ſeſe eſſe. Item, in mala natura non à Deo factũ fuiſſe, ſed à ſemetipſo uolũtate ſua malum cõcepiſſe. Quod & Baſilius monet epiſtola centeſima quadrageſimaprima: Cõtrariæ potentię natura, fulguris inſtar de cœlo lapſa eſt, quæ uera uita excidit, propterea quòd creatã habent ſanctitatẽ, primumq; illius conſilium ſanctitatis quoq; immutatio cõſecuta ſit. Cum ergo excidiſſet ex monade, angelicamq; abieciſſet dignitatẽ, ex ingenij prauitate diaboli nomẽ accepit, extincto primùm priore illius beatoq; habitu, deinde & aduerſaria iſta potentia accenſa. Et in ſermone in aliquot ſcripturæ locos: Non enim diabolꝰ ſtatim creatus eſt diabolus, ſed cùm angelicã poteſtatem accepiſſet, in dæmonis naturã conuerſus eſt, & factus iniquus dæmon. Et in ſermone de exhortatione ad baptiſmũ: Vnus eſt qui nobis ad ſalutẽ obſtruit uiam, ille torporẽ ac deſperationẽ nobis inijcit, ille uana ſpe corda noſtra deludit, ipſius cogita-

cogitationes non ignoremus. An non hodie peccare, cras uerò iustè agere, & pietatē differre hortatur? Dicit: Mihi hodie, cras Deo. Serpens est, ad decipiendum argutus. Idem tradit Lactantius libro secundo, cap. nono: Fecit Deus alterum spiritū, in quo indoles diuinæ stirpis nō permansit. Itaq; suapte inuidia tanquam ueneno infectus est, & ex bono ad malū transcendit, suoq; arbitrio quod à Deo illi liberum datum erat, contrariū sibi nomen asciuit. Vnde apparet, cunctorū malorū fontē esse liuorē. Inuidit enim illi antecessori suo, qui Deo patri perseuerando tum probatus, tū et carus est. Hunc ergo ex bono per se malū effectū, gręci διάβολον appellant.

Epiphanius lib. 2, Tomo 2: Diabolus nō à creatione malus creatus est, sed sibi ipsi post tēpus malū facere excogitauit, de quo ignorū nō est qualis futurus sit. Verùm creat⁹ est unà cū omnib. bene, cū Deus propter excellentē iusticiā, & ob eximiā bonitatē, omnes et omnia utilissima esse uoluerit, et sua bona omnibus proposuerit. Eadē tractat quoq; Faustinus libro de fide cōtra Arianos: Angelus iste qui nūc diabolus est, anteq̄ fieret diabolus, bonā habuit uoluntatem. Sed ubi factus est diabolus, proprij arbitrij agitatione amisit bonā uoluntatē. Concordat Dionysius etiā, de diuinis nominibus cap. 4. Dęmones à Deo facti non sunt mali. Etenim bonū bona producit, & subsistere facit. Dicūtur autē mali nō secūdū quod sunt, (ex bono enim sunt, & bonā obtinuerunt substantiā) sed secundū quod nō sunt, infirmi existentes (ut eloquia dicunt) seruare sui ipsius principiū.

De causa lapsus, Athanasius in libro de uirginitate: Satanas nō ob scortationē, aut adulteriū, aut furtū deiectus est è cœlo: sed superbia ipsum pręcipitauit infra ipsam abyssum, cuius hæc uerba fuerunt: Ascendā, & ponā soliū eregionè Dei, & ero æqualis altissimo. ob hæc uerba deiectus est. Sic in Quæstionibus scripturæ sacrę, quęstione sexta: Quando & quam ob causam è cœlo diabolus decidit? Fabulantur enim quidā, quòd deciderit, eo quòd Adamū adorare noluerit. Responsio. Hominū stultorū cōmēta sunt hæc. Diabolus enim, antequā creatus esset Adā, cecidit. Constat uerò, cecidisse eū propter superbiā suā. ut inquit Esaias propheta: Cogitauit apud semetipsum, supra nubes locabo soliū meū, & altissimo similis ero. Hæc etiā Gregorius Nazianzenus sentit, oratione prima de recōciliatione monachorū: Ex angelis is qui deficere, & supra dignitatem se attollere est ausus, ac cōtra Dominū omnipotentē rebellare, & cathedrā super nubes uerbi instar ponere, dignas arrogantiæ suę pœnas dedit, cōdemnatus ut pro luce caligo esset, seu (ut uerius dicā) à semetipso caligo effectus.

Ambrosius lib. 10 Epistolarū, epist. 84. Superbia à diabolo sumpsit exordiū, qui quoniā sua, quā à creatore acceperat, potentia & dignitate sibi placuit, seq; autoris sui gloriæ cōparauit, cū ijs angelis quos in consensum impietatis suę traxerat, à cœlesti sublimitate deiectus est. Congruit in hac doctrina Prudentius in Hamartigenia:

Sed factus de stirpe bonus, bonitatis in usum
Proditus, & primo generis de fonte serenus:
Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit inuidia, stimulisq; instigat amaris.
Arsit enim scintilla odij, de fomite zeli:
Et dolor ingenium subitus conflauit iniquum.
Viderat argillam, simulachrum & structile, flatu
Concaluisse Dei: Dominum quoq; conditionis,
Qui cunctum proprio regeret moderamine mundum,
Impositum natura soli, pelagiq; poliq;,
Vt famulans homini locupletem fundere partum
Nosset, & effusum terreno addicere regi.
Inflauit fermento animi stomachante tumorem
Bestia, deq; acidis uim traxit acerba medullis:
Bestia corde carens, cui tunc sapientia longi
Corporis exemplum seruabat recta iuuentam.
Complicat ecce nouos sinuoso pectore nexus,
Inuoluens nitidam spiris torquentibus aluum:
Simplex lingua prius, uaria micat arte loquendi,
Et discessa dolis resonat sermone trisulco.
Hinc natale, caput uitiorum, principe ab illo
Fluxit origo mali, qui se corrumpere primùm,
Mox hominem didicit, nullo informante magistro.

Ita & Hieronymus in epistola ad Antoniū, de modestia: Satanas ex angelico fastigio, nō aliā ob causam nisi ob cōtrariā humilitati superbiā ruit. Et aduersus errores Iohan. Hierosoly. Dęmones, pprio arbitrio cū principe suo Diabolo, de Dei ministerio recesserunt.

Quales igitur post lapsum facti sint, quęq; eorū studia sint & operationes, etsi in prioribus etiā dictis attingitur, tamē plura colligere nō uidetur inopportunum. Lactantius libro secundo, capite decimo septimo: Diaboli qui desciuerūt à Dei ministerio, quia sunt ueritatis inimici, & prævaricatores, Dei nomen sibi, & cultum deorū uendicare conantur: non quòd ullum honorem desiderent, (quis enim honor perditis est?) nec ut Deo noceant, cui noceri non potest: sed ut hominibus noceant, quos nituntur à cultu & notitia ueræ maiestatis auertere, ne immortalitatē adipisci possint, quā ipsi sua noticia perdiderunt. Et libro tertio, cap. 29. Diabolus insidiatur uniuersis: sed eos qui nesciūt Deū, errore impedit, stultitia obruit, tenebris circumfundit, ne quis possit ad diuini nominis peruenire notitiā, in quo uno & sapiētia cōtinetur, & uita ppetua. Eos autē qui Deū sciūt, dolis & astutia aggreditur, ut cupiditate ac libidine irretiat, ac peccati blandimentis deprauatos impellat ad mortē: uel si dolo

nihil

nihil profecerit, etiã uiolentia deijcere cona tur. Et in eodem libro, cap. decimoquinto: Hi, ut dico, Spiritus contaminati ac perditi, per omnem terram uagantur, & ſolatiũ perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur. Teſtatur idem Euſebius lib. 3. de Demonſtratione Euangelica, cap. 5. A ſaluatore didicimus, hoſtiles quaſdam inimicasque humani generis, per hũc qui circum terram uerſatur aerem uolare poteſtates dæmonũ, ſpirituumq; malorum, eorumq; qui in illis principatum tenent, quæ cum malis hominibus uerſantur: quas ut omni conatu fugiamus, in præceptis habemus: tametſi uel quàm maximè deorum appellationes & cultus ſibi ipſis arrogant: multoq; etiam magis ab illis eſſe declinãdum, propter hanc ipſam cum Deo repugnantiã hasq; aduerſus Deum inimicitias. Et Gregorius Nazianzenus oratione prima de reconciliatione monachorũ: Diabolus homicida eſt, oſor boni, in tenebris ſagittat corpus Eccleſiæ, ſophiſta eſt ac maleficus. Quod & Ambroſius lib. 10 epiſtolarum, epiſtola 80, ex Syricio papa tradit: Non patitur eos quietos ab incurſione ſua uacare hoſtis antiquus, ab initio mendax, inimicus ueritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, ſe antè decepit: pudicitię aduerſarius, luxurię magiſter, crudelitatibus paſcitur. Et in eodem libro, epiſtola 84. Cum per ineffabilem miſericordiam Dei, captiuis libertas, perditis ſalus, mortuis uita reparatur, cum in ſacramento crucis & reſurrectionis CHRISTI ad nouitatem redit uetuſtas, & ad innocentiã regeneratur impietas, antiquus hoſtis fremit, & acrius inardeſcit, & cũ innumeris nocẽdi artibus humanum genus nititur euertere, ſerens diſcordias, incitans iras, acuens cupiditates, ſuadens turpia, falſa commentans, & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus uritur de uirtute ſtantium, quàm lætetur de fragilitate labentium. Sic Epiphanius lib. 3, tomo primo: Diabolus uolens perdere humanum genus, inuidia ductus aduerſus hominis gloriam, diuerſas artes excogitauit: primùm quidem per ignorantiam, deinde per idololatriam, aliquando per improbitatem, nunc uerò per errorẽ & hæreſiũ fraudẽ.

Chromatius in quintum caput Matthæi: Opus diaboli eſt, ut contra fidem, contra ſalutem, contra diuinam religionem ſuadeat, hortetur, extorqueat. Et Gregorius Nyſſenus oratione ſecunda de pauperibus amandis: Neq; uel die uel nocte per aera aberrare unquam ceſſant flagitiorum autores & miniſtri: nobis autem omni ſtudio moliuntur inſidias. Quippe liuore liquefiunt, & tabeſcũt inuidiã: quòd ad eam nos homines neceſsitudinis coniunctionem, cùm ipſo Deo, & felicitatis poſſeſsionem, è qua ipſi deiecti ſunt, ſumus peruenturi. Antonius etiam huius rei facit mentionem epiſtola ſecunda: Pro certo eſt, quòd cum ſe nouerit diabolus per ſuperbiã & inanem gloriã cœlitus fuiſſe deiectum, ideo et illi, eos qui peruenerint, in magna menſura aggrediuntur, in primis artifices exiſtentes per ſuperbiam & inanẽ gloriam, ut ſint aduerſum ſe alterutrum, ſciẽtes quòd per iſta ſegregat nos à Deo. Et quia nouerunt, quòd qui dilexerint proximum, diligant Deum: ideo & illi cùm ſint uirtutis inimici, proprium ſeminant fomitem ſimulationum in corde noſtro, ut poſsideamus inimicitiam magnam aduerſus alterutrum.

De damnatione & pœnis lapſorum angelorum, Nazianzenus libro de uirginitate: Ignis æternus, illius hæreditas & portio factus eſt. Et oratione prima de reconciliatione monachorum: Dignas arrogantiæ ſuę pœnas dedit, condemnatus ut pro luce caligo eſſet, ſeu (ut uerius dicam) à ſemetipſo caligo effectus. Ita & Hieronymus in Eccleſiaſten: Omnibus per pœnitẽtiam ad integrum reſtitutis, inquit, ſolus diabolus in ſuo permanebit errore. Gregorius Nyſſenus libro de uita Moſæ: Tyrannus ac hoſtis noſter, humanæ naturæ deprauator, ſemper ſtudet ne ad cœlũ oculos eleuare poſsimus: ſed in terram continuò inclinati, lateres in ea ex luto faciamus: id eſt, ad lutoſas uoluptates inhiemus. Et in eodem: Hoſtis & aduerſarius noſter qui aduerſus nos ſemper meditatur ac cogitat, ſi uno peccandi modo homines non uicerit, alio atq; alio conatur deijcere, ut cupiditate, ſuperbia, ambitione.

DE PRAEDESTINATIONE.

VNde ſint myſteria diuina æſtimanda, docet Ambroſius libro primo de uocatione gentium, cap. quarto: Profunditas diuinorum myſteriorum atq; iudiciorũ, à nobis non eſt perſequenda. Neq; eſſe curioſitati indulgendum, monet libro ſecundo de Vocatione gentium, capite primo: Non perſcrutandum, ſed ſimplicitate credẽdum eſt, quòd Deus uelit omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem ueritatis peruenire: & adhoc hominẽ non ſuis meritis, ſed ope atq; opere diuinæ gratiæ peruenire. Et libro primo de uocatione gentium, cap. ſexto: Quia non fruſtra Dei filius uenit in hunc mundũ, & dedit ſemetipſum pro omnibus, mortuusq; eſt non tantum pro gente, ſed etiam ut filios Dei diſperſos cõgregaret in unum, & uniuerſis dicit, Venite ad me omnes, &c. Et ſeruato ſibi incognoſcibilis electionis arbitrio, dat ſui patriſq; noticiam, quib. cam uoluerit reuelare: omnes filij lucis, filij promiſsionis, filij Abrahæ, filij Dei, genus electum, regale ſacerdotiũ, ueri Iſraelitæ, præcogniti

cogniti & præordinati in regnum Dei, qui eos uocauit non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, qui teſtimoniũ eius qui de cœlo uenit accipiunt. Et libro eodem, capite quarto: Quod ſi aliquos, ſicut uidemus accidere, ſaluantis gratia præterierit, & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit, ad occulta diuinæ iuſticiæ iudicia referendũ: & agnoſcendum eſt, ſecreti huius profunditatẽ nobis in hac uita patêre non poſſe. Et lib. 2. de Abraham, cap. decimo: Vt agnoſcas in prędeſtinatione fuiſſe ſemper Eccleſiam Dei, & paratam ſemper fidei fœcunditatem, quando iuberet Dominus prorumpere, ſed uoluntati Domini certo reſeruatam tempori. Et libro primo de Abraham, capite tertio: Eos Deus aſciſcit, quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in Domini noſtri IESV Chriſti paſsionem crederent. Idem docet quoque Prudentius contra Symmachum libro ſecundo:

Nemo nocens, ſi fata regunt quod uiuitur, ac fit:
Imò nocens, quicunq; uolens, quod non licet, audet:
Alterutrum quia uelle ſuum eſt, nec fata reatum
Imponunt homini: ſed fit reus ipſe ſuopte
Arbitrio, placitoq;, nefas & facta rependit
Impia ſupplicijs, meritò, non ſorte peremptus.
Qui fato putat eſſe locum, ſciat omnipotentem
Eſſe Deum, nulli uetitum fatalibus aſtris.
Hic præſcripto aliquo pellit pia uota Matheſis.
Spirat enim maiora animus, ſeq; altius effert
Sideribus, tranſitq; uias & nubila fati,
Et momenta premit pedibus, quæcunq; putantur
Figere propoſitam natali tempore ſortem.
Huc ades omne hominũ genus, huc cõcurrite & urbes,
Lux immenſa uocat, factorem noſcite ueſtrum:
Libera ſecta patet, nil ſunt fatalia: uel ſi
Sunt aliqua, oppoſito uaneſcunt irrita CHRISTO.

Hieronymus in primum caput ad Epheſios: Inter prędeſtinationem & propoſitum, hi qui ſolent inter uerba diſcutere, hoc aſſerunt intereſſe, quòd prædeſtinatio alicuius rei, multo antè in mente eius qui deſtinet quid futurum ſit, perfiguret. Propoſitum autem, cum iam uicina ſit machinatio, & penè cogitationem ſequitur effectus. Et ibidem: Ad præſcientiam Dei pertinet quod Paulus dicit: Elegit uos in ipſo, ante cõſtitutionem mundi. Deo enim omnia futura iam facta ſunt, & antequã fiũt uniuerſa ſunt nota, &c.

DE HOMINE.

MAnſit & de homine doctrina, in pleriſq; capitibus adhuc integra. Primũ quid ſit homo tradiderunt. Athanaſius libro de Communi eſſentia patris, filij & ſpiritus ſancti: Homo eſt animal intellectu præditum, & quod ſentit diuinam mentem, uitæ æternæ capax, & huius ſpoliatione mortale. Tale quiddam & autor definitionum apud eundem profert: Homo eſt animal rationale, mortale, mentis & ſcientiæ capax, erecto corpore incedens. Dicitur ἄνθρωπος, propterea quòd frõs illius ſurſum uidet: & propter efficaciam oculorũ, qua ſurſum ſpectat. Alludit ad definitionẽ Baſilius homilia decima in Hexameron: Homo factura Dei eſt, rationalis, ad imaginem creatoris ſui facta.

Præcipuas hominis partes complectitur Epiphanius in Ancorato: Quid eſt homo? Anima, corpus, mens, & ſi quid eſt aliud. Et libro ſecundo, Tomo ſecundo: Homo eſt eminentiſsima ſuper omnia in terra creatura, qui ad principatum creatus eſt à Deo, inenarrabili ſapientia, cui tradidit Deus dominium omnium ab ipſo creatorum. Et Gregorius Nyſſenus de creatione hominis cap. tertio: Hominem definiunt animal rationale, mortale, cognitionis & diſciplinæ capax.

De efficiente & materia ex qua hominis, Lactantius libro ſecundo, capite undecimo: Hominem Deus ipſe figurauit ex limo terræ, unde homo nuncupatus eſt, quòd ſit factus ex humo. Et Hilarius in Pſalmum ſexageſimumtertium: Qui prædicabit animæ cum corpore occaſum, audiat animam non eſſe terrenam, ſed ex afflatu Dei ortam, elementis corporis admiſceri.

Hominem ad imaginem Dei conditum eſſe docent. Fecit, inquit idem, ipſe ſibi ſimulachrum ſenſibile atq; intelligens: id eſt, ad imaginis ſuæ formam, qua nihil poteſt eſſe perfectius. Et in eodẽ, cap. 12. Deus ueri patris officio functus eſt. Ipſe corpus effinxit, ipſe animam qua ſpiramus infudit, illius eſt totum quicquid ſumus. Quomodo id fecerit, ſi nos oporteret ſcire, docuiſſet ſicut docuit cætera. Eadem in ſuis ſcriptis docet Epiphanius lib. primo, Tomo tertio: Adam in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti formatus eſt, iuxta id: Faciamus hominem, &c. Athanaſius uerò libro de aſſumptione hominis contra Marcellinum, ita ſcribit: Planè Deus, Dei filius, ad imaginem uitæ immortalitatis ſuæ, & ſimilitudinem æquitatis ſuę fecit hominem, ut homo in qua iuſticia factus fuerat, imagine incorrupta permaneret, & ſimilitudinem uoluntatis, per operationem ſpiritalem, factorem imitando poſsideret. Eadem proponit Euſebius libro ſeptimo de præparatione Euangelica, capite quarto: In animam & corpus hominem diuidit Deus, uerumque hominem anima terminat, quæ in corpore, intellectualisq; ſubſtantiæ eſt, tanquam ad imaginem Dei creata: corpus uerò terrenum, & indumentum animæ eſſe cõfirmat. quibus tertiam partem addidit, ſpiritum ſcilicet uitæ, qui uirtus quædam eſt, qua terrenum corpus, & quæ ad imaginem Dei creata eſt anima, coniunguntur atq; uniuntur. Et lib. undecimo,

capite decimoquarto: Creauit Deus hominẽ ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit eum. Quomodo autem aliter imago Dei, & Deo similis erit, quàm secundum intelligendi uim? De imagine etiam loquitur Hilarius lib. quinto de Trinitate: Ad patris & filij imaginem homo cõditur. De hac præstantia similiter Basilius differit in Psalmo quadragesimooctauo: Magna res homo, et preciosus uir misericors, ait Salomon. Magna profectò ac preciosa res, si exordiũ eius ac naturalẽ præparationem respicimus. Quid enim aliud in terra ad Creatoris imaginẽ est conditũ? Cui nã alij potestas data est, & imperium super omnia terrestria, aquatilia q; & aeria animalia cõcessum? Paulo minus ab angelis diminutus est, propter terreni corporis coniunctionẽ. Itaq; hominẽ ex terra quidẽ fecit Deus, & ministros suos flammã ignis: attamẽ intelligendi, cognoscendiq; suũ autorẽ uirtutẽ addidit. Insufflauit enim in faciẽ: hoc est, partẽ aliquam propriæ gratiæ apposuit homini, ut in simili similem cognosceres. Nam hęc Dei imago quantum referat, ex eo deprehendere licet, quòd ea de causa cœlo, soli, stellis omnib. est honore prælatus. De eadẽ re Hieronymus loquitur in epistola ad Demetriadẽ: Quanto putes prẽstantiorẽ ipsum hominẽ fecit, propter quẽ omnia etiã intelligitur illa cõdidisse? Quẽ dũ ad imaginẽ & similitudinẽ suam facere disponit, antequã faciat, qualem sit facturus ostendit. Deinde cum subiecit ei uniuersa animalia, eumq; etiã cõstituit eorũ dominũ, quæ uel mole corporis, uel uiriũ magnitudine, uel armis dentiũ multo ualentiora homine fecerit: satis declarat quanto pulchrius sit homo ipse cõditus, quẽ uel ex hoc uoluit naturæ suæ intelligere dignitatẽ, dũ fortia sibi subiecta miratur animantia. Neq; enim nudũ illũ ac sine præsidereliquit, nec diuersis periculis uelut exposuit infirmũ: sed quẽ inermen extrinsecus fecerat, melius intus armauit, ratione scilicet atq; prudentia, ut per intellectũ uigorẽq; mentis, quo cęteris præstabat animantibus, factorẽ omniũ solus agnosceret, & inde seruiret Deo, unde alijs dominabatur. Quẽ tamẽ iusticiæ Dominus uoluntariũ esse uoluit, non coactũ. Et ideo reliquit eũ in manu cõsilij sui, posuitq; ante eum uitã & mortẽ, bonũ & malũ. Et Gregorius Nazianzenus, in oratione in Theophania: Hoc opificis uerbum ostendere uolens, animal unũ ex utrisq;, inuisibili inquã & uisibili natura, hominẽ fabricat, ex materiaq; iã existente corpus sumit, à semetipso uerò uitã immittit: quã quidẽ animã rationalẽ, & Dei imaginẽ scriptura nominauit, tanquã mundũ secũdariũ quendã, in paruo magnum in terra statuit, angelũ aliũ, cultorem mixtũ, uisibilis creaturæ spectatorẽ, intelligibilis uerò mystẽ, eorũ quę in terra sunt regem, supremo regimini subiectũ, terrestrẽ & cœlestẽ, temporariũ et immortalẽ, uisibilem & intelligibilẽ, mediũ inter magnitudinẽ et humilitatẽ, eundẽ spiritum & carnẽ, spiritũ propter gratiã, carnẽ propter elationẽ: illud ut secũ maneat, ac benefactorẽ glorificet: hoc ut patiatur, instruaturq;, ut ad magnitudinẽ enitatur, patiẽsq; admoneatur, animal quod hic informetur, aliò uerò transferatur. Et quod finis est mysterij, si ad Deum declinauerit, diuinitatem assumat. Et oratione sexta in nouũ Dominicũ: Nil mirũ, si homo nouissimè prolatus est, manu Dei & imagine honoratus. Oportebat enim tanquam regi, prius regiã constituere, & ita demũ regẽ omnibus iã stipatum introducere. Sic & Ambrosius sermone decimo in Psalmo centesimo decimooctauo: Etsi de luto corporis nostri substantia sit, carne induamur, & corpus ossibus intexatur, & neruis: tamen quòd sumus preciosissimũ opus Dei, nemo dubitauerit. Nã & fabricã ipsam humani corporis, si quis cõsiderare uelit, nihil poterit in terra preciosius iudicare. Est enim homo statu celsus, &c. Gregorius Nyssenus in libro de creatione hominis, cap. 2. In quo statu homo conditus fuerit: Si hominẽ à principio mortalem feciſſet Deus, nequaquam peccantem morte condemnasset: nam mortalem mortalitate nullo modo condemnat. Si aũt rursus immortalem feciſſet, nequaquam eum esca indigentem creasset: nullum enim immortale esca corporali indiget. Melius igitur est sentire, q, mortalis quidẽ sit conditus: poterit tamẽ ex perfecto perfectior factus immortalis fieri: hoc est, potestate erat immortalis.

Et in eodem libro, capite tertio, de hominis præstantia ante lapsum: Qualẽ esse oporteat hominem, & cuius primæ formæ similitudinem referat, ob quã causam fiat, quid uel finitus efficiat, et quorũ dominatũ gerat, omnia prius actione perspecta sunt, ut ante generationẽ suã homo antiquiorẽ sortitus sit dignitatem, priusquã subsisteret uniuersorũ possidens principatũ. Dixit enim Deus: Faciamus hominem, &c. Sed fit, & nullũ præcedit consiliũ: coelum quoq;, cui nihil in creaturis uisibilibus simile reperitur, uerbo solo perficitur. Sic & singula quæque creaturarum, æther, stellæ, &c. uerbo tantummodo producuntur ut sint. Ad hominis autẽ solius conditionem, cum consilio quodammodo conditor uniuersitatis accedit, &c. Et libro eodem, capite quinto: Quis huius nobilitatem animalis dignè admirabitur, quod in se ipso immortalibus mortalia copulat, & rationalia irrationalia colligat, in sui ipsius natura totius creationis simulachrum ferens,

ferens, quibus de cauſis & paruus mundus dictus eſt: qui tanta à Deo dignus eſt factus prouidentia, cuius gratia ſunt omnia præſentia & futura, propter quem & Deus homo factus eſt, qui in incorruptibilitatẽ deſinẽs, & mortalitatẽ effugiens in cœlis regnat, & ſecundum imaginem & ſimilitudinem Dei factus cũ Chriſto cõuerſatur, Dei quoq; filius eſt, omniũ principatui & poteſtati præſidẽs.

De imagine Dei, libro de homine, capite uigeſimotertio: Imago quippe Dei perfecta, ab omni humana natura modum perfectionis eſt conſecuta. Factus eſt igitur ad imaginem homo uniuerſalis, ſcilicet natura Deo ſimilima: & factus eſt ab omnipotẽti ſapientia non pars totius, ſed omnis naturæ ſimul plenitudo. Et libro eodem, capite decimoſeptimo: Generali quadam uoce uniuerſa ſimul ſcriptura complectens ſignificare curauit, cum ad imaginem Dei factum hominẽ retulit. Aequale eſt enim hoc ac ſi diceret, humanam naturam omnis boni factã eſſe participem. Si enim bonitatis eſt plenitudo diuinitatis, & huius homo imago eſt, profectò & in plenitudine ſit omnis boni hæc imago & iuxta primæuam formam ſimilitudinem poſsideat neceſſe eſt.

De imagine uerò illa Dei in homine, Epiphanius ſic libro tertio, tomo primo: Non conuenit omnino decernere aut affirmare, in qua parte id quod ſecundum imaginem eſt, impletur: ſed confireri, id quod ſecundũ imaginem eſt, eſſe in homine, ut ne gratiam Dei reprobemus, & Deo diffidamus. Quæcunq; enim Deꝰ dicit, uera ſunt. Negare itaque hoc quod eſt ſecundum imaginem, non eſt credentis, neq; ſanctæ Eccleſiæ Dei. Eſt enim omnis homo manifeſtè ſecundũ imaginem: & Eccleſiaſtica doctrina credit, ſecũdum imaginem eſſe totum hominem: non decernit autẽ, in qua parte ſitum ſit id quod eſt ſecundum imaginem. Et Ambroſius in exhortatione ad uirgines: Scire debet ſiue uir, ſiue mulier, quia ad imaginem Dei eſt, & ſimilitudinem. In quo enim ad imaginẽ Dei ſumus, niſi in animæ ſubſtantia, & mentis uigore? De eadem quoq; re Athanaſius, ſermone quarto contra Arianos: Nos ad imaginem Dei creati recitamur, et gloria et imago Dei nuncupati ſumus, cum id non ex noſtra indole fiat, ſed ob imaginẽ Dei, & uerã eius gloriã in nobis habitantẽ, quæ quidẽ ipſa eſt ratio, ſiue uerbum Dei. Et Baſilius homilia decima in Hexameron: Quomodo ſcriptura nos ad imaginem Dei factos eſſe dixit, quæ Dei ſunt, doceamur, quę noſtra, cogitemus: quòd illud, ad imaginẽ Dei factos eſſe, in forma corporis non habemus. Corrupto enim corpore, figura perit: Incorruptibile nõ figuratur in corruptibile, etc. Ambroſius ſermone octauo in Pſalmum centeſimum decimũ octauum: Dominus ſecundum animã te, ad imaginem & ſimilitudinẽ ſui fecit: hoc eſt, rationalẽ, iuſtũ, pudicũ. In eo enim ad imaginẽ Dei es, ſi ſis iuſtus, ut ſis imago iuſticiæ: ſi ſis caſtus, ut immaculata in te figura præfulgeat. Et in inſtitutione uirginis, capite tertio: Ad imaginẽ Dei interior eſt homo. Et libro quinto in Hexameron: Ea eſt ad imaginem Dei, quæ non corporeo æſtimatur, ſed mentis uigore. Et Hieronymus in primũ caput Ezechielis: Imago & ſimilitudo Dei nõ eſt corporis forma, ſed mentis, deſcripta ad ſimilitudinem ueræ imaginis Chriſti.

De fine hominis, Lactantius in Epitome capite decimo: Factus eſt à Deo mundus, ut homines naſcerentur. Naſcuntur autem homines, ut Deum patrẽ agnoſcant, ut colant, in quo iuſticia eſt. Colunt, ut mercedem immortalitatis accipiant. Accipiunt immortalitatem, ut in æternũ Deo ſeruiant. Et Hilarius in pſalmo ſecũdo, & ſexageſimotertio: Hominẽ Deus, non quòd officio eius in aliquo eguerit, inſtituit: ſed qui bonus eſt, participem beatitudinis ſuæ condidit, & rationale animal in uſum largiendæ æternitatis ſuæ uita ſenſuq; perfecit. Et Baſilius homilia 11 in Hexameron: Ipſa figura corporis docet, ad quem finem ſis factus. Factus es, ut ad Deum ſuſpicias, non ut in terra uoluatur uita tua, non ut pecuino te more in terrenis delectes, ſed ut cœleſtem politiam obeas.

¶ De hominis lapſu, & ſtatu eius poſt lapſum, Euſebius libro ſeptimo de præparatione Euangelica, capite quarto: Hominem creatum in feliciſsimo paradiſi loco, bonis immortalibus pleno conſtitutũ, legeq; Dei munitum, Moſes affirmat: tranſgreſsione autem diuini pręcepti, ad hanc miſeram uitam peruenisſe. Et Athanaſius de ſalutari aduentu Chriſti: Adam rationalis quidẽ erat, ac ui cogitandi inſtructus: ſed ut libertate cogitationis, ita uitij inexpertus, ſolum quod bonum erat, cognitum habebat, ac ſimplex erat. Cæterũ inobediens Dei præcepto, collapſus eſt in uitioſas cogitationes, obnoxiusq; redditus: non quòd Deus creauerit captiuatrices iſtas cogitationes, ſed quòd per diabolũ deceptus fuerit, qui eas ſuperſeminauerat rationali naturæ, iam in præuaricatione cõſtitutæ. Et Baſilius in ſermone de humilitate: Debebat homo in gloria, quã apud Deũ habebat, manere: & ſublimitatẽ habuiſſet nõ fictã, ſed uerã: potentia Dei ſublimis, ſapiẽtia diuina præclarus, æterna uita illiusq; bonis ſeſe oblectãs & alacris. Poſtq; uerò diuinæ glorię deſideriũ mutauit, & maiorẽ ſperauit, et quã nõ poterat accipere, appręhendere ſatagens, quã habere poterat perdidit. Itẽ Gregorius Nazianzenus ſermone in

nouum Dominicum: Si manſiſſemus quod eramus, mãdatumq; ſeruaſſemus, fuiſſemus quidem quod nõ ſumus, poſt ſcientiæ lignũ ad uitæ lignũ accedentes. Et quod nam facti fuiſſem⁹? Immortales nempe, & Deo appropinquantes. Poſtquã uerò maligni inuidia mors in mundum intrauit, & hominem doloſe fefellit, tum quoq; propter uitia hæc, patitur Deus, factus homo. Item de hominis cõditione miſera poſt lapſum, in oratione in funere Cæſarij fratris: Talis hic eſt ludus ſuper terram, ut qui nõ ſunt, gignantur: & qui geniti ſunt, diſcedant. Somnium ſumus nequaquam ſtabile, plaſma quoddam incomprehenſibile, uolatus auis præteruolãtis, nauis in mari ueſtigio carens, cinis, uapor, ros matutinus, flos cùm tẽpore uirẽs, & cũ tempore marceſcens, dies hominis ſicut fœnũ. Et Ambroſius lib. 5. de Sacramẽtõ, cap. 4: Si non acciperes alieni fœnoris pecuniam, non egeres: & ideo peccatum tibi imputatur. Habuiſti pecuniam, cum qua diues naſceris. Dives eras, ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus. Perdidiſti quod habebas, hoc eſt, humilitatẽ, dum arrogantiã deſideras uendicare: perdidiſti pecuniã, ſicut Adam nudus es factus: accepiſti à diabolo debitum, quod nõ erat neceſſariũ. Et ideo qui liber eras in Chriſto, debitor factus es diaboli. Et libro decimo Epiſtolarum, epiſtola 84. Diabolus primis hominibus nocere potuit: quia illis male credulis, per mẽdacia uenenata perſuaſit, ut meliores ſe futuros putarent, ſi in libertate ſui arbitrij proſilirent, quàm ſi in legis datæ cuſtodia permanerent. At Prudentius libro poſteriori contra Symmachum:

Condideram perfectum hominem, ſpectare ſuperna
Mandaram, totis conuerſum ſenſibus in me
Recto habitu, celſoq; ſitu, & ſublime tuentem:
Sed deſpexit humum, feq; inclinauit ad orbis
Diuitias, pepulitq; meum de pectore numen.
Reſtituendus erat mihimet, ſubmiſſus in illum
Spiritus ipſe meus deſcendit, & edita limo
Viſcera diuinis uirtutibus informauit.
Iamq; hominem aſſumptum, ſummus Deus in deitatem
Transtulit, ac noſtro docuit recaleſcere cultu.

Idem in Hamartigenia:

Vade, ait ipſe parens, opifexq; & conditor Adæ,
Vade homo, & adflatu noſtri prænobilis oris,
In ſubiecta potens, rerum arbiter, arbiter idem
Et iudex mentis propriæ, mihi ſubdere ſoli
Sponte tua, quo ſit ſubiectio & ipſa ſoluto
Libera iudicio: non cogo, nec exigo per uim,
Sed moneo iniuſtum fugias, iuſtumq; ſequaris.
Lux comes eſt iuſti, comes eſt mors horrida iniqui.
Elige rem uitæ, tua uirtus temet in æuum
Prouehat, æternum tua damnet culpa uicißim,
Præſtet & alterutram permiſſa licentia ſortem.
Hac pietate uigens, & tanto munere abundans,
Tranſit propoſitum fas, & lethalia prudens
Eligit atq; uolens, magis utile dum ſibi credit,
Quod prohibente Deo perſuaſit callidus anguis.
Perſuaſit certè hortatu, non impulit acri
Imperio. hoc mulier rea criminis exprobranti
Reſpondit Domino, ſuadelis ſe malefabris
Illectam ſuaſiſſe uiro: uir & ipſe libenter
Conſenſit. licuit ne hortantem ſpernere recti
Libertate animi? licuit. nanq; & Deus antè
Suaſerat, ut meliora uolens ſequeretur. at ille
Spernens conſilium, ſæuo plus credidit hoſti.
Nunc inter uitæ dominum, mortisq; magiſtrum,
Conſiſtit medius. uocat hinc Deus, inde tyrannus,
Ambiguum, atq; ſuis ſe motibus alternantem.

Hieronymus aduerſus Iouinianum lib. 1: Cum boni creati ſimus, ipſi uitio noſtro ſumus ad peiora delapſi: & quod in paradiſo iuſtum in nobis fuerat, egredientibus de paradiſo deprauatum eſt.

DE LIBERO ARBITRIO.

DE libero arbitrio, quę commodè & tolerabiliter à Doctoribus huius ætatis tradita uidentur, ſic habent. Arnobius in cõmentario in Pſalmũ nonageſimũ: Libertatem arbitrij & negare periculũ eſt, & nudare peccatũ. Si enim negaueris, omnib. frena laxaſti: ſi nudaueris, decepiſti. Nam negas, ſi dixeris: Deus ſi uult, bonus ſum: ſi nõ uult, bonus nõ ſum. cũ cõſtet, Deũ uelle omnes homines ſaluos fieri, & unuſquiſque ſuo ſit iniquus arbitrio. Nudas aũt, cum tantũ ipſi arbitrio dederis, ut eum rebus diuini adiutorij denudaris. Et Hilarius in Pſalmo 2: Vnicuiq; noſtrũm libertatẽ uitæ ſenſumq; permiſit. Quãuis hęc paulo obſcuri⁹ dicta ſint.

De libero arbitrio hominis ante lapſum, etiã in præcedenti loco aliquid dictũ eſt. Euſebius de præparatione Euangelica lib. 6, capite quinto: Vnicuiq; rationali animę liberũ arbitriũ natura ineſt, bonum ergo eſt id ad eligenda bona creatũ. ideo quando male agit, non eſt natura culpanda: non enim natura, ſed propter naturam malum agitur, cum ſit electionis deprauatæ, non naturæ opus. Cũ enim uirtus ad eligenda bona ineſt, ſi ea non eligit, ſed ſponte melioribus ſpretis, mala imitatus ſequitur, quis poteſt eũ dicere morbi ſui cauſam non fuiſſe, præſertim cum inſitam atq; ſalutarem legem uolens contemſerit? Et Athanaſius contra gentes: Anima condita eſt libera, poteſtq; bona ut eligere, ita & auerſari. Agnoſcens arbitrij ſui libertatem, conſpicit ſe poſſe in utramque partem membris corporis uti, ſiue ad ea quę ſunt, ſiue ad ea quæ non ſunt. Et libro de humanitate Verbi: Humanum genus ad ſuã ipſius imaginem effigurauit, deditque illis ſuæ rationis dotem, ut ueluti umbras quaſdam ac lineamenta rationis poſſidentes, rationalesque effecti, perſeuerare poſſent in beatitudine, uiuentes ueram & re-

uera

uera sanctorum in paradiso uitam. Animaduertens rursum arbitrium delectumq; hominis ad utraq; uergere, maturè hanc gratiam quam ipsis dederat, legis & loci præsidio cõmunitam uoluit. Introduxit igitur eos in suam ipsius paradisum, edictumq; præscripsit, ut si gratiam illam cõseruarent, probiq; permanerẽt, fruerentur in paradiso sine mœrore, sine dolore, sine anxietate, hilarissima uita: præter etiam id quod ipsis in cœlo immortalitas destinata erat. Et Basilius in sermone, quòd Deus non sit autor malorum: Vnde anima, inquit, mali capax est? Quoniã libero facta est arbitrio, quod naturæ rationis participi maximè conueniebat. De libero arbitrio hominis ante lapsum, Prudentius in Hamartigenia:

Nescis stulte, tuæ uim libertatis ab ipso
Formatore datam? nescisq;, ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas?
Et super ingrato, proprio luxuq; soluto
Iure uoluntatis, liceat cui uelle, sequiq;
Quod placitum, nulliq; animum subiungere uinclo?

De libero arbitrio & uoluntate hominis corrupta post lapsum, Ambrosius libro primo de uocatione gentium, capite secundo: Ita humana natura in primi hominis præuaricatione uitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta, & auxilia Dei, semper in deteriorem est procliuior uoluntatem: cui committi non est aliud, quàm dimitti. Hæc itaq; uoluntas uaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ q̃ uirtutum auidior, famæ quàm constantię diligentior, & per omnem sui experiẽtiam miserior fruendo his quæ concupiuerit, quàm carẽdo, nihil in suis habet uiribus, quàm periculi facilitatem. Et Gregorius Nazianzenus in oratione in dictum Euangelicum: Cum audis, Quibus datum est: adde, datum quidem ijs qui uolunt, & qui assentiuntur. Etenim cum audis, Non est uolẽtis, nec currentis, sed miserẽtis Dei: tibi cõsulo, ut hunc sermonem acceptes. Quoniam enim nõnulli sunt, qui ob iusticiam propriam tam magnificè sentiũt, ut totum sibi ipsis acceptum referant, ac nihil factori & instructori, bonorumq; tribuant largitori: hos sermo hic docet, quòd & bonũ uelle diuino indigeat auxilio: seu potius eligere utilia, diuinũ quid, & clementiæ suæ donum existat. Rursus paulo pòst: Quoniam uelle à Deo est, meritò totum acceptũ fertur Deo. Quantumcunq; igitur cucurreris, quantumcũq; certaueris, indigebis eo qui coronam præbet.

In quibus deniq; rebus uoluntas humana libera sit, uel seruiat, Arnobius lib. secundo contra gentes docet: Vos uestrarum animarum salutem in ipsis uobis reponitis, fieriq; uos deos, uestro fiditis intestinoq; conatu. At uerò nos nobis nihil de nostra infirmitate promittimus, naturã intuentes nostrã uirium esse nullarum, et ab suis affectibus in omni rerum contentione superari. Vos cum primùm soluti membrorũ abieritis, enodes alas uobis affuturas putatis, quibus ad cœlũ pergere, atq; ad sidera uolare possitis: Nos tantam reformidamus audaciam, nec in nostra ducimus esse positum potestate, res supe ras petere. Sic & Hilarius in psalmo 123: Quis relictus est, inquit, nobis gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo esse? Si nõ in omnibus opus est Dei misericordia, etiã omnia nobis, tanquam ex nostro sint uendicemus. Et Ambrosius lib. 1. de uocatione gentiũ, cap. 9: Ex Deo utiq; esse, ut homo uiã Dei eligat, & ut surgat à lapsu, psalmus Dauidicus canit, dicens: A Domino gressus hominis dirigũtur, & uiã eius uolet: cum ceciderit, nõ collidetur, quia Dominus supponit manũ suã. Et Prudentius in Hamartigenia:

En tibi signatum libertatis documentum,
Quod uoluit nos scire Deus, quocunq; sequendum est,
Sub nostra ditione situm. paßimq; remissum,
Alterutram calcare uiam. duo cedere iußi
De Sodomis, alter se præripit, altera mussat.
Ille gradum celerat fugiens, contrà illa renutat:
Liber utriq; animus, sed dispar utriq; uoluntas.
Diuidit huc illuc rapiens sua quenq; libido.

Hieronymus aduersus Pelagianos: Nos ex eo differimus à brutis animalibus, quòd liberi arbitrij conditi sumus. Sed ipsum libe rum arbitriũ Dei nititur auxilio, illiusq; per singula ope indiget. In epistola ad Ctesiphontẽ: Sciamus nos nihil esse, nisi, quod donauit, in nobis ipse seruauerit, dicente Apostolo: Non est uolẽtis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Velle & currere meum est, sed ipsum meũ, sine Dei semper auxilio, non erit meũ. Dicit enim idẽ Apostolus: Deus est qui operatur in nobis & uelle & perficere. Et Saluator in Euangelio: Pater meus usq; modò operatur, & ego operor. Semper largitor, semper donator est: nõ mihi sufficit quòd semel donarit, nisi semper donauerit: peto ut accipiam, & cum accepero rursus peto. auarus sum ad accipiendũ beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiẽdo: quanto plus bibo, tanto plus sitio. Item: Non uolentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei. Ex quib. intelligimus, nostrũ quidẽ esse uelle & currere: sed ut uolũtas nostra cõpleatur, & cursus, ad Dei misericordiã pertinere. atq; ita fieri, ut & in uolũtate nostra, & in cursu liberũ seruetur arbitriũ: & in cõsummatione uoluntatis & cursus, Dei cuncta potentiæ relinquantur. Scilicet nunc mihi scripturarũ testimonia replicanda sunt, quomodo per

do p singula Dei à sanctis flagitetur auxiliũ, & in singulis operibus suis illo adiutore & protectore unde desiderẽt. Lege totum psalteriũ, omnes sanctorũ uoces, nihil erit nisi ad Deũ in cunctis operibus deprecatio. Ex quo perspicuè ostenditur, te aut Dei negare gratiam, quam tollis in partibus: aut si in partibus dederis, quod nequaquã te uelle manifestum est, in nostrã sententiã transire, qui sic liberum arbitriũ homini seruamus, ut Dei per singula adiutorium non negemus. Et libro secundo commentariorũ in Hieremiã: Vbi sunt qui dicunt, hominem proprio regi posse arbitrio? & sic datam liberi arbitrij potestatẽ, ut Dei misericordia tollatur atq; iusticia: cũ scriptura sit, Non glorietur sapiens, &c. Et libro quinto cõmentariorũ in Hieremiam: In nostra est positũ potestate, uel facere quid, uel non facere: ita duntaxat, ut quicquid boni operis uolumus, expetimus, explemus, ad Dei gratiã referam⁹: qui, iuxta Apostolũ, dedit nobis & uelle, & perficere.

DE PECCATO.

DE peccato, quòd hæret in genere humano, docuerunt. Vt Lactantius libro de Ira, cap. uigesimo: Subiecta est peccato fragilitas carnis, qua induti sumus. Et libro sexto cõtra gentes, cap. decimotertio: Nemo fine delicto esse potest, quamdiu indumento carnis ornatus est. Et Basilius in sermone de pœnitentia: Nemo hominum sine peccato est. Sic etiam Gregorius Nazianzenus in oratione consolatoria de patre tacente: Cognoscimus, quòd penitus nil peccare, supra hominis sit uires, ac Dei solius. Et in oratione infamatrice in Iulianũ secunda: Penitus à peccato liberum esse, Deus supra humanam naturam ordinauit. Ambrosius libro primo, capite secundo: Quis est qui mundũ cor à peccatorum habeat colluuione? aut nõ delinquat in lingua sua? Et in Apologia Dauid, capite sexto: Non inuenitur quisquã illibatus à culpa. Habet quis bona merita, habet & uitia & peccata. Idem tractat Arnobius libro primo contra gentes: Proinde ad culpas, et ad libidinis uarios appetitus, uitio sumus infirmitatis ingenitæ.

Non esse à Deo, sed aliunde peccatum, tradiderũt. Athanasius de incarnatione: Mors, inuidia diaboli mundũ inuasit, excogitato inobedientiæ inuento: atq; ita ex inobedientia diuini præcepti, factus est homo capax superseminationis diaboli: ac peccatũ tũ inde in natura receptum, ad omnem cõcupiscentiam stimulabat. non tamen ut diabolus eã naturam finxerit, sed naturæ peruersio ex præuaricatione id efficit. Et Basilius in sermone, Quòd Deus non sit autor malorum: Principium & radix peccati in nobis est, & in nostra potestate. Et: Malum natura ex nobis oritur, iniusticia, lasciuia, inconsiderantia, timiditas, inuidia, cædes, ueneficia, astutia, fallacia, & reliqua huius mundi omnia, quia animam ad Dei imaginem solent inquinare. Sic quoque inquit Ambrosius, libro primo in Hexameron, capite octauo: Nunquid simul maliciam Deus creauit? sed ea ex nobis orta est, non à creatore Deo condita: morum leuitate generatur, non ullam creaturæ habens prærogatiuam, nec autoritatem substantiæ naturalis, sed mutabilitatis uitium, & errorem prolapsionis. Quod Epiphanius quoq; monet libro secundo, tomo secundo: Causa transgressionis Adã non à formatione, neq; ab eo quòd factus est, peccatũ aut inobedientiæ habuit, sed à propria uolũtate. Nõ enim quod fuit in homine ab initio, hoc est, in Adã, id ipsum omnino ex opifice insonte ab Adæ peccato, peccãdi causa fuit, et propter hoc peccauit: sed liberũ arbitriũ ipsi dedit, & unusquisq; sibi ipsi causa peccati existit. Et Theophilus Alexandrinus li. 2. pasch. ait: Deus hominẽ, propria uoluntate peccantẽ, maledictione percussit.

Porro de discriminibus peccatorum, Lactantius libro sexto, cap. decimotertio: Carnis infirmitas triplici modo subiacet domino peccati, dictis, factis, cogitationibus. Basilius uerò sermone in principiũ Prouerbiorum inquit: Peccatorũ aliqua inuoluntaria sunt, aliqua uerò ex mente praua proueniunt. Et Ambrosius in caput quartum epistolæ ad Romanos: Tres gradus fecit (psalmus) propter delictorum uarietatem. Quorum primus gradus iniquitas est, uel impietas, dum nõ agnoscitur creator: secũdus grauium peccatorum operibus, tertius uerò leuium. Et Heronymus in caput secundũ ad Ephesios, distinguit inter παράπτωμα & ἁμαρτίαν, quòd illud sit cum cogitatio tacita subrepit, hæc uerò cum opere consummatũ est peccatũ. Item: Aut opere, aut lingua, aut cogitatione peccamus.

De discrimine inter peccatum piorum & impiorũ, Basilius in regulis contractis, quæstione 81. Differt peccatũ religiosi hominis & contemptoris. Nam religiosus cum sit timens Dei, ac certet & luctetur pro beneplacito Dei obtinendo, casu fit, & ferè cõtra animi sententiam, ut impingat & labatur. Contemptor uerò ille, nullam habens nec sui ipsius, nec Dei rationem, nec quicquã discernens inter peccatũ & rectè factũ, sicut indicat ipsum nomen ἀδιάφορος, primarijs ac magnis malis laborat: aut contemptu Dei, uel quòd non credit esse Deum. nam ista duo causam dant animæ ad peccandum.

De ui peccati originalis, Ambrosius libro decimo Epistolarum, epistola decima: Quia filius Dei uenit, ut solueret opera diaboli, &

& ut quæreret ac ſaluaret quod perierat: manifeſtum eſt, omnes in Adam damnationi obnoxios eſſe naſcendo, niſi in Chriſto liberati fuerint renaſcendo.

De propagatione peccati originalis, Hieronymus lib. 6 Comentariorũ in Ezechielẽ: Punit Deus filios in tertiã & quartã generationẽ, quia patrum extiterũt æmulatores, & oderũt Deum, hæreditario malo & impietate in ramos quoq; de radice creſcẽte. Et Athanaſius de certaminibus eſſentiæ patris & filij & ſpiritus ſancti: Iudæi, qui ſemper in Deum offendunt, duplicẽ blaſphemiã aduerſus Chriſtum exercẽt. Aliqui in carnẽ impingunt, hoc eſt in filiũ hominis, eum prophetam, nõ Deum exiſtimãtes: quibus ueniã dedit. id enim initium erat prędicationis, cum nõdũm capax erat mundus ut Deum illum eſſe crederet, qui homo apparebat. Atq; hinc eſt quod Chriſtus ait: Qui dixerit uerbum contra filium hominis, hoc eſt, in corpus eius, id ei cõdonabitur. Alij ſunt qui in ſpiritum ſanctum impingunt, atq; ita in Chriſti deitatẽ blaſphemias dicunt, nimirum quòd in Belzebub principe dęmoniorum eijceret dæmonia. De iſtis intelligendum quod ait: Non remittetur neq; in præſenti ſeculo, neque in futuro. Quin & hoc obſeruãdum eſt, nõ dixiſſe Chriſtum, blaſphemanti & pœnitentiam agenti remiſsionem dandam nõ eſſe: ſed, blaſphemanti, & in blaſphemia manenti. Quandoquidem nullum eſt peccatũ irremiſsibile apud Deum, in illis qui uerè & ex animo, & ut par eſt pœnitentiam agunt. Et Baſilius in regulis contractis, quæſtione ducẽteſima ſeptuageſimatertia, Quãdo quis ſit blaſphemus in ſpiritum ſanctum. Ex ea blaſphemia, quam tum committebãt Phariſæi, cõtra quos & iudicium hoc latum eſt, liquet. & hodie blaſphemum eſſe in ſpiritum ſanctũ, quicunq; operationes & fructus ſpiritus ſancti aduerſario adſcribit: quod pleriſque nobis accidit, quando pietatis ac uirtutum ſtudioſum, plerumque auſu temerario, inanis glorię cupidum denominamus: & bonum alicuius zelum, iram falſo uocamus: & alia ſimilia, ex malis ſuſpicionibus mendaciter diffamia reddimus.

De effectu peccati Athanaſius de incarnatione: Per præuaricationem mors tyrannidẽ habuit in omnes homines. Et Baſilius de uita ſolitaria: Diuiſio, diſsidium & bellum inter homines non eſſent, niſi peccatum naturam diuiſiſſet.

DE LEGE.

VNde ſit lex diuina, & quomodo data, ſcriptores ita docuerunt. Baſilius lib. dẽ ſpiritu ſancto: Data eſt lex, inquit, diſpoſita per angelos, in manu ſequeſtri, uidelicet Moyſi. Et Hilarius autorẽ clarè exprimit in Pſalmo ſexageſimotertio: Chriſtus, inquit, Dei filius, Moyſi legẽ dedit. Totã trinitatẽ legẽ promulgaſſe, Epiphanius teſtatur lib. 3, tom. 2: Eccleſia credit, quòd ipſe Deus dedit legẽ Moyſi, pater & filius et ſpiritus ſanctus, una deitas. Quomodo uerò lex ſit lata, Athanaſius docet quæſtione 21: In caligine legem Deꝰ dedit, quia in eo obſcurè inſertũ latebat myſterium diſpẽſationis Chriſti Dei noſtri.

De legibus ceremonialibus Hilarius lib. 5. de trinitate inquit: Lex eſt umbra futurorum, & ſacramenta legis myſterium diſpenſationis Euãgelicæ præfigurãt. Et de abrogatione ceremonialis legis, Baſilius libro de ſpiritu ſancto ait: Corporalis legis obſeruatio in aduentu Chriſti abolita eſt, figuris ad ueritatem translatis. Et Hieronymus lib. 2, dialogo aduerſus Pelagianos, de abrogatione legis ſic inquit: Lex patribus data pro tempore iuſta et ſancta, et ueniente Euãgelij perfectione uiliora ceſſarunt. Item in eodẽ loco: In lege quędã prętermittẽda ſunt. Mandata obſeruare debemus, quæ ad uitã & mores pertinẽt corrigendos, de quibus dictum eſt: Mandatum Domini lucidum, illuminãs oculos. Quæ autẽ ad ceremonias legis, & ritus ſacrificiorũ pertinent, relinquenda ſunt.

De lege Morali, ut uocatur, Ambroſius de uita ſeculi, hãc quaſi diuiſionẽ recitat: Lex gemina eſt, naturalis & ſcripta: naturalis in corde, ſcripta in tabulis. Et lib. 3. Officiorum, capite 3: Hæc utiq; lex naturæ eſt, quæ nos ad omnem ſtringit humanitatem, ut alter alteri, tanquam unius partes corporis, inuicem deferamus. Et Hilarius in Pſalmo 118. legem naturalem deſcribit: Lex ueluti naturalis eſt, iniuriã nemini inferre, nihil alienum præripere, fraude ac periurio abſtinere, alieno coniugio nõ inſidiari. Nouit & hanc Apoſtolus legẽ. Sic quoq; Epiphanius ſcribit: Ante legis promulgationẽ nondum erat lex ſcripta, ſed lex naturalis, ex intelligentia & traditione, per ſucceſsionẽ ex patribus ad filios. lib. 2, tom. 2. Idem explicat Ambroſius in epiſtolã ad Romanos cap. 5: Lex naturalis tres habet partes. cuius prima hęc eſt, ut agnitus honoretur creator, nec eius claritas & maieſtas alicui de creaturis deputetur. Secunda autẽ pars eſt moralis, hoc eſt, ut bene uiuatur modeſtia gubernante. cõgruit enim homini habenti noticiã creatoris, uitã ſuã lege frenare, ne fruſtretur agnitio. Tertia uerò pars eſt docilis, ut notitia creatoris Dei, & exemplum morum cæteris tradatur. Et libro nono Epiſtolarum, epiſtola ſeptuageſima prima, ad Irenæum: Non fuit neceſſaria lex per Moſen. Deniq; ſubintrauit, quod utiq; non ordinarium, ſed uelut fortuitum ſignificare uidetur introitum, eo quòd in locum naturalis legis intrauerit. Itaque ſi

ille ſuum ſeruaſſet locum, hæc lex ſcripta ne quaquã eſſet ingreſſa: ſed quia illam legem excluſerat præuaricatio, ac propemodm abo leuerat, pectoribus humanis regnabat ſuperbia, inobedientiaq; ſeſe diffuderat: ideo ſucceſsit iſta, ut nos ſcripto conueniret, & omne os obſtrueret, ut totum mundum faceret Deo ſubditum. Aliam quandam diuiſionem legis idem Ambroſius habet in capite tertio epiſtolę ad Romanos: Triplex quidem lex eſt, ita ut prima pars de ſacramento diuinitatis ſit Dei: ſecunda autem, quæ congruit legi naturali, quæ interdicit peccatum: tertia uerò legis factorum, id eſt Sabbata, Næomeniæ, Circumciſio, &c. Et in eiuſdem Pauli epiſtolæ capite ſeptimo, quatuor quidem leges nominat: primam legem ſpiritalem, quæ eſt etiam naturalis, quæ reformata eſt per Moſen, & poſita in autoritate ipſa eſt Dei lex. Deinde legem mentis, conſentientem legi Dei. Tertiam legem peccati, quam ex præuaricatione primi hominis, in membris dicit habitare. Quartam uerò, quæ in membris, dum ſuggerit mala, & recedit. Sed hæ leges iteratæ quatuor uidentur, cum ſint duæ: id eſt, boni & mali. Lex enim mentis, ipſa eſt lex ſpiritalis ſiue Moyſi, quæ uocetur lex Dei. Peccati uerò lex, eadem eſt quæ & illa quam in mẽbris dicit uideri, quæ contradicit legi mentis noſtræ.

De legis moralis ſententia Baſilius de uera uirginitate: Diuina lex non actum modò, ſed & uoluntatis ſententiam damnat. Et Lactantius libro ſexto, capite nono: Legis caput eſt, primùm ipſum Dominum noſſe, ſoli obtemperare, ſolum colere.

De legis fine & uſu, Gregorius Nazianzenus oratione quarta in S. Paſcha: Legis finis, peccatorum eſt prohibitio. Nos uerò cauſas fermè ut opera reprehendimus.

Et in eodem: Propterea lex nobis in ſubſidium datur, tanquam uallum quoddam inter Deum & idola medium, ut ab illis nos abduceret, ad illum uerò reduceret.

De eadem re diſſerit Ambroſius, de Iacob & uita beata libro primo, capite ſexto: Quid igitur profuit lex, ut promulgaretur, ſi profutura non erat? &c. Acceſsit uinculum, non ſolutio: addita eſt peccatorum cognitio, nõ remiſsio. peccauimus omnes, qui poteramus excuſationem prætendere per ignorantiam. os obſtructum eſt omnibus, profuit tamen mihi: cœpi confiteri quod negabam, cœpi delictũ meum cognoſcere, & iniuſticiam non operire: cœpi pronunciare aduerſus me iniuſticiam meam Domino, &c. Sed illud & mihi prodeſt, quòd non iuſtificamur ex operibus legis. Non habeo igitur unde gloriari in operibus meis poſsim, non habeo unde me iactem: & ideo gloriabor in Chriſto. Et in eodem, capite quarto: Lex peccatum denunciauit, ſed in conditione lubrica penitus cohibere nõ potuit. Cognoui enim peccatum quod neſciebam, cognoui cõcupiſcẽtiam. Quod ante per ignorantiã in me mortuum uidebatur, reuixit: egò autẽ mortuus ſum peccati uulnere. Cognitio culpæ, quæ mihi profutura uidebatur, hoc nocuit, ut ſcirem quod uitare nõ poteram. Peccatũ enim prodidit, & per bonũ denũciationis ſuæ peccati ipſius acerbauit inuidiã. Itaq; ſupra modum factũ eſt peccatũ mihi, quia cumulatũ eſt denũciatione mandati. Creſcit enim culpa, cum proditur, nec cauetur. Gregorius Nyſſenus de uita Moſæ: Nec enim mancam aut truncã eſſe uirtutem, ſed integrã, atq; per omnes numeros perfectam lex uult.

Lex non iuſtificat. Hilarius lib. 9. de Trinitate: Iuuenis inſolẽs per obſeruantiã legis, & finem legis qui CHRISTVS eſt neſciens, & iuſtificatũ ſe in operib. exiſtimans, & nõ intelligens ueniſſe eũ ad oues perditas domus Iſrael, & impoſsibile eſſe legi per fidem iuſtificationis ſaluare credentes: tanquã cõmuniũ pręceptorũ, & in lege ſcriptorũ magiſtrũ interrogat Dominũ legis & unigenitũ Deum. Ambroſius libro 5. in Auxentium: Iuſtum fides, non lex facit: quia non eſt per legem iuſticia, ſed per fidẽ. Et in cap. 1. epiſtolę ad Galatas, Qui dedit ſeipſum pro peccatis noſtris: apertè oſtendit, nihil prodeſſe legem, quando Chriſtũ dicit detuliſſe ſe, ut pro nobis pateretur, ut nos iuſtificaret, quos lex reos tenebat, ut eruti à lege per fidẽ Chriſti, iam nõ peccatores eſſemus, ſed iuſtificati, ſecunda natiuitate filij Dei adpellati. Nilus in Gnomis: Quanto magis in lege ꝓficies, tãto plus ad perfectionẽ tibi deeſſe intelliges.

DE EVANGELIO.

EVangelium quid ſit, exponit Euſebius de præparatione Euangelica lib. 1. cap. 1. In primis quid nobis hoc Euãgelij nomine ſignificetur, & quæ iam huius uerbi poteſtas ſit, declarandũ eſſe arbitror. Euãgelium igitur dicimus, quod æternorũ atq; incorruptibilium bonorum, quæ certè ſuprema & maxima ſunt, ex antiquiſsimis prędicta temporibus, nuper uerò ſplendore ſui orbem illuſtrantia cunctis hominib. annunciat, quòd non cæcas caducasque huius ſeculi diuitias, nec breuem hanc calamitoſam q; uitam, nec inſtabilia corporis commoda, ſed animarum quæ intellectualis ſubſtantiæ ſunt, à quibus etiam corporũ bona quaſi umbra cõſequentia dependẽt, ſummã propriamq; nobis affert felicitatem, cuius quaſi caput religio noſtra eſt. Et Athanaſius de communi eſſentia patris & filij & ſpiritus ſancti, à ſubiecto deſcriptionẽ petit: Euangeliũ eſt Dei uerbi Domini IESV Chriſti præſentia, ad humani ge-

neris

neris ſalutem incarnati, ex ſpiritu ſancto de Maria ſemper uirgine. Baſilius uerò de Spiritu ſancto ita deſcribit: Si quis definiens dicat, Euangelium eſſe formam uitæ, quæ eſt ex reſurrectione, mihi nequaquã uideretur à uero aberrare. Rotũdè & Ambroſius definit, in caput primũ epiſtolæ ad Romanos, & in caput primum epiſtolæ ad Galatas: Euangelium Dei eſt bonum nunciũ, quo peccatores ad indulgentiam conuocantur.

Ab Euangelio neminẽ excludi, Euſebius de præparatione Euangelica libro primo, capite primo teſtatur: Hanc ergo ſalutarem hominum ad Deum conuerſionem atq; amicitiam, ab omnipotenti Deo miſſus Deus uerbum, quaſi lucis infinitę ſplẽdor, cunctis annunciat. Non hinc aut aliunde, ſed undique cunctis ex gentibus ad Deum uerũ, Græcos ſimiliter & barbaros, omnẽ ſexũ, omnẽ ætatẽ, diuites & pauperes, ſapiẽtes & cõtrà, libe ros ac ſeruos, magna uoce conuocat, hortaturq; omni ſtudio, ut hoc donũ ſuſcipiamus.

De effectib. Euangelij, Athanaſius de humanitate uerbi, eiusq; corporali aduẽtu: Homines anteq̃ Chriſto incipiũt credere, mortẽ ut terribilẽ intuentur & expaueſcũt. Vbi aũt ad illius fidẽ doctrinamq; trãſiere, tantopere mortẽ aſpernãtur, ut ad eam ultrò cõtendãt, teſtesq; ſiant Chriſti aduerſus mortẽ reſurrectionis. Siquidẽ etiamnũ pueri ætate, ad mortem feſtinant. exercitijs porrò & meditationibus ad id nõ uiri duntaxat, ſed etiã fœminæ ſeſe inſtruũt. Nec mirũ, quũ iam tam imbecillis ſit, ut etiam fœminę, prius ab ea decepte, nunc illã ut mortuã diſsipatamq; ludibrio habeãt: nõ aliter q̃ ubi debellato per legitimum principem tyranno, manibus pedibusque eius intra uincula conſtrictis, omnes quotquot ad id ſpectaculi ſuperueniũt, ludibrijs ei inſultãt, ꝓbris uerberibusq; proſcindunt, ſecuri iam illius ſæuitiæ & furoris, ob principis ſui de eo partã uictoriã. Ita quoque mortẽ iam debellatã, & per Saluatorẽ noſtrũ IESVM Chriſtũ in cruce triumphatã, manib. eiꝰ pedibusq; obligatis, omnes eam in Chriſto pedibus proterũt: martyresq; Chriſto ſe præbentes, ſannis, ludibrijs, conuicijs exagitant, obiectantes & quæ ſuperius dicta ſunt per apoſtolũ Paulum: Abſorpta eſt mors uictoria tua, ubi Orce ſtimulus tuus? Et Baſilius in pſalmo quadrageſimoquarto: Intemptibilibus uerbis multam alliciendi & attrahendi uim habet Euangelij prædicatio, cui & animæ gentium omnium paruerunt, & per gratiam Chriſti fidei immobilibus ac perpetuis comprehenſæ ſunt dogmatis.

Diſtinguere potius uetus Teſtamentũ à nouo, quàm diſcrimẽ aliquod legis & Euangelij tradere uidetur Euſebius, de demõſtratione Euangelica lib. 1, cap. 6. O homo (inquit Saluator) & uniuerſum mortalium genus: Moſi quidem lex ab uno genere hominum incipiens, omniũ primum Iudæorũ genus, illius promiſsionis gratia quæ ad pios Deiq̃; amicos ipſorum patres facta eſt, ad unius Dei agnitionẽ cultumq̃; uocabat, ut dicto audiẽtes, ab intolerabili dæmonũ tyrannide liberaret: ego autem omnibus hominibus, & quæ ubiq; terrarũ ſunt gentibus ſublimius prouectam Dei cognitionem & pietatem adportans, ut ad regulã eorum qui cum Abrahã uixerunt, quiq̃; ante Moſi ætatẽ degentes, ipſo quoq; Abrahã antiquiores extitere, uitæ ſuæ moderẽtur, adhortor: in quib. ab externis gentibus profecti, qui de laude pietatis gloriã adepti ſunt, plures memorantur. Secundò: Moſi lex ad certũ erat alligata locum: Euangeliũ uerò cõdonata libertate, in unoquoq; loco Deum adorare atq; colere præcipit. Tertiò: Moſi lex ſacrificijs & animalium cædibus, thure, igne, & alijs quibuſdã eius generis purgationibus corporis Deũ colere hortabatur: Euangeliũ aũt ſacra animæ tradẽs, mente puriſsima, animoq̃; nitidiſsimo, cũ modeſtia, uirtutũq̃; ſectatrice uita, rectisq̃; ſentẽtijs, & pietatẽ præ ſe ferẽtibus, diuinitatẽ uenerari imperat. Quartò: Moſes quidẽ illorum temporũ hominibus, quaſi ijs qui cædib inquinari ſoliti eſſent, nõ occidere imperabat: Euangeliũ aũt ijs, q hoc ipſum antea didicerint, & primo illi præcepto ſatisfecerint, alterũ perfectius imponit, atq; ut ne iræ perturbatione uincãtur præcipit. Quintò: Moſes adulteris, diſſolutisq̃; hominib. legẽ poſuit, nõ mœchari, marib. nõ miſceri, uoluptates præter naturã nõ ſectari, & ſuppliciũ mortis ijs q nõ obtẽperaſſent adiũxit: Euãgelium aũt uult, ne uideri quidẽ mulierẽ cũ petulãti cupiditate. Sextò: Et rurſus Moſes dixit, Non peierabis, ſed reddes Deo quæ iuratus fueris: Euangeliũ uerò, Non iurate omnino, ſed erit ſermo ueſter, eſt, eſt: nõ, nõ: quod aũt abundãtiꝰ eſt, à malo eſt. Septimò: Moſes iniurias ulciſci, & inferentib. eaſdem referre hortabatur dicẽs, Oculũ ꝓ oculo, & dentẽ pro dente: Euangeliũ uerò, Non reſiſtere malo, ſed ſi qs te percuſſerit in dexteram maxillã tuã, conuertito ad illum & alterã: et q uelit tecũ iudicio cõtendere, et tunicam tuã tollere, dimitte ei & palliũ. Octauò: Moſes docebat amicũ diligere, & inimicos inſectari odio: Euangelium autem, ex abundantia humanitatis & clemẽtię, ut inimicos ueſtros diligatis, & pro perſequentibus uos oretis, legem ponit, ut ſitis filij patris ueſtri qui in cœlis eſt, qui ſolẽ ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Nonò: Moſes quidẽ ſe ad multorũ duriciã accõmodabat, & ijs apta q pturbationibus pleni eſſent præcipiebat, atq; immutatũ

quendam

quendam à uetere illo, inferioremq; religionis modum tradebat: Euangelium autem ad piam religiosamq; uitam eorum qui priscis illis temporibus sanctè uixerunt, reuocat uniuersos. Decimò, Moses terram fluentem lac & mel, quasi paruulis promittebat: Euangeliũ, autẽ ijs qui capere possunt regnũ cœleste promittit. Hæc atq; huiusmodi alia noui Testamenti ratio, docente Christo, omnib. gentib. nunciauit. Et hęc ipsa sunt, quæ suos discipulos Christus Dei, ut omnib. gentibus nunciarẽt, hortabatur dicẽs: Euntes disciplinã uestrã tradite gentib. omnibus, &c. Propriè autẽ de discrimine Legis & Euangelij docet Ambrosius, de fuga seculi ca. 7: Lex factũ dãnat, nõ aufert maliciã. Ipse Dominus IESVS peccatũ donauit, autorẽ eius distulit, ut esset per quẽ iusti probarentur. Et in primum caput epistolæ ad Romanos: Quãtum distat seruus à Domino, tantũ distat Euangeliũ à lege: nõ quòd mala sit lex, sed quia melius est Euangeliũ. Et in caput tertiũ epistolæ ad Galatas: Lex Mosi posita est in medio, inter cœptã promissionem & semẽ, cui facta promissio est: hoc est, inter Abraham & saluatorem. Ideo longè data post factã promissionem, ut ipsa distinctione aliud lex, aliud ꝓmissio uideretur, ut populũ Dei à gentibus segregatum erudiret sub Dei timore, ut dignus fieret ad accipiendam promissionem, quæ est CHRISTVS. Idem monet Chromatius tractatu in quintum caput Matthæi: In lege seueritas est, in Euãgelio gratia: illic terror incredulis incutitur, hic credentibus benedictionum manus infunditur. Ac Hieronymus in tertium caput ad Galatas: Lex Moysi populo lasciuienti adinstar pędagogi seuerioris appositа est, ut custodiret eos, & firmæ fidei prępararet: quę postquã uenit, & credimus in Christũ, iam nõ sumus sub pædagogo, tutor à nobis curatorq; discedũt: & legitimũ ætatis tempus ineuntes, ueri Dei filij nominamur, cui nos generat nõ lex abolita, sed mater fides quæ est in Christo IESV. Et libro primo Dialog. aduersus Pelagianos: Aliud est damnare legẽ, quod Manichæus facit: aliud legi præferre Euãgelium, quę Apostolica doctrina est. In illa enim serui, in hoc pręsens Dominus loquitur: ibi promittitur, hic impletur: ibi initia, hic perfectio est: in illa operum fundamẽta iaciuntur, hic fidei & gratiæ culmen imponitur.

DE DISCRIMINE VETERIS ET *Noui testamenti.*

DE ueteri & nouo Testamento in genere Eusebius de demonstratione Euangelica, cap. sexto sic loquitur: Non putemus nouum Testamentum aliud esse, quàm antiquissimam illam Mosaicorum operum religioni coniunctam ciuilem rationem. & uetus pariter, & idem nouũ possumus dicere. Vetus quidẽ, ꝓpter ea quæ demõstrata sunt: Nouum aũt, propterea quòd longo pòst interuallo quasi hominib. absconditum, rursus per Saluatoris nostri doctrinã reuixerit.

De consensu ueteris & noui Testamenti, Epiphanius libro 2, Tomo 2 sic scribit: Duo sunt Testamẽta unius Dei. Dicit enim Apostolus: Primum testamẽtum in monte Syna datum est, generans in seruitutẽ. mons enim Syna est in Arabia. Etsi enim duæ sunt mulieres, at unus est uir. Sic etiamsi sunt duo testamenta: at unus est Deus, qui ambo legauit. Et propterea nõ duo uocauit noua, neq; duo uetera: sed unum uetus, & unum nouũ. Et dicit: Testamentum autẽ ob mortuos firmum est. quapropter etiam primum sine sanguine non cõsistit. Accepit enim Moses sanguinẽ hircorum, & asperſit ipsum librum & populum. Et ideo etiam secundũ testamentum ad mortem Saluatoris datum est, quando maximè ambo inter se cõsona sunt, illud quidẽ dicẽs: Non deficiet princeps ex Iuda, neq; dux ex femorib. ipsius, &c. secundum uerò: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis delicta. Et lib. 2, tomo primo: Testamentum uetus & nouum cõcordant de una deitate, & cogitationẽ prædicant. Item Gregorius Nazianzenus lib. 5. de Theologia: Vetus testamentũ patrem manifestè prædicauit, filium autem obscurius. At nouum, cum filium clarissimè ostenderit, spiritus deitatem tantum subindicauit. Nunc uerò spiritus nobiscum inter nos habitat, argumenta sui illustriora nobis exhibens, &c. Et Ambrosius libro primo Officiorum, cap. 48. Hic umbra, hic imago, illic ueritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, ueritas in cœlestibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur uitulus: nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem: & offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in ueritate, ubi apud patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Et in epistola ad Galatas: In lege, ait, & de Deo patre, & de Christo filio eius, & de spiritu sancto cõtinetur, prædestinatum in tempore, quod manifestum est in prædicatione. Et Prudentius in Apotheosi:

——*Cadit in faciem plebs, non uisura profundæ*
Legis in effigie, scriptum per ænigmata Christum.

Epiphanius lib. 1, tomo primo: Figuræ in lege fuerunt, ueritas autem in Euangelio. Illic enim circumcisio fuit carnalis, quæ interuijt tempori, usq; ad magnã circumcisionẽ: hoc est baptismũ, qui circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomẽ Dei. Erat illic sabbatum, detinẽs nos in magnum sabbatũ: hoc est, in requiẽ Christi, ut in Christo sabbatum

tum agamus à peccatis. Et erat illic agnus irrationalis, qui sacrificabatur, deducens nos ad magnum agnum ac cœlestem, pro nobis & toto mundo mactatum.

De abrogatione ueteris testamenti Hieronymus in prolegomenis epistolæ ad Galatas: Nullus Apostoli sermo est, uel per epistolam, uel præsentis, in quo non laboret docere, antiquæ legis onera deposita, & omnia illa quæ in typis & imaginibus præcesserunt (id est, ocium sabbati, circumcisionis iniuriam, calendarum & trium per annum solennitatum recursus, scrupulositatem ciborũ, et per dies singulos lauacra iterum sordidãda) gratia Euangelij surrepente cessasse: quam nõ sanguis uictimarum, sed fides animæ credentis imploret.

DE IVSTIFICATIONE.

AVtorem uitæ atq; iusticiæ nostræ, qua corã Deo cõsistimus iustiq; censemur, esse ipsum Deum, docet Lactantius libro septimo, cap. primo: Sola est iusticia, quæ uitã homini parit æternam: & solus Deus, qui æternæ uitæ præmium largitur. Idem tradit Arnobius libro 2. contra gentes: Christũ & mortem sustulisse, & causam esse nostræ salutis. Et ibidem: Vnius, inquit, pontificis CHRISTI est, dare animis salutem, & spiritum perpetuitatis adponere. Elegantèr & Epiphanius scribit libro tertio, tomo secundo: CHRISTVS extra passionem, salutem nostram non perfecit: sed in eo quòd pro nobis mortuus est, & seipsum obtulit patri, sacrificium pro nostris animis, in sanguine suo, mundatione nostra facta, & chirographo contra nos fisso, & in crucem affixo. Idem monet Hilarius libro secundo de Trinitate: Virgo, partus & corpus, postquam crux, mors, inferi, salus nostra est. Humani enim generis causa, Dei filius natus ex uirgine est. Et Arnobius lib. 2. contra gentes expresse affirmat, neminẽ seu operibus seu precibus commendaticijs, aut sacrificijs saluum fieri, sed solo auxilio CHRISTI. De eadẽ salutis causa Basilius sermone de Baptismo sic loquitur: Gratia immensæ humanitatis Dei nos in dilectiõe Christi IESV Domini nostri præuenit, cuius nobis ad mortem usq; obedientia, sicut scriptũ est, facta est redemptio. Et Ambrosius lib. nono Epistolarum, epistola septuagesimaprima: Veniens Dominus IESVS, peccatum omnibus, quod nemo poterat euitare, donauit, & chirographũ nostrũ sui sanguinis effusione deleuit. Hoc est quod ait: Superabundauit peccatum per legem, superabundauit aũt gratia per IESVM Christũ. Quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit, sicut testificatus est Ioãnes dicẽs: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur: sed qui iustus est, donatum habet, quia post lauacrum iustificatus est. Fides ergo est quę liberat per sanguinem Christi. Quia beatus ille, cui peccatũ remittitur, & uenia donatur. Item Ambrosius lib. primo de Iacob, capite quinto: Venit Dominus IESVS, qui passiones nostras cruci suæ affigeret, peccata donaret: in cuius morte iustificati sumus, ut totus mũdus eius mundaretur sanguine. Et in cap. 4. ad Galatas: Christus non gratis mortuus est: mors enim eius iustificatio peccatorum est.

De formali porrò iustificationis, Basilius in Psalmo trigesimotertio docet: Non in uirtute, non in sapientia humana, sed in Dei gratia est salus. Et Hieronymus aduersus Pelagianos: Tunc iusti sumus, quando nos peccatores esse fatemur: & iusticia nostra nõ ex proprio merito, sed ex Dei cõsistit misericordia. Item de dicto Pauli, Existimamus fide iustificari hominem, &c. Manifestè ostendit, non in hominis merito, sed in Dei gratia esse iusticiam. Sic & Arnobius libro secundo cõtra gentes expresse affirmat, neminem seu operibus seu precibus commendaticijs, aut sacrificijs saluum fieri, sed solo auxilio CHRISTI. Ita & Hilarius in Psalmo quinquagesimoprimo ait: Christus est iusticia. Basilius etiam ita scribit libro de diuina iusticia: Vera iusticia est CHRISTVS, qui nobis ex Deo factus est & sapientia, & iusticia, & sanctificatio, & redemptio. Et Ambrosius lib. 9. Epistolarũ, epistola septuagesimaprima: Nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur: sed qui iustus est, donatum habet, quia post lauacrũ iustificatus est. Et in capite secundo ad Galatas: Christus nõ gratis mortuus est: mors enim eius iustificatio peccatorum est.

De fide apprehendente misericordiã Dei, & applicante iusticiam, Ambrosius ibidem: Fides est, quę liberat per sanguinem Christi. Quia beatus est ille, cui peccatũ remittitur, & uenia donatur. Et Epiphanius in Ancorato: Factus est mihi iusticia, sanctificatio & redemptio. Iusticia quidem, quoniam per fidem ipsius peccata dissoluit: sanctificatio uerò, quia per aquã & spiritum & uerbum suũ me liberauit. Redemptio autem est sanguis ipsius, dum precium redemptionis agni ueri pro me seipsum tradidit, propitiationẽ purgationis mundi, recõciliationis omnium in cœlo & terra. Et Basilius de spiritu sancto: Christiani unde nos? utiq; per fidem, dicet quilibet. seruamur autem quomodo? Nimirum regenerati per gratiã, quæ confertur in baptismo. Idem docet Hilarius in Matth. canone 7. Salus gentiũ omnis ex fide est, & in præceptis Domini uita est uniuersorum.

Etiam

Etiam patres in ueteri teſtamento per fidem iuſtificatos eſſe, Athanaſius oratione prima contra Arrianos docet: Abraham non morte ad coronam uenit, ſed fide in Deum. alijq; itē ſancti, Gedeon, Baruch, Samſon, Iephta, Dauid, Samuel, ſocijq; illorum, non effuſo ſanguine cōſummati ſunt, ſed per fidē iuſtificati ſunt. Ita & Ambroſius de exitu & uita Theodoſij ſcribit: Nos non ſubtrahimus nos ad diſpendium animæ, ſed inhæremus fidei, ad animæ noſtræ acquiſitionem: quoniam in hac fidei militia, teſtimonium conſecuti ſunt ſeniores noſtri, Abrahā, Iſaac, Iacob, & ideo hæreditatem fidei nobis reliquerunt. Et in caput ſecundū ad Galatas: Quicunq; iuſti ſunt, ex fide iuſtificati ſunt, ſicut Abraham, Iſaac, Iacob, & cæteri ſancti. Et de fide omnes ex æquo iuſtificante, libro primo de pœnitentia, capite decimo: Qui fidem habet, habet uitam æternam: qui uitam habet, non eſt excluſus à uenia. Omnis, inquit, qui credit in eum, nō peribit. Cum omnis dicitur, nullus excluditur, nullus excipitur. Et in primum caput epiſtolæ prioris ad Corinthios: Hoc conſtitutum eſt à Deo, ut qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit ſine opere, SOLA FIDE gratis accipiens remiſsionem peccatorum. Ita & Hieronymus docet in epiſtola ad Galatas, capite ſecundo: Sancti qui antiquitus fuerunt, ex fide Chriſti iuſtificati ſunt. Et in caput decimum epiſtolæ ad Romanos: Deus ex ſola fide iuſtificat. Idem tradit Arnobius in pſalmo centeſimo uigeſimonono: Chriſtianus eſt, qui ſe credit per fidem ad miſericordiam peruenire eius, qui regnat in ſecula ſeculorum. Porrò Euſebius in præfatione in hiſtoriam Eccleſiaſticam, affirmat patres omnes ante Abraham fuiſſe Chriſtianos, etiamſi non nomine, re tamen & religione: & fidem ſecutos eius quē nos nunc ſequamur. Et Marius Victorinus libro primo aduerſus Arium ſcribit: Credendum in filium Dei, ut uita in nobis ſit. Et Baſilius libro de humilitate: Dicit autē Apoſtolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. ibi dixit, quòd Chriſtus nobis factꝰ ſit à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. ut, ſicut ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nam ea demū perfecta & omnimoda gloriatio eſt in Deo, quando neque propter ſuam ipſius quis iuſticiā extollitur, ſed agnoſcit ſe quidem uera deſtitui iuſticia, uerùm ſola in Chriſtum fide iuſtificatū eſſe. Et gloriatur in eo Paulus, quòd ſuam ipſius iuſticiam contemnat: ſectetur autē per Chriſtum eam iuſticiam quæ ex Deo eſt in fide. Ita & Epiphanius in Ancorato ait: Ex fide iuſticia, citra opera legis.

De effectibus iuſtificationis, Baſilius oratione de baptiſmo: Ex redemptione Chriſti eſt libertas à morte, quæ in peccato mundi regnauit: recōciliatio cum Deo, facultas placendi Deo, iuſticiæ donū, cōmunio ſanctorū in uita ſempiterna, regni cœlorū hæreditas, & mille aliorum bonorum brabium.

DE BONIS OPERIBVS.

DE cauſa efficiente bonorum operum, Chromatius in caput quintū in Matthæum: Quia in lucerna mandatum Dei, ſiue lumē legis ſignificatur, idcirco lucernam in manibus portare iubemur, ut illuminati gratia ſpiritus ſancti, operibus iuſticiæ ac fidei luceamus. ſecūdum quod Salomon retulit: Viæ iuſtorum ſimiliter ut lux fulgebūt, &c. Deum in nobis bene operari, Ambroſius libro primo de Cain & Abel: Diſce quemadmodum unuſquiſque moneatur, ne ſe autorem eſſe ſuorum putet bonorum. Ne dicas, inquit, in corde tuo, uirtus mea & patientia mea fecit mihi uirtutem hanc magnam: ſed in mente tua habebis Dominum Deum tuū, quoniam ipſe dat uires, ut faci as uirtutes. Et in epiſtola ad Epheſios, cap. 1. Homines ſine Deo quomodo poſſunt operari bonū?

De operibus Chriſtianorum proprijs, & animo prompto atq; alacri præſtandis, Hilarius in pſalmo centeſimo trigeſimotertio: Eleuanda, inquit, opera noſtra ſunt, in Dei ſancta: id eſt, in nudis ueſtiendis, in eſurientibus cibandis, in ſitientibus potandis, in afflictis conſolandis, in oppreſsis adiuuandis, in omnibus diligendis. Hęc enim nos in hac corporis noſtri infirmitate ſanctificant, hæc Deo placita & ſancta ſunt. Cū Dei igitur benedictione ſemper orandum eſt, ne cum panem inopi præbeas, metu factus triſtis ſis: ne cum ſumptum indignum offeras, damnum putes: ne cum nudum ueſte induas, exuite exiſtimes. Hilarem enim datorē amat Deus. Et Baſilius in epiſtola ad Canonicam quandam, de operibus pręceptis à Deo, multa monet: licet quædā monaſtica ſimul interſerat.

Gregorius Nazianzenus in oratione, cur à functione Eccleſiaſtica tam diu abſtineat: Iudicium iudicemus iuſtum, pauperis & inopis miſereamur, ſimul & uiduæ & orphani, liberemus occidendos, uel (ut modeſtius loquar) ne occidamus ipſi: non deſpiciamus nobis ſupplicantes, à menſa uſq; ad animas: non negligamus male affectum, aut in portis noſtris uulneratum, non exulte-mus ob aduerſitates aliorum, non abominemur conſeruum noſtrum, non fiamus amici et fratres partis ditioris, ne doleamus in flamma, & uaſto hiatu diſtemus à ſanctis: ne rogare cogamur, ut Lazarus mendicus ſummo digito linguam noſtram refrigeret, non tamen id aſſequamur: fiamus boni, miſericordes, compatientes: Domini bonitatem imitemur, qui ſolem ſuum bonis & malis oriri

oriri ſinit, ac omnes pariter pluuia ſua nutrit. Ne aliorum paupertate diteſcere quęramus, nec adeò à diuina exorbitemus æquitate, neq; diuitias noſtras ex aliorum colligamus lachrymis. Hęc pręcepta ad omnes pertinent pariter. Et Ambroſius lib. 9. Epiſtolarum, epiſt. 70, enumerat aliquot Chriſtianorum opera, ut mercedem ſoluere, pecuniá ad uſuram nõ dare, hoſpitio benignè & non moleſtè excipere indigentes. Item, ſeueros eſſe & manſuetos, ibidem epiſt. 72. Beneficos & humanos, libro tertio Officiorum, cápite tertio.

Prudentius in hymno Ieiunantium:

Eſt quippe & illud grande uirtutis genus,
Operire nudos, indigentes paſcere,
Opem benignam ferre ſupplicantibus,
Vnam paremq; ſortis humanæ uicem
Inter potentes atq; egenos ducere.
Satis beatus quiſq; dextram porrigit,
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cuius ſiniſtra dulce factum neſciat,
Illum perennes protinus complent opes,
Ditatq; fructus fœnerantem centuplex.

Pulchrè autem Theophilus Alexãdrinus lib. 3. Paſchali: Lex norma eſt, inquit, & dux bonorum operum. Et Nilus epiſcopus & martyr in Gnomis: Timoré pariter & deſiderium erga Deum habere neceſſe eſt, erga homines uerò cunctos puro conſcientiæ teſtimonio uti decet. Pauperes foueto. Vę impio, uæ blaſphemo, uæ iniuſto, uæ auaro, uæ ſocordi, uæ ſuperbo, uæ ſcortatori, uæ delicatis, uæ hypocritæ.

Valere uerò opera, & placere Deo, ſi proficiſcantur ex fide, Gregorius Nazianzenus adſerit, in oratione poſt reditũ ex agro: Nullum, inquit, opus ſine fide eſt adprobatũ. Et in oratione in ſancto lauacro: Opera ſine fide mortua ſunt. Idem docet Ambroſius in Luca, cap. 12. Opera ſine fide uana ſunt. Et Baſilius in Aſceticis: Inquiet aliquis, ſcriptũ eſt: Quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Igitur & ipſa inuocatio nominis Dei ſaluare poteſt inuocantem. Verùm audiat iſte uiciſsim Apoſtolũ dicentẽ: Quomodo inuocabunt, in quem nõ credant? Si uerò credis, audi dicentem Dominum: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui, &c. Quando quidem & qui uoluntatem Domini facit quidem, non autem ſecundum uoluntatem Dei, neq; ex dilectionis erga Deum affectu facit, inutile habet operis ſtudium.

De operum bonorũ fine, Baſilius in Pſalmo cẽteſimo decimo quarto: Manet, inquit, requies ſempiterna illos, qui in hac uita legitimè certauerint: non tanquam debitum operibus reditum, ſed ob munificentiſsimi Dei gratiam, in quo ſperauerunt exhibitam.

Fidei uerò & iuſtificationis fructus eſſe opera, idem teſtatur in enarratione Pſal. 48. Si quis in Chriſtum credens, non conſequentes fidem actiones reddat: is quòd improbũ dogma ſequatur, quòd ſcripturæ autoritatem non rectè exceperit, ſibi ipſi ædificat in petra monumentum. Et in regulis contract. quæſtione ducenteſima octuageſima-ſeptima: Qui ſunt digni reſipiſcẽtia fructus? opera iuſtitiæ, peccato oppoſita, quæ reſipiſcens uelut fructum proferre debet, faciens illud Apoſtoli, In omni opere bono fructificantes. Item in quæſtione ducenteſima octuageſima octaua: Neceſſe eſt ut fructus ferantur, qui deceant reſipiſcentiã. iuxta quod ſcriptum eſt: Facite fructus reſipiſcentia dignos. Et Lactantius lib. 6. cap. 13. Tum magis iuſticiam debet operari, cum factus eſt iuſtus. Item Gregorius Nazianzenus in oratione poſt reditum ex agro: Ex operibus oſtendite fidem. Et Ambroſius libro ſecundo de Cain & Abel: Ante omnia fides nos cõmendare Deo debet. Cum fidem habuerimus, elaboremus ut opera noſtra perfecta ſint. Et in caput ſextum ad Galatas: Chriſtiani facti, tempus habent operandi bonum ad omnes homines, ut poſt acceptam fidem bonum opus proficiat mercedis promiſſæ. Tempus enim idcirco conceditur uitæ, ut iam iuſtè uerſemur, exemplum dantes gentilibus. Appellat & Hieronymus libro primo commentariorũ in lamentationem Hieremiæ, uirtutes & opera bona fructus fidei. Et Chromatius in quintum caput Matthæi inquit: Neq; accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, &c. Quòd ideò Dominus commemorat, quò ſciremus, & nos idcirco gratia fidei accenſos, & luce ſpiritus illuminatos, ut & ipſi per opera fidei atque iuſticiæ, uelut lucerna ſpiritualiter luceremus: & hos qui in tenebris erroris ſunt poſiti, ignorantiæ nocte depulſa, ueritatis ipſius lumine illuſtraremus. Vnde Apoſtolus ait: Inter quos lucetis ſicut luminaria in hoc mundo, uerba fide continentes.

Poſtremò, non eſſe perfectam impletionem legis opera noſtra, nec iudicio Dei opponi poſſe, Baſilius rectè affirmat in expoſitione Pſalmi trigeſimiſecundi: Si per ſe, inquit, iudicium Dei ſatis eſſet, ac ſeuerè ex meritis noſtris nobiſcum ageret, quæ nobis ſpes reliqua eſſet? quis ex omnibus ſaluus fieret? Et Hilarius in Pſalmo quinquagemoprimo: Non illa iuſticiæ opera ſufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, niſi miſericordia Dei, etiam in hac iuſticiæ uoluntate humanarum demutationum & motuum uitia non reputet. Et Ambroſius libro primo de Vita æterna: Non habeo unde gloriari in operibus meis poſsim, non habeo

beo unde me iactem: & ideo gloriabor in Christo. Consonat Hieronymus lib.14.cõmentariorũ in Ezechielem: Omnis homo, uniuersa creatura, quamuis ad perfectionem uenerit, tamen indiget misericordia Dei: & plenam perfectionem ex gratia, non ex merito possidet. Sic & Chromatius in quintum caput Matthęi: Ostendit Dominus, meritum nos perfectæ dilectionis habere non posse.

DE POENITENTIA.

DOctrinam de pœnitẽtia, ut grauis per seſe, & magni est momẽti, ita satis tenuiter & frigidè, quantum quidem ex scriptis eius uidere est, quemadmodum & in superioribus seculis, tractatã uideas ab hac ætate. Nos igitur ea quæ de hac parte mediocriter & rectè & utiliter dicta esse uidentur, recitabimus.

Primùm necessariam esse pœnitentiam ostendũt. ut Lactantius lib.7. cap.24. Nec deficiat aliquis, aut de seipso desperet, si aut cupiditate uictus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut ui coactus, ad iniusticiæ uiam lapsus est. Potest enim reduci ac liberari, si eum pœniteat actorũ: & ad meliora conuersus, satisfaciat Deo. Et libro de ira Dei, cap.21. Deus non thure, non hostia, non precioſis muneribus, quę omnia sunt corruptibilia, sed morum emendatione placatur: & qui peccare desinit, iram Dei mortalem facit. Idcirco enim non ad præsens noxium quenq; punit, ut habeat homo resipiscendi sui facultatem. Idem monet Arnobius in Psal. 105: Verus Christianus ille, qui quotidie pro suis peccatis exorat. Et Ambrosius lib.2.de pœnitentia, cap. 5. Arbitror quòd etiam Iudas potuisset tanta Dei miseratione non excludi à uenia, si pœnitentiam non apud Iudæos, sed apud Christum egisset. De pœnitentia Basilius in Psal. 32 sic scribit: Vult misereri iudex, teq; miserationib. suis complecti: modò post admissa, humilem te factum, & pœnitentem, & lugentem, & male facta plurimùm deplorantem inueniat. Et Gregorius Nazianzenus: Nulla re adeò delectatur Deus, quemadmodũ hominis emẽdatione & salute. Oratione secunda in Epiphania. Eodem modo Epiphanius lib.2.tomo 1. tradit: Si quis præoccupatus fuerit, in quocunque sanè delicto, pœnitentiam agat. Suscipit enim Deus pœnitentiã, etiam post baptisma, si quis lapsus fuerit. Neque igitur promittimus libertatẽ omnino his qui post baptismum lapsi sunt, neq; desperamus de uita ipsorum: Deus enim misericors est, si ex tota anima pœnitentiam agimus à delictis. Habet enim in manu uitam, & salutis benignitatem & damnum non est à pœnitentia: neque desperatus est, qui pœnitentiam agit ab omnibus delictis suis. Hieronymus ad Rusticum prolixè monet, lapsos ad Deum redire posse, & salutem consequi, si ueram agant pœnitentiam. Et in Hiob: Magna res est, Deoq; plurimùm acceptabilis, ut homo errores suos confiteri non erubescat. Et in Oseam: Quotidie Deus, & eos qui extra Ecclesiam sunt, & qui peccant, in Ecclesia commorantes, ptouocat ad pœnitentiam, & dicit eis, Misericordiam uolo, &c. Et in Ioelem: Cum hoc feceritis, redite ad Dominum Deum uestrum, quem uobis priora peccata alienum fecerant, nec desperetis ueniam scelerũ magnitudine: quia magna peccata magna delebit misericordia. Et Hieronymus libro 18, commentariorum in Esaiam: Quidum in hoc uiuit corpore, ueniam peccatorum non fuerit consecutus, & sic de uita excesserit, Deo perit, & esse desistit, licet sibi subsistat in pœnis.

Quid sit agere pœnitentiã, Lactantius lib. 6.cap.13 monet, quamuis nimis generaliter: Agere pœnitentiã nihil aliud est, quàm profiteri & affirmare se ulterius non peccaturũ. Et in libro de diuinis institutionibus, cap.9. Pœnitentia non minimum locum inter uirtutes habet, quia sui correctio est: ut cum forte aut re aut uerbo lapsi fuerimus, statim resipiscamus, aut nos deliquisse fateamur, oremusq; à Deo ueniam. Et lib.7. de diuino præmio, cap.24. Is quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinũ intelligit: ideoq; Græci melius & significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos latinè possumus resipiscentiã dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quẽ errati piget, castigatq; seipsum dementiæ, & cõfirmat animũ suum ad rectius uiuendum: tum illud ipsum maximè cauet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur. Et Athanasius de interpretatione Psalmorum: In scripturis exprimitur, pœnitentiam agendam esse: & pœnitentiam esse, à peccatis desinere: sed in Psalmis, quomodo pœnitentia sit agenda, & quid dicendum sit in pœnitentia, exprimitur. Et in quæstione centesima sexagesima secunda: Est pœnitentia non tantum inclinatio genuum, sed abstinentia à malo: item labores, lachrymæ, & preces ad Deum, pro præteritorum peccatorũ remissione. Nam ideo pœnitentia, resipiscentia dicitur, quòd mentem à malo ad bonum transferat. Sic & Hilarius describit in Psal.2. Pœnitentia est, desinere à peccatis. Et in Psal. centesimo decimooctauo: Peccati pœnitẽtia est, ab eo quod pœnitendum intellexeris destitisse.

Basiliꝰ in Regulis cõtract. quæst. 10. Cum quãto timore, & quib. lachrymis à peccatis secedere debeat anima, quæ multis est afflicta peccatis, ac qua spe & affectu ad Dominũ

postea accedere. Principiò quidē debet damnatam pristinam uitam odio prosequi, & ipsam memoriam illius execrari ac detestari: deinde cōminationem æterni iudicij ac supplicij, pro timoris Dei doctrina complecti: & tempus pœnitentiæ, tempus esse lachrymarum cognoscere.

De partibus pœnitentiæ præcipuis, etsi aliquāto obscurius, docent. ut Lactantius lib. 5. cap. 13. Multo firmior est fides, quam reponit pœnitentia. Et Ambrosius lib. 1. de pœnitentia, cap. 1. Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam. Et lib. 2. de pœnitentia, cap. 5. Arbitror quòd & Iudas non potuisset excludi à uenia, si apud Christum pœnitentiā egisset. Et lib. 1. Epistolarum, epist. 3. Tantæ pietatis est Dominus IESVS, ut & ipsi Iudæ donaret ueniā, si Christi expectasset misericordiam. Et de uera & falsa pœnitentia: Nunquid potest placere Domino, si quis, cum adhuc uersetur in iniquitatibus, & iniusticiam corde inclusam teneat, dicat se agere pœnitentiā? Simile est, ac si quis æger se sanum simulet, magis ægrotabit: quia nihil ei prodesse potest simulatio sanitatis. Et paulo pòst: Illos itaq; sanauit, in quibus simplicem & puram reperit confessionem, nihil malignum, nihil fraudulentum. Deniq; Iudas ad remedium peruenire non potuit, cum diceret, Peccaui quòd tradiderim sanguinem iustum: qui alienū ignem uoluebat in pectore suo, qui eum inflammauit ad laqueū. Indignus enim remedio fuit, quia nō intimo mentis cōuersus ingemuit, et sedulò gessit pœnitentiam. Hanc ergo culpam sacerdotes nō auferunt, neq; peccatum eius qui in dolo se offert, & adhuc in studio delinquendi est.

De contritione Arnobius in psalmo quinquagesimo quarto: Primus cōuersationis status est, ut contristetur homo in exercitatione delictorum, & cōturbetur potius quàm delectetur à uoce inimici et tribulatione peccatorū. Idem docet Ambrosius lib. 1. de pœnitentia, cap. 4. Indignatio eius, nō ultionis executio, sed magis absolutionis operatio est. Sic enim dixit: Si conuersus ingemueris, saluus eris. Expectat gemit⁹ nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos. Expectat lachrymas nostras, ut profundat pietatem suā. Et Chromatius in concione de octo beatitudinibus: Mens hominis Christiani, postquā per luctus & lachrymas sua peccata digesserit, iam solam Dei iusticiam esurit atq; sitit, & meritò eius quam desiderat satietate gaudebit. Et Lactantius libro de Diuinitate instituenda, cap. 9. Magnum est pœnitentiæ auxilium, magnum solatium: illa est uulnerum peccatorum q; sanatio, illa spes, illa portus salutis: quam qui tollit, uiam uitio sibi amputat: quia nemo esse tam iustus potest, ut nunquam sit ei pœnitētia necessaria. Nos uerò, etiamsi nullum sit peccatum, confiteri tamen debemus, & pro debitis nostris identidem deprecari, gratias agere etiam in malis. Hoc enim semper obsequium Domino deferamus. Humilitas enim tam chara & amabilis Deo est, ut cum angelis suscipiat peccatorem confitentem: quem in regijs cœlestibus faciat pro humilitate sublimari. Hæc sunt quæ cultor Dei debet exhibere: hę sunt uictimæ, hoc sacrificium placabile: hic uerus est cultus, cum homo mentis suę pignora in aram Dei confert, summa illa maiestas hoc cultore lætatur: hunc ut filium suscipit sibi, quia donū immortalitatis impartitur. Et Ambrosius lib. 1. de pœnitentia, cap. 10. Quid est bene uiuere post pœnitentiam, doce nos? Dico uobis, abstinere ab ebriositate, à concupiscentia, à furto, à malo eloquio, &c. Et Epiphanius lib. 2. Tom. 1. In futuro seculo, post hominis mortem, non ieiunij suppeditatio, nō pœnitentię concio, nō eleemosynę ostentatio, imò neq; criminalia opera, non bellum, non adulteriū, non petulantia, imò neq; iusticia & pœnitentia, &c. Cum autem adhuc sunt omnes in certamine, etiā post casum est resurrectio, adhuc spes, adhuc medela, adhuc cōfessio, etiamsi nō perfectissima, attamen aliorum salus non est desperata.

DE SACRAMENTIS.

QVid sint Sacramenta, docuerūt, licet paulo obscurius. ut Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, cap. 2. Sacramenta uisibilia uocat ritus. Item: Sunt ea quidem sacra, quæ sensu percipiuntur, eorum quæ in animo cernuntur, imagines, & ad ea uia & introductio. Sic & Ambrosius sermone decimoquarto in Psalmum centesimum decimumoctauum, inquit: Bona pascua diuina Sacramenta sunt. Et de fine Sacramentorum, lib. 2. de pœnitentia, cap. 10. Sacramenta sunt remedia peccantium. Et in libro de Sacramentis: Sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus, quibus animæ firmatur substantia. Et libro de Spiritu sancto, cap. 16. Neq; uerò potest esse gratia Sacramentorū, nisi ubi fuerit uenia peccatorum. Optatus Mileuitanus lib. 5. inquit: Sacramenta per se sunt sancta, non per homines.

DE BAPTISMO.

AD descriptionem, quid sit Baptismus, hæ sententiæ pertinent. Basilius contra Eunomium lib. 3. inquit: Baptismus est sigillum fidei. Et in exhortatione ad baptismū: Baptismus est tessera Christiani militis. Et in libro de instruendis ad baptismum uenientibus: Baptismus est similitudo crucis, mortis, sepulturæ, ac resurrectionis mortuorum. Sic & Gregorius Nazian-

zenus sermone in sanctum lauacrũ ait: Baptismatis uis, cum Deo uitæ secundæ, ut puri oris cõuersationis est pactum censendum. Ambrosius in sextum caput ad Romanos: Baptismus resurrectionis pignus & imago est. Idem Epiphanius libro primo, tomo secundo tradit: Durauit circumcisio tempori inseruiens, donec maior circumcisio accessit, hoc lauacrũ regenerationis. Quod uerò omnes baptismo indigeamus, Hieronymus libro duodecimo Commentariorum in Ezechielem docet: Non solum prima indigemus natiuitate, sed & secunda, ut nati in carne, renascamur in spiritu.

De materiali Baptismi, Arnobius in psal. 74. Congregasti capita draconum in aquis, inquit Psalmus: hoc est, capita draconum in baptismate. Quod autem Aquis dixit, uoluit ostendere, unum baptisma in aquis posse omnibus celebrari, fluminum, maris, fontium, torrentum, stagnorum. ibi capita confringuntur dæmonũ: id est, in omnib. aquis.

De formali Athanasius sermone tertio cõtra Arianos: Non quasi non sufficiat pater, ideo unà cõmemoratur filius in baptismate: sed quoniã filius est uerbum Dei, & propria sapientia splendorq; illius, & cum eo, utpote cum patre suo semper existit: ideo impossibile est, ut præbente patre, non præbeat in filio & ipsum quod præbet. Item: Sacrum baptisma in filio cõfirmat pater. Item: Quẽ baptizat pater, baptizat & filius: & quem filius baptizat, is in spiritu sancto initiatur. Egregiè & Basilius hac de re scripsit lib. 3. cõtra Eunomium: Baptismus noster est secundum traditionem Domini in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et in libro de spiritu sancto, capite duodecimo: Sicut enim credimus in patrem & filium & spiritum sanctum, sic & baptizamur in nomine patris & filij & spiritus sancti. Gregorius Nazianzenus in oratione de funere patris: Accedebat ipse ad regenerationem, quæ fit per aquam & spiritum, &c.

Quomodo baptismus conferendus sit, etiam Ambrosius libro primo de spiritu sancto, capite tertio docet: Plenũ est baptismatis sacramentum, si patrem et filium spiritumq; fatearis. Et Epiphanius libro tertio, tomo primo: Clarum est, quod ipsa sola trinitas in nomen sui ipsius baptizet. Consonat quoque Hieronymus in caput quartũ ad Ephesios: Vna fides, unum baptisma. una fides dicitur, quia similiter in patrem & in filium & spiritũ sanctum credimus. Eodem enim modo & in patrem & in filium & in spiritũ sanctum baptizamur: & ter mergimur, ut trinitatis unum appareat Sacramentum. Et baptizamur non in nominibus patris & filij & spiritus sancti: sed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Item: Vnum est baptisma in aqua, in spiritu, & in igne. Pertinet huc etiam Theophili Alexandrini lib. 1. Paschalis sententia: Origenes dixit, spiritum sanctum non ad irrationabilia peruenire. Quod adserens, non recogitat aquas in baptismate mysticas, aduentu spiritus sancti consecrari.

De baptismi ratione differit quoq; Didymus, libro secundo de spiritu sancto: Non arbitror quenquam tam uecordem atque insanum futurũ, ut perfectum baptisma putet, quod datur in nomine patris & filij, sine assumptione spiritus sancti, filij uocabulo prætermisso: aut certè in nomine filij & spiritus sancti, non præposito uocabulo patris.

De fine & effectu baptismi ita docent. Arnobius in psal. 31. Quod dicit psalmus, In diluuio aquarum multarum ad eum non adproximabunt: ostendit, per ueram aquã baptismatis Deo homines proximare, quæ est refugium à pressura dæmonum quę circundat nos. Et in psal. 41. Homo recuperatus est, non angelus, non aliqua alia creatura, quando in die mandauit Dominus misericordiam suam, gratis in baptismo remittendo peccata. Et Lactantius lib. 4. cap. 15. Tinctus est Christus à Ioanne propheta in Iordane flumine, ut lauacro spiritali peccata nostra, quæ utiq; nõ habebat, sed carnis, quam gerebat, aboleret: ut quemadmodũ Iudæos susceptа circumcisione, sic etiam gentes baptismo, id est purifici roris perfusione saluaret. Et Hilarius in psal. 63. Quis non renasci in innocentiam uolet, cum peccati remissionem sacramentum nouæ natiuitatis indulgeat? Et contra Arianos: Sacramento baptismi uerè filius Dei unusquisq; perficitur. Idem tradit Marius Victorinus lib. 3. aduersus Arium: Omnis qui baptizatur, & credere se dicit, & fidem accipit, spiritum accipit ueritatis: id est, spiritum sanctum, fitq; sanctior à spiritu sancto. Hunc locum illustrat Basilius etiam in exhortatione ad baptismum: In baptismo homo renouatur, nec cõflatur: refingitur, nec cõteritur: curuatur, nec doloré sentit. Ex seruitute peccati in libertatẽ restituitur, angelorũ consors ac ciuis efficitur, fit filius Dei per gratiã, hæres cœlestium bonorũ cõstituitur. Et in libro de baptismo: Quicunq; baptizatur, siue Iudęus siue Græcus, siue masculus, siue fœmina, &c. quacunq; generis differẽtia nominatus, exutus in sanguine CHRISTI ueterẽ hominẽ cũ actib. suis, & per doctrinã ipsius nouũ in spiritu sancto indutus, qui secundũ Deum cõditus est in iusticia & sanctitate ueritatis, ac renouatur ad agnitionem secundũ imaginem eius qui cõdidit ipsum, dignus reddatur qui pertingat ad beneplacitum Dei, &c. Et in eodem: Aqua in mortem Domini baptizati,

zati, quasi scripto quodã pepigimus & professi sumus, quòd mortui sumus peccato & mundo, uiuificati uerò iustitię, atq; in nomine sancti spiritus baptizati ac regenerati sumus. Regenerati uerò, & in nomine filij baptizati sumus, & filij Dei declarati. Opus itaq; deinceps, ut nutriamur cibo uitæ æternæ. Congruit Gregorius Nazianzenus sermone in sanctum lauacrum. Generatio ex baptismate diuina, libera & passionum solutiua, omnes generationis sordes abscindens, & ad supremam uitam producens. Idem oratione tertia in sanctum lauacrum: Ipsa baptismatis gratia ac uis, non mundi diluuium, ut olim, sed uniuscuiusque peccati continet purgationem, & omnimodum fœditatum & inquinationum, quæ à prauitate ingressæ sunt, reiectionem. De hac re Ambrosius sic docet libro 1 Epistolarum, epist. 1. Nec fides sola ad perfectionem satis est, nisi etiam baptismatis adipiscatur gratiã, & sanguinem Christi redemptus accipiat. Et libro nono Epistolarum, epistola septuagesimaseptima: Futurũ erat uerum illud unum in spiritu & aqua Sacramentum, quo totus redimitur homo. Et libro tertio de Sacramento: In baptismate omnis culpa abluitur. Item libro primo de Sacraméto: Per eum fontem transitur à terrenis ad cœlestia. hoc est enim pascha, hoc est transitus eius, transitus à peccato ad uitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit. Hoc tractans Epiphanius libro primo, tomo secundo, inquit: Christus uenit, & impleuit circumcisionem, data perfecta circumcisione mysteriorum suorum, non in uno solo membro, sed toto corpore obsignato ac circumciso à peccatis. & non unam partem populi saluãs, hoc est uiros solos: sed totum populum Christianorum. Et in Anacoratu: Aquæ non in uno hominis membro fiunt, sed totum hominis corpus purificant ac circumcidunt, & ab omnibus malis liberant. Optatus Mileuitanus libro quinto: In Sacramento baptismatis, inquit, celebrando tres esse species constat. prima species est in Trinitate, secunda in credẽte, tertia in operante. Sed non pari libramine ponderandæ sunt singulæ. Duas enim uideo necessarias, & unam quasi necessariã. Et principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri. Hanc sequitur fides credentis. Iam persona operantis uicina est, quę similiautoritate esse non potest. Duæ priores permanẽt semper immutabiles & immotæ. Trinitas enim semper ipsa est, fides in singulis una est, uim suam semper retinent ambæ. Persona uerò operantis, intelligitur duabus prioribus speciebus par esse non posse: ideo quòd sola esse uideatur mutabilis. Item libro quarto: Neminem fugit, quòd omnis homo qui nascitur, quamuis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur. Fit domus uacua in pectore credentis, fit domus munda, intrat Deus & habitat, Apostolo dicente: Vos estis templũ Dei, & in uobis Deus habitat. De effectu baptismi scribit Hieronymus in apologia aduersus Ruffinum: Nos dicimus ueterem Adam in lauacro totum mori, & nouum cum Christo in baptismate suscitari: perfecte choicum, & nasci supercœlestem. Et Chromatius in Matthæum capite quinto: Renatis in baptismo, cœlorum regna patent: quę nobis filius Dei, in corpore ad cœlum ascendens, primus aperuit. Ephrem quoq; in libro de pœnitentia, capite quinto, recenset opera diaboli, quibus in baptismo renunciamus: ut fornicationi, adulterio, immundiciæ, mendacio, furto, inuidiæ. Gregorius Nyssenus libro de uita Mosæ: Oportet omnes qui sacramentalem baptismatis aquam transeunt, uniuersum uitiorum exercitum in aqua occidere: ut auaritiam, rapacem mentem, luxuriam, libidinem, superbiam, elationem animi, inuidiam, cuncta hæc & his similia. Nec solũ effectus uitiorum, sed animi motus atq; perturbationes, quę hominum naturam quodammodo consequuntur, in quantum possibile est, in aqua submersos relinquere debemus. Et paulo pòst: Docuit, ne uitiorum reliquias sequenti post fidem uitæ immiscemus, sed quasi ab initio uiuere incipiamus, peccandi seriem ad fidem usque continuatam dirumpentes. Ita hoc in loco Aegyptum omnem, id est, omnem peccãdi speciem in aqua submergendã, re ipsa instruxit, ut inde soli absque peccato emergamus.

De discrimine reliquorum baptismatum, Ambrosius libro de Sacramentis loquitur: Multa sunt baptismatum genera, sed unum baptisma dicit Apostolus. Gentium baptismata sunt tantùm lauacra, non baptismata: caro lauatur, non culpa dimittitur. Erant autem baptismata Iudæorum alia superflua, alia in figura.

De baptismo infantũ, Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum tertia: Omni ætati baptisma conuenit, omni uitæ formæ, omnibus cõgruit hominibus. Quòd si tibi infans est, non surripiat malitia tempus, ex pueritia sanctificetur, ex unguib. consecretur. Item: Dicet quispiam, Quid de infantib. ais, qui neq; quid gratia, quid ue sit pœna cognorũt, num & illos baptizemus?

Maximè quidem, si periculum aliquod imminet. Melius est enim nondum rationis cõ potes sanctificari, quàm non signatos & initiatos uita excedere. Idque nobis designat, post octauum diem circumcisio illa, quæ figurale fuit signaculum, ac propter irrationales adhuc introducta. De eadem re scribit Ambrosius libro secundo de Abraham, capite undecimo: Egregiè infantiæ in primis uagitibus circumcidi mares lex iubet, etiã uernaculos: quia sicut ab infantia circumcisio, ita & morbus. Nullum tempus uacuum debet esse tutelę, quia nullum est culpa uacuũ. Et infans reuocandus à peccato est, &c. Nec senex ergo proselytus, nec infans uernaculus excipitur: quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas sacramento idonea. Eadem ratione baptismum asserit paruulorum, libro decimo Epistolarum, epistolæ octuagesimaquarta. Hieronymus quoq; libro tertio Dialogorum aduersus Pelagianos, Critobul. sic scribit: Dic quæso, & me omni libera quæstione, quare infantuli baptizentur? Attic. Vt eis in baptismate peccata dimittantur. Critob. Quid autem commeruere peccati? Quisquam ne soluitur nõ ligatus? Attic. Me interrogas? Respondebit tibi Euangelica tuba, doctor gentiũ, uas aureũ in toto orbe resplendens: Regnauit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adam, qui est forma futuri. Cæterũ omnes homines aut antiqui propagatoris Adam, aut suo nomine tenẽtur obnoxii. Qui paruulus est, parentis in baptismo uinculo soluitur. Sic & beatus martyr Cyprianus, in epistola quam scribit ad episcopum Fidũ, de infantibus baptizãdis hæc memorat: Porrò si etiam grauissimis delictorib. & in Deũ multo antè peccantibus, cum postea credide rint, remissio peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi nõ debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ, prima natiuitate contraxit? qui ad remissionem peccatorum accipiendam, hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur nõ propria, sed aliena peccata. Et idcirco frater charissime, hæc fuit in cõcilio nostra sententia, à baptismo atq; gratia Dei, qui omnibus misericors & benignus & pius est, nemi nem per nos debere prohiberi. Quod cũ circa uniuersos obseruandum sit atq; retinendum, magis circa infantes ipsos & recens natos obseruandum puta: qui hoc ipso de ope nostra ad diuinam misericordiam plus merentur, quòd in primo statim natiuitatis suę ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quàm deprecantur.

DE CLAVIBVS.

QVid sint claues, Ambrosius sermone sexagesimosexto de natali apostolorum Petri & Pauli uidetur exponere: Clauis inquam est, quæ & conscientiam & confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit. Quamuis hęc descriptio tantum ad alterã clauem propriè pertineat. Et libro tertio de Spiritu sancto, capite decimooctauo, docet qualis sit ea potestas: Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercẽt. Neq; enim in suo, sed in patris & filij & spiritus sancti nomine peccata dimittunt. Isti rogant, diuinitas donat: humanum enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis. Et libro secundo de Cain & Abel, capite quarto: Remittuntur peccata per Dei uerbũ, cuius Leuites interpres, & quidem executor est. Remittuntur etiam per officium sacerdotis, sacrumq; ministerium. De hac re similiter docet Basilius in regulis contract. quęstione decimaquinta: Quid sit illud, Quoties peccabit in me frater meus, & remittã ei: & in quibus delictis quisquam remittere queat? R. Potestas remittendi peccata non est absolutè data: sed in resipiscentis obedientia, & cõsensu cum eo qui animæ ipsius curam gerit, sita est. De talibus enim scriptum est: Si duo ex uobis consenserint super terram, de quacunq; re consenserint, si illam petierint, fiet ipsis à patre meo qui est in cœlis. Illud uerò, in quibus delictis quisque possit remittere, non est quod rogetur: cum nouum Instrumentum nihil hic statuat differentiæ, sed cuiusq; peccati remissionem dignè ac certè resipiscentibus annunciet: & maximè cum ipse Dominꝰ in propria persona sit pollicitus, De quacunq; re cõsenserint, &c. Idem de uita solitaria, capite uigesimotertio: Hoc ab ipso Christo docemur, qui Petrum post se Ecclesiæ suæ pastorem constituit: Petre enim, inquit, amas me? pasce oues meas. Et consequenter omnibus pastoribus & doctoribus eandem potestatem tribuit: cuius signũ est, quòd omnes ex æquo & ligant & absoluũt, quemadmodum ille.

DE EXCOMMVNICATIONE.

BAsilius de excommunicatione, in libro de ieiunio, capite uigesimosecundo, inquit: Apostolus docet, ut separemus nos ab omni fratre inquietè agente: percutiamus eum gladio spiritali, qui est uerbum Dei. Nõ fratris, nõ propriam accipiamus personam: sed omnẽ immundũ à Christi secernamus altaribus, ut emundet & corrigat lapsus suos, quo ad sacramenta Christi redire mereantur. Et Officiorum libro secundo, capite uigesimo septimo: Cum dolore amputatur etiam

etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc à medico bono abscinditur. Sic episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abscindere: postremò, quod sanari non potest, cum dolore abscindere.

DE CONFESSIONE.

DE confessione coram Deo, Hilarius in psalmo centesimo trigesimoquinto: Confessio erroris, professio est desinendi. Desinendum ergo à peccato est, ob quod peccati cœpta confessio est. Cæterùm extra ueniã est, qui peccatum cognouit, nec cognitũ confitetur. Confitendum autem semper est: non quod peccandũ semper sit, ut semper sit confitendum: sed quia peccati ueteris & antiqui utilis sit indefessa confessio. Docet aũt spiritus sanctus semper cõfitendum, cum ait per Prophetam: Iustus ipse sibi accusator est in primo sermone suo, &c. Hæc est illa iusti uiri uera confessio, qui iusticiam prẽsentem, ex præteritorum conscientia & confessione commendat. Ad quam & alibi per prophetã monemur: Confitère, inquit, peccata tua prior, ut iustificeris. Ad hanc ergo cõfessionem in Psalmo uocamur: Quoniam Deus bonus est, quoniam in secula misericordia eius. Confessionis nostræ hunc impensiore maximæ fidei fiducia inuocantes: quia cui confitemur, & bonus est, & nescit misericors esse desinere. Et in psal. 137. Confessio peccati ea est, ut id quod à te gestum est per cognitionem peccati, confitearis esse peccatũ. Nullus autem & quod peccatum esse confessus est, deinceps debet admittere: quia confessio peccati, professio est desinendi. & orandum semper ad Deum est, ut in cohibendis peccatis, extinguendisque incentiuis eorum, pendula uoluntatis nostræ studia confirmet. Idem in Psalmo centesimo decimooctauo: Vera peccati confessio est, sine intermissione temporis pœnitere. Et Gregorius Nazianzenus in oratione consolatoria de patris silentio, inquit: Magnum maliciæ remedium est confessio, & fuga peccati. Sic etiam Basilius in Hexamero homilia undecima: Septuplam retributionem peccatoribus delatam remittet Dominus in hac uita, per confessionem ac resipiscentiam à nobis placatus. Et in Psalmo quadragesimoquarto: Non ut multis manifestus fiam, ore tantum fateor: sed corde ipso, clausis oculis tibi soli respicienti arcana, mecum ipse lugens, ostendo meos gemitus. Non enim multis uerbis mihi opus est ad confessionem, ad quam & cordis mei suspiria, & ex animæ penetralibus imis, ad te Deum meũ iterati questus satis existunt. Sic quoq; docet Ambrosius lib. 2. Epistolarum, epistola septima: Non erubescamus peccatum nostrum fateri. Vide quàm liber, qui poterat dicere: Non reueritus sum multitudinem populi, ut non annunciarem in conspectu omnium peccatum meum. Qui enim confitetur Domino, exuitur à seruitute: Iustus enim, ac cusator est sui in principio sermonis. Simul enim cõfessus qs fuerit, absoluitur. Deniq;, Dixi, pronunciabo aduersus me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Mora ergo absolutionis in confitendo est, confessionem sequitur peccatorũ remissio. Et lib. 1. de interpellatione, cap. 5. O homo, fatere peccatum, ut ueniam consequaris: dic iniquitates, ut iustificeris. Quid erubescis fateri eas, in quibus natus es?

De confessione coram ministro, Basilius in regulis contract. quæstione 229. Reuelatio peccatorum eandem habet rationem, quam habet & manifestatio corporaliũ passionum. Quemadmodum igitur corporis morbos nõ quibuslibet reuelant homines, sed ijs qui curandi habent experientiam: ita & peccatorum reuelatio ijs fieri debet, qui mederi norunt. Et quæstione 288. Necessarium est ut ijs fiat confessio peccatorum, quibus dispensatio mysteriorum Dei concredita est. Nam hoc pacto, & qui olim inter sanctos pœnitentiam egerunt, fecisse reperiuntur. Scriptũ enim est in Euangelio, quòd Ioanni Baptistæ peccata confessi sunt. In Actis uerò, Apostolis, à quibus baptizabantur, confessi sunt omnes.

De confessione publica Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 10. Multos necesse est ambias, obsecres, ut dignentur interuenire: fleat pro te mater Ecclesia, & culpam tuam lachrymis lauet: uideat te Christus morientẽ, ut dicat, Beati tristes, &c.

DE COENA DOMINI.

NAzianzenus in oratione in funere patris, cœnã Domini uocat eucharistiã. Et oratione ad subditos & Imperatorẽ irascentem, Mensam & Mystagogiam. Ambrosius uerò in prioris ad Corinthios epistolæ cap. 11. Medicinã spiritalem. Et lib. 4. de fide, mortis Dominicæ sacramẽtũ. Et li. de ijs qui initiãtur, spiritalẽ escã. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, cõmunionem, sanctitatem, synaxim siue collectionẽ appellat.

Quid aũt cœna sit, ibidẽ Dionysius docet. Eucharistia, inqt, est sacramentorũ cõsummatio. Euseb. lib. 1. cap. 10. de Demõstratione Euangelica, appellat eam, memoriã sacrificij IESV Christi, & mysteriũ. Ambrosius uerò lib. 4. de Sacramẽto, cap. 4. inquit: Didicisti, quia quod accipis, corpus Christi est. Et lib. 6. de Sacramẽto, cap. 1. Sicut uerus est Dei filius Dominus noster IESVS Christus, nõ quẽadmodũ homines per gratiam, sed quasi filius ex

us ex substantia patris: ita uera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & uerus est potus. Fortè dicas, quomodo uera, qui similitudinẽ uideo, non uideo sanguinis ueritatẽ? Primò omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur ut possit mutare & conuertere genera instituta natura. Et lib. de his qui initiantur, cap. 8. & 6. & li. 4. de Sacramẽto, cap. 4. & 5. & lib. 9, cap. 1. manifestè asserit, manducari corpus Christi, & carnem Christi. Item bibi sanguinem è Christo, idq; in ueritate, non in umbra aut similitudine. & rationes addit: quia Christus dixit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Sic quoq; Basilius in epistola centesima quadragesimaprima docet: Carnem ipsius edimus, ac sanguinem bibimus, consortes ipsius effecti per incarnationem, & sensibilem uerbi ac sapientiæ uitam. Et Hieronymus in Esaiam cap. sexagesimosecundo: Triticum de quo panis cœlestis efficitur, illud est de quo loquitur Dominus: Caro mea uerè est cibus. rursumq; de uino: Et sanguis meus uerè est potus. Et Hilarius de Trinitate libro octauo: Si uerè uerbum caro factum est, & nos uerè uerbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam sibi inseparabilem homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis, sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & uerè homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; uerè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, &c. Ipse enim ait: Caro mea uerè est esca, & sanguis meus uerè est potus. De ueritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra uerè caro est, & uerè sanguis est. Et Arnobius in psalmo centesimo decimo: Memoriam fecit mirabilium suorum, dicens: Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis. Quando hoc dixit misericors & miserator Dominus? Tunc sine dubio, quãdo escam dedit corporis sui timentibus se. Iuuencus:

Hæc ubi dicta dedit, palmis sibi frangere panem,
Diuisumq; dehinc tradit: sanctumq; precatus,
Discipulos docuit proprium se tradere corpus.
Hinc calicem sumit Dominus, uinoq; repletum
Sanctificat gratis uerbis, potumq; ministrat,
Edocuitq; suum se diuisisse cruorem.
Atq; ait: Hic sanguis populi delicta remittet.
Hunc potate meum, iam uerbis credite dictis.

De efficiente causa Ambrosius libro quarto de sacramento, capite quarto: Autor Sacramẽtorum quis est, nisi Dominus IESVS? De cœlo ista sacramenta uenerunt. Tu fortè dicis: Meus est panis usitatus: sed panis iste, panis est ante uerba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. & aliquanto pòst. Vbi uenitur ut conficiatur uenerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc efficit sacramentũ. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Verùm hęc Ambrosij uerba proculdubio de integra actione cœnæ, seu usu, iuxta institutionem Christi, accipienda sunt. Basilius, de nutriendis participatione diuinorum mysteriorum baptizatis, & in Ethicis definitione uigesimaprima: Acceptum IESVS panem gratijs actis fregit, ac dedit, &c. Et Epiphanius in Ancorato: Videmus quòd accepit Saluator in manus suas, ueluti Euangelium habet, quòd surrexit in cœna, & accepit hoc, & ubi gratias egisset dixit, Hoc meum est, hoc & hoc: & uidemus quod non æquale est, neq; simile, nõ imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim est rotundæ formæ & insensibile, quantum ad potentiam. Et uoluit per gratiam dicere, hoc meum est, hoc & hoc, & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum uerum, sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus, id credimus quod est ipsius.

De utraq; parte cœnæ ex testimonijs iam recitatis patet. & Ambrosius de sacramento libro sexto, capite primo id docet. Gregorius Nazianzenus Oratione quarta in sanctum Pascha: Absq; confusione & dubio comede corpus, & sanguinẽ bibe, si saltem uitæ desiderio teneris. Basilius in regulis cõtract. quæstione centesima septuagesimasecũda: quo timore, qua plerophoria, aut quo animi affectu participandum sit de corpore ac sanguine Christi. Timorem quidem docet Apostolus, dicens: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi ipsi manducat & bibit. Plerophoriam uerò gignit nobis fides uerborum Domini dicentis: Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: hoc facite in meam rememorationem. & testimonijs iannis, primùm Dei gloria uerbi testificãtis. deinde de incarnationis modo subiungentis, &c. Et in sermone de Baptismo: Oportet accedentem ad corpus ac sanguinem Domini, ad rememorationem eius qui pro nobis est mortuus ac resurrexit, non solum purum esse ab omni inquinamento carnis ac spiritus, ne ad iudicium edat & bibat: sed euidenter ostẽdere & exprimere memoriam eius, qui pro nobis mortuus est ac resurrexit, in eo quòd & mortificatus est peccato, mundo, ac sibi ipsi & Deo uiuit in Christo IESV Domino nostro. Sic etiam docet Ambro-

Ambrosius libro de Pœnitentia, capite tertio: Quotiescunq; peccata donantur, corporis eius sacramentum sumimus, ut per sanguinem eius fiat peccatorum remissio. Et in epistolæ prioris ad Corinthios cap. duodecimo: probet autem se homo, &c. deuoto animo & cum timore accedendum ad communionem docet, ut sciat mens reuerétiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in ministerio sanguiné potat, qui testis est beneficij Dei. Quam nos si cum disciplina accipiamus, non erimus in digni corpore & sanguine Domini: gratias enim uidebimur reddere redemptori. Et Ephrem libro de extremo iudicio, capite 3. Hoc restat nobis, misericos Christe, ut pleni gratia & illuminatione scientiæ tuæ, cum fide & sanctificatione accedamus ad calicem tuum, ut proficiat nobis ad remissionem peccatorum, & non ad confusionem in die iudicij.

De fine & fructu Eucharistiæ, Arnobius in psalmo trigesimo tertio: Gustate corpus uitæ, & uidete quàm suauis est Dominus. Vitam enim habet in semetipso, qui manducauerit carnem eius, & biberit sanguinem eius. Hilarius libro octauo de Trinitate: Hæc accepta atq; hausta id efficiunt, ut nos in Christo, & Christus in nobis sit. Et quomodo Christus per patrem uiuit, eodem modo nos per carnem eius uiuemus. Et Basilius in libro de Baptismo: Quotiescunq; enim ederitis, &c. Quid itaque utilitatis habent hæc uerba? Vt edentes ac bibentes perpetuò memores simus eius qui pro nobis mortuus est ac resurrexit, atque ita instruamur necessariò custodire in conspectu Dei, ac Christi eius, traditum ab Apostolo dogma, &c. Et in Asceticis: Quid est proprium eorum qui edunt panem, & bibunt poculum Domini? Vt memoriam continuam seruent eius qui pro nobis est mortuus & resurrexit. Et Eusebius in libro primo, capite 10 de Demonstratione Euangelica: Ideo & sacrificamus, & incendimus aliàs quidem memoriam magni illius sacrificij, secundũ ea quæ ab ipso tradita sunt, mysteria celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra agentes, religiosos q; hymnos & orationes sanctas illi offerentes. Sic & Ambrosius libro decimo in Lucam, capite uigesimo secundo: Corpus Christi edimus, ut uitæ æternæ possimus esse participes. Non enim uictus & potus nobis præmij loco spondetur, & honoris, sed communicatio gratiæ cœlestis & uitæ. Et libro quarto de Sacramento, capite quinto: Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non mouebitur in æternum. Et in libro de ijs qui initiantur, capite octauo: Ista esca quam accipis, iste panis uiuus qui descendit de cœlo, uitæ æternę substantiam submi nistrat: & quicunque hunc panem manducauerit homo, non morietur in æternum.

De eadem re differit Hieronymus aduersus errores Ioannis Hierosolymitani: Si munera nostra absq; pace offerre non possumus, quanto magis & Christi corpus accipere? Qua conscientia ad eucharistiam Christi accedam, & respondebo Amen, cum de charitate porrigentis dubitem? Et libro decimoquarto commentariorum in Ezechielẽ: Sanguis Christi est preciosus, in quo redimi mur in passione Domini Saluatoris, cuius carnibus alimur, & cruore potamur. Et Dionysius de Ecclesiastica hierarchia cap. 3. Meritò sacerdotalis sacrosancta prudentia ex eorum effectu proprium illi uerumq; cognomen inuenit, quia colligit nostras uitas in plura diuisas, in unicum illum statum quo Deo iungimur, & nobis eius quod uerè unum est societatem unitatemq; indiuiduam largitur. Idem ibidem: Communione diuina ad Dei similitudinem atque consortium transimus. Congruit Ephrem libro de extremo iudicio, capite 3: Anima nostra sponsa est immortalis sponsi: copula autem nuptiarum, cœlestia sacramenta sunt. Quia cum manducamus corpus eius, & sanguinem bibimus, & ipse in nobis est, & nos in eo.

De abusu Athanasius apologia secunda: Vt impius est, qui hunc mysticum calicem frangit: ita multo magis impius est, qui sanguini Christi contumeliam facit. Contumeliam autem facit, qui præter Ecclesiasticam institutionem calice abutitur. Et Basilius libro de Baptismo: Non terribile tantum iudicium habet, qui in carnis ac spiritus inquinamento ad sancta accedit, indignè accedens uerò reus sit corporis ac sanguinis Domini: sed & ociosè & inutiliter edens ac bibens, in eo quòd non per memoriam eius qui pro nobis est mortuus & excitatus, uidelicet IESV Christi Domini nostri, custodit illud Apostoli quòd dictum est.

DE SACRIFICIIS.

DE Sacrificijs ueteris Testamẽti, Athanasius libro tertio contra Arianos ita scribit: Quæ secundum legem, inquit, nihil fidum in se possidebant, quippe caducæ prę tereuntes q; quotidie, & quibus noua purgatione opus erat. Et oratione in dictum, Omnia mihi tradita sunt, &c. Sacrificia umbræ erant rerum futurarum. Eadé explicat Hieronymus ad Nepotianũ, de uita clericorum: Tunc hęc probabantur à Domino, quãdo sacerdotes hostias immolabãt. & sanguis pecudũ erat redéptio peccatorũ. Quáquá hęc omnia p̃cesserint in figura, &c. Et in cap. 1. Esaię:

Hostiæ

Hostiæ & immolatio uictimarum, non principaliter à Deo quæsita sunt, sed ne idolis offerrentur: & ut de carnalib. uictimis, quasi per typum & imaginem, ad spiritales hostias transeamus.

De sacrificijs noui Testamenti eucharisticis, Lactantius libro sexto, capite uigesimoquinto: Duo sunt quæ offerri debeant, donum & sacrificium. Sed utroq; non utitur Deus, quia & ipse incorruptus est, & totum illud corruptibile. Itaq; Deo utrunq; incorporale offerendum est, quo utitur. Donum est integritas animi, sacrificium laus & hymnus. Si enim Deus non uidetur, ergo his rebus coli debet quæ non uidentur. Et in eodem capite & libro: Omnium quæcunq; sunt, plenus est, & omnium minimè indigens. Nos uerò gratias agentes adoremus. Huius enim sacrificium benedictio sola. Et rectè: uerbo enim sacrificari oportet Deo. siquidem Deus uerbum est, ut ipse confessus est. Summus igitur colendi ritus est, ex ore iusti hominis ad Deum directa laudatio: quę tamen ipsa, ut Deo sit accepta, & humilitate & timore & deuotione maxima opus est. Et libro eodem, capite uigesimoquarto: Iusti hominis sacrificia sunt, mansuetudo animi, & uita innocens, & actus boni. Quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquod ac pium fecerit. Deus enim non desiderat uictimam, neq; muti animalis, neq; mortis ac sanguinis, sed hominis uitam. Ad quod sacrificium neq; uerbenis opus est, neq; fibris, neq; cespitibus, quæ sunt utiq; uanissima, sed ijs quæ intimo corde proferuntur. Itaque in aram Dei, quæ uerè maxima est, & quæ in corde hominis collocata, coinquinari non potest sanguine, iustitia imponitur, patientia, fides, innocentia, castitas, abstinentia. hic est uerissimus ritus.

Et in Epitome diuinarum institutionum, capite secundo: Deus in sacrificio non desiderat uictimas, odores, aut dona præsentia: sed cultum mentis, qui est purus & sanctus. Nam illa quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt, hoc sacrificium uerum nõ est: nec quod ex arca, sed quod ex corde profertur: non quod manu, sed quod mente libatur. Hæc acceptabilis uictima est, quam de seipso animus immolat. Nam quid hostiæ, quid thura, quid uestes, quid aurũ, quid argentum, quid precioſi lapides, &c. ferunt, si colentis pura mens non est? sola ergo iustitia est, quam Deus expetit: in hac sacrificium, in hac Dei cultus est. Eadem tractat Eusebius de Demonstratione Euangelica libro primo, capite sexto: Quòd in omni loco dicit incensum & sacrificium offerri Deo, quid aliud significat, nisi non Hierosolymis, neq; definitè in hoc aut in illo loco id futurum: sed in omni regione, & in omnib. gentibus, quæ quidem & orationis incensum & sacrificium, quod mundum dictum est, non per cruores, sed per pias actiones summo Deo essent oblaturæ? Et libro eodem, capite decimo: Has incorporeas ei tolli, gratiaq́ue præditas hostias, prophetica nunciant oracula, sic quodam loco habentia: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua, & inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me. Et rursus: Eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Item alibi: Sacrificium Deo, spiritus contritus. Hæc igitur omnia, quæ ab initio diuinitùs prædicta sunt, in præsenti tempore per Euangelicam Saluatoris nostri doctrinam ab omnibus gentibus celebrantur, propheticæ uoci testimonium afferente ueritate, per quam uocem Deus, Mosaicis reiectis sacrificijs, quod futurum erat nostrum ipsorum institutum, diuinitùs nunciat dicens: Quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia munda. Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum & odorem afferens & sacrosanctum sacrificium: sacrificamus nouo more, secundum nouum testamentum, hostiam mundam. At sacrificium Deo spiritus contritus dictus est: cor igitur contritum & humiliatum Deus non despiciet. Iamq́ue etiam incendimus propheticum illum odorem in omni loco, & offerimus ei bene olentem fructum omni uirtute abundantis Theologiæ, hoc ipsum orationibus ad eum directis facientes. Quod sanè ipsum alius quoque docet propheta, qui ait: Fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Igitur & sacrificamus & incendimus, aliàs quidem memoriam magni illius sacrificij, secundum ea quæ ab ipso tradita sunt, mysteria celebrantes, & gratias Deo pro salute nostra agentes, religiososq́ue hymnos & orationes sanctas illi offerentes: aliàs nos ipsos totos ei consecrantes, eiusq́ue pontifici, ipsi utique uerbo, corpore animoq́ue dicantes. Proinde ab omni obscœnitate corpus intactum atq; immaculatum eidem conseruare studemus, omniq́; affectu atq; omni fœditate, quæ à malitia proficiscatur, purgatam mentem illi reddimus: cogitationibúsque synceris, & affectione non ficta, ueritatisq́; decretis illum colimus. Grata enim illi hæc esse, magis quàm hostiarum magnum numerum, quarum sanguine & fumo & nidore operemur, edocti sumus. Similia habet de sacrificijs noui Testamenti, lib. 3. de Demonstratione Euangelica, cap. 4. & 5. & lib. 4. cap. 5: ex

ex Porphyrio & Apollonio. Obseruatione autem dignum est, quod hic nihil de oblatione cœnæ Dominicæ, pro uiuis ac mortuis, uel etiam sine distributione ac sumptione dicitur. Basilius epistola octogesimaseptima: Deus sacrificium non ita quærit, quasi illo opus habeat: sed precioſum illi & acceptum sacrificium est, animus pius ac iustus. Et in Psalmo centesimo decimoquinto: Dirupisti uincula mea, quoniam à peccati seruitute liberasti, descendens in infernum, ac soluens à morte humanitatem captiuam existentem, & in custodijs ineuitabilibus inferni retentam. Idcirco tibi sacrificabo, non quidem quadrupedem bisulcam, aut ruminantem, neque uolatilia pura, neque siliginem oleo conditam, neque lucidum thus, uel illud compositum thymiama (hæc enim ex terra tibi Domino offeruntur) sed meam ipsius possessionem, & cordis mei fructum. Vnde ad tuam laudem, tanquam in altari quopiam, mentem meam sacrificabo, & offeram tibi laudis sacrificium innumeris holocaustis precioſius.

Sic etiam inquit Ambrosius in Institutionibus uirginis, capite secundo: Immolemus Deo sacrificium laudis, ut & Apostolus dicit: Obsecro primò omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones. Doceat te eruditus Psalmus octauus, qui cœpit à Dei laudibus: Domine Dominus noster. & hactenus oratio: inde sequitur obsecratio, ut destruatur inimicus. Et libro quinto Epistolarum, epistola uigesimaoctaua: Simplex oratio sacrificium est. Et libro de fuga seculi, capite octauo: Bonum sapientiæ sacrificium, bona est hostia fides, & omnis uirtus. Idem tractat Hieronymus in primum caput Esaiæ, capite primo: Cum ueteris legis ceremonias respuisset, transit ad Euangelicam puritatem, & quid pro his cupiat ostendit: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Omnis ergo capituli huius continentia, usque ad eum locum ubi ait, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite & disputemus, dicit Dominus, respuit sacrificia uictimarum, & Euangelij obedientiam docet esse super sacrificium.

DE LIBERTATE *Christiana.*

Ambrosius in caput primum epistolæ ad Galatas: Libertas in Christo IESV hæc est, non subijci legi. Et in caput primum eiusdem epistolæ: Quantus error est, post gratiam reuerti sub legem: hoc est, acceptа libertate uelle seruire, ut ereptus gladio immemor beneficij se tradit lanistæ? Accusator est enim emptoris, q relicto eo, rursum ad priorem dominum redit. Gregorius Nyssenus libro de uita Mosæ: Hanc à peccato libertatem nostram à crucifixo factam, tenebrasque ignorantiæ morte ac resurrectione ipsius repulsas, ab historia significata crediderim.

DE ORATIONE.

QVòd sit orandum, Hilarius testatur in Psalmo sexagesimoquinto: Aduersum diabolum, inquit, armaque eius, orationum nostrarum sonitu certandum est.

Quid sit autem oratio, Basilius in sermone in martyrem Iulittam: Oratio est boni petitio, à pijs mentibus ad Deum facta. Oportet autem orationem non in syllabis perficere, sed in animæ magis electione & uoluntate. Ita etiam Gregorius Nazianzenus libro primo de Philosophia, significat piam precationem gradum esse, per quem ad Deum ascendimus. Sic Ephrem quoque docet libro de luctamine spiritus, capite secundo: Desiderate orationes, quæ sunt colloquia Dei. Omnis enim sancta & purissima oratio, confabulatio, Dei est. Et in sermone de Virginibus: Desidera orationem, familiare cum Deo colloquium. Quippe oratio sancta & pura cum Deo loquitur.

Quis igitur sit oratione compellandus, docet Lactantius libro secundo, capite decimooctauo: Nihil aliud adoremus, nihil colamus, nisi solum artificis parentisque nostri unicum numen: qui propterea hominem rigidum figurauit, ut sciamus nos ad superna & cœlestia prouocari. Et Ambrosius libro tertio de Spiritu sancto, capite duodecimo: Pater & cum filio adoratur, & cum spiritu, quia Trinitas adoratur. Idem tradit Basilius oratione in martyrem Iulittam: Deum omnium conditorem & artificem adora, qui insapientia cuncta creauit. Hunc articulum Epiphanius quoque explicat libro secundo, tomo secundo: Sancta Dei Ecclesia non creaturam adorat, sed filium genitum, patrem in filio, filium in patre, cum sancto spiritu. Et libro tertio, tomo secundo: Sit in honore Maria, Pater & Filius & Spiritus sanctus adoretur: non dico mulierem, imò neque uirum. Deo debetur hoc mysterium: neque angeli capiunt talem glorificationem.

De rebus petendis, ipsaq; ratione, docet Hilarius in Psal. centesimo decimooctauo: Venit super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundum uerbum tuum.

Ne

Ne ex incerta & ex inopinata ſpe precari propheta exiſtimaretur, primùm miſericordiam, dehinc ſalutare cõmemorat. tum tertiò ſubiecit, Secundum uerbum tuum: ut hanc orandi fiduciam proficiſci ſecundum uerbum Dei oſtenderet. Et in Pſalmo quinquageſimoquarto: Promptæ ſemper in hominum precationes Dei aures ſunt. Athanaſius in oratione contra idola, inquit: Mẽs fons eſt orationis. Et de interpretatione pſalmorum, ad Marcellinum: Quiſq; ea (uerba ſanctorum) recitans, certus fidensque ſit, Deum per ea ſupplicantium preces auditurum eſſe. Idem tractat Hilarius in Pſalmo ſexageſimoprimo. Protectionis meritum, ex fide orationis indultum eſt: ſecũdum illud, Petite & dabitur uobis. Item Baſilius de uita ſolitaria: Pete ex fide, ſemper quod bonum eſt operans. Et: Ora ad Deum cum timore, & animi humilitate. Idem de uita ſolitaria capite ſecundo: Precationis dilectæ duo ſunt modi. unus eſt, quo glorificatur Dominus cum animi humilitate: alter eſt, quo petitio ſubijcitur. Cum ergo precaberis, nõ ſtatim ad petendum prorumpe: alioqui prodis animi tui affectum, tanquam qui neceſsitate coactus ores ad Deum. Oraturus igitur relinque teipſum, uxorẽ, liberos: deſere terram, tranſcende cœlum, relinque poſte omnem creaturam uiſibilem & inuiſibilem, & ordire à glorificatiõe eius qui omnia condidit. & ubi illum glorificaueris, ne oberres animo huc uel illuc, neq; more gentili fabuleris, ſed ſumptis ſacræ ſcripturæ uerbis dicas: Benedico te Domine, lenem ac patientem, qui quotidie peccantem me patienter toleras, dasq; omnibus nobis reſipiſcendi copiam. Nam huius gratia Domine & taces, & toleras nos, ut te glorificemus: qui humani generis ſalutem diſpenſas, nunc quidem caſtigationis timore, nunc uerò admonitione, aliquando per prophetas, tandẽ per aduẽtum Chriſti tui nos inuiſens. Tu enim nos condidiſti, non nos ipſi. Tu es Deus noſter. Poſtquam uerò illum ex ſcripturis, ut poteris, glorificaueris, tunc cum animi humilitate ita ſubiunge: Ego Domine quidem non ſum dignus qui ad te loquar, quoniam magnus admodum peccator ſum. Et ſi nõ es tibi alicuius delicti conſcius, ad hunc tamen modum dicas: nemo enim ſine peccato eſt, niſi ſolus Deus. Et poſt paulùm: Vbi igitur extenderis humilitatis orationem, ac dixeris, Gratias ago tibi Domine, quòd peccata mea patienter tuliſti, & in hunc uſq; diẽ ſupplicium de me non ſumpſiſti. Ego quidẽ dignus iam olim eram, qui innumeris malis adfligerer, & à facie tua abijcerer: at patiens illa benignitas tua leniter mecum & tolerãter egit, cuius nomine tibi gratias ago, etiãſi idoneus non ſum qui iſti tuæ patientiæ ſufficientes gratias agere queam. Et ubi duas hasce partes glorificationis & humilitatis abſolueris, tum deinceps pete quod petẽdũ eſt.

Ambroſius lib. 1. Officiorum, cap. 18. In ipſa oratione noſtra multùm uerecundia placet, multum conciliat gratię apud Deum noſtrum. Nõne hæc prætulit publicanum, &c. Et libro 1. de Cain & Abel, cap. 9. Humilitas commendabat orationem. ſiquidem & Phariſæus ille reprehenſus eſt, qui ieiunia ſua uelut beneficia enumerabat. publicanus autẽ prædicatus eſt, quia longè ſtans, nolebat oculos ad cœlum leuare, &c. Et in cap. 1. ad Romanos: Non locus orationem commendat, ſed deuotus animus. Ita & Hieronymus docet aduerſus Luciferianos: Ad orationem aſsiſto: nõ orarem, ſi non crederem. Nilus in Gnomis: Oratio cum ſobrietate fiat. Cum oras ad Deum, mentem attolle. Petrus Alexandrinus: Oramus & obſecramus cum alijs quæ ad hoc decent, per eum qui factus eſt nobis aduocatus apud patrem, qui propitiatur peccatis noſtris. Et præclarè Chromatius in quintum cap. Matthęi: Clamor uocis non eſt opus in oratione apud Deum, quem ſcimus ſecreta cordis intueri: ſed clamor fidei, ac religioſæ mẽtis deuotio.

De oratione tractat etiam Ephrem lib. de Armatura ſpiritus, cap. 2. Mi frater, in ſciẽtia ora. Quod ſi, dum oras, mens tua diſtrahitur, ſiue per oculos, ſiue per aures, ſiue per cogitationes, aut aliam quamlibet cauſam, ſcito hoc ipſius inimici eſſe opus: neq; feſtines implere orationem tuam. Cæterùm teipſum paululum argue, collige rurſus animum tuum, atq; ita demum in ſcientia ora, ut ſcias pro quibus poſtules Deum, ne improbè ſuperflua & multa effundas uerba. Et in eodem libro, cap. 4. Si poſtulaueris à Domino aliquid, noli abruptè ac diffinitè ut accipias petere: ſed totum illi relinque, atq; ipſius uoluntati. Sæpe enim, quod petimus, non expedit nobis. Vt, ſi tribulatio ſuperuenit tibi, & anguſtia, ne ab his quidem præciſe liberari petas. ſępe enim & hoc tibi expedit, ne extollaris, ſed humilia ſentias. Quòd ſi relictâ uoluntate tua, uoluntati ipſius obtemperare malueris, ſecurus eris. ipſe enim quid nobis expediat nouit. Nos uerò non ſcimus, an expediat nobis quod poſtulamus. Et in eodem loco: Hoc autem iccirco uoluntati eius relinquendum ſtatuo, non ut te poſtulare prohibeam ab eo quæ cupias: imò precor atque commoneo, ut à minimis uſq; ad maxima poſtules à Deo tuo: ſed ut, cum oraueris, & coram eo expoſueris quæ ſunt in corde tuo, dicas ei: Veruntamen non mea uoluntas, ſed tua fiat. Si, quod peto, expedit, fac ſicut noſti.

FOR-

FORMVLAE PRECATIONVM.

Basilius in Ethicis, definitione 56, docet orationem Dominicam esse recitandam. Et Chromatius in 5. cap. Matthæi inquit: O q̃ fidelis hæc & beata nobis oratio est, cuius ordinẽ nobis doctor uitæ ac magister cœlestis instituit. Aliã formã Athanasius lib. de Virginitate exponit, siue de meditatione: Comede panem tuum, Domino gratias agens in mensa tua, ad hunc modũ: Benedictus Deus, qui alis me à iuuentute mea, qui das cibũ omni carni, imple gaudio & lætitia cor nostrum, ut in omnib. omnem sufficientiã habentes, abundemus in omne opus bonũ, in CHRISTO IESV Domino nostro: cum quo tibi gloria, honor, imperiũ, unà cum sancto spiritu, in secula seculorũ, Amẽ. Et ubi sederis ad mensam, & inceperis frangere panem, ter eum cõsignans, his uerbis gratias age: Gratias agimus tibi pater noster, de sancta tua resurrectione, per IESVM filium tuũ, quẽ nobis notũ reddidisti, quòd quemadmodũ hic panis olim multis seminib. dispersus, nunc aũt coactus unum quiddam redditus est: ita tu quoq; congregas Ecclesiam tuam à finibus terræ in regnũ tuum. quoniam tua est potentia & gloria in secula seculorum, Amen. Idem formulam precationis Ecclesiæ persecutionẽ patientis à Meletianis & Arianis sub Constantio exponit: Parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem tuã in uituperiũ inimicis, sed festina, ut accipias nos de manu iniquorum. Ecce enim famulis tuis non parcunt, & uiam Antichristo præparant. In epistola ad solitariã uitam agentes. Item de forma precationis pro Constantio, in Apologia ad Constantium: Ecce Domine IESV CHRISTE, rex regum, fili Dei unigenite, uerbum & sapiẽtia patris, reus agor, quia tuã misericordiã popul⁹ suis orationib. cõuenit, & per te tuũ patrẽ, Deũ omniũ implorauit: idq; pro salute famuli tui piẽtissimi Constantij.

Hieronymus in fine explicationis in Micheam: Dicã & ego in fine uoluminis, laborem opusculi mei Domini inuocatione cõsignans: Deus quis similis tibi? Aufer iniquitatem serui tui, transi peccatum reliquiarum animæ meæ: ne immittas in me furorem tuum, neque in uia tua corripias me: quoniam misericors es, & multæ miserationes tuæ. Reuertere & miserere mei, præcipita iniquitates meas, & mitte eas in ꝓfundũ maris, ut salsugo & amaritudo uitiorũ in salsa regione dispereat. Da ueritatem, quam promisisti seruo tuo Iacob: & misericordiã, quam pollicitus es amico tuo Abraham: & libera animã meam à persecutorib. prophetarum tuorũ, Achab & Iezabel. sicut iurasti patrib. meis in dieb. antiquis, dicens: Viuo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, tantũ ut reuertatur & uiuat. Et alibi: Statim ut conuersus ingemueris, saluus eris. Tunc uidebit inimica mea, & operietur cõfusione: quæ nunc dicit ad me, Vbi est Dominus Deus tuus? Videbo in ea ultionem tuam: & erit quasi lutum platearum, atq; calcabitur, ne amplius de luto & paleis Aegyptias extruat ciuitates.

Ephrem lib. 1. de compunctione cordis, capite 13. Sana me Domine, & saluabor: quia tu solus es sapiens & misericors medicus. Supplico bonitatem tuam, sana uulnera animæ meę, & illumina oculos mentis meæ, ut considerem dispensationem tuam, quæ super me semper efficitur, quia in fatuata est mens mea: & gratia tua, quæ est sal ueritatis, condiat eam. Et quid ad te hęc oro, Domine, qui cunctorum es præscius, quiq; scrutator es renũ & cordis, & solus omnia nosti? Sicut enim terra sine aqua, sitit ad te anima mea, & desiderat te cor meum. Qui aũt diligit te indesinenter, tua gratia eum satiabit. Sicut enim semper audisti me, etiam nunc ne despicias deprecationem meam. Ecce enim quasi captiua est mens mea, te solum saluatorẽ ueritatis exquirens. Mitte itaq; gratiã tuam uelociter in auxiliũ meum, & satiet esuriem meã, & siti meę potum tribuat. Te enim solũ desidero insatiabilẽ Dominũ. Quis enim potest de te satiari, qui te ex ueritate dilexerit, lumen ueritatis & luminis tributorem? Da mihi petitionem meã, & dona mihi deprecationem meam, & destilla in cor meum stillã dilectionis tuæ. Ascendat in cor meum, quasi in syluam, flamma charitatis tuæ: & deuoret spinas & tribulos & pessimas cogitationes. Et tribue mihi copiosẽ & sine mensura, quasi Deus homini, gratiã tuã: & dona mihi quasi rex regum, & multiplica quasi boni filij bonus pater. Si autem in quibusdam priuatus sum, aut priuor, quasi terrenus, aut filius terreni: sed tu qui replesti hydrias benedictiõe tua, imple sitim meam gratia tua: & qui satiasti 5000 uirorum de quinq; panib. imple esuriem meam, immensa copia bonitatis tuæ. Amator hominum benignissime, super fœnum & flores, & super omnem herbam uiridem terræ, sine inuidia in hoc tempore gratia tua effusa est: quanto magis seruorum tuorũ, qui te deprecantur, petitionibus largiri te conuenit? Ecce enim aer fulgore coruscat, & uolucres uoces suas immutãt à gloria multa sapientiæ tuæ. Ecce aũt terra uarietate florum, quasi diploide induitur, quæ sine manib. texitur. Exultat aũt, & festiuitatem duplicem celebrat: unam quidem pro Adam, filio suo primogenito, quia uiuificatus est in Christo: alteram pro Domino suo, quia descendens super eam ambulare dignatus est. Ecce enim & in mari multiplicatur gratia: nam gratia tua & eos qui

in ipso nauigant, facis esse locupletes. Eadem gratia etiam mihi loquendi ad te fiduciam tribuat. Qui suscepisti duo minuta uiduæ illius, & laudibus extulisti, susci pe deprecationem serui tui, & exaudi orationem meam, & dona mihi petitionem meam: ut templum sanctum efficiar gratiæ tuæ, ut inhabitet in me, & ipsa me doceat quomodo ei placere debeam, ut pulset in membris meis atq; in uisceribus meis, uelut in carice aquæ. Hinc plena compunctionis atq; lætitiæ mẽs quoq; mea, quasi quodam frẽno constringatur, ne oberrans in peccato corruam, & à claritate luminis illius expellar. Exaudi me Domine, exaudi me, & præsta, ut uocari merear in regnum tuum, qui quondam errãs eram, nunc autem sum congregatus: qui eram immundus, nunc mundatus sum: & qui insipiens eram, nunc uerò sapiens sum: & qui aliquando inutilis eram, nunc autem utilis effectus sum, &c. Item: Tu autem Domine per prophetam tuum dixisti: Aperi os tuum, & implebo illud. Ecce itaque os serui tui cum corde apertũ est: imple illud gratia tua, ut semper te benedicat. CHRISTE Saluator meus, irriga cor meum. Amator hominum benignissime, redde rorem gratiæ tuæ. Quemadmodum terra dum seritur, generationes suas non ualet enutrire, nisi à bonitate tua fuerit uisitata: sic neq; cor meum proloqui ualet quæ tibi sunt placita, absque gratia tua, & fructificare fructum iusticiæ. Ecce autem nascentia terræ enutrit pluuia superueniens, nec non etiam arborum nascentia florum uarietate depingit: sic etiã ros gratiæ tuæ mentem meam illuminet, ut florib. compunctionis & humilitatis ac sapientiæ eam adornet. Et quid dicam? Ecce enim oratio mea infirma existit, & iniquitates meæ gemere me compellunt. Vincat ergo gratia tua: qui aperuisti oculos cęci nati, oculos mẽtis meæ adaperi, ut pulchritudinem tuã semper desiderent. Et qui aperuisti os subiugalis, aperi os meum in laudem & gloriam gratiæ tuæ. Qui posuisti terminum mari uerbo pręcepti tui, pone etiã terminum cordi meo per gratiam tuam, ut non declinet ad dexteram, neq; ad sinistram à pulchritudine tua. Qui aquam in deserto tribuisti populo non credenti, sed contradicenti: dona mihi compunctionem, & oculis meis lachrymas, ut defleam diebus ac noctibus dies uitæ meæ, cum humilitate & charitate, & puritate cordis. Appropiet oratio mea in conspectu tuo Domine, & dona mihi semen sanctum, ut tibi offeram manipulum cõpunctionis & confessionis meę repletum, & dicam gloriam ei qui mihi hæc tribuit, ut ei etiam ego offerã quod ab eo percepi, & adorẽ eum qui mihi tanta largitus est. Exaudi Domine orationẽ serui tui, qui es super omnia benedictus in secula seculorum, Amen. Tales orationes plures habet Ephrem. Sed interdum quædã interspersa sunt, aliena à scriptura sancta: quæ an sint eius autoris, incertum est.

De generibus orationum, Hilarius in Psalmo centesimo quadragesimo: Quatuor genera orationum Apostolus esse significat, ad Timotheum scribens: Exoro ergo primò omnium fieri precationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Humilitatis nostræ est deprecari, magnificentiæ Dei est orari, fidei est postulare, confessionis & laudis est gratulari. Et fortè quatuor illa genera odorum, ad unum thymiama ex partibus subtilissimis comparata, singulis quoque generibus poterunt conseruandæ orationis aptari. Et in Psalmo sexagesimotertio: Vigilandum in oratione Dei est, & semper orandum, &c. Deus enim non tantum tum orandus est, cum quę timentur ingruerint: sed timenda ea sunt, quæ cum cœperint adesse dominantur. & semper atque indefessis precibus orandus est, ut nos à timore eorum quorum dominatũ timemus, eripiat. Neq; Dei misericordiam metus noster, sed fides promeretur.

Basilius de uita solitaria, cap. 2. Petens digna Deo, ne cesses donec acceperis. Item: Forsan oa de causa non statim dat, ut ad adfiduitatem te instituat, & ut discas quid sit donum Dei, custodiasq; datum cum timore. Et in sermone in diuites auaros: Spem firmã in Deum retine. Etenim putas illum angustiam tuam non uidere? Victum alimentũq; in manibus quidem habet, largitionem uerò differre solet, ut constantiæ periculum faciat, & mentem mortalium uideat, &c. Ephrem libro de Armatura spiritus, capite 3: Etiamsi tardauerit dare tibi petitionem tuã, noli desistere clamare ad eum: neq; quasi nõ auditus, torpore deficias.

De rebus petendis, Basilius de uita solitaria: Vbi precationi institeris, ne alia pro alijs petas, ne Dominum irrites: nec pecuniam, nec humanam gloriam, nec potentatum, nec aliud quicquam eorum quæ dilabũtur petas: sed regnum Dei, & quæcunq; corpori necessaria sunt, ipsa tibi Dominꝰ exhibebit: quemadmodum pollicitus est dicens, Quærite primùm, &c. Hæc non superstitiosẽ intelligenda sunt, quasi nõ liceat corporalia etiam à Deo petere, cum iusserit Christus panem quotidianũ expetere: sed monet de ordine, & ne tantum corporalia petantur. Eodem modo & hęc eiusdem uerba accipienda sunt: Pete nõ diuitias, non gloriã terrenam, nõ corporis sanitatem. Nam ipse te finxit, & curam habet salutis tuæ, & nouit quid cuique conducat, siue sanitate, siue infirmi-

tate

tate opus sit: sed pete, sicut iussus es, regnum cœlorum: corporis tui necessitatem, sicut dixi, ipse curat. Est enim rex noster augustissimus & munificentissimus, molestè ferens, si quis exile quiddam ab ipso petat, si quis nostrûm petat quod ipsum non addecet. Pete quæ digna sint rege cœlorum. Et in Ethicis, definitione quinquagesimasexta: Orandum pro ijs qui uerbo ueritatis præsunt. Item definitione septuagesima: Orandũ pro subditis, & eorum profectu, & illius nomine gratiæ agendæ sunt. Nilus in Gnomis: In ualetudine aduersa, oratione primò utere. Ephrem libro de Armatura spiritus, capite tertio: Mi frater, quod urget magis, & quæ in omni tempore tibi magis necessaria sunt, ea à Deo postules. Et in eodem libro, capite octauo: Cum quis sacras literas uult legere, Christum pro intelligentia orare debet. Sic Athanasius quoq; docet, de interpretatione Psalmorum ad Marcellinum: Siue in tribulatione hæc dicat, magnam uisurus est consolationẽ: siue in tentatione persecutione ue hæc psallat, probatior uidebitur, & protegetur à Domino, eorum qui talia recitant protectore, & diabolum subuertet, & dæmones eius fugabit.

De fine orationis, Arnobius libro primo contra gentes: Nihil sumus aliud Christiani, nisi, magistro Christo, summi regis & principis ueneratores: nihil, si consideres, aliud inuenies in ista religione uersari. Hæc totius summa est actiõis, hic propositus terminus officiorũ diuinorum, hic finis: huic omnes ex more prosternimur, hunc collatis precib. adoramus, ab hoc iusta & honesta & auditu eius condigna deposcimus. Non quòd ipse desideret supplices nos esse, aut amet substerni & tot miliũ ueneratione uidere. utilitas hæc nostra est, & commodi nostri rationem spectans. Nam quia proni sumus ad culpas, & ad libidinis uarios appetitus, uitio infirmitatis ingenitæ: patitur se semper nostris cogitationibus concipi, ut dum illũ oramus, & mereri eius contendimus munera, accipiamus innocentiæ uoluntatem, & ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus. Et Ambrosius lib. de Paradiso: Satan sanctorum orationibus excluditur.

De efficacia orationis, Hieronymus libro secundo commentariorum in Hieremiam, capite septimo ita scribit: Cum, inquit, non resistas mihi, illud ostendit, quòd sanctorum preces Dei iræ possint resistere. Vnde & Dominus loquitur ad Mosen: Dimitte me. Et lib. 4. commentariorum in Ezechielem: Sicut murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso, contraq; uenienti: ita Dei sententia sanctorum precibus frangitur. Et Ephrem lib. de Armatura spiritus, cap. 2. Pro arcu extende ad orationem manus tuas. Verè enim arcus est æreus contra inimicos, expansæ in oratione manus, in scientia orantis: ueluti sagitta directè emissa ab eo qui uibrat arcum. Et sermone de Virginibus: Oratio perfecta quęrentium Deum, & eum toto cordis affectu ambientium, summa cum alacritate & facilitate atq; cõfidentia, ipsum quoq; penetrat cœlum.

DE MINISTERIO.

Basilius de uita solitaria, cap. 23. Christus Petrum post se pastorem Ecclesiæ constituit, & consequenter omnibus pastoribus & doctoribus eandem potestatẽ tribuit. cuius signum est, quòd omnes ex æquo & ligant & absoluunt, quemadmodum & ille. Ac de officio ministrorum, sermone secundo de Baptismo, cap. secundo: Officiũ, inquit, ministrorum est, administrare mysterium Domini: ad quod digni efficiuntur, si repurgent se ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, nec ullam aliqua in re dantes offensionem, ne uituperetur ministerium. Et sermone de Fide: Fidi ministri proprium esse scitis planè & ipsi, ut quod in conseruos dispensandum ab optimo Domino concreditum habet, hoc illis seruet purũ ac syncerũ. Et sermone in diuites auaros, ministros uocat instrumenta Dei: Hęc dicit Dominus, inquit, nõ quidẽ per seipsum, sed p seruos suos ac instrumenta clamans. Et sermone de Fide: Nos sermones nostros cum iudicio dispẽsantes, ubiq;, siue quę cautionis & munitionis, siue quæ ædificationis sunt, congruẽter usurpantes, & nunc quidem contentiosius his resistentes, qui per diaboli insidias fidei pietatem destruere conantur: nunc uerò simplicius & familiarius illam exponentes his qui in illa ædificari cupiũt, nec aliquid aliud facientes quàm quod ab Apostolo dictũ est, Vt sciatis quomodo oporteat uos unicuiq; respondere. Et in Psalm. 14. Ad delinquentium utilitatem nunquam opprobrium sumitur. quod Paulus ad Timotheũ discipulũ suũ: Argue, increpa, obsecra, inqt. Gregorius Nyssenus, in lib. de uita Mosæ ait, Euangelij reuelationẽ primùm obscuriorem per prophetas, postea apertioré fuisse per Apostolos, cum accessisset beneficium Spiritus sancti. In eodem: Credendum est ita esse, ut Ecclesia prædicat: non tamen oculis omnium cerni posse, sed in mentis ipsius penetralib. indubitabilem ueritatem permanere.

De ministerij dignitate, in eodem libro: Non humana quædam res, sed diuina, sacerdotium est.

De ministrorum officio, in eodem: Omnis qui Dei sacerdotium assumere studet, sei-

psum ac corpus suum Deo offerre hostiam, non enecatum aut cæsum debet (Vnum enim hoc sacrificium, rationalisq; cultus hic est) nec pingui quodam ac carnoso huius uitæ amictu, sed tenue, sicuti telam araneæ, munda uiuendi ratione confectum, ut uiuẽdi tenuitate leue atq; aereum factũ, sursum posse ferri uideatur. Et in eodem: Hoc fructu, quem Aaronis uirga ediderat, qualis debeat esse sacerdotis uita monemur. aspera enim & continens, duraq; debet exterius esse, intus autem & in occulto suaue quoddã edulium cõtinere. quod tunc manifestatur, cum maturum fuerit, & corruptus fuerit stipticus ac circũfusus cortex, & lignea nuclei testa defracta. Quare si sacerdotis examinaueris uitam, inueneriscq; redolentem unguentis ac rosis, bysso & purpura florentem, ac mensis pinguibus inhærentem, in qua non adhibentur nisi defæcata, & clarissima uita, & unguenta preciosissima, & quæcunq; alia suauia ijs gustatu uidentur qui hoc seculo frui proposuerunt: uerè in hunc Euangelicis utêris uerbis, Fructum uideo, sacerdotalem arborem non cognosco. alius est enim sacerdotij fructus ab isto.

DE ECCLESIA.

QVid sit Ecclesia, Lactãtius uidetur describere, de uera sapientia libro quarto, capite decimotertio: Ecclesia est uerum templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde ac fide hominum, qui credunt in eum, ac uocantur fideles. Et in eodem, capite trigesimo: Sancta catholica Ecclesia est, quæ uerum cultum retinet. Hic est fons ueritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei. quò si quis non intrauerit, uel à quo si quis exiuerit, à spe uitæ ac salutis æternæ alienus est. Eusebius uerò de Demonstratione Euangelica lib. quarto, capite decimonono, inquit: Per totũ orbem terrarum, Christi Ecclesiæ, unius domus Dei locum obtinent. Ac Hilarius in Psalmo quinquagesimoprimo: Ecclesia est domus Dei, & omnes fidei Euangelicæ sectatores. Sic & Basilius in Psalmo sexagesimo primo: Ecclesia in Psalmo ciuitas munitionis appellatur. Ciuitas propterea, quòd ciuitas collectio populi est, legitimè cohabitantis: munitionis uerò, ob fidei munimentum & robur. Et in Psalmo quadragesimoquarto: Ecclesia una est perfecta columba, quæ in dextrum Christi locum eos accipit, qui in benefactis sunt exercitati, ac uelut pastor oues ab hœdis, probos separat ab improbis. Assistit regina anima, sponsali uerbo cooptata, minimè peccatis seruiẽs, sed Christi regni particeps.

Ambrosius libro secundo commentariorum in Lucam, capite tertio sic inquit: Mater uiuentium Ecclesia est, quam ædificauit Deus, in ipso summo angulari lapide IESV CHRISTO, in quo omnis structura compaginata crescit in templum Dei.

Et libro decimo Epistolarum, epistola octogesimaquarta: Ecclesia Dei, quæ est corpus Christi, ita est multimoda uarietate contexta, ut in unum decorem, etiam quæ non sunt paria, cõcurrant, & de omni genere hominum, & de omni gradu officiorum, de omni mensura operũ, de omni qualitate uirtutum fiat totius ædificationis inseparabilis connexio, & indifferens pulchritudo: nec desit soliditati, quod non defuerit portioni: tantaq; ibi est pax, tantaq; cõcordia, &c.

Epiphanius lib. 2. tomo 1. Sancta Dei Ecclesia, & iter ueritatis est, & uia regia. Et libro 3. tomo 2, & in Anchorato: Ecclesiam uocat matrem, portum pacis, uirginẽ Christi, & castam nympham. Sic & Hieronymus in quartum caput epistolæ ad Ephesios: Ecclesia unum corpus Christi est. Et lib. 8 commentariorũ in Etaiam: Ecclesia habitaculũ Patris & filij & spiritus sancti est. Et in cap. 11 Hieremię: Terram lacte & melle manante Christi Ecclesiam intelligamus, in qua paruuli atq; lactantes educamur per fidem, ut possimus solidum cibum capere.

Sic præclarè & Basilius in Psalmo trigesimotertio scribit: Sicut ossa robore suo carnis molliciem sustentant, sic & in Ecclesia sunt quidam, qui ob uirtutem atq; fortitudinem suam, debilium infirmitates ferre possunt. Et Nazianzenus in Apologetico: Ex multis ac uarijs tam moribus quàm linguis, uelut animal quoddam dispar & compositum, commune hoc Ecclesiæ corpus existit.

Perpulchrè hæc quoq; explicat Epiphanius libro secundo, tomo primo: Sancta Dei Ecclesia est similis naui. Nauis autem non ex uno ligno constat, sed ex diuersis. Et carinam quidem ex uno ligno habet, sed non uno modo: ancoras autem ex alia materia. mali item & tabulata, & puppis partes, parietumq; ac transtrorum, uelorum item ac remorum, gubernaculorumq;, ac aliorum omnium ex diuersis lignis compactionem habent. Idem explicat Hieronymus aduersus Luciferianos: Arca Noe, Ecclesiæ typus fuit, &c. ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac uniuersarum & gentium & morum homines sunt. Vt ibi pardus & hœdi, lupus & agni, ita hic iusti & peccatores: id est, uasa aurea & argentea, cum ligneis & fictilibus commorantur. Sic & Basilius sermone in dictum, Attende tibi ipsi: In Ecclesia, inquit, uelut in magna domo, uasa non solũ aurea & argentea, sed lignea & testacea existunt. Optatus Mileuitanus de Ecclesia inquit libro 3:

Est er-

Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua à Deo patre rex constitutus est CHRISTVS: quæ est in toto orbe terrarum, in quo est una Ecclesia Catholica.

De notis Ecclesiæ, Lactantius de uera Sapientia libro quarto, cap. trigesimo, inquit: Sed tamen singuli quiq; cœtus hæreticorũ, se potissimum Christianos, & suam esse catholicam Ecclesiam putant. Sciendum est autem, illam esse ueram, in qua confessio & pœnitẽtia: quæ peccata & uulnera, quib. subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.

Hilarius libro secundo & sexto, de Trinitate: Super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est: scilicet, Tu es Christus filius Dei uiui. Hæc fides Ecclesiæ est fundamẽtum, per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorum. Et Ambrosius lib. 2. de Iacob, cap. 7. Ibi est Ecclesia, in qua apparet Deus, & loquitur cum seruis suis: ibi eripiuntur & abscondũtur simulachra gentiũ. Fides enim Ecclesiæ omnem obseruantiam gentilitatis aboleuit. Item Basilius in Asceticis: Ecclesia est consuetudo Dei. Epiphanius libro tertio, tomo primo: Ecclesia est ædificata ex costa Christi, in eo quod punctũ & apertum est ipsius latus, & mysteria sanguinis & aquæ precia redemptionis facta sunt. Chromatius in caput quintum Matthæi: Ciuitatem supra montem positam, Ecclesiam ostendit, supra fidem Domini ac Saluatoris nostri in cœlesti gratia constitutam: quæ iam non per annunciationem legis obumbratur, sed per Euangelicam doctrinam aperta prædicatione conspicitur.

De una Ecclesia, Hieronymus libro primo aduersus Iouinianũ: Vnam habet Christus Ecclesiam.

Christum esse Ecclesiæ caput, Ambrosius testatur lib. 3. de Fide, capite quarto: Omniũ ipse principium est, & uniuscuiusq; autor, quia Ecclesiæ caput est: sicut scriptum est. Ita & Gregorius Naziãzenus oratione in dictum Euangelij, inquit: Vnus est Christus, unum caput Ecclesiæ. Et Basilius in Psalmo quadragesimoquarto, & libro de Spiritu sancto, capite quinto: Ecclesia non adoratur, sed Christus Ecclesiæ caput. Item de uita solitaria, capite uigesimotertio: Hoc ab ipso Christo docemur, qui Petrum post se Ecclesiæ suæ pastorem constituit. Petre enim, inquit, amas me? pasce oues meas. Et consequenter omnibus pastoribus & doctoribus eandem potestatem tribuit. cuius signum est, quòd omnes ex æquo & ligant & absoluunt, quemadmodum & ille.

Hieronymus aduersus errores Ioannis Hierosolymitani: Fundendo sanguinem, & patiendo, magis quàm faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia: persecutionibus creuit, martyrijs coronata est. Idem in Elaia, capite uigesimoseptimo. De Ecclesia perpetua, Cantic. 1. Ego ciuitas firma, ciuitas quæ oppugnatur. Pulchrè dixit Oppugnatur, non expugnatur.

Ecclesiam gregem esse pusillum, Nazianzenus in oratione de seipso, ad Arianos: Vbi sunt qui multitudine Ecclesiam defendunt, ac pusillum ouile contemnebant? Et in procœmio commentarij in lib. 3. ad Galatas: Ecclesia Christi de uili plebecula congregata est.

De Ecclesiæ donis, Epiphanius libro secundo, tomo primo: Opus est in Ecclesia donis, nec cessat gratia in sancta Ecclesia. Item: Dominus obsignauit Ecclesiam donis, & impleuit ipsi donã.

DE REGNO CHRISTI.

REgnum Christi spirituale esse, & æternum, docet Lactantius lib. 4. capite 12. Ob uirtutem & fidem, quam Deo exhibuit in terra, datum est ei regnum & honor & imperium: & omnes populi, tribus, linguæ seruient ei: & potestas eius æterna, quæ nunquam transibit, & regnum eius non corrumpetur. Quod quidem duobus modis intelligitur: quia & nunc habet perpetuam potestatem, cum omnes gentes & omnes linguę nomen eius uenerantur, maiestatem confitentur, &c. Et idem postea, cum rursus aduenerit in potestate & claritate, ut omnem animam iudicet, &c. Epiphanius lib. 1. tom. 2. hæresi 29. A' domo quidem carnali Iuda & Israel regia dignitas translata est, firmiter autem sedet thronus in sancta Dei Ecclesia in æternum. Et regnum ipsius non est de terra, uelut dixit in Euangelio ad Pontium Pilatum. Manet enim thronus ipsius, & regni eius non erit finis, &c.

DE CRVCE ET CALAMITATIBVS *Ecclesiæ.*

VNde sint pœnæ & adflictiones, Lactantius libro quinto, capite uigesimotertio monet: Nemini debet, inquit, mirum uideri, si pro nostris sæpe delictis à Deo castigamur. Et Basilius in Psalmo uigesimonono: Labores & pœnæ nõ eius uoluntate infliguntur: sed merito eorum qui peccauerũt, inferuntur. Item Hieronymus lib. 2. commentariorum in Ezechielem: Famem, pestilentiam, & bestias pessimas, & quicquid aliud malorum sustinemus in seculo, propter nostra uenire peccata manifestum est.

Qui sint hostes Christianorum, Ambrosius sermone 20 in Psalmum 118 docet: Non hi solum persecutores sunt qui uidentur, sed etiam qui non uidentur, & multo plures persecutores: Diabolus enim multos ministros suos dirigit, qui non foris tantum, sed etiam intus faciant persecutiones in animis

singulorum. De his dictum est persecutionibus: Omnes qui uolunt piè uiuere in Christo, persecutiones patiuntur. Persequitur auaritia, persequitur ambitio, persequitur luxuria, persequitur superbia, persequitur fornicatio.

De fine afflictionum, Lactantius libro 5. capite uigesimotertio: Cum uexamur ac premimur, tum maximè gratias agimus indulgentissimo patri, quòd corruptelam nostrã non patitur longius procedere, sed plagis ac uerberibus emendat. Ex quo intelligimus nos esse Deo curę, quoniam cum peccamus, irascitur. Et paulo antè: Bonos, quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laborib. ad usum uirtutis exercet, nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac deprauari sinit. Sic & Hilarius docet in Psalmo 65. Deus credentes in se, non tanquam fidei eorum ignarus examinat: sed quia etiam secundũ Apostolum tentatio probationem adfert, examinantur credentes, non ad cognitionem Dei, sed ad sui probationem: ut igne purgati, & ab admixtione uitiorum carnalium defæcati, splendeãt examinatæ innocẽtiæ claritate.

Basilius sermone tertio in diuites: Ob conuersionem, inquit, nostram calamitates Deus nobis infligit, nõ extinguere nos quærẽs, sed emendare castigareq; cupiens, more piorum patrum erga desides filios. Et in sermone, Quòd Deus non sit autor malorum: Afflictiones secundum corpus, & externæ molestiæ, ad peccati compescendam licentiã à Domino excogitatæ sunt. Et in Asceticis, capite quinquagesimoquinto: Ciuitatũ interitus, terræmotus, inundationes, exercituum clades, naufragia, & omnes deniq; calamitates, quibus magna hominum multitudo simul absumitur, propter superstites ad sobrietatem reducendos eueniunt, ipso Deo publicis pœnis publicam castigante iniquitatem. Et paulo pòst: Reliqua quæ appellantur mala, partim ad exercendos dantur bonos, & declarandã fortitudinem, quẽadmodum Iob filijs priuauit, &c. partim ut medela eorum qui deliquerunt, ficut Dauidi accidit domus confusio. Rursus autem & aliud ex iusto Dei iudicio malorum, hoc est pœnarum genus prouenire cognouimus, ad homines in uitium pronos prudentiores faciẽdos: ut Dathan & Abiron terra uiuos deuorauit. Sic docet quoq; Hieronymus libro sexto & octauo commentariorum in Esaiam: Quando uisitat & percutit Deus, ad hoc percutit ut emendet. Et Chromatius in 5 caput Matthęi: Duplex ratio tentationis est, & causa diuersa: Alijs enim per peccatum tentatio infertur ad emendationem, alijs ad fidei probationem infertur, ad gloriam.

De fine martyriorum, Hilarius in Psalmo sexagesimoquinto: Per pœnarũ genera martyres in fidei testimonium corpora sua holocausta uouerunt, ut in Dei domum, id est in cœlestis domicilij habitationem, consummatis hostiarum suarum sacrificijs introirent. Sed quid tandem in hac corporum suorum oblatiõe uouerunt? Scilicet, ut per hæc martyrij sui exempla gentes ad spem regni æterni erudirent. Qui enim tum Christum prædicabant, non sibi, quibus tum erat cognitus, sed nobis, qui futuri adhuc eramus, uel quibus potius tum erat incognitus, prædicabant. Quæ eorum prædicatio omnis posteritatis fidem ad martyrij desiderium accendit. Non enim causa alia prædicabant, nisi ut fidei suæ & martyrij exemplo plures martyres erudirent. Petrus Alexandrinus Can. 9 eos quidẽ qui temerè persecutionis tempore periculis se exposuerunt, recipiendos esse in Ecclesiam, illisq; communicandum sentit. attamen prolixè disputat, neminem debere temerè ad martyrium prosilire.

Quamobrem pij calamitatibus exercentur, & subiecti sint cruci, causas aliquot exponit Gregorius Nyssenus in libro de Prouidentia, cap. 8. Concedit, inquit, sæpenumero Deus iustum in calamitates incidere, ut uirtutem quæ in ipso latet, alijs ostẽdat: ueluti in Iob. Aliquando permittit incõuenientia quædam geri, ut per actionẽ quæ indecens uidetur, magnum quid & mirabile dirigat: uelut per crucem, salutem hominũ. Alio modo sanctum etiam mala pati permittit, ut nõ ex recta conscientia, & attributa è uirtute in elationem incidat: ut Paulo. Derelinquitur aliquis ad tempus, in correctionem alterius, ut id quod in ipso fuit, considerantes alij erudiantur: ut in Lazaro & diuite. Destituitur aliquis etiam in alterius gloriam, non ob propria, uel parentum peccata: ut à natiuitate cæcus, in gloriam filij hominis. Rursus permittitur quis pati in alterius imitationem, ut gloria eius qui passus est amplificata, alijs impigra passio fiat, per futuræ gloriæ spem, & eorum quæ expectantur bonorum desiderium: ueluti in martyribus, & in his qui seipsos tradiderunt pro patria uel parentibus. Si uerò quis irrationabile arbitratur, sanctum in alterius directionem malè pati: cognoscat, quòd hæc uita agon est, & uirtutis stadium. Quanto igitur maiores sunt labores, tanto maiores sunt coronæ. Ad mẽsurã enim passionis, & numerũ, est retributio.

DE CONIVGIO.

De cõiugio hęc ętas honestè sensit. Nazianzenus oratione de funere sororis: Neutrum horũ (uel castitas, uel nuptiæ) uel Deo penitus, uel mũdo coniungit, rursusq; dissoluit: ita ut hę propter naturã propriã penitus sint fugiẽdæ, illa aũt nimiũ laudanda. Verùm

Verùm mens est, quæ nuptijs & uirginitati rectè dominatur, & tanquã materiam rationi opifici hęc adoptat, & ad uirtutem operatur. Carni enim cõglutinari, nequaquam separat à spiritu: neq; si qua caput habet uirũ, ideo caput primũ ignorat: sed parũper mundo ministrat, & naturę, quantũ lex exigit carnis: seu illi potius qui carni legem hanc tulit, Deo. Et oratione in sanctum lauacrum: Si carni colligatus es, ne timeas sanctificationem, etiam post nuptias purus eris. Non enim quia uirginitas honorabilior est, ideo nuptiæ inter ignominiosa. Ita & Ambrosius docet de uirginibus, lib. 1. Nuptias ego uerò suadeo, & eos damno qui dissuadere censuerũt: utpote qui Saræ ac Rebeccę ac Rachel, cæterarumq; ueterum coniugia fœminarum, pro documẽtis singulariũ uirtutum recensere soleã. Qui enim copulam damnat, damnat & filios, & ductã per successionem seriem, generis societatem damnat humani, &c. Sic quoq; monet Epiphanius lib. 2. tomo 1. Sancta Ecclesia nuptias habet reuerendas, & colit eas. Et Hieronymus in cap. 4. epistolę ad Timotheum: Omnis qui nuptias damnat, non amator, sed inimicus est castitatis: dum & continentibus laudem tollit, et incontinentibus sublato nuptiarum remedio, fornicationis facit inire discrimen.

Coniugiũ uerò Basilius in Hexamero uocat iugum naturæ. Consentit & Ambrosius in exhortatione ad uirgines: Ipsum coniugium uinculum est, quo alligatur uiro nupta, & ei subiectione adstringitur. Et lib. 3. de uirginibus: Bona uincula nuptiarum, sed tamen uincula: etsi uincula, tamen uincula charitatis. Bonum coniugium, sed tamen à iugo tractum.

Coniugij autorem esse Deum, Nazianzenus oratione in funere sororis: Si qua caput habet uirum, ministrat illi, qui carni hanc legem tulit, Deo. Et Ambrosius lib. 10 Epistolarum, epist. 71. Non negamus sanctificatum à Christo esse coniugium, diuina uoce dicente: Erunt ambo in carne una, & uno spiritu. Et Athanasius sermone contra omnes hæreticos: Verba faciamus ad infelicẽ Miluiũ, arbitrantem se extollere uirginem, & coniugium infamare posse. cum Deus in paradisum Euam ad Adam deducat, ibiq; loquatur Adam: Ea de causa relinquet homo patrem & matrem, & conglutinabitur ei, & erunt in carnem unam. Cæterùm iste uetus Testamentum non recipit: quid ergo? Nunquid auscultas in Euangelio, Dominum in Cana ad nuptias uocatũ, easq; benedixisse, et ex aqua uinũ fecisse? Et rursus alibi: Iudæis dicentibus, sibi Mosen concessisse libellum repudij, Christũ respondere: id Mosen ipsis concessisse ob pertinaciam duriciemq; animi: &, Quos Deus coniugauit, homo nõ separet? Quomodo potest ramus consistere, si non subsistit radix? Quomodo uirgo esse poterit, si non habebit patrẽ & matrem? Chromatius in quintũ caput Matthæi: Christus iubet matrimonij castum coniugium indissolubili lege seruari, ostendens coniugij legem à se penitus institutam.

De officijs coniugum, Lactantius lib. 6. de uero cultu, cap. 23. docet: Nec tantum alienis thoris, quę attingere non licet, uerùm etiam publicis uulgatisq; corporibus abstinendũ Deus præcepit: docetq; nos, cum duo inter se corpora fuerint copulata, unum corpus efficere. Et paulo pòst: Nondum omnia castitatis officia executus sum, quam non modò Deus intra priuatos parietes, sed etiam præscripto lectuli terminat: ut cum quis habeat uxorem, neq; seruam neque liberam habere insuper uelit, sed matrimonio fidem seruet. Et seruanda igitur fides ab utroq; alteri est. Imò exemplo continentię docenda uxor, ut se castè gerat. Et in Epitome diuinarũ institutionum, cap. 8. Qui habet coniugem, nihil quærat extrinsecus, sed cõtentus ea sola carnem castiget, inuiolati cubilis sacramenta custodiat. Adulter enim Deo est, perinde atque incestus, qui abiecto iugo, uel in liberã uel in seruam peregrina uoluptate luxuriat. Sed sicut fœmina castitatis uinculis obligata est, & ne aliud concupiscat: ita uir eadem lege teneatur, qua Deus & uiro uxorẽ unius corporis cõpage solidauit. Et Nazianzenus sermone in sanctũ lauacrũ: Puræ sint nuptię, ac sordidis affectibus incõtaminatæ. Idem tractat Basilius in Ethicis, definitiõe septuagesimatertia: Ne uir recedat ab uxore, aut à uiro uxor, &c. Viri uxores diligãt, mulieres pareant, non ornentur ad formam, sed bona opera ipsarum ducant esse ornatũ. In Ecclesia taceant, domi uerò studiosè pietatis præcepta inquirant à maritis.

De fine matrimonij, Lactantius lib. 6 de uero cultu, cap. 23. Oportet sibi quenq; proponere, duorũ sexuũ coniunctionẽ generandi causa datam esse uiuentibus: eamq; legem his affectibus positã, ut successionẽ parent. Nazianzenus oratione in funere sororis: Nuptiæ laudabiles sunt, propter summã in nuptijs tranquillitatẽ, & pulchrã inde fructificationem. Et Ambrosius lib. 1. de Abrahã, cap. 7. Ideo coniugij tibi datum est ius, ne in laqueum incidas, & cùm aliena muliere delinquas, &c. Et Basilius libro de uera uirginitate: Tunc legitimum constat esse connubium, & secundum diuina iura institutum, cum non uoluptatis affectus legis scita præcesserit, sed adiumenti necessarij, prolisq; causa fuerit huiusmodi facta coniunctio. Ita fiunt honorabiles nuptiæ, quando

rationem coniugij non præit obscœna uoluptas: sed iacto secundum leges diuinas sancto fundamento, matrimonium necessariò sequi uoluptas ipsa concubitus una, neque carnẽ duos facere cõcubitus deprehenditur.

De coniugio sacerdotum, Athanasius in epistola ad Dracontium, ait se nouisse & monachos & episcopos coniuges, & liberorum patres. Imò apparet & ex Hieronymo in epistola ad Demetriadẽ, presbyteros habuisse uxores: Diues, inquit, quidam presbyter duas filias in uirginali proposito relinqueret, &c. Et lib. 1. aduersus Iouinianum ait: Quasi non hodie quoq; plurimi sacerdotes habeant matrimonia: et Apostolus episcopũ describat, unius uxoris uirum, habentem filios cum omni castitate. Et Epiphanius libro 2. tom. 1. Dices mihi omnino, in quibusdam locis adhuc liberos gignere, presbyteros & diaconos & hypodiaconos. quamuis ibi Ephiphanius conetur ista improbare.

De secundis, tertijs, & pluribus nuptijs, Ambrosius in cap. 3. epistolæ ad Timotheũ: Secundam numero uxorem habere non est prohibitum. Epiphanius lib. 2. tomo 1. hæresi 59: Licitum est populo, ut propter imbecillitatem feratur: & ut qui non possunt prima uxore contenti esse, secundæ post primę mortem coniungantur. Et qui non potuit una mortua contentus esse ob aliquam causam, scortationem, aut separatione ob aliquam malam causam facta, eum diuina scriptura non accusat, si aut uir secundæ coniungatur uxori, aut uxor secundo uiro: neq; ab Ecclesia & uia abdicat, sed suffert propter debilitatem. Item Hieronymus in epistola ad Marcellinum: Nos secundas nuptias non tam appetimus, quàm concedimus: Paulo iubente, ut uiduæ adolescentulæ nubant. Et pro libris aduersus Iouinianum: Ego libera uoce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam: imò nec trigamiam: & ita licere quinto & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere. sed quomodo non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Item: Non damno digamos, imò nec trigamos, & si dici potest octogamos.

DE ADIAPHORIS.

Athanasius in epistola ad Dracontium episcopatum fugientem: Licebit tibi in episcopatu esurire, sitire, sicuti Paulo. Licebit & uinum bibere, sicuti Timotheus fecit: & ieiunare frequenter, ut Paulus solet: ut ita secundum illum ieiunus, alios sermonibus nutrias: & sitiens, abstinendo à potu, alijs docendo potum præbeas. Nouimus enim & episcopos ieiunantes, & monachos comedentes: nouimus & clericos bibisse, & monachos ieiunasse. Sic enim licet, & ad eũ modũ nõ prohibebitur: sed quisq; ubi uolet, decertet. Et libro de uirginitate: Non qui à cibis, inquit, ieiunat solummodo, probè se gessit: sed qui abstinet ab omni opere malo. Hoc enim ieiunium censebit. Et ibidem: Ieiuna uniuersum æuũ, sine necessitate, &c.

Ephrem libro de spirituali luctatione, ca. 3. Ne irrideas fratrem tuũ ieiunantẽ: & eum qui ieiunare non potest, ne confundas. Sic etiam Gregorius Nyssenus, in oratione de pauperibus amandis: Est ieiunij & abstinentiæ genus, quod à corpore & materia seiunctum est: cumq; animum duntaxat respiciat, eare perficitur, ut à uitijs temperemus.

DE MAGISTRATV.

Deum esse autorem ordinis Magistratus, ostendit Basilius in psal. 32. Dominus reges facit, & euertit: & nulla est potestas nisi à Deo constituta. Seruatur autẽ non per multam uirtutem, sed per diuinam gratiam. Et Epiphanius li. 1. tomo 3. hæresi 40: Vides quòd hæc potestas mundana ex Deo ordinata est, & gladij potestatem accepit nõ aliunde, sed ex Deo, ad ultionem?

De officio magistratus, & gladio, Basilius in epist. 164. Quod immorigeros ac rebelles coerces, dextri ac uerè principis: prostratos uerò clemẽter ac benignè susципere, magnificentia pariter & clementia quosuis superatis est. Et ad Aphricanũ epist. 125. Hoc mihi uidetur munus esse principis, ut opem ferat uirtuti, malitiam uerò impugnet, siue id incruento principatu, siue cũ gladio aut uinculis faciat. Et Hieronymus lib. 4 cõmentariorum in Hieremiam: Homicidas, sacrilegos & uenenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

De fine Magistratus, Epiphanius li. 1. tomo 3. hæresi 40: Hac de causa sunt potestates, ut ad bonum ordinem gubernationis uniuersi mundi, omnia ex Deo bene disponantur, ac administrentur.

De obedientia, quatenus & in quibus magistratui præstanda, Nazianzenus in oratione ad subditos & Imperatorem irascentem: Homines cũcti potestatib. subditi sint sublimioribus, non solùm propter irã, sed & propter conscientiã: ac ideo & tributũ soluãt, ac legem nequaquã ob malefactorũ prohibitionem odio habeant, nec gladiũ expectent, sed timore purgati à potestate laudantur.

Athanasius ad solitariã uitã agentes: Episcopi religiosi, Paulinus Treuerẽsis, Lucifer metropolitanus Sardinię, Dionysius Mediolanensis, &c. uocati à Constãte, & iussi cõtra Athanasiũ rescribere, respondent: Regnum non ipsius esse, sed Dei, à quo acceperit: eumq; timendum esse, ne quod dederit, repentè adimat. Item: Suadeant (religiosi episcopi Paulinus Treuerensis, &c.) Imperatori, ne Ecclesiastica corrumpat, ne ue Romanum

manum imperium Ecclesiasticis cõstitutionibus immiscеat. Et Hilarius in libro ad Constantiũ Augustum: Prouideat & decernat clementia tua, ut omnes ubique iudices, quibus prouinciarum administrationes traditæ sunt, ad quos sola cura & solicitudo publicorum negociorum pertinere debet, à religiosa se obseruantia abstinéant. Et Basilius in Ethicis, definitione septuagesimanona: Potestatibus eminentioribus obediendum est, in quibus mandatum Dei non impeditur. Optatus Mileuitanus lib. 3. inquit: Meritò Paulus docet, orandum esse pro regibus & potestatibus, etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter uiueret.

DE SCANDALO.

Hieronymus lib. 2. commentariorum in Matthæum, cap. 15. Σκώλομ & scandalũ nos offendiculũ uel ruinã, & impactionem pedis possum⁹ dicere. Quãdo ergo legimus, Quicunque de minimis istis scandalizauerit quempiã: hoc intelligimus, qui dicto factoue occasionem ruinæ cuiquam dederit. Et Hilarius in Psal. 140. Scandalũ est uxor irreligiosa, filius iniquus, & cætera deinceps domi nomina, & omnis ex Ecclesia frater aut contumeliosus, aut auarus, aut ebriosus, aut turpis. In his enim nobis est scandalũ, quoties ad necessitatẽ irascendi, arguendi, inhibendi, uindicandi, ex illa quieta fidei nostræ manſuetudine prouocamur. Et Basilius sermone secundo de baptismo, cap. 10. Offendiculum est, ut ego ex scripturis inductus arbitror, quicquid uel ad defectionem à ueritate, quæ secundum pietatem est, abducit, aut ad errorem solicitat, aut instruit ad impietatẽ: uel in summa, quicquid ab obedientia præcepti Dei, ad ipsam etiam mortem usque remoratur. Itaq; si in seipso quidem cõsideratum bonum fuerit, quod uel dicitur uel fit, morbus uerò utentis & opere aut uerbo, in ipso usu damnum attulerit, insons erit à iudicio offensi, qui bonum quod ad fidei ædificationẽ in seipso confert, uel locutus est, uel fecit. Si uerò secundum naturam suam malum est, quod uel fit uel dicitur: iam qui hoc fecit aut dixit, cùm proprij peccati, tum offendiculi culpam sustinebit. Et in regulis contract. quæst. 64. Offendit, qui uel uerbo uel opere iniquè agit, & alios ad iniquitatẽ inducit: sicut serpens Euam, & Eua Adamũ. aut etiam, qui à uoluntate Dei adimplenda quenquam impedit, &c. Item: Fit autem offendiculum pluribus de causis. aut enim ab eo qui offendit, fit offendiculum: aut ab eo qui offenditur, accidit offendiculum. Et hæc quoq; differenter. nam aliquãdo ex malitia, aliquando ex imperitia, uel huius, uel illius, &c.

DE LOCO ANIMARVM.

Athanasius de incarnatione Christi: Animã non ut corpus interimi, à secunda dissolutione commonstratur, cum non solum in nobis, sed & in Christi quoq; morte idipsum pateat, corpore non ultra sepulchrũ delato, anima ad inferos penetrãte, locis ingẽti interuallo discriminatis, sepulchro quidem id quod corporeũ erat, quia ibi corpus erat, recipiente: inferno uerò, id quod incorporeum fuit.

Nazianzenus oratione in funere Cæsarij fratris: Sapientum credo sermonibus, quòd omnis bona ac Deo accepta anima, postquã à corporis exoluitur uinculis, & hinc discedit, quàm primum ad intellectũ & contemplationem boni, quod ipsam manet, peruenit, tanquam à tenebris purgata ac lustrata, uel nescio quomodo dicere debeam, gaudio quodam admirando lætatur et exultat: ac hilaritate perfusa, ad suum accedit Dominum, tanquam à carcere quodã graui, uita nempe hac, effugerit, &c. Sic & Ambrosius docet, de bono mortis cap. 10. Animarum superiora esse habitacula, scripturæ testimonijs ualde probatur. siquidem & in Hesdræ libris legimus: Quia cum uenerit iudicij dies, reddet defunctorum corpora, &c. Et habitacula reddent animas, quæ in his commendatæ sunt. Hę sunt habitationes, de quibus dicit Dominus: Multas mãsiones esse apud patrẽ suum, quas suis pergens ad patrem discipulis præpararet. Deniq; & Scriptura, habitacula illa animarum promptuaria nuncupauit.

Prudentius Hymno in exequijs defunctorum:

Sed dum resolubile corpus
Reuocas Deus atq; reformas,
Quã nam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit, ut est Eleazar,
Quem floribus undiq; septum,
Diues procul aspicit ardens.

Epiphanius in Ancorato: Manifestum est, quòd non animas putant esse in monumentis, sed in custodijs quibusdam unicuiq; animæ à Deo destinatis, pro uitæ transactæ dignitate, & pro factorum merito.

De animarum statu post mortem, Ambrosius libro de bono morali, cap. 10. Dum expectatur plenitudo temporis, expectant animę remunerationem debitam. Aliàs manet pœna, aliàs gloria: & tamen nec illę interim sine iniuria, nec istæ sine fructu sunt. Nam & illæ uidentes, seruantibus legem Dei repositam esse mercedem gloriæ, conseruari earum ab angelis habitacula, sibi autem dissimulationis & contumaciæ supplicia futura, & pudorem & confusionem, ut intuentes

tes gloriam altissimi, erubescant in eius conspectũ uenire, cuius mandatum temeraue-runt. Gregorius Nyssenus orat. secunda de pauperibus amandis: Quando anima ab huius caduci terreniq; carceris nexu soluta est, tunc propria splendet pulchritudine.

DE RESVRRECTIONE *mortuorum.*

ARnobius aduersus gentes lib. 8. Quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem à Deo ut primùm potuisse fingi, ita posse denuò reformari? Et aliquanto pòst: Vide adeò, quàm in solatiũ nostri, resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit se & nascitur, astra labuntur & redeũt, flores occidunt & reuiuiscunt, post senium arbusta frondescunt, &c. Idem tractat Lactantius lib. 7. cap. 11. Impletis temporibus quæ Deus morti statuit, terminabitur ipsa mors. Et quia temporalẽ uitam temporalis mors sequitur, consequens est, ut resurgant animę ad uitam perennem, quia finem mors temporalis accipit. Et in eodẽ, cap. 23. Non renascentur animæ, quod fieri nõ potest: sed resurgent, & à Deo corporibus induentur, & prioris uitæ factorumq; omnium memores erunt, & in bonis cœlestibus collocatæ, ac fruentes iucunditate innumerabilium copiarum, præsenti Deo gratias agent, quòd malũ omne deleuerit, quòd eas ad regnum uitamq; perpetuã suscitarit. Item: Nemo quærat à nobis, quemadmodũ fieri possit. Nec enim diuinorũ operũ ratio potest reddi. Sed si à principio Deus hominẽ nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus ab eodẽ restitui uetere posse, qui nouũ fecit. Et Athanasius de humanitate Verbi, &c. Patet mortẽ Dominici corporis legitimis rationibus nõ carere. Curæ illi fuit corporũ resurrectio, cuius negociũ gesturus uenerat. Ea enim re trophæũ de morte excitatum ostendi potuit, simulq; certũ omnib. & indubitatũ reddi, corruptionẽ ab eo deletam esse, nihilq; iam deinde nisi corporũ incorruptibilitatem restare, de qua in pignus monumentumq; omniũ futuræ in posterũ resurrectionis corpus suum incorruptum seruauit. Et in Psal. 44. In resurrectione mutatio nobis in melius, ac planè spiritualis erit. Seminatur, inquit Apostolus, in corruptione, &c. Et in Psal. 115. In resurrectione nec mas nec fœmina erit, sed una omnibus ac similis uita eorum qui Domino placent, & habitant in regione uiuorum. Hilarius lib. 11. de Trinitate: Vitæ humanę atq; mortis finis est resurrectio: & certissimum militiæ nostræ stipendium est, incorrupta æternitas, non ad pœnę perseuerantiã manens, sed ad perpetuæ gloriæ fructum iucunditatemq; non desinens. Et in Psalm. 55. Resurrecturis omnibus non ab exteriore materia corpus acquiritur, neq; peregrinæ originis externarumq; causarum natura recipitur: sed idipsum in profectum æternæ claritatis emergit, fitq; in eo demutatione potius quàm creatione, quòd nouus sit. Et Ambrosius in prioris ad Thessalonicenses capite quarto: Priores resurgẽt, qui in Christo moriuntur: deinde nos qui uiuimus, rapiemur unà cum illis, baiulis nubibus, obuiam Christo in aera. In ipso raptu mors proueniet, & quasi per soporem, ut egressa anima in momento reddatur. Cum enim tollentur, morientur, ut peruenientes ad Dominum, præsentia Domini recipiant animas: quia cum Domino mortui esse non possunt. Idem libro sexto, epistola trigesimaoctaua: Cœlum primò est conditum, nouissimus homo, quasi quædam cœlestis in terra creatura. Nam etsi corpore cum bestijs confertur, animo tamen cœlestibus annumeratur. Principium ergo operis mundani cœlum, finis homo: cœlum de mundo, homo supra mundum. Illud enim mundi portio, iste paradisi incola. Christi possessio cœlum incorruptibile putatur, & præterit: homo corruptibilis habetur, & incorruptionẽ induit. illius figura perit, iste quasi immortalis resurgit.

Prudentius hymno in exequijs defunctorum:

Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente uidemus,
Spacium breue restat, ut alti
Repetat collegia sensus.
Venient citò secula, cum iam
Socius calor ossa reuisat,
Animataq; sanguine uiuo
Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadauera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.

Idem in Apotheosi, hymno ultimo de resurrectione carnis humanæ:

Nosco meum in Christo corpus consurgere, quid me
Desperare iubes? ueniam quibus ille reuenit
Calcata de morte uijs: quod credimus, hoc est.
Et totus ueniam: nec enim minor, aut alius quàm
Nunc sum, restituar. Vultus, uigor, & calor idem,
Qui modò uiuit, erit: nec me uel dente uel ungue
Fraudatum reuomet patefacti fossa sepulchri.
Qui iubet ut redeam, non reddet debile quicquam.
Nam si debilitas redit, instauratio non est:
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncauit edax senium populante uetemo,
Omne reuertenti reparata in membra redibit.

Debet

Debet enim mors uicta fidem, quæ fraude sepulchri
Reddat curtum aliquid: quamuis iam curta uorarit
Corpora, debilitas tamen & uiolentia morbi,
Virtus mortis erat, reddat quod particulatim
Sorbuerat, quocunq; modo, ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.
Pellite corde metum mea membra, & credite uosmet
Cum Christo reditura Deo: nam uos gerit ille,
Et secum reuocat. morbos ridete minaces,
Inflictos casus contemnite, & atra sepulchra
Despicite: exurgens quò Christus prouocat, ite.

Epiphanius li. 3. tomo 2. Credit sancta Ecclesia, quòd obdormiem⁹ omnes, ac resurgem⁹ cũ corpore hoc, cũ anima hac, cũ toto nostro uase atq; organo, ut unusquisq; recipiat prout fecit. Quod est resurrectio mortuorũ, & iudiciũ æternũ, & regnũ cœlorũ. Et in Anchorato: Omnes resurgẽt, etiãsi nolint, & uniuersa creatura singulis diebus resurrectionis speciem ostendit. Occidit enim dies, & mortuorum modum uiuimus per soporem. Exoritur dies nos expergefaciens, & resurrectionis signũ demonstrans. Et in eodem: Temporis progressu id quod deiectum est obuoluitur in utero, & perficitur per nouem mensium tempus, & absoluitur quod cõceptum est, ac gignitur. In resurrectione autem non sic. In momento enim res continget. Sonabit enim tuba, & mortui resurgent, uelut ostendit Dominus in tabernaculo testimonij. Et Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum: In resurrectione eadem erit corporum substantia, quà nunc utimur, licet auctior gloria. Et aduersus errores Ioannis Hierosolymitani: Non in alijs quibusdam peregrinis, & in alienis corporibus, quæ assumuntur in phantasmate: sed sicut ipse in illo corpore, quod apud nos in sancto sepulchro conditum resurrexit: ita et nos in ipsis corporibus, quib. nunc circumdamur, & in quibus nunc sepelimur, eadẽ ratione & uisione speramus resurgere. Idem docet Theophilus Alexandrinus lib. 3. Paschali: Resurrectionem mortuorum incorruptibilem, & iugiter permanentem esse credamus. Et Ephrem libro de pœnitentia: Quomodo sustinebimus, cum audierimus tubę uocem de cœlo nimio cum metu resonantem, omnesq; à seculo defunctos, iustos & iniustos, bonos & malos, pios atq; impios excitantem? Tunc omnia ex tumulis humanæ conditionis ossa, ubi uox tubæ insonuerit, exilient atq; discurrent, actus suos, iuncturasq; cum festinatione requirentia: cum uiderimus omne hominum genus exurgere, quemlibet ex loco suo, congregariq; ad iudiciũ. Cœlestis nempe regis iussu, terra suos mortuos reddet, mare ibidẽ suos: quicquid item humanorũ corporum uel bestia rapuit, uel uorauit piscis, auis ue discerpsit, in priorem statum remeabit, omnesque in ictu oculi resurgent, & ante tribunal adstabunt, ita ut ne unus quidem capillus capitis desit. Et sermone de resurrectione: Restituit terra corpus hominis quale susceperit, siue id à fera discerptum, siue ab aue comestum, siue à quouis animante deuoratum fuerit: ne unus quidem capillus hominis in conspectu iudicis deerit. Namq; diuinæ uoluntatis imperio, incorruptionẽ imitantur omnes, corpusq; incorruptum recipient singuli. Cæterùm iustorum corpora septuplum supra solis fulgebunt radios: peccatorum uerò tenebrosa inuenientur, & fœtore plena.

Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, cap. 7. Casta sanctarũ animarũ corpora, pro sacris sudorib. suis in immutabili secundũ diuinã uitã firmitate ac sede, resurrectionẽ quoq; una recipiẽt propriã. Inserta enim animab. sanctis, quib. hac in uita iuncta fuerãt, ut Christi effecta membra, diuinã atq; immortalẽ, beatamq; recipiẽt requiẽ. In ijs ergo est sanctorũ quieta obdormitio in læticia et spe immobili, eũ ad sanctorũ certaminũ puenerint finẽ.

Gregorius Nyssenus lib. 1. cap. 3. Propriũ & præcipuũ hominis, ac solum à cunctis animalibus est, eius corpus post mortem resurgere, & immortalitate donari. Et libro eodem, cap. 27. Licet uolucribus carne uescentibus, licet feris carne uescentibus humanũ corpus tradatur in cibum, eisq; his casibus misceatur: licet sub dentibus piscium ueniat, & per ignem in uapores conuertatur & puluerem, ubicunq; iuxta subiectam rationem quis circumtulerit hominẽ, intra hunc mundum eum esse necesse sit. quẽ Dei manu contineri, uox instruit diuinitus inspirata, cum dicit: Quia in manu eius sunt omnes fines terræ. Quod si tu nõ potes ignorare, quę tuo palmo contineas: opinaris scientiã Dei, quæ est tua uirtute superior, eorum quæ uirtute diuina manu continentur, id quod certũ est, perscrutari? Item libro de Fato, cap. 4. Resurrectio mortuorum semel futura est secundum diuinæ uoluntatis potentiam, non secundum circuitionem, ut fingunt Stoici.

DE EXTREMO IVDICIO.

LActantius lib. 7. cap. 1. Superest ut de iudicio Dei differamus: quod tunc constituetur, cum Dominus noster redierit in terram, ut unicuique pro merito aut præmium persoluat, aut pœnam. Et in eodem, cap. 19. Rex et Deus, quem nos Christum uocamus, prius quàm descendat, hoc signum dabit: Cadet repentè gladius è cœlo, ut sciant iusti ducem sanctæ militiæ descensurum, & descendet comitantibus angelis in medium terræ, & præcedet eũ flamma inextinguibilis. Verùm quædã in hisce ad opiniones referãtur.

De signis præcessuris cõsummationẽ mundi, Lactantius in Epitome diuinarũ institutionum,

tionum, cap.11.ad hunc modum: Cum cœperit mundo finis ultimus propinquare, malitia inualeſcet, omnia uitiorum & fraudum genera crebreſcent, iuſticia interibit, fides, pax, miſericordia, pudor, ueritas nõ erit, uis & audacia pręualebit. ſi qui erunt boni, prędæ ac ludibrio habebuntur: Nemo pietatem parentib. exhibebit: auaritia, libido, uniuerſa corrumpent. erunt cædes, & ſanguinis effuſiones: erunt bella nõ modò externa & finitima, uerùm etiam inteſtina: ciuitates inter ſe belligerabunt. His poſtea annumerat terræmotus crebros, aquarũ inundationes, peſtes, famem, ſterilitates, cometas, ſolis & lunæ obſcurationes, &c.

Athanaſius de humilitate uerbi: Te latêre nolui, alterum Chriſti aduentum illuſtrem & diuinũ, non humilitate contemptibilem, ſed gloria magnificum in expectatione eſſe, atq; imminere, cum non ut patiatur redituruſ ſit, ſed ut fructus ſuæ crucis omnibus retribuat, immortalitatẽ uidelicet & incorruptibilitatem: nec ut iudicetur, ſed ut iudicet ſecundũ ea quæ quiſq; in corpore ſuo geſſerit, ſiue bona ſiue mala ſint: ubi bonis quidẽ regnum cœlorum repoſitum deſtinatumq; eſt, malorũ uerò deſignatoribus ignis æternus & caligo extrema. Et ſermone quarto contra Arianos: Quamobrem utile ſit diem finis non præſcire: Vtile eſt nobis tum de angelis, tum de filio iſtiuſmodi ſcientiæ negationem audire, idq; propter errores qui alioqui poſtmodũ ſuboriri poſſent. Et in Pſal. 2. Iudicij dies uel beatitudinis retributio eſt æterna, uel pœnę. Et Hilarius in Matthæũ, Canone nono: Dies iudicij, abſterſam uolũtatis noſtræ conſcientiam prodet: & ea quæ nunc occulta exiſtimãtur, luce cognitionis publicè deteget. Et de tempore iudicij, in Matthæum Canone 17. & Canone 20. Poſt dies ſex gloriæ Dominicæ habitus oſtenditur, ſex millium ſcilicet annorũ temporibus euolutis, regni cœleſtis honor pręfiguratur.

Baſilius in Pſalmo quadrageſimo quarto: Coram tribunali Chriſti omnibus eſt comparendũ, ut referat unuſquiſq; ſiue bonum, ſiue malum, quod geſſit in corpore ſuo. Et in Pſalmo trigeſimotertio: Quando fortè ad aliquod peccatum te uideris paratum, illud horribile & intolerabile Chriſti tribunal cogitã, in quo iudex in alto ſedebit throno, aſtabitq; omnis creatura, eius aduentum gloriоſum exhorrens, rationem geſtorum redditura. Deinde eos qui multa in uita admiſerunt, horribiles quidam ac triſtes circumſtabunt angeli, uicinum aſpicientes ignem, ſæuas flammas reſpirantes, propter propoſiti amarulentiam, faciebus noſtris ſimiles, ob odium humani generis & triſtitiam quam referent. Deinde barathrum & tenebras inacceſſas, ignemq; obſcurum, cauſticas quidem uires habentem, luce uerò deſtitutum conſpicientes. Inde uermium ſerpentiumq; innumerabilium genus uenenoſum ac carniuorum, nunquam ſaturum, intolerabiles dolores morſibus infligẽs. Poſtremò omnium duriſsimam pœnam, probrum illud & uerecundiam ſempiternã. Et Epiphanius lib. 3. tomo 1. Oportet omnes ſtare corã tribunali ipſius: & omnis lingua confitebitur, quod Dominus eſt IESVS CHRISTVS. Idem docet Hieronymus in apologia aduerſus Ruffinũ: Dicimus quoq; & iudicium futurũ, in quo unuſquiſq; recipiet propria corporis, prout geſſit, ſiue bona ſiue mala. Quod ſi homines recepturi ſunt pro operibus ſuis, quanto magis & diabolus, qui omnibus extitit cauſa peccati?

Sic & Ephrem de iudicio extremo, cap. 3. ſcribit: Prępareмus nos ſine macula inueniri, in terribili illo Chriſti examine, in quo omnes actus noſtri, cogitationes & eloquia arguentur. Nam & pro operibus, & pro ſermonibus ocioſis, & pro dedecoroſis & inhoneſtis aſpectibus, et omnibus actibus uel manifeſtis uel occultis, quæ ab origine mundi cogitata uel geſta ſunt, et pro meritis ſuis ſinguli iudicium ſument, & rationem ſinguli reddent. Et libro de pœnitentia, cap. 4. Tuba uoce audita omnes reſurgent, igneus fluuius ab ortu uſq; ad occaſum emanabit, mare exiccans, montes uallesq; deuorans, & omnem terram & quæcunq; in ea ſunt exurens. Angeli hinc inde diſcurrent, electos cõgregantes. Tunc uidebimus terram nouam, & cœlum nouum, in quibus iuſticia inhabitat. Et uidebimus terribile ſoliũ, ſedentemque ſuper illud omnium Deum, & infinita angelorum millia circumſtantia.

DE VITA AETERNA.

HIlarius de patris & filij unitate: Vita æterna eſt, in Deum ſolum uerũ credidiſſe. Sine Chriſto uerò, confitendum eſt, ſolum uerum Deum ſalutem non dediſſe. Et Ambroſius in caput ſextum epiſtolæ ad Galatas hæc ſic declarat: Hæc eſt æterna uita, uiuere ſine pœna, habere & gloriam. Et Lactantius libro ſeptimo, capite undecimo: Vita animi ſempiterna eſt, in qua diurnos & ineloquibiles immortalitatis ſuæ fructus capit. Et Baſilius in exhortatione ad Baptiſmum: Ibi angelorum millia, primorum patrum conuentus, apoſtolorum ſedes, tribunalia prophetarũ, patriarcharum ſceptra, martyrum coronæ, iuſtorum laudes, cumulatiſsimè ſpectabuntur. Et in Pſalmo quadrageſimoquinto: Definiunt quidẽ ciuitatẽ conſiſtentẽ eſſe cõgregationem legibus adminiſtratã. Hæc enim tradita ciuitatis definitio, illi quæ ſurſum eſt Hieruſalem cœleſti ciui-

ciuitati maximè conuenit. Nam & ibi primogenitorum ac descriptorum in cœlis congregatio, & ob immutabilem sanctorum uitam, & secundum legem cœlestem gubernatam, stabilis quidem ac perpetua est. Ordinẽ uerò illius & omnem ornatum perdiscere, naturæ non est humanæ. ibi namq; sunt quę oculus nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparauit diligentibus se. Myriades sunt ibi angelorum, & sanctorum celebritates, et primogenitorũ Ecclesiæ descriptorum in cœlis. De hoc itaq; Dauid loquitur. Et in Psalmo centesimo decimoquarto: Ea uiuentium beata regio, in qua non nox, non somnus mortis imago, non cibus aut potus, humanæ infirmitatis præsidia: non præterea morbus, non dolor aut medicina, uel iudicia seu mercatus, non artes: nõ pecunia, malorum origo, bellorum materia, inimicitię radix: sed regio uiuentiũ, non morientium ob peccatũ, sed ueram uitã uiuentium in Christo IESV Domino nostro.

Ambrosius libro secũdo de Abraham, capite primo: Manifesta fides. Mortuo etenim homine caro corrumpitur, sensus pereunt, uox amittitur, remanet mens immortalis, incorpoream uitam recipiens. Vnde in alteram terram uocatur, plenam diuinitate, ubi non falsa pro ueris, sicut in hac uita, sed uiuã rerũ cernat substantiã, eo quòd excessa corporis et sensuũ & uocis nebulosa quadã imagine, corruptibilẽ caliginem deponat, & reuelata facie beatæ uitę gratiã lustret obtutu.

Hieronymus in præfatione libri decimi octaui in Esaiam: Non post resurrectionem manducabimus & bibemus. Et in commentario in Ezechielẽ: Liquidè confitemur, post secundum aduentum Domini saluatoris, nihil humile, nihil futurum esse terrenũ, sed regna cœlestia.

Prudentius Hymno in exequijs:

Hæc quæ modò pallida tabe
Color albidus inficit ora,
Tunc flore uenustior omni,
Sanguis cute tinget amœna.
Nam nulla deinde senectus
Frontis decus inuida carpet,
Macies neq; ficca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoq; pestifer, artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans,
Lucet inter uincula mille.
Hunc eminus aere ab alto
Victrix caro, iamq; perennis
Cernet sine fine gementem
Quos mouerat ipse dolores.

Gregorius Nyssenus oratione prima de amandis pauperibus: At qualem studij laboris q; finẽ pollicentur? Nunc quidem præclaram spem, & læticiæ plenam expectationẽ: pòst autem, quando istius assiduæ fluentis carnis spolijs exuti immortalitatem indueri mus, uitam beatam, nullum finem habituram, nullis malis obnoxiam, in summis & admirandis, quæq; hic à nobis cogitatione comprehendi non possunt, uersantem gaudijs & uoluptatibus.

Theophilus Alexandrinus libro tertio Paschali: Ibi angelorum reperiemus choros, & cum eis festa celebrantes, habebimus eos socios mysteriorum Dei: & exultatione ineffabili gestiemus, sapientiæ cum illis sacramenta discentes, ubi nulla fraudis deceptio est.

Ephrem libro primo de cõpunctione cordis, cap. 7: Surgentes clamabũt omnes, & dicent: Gloria ei qui nos congregauit, & propter suam clementiam resurgere fecit. Tunc iusti exultabunt, & sancti lętabuntur uiri, & ueri perfecti monachi cum martyrum choro cõsolabuntur, & à labore abstinentiæ suæ requiescẽt. Martyres coronabũtur, Apostoli ac Prophetæ glorificabũtur. Beatus qui meruerit in illa hora cum cõscientia bona uidere, quomodo cũ gloria rapietur in nubibus obuiàm immortali sponso, omnes qui dilexerunt eum, & festinauerũt perficere uoluntatem eius. Vt enim unusquisq; hic positus magnificauerit pœnas suas, sic ad excelsa fastigia euolabit præmiorũ. Et quemadmodũ hic unusquisq; cor suũ mundauerit, sic eius gloriã intuebitur: & quomodo quisq; desiderauit eũ, sic satiabitur dilectione eius. Admirabitur etiã primus Adam in illa hora, uidẽs magna & terribilia, quomodo ex eo solo & cõiuge eius immensæ nationes & multitudines generationũ productæ sunt. Magis aũt admirabitur, glorificãs conditorẽ Deum, quomodo ab una natura, & ex una creatura exorti, in regno cœlorũ, & in paradiso, & in inferno sortẽ p suis meritis susceperũt. Gloria soli sapiẽti Deo. Et lib. eodẽ, cap. 8: Plorate fratres in cõspectu Dei, ut gaudere nos faciat in regno suo, in uitã illa immortali, ubi fugatur dolor, tristicia & gemitus, ubi nec lachrymis aliquis nec pœnitentia indiget, ubi non est timor & tremor, ubi non est mors & corruptio, ubi nõ est aduersari⁹ & impugnator, ubi nõ est exacerbatio inobediẽtię & ira cõtentionis, ubi nõ est odium & inimicitiæ: sed omnino gaudium & lętitia & exultatio, & mensa spiritualibus cibis plena, quã præparauit Deus cunctis diligentibus se.

Dionysius de diuinis nominibus, cap. primo: Quando incorruptibiles & immortales erimus, & Christianorũ & beatissimum consequemur finẽ: semper cum Domino secundum eloquium erimus, uisibili quidẽ ipsius Dei apparitione in castissimis cõtemplationibus adimpleti, manifestissimis circa nos

splendoribus refulgente, sicut circa discipulos in illa diuinissima transformatione.

DE INFERNO.

ARnobius libro secundo: Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, & inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas deijci ab eorum hostibus inimicisq; cognouimus? Quid Plato idem noster, in eo uolumine quod de animæ immortalitate composuit? Non Acherõtem, nõ Stygem, nõ Cocytum fluuios, & Pyriphlegetontẽ nominat, in quib. animas adseuerauit uolui, mergi, exuri? Et Lactãtius lib. 7, cap. 7: Esse inferos Zeno Stoicꝰ docuit, & sedes piorũ ab impijs esse discretas: & illos esse quietos, ac delectabiles incolere regiões: hos uerò luere pœnas in tenebrosis locis. Idẽ nobis ꝓphetæ palàm faciũt. Sic & Basilius in regulis cõtract. quæstione ducẽtesima sexagesimaseptima: Exteriores tenebrę omnino innuunt esse aliquas interiores: & quod in Prouerbijs de inferni fundo dictũ est, ostendit quosdã in inferno quidẽ, nõ tamẽ in illius fundo futuros, sed leuius suppliciũ laturos. De hac re docet quoque Ambrosius lib. de bono mortis, cap. octauo: Latratus canis infernalis Cerberi, & Cocyti fluminis tristis uorago, &c. Hæc plena sunt fabularum, nec tamẽ negauerim pœnas esse post mortem.

Prudentius libro secũdo cõtra Symmachũ:

Interior qui spirat homo, luet ille perenne
Supplicium, quòd subiectos male rexerit artus.
Nec mihi difficile est liquidam circumdare flammis
Naturam. quamuis perflabilis illa feratur
More noti: capiam tamen, & tormenta adhibebo
Ipse incorporeus, ac spirituum sator unus.
Quin & corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam: possum quoniam renouare faúillas
Antiquam in faciem: nec desperanda potestas,
Qui potui formare nouum, reparabo peremptum.

Hieronymus libro octauo cõmentariorũ in Esaiam: In consummatione mundi, præteritarũ deliciarũ recordatio erit materia cruciatuum. probat id parabola diuitis. Sic & Ephrem libro de extremo iudicio, cap. 4. scribit: Non est in inferno confessio, non sunt lachrymæ ibi, non gemitus, quæ iudicis auertant sententiã. Nõ est dilatio ulla temporis ad agendam pœnitentiam, non est regressio post exitũ ad uitã: sed omnia dura & aspera & amara occurrent eis, qui pœnitentiæ tempus perdiderunt: obuiabit eis horrenda illa facies suorũ delictorũ, quæ tormento omni amarior existit, & durior: sed & cõscientiæ suæ uerberibus cruciati, infelicia illa uerba crebrò proloquentur & dicent, Vę uę nobis miseris, quibus contigit uidere hanc diem. Vbicunq; enim peccator tunc oculos cõuertit, contẽplabitur imagines suorũ delictorũ. Et libro de pœnitentia, capite 7: Varia sunt tormentorũ loca, sicut in Euangelio audiuimus. Primùm sunt tenebrę exteriores, secundò haud dubiũ quin & aliæ interiores sint, tertiò gehennæ locus alius.

DE ANTICHRISTO.

HIlarius libro contra Arianos: Nominis Antichristi proprietas est, Christo esse contrariũ. Et ibid. Antichristos plures esse, etiam apostolo Ioanne prædicante cognouimus. Et in Matthæum, Canone uigesimoquinto: Antichristus abominatio à Daniele ex eo dictus, quòd aduersus Deũ ueniẽs, honorem sibi Dei uindicet. Desolationis autẽ abominatio, quia bellis & cædibus terrã cũ piaculo desolaturus sit, atq; à Iudæis susceptus loco sanctificationis insistet: & ubi sanctorũ precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibꝰ receptus Dei honore uenerabilis sit.

Hieronymus ad Aglasiã, quæstione undecima: Apostolus exponit, quæ ante aduentũ Antichristi debeant præstolari, ut cum illa facta uiderint, tunc sciant Antichristũ (id est, hominẽ peccati, & filiũ perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat) esse uenturum. Nisi, inquit, uenerit discessio primùm, ut omnes gẽtes quæ Romano imperio subiacent, recedant ab eis: & reuelatus fuerit, id est, ostensus, quẽ omnia prophetarũ uerba prænunciant, homo peccati, in quo fons omniũ peccatorũ est, & filius perditionis, id est diaboli (ipse enim est uniuersorũ perditio, qui aduersatur Christo, & ideo uocatur Antichristus, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, ut cunctarũ gentiũ deos, siue probatã omnẽ & uerã religionẽ suo calcet pede: & in templo Dei, uel Hierosolymis, ut quidã putant, uel in Ecclesia, ut uerius arbitramur, sederit, ostendens se tanquã ipse sit Christus & filius Dei) nisi, inquit, fuerit Romanũ imperiũ ante desolatũ, & Antichristus præcesserit, Christus non ueniet: qui ideo ita uentutus est, ut Antichristũ destruat. Meministis, ait, quod hæc ipsa quæ nunc scribo per epistolã, cũ apud uos essem, præsenti sermone narrabã: & dicebã uobis, Christũ nõ esse uenturũ, nisi prœcessisset Antichristus. Et nunc quid detineat scitis, ut reueletur in suo tempore: hoc est, quæ causa sit, ut Antichristus in præsentiarũ non ueniat, optimè nostis. Nec uult apertè dicere, Romanũ imperiũ destruendũ: quod ipsi qui imperãt, æternũ putãt. Vnde secũdũ apocalypsim Iohannis, in fronte purpuratę meretricis, sicut scriptũ est, nomẽ blasphemiæ, id est Romæ æternæ. Si enim apertè audacterq; dixisset, Non ueniet Antichristus, nisi prius Romanum deleatur imperiũ: iusta causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam cõsurgere uidebatur. Quodq; sequitur,

Iam

Iam enim mysterium operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus: hunc habet sensum. Multis malis atque pec catis, quibus Nero impurissimus Cæsarum mundū premit, Antichristi parturitur aduē tus: & quod ille operaturus est postea, in i sto ex parte completur: tantum ut Roma num imperium, quod nunc uniuersas gen tes tenet, recedat, & de medio fiat: & tunc Antichristus ueniet, fons iniquitatis. quem Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui: diuina uidelicet potestate, & suæ maiestatis imperio: cuius iussisse, fecisse est: nō in exer citus multitudine, nō in robore militū, non in angelorum auxilio: sed statim ut ille adue nerit, interficietur Antichristus. Et quomo do tenebrę solis fugātur aduentu: sic illustra tione aduentus sui eum Dominus destruet atque delebit. Cuius opera, satanæ sunt ope ra. Et sicut in Christo plenitudo diuinitatis fuit corporaliter: ita et in Antichristo omnes erunt fortitudines, & signa, & prodigia, sed uniuersa mendacia. Quomodo enim signis Dei, quæ operabatur per Moysen, magi suis restitere mēdacijs, & uirga Moysi deuorauit uirgas eorū: ita mendaciū Antichristi, Chri sti ueritas deuorabit. Seducētur aūt eius mē dacio, qui perditioni sunt pręparati. Et quia tacita quæstio poterat cōmoueri, Cur enim cōcessit Deus omnem eum habere uirtutē, si gna, prodigia, per quæ seducantur, si fieri po test, etiā electi Dei: Solutione præuenit quæ stionem: & quod opponi poterat, antequam opponatur, absoluit. Faciet (inquit) hæc om nia, non sua uirtute, sed cōcessione Dei, pro pter Iudæos: ut qui noluerunt charitatē reci pere ueritatis, hoc est spiritum Dei per Chri stum: quia charitas Dei diffusa est in corda credentiū. Et ipse dicit: Ego sum ueritas. De quo in Psalmis scriptum est: Veritas de terra est orta. Qui ergo charitatē et ueritatem non receperūt, ut Saluatore suscepto salui fierēt: mittet illis Deus nō operatorē, sed ipsam o perationē, id est fontem erroris, ut credant mendacio: quia mendax est ipse, & pater e ius. Et siquidē Antichristus de uirgine natus esset, & primus ueniisset in mundū, poterant Iudęi habere excusationē, et dicere, quòd pu tauerint ueritatē, & idcirco mendacium pro ueritate susceperint. Nunc autem ideo iudi candi sunt, imò proculdubio condemnādi, quia Christi ueritate cōtempta, postea men dacium, id est Antichristum susceperunt.

Idem in cōmentarijs in Danielē: In cōsum matione mūdi, quando regnū destruendum est Romanorū, decē sunt futuri reges, qui or bem Romanū inter se diuidant: et undecim⁹ surget rex paruulus, qui tres reges de decem regib. superabit, hoc est, Ægyptiorū regē, & Aphricæ, & Æthiopię. Quibus interfectis, e tiam septē alij reges uictori colla submittēt. Et ecce, ait Daniel cap 7, Oculi quasi homi nis, &c. Ne eum putemus, iuxta quorūdam opinionē, uel diabolū esse, uel dæmonē: sed unū de hominibus, in quo totus sathanas ha bitaturus sit corporaliter. Et os loquēs in gentia. Est enim homo peccati, filius perdi tionis, ita ut in templo Dei sedere audeat, fa ciens se quasi Deum. Et in eundē: Prælia bitur Antichristus contra sanctos, & superabit eos, in tantamq; erigetur superbiā, ut leges Dei & ceremonias mutare conetur, & eleue tur supra omne quod dicitur Deus, religio nem cunctam suę subijciēs potestati. Et in caput 11 Danielis: Simulabit castitatē, ut plu rimos decipiat: quos terrore non quiuerit, subiugabit auaritia. Multæ ei uel urbes uel prouinciæ daturæ sunt manus. Tribus & se mis annis, hoc est, mille ducentis nonaginta diebus, sanctos persecutur⁹ est, et postea cor ruiturus in monte inclyto & sancto.

Ephrem sermone de Antichristo: Loquar de Antichristo teterrimoq; dracone, qui tur baturus est omnē sub cœlo regionē, iniectu rusq; formidinē & contemptū, horrēdamq; perfidiā in cordib. hominū, faciēs signa & ꝓ digia atq; ostenta, ut si fieri posset, in errorē etiā electos inducat, omnesq; seducat fallaci bus signis, ꝓdigiorumq; miraculis, quę ab il lo fient, secundū ꝓmissionē sancti Dei. Accipiet enim potestatē fallendi pręstigijs mun dū. Item: Draco iste futurus est scelestus, a trox, impurus, subdolus, humani generis te terrima pestis. Sanctis tamē maximè uiris a trocior infestiorq; imminebit, qui illius ar tes uincere poterūt, pręstigias nudare, figmē ta detegere. Item: In hoc habitu ueniet im pur⁹ latro. Vt enim omnes fallere possit, fal sus atque falsiloquus, humilē se simulabit & blandū, iniusticiā aspernantē, fugientē idola, pręferentē pietatē, benignū, pauperē, studio sum, speciosum ultra omnē admirationē, pla cidū, hilarē ad omnes: honorabitq; præcipuè supra modū Iudæorū gentem, ipsi quippe il lius pręstolātur aduentū. Inter hæc omnia si gna faciet portēta atq; terrores, summa cum potestate. Placere omnib. nitetur astut⁹, ut ci tò à populis ambiatur, ameturq; Itē: Postq impleti fuerint tres & semis anni scelesti il lius imperij & operationis Antichristi, cum scādala omnia totius terræ consummata fue rint, sicut diuino ore Dei & Saluatoris nostri prædictū est: ueniet iam ut fulgur de cœlo, &c. terribilis & glorioſus Deus noster, &c.

DE PHILOSOPHIA, ASTRONOMIA, *Astrologia, Magia.*

DE his extant seculi huius testimonia hæc. Lactantius lib. 3, cap. 17: Diabolo rum inuenta sunt, Astrologia, & aruspicina,

& auguratio, & ipsa quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, & quicquid præterea malorum exercent homines uel palàm uel occultè: quæ omnia per se falsa sunt. Et Basilius inquit in Hexamero: Necessariæ profectò sunt luminariũ in hominum uita significationes. Namq; si non ultra modum signa quispiam, quæ ab ipsis proficiscuntur, exploret, utiles ipsorũ obseruationes eas inuenerit, quas experientia longa probauit. Complura sanè cuiq; de imbribus, cõplura de siccitatibus, cõplura de flatuum agitationibus, aut in parte, aut in uniuerso, uehemẽtioribus ac leuioribus discere licet. Nam & unum quid eorum quæ à sole ostenduntur, Dominus nobis tradidit hisce uerbis: Hodie tempestas erit, rutilat enim triste cœlũ. Sic quoq; scribit Gregorius Nazianzen⁹ ad Gregorium Nyssenũ, epistola trigesimaquinta: Hæc duo philosophia nouit, & reb⁹ rectè habentibus modestè uti, & calamitatem honestè ferre. Et in oratione de funere Cæsarij fratris: Sanè ex Geometria & Astronomia, nec non alijs disciplinis periculosis id solum elegit, quod utile erat: nẽpe ut ex harmonia perpulchra, & ordine cœlesti laudaret creatorem. Quicquid uerò ex illis nociuum esse uidebatur, ab illo declinabat. Haud enim astrorum motui siue præsentia siue futura adscribebat, eorum instar qui creaturam conseruam suam super creatorem statuunt. At ipse omnia, quemadmodũ decebat, attribuebat Deo, ac præcipuè cursum illum cœlestẽ. Idem in oratione secunda in famatrice in Julianũ, improbat ex astrorũ motu natiuitates & accidẽtia cõnectere, ac dicit astrologos mali gratia stellas cognoscere, & Deos efficere.

Huc spectat & Arnobius lib. 2. contra gentes: Vos humano in genere bonos esse dicitis uiros, qui ut esse credantur, cõparatio forsitan efficiat pessimorum. Qui nam sunt isti? dicite philosophi. credo, qui se esse solos sapientissimos autumãt, & ui huius nominis supercilium sustulerunt. Item aliquanto pòst, philosophos causas rerum ignorare disputat. Aliquanto uerò antè, philosophorũ placita nihil certi habere: Ipsi deniq;, inquit, principes et prędictarum patres sententiarũ, nonne ipsa ea quæ dicunt, suis credita suspicionibus dicunt? Et Lactantius lib. 3, cap. 13 inquit: Quoniam philosophos errasse docui, qui summum bonum, cuius capiẽdi gratia generati sunt, non compræhenderunt, apparet falsam & inanem esse philosophiam: quia nec instruit ad iusticiæ munera, nec officium hominis, rationemq; cõfirmat. Sciant igitur errare se, qui philosophiam putant esse sapientiã. Et lib. 7, cap. 2: Omnes philosophiæ sectas alienas esse à ueritate necesse est, quia homines erãt qui eas cõstituerunt, nec ullum fundamentum aut firmitatẽ possunt habere, quæ nullis diuinarum uocũ fulciuntur oraculis. Et lib. 3. de falsa sapientia, cap. 2: Ego ne studiosos quidẽ sapientię philosophos esse cõcesserim, quia illo studio ad sapientiam non peruenitur. Nam si facultas inueniẽdæ ueritatis huic studio subiaceret, & si esset id studium tanquam iter ad sapientiam, aliquando esset inuenta. Cum uerò tot temporibus, tot ingenijs in eius inquisitione contritis, non sit cõprehensa, adparet nullam esse ibi sapientiam.

Athanasius de humanitate uerbi: De Græcanica sapientia, philosophorumq; grandiloquentia, neminem arbitror uerba requirere, cum in oculis sit ipsum miraculũ. Tot enim tantisq; à Græcorũ philosophis uoluminibus scriptis, ne paucos quidẽ uel ex proximis locis adducere potuerunt, ut sua de immortalitate animæ dogmata, & placita de uita secundum uirtutẽ instituenda, amplecti uellẽt. Solus Christ⁹ uilib. citra ullã magnificentiã uerbis, ac per homines nequaq; eruditæ linguę, in orbe terrarũ plurimis ecclesijs id pśuasit.

Et Basilius in Hexamero inquit: Sed homines ij qui septa transiliunt, patrociniũ defensionemq; sideralis scientiæ, qua ex hominis natiuitate pleraq; diuinãt, hanc trahere sententiã scripturæ conãtur. Atq; aiunt uitã nostrã humanã à cœlestiũ corporũ motione pendere, & hãc ob causam ex siderib. à Chaldæis eorũ notationes effectuũ, qui nobis accidunt, fieri, sermonemq; simplicẽ hunc scripturæ (Sint, inquã, in signa) nõ eorũ quæ accidãt aëri, neq; mutationis temporũ, sed sortis hominum uitæ, ita prorsus, ut opinãtur, eisq; placet, intelligũt. Quid enim aiũt? Stellarũ meantiũ cum ijs siderib. nexũ, quę signifero in orbe sunt collocata, si talis figuræ cõcursus eorũ fuerit, tales ortus hominũ agere: sin talis, cõtrariã ortus uitæq; sortẽ efficere. De quib. si parumper differuerimus, haud ab re forsan fuerit, parum altius diluciditatis causa principio sumpto. Dicam aũt nihil ex me ipso sanè, sed illorũ ipsorũ ad illos redarguendos sententijs utar. Hinc enim occupatis iam hoc morbo remediũ, cæteris ne similes in errores incidãt securitas afferetur. Autores dictæ facultatis ac inuẽtores, cũ in temporis amplo spacio cõplures figuras suã ipsorum cõscientiã fugere percepissent, in angustũ admodũ temporis cõtraxêre mẽsuras, ut minutissimo quoq; & subitaneo articulo, quale est quod Apostolus dicit, In puncto temporis, in momento oculi, plurimũ differentiæ sit inter natiuitatem & natiuitatẽ. ut is quidem qui hoc in momento genitus est, tyrannus sit, ciuitatum populorumque princeps, locupletissimus, præpotens: is aũt qui natus est temporis sequenti momento, pauper

pauper quidem, inops, peregrinus, ex oſtijs oſtia petens, quotidiani conſequendi cauſa uictus. Quamobrem eo orbe qui Signifer appellatur, duodecim in parteis diuiſo, cũ in triginta dierum ſpacio partem ſol eius globi tranſeat duodecimam, quem inerrantem appellant, triginta in portiones ſingulas illas duodecim parteis ſecuerunt. Tum ſingulis portionibus illis in ſexaginta minuta diuiſis, minuta hæc ſingula rurſum in alia ſexaginta modo ſimili diuiſere. Poſito igitur eni xu, uideamus obſecro, ſi hanc exactiſsimam temporis diuiſionem autores hi ſibi ualeant conſeruare. Nam ſimulatq; nata eſt editaq; in lucẽ proles, mas an fœmella ſit obſtetrix illam explorat: tum uagitum expectat infantis, nimirum indicium uitæ: quot hoc tempore uis ſexageſima præterijſſe minuta? Dicit obſtetrix deinde Chaldæo partum qui editus eſt: quot minutiſsima momẽta uis, interea dum obſtetrix loquitur, prætercurriſſe? præſertim ſi fortefortuna fuerit non in cõclaui Chaldæus ille pręſens, ſed in ædium atrio aut ueſtibulo, tempus horamq; reponens. Et cum qui definiturus eſt diligenter tempus ac horam, exploratoria nimirum horarum percipere, ſiue diurna ſint, ſiue nocturna, oporteat: quot minutorum hoc quoque tempore, quæſo, peruolat pręteritq; examẽ? Compertam enim eam eſſe ſtellam, qua tempus horaq; ſit exploranda, non ſolum quanta in partu ſit duodecima, ſed etiam quam in duodecimæ portione partis, in quotoq; minuto eorum inquam, in quæ diuidi diximus portionẽ: aut ut exactiſsimè cõperiatur, quãto in ſexageſimo eorum quæ ſibi diuiſa ſunt ſingula ſexageſima illa prima, neceſſe eſt. Atque hanc tamen adeò tenuem ſubtilemque temporis inuentionem, quanquam attingere nequeunt, ſingulis in ſtellis errantibus faciendam eſſe neceſſariò dicunt, ut qualẽ adhærentes cœlo ſtellæ ipſæ diſpoſitionem haberent, qualisq; ipſarum eſſet inter ſeſe figura, cum in lucem ederetur fœtus, cõpertum ſit tandem, ac exploratum. Quæ cum ita ſint, ſi fieri non poteſt ut tempus illud exactiſsimè quiſquam attingat, uariationeq; temporis ſit, ut tota uia penitus aberretur, deridendi profectò non mediocriter eſſe uidentur, tam ij qui ſtudio huius indulſerũt artis quã in ratione rerum non eſſe cõſtat, quàm ij qui hiantes ab illorũ ore pendent intenti: perinde quaſi omnia illi ſcire poſsint, quæ ipſis ſunt euentura.

Ambroſius ſermone uigeſimoſecundo, in pſalmo centeſimo decimooctauo: Poſtremò circa elemẽta mundi, phalerata magis quàm uera ſapientia: ut eſt philoſophia omnis, quę aliena quærit, cum ſua neſciat: ſcrutatur cœli plagas, mundi ſpacia rimatur, quæ ſibi prodeſſe non poſſunt: Deum ignorat, quem ſolum deberet inquirere. Ideo uerus ſapiens dicit: Si quis uidetur ſapiens eſſe inter uos in hoc ſeculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens. Sapientia enim huius mũdi, ſtulticia eſt apud Deũ. Elaborãdum eſt igitur, ut in hoc ſeculo ſtulti ſimus, nihil nobis cum philoſophia, ne fidem noſtram per elementa mundi huius traducat à uero, ne quis aſſertionem noſtram per philoſophiam deprædetur. Sic enim Arianos in perfidiã ruiſſe cognouimus, dum Chriſti generationem putant uſu huius ſeculi colligendam. Reliquerunt Apoſtolum, ſequuntur Ariſtotelem. Reliquerunt ſapientiam quæ apud Deum eſt, relegerunt diſputationis tendiculas, & aucupia uerborum ſecundum dialecticæ diſciplinã: cum clamet Apoſtolus, Ne quis uos deprædetur per philoſophiam, & inanem ſeductionem. Et libro quarto in Hexameron, capite quarto: Nonnulli natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus ſit unuſquiſque qui natus ſit: cum hoc non ſolùm uanum, ſed etiam inutile ſit quærentibus, impoſsibile pollicentibus. Et aliquanto pòſt: Conſideremus quòd planetas illa ſigna appellant, quorum motibus formari aſſerunt uitæ noſtræ neceſsitates. ſiue igitur, ut nomen ſonat, ſemper uagantur: ſiue, ut ipſi dicunt, quòd concito motu ferãtur, & decies millies in die, aut ſi hoc incredibile uidetur, multiplicem ſpeciem innumera ſui conuerſione commutent, fide caret quòd tam uago ſui errore, & tam celeri motu, fixam nobis atque immobilem uiuendi ſubſtantiam, ſortemque decernant. Item: Itaque uos quia ualidiores eſtis, cum uideritis Mathematicos, dicite: Telam araneæ texunt, quæ nec uſum aliquem poteſt habere, nec uincula, ſi tu non quaſi culex aut muſca lapſu tuæ infirmitatis incurras, ſed quaſi paſſer aut colũba caſſes inualidos præpetis uolatus celeritate diſſoluas. Etenim quis prudentum credat, quòd ſignorum motus, qui ad diem ſæpe mutãtur, & multipliciter in ſe recurrunt, inſignia deferant poteſtatum? De eadem re diſſerit Epiphanius lib. primo, tomo primo, hæreſi decimaſexta: Hæc non à me dicta ſunt, ut utilitatem doctrinæ eorum qui inconſtantem & inſanam aſtronomiæ ſoliditatem mundo inuexerunt, confirmem. Dictum eſt enim à ueritate, quòd hæc inconſtans eſt & erronea. Dicta item ſunt à nobis multa in alijs locis, ad ſubuertendos eos qui generationem & fatum eſſe putant. Sic & Hieronymꝰ initio capitis decimi Hieremiæ ſcribit: A' ſignis cœli nolite metuere, &c. Pro priè aduerſus eos loquitur, qui uenerantur cœleſtia: & quæ in ſigna ſunt poſita annorum, temporũ, menſium, & dierum, ab his æſtimant

æstimant regi humanum genus, & ex causis cœlestium terrena moderari. Et ad Ctesiphontem, aduersus Pelagianos: Pulchrè quidam nostrorum ait, Philosophi patriarchæ hæreticorum, Ecclesiæ puritatem peruersa maculauere doctrina.

Prudentius cõtra Symmachũ lib. secũdo:

Qui fato putat esse locum, sciat omnipotentem
Esse Deum, nulli uetitum fatalibus astris,
Nec præscripto aliquo pellit pia uota mathesis:
Spirat enim maiora animus, seq; altius effert
Sideribus, transitq; uias & nubila fati,
Et momenta premit pedibus, quæcunq; putantur
Figere propositam natali tempore sortem.

INCLINATIO DOCTRINÆ, complectens peculiares & incommodas opiniones, stipulas & errores doctorum.

DE DEO.

PEriculosè de Deo Lactantius libro primo de falsa religione, capite septimo loquitur: Quia, inquit, fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cœperit: cõsequens est, ut quoniam nihil ante illum fuit, ipse ante omnia, ex seipso sit procreatus, ideoq; ab Apolline αὐτοφυὴς, id est, ex se ortus: à Sibylla αὐτογενὴς, id est ex se genit⁹: & ἀγένητος, ingenitus, & ἀποίητος, id est nõ factus nominatur. Quod Seneca, uir acutus, in exhortationib. uidit: Deus, inquit, ipse se fecit. Nõ sine periculo Lactantius & alij aliquot, hac phrasi usi sunt, Deũ sese ipsum ex se ipso produxisse & generasse, ut libro septimo consequens est: ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus. Et M. Victorinus libro primo aduersus Arianos: Pater deus actione à se sua & sese qui generat, &c.

DE CHRISTO.

Contra illud, Filiũ Dei ab æterno à patre genitũ, Lactantius lib. 4, cap. 6: Deus machinator cõstitutorq; rerum, antequã præclarũ hoc opus mundi adoriretur, sanctũ & incorruptibilẽ & incõpræhẽsibilẽ spiritũ genuit, quem filiũ nuncuparunt. Et quamuis alios postea innumerabiles per ipsum creauisset, quos angelos dicimus, hunc tamen solũ primogenitũ diuini nominis appellatione dignatus est. Et libro eodẽ, cap. decimoquarto: Deus, cum uideret maliciã, & falsorũ deorum cultus per orbẽ terræ inualuisse, ut iam nomen eius ex hominũ memoria fuisset penè sublatum, (siquidẽ Iudæi quoq;, quibus solis arcanum Dei creditũ erat, relicto Deo, ad colenda figmenta, irretiti dæmonum fraudibus, aberrassent: nec increpiti per prophetas, reuerti ad Deũ uellent) filium suũ, principẽ angelorũ, legauit ad homines, ut eos cõuerteret ab impijs & uanis cultibus, ad cognoscendum & colẽdum uerum Deũ. Item ut eorum mentes à stultitia ad sapientiam, ab iniquitate ad iusticiæ opera traduceret. Hæ sunt uiæ Dei, in quibus ambulare eum præcepit: hæc præcepta, quæ seruanda mandauit. Ille uerò exhibuit Deo fidem. docuit enim, quòd unus Deus sit, eumq; solum coli oportere. nec unquã se Deũ esse dixit: quia non seruasset fidem, si missus ut Deos tolleret, & unum assereret, induceret aliũ præter unum. Hoc erat non de uno Deo facere prẽconium, nec eius qui miserat, sed suum proprium negocium gerere, ac se ab eo quem illustraturus uenerat separare. Propterea quia tam fidelis extitit, quia sibi nihil prorsus assumpsit, ut mandata mittentis impleret, & sacerdotis perpetui dignitatem, & regis summi honorem, & iudicis potestatem, & Dei nomen accepit. Hæc certè ita à Lactantio dicuntur, ut à tetra hæresi nõ uideantur abesse. Et libro eodẽ, cap. 7, 8, & decimotertio, singulari opinione dixit, Christũ natũ esse patris prolatione. Sic enim cap. octauo inquit: Meritò sermo et uerbum Dei dicitur, qui procedentẽ de ore suo uocalem spiritũ, quem nõ in utero, sed mente cõceperat, inexcogitabili quadã maiestatis suę uirtute ad effigiem, quæ proprio sensu ac sapientia uigeat, compræhendit. Et cap. 13. Factus est Dei filius per spiritum, &c. Et libro eodẽ, cap. uigesimo ait: Christum in Galileã profectum, noluisse se Iudęis ostendere, ne eos ad pœnitentiam adduceret. Et in eodem, capite decimooctauo, negat Pilatum sententiã in mortem Christi protulisse. Item in eodẽ, capite decimoquinto, opinio est, quòd Christum affirmat in adolescentiæ principio à Ioanne esse baptizatum. Et libro septimo, capite uigesimotertio, dicit Christum ante diẽ iudicij uenturum è cœlo, et cum Antichristo conflicturum: qua opinione duos aduentus Christi nimiũ propinquos uidetur adserere.

Hilarius libro decimo de Trinitate, negat in Christi humanitatem quicquam naturæ infirmæ potuisse cadere: adeò ut & sine dolore passum eũ esse asseueret, totiusq; passionis & fidei mysteriũ in cœna paschali fuisse consummatũ. Idem sentit libro de Synodis, pagina 304. Et in Matthæum, canone 31, affirmat filiũ Dei secundũ diuinam naturã non esse passum, nec mœstũ fuisse: ex quo eò prolabitur, ut dicat Christum mortem timuisse propter apostolos & discipulos suos, ne se Deum abnegarent, quẽ cæsum & cõsputũ & crucifixum contemplaturi essent.

Athanasius in Euangelio de passione & cruce Domini, sentit, Dominũ, cũ diabolum (quia iam Christum Deum cognouerat) fugam adornantem conspiceret, metuentem ne fuga elaberetur, uoces humanas emisisse, et uoces imbecillitatis simulasse, dicentem, Heli, Heli, lama zabathani, &c.

Epipha-

Epiphanius in Ancorato: Qui prędixit, & propter hoc ipsum uenit, quomodo postea precatur, ut transeat poculum, ne bibat? Sed prouocat per hunc modum aduersariũ, quo illo opinante timere Saluatorẽ mortem, inducat ipsi mortem ad salutem morientibus per dispensationem. Et libro tertio, tomo primo, est & de filio Dei inusitata phrasis, quia filiũ dicit ex se ipso, ipsum esse habere.

DE SPIRITV SANCTO.

In longa disputatione per aliquot capita libri quarti, Lactantius nunquam meminit spiritus sancti. Et Hieronymus de erroribus Origenis, ad Pammachium & Oceanũ inquit: Lactantius in libris suis, & maximè in epistolis ad Demetrianum, spiritus sancti negat substantiã, et errore Iudaico dicit eum uel ad patrem referri, uel ad filium, & sanctificationem utriusq; personæ sub eius nomine demonstrari. Vnde & Raudensis ait, eum negare substantiam spiritus sancti. Victorinus libro primo aduersus Arium: Non falletur, si quis subintellexerit sanctum spiritum matrem esse Iesu. Quod Victorini dictum, etsi aliqua ratione excusari posset, tamen est alijs doctoribus inusitatum.

DE ANGELIS.

Lactantius lib. 2 de origine erroris, capite decimoquinto, de angelis absurdè loquitur: Prouidens Deus ne fraudibus suis diabolus uel corrumperet uel dispergeret homines, misit angelos ad tutelã cultumq; generis humani. Quibus præcepit ante omnia, ne terrę cõtagione maculati, substantię cœlestis amitterent dignitatem: scilicet id eos facere prohibuit, quod sciebat esse facturos, ut ueniam sperare nõ possent. Itaq; illos cum hominib. cõmorantes, dominator ille terræ fallacissimus, cõsuetudine ipsa paulatim ad uitia pellexit, et mulierũ cõgressib. inquinauit. Tum in cœlum ob peccata quib. se immerserãt nõ recepti, ceciderũt in terrã: sic eos diabolus ex angelis Dei, suos fecit satellites ac ministros.

Athanasius contra Arianos in concilio Nicæno affirmat, omnibus angelis spiritũ sanctum adesse: & in spiritus sancti absentia eos sanctos non esse, sed administros peccati.

Ephrem in libro de spirituali luctamine, angelos et archangelos cũ gaudio orationib. piorũ occurrere affirmat: illisq; ineffabilẽ læ titiã esse, sanctorũ orationes purissimas Deo afferre. Quomodo & Hilarius ait in caput decimũoctauũ Matthæi: Saluatorũ per Christum orationẽ angeli quotidie Deo offerũt.

Est etiã opinio singularis, quòd Dionysius de hierarchijs & ordinib. angelorũ multa nugatur in libro de cœlesti hierarchia: Omnes, inquit, cœlestes essentias Theologia noua uocauit. Has diuinus noster sanctus pfector, in tres segregat ternas dispositiões. Prima est circa Deũ existẽs semper & attentè, Throni sanctissimi, Cherubin, Seraphin. Secũda est ex potestatibus, dominationib. & uirtutib. cõpleta. Tertia angelorũ, archangelorum, & principatuũ. In eadẽ, de singulis illis, nugas extra scripturæ reuelationẽ coaceruat multas. Item de uirtutibus, de archangelis, &c. Quamuis & Athanasius, sine dubio ab Origene seductus, in sermone de cõmuni essentia patris & filij & spiritus sancti, de ordinib. angelicis quędã quasi ex professo retulit. Quia ipsi, inquit, ordines & milites denominãtur, restat ut ordinẽ distinguamus, in ordinẽ docentiũ, permittentiũ, puniẽtium, eorũq; qui animab. gratificantur, & qui apud homines permanent. Et quemadmodũ discrimẽ ordinis in supernis potestatib. cognouimus, ita quoq; stationis & scientiæ discrimina sunt, Throni scilicet, Cherubin & Seraphin, qui cõtinuò & sine ullo mediatore aut interprete à Deo cõdiscunt, utpote cęteris sublimiores, & Deo propinquiores: & ab ijs eruditur inferiores ordines, atq; ita deinceps cæteri p̃ suo gradu. postremi aũt omniũ sunt angeli, qui & hominũ pædagogi sunt cẽsendi.

DE ANGELIS MALIS.

Lactantius lib. 2, cap. 15, affirmat, Deum ab initio diabolo terræ potestatẽ dedisse. Item: Qui sunt ab angelis concupiscentia mulierũ lapsis p̃creati, neq; angeli neq; homines fuerunt: sed mediã quandã naturã gerentes, nõ sunt ad inferos recepti, sicut in cœlum parentes eorũ. Ita duo genera dæmonũ facta sunt: unum cœleste, alterum terrenum. Et lib. 7, cap. 24, de captiuitate diaboli per mille annos, quibus corporale cum sanctis regnum Christus habiturus est: Sub id tẽpus, inquit, etiam princeps dæmonum, qui est machinator omnium malorum, uincietur cathenis, & erit in custodia mille annis cœlestis imperij, quo iusticia in orbe regnabit, ne quid malum aduersus populum Dei moliatur. Item libro secundo, capite decimosexto, Deo partem mundi orientalem attribuit, propter solem in ea parte orientem: diabolo uerò occidentalem, quia in ea sol occidat.

Opinio singularis est, quòd Athanasius de salutari aduentu Christi ait: Diabolus non contra deitatem Christi, cuius ignoratione tenebatur, bellum suscepit: nunquam enim tantæ audaciæ fuisset. ideoq; ab illo dictum est, Si tu es filius Dei. sed aduersum hominẽ hostilia tentauit, quẽ antea deceperat: eoq; decepto, in omnes homines maliciam suam propagauit.

DE HOMINE.

Lactantius libro secundo, capite decimotertio, incommodè ait, Deum ex rebus diuersis & repugnantibus hominem fecisse, & has inter se pugnare in homine præcẽ-

piſſe,ut ſi anima ſuperauerit,quæ ex Deo oritur,ſit immortalis,& in perpetua luce uerſetur:ſi autem corpus animam uicerit,ditioniq; ſubiecerit, ſit in tenebris ipſa ſempiternis,& in morte.

DE LIBERO ARBITRIO.

Patres omnes ferè huius ætatis, de libero arbitrio cõfuſè loquuntur,ſic ut aliàs homini integrum etiam poſt lapſum relinquant, aliàs adimant, cõtra manifeſta ſcripturæ ſanctæ teſtimonia.

Affirmat & Lactantius libro ſeptimo, capite decimoquarto, hominem adipiſci immortalitatem proprijs uiribus.

Athanaſius contra Gentes, liberum arbitrium ita adſerit: Anima condita eſt libera, poteſtq; bona, ut eligere, ita & auerſari. Agnoſcens arbitrij ſui libertatem, conſpicit ſe poſſe in utramque partem membris corporis uti, ſiue ad ea quæ ſunt, ſiue ad ea quæ non ſunt.

Baſilius contra Eunomium libro tertio: Creatura ita comparata eſt,ut uirtutis & diuinę dilectionis præmium ſanctificationem habeat: quoniam natura utitur libera, ut ad utrumlibet poſsit inclinari,ad electionẽ ſcili cet boni & peioris.

Nazianzenus oratione dicta in præſentia fratris Gregorij: Nos quoq; coronæ fiamus participes, & eiuſdem gloriæ hæredes, cùm hæc in noſtra ſit poteſtate,&c.

Epiphaniꝰ libro primo, tomo primo: Manifeſtum eſt,clarumq;,ac minimè ambiguũ, quòd liberum arbitriũ exhibuit nobis Deus, per ſeipſum locutus,ſi uolueritis & nolueritis. Quare circa hominem eſt, bona operari, aut malas res appetere.

Hieronymus in epiſtola ad Demetriadẽ: Omni ætati, omniq; perſonæ libertas arbitrij relicta eſt. Non cogo, non impero: ſed propono palmam,oſtẽdo præmia: tuum eſt eligere, ſi uolueris in agone atq; certamine coronari. Et libro tertio commentariorum in Eſaiam: Hæc uniuerſa dicuntur, ut liberum arbitrium monſtraretur. Dei enim uocare eſt, & noſtrũ credere. Nec ſtatim ſi nos non credimus,impoſsibilis Deus eſt:ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio derelinquit,ut iuſtè uoluntas præmium conſequatur.

Gregorius Nyſſenus de libero arbitrio ca. 2.Summatim omnia quæ per nos uoluntariè geruntur,in nobis eſſe aſſerimus.Nequaquam enim uoluntariè geri diceretur, actione in nobis non exiſtente. & ſimpliciter, ea quæ uituperatio uel laus ſequitur,& in quibus eſt admonitio atq; lex.Principaliter autem in nobis ſunt omnes animæ actiones,et ea de quibus conſultamus. Atq; hæc in nobis ſunt,quæ ſimiliter contingunt: puta moueri et non moueri impetu,ire & non ire,nõ cõcupiſcere neceſſaria & concupiſcere, mentiri & non mentiri, dare & non dare, lætari in quibus oportet & non lætari: & quæcunque talia, in quibus conſiſtunt uirtutis & uitij opera. Hæc enim ſunt in noſtro libero arbitrio. Præterea de numero eorum quæ ſimiliter contingunt: ſunt autem artes,&c.

DE PECCATO.

Lactantius libro ſexto, capite decimotertio: Si aliquis purificatus fuerit ab omni labe peccati, temperandum ſibi ab opere largitionis ne exiſtimet, quia non habeat peccata quæ deleat. Et in eodem incommodè dicit,capite uigeſimoquinto: Vt ſit Deo carus,omniq; macula careat,miſericordiã Dei ſemper imploret,nihilq; aliud precetur, niſi peccatis ſuis,Vtinam licet nulla ſint. Et in eodem libro,capite decimotertio,ueniam illum habere negat,qui ſciens peccat.

DE IVSTIFICATIONE.

Lactãtius libro ſeptimo,capite uigeſimoſeptimo, aſſerit Deum dare nobis æternam ſalutem propter uirtutes noſtras,labores,ęrumnas,tormenta,&c. Et in Epitome diuinarum inſtitutionum:Si,ut debet,ſtatum ſuum,quem rectum rectè ſortitus eſt,promptè conſtanterq; defenderit: ſi terræ, quam calcare ac uincere debet,non ſeruierit,uitam merebitur ſempiternam.

Incommodè dixit Nilus in Gnomis: Si potus aquæ frigidæ iuſtificat miſericordem, quam retributionem pauperibus denegantem manere exiſtimas? Verùm iuſtificare hic nõ ſignificat fortè remiſsionẽ peccatorũ.

Chromatius in cõcione de beatudinibus, uoluntariæ paupertati tantum tribuit, ut diuitias cœleſtis regni meritò adſequatur.

Ephrem libro de uera pœnitentia, capite primo: Quid prodeſt ſi habeamus omnia,ſola autem nos ſaluante caritate careamus?

Hieronymus in tertiũ caput ad Galatas, ſentit, Cornelium ſpiritum ſanctũ accepiſſe per opera legis naturalis: & per eam quoque Abraham, Moſen & cæteros ſanctos iuſtificatos eſſe. Et libro octauo commentariorum in Eſaiam: Non ſufficit murum habere fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur. Et libro commentariorum in Danielem: Cum Daniel præſcius futurorũ,de ſententia Dei dubitat, (Danielis 4.) dicens, Forſitan ignoſcet Deus delictis tuis: rem temerariam faciũt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur. Et tamen ſciendum, quod ſi Nabuchodonoſor bona opera facienti uenia repromittitur: multo magis alijs promittitur, qui leuiora peccata commiſerunt.

DE BONIS OPERIBVS.

Lactantiꝰ libro tertio,capite nono,ait hominem tueri ac conſeruare iuſtitiam bonis operi-

operibus: Seruire, inquit, Deo nihil aliud est, q̃ bonis operibus tueri & cõseruare iusticiã.

Gregorius Nyssenus oratione secunda de amandis pauperibus, bona opera, timorem, celebrationem, laudẽ Dei, beneficentiã, misericordiam erga pauperes, &c. uocat partes iusticiæ.

Hilarius in Matthæum, capite septimo: De nostro est beata illa æternitas promerenda, prẽstandumq; est aliquid ex proprio, &c. Et in prolegomeno explanationis in Psalmos: Prius in bonis operibus uiuendum est, ut perfecta possit ea quæ deinceps succedit diuini sacramenti esse cognitio: secundũ id quod dictũ est, Desiderasti sapientiã, serua mandata: Dominus præstabit tibi eã. Prẽstat ergo Dominus sapientiã his, qui per meritũ operum, gratiã intelligentię consequuntur.

Nazianzenus oratione de pauperum cura: Eleemosynis & fide purgantur peccata. Misereſcendo igitur purgemur, pulchra hac herba animæ abstergamus sordes & inquinamenta, dealbemurq;, hi quidem uelut lanã, alij autem tanquam nix, quisque iuxta misericordiæ suæ modum.

Ambrosius libro decimo Epistolarũ, epistola octogesima secunda: Quæ nobis salus esse potest, nisi ieiunio eluerimus peccata nostra? cum Scriptura dicat: Ieiuniũ & eleemosyna à peccato liberat. Qui sunt ergo hi præceptores noui, qui meritum excludunt ieiunij? Nonne gentilium uox ista est, dicentiũ, Manducemus & bibamus? &c.

Sed inter omnia opera, electitijs plurimũ hæc ætas tribuit. Sic enim ait Theophilus Alexandrinus libro tertio Paschatis: Hi qui ieimia, id est angelicam conuersationẽ in terris inuitãtur, per continentiã breui & paruo labore magna sibi & æterna cõciliãt prẽmia.

Ephrem libro de beatudine animæ, capite secundo: Castitas, continẽtia, humilitas, obedientia, cęteręq; uirtutes animę pennę sunt, quibus ad Deum subuolat. Et in libro de extremo iudicio, capite primo: Nihil nobis prodesse poterit in illa iudicij die, nisi conuersatio sancta & bona opera, quæ hinc detulerimus nobiscum. Et sermone de uirginitate: Vis esse templum Dei castum, sanctum & immaculatum? Fac habeas illius imaginem in corde tuo iugiter. Dei uerò imaginẽ dico, non colorum uarietate in ligno aut alia materia deformatam: sed illam intelligo imaginem Dei, quæ per bona opera, uidelicet ieiunia, continentiam, rectè facta, uigilias, orationesq; purè ac iugiter pingitur. Porro colores imaginis cœlestis Domini, uirtutes sunt, & cogitationes mundæ, nuditas q; terrenarum omnium rerũ. Iam cogitet pius lector, quàm procul hæc ætas, in hoc articulo, de Apostolorum doctrina desciuerit.

DE POENITENTIA.

Poenitentiam hæc ætas, ut ferè & superiores, neq; rectè definijt, neq; partes eius satis explicauit. Imò nec de fide, necessaria pœnitẽtiæ parte, propemodũ aliquid habet: quemadmodũ ex testimonijs sequẽtib. cõstabit.

Contritionem mereri remissionem peccatorum, Ephrem libro secundo de cõpunctione cordis, cap. tertio docet. Quis nõ admiretur, inquit, quia per lachrymas huius breuissimi temporis peccata dimittit, & ipsa undecima hora miliũ nos uulnerũ labe sauciatos per lachrymas sanat? Et rursum: Cũ sanauerit, mercedem conferet lachrymarum?

DE SATISFACTIONE.

Hilarius in Psalmo centesimo decimooctauo: Exitus aquarũ transierunt oculi mei, &c. Hæc pœnitentiæ uox est, lachrymis orare, lachrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere, Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratũ meũ rigabo. Hæc uenia peccati est, fontem fletus flere, & largo lachrymarũ imbre madefieri.

DE COENA DOMINI.

Incommodè dictum est, quod citatur ex Athanasij libello de Christi imagine, oblato patribus congregatis apud Cæsaream Cappadociæ: in quo expresse negat, ex carne & sanguine Christi aliquid in mundo inueniri, nisi illud quod in ara altaris per manus sacerdotum quotidie spiritaliter efficitur.

Est & phrasis noua apud Nazianzenũ, in inuectiua prima in Iulianum: Mox incruenti sacrificij oblatione manus commaculat. Quemadmodum & illa, in oratione super funere sororis suæ, ubi cœnam Domini, corporis & sanguinis Christi uocat subexemplar.

Autor precationis primæ, præparantis Missam, apud Ambrosium (nam Erasmus nõ esse Ambrosij censuit) Propter magnam clementiã tuam cõcede mihi hodie, & missarũ solennia semper puro & mundo corde ualeã tibi offerre, &c. Item: Ego enim Domine memor uenerandæ passionis tuæ, accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offerã tibi sacrificiũ, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in cõmemoratione tui pro salute nostra. Suscipe ergo illud quęso summe Deus, dulcissime Iesu Christe, pro Ecclesia tua sancta, & pro cuncto populo tuo, quem acquisisti sanguine tuo precioso. Et quoniam me peccatorem inter te et eundem populũ mediũ esse uoluisti, licet in me boni operis testimoniũ non agnoscas, officium dispensationis credi tæ non recuses: nec per me indignũ famulũ tuũ, eorũ salutis pereat precium, pro quibus uictima factus salutaris dignat⁹ es esse redemptiõ. profero ego Domine tribulationes plebiũ, pericula populorum, captiuorũ gemitũ, miseriam orphanorũ, &c. Item: Rogamus etiam

etiam te ſancte pater pro ſpiritibus fidelium defunctorum, ut ſit illis ſalus æterna, &c. Et de tranſſubſtantiatione & applicatione pro uiuis & mortuis: Peto Domine clementiam tuam, ut deſcendat ſuper hunc panem & calicem iſtum plenitudo diuinitatis tuæ. Deſcendat etiam Domine illa ſancti ſpiritus tui inuiſibilis forma, & incomprehenſibilis maieſtas, ſicut quondam in patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras corpus & ſanguinem tuum efficiat, & me indignũ ſacerdotem tuum doceat tantũ tractare myſterium, ita ut placidè ac benignè ſacrificium ſuſcipias de manibus meis, ad ſalutẽ omniũ tam uiuorum quàm defunctorum, &c. &: Panis dulciſsime, ſana palatum cordis mei, &c. Panis candidiſsime, habens in te omne delectamẽtum, &c. comedat te cor meũ, &c. Panis ſancte, panis uiue, panis pulcher, panis munde, qui deſcendiſti de cœlo, &c. ueni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, &c. Attamen lib. 5. Epiſtolarum, epiſtola trigeſimatertia, Ambroſius locutionibus de cœna utitur, quibus ante eum ex patribus nemo eſt uſus: ut Miſſam facere, offerre, offerre ſacrificiũ &c.

Gregorius Nyſſenus in oratione Catechiſtica: Rectè nunc etiam Dei uerbo ſanctificatum panem, in Dei uerbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud panis erat potentia: ſanctificatum eſt autem habitatione uerbi, quod in carne habitauit. Itaq; qua ex cauſa panis in eo corpore mutatus in diuinam uirtutem tranſijt, eadem de cauſa nunc etiam fit. Vt enim illic uerbi Dei gratia ſanctum efficit illud corpus, cuius firmamentũ ex pane conſtabat, & ipſum etiam quodammodo panis erat: ſic etiam hic panis, ut ait Apoſtolus, per uerbum Dei & orationẽ ſanficatur, non quia comeditur, eò progrediens ut uerbi corpus euadat: ſed ſtatim per uerbũ in corpus mutatur, ut dictum eſt à Verbo, Quoniam hoc eſt corpus meum.

DE ORATIONE.

Ambroſius petenda eſſe corporalia beneficia ex profeſſo negat. ſic enim ait in enarratione pſalmi centeſimi decimioctaui: Cũ oras, magna ora: id eſt, ea quę ęterna ſunt, nõ caduca: ora quæ diuina ſunt atq; cœleſtia, ut ſis ſicut angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo eſt: noli pro auro, quia metallum: noli pro poſſeſsione, quia terra eſt. Iſta oratio ad Deum non peruenit. Non audit Deus, niſi quod dignum ſuis ducit eſſe beneficijs.

DE INVOCATIONE SANctorum.

Athanaſius de incarnatione uerbi: Si adoras hominem Chriſtum, eo quòd ibi inhabitet Dei uerbum: una opera adora quoq; ſanctos, ob Deũ, qui in illis domiciliũ habet. Mirum autem eſt, tantum Doctorẽ ſic ſcripſiſſe, cum ſit diuerſa ratio. Nam de Chriſto mãdatum Dei extat, de ſanctis uerò non. Et in Euangelio de ſanctiſsima Deipara, inuocationis Mariæ exemplum recitat: Audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui. Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſſima uirgo, quę etiam à partu uirgo permaniſti, & retribue nobis pro exiguis iſtis eloquijs magna dona, ex diuitijs tuarum gratiarũ, tu quæ gratia plena es. Et, Aue gratioſa, Dominus tecum: intercede hera, & domina & regina, & mater Dei, pro nobis. Iſta prorſus idololatriam ſpirant.

Baſilius in oratione in quadraginta Martyres: Paratum eſt hic Chriſtianum auxiliũ, Eccleſia uidelicet martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Sæpe operam dediſtis, ſæpe laboraſtis, ut unum pro uobis orantem inueniretis. quadraginta ſunt hi, unam orationis emittentes uocem. qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat. Et Gregorius Nazianzenus in fine orationis in laudem Baſilij: Tu ſacrum ac diuinũ caput, ex alto nos reſpice: & carnis ſtimulum, inſtructionem noſtram à Deo nobis datam, aut tuis ſiſte precibus, aut fortiter me ferre perſuade, totamq; uitam nobis in melius permuta. Cum uerò emigrabimus, nos ibi tuis excipe tabernaculis. Et oratione in Cyprianum: Tu nos ab alto propitius reſpice, noſtrumq; ſermonem ac uitam dirige, & ſanctum ouile hoc paſce, aut unà rege. Eſt in eadẽ oratione, quomodo uirgo amata à Cypriano, inuocauerit Mariam, & ab amore Cypriani ſeruata ſit.

Ambroſius in libro de uiduis (ſi tamẽ Ambroſij eſt) permulta craſſa habet de inuocandis ſanctis mortuis: ut, Et tu habes proximos, qui Deo pro te ſupplicãt. Habes apoſtolos proximos, habes Martyres proximos. Item: Et Petrus & Andreas rogauerunt pro uidua: nunc iã poſſunt pro nobis & pro omnibus impetrare: poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiam ſi qua habuerint peccata, lauerunt. Iſti enim ſunt Dei martyres, noſtri præſules, ſpeculatores uitæ, actuumq; noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtrę infirmitatis adhibere. Et in precatione ſecunda præparantis Miſſam: Vt efficax hæc mea ſit deprecatio, beata Marię uirginis ſuffragia peto, Apoſtolorum interceſsionem imploro, Martyrum preces depoſco, Confeſſorum orationes expoſtulo.

Diuerſum tamen ſentit in libro tertio de Spiritu ſancto, cap. duodecimo, ubi diſertè inquit: Non quicquam adorandum præter Deum,

Deum, ſicut ſcriptura dixit: Dominũ Deum tuũ adorabis. Et etiam ſpiritus ſanctus adorandus eſt, quando adoratur ille qui ſecundum carnem natus ex ſpiritu eſt. Ac ne quis hoc deriuet ad uirginem Mariam, erat templum Dei, non Deus templi. Et hinc apparet, malignum ſpiritum tantorum uirorum ſcriptis plurima inſeruiſſe, qualia ſunt illa de ſanctorum defunctorũ inuocationibus, quæ ipſi ex ſcriptura ſancta oppugnauerunt.

Prudentius in hymno de ſancto Laurentio, Laurentium inuocat. & addit:

Indignus agnoſco & ſcio,
Quem Chriſtus ipſe exaudiat:
Sed per patronos Martyres
Poteſt medelam conſequi.

Idem in hymno de octodecim martyrib. Cæſaraugustanis:

Hæc ſub altari ſita ſempiterno
Lapſibus noſtris ueniam precatur *Turba, &c.* ——

Inuocat & Vincentium, in hymno de eodem, prolixè. Idem in hymno de Caſsiano martyre:

Hæc ſunt quæ liquidis expreſſa coloribus hoſpes
Miraris, iſta eſt Caſſiani gloria.
Suggere ſi quod habes iuſtum uel amabile uotum,
Spes ſi qua tibi eſt, ſi quid intus æſtuas:
Audit, crede, preces Martyr proſperrimus omnes,
Ratasq; reddit quas uidet probabiles.

Epiphanius libro tertio, tomo primo, hæreſ. 75. mortuis uiuorum preces prodeſſe ait: Proſunt et preces pro ipſis fientes, etiamſi totam culpam non abſcindant.

Ephrem libro primo de cõpunctione cordis, capite decimotertio: Grex tuus electus, monachorum quoq; cõuentus, & omnium ſanctorum qui placuerunt ante te, qui nunc in paradiſo exultãt, iã deprecãtur pro me, & obſecrant te ſolum amatorẽ hominũ. Exaudies quoq; eos, & ſaluabis me obſecrationibus eorum. Ego uerò per eos tibi gloriam & laudẽ offeram, qui exaudiſti orationes eorũ, quæ pro ſalute animæ meæ profuſæ ſunt.

Alia quadam opinione Athanaſius dixit in libro de interpretatione Pſalmorũ: Non ſunt Pſalmorũ uerba immutanda, ſed ut ſcripta ſunt, recitanda: ut ſancti, qui iſta uerba ſuppeditarunt, ſua eſſe agnoſcentes, compreſentur nobiſcum. Sicut autem ſuprà monuimus, apparet multa eſſe deprauata & ſuppoſita in iſtorum doctorũ ſcriptis. Neq; uerò paruũ eſt peccatũ, inuocationis honorẽ, ſoli Deo debitum, mortuis creaturis tribuere.

Libet autem huc adſcribere quædam Epiphanij teſtimonia, contra inuocationẽ creaturarum mortuarum. nam contra Antidicomarianitas & cultores uirginis Mariæ libro tertio ita ſcribit: Impoſsibile eſt, inquit, aliquem in terra generari præter hominum naturam. Solum enim ipſum (Chriſtum intelligit) decuit, ſoli ipſi natura ceſsit: hic ueluti plaſtes, & rei poteſtatem habens, ſeipſum de uirgine, ueluti de terra efformauit: qui de cœlis deſcendit, & carnem induit Deus uerbum ex ſancta uirgine: non tamen ut adoretur uirgo, neq; ut Deum hanc efficeret, non ut in nomen ipſius offeramus. Non permiſit ipſi dare baptiſma, non benedicere diſcipulos, non imperare illam in terra iuſsit: ſed ſolum ipſum ſanctificationem eſſe, & dignam factam eſſe regno ipſius. unde igitur rurſus nobis rotundus, & in orbem ſe gyrans draco? Vnde renouantur obliqua illa cõſilia? Sit in honore Maria: pater & filius & ſpiritus ſanctus adoretur: Mariam nemo adoret. Non dico mulierẽ, imò ne uirum. Deo debetur hoc myſterium. Neq; angeli capiunt talem glorificationem. Deleantur quæ malè ſcripta ſunt in corde deceptorum. Tollatur ex oculis cupiditas ligni. Conuertatur rurſus figmentũ ad Dominum. Reuereatur Eua cum Adam Deum, ut ſolum colat: ne ducatur ſerpentis uoce, ſed permaneat in Dei præcepto, Ne comedas de ligno. Ne quis comedat de errore, qui eſt propter ſanctam Mariam. Tametſi enim pulchrum ſit lignum, non tamen eſt ad cibum. Etſi pulcherrima eſt Maria, & ſancta, & honorata: at non ad adorationem. Hæ uerò (Arabicæ mulieres Mariam colentes) rurſus renouant fortunæ mixturam, & præparant diabolo, & non Deo, menſam. ueluti ſcriptum eſt: Et paſcuntur cibo impietatis. Et rurſus: Et fœminæ terunt pollinem, & filij colligunt ligna, ut faciant placentas oleo ſubactas reginæ cœli. Compeſcantur à Hieremia tales mulieres, & ne turbent orbem terrarum. Ne dicant, Honoramus reginã cœli. Nouit enim Taphnas has punire. Nouerunt loci horum ædificiorum, corpora ſuſcipere ad putrefactionem. Ne credas Iſrael mulieri: reſulta à malæ mulieris conſilio, &c. Et rurſus: Siue mortua eſt ſancta uirgo, & ſepulta, in honore ipſius dormitio, & in caſtitate mors, & in uirginitate corona. ſiue ſublata eſt, ueluti ſcriptum eſt, Animam ipſius pertranſibit: inter martyres eſt ipſius gloria, & in laudibus ſanctum ipſius corpus, per quam lux exorta eſt mundo. ſiue manſit (nam non eſt impoſsibile Deo, omnia facere quæ uult: finis enim ipſius nemini notus eſt) non conuenit ſanctos colere ultra decorum, ſed honorare ipſorum Dominũ. Ceſſet itaq; error ſeductorũ. Neq; enim Deus eſt Maria, neq; de cœlo corpus habet, ſed ex conceptione uiri & mulieris: ſecundũ promiſsionem uerò, uelut Iſaac, diſpoſita. Et nemo in nomen huius offerat: ſuã enim animã perdit. neque rurſus debacchetur, contumelia afficiens ſanctã uirginẽ. Abſit enim. Non fuit copulata carni

poſt

post partum, neque ante partum Saluatoris. Hæc omnia Epiphanij sunt, episcopi Constantiæ Cypri, contra octoginta hæreses.

Idem contra hæreses lib. tertio, cõtra Collyridianos Mariæ offerentes: Vnde nam est simulacrificum hoc studiũ, & diabolicus conatus? Prætextu enim hominis semper subiens hominũ mentem diabolus, mortalem naturam in hominum oculis deificans, statuas humanas imagines præ se ferentes per artium ueritatem expresit. Et mortui quidem sunt, qui adorantur: ipsorum uerò imagines, quę nunquam uixerunt (neque enim mortuæ esse possunt, quæ nunquã uixerũt) adorandas introducunt, adulterante mente ab uno & solo Deo: uelut cõmune scortum ad multam multiplicis coitus absurditatem irritatũ, & quod temperantiã legitimi coniugij unius uiri detriuit. Reuera sanctũ erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Reuera uirgo erat ipsa uirgo, & honorata: sed non ad adorationem nobis data: sed ipsa adorãs eum qui ex ipsa, carne genitus est, de cœlis uerò ex finibus paternis accesit, &c. Et subdit: Quis prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est uas: sed mulier, & nihil à natura immutata: uerùm & intellectu, et sensu in honore honorata, uelut corpora sanctorũ: & si quid amplius ad glorificationem dixerim, sicut Helias ex matre uirgo, & sic manens in perpetuum, & translatus, & mortem non conspicatus: sicut Ioannes, qui super pectus Domini recubuit, quẽ diligebat Iesus: sicut Techla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterij, qua digna facta est. Sed neque Helias adorandus est, etiamsi in uiuis sit: neq; Ioannes adorandus, quanquam per preces suas proprias dormitionem suam admirandam effecerit, imò potius ex Deo gratiã acceperit: sed neq; Techla, neq; quisquã sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus uiuentem, & adoremus ea quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorarũt creaturam præter creatorem, & stulti facti sunt. Si enim angelos adorari nõ uult, quanto magis eam quæ genita est ab Anna, quæ ex Ioachim donata est Annæ, quæ per preces & omnem diligentiam secundum promissionem patri ac matri data est: nõ tamen aliter genita est præter hominum naturam, sed sicut omnes, ex semine uiri, & utero mulieris, &c.

DE TRADITIONIBVS.

Nimiũ uirginitati tribuere uidetur Athanasius in apologia ad Imperatorẽ Constantium: Dei filius Dominus & saluator noster IESVS Christus, inter cætera dona sua largitus est nobis in uirginitate exemplar angelicæ sanctitatis. Certè puellas ea uirtute prædi tas, sponsas Christi, catholica Ecclesia adpel lare solet. Et libro de uirginibus, encomiõ prolixissimum texit uirginitatis & cõtinen tiæ: O uirginitas, opulentia indeficiẽs: ô uir ginitas, corona immarcessibilis: ô uirginitas, templum Dei, & domiciliũ spiritus sancti: ô uirginitas, margarita speciosa, uulgo inconspicua, & quæ non nisi à paucis inuenitur. ô continentia, amica Dei, & à sanctis deprędicata: ô cõtinentia, apud multos odiosa, sed apud dignos spectata: ô continentia, mortem & infernum profligans, & quæ ab immortalitate possidetur: ô cõtinentia, gaudium prophetarum, & apostolorum gloriatio: ô continentia, angelorum uita, & sanctorum corona. Beatus est qui te tenet, beatus qui obdurat in tolerantia: quoniam pauxillum fatigatus, multum in te gaudebit. Beatus qui ieiunauerit uniuersum hoc tempus, quoniam supernam Hierusalem inhabitãs, cũ angelis choreas ducet, & cum sanctis prophetis & apostolis requiescet. Contra hãc superstitiosam opinionem uidetur Hilarius in Psalmo sexagesimoquarto loqui: Cernimus nudis philosophos corporibus algere, ipso etiam coniugiorum usu magistri abstinent, hæretici ficco panis cibo uiuunt. Sed qui tandẽ ocioſi huius propositi profectus? Totum hoc inane & ridiculum est, & cum ipsis superstitionis causis miserabile. Deo ergo uouenda sunt, cõtemptus corporis, castitatis custodia, ieiunij tolerantia. Vota enim tantum Ecclesiasticæ religionis utilia sunt, quæ cum & dignis Deo cantionibus, et ppositæ in Ecclesia obseruãtiæ studio probãtur.

De Monachatu Basilius, in sermone exhortatorio de renũciatione seculi huius, inquit: Tu cœlestis cõuersationis amator, qui ad uitam angelicam cõtendis, sanctorumq; Christi discipulorum commilito fieri desideras, obfirma teipsum ad tolerantiam afflictionũ, animoq; uirili ad cœtum monachorum accede, & in principio quidem renunciationis tuæ uiriliter age, &c.

Vnius tamen personæ uitam solitariam damnat idem, in Asceticis, cap. octauo. Et in sequentibus multa habet de fraternitatib. & statutis fratrũ, ut capite decimoquarto: Censendus est, quisquis eorum qui ad fraternitatem susceptí sunt, si professionem postea irritam reddat, in Deũ peccare. Et qui seipsum Deo obtulit, si postea ad aliud uitę genus resiliat, sacrilegus redditur, dum seipsum furatur, & oblationem Deo factam infert. Quæ quidem omnia & prẹter & contra Scripturã dicuntur.

Idem de uirginitate plurima habet, in lib. de uirginitate. Tradit, quę seruãda ipsis sint: ac damnat eas uirgines, quæ posteaquã uirginitatem

ginitatem Christo deuouerint, & desponsatæ quasi fuerint, ad carnis uitia deflectunt, ac uiris iunguntur: primùm, quia coniunctionis eius fundamentum pessimum iaciunt, uoluptatem. deinde, quia nubendi causam non habent liberam: nondum scilicet mortuo, sed uiuente immortali uiro, cum quo fœdera castitatis inierunt. Ex quibus rationibus damnat etiam eos, qui tales ducunt. Hæc autem pugnant cum uerbis Christi & Pauli. disertè enim inquit Apostolus: Melius est nubere quàm uri.

Ambrosius lib. 2. ad Marcellinum, nimis insolenter pronunciat de uirginum meritis: Ipse eas, inquit, Dominus commendabit patri, nimirũ illud repetens suum: Pater sancte, istæ sunt, quas seruaui tibi, in quib. filius hominis caput inclinans quieuit: peto ut ubi ego sum, & ipsæ sint mecum. Sed non solum sibi debent prodesse, quæ non solæ uixerũt sibi. Hęc parẽtes redimat, hęc fratres. Pater iuste, mundus me nõ cognouit: istæ aũt me cognouerunt, & mundũ cognoscere noluerũt.

Epiphanius lib. tertio, tomo secundo, hęc reprehendit: Nunc in nomen Mariæ uirginis degere contendunt, & castitatem seruare, ac continere.

Chromatius in concione de beatitudinibus, extollit uoluntariam paupertatem, eamq; suo merito diuitias regni cœlestis acquirere ait.

Ephrem libro primo de cõpunctione cordis, cap. 2, recitat regulam uitæ. Iubet & imitari oberrãtes in montibus et solitudinibus, & quotidiana relinquere: libro de extremo iudicio, capite tertio. Et libro de luctaminibus spiritus, capite secundo: Arcta & angusta uia quæ ducit ad uitam, hos amat, qui attenuati diuitijs, & uolũtaria paupertate afflicti, semper in uigilijs & ieiunijs atq; humilitate per omne tempus uitæ suæ conuersati sunt, & parauerunt se ipsos ut uideant cœlorum regna. Et libro eodem, capite quarto: Omnes pij in illa hora (iudicij) hilares, magno cum gaudio expectantes beatam spem, &c. Præcipuè autem monachi, qui in solitudinibus, in montibus & speluncis professionem suam usq; ad finem castè seruarunt. Et sermone de uirginitate: Perfecti pugnatores, & continentissimi monachi, paradisi amœnitatẽ ante oculos habent. Quid potest monstrosius dici contra meritum Domini nostri IESV Christi?

Hieronymus in Regula, cap. sexto: Volo uos (uirgines) mortuas seculo, uicijs & concupiscentijs, carnem crucifigere, cum Christo: & quæ iam cœperunt proprio sese uoto castrare, sub perpetuo castitatis & uirginitatis proposito, uelut in duritie lapidis fore cum Christo sepultas.

Ambrosius, uel quisquis est autor orationis funebris de obitu Theodosij, multa commemorat superstitiosa, de cruce inuenta ab Helena: quòd sit uexillũ diuinum, ad remedium peccatorum, remedium immortalitatis, sacramentum salutis. Quæ certè uehementer cõtumeliosa sunt in meritum Christi, ac pugnant cum fide.

Et Prudentius in Hymno ante somnum: Crux pellit, inquit, omne crimen, fugiũt crucem tenebrę: Tali dicata signo mens fluxionem nescit.

Ephrem crucis signationi nimiũ uidetur tribuere, libro de Pœnitentia, capite tertio: Pingamus in ianuis atq; in frõtibus nostris, & in ore, & in pectore, atq; in membris omnibus uiuificum signum. Armemur insuperabili hac Christianorum armatura. Ea enim uictrix est mortis, fideliũ spes, lux orbis terræ, paradisi reseratrix, profligatrix hæresiũ, dæmonum expultrix, monachorum adminiculum, firmamentum fidei, magna salutarisq; custodia, & gloria perpetua orthodoxorum in æternũ. Hanc, ô Christiane, armaturâ diebus singulis & noctibus, horis atq; momentis, in omni loco circumferre nõ desinas. Et libro de armatura spirituali, cap. secũdo: Scuti uice, crucis signo teipsum muni. ualidissima enim armatura est: nullus q; tibi unq nocere poterit, si hac fueris septus.

Extant postremò & Canones pœnitentię Petri Alexandrini episcopi (si tamen eius sunt) multa cõtinentes superstitiosa. Qui si fuerint usitati hoc tempore, multis certè nõ necessarijs & inutilib. onerata fuit Ecclesia.

DE MEMORIIS MARTYRVM.

Ambrosius sermone sexto de Margarita, tomo tertio: Fratres, quotiescunq; Martyrum memorias celebramus, prætermissis omnibus seculi actibus, sine aliqua dubitatione concurrere debemus, & reddere illis honorificentiam qui nobis salutem profusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacrata hostia pro nostra propitiatione Domino sunt oblati, præsertim cùm dicat ad sanctos suos omnipotens Deus: Qui uos honorat, me honorat: & qui uos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christum: & qui spernit sanctos, spernit & Dominũ. Cogitet pius lector, quàm tetra sint ista. Nam solus Christus expiauit peccata. Neq; uerò ideo honorandos Apostolos docet, quòd nostra peccata expient: sed quia doctrinam Christi fideliter tradũt. Hæc tam crassa igitur, uidentur huic patri aliunde irrepsisse.

DE CONIVGIO.

Nazianzenus sermone in dictum Euangelij: Videtur mihi sermo hic secũdas reijcere nuptias. Si enim duo sunt Christi, duo

etiam mariti, duæ quoq; uxores. Si autẽ unus est Christus, unum caput Ecclesiæ, & caro una, secundæ respuantur. Quod si secundas prohibeo, quæ ratio erit tertiarum? primæ legis sunt, secundæ indulgentiæ, tertiæ uerò præuaricationis: ultra hæc, suile magis quàm aliud quicquã, multa nequitiæ habẽs exẽpla. Hæc nõ satis probãtur illa allegoria.

Epiphanius libro secundo, Tomo primo: oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris uirum, continentem: similiter & diaconum, & presbyterum. Reuera enim non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentũ, eos qui à nuptijs, mortua ipsorũ uxore, secũdis nuptijs cõiuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorẽ ac dignitatẽ. Et hæc certè sancta Dei Ecclesia cum synceritate obseruat. Sed adhuc uiuentem, & liberos gignentem unius uxoris uirum non suscipit: sed eum qui se ab una cõtinuit, aut in uiduitate uixit, diaconum & presbyterũ & episcopum, & hypodiaconum, maximè ubi synceri sunt ecclesiastici.

Hieronymus uirginitatẽ nuptijs passim prẽfert: ut in epistola ad Demetriadem, & ad Eustochium, ubi & paulum uxorẽ habuisse negat. De uirginibus, inquit Apostolus, prẽceptũ Domini non habeo. Cur? Quia & ipse, ut esset uirgo, non fuit imperij, sed propriæ uoluntatis. Neq; enim audiendi sunt, qui eũ uxorem habuisse confingunt: cum de continentia differẽs, & suadẽs perpetuã castitatẽ, intulerit, Volo omnes esse sicut meipsum. Et lib. 1. aduersus Iouinianũ: Ita nuptias recipim⁹, ut uirginitatẽ quæ de nuptijs nascitur præferamus. Item: Bonũ est, inquit, homini mulierẽ nõ tangere. si bonũ est, mulierem nõ tangere, malũ est ergo tãgere. Nihil enim bono contrariũ est, nisi malũ. Itẽ: Iubet Apostol⁹ in alio loco, ut semper oremus. Si semper orandũ est, nunq; ergo cõiugio seruiendũ est: quoniam quotiescunq; uxori debitum reddo, orare non possum. Et aduersus Heliudium: Pro cõditione temporum, sancti in ueteri testamento alij subiacuerunt sententiæ, & alij non, in quos fines seculorũ decurrerunt. Quamdiu lex illa permansit, Crescite & multiplicamini, &, Maledicta sterilis, &c. nubebant omnes, & nubebantur. Quando uerò uox illa pertonuit, Tempus breuiatum est: reliquum est ut qui habent uxores, sic sint quasi non habeant, &c. Et: Non negamus uiduas, non negamus maritatas, sanctas mulieres inueniri: sed quæ uxores esse desierint, quæ in ipsa necessitate coniugij uirginum imitenrur castitatem. Et libro quinto commentariorum in Hieremiam: Tempus breue est, inquit Paulus. Superest, ut qui habent uxores, &c. Si propter angustiam temporis, habentibus usus uxorũ tollitur: quãto magis nõ habentibus, ne accipiãt, imperatur? Istæ aũt censurę, collatæ ad uerbum Dei, non subsistunt.

DE MAGISTRATV.

Lactantius libro sexto de uero cultu, capite uigesimo: Neq; militare iusto licebit, cuius militia est in ipsa iusticia. neq; uerò accusare quenquam crimine capitali: quia nihil distat utrum ne ferro, an uerbo potius occidas: quoniam occisio ipsa prohibetur. ita quòd in hoc Dei prẽcepto nullã prorsus exceptionẽ fieri oportet, quin occidere hominẽ sit semper nefas, quẽ Deus sanctũ animal esse uoluit. Hęc autem cõtra officia legitimorũ Magistratuũ & exẽpla piorũ dicũtur.

DE LOCO ANIMARVM.

Noua opinione, & in scriptura non satis explicata, Lactantius libro septimo, cap. 21, tribuit animabus quasi carceres quosdã, in quibus usq; ad iudicij diẽ custodiantur: Omnes, inquit, in una cõmuni custodia detinentur, donec tempus aduenìat, quo maximus Iudex meritorum faciat examen.

Hilarius in psalmo secundo: Excipit nos statim infernus, & decedentes de corpore, si ita uixerim⁹, confestim de uia recta perimus. Testes nobis sunt Euãgelij diues & pauper: quorum unum angeli in sedibus beatorũ, & in Abrahæ sinu locauerunt: aliũ statim pœnę regio suscepit. Adeò autẽ statim pœna mortuum excepit, ut etiam fatres eius in supernis manerent. Nihil illic dilat onis aut morę est. Iudicij enim dies uel beatitudinis retributio est ęterna, uel pęnę. Tempus uerò mortis habet interim, unumquẽq; suis sedibus dũ ad iudiciũ unumquemq; aut Abraham reseruat aut pœna.

Hieronymus in epistola ad Paulum: Abraham licet in loco refrigerij, tamen apud inferos cum Lazaro fuisse scribitur.

DE PVRGATORIO.

Lactantius ibidem: Sed & iustos cum iudicauerit Deus, etiam igni eos examinabit. Tũ quorum peccata uel pondere uel numero præualuerint, perstringentur igni, atq; amburentur. Hæc uerò sine scriptura dicuntur.

Prudentius in Hamartigenia:

Esto, cauernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis auerno:
Saltem mirificos incendia lenta uapores.
Exhalent, æstuq; calor languente tepescat:
Lux immensa alios, & tempora uincta coronis
Glorificent, me pœna leuis clementer adurat.

Hieronymus libro decimooctauo commentariorum in Esaiam: Sicut diaboli & omnium negatorum atq; impiorum credimus æterna tormenta: sic peccatorum, impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atq; purganda, moderatã arbitramur, & mixtã clementiã iudicis,

dicis. Et libro quarto commentariorum in Esaiam, cap. quarto: Sanctificabunt eum in igne. per quod quidam intelligi uolunt pœnas atque tormenta ad hoc adhiberi peccatoribus, ut diuino igne purgentur.

DE RESVRRECTIONE.

Lactantius libro septimo duas facit resurrectiones: alteram ad aureum seculum Millenarij, alteram ad destructionem diaboli & impiorum. capite uigesimoquarto, & uigesimosexto.

DE IVDICIO EXTREMO.

Lactantius libro eodem, capite uigesimo: Nec tamen uniuersi tunc à Deo iudicabuntur, sed hi tantum qui sunt in Dei religione uersati. Nam qui Deum non agnouerunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri nõ potest, iam iudicati damnatiq; sunt: sanctis literis contestantibus, non resurrecturos esse impios ad iudicium.

Habentur & pro opinionibus eiusdem, quæ de signis præcessuris iudicium extremum ab eo commemorantur libro eodem, capite decimoseptimo. inter quæ unum est, quòd futurum dicit, ne sol per triduum occidat. Et in eodem libro, duo facit iudicia uniuersalia, sicut duas etiam resurrectiones. Tempus autem intermedium esse ait mille annorum, plenum omni iusticia & pace, omnibusq; delicijs, quibus affluent sancti, cum Christo in sancta quæ tum condetur ciuitate regnaturi, aut eo planè seculo, & amœnitatibus paradisi. capite secundo, & uigesimoquarto.

Noua opinione & Hilarius sensit, in enarratione primi Psalmi, Deum neq; pios neq; impios iudicaturum, sed eos qui inter fideles & infideles medij sint.

DE INFERNO ET POENIS *impiorum.*

Arnobius libro secundo aduersus gentes: Homo prudentiæ non prauæ, & examinis iudicijq; perpensi, rem inenodabilem suscipit: ut cum animas dicat immortales, perpetuas, & corporali soliditate priuatas, puniri eas dicat tamen, &c. Non est tamen absonè suspicatus, iaci eas in flumina torrentia flammarum globis, & cœnosis uoraginib. tetra. Iaciuntur enim, & ad nihilũ redactæ, interitionis perpetuæ frustratione uanescũt. Sunt enim mediæ qualitatis (sicut Christo autore compertum est) & interire quæ possint, Deum si ignorauerint uitæ: & ab exitio liberari, si ad eius se minas atque indulgentias applicarint.

Hieronymus in commentario in Ionam: Quomodo cor, inquit, animalis in medio est, ita & infernus in medio terræ esse perhibetur. Opinio est.

DE ANTICHRISTO.

Lactantius de diuino præmio libro septimo, capite decimo: Tum repentè aduersus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagæ septẽtrionalis orietur, qui tribus ex eo numero, qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societatẽ à cæteris, ac princeps omnium cõstituetur. Hic insustentabili dominatione uexabit orbem, diuina & humana miscebit, infanda dictu & execrabilia molietur, noua consilia in pectore suo uolutabit, ut proprium sibi constituat imperium: leges commutabit, suas sanciet, contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Et libro septimo, capite decimoseptimo, mirè nugatur de aduentu Heliæ in terram, cõuersuro multos ad cultum Dei: qui tandem oppugnabitur ab Antichristo, uincetur & occidetur.

Videtur & in eodem libro Lactantius inducere duos Antichristos, uenturos ante finem mundi. Et libro eodem, capite decimonono, uaria ludit de dominatione Christi cum Antichristo, & quòd quarto prælio superandus à Christo sit.

Athanasius quæstione uigesimanona: Docemur, quòd omnis Christi sese nomine uenditans, si non ueniat ex improuiso, nec in toto mundo cõspicuus, sed reperiatur tantum in una regione uel ciuitate, talis sine dubio est Antichristus. Et quæstione trigesima: Quod Apostolus de Antichristo dicit, eum sese exhibiturum in omnibus signis, & uirtutibus mendacij, liquet, quòd etiam mortuum à se excitatũ ostentabit. id autem non uerè, sed tantum in phantasia.

Ambrosius libro decimo commentariorum in Lucam, capite uigesimoprimo: Sedebit in templo, & in templo interiore Iudæorum, qui Christum negabunt: in templo nõ inuiolabili, sed corruptelæ obnoxio: quòd aut perfidiæ i nuoluat ruina, aut iracũdiæ ius subruat, aut cupiditatum ignis exurat, &c. Est & alius Antichristus, autor huius, diabolus scilicet. Est etiam tertius Antichristus, Arius, aut Sabellius. imò omnes sunt Antichristi, q praua nos interpretatione subuertũt. Idem de benedictionib. patriarcharũ, cap. 7. Antichristus futurus est ex tribu Dan, sęuus iudex, & tyrãnus immanis.

Hieronymus in caput undecimũ Danielis: Antichristus consurget de modica, id est de populo Iudæorũ: & tam humilis erit atque despectus, ut ei non donetur honor regius, & per insidias & fraudulentiam obtineat principatum, & brachia pugnantis populi Romani expugnẽtur ab eo & conterantur. & hoc faciet, quia simulabit se ducem esse fœderis: hoc est, legis & testamenti Dei. Et ingredietur urbes ditissimas, & faciet quæ nõ fecerũt patres eius, & patres patrũ illius.

Nullus enim Iudęorum absque Antichristo in toto orbe unquam regnauit. & contra fir misimas cogitationes sanctorũ inibit consilium, facietq; uniuersa usque ad tempus, donec eum Dei uoluntas facere ista permiserit. Hic peculiaris opinio est, quòd ex Iudæis Antichristum uenturum affirmat.

Sic & in eodem loco inquit: Antichristus nascturus est de populo Iudæorum, & de Babylone uenturus: primumq; superaturus est regem Ægypti, qui est unus de tribus cornibus. Et Gregorius Naziãzenus in Ezechielem, dicit Iudæos Antichristo pro Christo credituros, & Antichristum fore regem totius orbis, & uenturũ ad desolationẽ mũdi.

DE PHILOSOPHIA, ASTRO-
logia. &c.

Lactantio pro nęuo impingitur, quòd philosophiam omnem ex professo damnarit, & abijciendam esse pronunciarit, aliquot capitibus libri tertij.

DE LIBRIS, QVOS PRO VERIS AVT
apocryphis hæc ætas habuit: ac primùm
de libris ueteris Testamenti.

Veteris Testamenti libros Athanasius in Synopsi diuinæ scripturę, hoc & numero & ordine recenset: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion. quorum omnium autorem citra controuersiam testatur esse Mosen. Reliquos uerò qui deinceps ad Esdram usque sequuntur, non prorsus ab illis conscriptos ait esse, quorũ nomina & inscriptiones prę se ferunt, sed à prophetis qui singulis temporibus uixerunt: ut, Liber Iesu Naue, quem ideo hoc nomine inscriptum esse affirmat, quòd in eo res gestæ Iesu Naue successoris Mosæ contineantur. Liber Iudicum, sic uocatus, propterea quòd post mortẽ Iesu Naue, populũ suum Deus, à relictis Cananæorũ gentibus pressum, per Iudices seruauit, quorum hoc uolumine singulorum facta & uitę tempora cõtinẽtur. Liber Ruth, complectens historiam de sola Ruth Moabitide. Regum primus & secundus, in unum computati uolumen: sic autem dicti, quòd Regum tum Iuda tum Israel facta & annos continent. Regum tertius & quartus, & ipsi pro uno connumerati uolumine. Paralipomenon prior & posterior, pro uno computati uolumine: sic uerò dicti, quòd multa in libris Regum præterita, in ipsis continentur. Esdræ prior & posterior, conscripti ab ipso Esdra sacerdote et lectore, qui in illis reditum filiorum Israel ex Persia in Ierusalem exposuit. Liber Psalmorum, solius quidem Dauidis habens inscriptionem: multorum uerò aliorum quoq; Psalmos, quos in unum uolumen Esdras congesit, soli Dauidi inscribens, propterea quòd Dauid spiritũ psallendi à Deo primus accepit, primusq; psalmos composuit. Prouerbia seu parabolæ Salomonis, conscriptę ab ipso Salomone, complectentes uerba sapientum, quæ uelut prouerbia, ænigmata uel allegoriæ sunt. Ecclesiastes, quem et ipsum Salomon conscripsit: sic dictum, quia ad populum Salomon ipse concionatus est. Canticum Canticorum ipsius etiam Salomonis autoris, scriptum allegoria ænigmatica: sic autem dictum, quòd post ipsum Cãticum nullum aliud sit biblicum. Atq; hos tres libros Salomonis, Athanasius uocat Canonicos. nam librũ Sapientiæ Salomonis uocat non canonicum. Liber Iob, sic dictus, quòd historiam passionum & tentationum Iob contineat. Liber duodecim prophetarum, uno comprehensus uolumine, cuius autores sunt prophetæ, qui prophetias primi conscripserũt. I Osea, II Amos, III Michæas, IIII Ioel, V Abdias, VI Ionas, VII Naum filius Elcesari, VIII Ambacũ, IX Sophonias filius Chusi, X Aggæus, XI Zacharias, XII Malachias. Hi sunt prophetæ duodecim: quos sequuntur reliqui quatuor, quorum cuiq; proprium tribuitur uolumen. I Esaias, qui eodem cum Osea tempore uixit. II Hieremias, qui coætaneus fuit Sophoniæ. III Ezechiel, qui in captiuitate prophetauit. IIII Daniel, qui & ipse in captiuitate fuit usq; ad Cyrum regem Persarum. Atque hi libri sunt Canonici ueteris Testamenti, numero uiginti duo, ad numerum elementorum Ebræorum computati.

Præter istos autem sunt adhuc alij ueteris instrumenti libri, non canonici, qui catechumenis tantum leguntur. Sunt autem: Liber Sapientiæ Salomonis, quem & ipsum à Salomone scriptum esse dicunt. Liber Sapientiæ Iesu Syrah, conscriptus ab auo Syrah. Esther liber, complectens historiam de Hester, & acta in Susis. Iudith, continens historiam de Iudith, & liberationem populi Israel à persecutione Holofernis. Liber Tobiæ, complectens historiam Tobiæ. Atque hos ueteris instrumenti libros dixere non canonicos. Quanquam ex ueteribus nõnulli apud Ebræos pro canonicis haberi prodiderunt, librum Esther, & historiam Ruth. Hæc in initio Synopseos suæ Athanasius, quæ in fine eiusdem sic repetit: De libris ex ueteri Testamento, quibus contradicitur, diximus: ut sunt, Sapientia Salomonis, Sapientia Iesu Syrah, Esther, Iudith & Tobias. Istis etiam connumerantur Machabæorũ libri quatuor, Ptolemaici, Psalmi & Cantica Salomonis, Susannæ historia. Et ibidẽ de apocryphis: Apocryphi ex ueteri instrumento sunt isti: Enoch patriarchę, oratio Ioseph, Testamentũ Moysis, Assumptio Moysis, Abraham, Eldat & Modad, Eliæ prophetæ, Sophoniæ prophetæ, Zachariæ patris

Ioannis

Ioannis, Baruch, Ambacum, Ezechiel & Daniel falsò inscripti. Et aliquanto pòst: De his scriptis quę in sacrorum Bibliorum scriptura commemorantur quidem, sed nusquā inueniuntur: Qui Nathan, inquit, Addo, Achiæ Silonitæ, Semei & Iehu, in libro Regū libri esse scribuntur, non habentur. Prophetæ uerò, qui quæ prophetarunt, scriptis quidem mandārūt, sed nō inueniuntur, hi sunt: Psalmorum Dauidis trium millium numerus fuisse in Paralipomenis scribitur, è quibus tamen centum quinquaginta tantū ab amicis Ezechiæ regis selecti, reliqui uerò abscónditi sunt. Quinq; millia parœmiarum à Salomone edita esse, scriptura in Paralipomenis tradit: nunc uerò non sunt nisi Ecclesiasticæ illæ, & Canticum canticorū. Ex pluribus, quæ mysticæ sunt, selectas esse scriptū est. Quin & quinq; millia canticorum Salomonis fuerunt. Et locutus est de arboribus à cedro quæ in Libano est, ad hyssopum usq; quę è muro nascitur. Locutus est etiam de iumētis, de uolucribus, de reptilibus, & de piscibus: & hæc tamen nusquam in Ebraicis literis reperiuntur. Iosephus prophetam Ezechielem duos prophetiæ libros scripsisse narrat, nos uerò iam unum duntaxat inueniri scimus. Itaq; hæc omnia per impiorum Iudæorum amentiā & iniuriam interijsse, manifestatum est.

DE LIBRIS VETERIS TESTAMENTI, *indicatio Epiphanij.*

De ueteris Testamenti libris, hæc in libro de mensuris & ponderibus retulit Epiphanius: Viginti, inquit, septem libri electi, recepti; ac genuini: uerùm uiginti duo, iuxta alphabeti apud Hebræos ordinem numerati, conuersi sunt. uiginti enim & duo habēt elementorum nomina, quinq; uerò sunt ex ipsis quę duplicantur. Caph enim duplex est, & Mem, & Nun, & Phe, & Zadic. Quapropter etiam libri iuxta hunc modum uiginti quidem duo numerantur, uerùm uiginti septem reperiuntur, eo quòd quinque ex ipsis duplicantur: connectitur enim liber Ruth Iudicibus, & numeratur unus liber apud Hebræos. Connectitur primus Paralipomenon secundo: & dicitur unus liber. connectitur primus Regnorum secundo, & dicitur liber unus. connectitur primus Esdræ secundo, & dicitur unus liber. Sic igitur compositi sunt libri in operum quinarios quatuor, & manent alij duo extra hunc ordinem, ut sint libri genuini hoc modo: Quinq; Leges, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion. hic est primus quinarius, qui est Legislatio. Deinde alter quinarius habet appellatas scripturas, & ab aliquibus uocata sancta scripta, & sunt hæc: Iesus Naue, liber Iudicum cum Ruth, primus Regnorum cum secundo, tertius Regnorum cum quarto, primus Paralipomenon cum secundo. Tertius deinde quinarius habet uersu scriptos libros: librum Iob, Psalteriū (quod Hebræos in quinque libros distribuisse refert) Prouerbia Salomonis, Ecclesiastē eiusdem, Cantica canticorum eiusdem. Quartus quinarius est propheticus: Duodecim prophetæ liber unus: Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Manserunt autem extra hunc ordinem alij duo libri ipsius Esdræ, qui pro uno reputantur: & alius liber Esther appellatus. Impleti igitur sunt uiginti duo libri, iuxta numerum uiginti duorum elementorū apud Hebræos. nam duo libri uersu scripti: Salomonis sapiētia, Panaretus appellatus ab omni uirtute: & Sapiētia Iesu filij Syrach, & nepotis eius Iesu, qui Sapientiam illam Hebraicè scripsit, ita ut nepos ipsius eam interpretatus græcè scripserit: utiles quidē sunt, & commodi, sed in numerum receptorum non referuntur. Quare neq; in Aaron, neque in Testamenti arcam repositi sunt. Paulo pòst meminit etiam Lamentationum Hieremiæ, & Epistolarum Baruch, quos haberi negat. Recitat eundem librorum ordinem etiam in libro primo, tomo primo, hæresi sexta.

DE LIBRO PASTORIS.

Librum Pastoris Athanasius aliquoties uē Ecclesiasticum citat: ut in decretis Synodi Nicenæ, ubi tamen extra canonem eum librum esse affirmat.

De libro Constitutionis meminit Epiphanius libro primo, tomo tertio, hæresi 45, his uerbis: Apostoli in constitutione appellata dicunt, Plantatio Dei & uinea, uniuersalis Ecclesia. Idem rursus libro tertio, tomo primo, in hæresi Audianorum, eum librum Cōstitutionis apostolorum apud multos ait in ambiguo esse, attamen non reprobatam. Meminit & alibi subinde eiusdem constitutionis: ut libro tertio, tomo secundo, in hæresi Messalianorum. ubi quæ in ea contineantur, diuinam uocat scripturam ac doctrinā. Et libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimā: omnem regularem ordinem in ipsa ait contineri, & nihil à fide adulteratum, neque à cōfessione, neq; ab Ecclesiastica gubernatione ac regula. Meminit & Traditionum patrum, libro tertio, tomo primo, hæresi 75: ubi ex ijs preces pro mortuis probat. Ex quibus & hoc citat libro secundo, tomo secundo, in hæresi Manichæorum: In traditionibus inuenimus, quòd triginta annorū tunc erat Lazarus, quando est suscitatus. Rursus uerò, incertum an eodem aut diuerso titulo, citat traditiones Hebræorū, in tractatu de Compendiaria & uera doctrina, de fide catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ. Et

libro primo, tomo secundo, in hæresi Ebionæorum, meminit libri Clemẽtis, titulo Circuitiones Petri: quem citari ait ab Ebionitis. Meminit & Epistolarum encyclicarum Clementis. Et libro secundo, tomo secundo, Epistolarum encyclicarũ Alexandri Alexandrini, quas à multis studiose asseruatas scribit. Meminit & libri Actorũ Pilati, lib. secundo, tomo primo, hæresi 49. Et Euangelij secundum Ægyptios, libri plenissimi omnium errorum, libro & tomo eodem, hæresi 42. Et in eodem, hæresi 43, Actorũ Andreæ, quibus usos affirmat Origenianos.

DE LIBRIS NOVI TESTAMENTI *ex Synopsi Athanasij.*

Noui testamenti determinati & Canonici libri sunt isti: Liber Euangelij secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Acta Apostolorum à Luca scripta: Catholicę epistolæ uariorum Apostolorum, omnes numero septem, uno comprehensæ uolumine: quarum prima est Iacobi, secunda Petri, tertia & ipsa Petri, quarta Ioannis Euangelistę: quinta & ipsa Ioannis, quam senior scripsit: sexta & ipsa Ioannis, septima Iudæ apostoli. Pauli Apostoli epistolæ quatuordecim, in unum redactę uolumen: quarum prima est ad Romanos, II & III ad Corinthios, IIII ad Galatas, V ad Ephesios, VI ad Philippenses, VII ad Colossenses, VIII prior ad Thessalonicenses, IX posterior ad Thessalonicenses: X ad Hebræos, quam Pauli esse, etiam in decretis Synodi Nicenæ affirmat. Epiphanius uerò lib. primo, tomo tertio, in hæresi Marcionis, decimam quoque ex ordine, & ante epistolas ad Timotheum, Titum & Philemonem, in quibusdam exemplaribus collocatã testatur, & Marcionẽ ordinis interuersi accusat. XI ad Timotheũ prior, XII ad Timotheũ posterior, XIII ad Titum, XIIII ad Philemonem. Eadem Epiphanius libro tertio, tomo primo, in hæresi Aetij: qui & libro primo, tomo tertio, in Marcionis hæresi, ex epistola Pauli ad Laodicenses, citata quædam à Marcione refert, sed quæ non sit inter epistolas Apostolicas.

DE APOCALYPSI IOHANNIS.

Est præterea & Apocalypsis Ioannis apostoli & Theologi, quã in Pathmo insula uidit, & iussus cõscripsit, à priscis sanctis, & spiritu Dei imbutis patribus, uelut quæ illius sit, accepta & adprobata. Sic et Epiphanius libro secundo, tomo primo, hæresi 51, sensit esse Apocalypsin ipsius Apostoli Ioannis.

DE VERSIONIBVS BIBLIORVM *Sacræ scripturæ, quæ illæ, & quot sint ex Ebræo in Græcum factæ, & qui fuerint interpretes, ac quando sacram Scripturam interpretati sint, ex eiusdem Athanasij Synopsi.*

Prima uersio est LXXII interpretum. Hi cùm Ebræi essent, elegerunt ex unaquaque tribu LXXVI uiros, qui diuinã scripturã sub Ptolemæo Philadelpho rege, ducẽtis trigintã annis ante incarnationem Domini nostri Iesu Christi, interpretati sunt.

Altera est Aquilæ: qui cum Sinope Ponti ortus, & Græcus esset, Ierosolymis baptizatus est. Postea uerò reprobato Christianismo, Iudæis sese coniunxit, & diuinam scripturam peruersa ratione sub Adriano rege, trecentis XXX post LXX uersionem annis, interpretatus est.

Tertia est Symmachi. hic cum Samaritanus esset, nec populo suo acceptus propter ambitionis morbum haberetur, ad Iudæos sese recepit, ac secundò circumcisus est. Et ut Samaritanos subuerteret, uertit & ipse diuinas literas, sub Seuero rege, annis post uersionem Aquilæ quinquagintasex.

Quarta Theodotionis Ephesij est. hic cum primùm hæresi Marcionis Pontici fauisset, postea assectatoribus hæresis illius succensens, & ipse sacram scripturam, sub Commodo rege, eo ipso tempore quo Symmachus, ad subuersionem prædictæ hæresis interpretatus est.

Quinta interpretatio cum abscõdita fuisset, Pithis inuẽta est: & sub Antonio rege Caracalla dicto, in Iericho, à quodã ex illis qui Ierosolymis pietati uacauerant, conflata.

Sexta, & ipsa Pithis inuenta est, antea sub Alexandro, Mammeæ filio, Nicopoli septentrionali à quodam Origenis familiari composita.

Septima & postrema, sancti Luciani magni, religiosi & martyris est: qui & ipse, cum in prędictas uersiones, & Ebraicos libros incidisset, & diligenter quę uel ueritati deerãt, uel superflua aderãt inspexisset, ac suis quęq; locis correxisset, uersionem hãc Christianis fratribus edidit, quæ sanè post ipsius certamen & martyrium quod sub Diocletiano & Maximiano tyrannis sustinuit, libro uidelicet propria ipsius manu scripto comprehensa, Nicomediæ sub Cõstantino rege magno, apud Iudæos in pariete armarij calce circumlito, quò custodiæ gratia posita fuerat, inuenta est.

CAPVT V.

DE HAERESIBVS.

De origine errorum & hæresiũ, in genere disputauit quædam Lactantius libro quarto, capite trigesimo: ubi ait, Nonnullos ex lubricitate fidei suæ, Deum se nosse & colere simulando, augendis potius opinionibus & honoribus, quàm ueræ pietati studuisse. Victos uerò tandem

tandem à potioribus, secedere cum suffragatoribus suis collectis maluisse, quàm illis obtemperare, quibus pręponi ipsi cuperent. Quosdam uerò cœlesti doctrina non satis instructos, cum ueritatis accusatoribus respondere, & quæ obijcerent illi, neq; confutare, ingenij & eruditionis inopia, nec quæ prius rectè tenuissent defendere potuerint, paulatim in errores & ipsos inductos, nouam sibi doctrinam composuisse. Nonnullos etiam falsorum prophetarum uaticinijs illectos, à uera doctrina excidisse: atq; sic dæmoniacis fraudibus irretitos, quas prospicere & cauere debuissent, diuinum nomen & cultum per imprudentiam amisisse.

Recenset & aliam causam libro quinto, capite secundo, ubi sic ait: Defuerunt apud nostros idonei peritiq; doctores, qui acriter errores publicos redarguerent, qui causam omnem ueritatis ornatè, copioseq; defenderent. Prouocauit quosdam hæc ipsa penuria, ut auderent scribere contra ignotam sibi ueritatem. Hæc ille. Qua quidem ex re apparet, quàm necessaria sit omnibus seculis, gliscentium & publicè grassantium hæresium præstigias, solidè & luculenter confutare: minimeq; probandam esse illorũ crassam opinionem, qui tacendum esse putant, ne contentiones moueantur: cum quidem sit per spiritum sanctũ præceptum, Contradicentes conuince.

Athanasius in oratione contra Apollinaristas indicat, scripturas malicioſe intellectas & detortas, errores párere. Sic etiam præclarè inquit, in oratione prima contra Arianos: Cum unaquæq; hæresis sui cõmenti parentem habeat diabolum, ac pudore tam exosi nominis teneatur, pulcherrimũ, & quod supra omnia est, nomen Saluatoris, profitetur, scripturarumq; dictionibus amicitur: & uerba quidem profert, uerùm inde tamen sententiam suffuratur: ac deinde intellectu, quẽ ipse confinxit, dolis inumbrato, erroneorũ homicida efficitur.

Hilarius libro primo de Trinitate, de hæreticis idem scribit: Potentem, inquit, Dei naturam, ex naturæ suæ infirmitate moderantur. Item: Stultissimi atque impijssimi homines, non intelligentes, nihil contrarium in rebus ijsdem ab eodem dictum fuisse, uerbis tantum inhærentes, causas ipsas dictorum reliquerunt. Et diuersa quidem scripturæ dicta uidentes, ad impietatem reciderunt, diuinorum dictorum incapaces. Item: De intelligentia hæresis, non de scriptura est: & sensus, non sermo fit crimen. Et in initio libri decimi de Trinitate: Quamuis omne dictum ueri ratione perfectum sit, tamen dum aliud alijs aut uidetur aut complacet, patet ueritatis sermo aduersantium responsioni: quia contra ueritatem aut non intellectam, aut offendentem, uel stultæ, uel uitiosæ uoluntatis error obnititur. Immoderata enim est omnis susceptarum uoluntatum pertinacia, et in deflexo motu aduersandi studium persistit, ubi non rationi uoluntas subijcitur, nec studium doctrinæ impenditur: sed his quæ uolumus, rationem conquirimus: & his quæ studemus, doctrinam coaptamus. Et in libro ad Constantium Augustum: Impietates nostras nobis in populis multiloquis defendimus, & magniloquentiæ uanitate aures simplicium uerbis fallentibus illudimus, dum euitamus de domino Christo ea credere, quæ de se docuit credenda: & per speciosum pacis nomen, unitatẽ perfidiæ subrepimus: & sub reijciendis nouitatibus, rursum ipsi nouis ad Deum uocibus rebellamus: & sub scripturarum uocabulo, non scripta mentimur, uagi, prodigi, impij, dum & manentia demutamus, & accepta perdimus, & religiosa præsumimus.

De Apollinario Basilius ait, epistola centesima trigesimaseptima: Sunt quæ scribit, etiam ad Theologiam pertinentia, non ex scripturæ probationibus, sed ex humanis argumentis astructionem habentia. Idem libro quinto contra Eunomium ait, quosdam ad errorem perductos esse, externæ philosophiæ scriptorum obseruatione. Hæc in genere præmittenda duximus, ut obseruet lector, quales fontes hæresium, uiri illi doctrina, dexteritate iudicij, & uerò zelo præstantes adsignarint. Nam ex ijsdem lacunis turbulenti hæreticorum riui semper emanant.

Cæterùm frequens hoc seculo adhuc Nouatianorum hæresis, in plurimis locis fuit. Socrates libro primo, capite decimo, Acesium habet Nouatianorum episcopum, quẽ in Synodum Nicænam accersiuit Constantinus. Idem libro secundo, capite trigesimooctauo, Auxanonis cuiusdam meminit, Nouatianorum presbyteri. Eadem de Nouatianis Sozomenus primo libro, capite uigesimosecundo: & libro secundo, capite trigesimosecundo: Nicephorus libro octauo, capite uigesimotertio. Præter Nouatianos, Constantinus etiam edictis publicis damnauit Valentinianos, Marcionistas, Paulianos, & Cataphrygas. Edicti exemplum recitat Eusebius libro tertio de uita Constantini:

¶ Victor Constantinus, Maximus, Augustus, hæreticis. Agnoscite nunc per hanc legis constitutionem, ô Nouatiani, Valentiniani, Marcionistæ, Pauliniani, & qui Cataphrygæ uocamini, & quotquot in uniuersum hęreses uestris cœtibus cõstituitis, quã-

tis sit mendacijs uanitas uestra intricata, & quomodo uenenatis quibusdam pharmacis doctrina uestra contineatur, ita ut per uos sani ad infirmitatem, uiuentes uerò ad perpetuam mortem abducantur. O' ueritatis inimici, uitæ hostes, & perditionis consiliarij. Omnia sunt apud uos ueritati contraria, ac turpibus maliciæ studijs & absurdis admodum fabulis consona, per quę uos mendacia struitis, & insontes premitis, lucem fidelib. negatis, sub prætextu diuinitatis semper delinquentes omnia polluitis, innoxias ac puras cõscientias letiferis plagis uulneratis, ac ipsam propè diem, ut ita dicã, humanis oculis abripitis. Et quid necesse est singula recẽsere, cum de malis uestris aliquid pro dignitate loqui, neq; modici sit tẽporis, neq; negociorum nostrorum? Sunt enim absurditates uestræ ita perplexæ & immodicæ, ita, si explicentur, omnis generis feritate refertæ, ut nec integer quidem dies ad enarrationem earum suffecerit. Et alioqui auditum etiam huiusmodi declinare, & oculos auertere conuenit, ne si cuncta singulatim recensеantur, syncerũ ac purum fidei nostrę propositũ polluatur. Quid igitur? Tolerabimus ne posthac huiusmodi mala? At longa expectatio facit, ut etiam sani quasi pestifero quodã morbo inficiantur. Qua ergo ratione radices, ut ita dicam, huiusmodi nequitiæ publica animaduersione nõ amputamus? Igitur quoniã impossibile est, ut amplius perniciei uestræ exitium feratur, per hanc legem interdicimus, ne qui uestrũm posthac cõgregari audeant. Quapropter cunctas etiam domos è medio tolli præcipimus, cura hac nostra eò usq; progrediente, ut non modò in publico, uerùm neq; in priuatis ædibus, aut locis quibusdam separatis, superstitioſę uestræ demẽtiæ cœtus cõcurrere liceat: sed, quod multo est honestius, quotquot ueræ ac puræ religioni studetis, ad catholicam Ecclesiam accedatis, & sanctitati illius cõmunicetis, per quam & ueritatem consequi poteritis. Separetur autem omnino à status nostri fœlicitate, peruersæ sententiæ seductio: hoc est, sceleſta & pernicioſa hæreticorum & schismaticorum sententia. Decet enim fœlicitatem nostrã, qua cum Deo fruimur, ut qui bonis spũbus uiuunt, ab omnis generis inordinato errore ad rectam uiam, à caligine ad lucẽ, à uanitate ad ueritatem, à morte ad salutem ducantur. Vt autem ad hanc curam etiam necessaria potentia accedat, præcepimus, sicut dictum est, ut cũcti superstitionis uestræ conuentus, omnium inquam hæreticorum oratoria, si tamen oratoria nominare conuenit, sine omni cõtradictione auferãtur, & catholicę Ecclesiæ absq; ulla mora tradãtur, & reliqua loca rebuspublicis adiudicẽtur, nec ulla prorsus uobis deinceps conueniendi facultas relinquatur: ita ut ab hoc pręsenti die, nullo loco, siue publico, siue priuato, infandi uestri cõuentus congregari pręsumantur.

Ad hunc modum speluncæ eorum qui alienam doctrinam sequebantur, Imperatorio mandato destructæ, ac bestiæ unà cum impietatis ducibus pulsæ sunt. Illorum uerò qui ab his seducti fuerant, alij mente adulterina, minis Imperatorijs perterrefacti, ecclesiam ingrediebantur, tempori illi per dissimulationem seruientes: quoniam libros etiam uirorum illorum lex Imperatoris perscrutari iusserat, ac deprehendebãtur qui infanda maleficia exercebãt. quapropter cuncta per dissimulationem faciebant, quo exitium effugerent: alij autem continuò ueraci animo ad spem meliorem confugiebant. Horum uerò discriminationem ecclesiarum præsides accuratè facientes, alios diu pelle ouilla tectos, fictè accedere conantes inuenerunt: alios uerò mundo animo id facientes, tempore probarunt, ac post sufficientem experientiam multudini initiatorum accenserunt. Hæc igitur contra infames heterodoxos designauit. Eos uerò qui nihil impij in doctrina habebãt, & alios qui à communi cõuentu uitio schismaticorum uirorum abstinebant, sine omni hæsitatione recipiebant. Qui uerò gregatim ueluti coloni circuibant, patriam suam recuperarũt: & matrem Ecclesiam, à qua diu aberrauerãt, recognouerunt: & cum lætitia & gaudio ad sua reuersi, atq; ita cõmunis corporis membra coadunata, eademq; sunt harmonia coniuncta: & sola catholica Ecclesia in sẽ ipsam conuersa resplenduit, nec uspiam terrarũ ullus est uel hæreticus uel schismaticus cõuentus relictus. Et solius huiꝰ magni operis causam, solus ex omnibus, qui aliquando fuerunt, sedulus Imperator Deo adscripsit.

De ijsdem hæreticis Sozomenus libro secundo, capite trigesimotertio. Durauit & Encratitarũ hæresis: Sozomenus libro quinto, capite undecimo. Phrygum etiam Lactantius meminit libro quarto, capite trigesimo. Disputat & contra Manichęos, Sabellium, Basilidem, passim in libris suis Athanasius: quorũ cœtus hac ætate haud dubiè adhuc durauit. Facit idem & Hilarius. Grassata est in Hispanijs Gnosticorũ hæresis sub Theodosio, suscitata à Priscilliano: ut testatur Sulpitius Seuerus, libro secundo.

DE HAERESI SVB CONSTANtino Magno, eius filijs, & aliquot sequentibus.

DE ARII HAERESI.

ARius Alexandrinus hæresin insanam incipit Alexandriæ, sub annũ Domini trecentesimum uigesimumquartũ: ut in Chro-

nica

nica Eusebius annotauit, anno imperij Constantini decimoquinto.

Significat tamen Nicephorus lib. octauo, capite quinto, Alexandrum Baucalem quendam, secundo ab Ario loco presbyterum, à quibusdam dissensionis huius autorem habitum: sed qui ægrè ferens Arium sibi honore prælatum esse, nouationem istius dogmatis in eum ut autorem reiecerit. Hieronymus aduersus Luciferianos, hos tres clericos huius hæreseos autores extitisse ait, Arium, Euzoium diaconum, & Achillam lectorem. Extimulauit autem Arium ad nouum dogma proferendum, æmulatio honorum Alexandri episcopi Alexandrini, cui sese non putabat esse inferiorem doctrina: ut Nicephorus libro octauo, capite quinto indicat: & deinde cupiditas gloriæ. Cogitabat enim hac ratione crescere, & uolitare per ora uirorum. Constantinus in sua epistola (ut refert Eusebius libro secundo de uita Constantini) aliquam causam motæ huius controuersiæ in Alexandrum episcopum detorquet, quòd mysteria quædam diuina nimis curiosè scrutatus sit, & quæstiones subtiles inter eos mouerit. Verùm id fortè alio consilio optimus Imperator fecit, ut ea ratione partem utranq; magis frangeret, & ad compositionem causæ hortaretur.

Addiderunt Ario furenti animum, alij quidam episcopi & doctores Ecclesiæ, quos subtiles & argutæ quæstiones delectarunt: ut Ruffinus libro 1. cap. 2. & Nicephorus scribunt. Notatu dignum est, quod Zonaras de Constantino agens dicit: Primus huius hæresis autor Origenes extitit. is enim primus unigenitum filium Dei conditum, & à natura paterna diuersum esse affirmauit. Verùm hæc in solis chartis iacebant, tecta silentio, necdum uulgata. sed Arius in conspectum protulit, & in tectis prædicauit, multis ad impietatem pertractis. Idem Hieronymus ad Pammachium & Oceanum.

Priusquam autem Arianorum hypotheses recitemus, quædam eius symbola commemorabimus, ut propositiones quæ inde manant, rectius intelligi queant. Athanasius in disputatione contra Arium, hanc de Trinitate Arij fidem recitat: Credo in unum Deum æternum, & filium eius, quem ante secula creauit ut Deus, filiumque sibi fecit. Et quæcunque habet filius, ea cum non haberet, accepisse à Deo: atque ideo illum patri non æqualem esse, neque eiusdem dignitatis, sed ut creaturam relinqui, & deficere à gloria Dei: eundemque minorem esse, quantum attinet ad potentiam Dei. Credoque in spiritum sanctum è filio genitum. Recitat & Epiphanius proli-

xum Arij symbolum, quod scriptum ab Ario ad Alexandrum ait ex Nicomedia: Fides nostra ex maioribus & progenitoribus nostris, quam etiam à te didicimus, hæc est. Nouimus unum Deum, solum ingenitum, solum sempiternum, solum sine principio, solum bonum, solum immortalitatem habentem, solum sapientem, solum bonum, solum Dominum, solum iudicem omnium, gubernatorem, œconomum, immutabilem & inalterabilem, iustum & bonum, legis & prophetarum ac Noui testamenti. Hunc Deum genuisse filium unigenitum ante tempora æterna, per quem & secula & reliqua fecit: genuisse autem non in apparentia, sed ueritate: substituisse uerò propria uoluntate immutabilem & inalterabilem creaturam, Dei perfectam, sed non uelut unam ex creaturis: fœturam, sed non uelut unam ex fœturis siue genituris: neque uelut Valentinus emissionem, fœturam siue genituram patris asseruit: neque sicut Manichæus partem coessentialem patris fœturam introduxit: neq; sicut Sabellius, qui unitatem diuidens, Filium patrem dixit: neque uelut Hierax lucernam à lucerna, aut faciem in duas: neque prius existentem, postea genitum aut creatum esse in filium, quemadmodum etiam tu ipse B. Papa in media Ecclesia ac confessu sæpe eos qui talia introduxerunt, refutasti. Sed, sicut dicimus, uoluntate Dei ante tempora & ante secula creatum esse, & uiuere ac esse à patre accepisse, ita ut pater simul substituerit ipsi glorias. Non enim pater, data ipsi omnium hæreditate, priuauit se ipsum, ut ne ingenito modo habeat in se ipso: fons enim est omnium. Quare tres sunt substantiæ, Pater, filius, & spiritus S. Et Deus quidem causa omnium existens, est sine principio solus. Filius autem sine tempore genitus à patre, & ante secula creatus & fundatus, non erat antequam gigneretur: sed sine tempore ante omnia genitus, solus à solo patre substitit. Neque enim est sempiternus, aut consempiternus, aut coingenitus patri: neque simul cum patre ipsum esse habet, uelut quidam de his quæ ad aliquid appellantur dicunt, ingenita principia introducentes: sed sicut unitas & principium omnium, ita Deus præ omnibus est: quapropter & ante Christum est, uelut à te didicimus in media Ecclesia prædicante. In quantum igitur à Deo ipsum esse habet, ac uiuere, qui & glorias & omnia ipsi exhibuit: iuxta hoc principium ipsius est Deus. Principium enim ipsius est, uelut Deus ipsius: & qui ante ipsum est, eò quod ex ipso est. Et si illud, Ex utero: & hoc, Ex patre exiui, & uenio: uelut

pars

pars coessentialis, et uelut emissio, à quibusdam intelligitur: compositus erit pater, & diuisibilis, & mutabilis, & corpus secundum ipsos, & quæ ad corpus consequuntur patiens incorporeus Deus, quantum sanè in ipsis est. Opto te ualere in Domino, beate Papa. Arius, Aethales, Achilles, Carpones, Sarmatas, presbyteri: Euzoius, Lucius, Iulius, Menas, Helladius, Gaius, diaconi: episcopi, Secundus Pentapolis, Theonas Libs fidelis, quem constituerunt in Alexandria Ariani.

HYPOTHESES ARII SVNT istæ.

De Deo.

1. Patrem solum inuisibilem Deum, & maiorem, & ideo solum colendum atq; adorandum docuerunt Ariani. Athanasius de Arianis, & Catholicis confessoribus: Hilarius libro 11. de Trinitate: Hieronymus contra Felicem, & quarto capite in Ephesios.

2. Potentiæ Dei hoc subesse, ut falsa faciat uera. Augustinus in quęstione ueteris & noui Testamenti, quæstione nonagesimasecunda.

De personis diuinitatis.

Dixerunt (Ariani) patrem, filium, & spiritum S. esse dissimiles natura. Idq; probant hoc dicto: Vnus Deus pater, ex quo omnia: & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Et sicut se habent uoces inter se, sic se habent rerum significatarum naturæ. Sed inter se discrepant, Per quem, & Ex quo: dissimilis est igitur patri filius. Basilius libro quinto contra Eunomium, & Athanasius in disputatione contra Arium: Non potest ullo modo ingenitæ substantiæ, aut genita filij, aut creatura spiritus S. conferri natura. Vnde nec in potestate æquales, nec magnitudine similes, nec natura consortes, à nobis fideli confessione creduntur. Et Augustinus ad Quod uultdeum inquit, Arianos docuisse, patrem, filium & spiritum sanctum, non esse unius eiusdemque naturæ & essentiæ.

De Patre.

1

Non semper Deus pater erat, sed erat cum Deus pater non erat. Socrates libro primo, capite sexto: & Nicephorus ex epistola Alexandri libro octauo, capite octauo. Hanc hypothesin Athanasius sic effert in disputatione contra Arium: Deus, inquit Arius, potentia quidem semper, sed effectu non semper pater fuit: & antequam generat, nõ erat pater, sed erat omnipotens Deus. Athanasius de unitate sempiternæ subsistentiæ Trinitatis. Augustinus inquit: Ariani non credũt Deum generasse, quia simplex natura est. In libro quæstionum ueteris & Noui Testamenti, quæstione uicesimatertia.

2

Pater in natura deitatis parem seu æqualem non habet, & nemo ei dignè comparandus est. Athanasius de assumptiõe hominis.

3

Pater maior est filio. Ex uetusto codice Hilarij.

4

Pater Deus & Dominus est filio suo.

De Christo.

De filio Dei docuit Arius, eum tantum esse creaturam, ante alias creaturas omnes à patre factam: non consubstantialem, non coæternum, non coomnipotentem Deo patri. Cum autem ipsi patres hanc propositionem in plures secuerint, tum quia ipsi Ariani uariè suam illam hæresin extulerunt, tum quia distinctè & perspicuè corruptelas & blasphemias istas refutandas duxerunt: ideo & nos eadem ratione Hypotheses recensebimus.

Contra diuinitatem Christi.

1

Filiꝰ Dei est mera creatura, ante alias creaturas omnes à Deo patre facta, præstantior tamen cæteris creaturis omnibus. Hinc omnes reliquæ hypotheses, tanquam huius antecedentis consequentiæ, emanant. Alexander oratione tertia contra Arium, uerba ipsorum recitat: Creatura est filius, sed non ut ulla ex rebus creatis: Opus est, sed non ut ullum ex operibus: Res condita est, sed non ut ulla ex rebus conditis. Socrates libro primo, capite sexto: Ambrosius libro primo de fide, capite nono: & libro tertio, capite septimo: Epiphanius libro secundo, tomo secũdo, hæresi sexagesimanona: Augustinus cõtra Felicianos capite sexto: Theodoretus libro secundo, capite octauo: Marius Victorinus Afer: Philastrius: Faustinus libro contra Arianos.

2

Filius Dei non est de substantia patris, sed extrinsecus ab existente ex non existentibus creatus: hoc est, non est consubstantialis patri, eoq; minor. Lusit autem perplexis orationibus, ex Deo factum esse filium, uerùm non de Deo natum esse. Athanasius libro de Arianis & catholicis confessoribus: Socrates libro primo, capite sexto: Ambrosius libro primo de fide, capite tertio: Epiphanius in hæresi Ariana: Philastrius.

3

Filius Dei non est natura Dei filius, sed adoptiuè, neq; aliam præ cæteris filijs habet prærogatiuam. Theodoretus libro primo, capite quarto: ex epistola Alexandri Alexandrini ad suam cognominã: Athanasius: Faustí-

Fauſtinus libro de fide contra Arianos, capite primo & ſecundo.

4

Filius Dei non eſt uerum & ſecundum naturam patris uerbum, nec uera illius ſapientia, ſed abuſiuè, quia factus eſt proprium Dei uerbum. Socrates libro primo, capite ſexto.

5

Non ſemper fuit cum patre, aut apud patrem filius. & fuit aliquando tempus, cum non eſſet filius: hoc eſt, non eſt coæternus patri. Socrates libro primo, capite ſexto: Athanaſius de Arianis: Auguſtinus lib. de Hæreſibus quinto, capite ſexto.

6

Nullam habet filius poteſtatem, niſi acceperit à patre: hoc eſt, nõ eſt coomnipotẽs. Allegarunt Ariani dictum: Filius non poteſt facere quicquã, niſi quod uiderit patrem facientem. Epiphanius, Athanaſius, Ambroſius, Fauſtinus libro de fide contra Arianos, capite tertio.

7

Non totus pater capi poteſt à filio. Athanaſius: Auguſtinus libro tertio contra Maximinum, Arianorũ epiſcopum, cap. ultimo.

8

Arcana patris non nouit filius, niſi quatenus ei reuelat pater. Athanaſius.

9

Filius Dei non fuit in cœlis apud patrem, tempore quo inter homines uerſaretur. Athanaſius.

10

Chriſtus in carne non eſt adorandus. Athanaſius oratione quinta contra Arium.

11

Libertate uoluntatis ſuæ, in bonum & malum procliuis fuit. Theodoretus ex epiſtola concilij Nicæni libro primo, capite nono: & libro quarto, capite octauo & uiceſimoſecundo.

12

Dei filius paſsibilis eſt, & in ſua ſubſtantia mortalis. Item, Verbum unà cum clauis crucifixum fuit, unà cum carne paſſum eſt. Athanaſius.

13

Pater ſibi filium in inſtrumẽtum fecit, ut per eum omnia conderet. Athanaſius.

14

Poſt occaſum mundi, regnum filij Dei finiendum eſt. Athanaſius.

Contra humanitatem Chriſti.

Carnem tantum à Maria uirgine Chriſtus accepit, non animam. Id ex Eſaia conati ſunt Ariani probare: Intelliget filius meus dilectus, quem dilexit anima mea. Epiphanius in hæreſi Ariana: Theodoretus libro quarto hæreticarum fabulationum: Auguſtinus ad Quoduultdeum.

De Spiritu ſancto.

1

Vt filius, ſic & Spiritus ſanctus creatura eſt. Theodoretus libro quinto, capite decimo. Athanaſius ait, Arianos citare hoc dictum ex Amos: Inuoca Dominum Deum tuum Iſrael, quia ecce formans tonitru, & creans ſpiritũ, &c. Arianus quidam in Niceno concilio, cum Athanaſio diſputans, Spiritum ſanctum creaturam eſſe, hoc probare argumento contendit: Ioannes affirmat omnia per filium facta eſſe, nihil cooperante cum filio Spiritu ſancto. Deinde emitti dicitur à patre è cœlis, ad præſidium diſcipulorum. Quod igitur de loco in locum tranſit, id tranſitorię eſt ſubſtãtiæ. Ex qua re liquet, eum conditæ naturę eſſe, & nequaquam inconditæ. In diſputatione contra Arium Baſilius in ſermone de Spiritu ſancto, hoc eis fundamentum tribuit: Nihil in rebus exiſtentibus eſt, quod non in diſtinctionẽ hanc cadat, ut uel ſit unigenitum, uel genitum, uel creatum: ſed Spiritus nec ad primum, nec ad ſecundum referri poteſt: Ergo ad tertium.

2

Spiritus ſanctus à filio creatus eſt, creatura à creatura. Epiphanius: Didymus libro primo de Spiritu ſancto: Auguſtinus libro contra Maximinum Arianum: item de ſermone Arianorum.

3

Sicut non ſemper fuit cum patre, aut apud patrem filius: ſic nec ſpiritus ſanctus. Athanaſius de Ariminenſibus & catholicis confeſſoribus.

4

Spiritus ſanctus totum filium nec uidit, nec capit. Athanaſius. Non eſt æqualis filio, quia mittitur à filio, à ſe non loquitur, ſpiritu adoratur filius, &c. Auguſtinus contra Maximinum Arianum.

5

Spiritus ſanctus eſt extra ordinem patris & filij, dignitate etiam inferior & ſubditus. quia Spiritus ſancti non fit mentio in ſententia Chriſti: Hæc eſt uita æterna, ut te cognoſcant uerum Deum, & quem miſiſti Chriſtum. Athanaſius de fide unitatis & trinitatis: Baſilius libro de Spiritu ſancto, cap. ſexto, & decimo, & decimoſeptimo. Item, Spiritus ſanctus eſt patris & filij ſeruus. Hieronymus aduerſus Luciferianos.

6

Spiritus ſanctus & Chriſtus eſt idem, quia ſcriptum eſt: Si quis ſpiritum Chriſti non habet, is non eſt eius. Baſilius in ſermone de Spiritu ſancto,

De

De Baptiſmo.

Dicunt Ariani, ſufficere baptiſmum in nomine filij: cum Paulus de baptiſmate loquēs ſæpe tantum filij faciat mentionem. Baſilius libro de ſpiritu ſancto, capite duodecimo.

De moribus ac ritibus Arianorum.

Monſtroſas ſententias in religione, plerumq; comitantur etiã monſtroſi ac improbi mores: ut hoc pacto peſsimæ arboris, ſeu ipſius potius Diaboli, peſsimi fructus conſpiciantur. Sic Ariani multis notis ſeſe infames fecerunt. Nam non communes tantum patres contemptui habuerunt, ſed & ſuos negarunt: ut Theodoretus libro primo, capite undecimo teſtatur. Ceremonias ſuas publicas (peculiares enim cõgreſſus habuerunt) non tantum ad oſtentationem, ſed etiam ſuarum opinionum inſtillationem & propagationem compararunt: & quidem, ut fit, mirè uariarunt. Nam apud Antiochenos Ariani inter pſallendum, in calce canticorum quid uellent oſtendebant, & alij patrem & filium tanquam eiuſdem honoris, alij patrem in filio glorificabant, per inſertionem prępoſitionis, filium ſecundo loco patri ſubijciendum eſſe pronunciãtes. Sozomenus libro tertio, capite uigeſimo. Nonnulli patrem in filio, alij Gloria patri per filium in ſpiritu ſancto: quidam etiam, Gloria patri & filio in ſpiritu ſancto, canebant. Nicephorus libro nono, capite uigeſimoquarto. Soliti ſunt Catholicos rebaptizare. Auguſtinus ad Quoduultdeum.

Peculiare Arianorum fuit ingenium, pro ſtabiliẽda impietate ſua, leges omnes & ſanctiones uiolare & tranſgredi. Extant enim multa, multis in partibus orbis terrarũ nullo exemplo ab ipſis facta. Theodoretus lib. ſecundo, capite trigeſimoprimo. Immani odio rectè ſentientes perſecuti ſunt. neq; tantum conuicijs proſciderunt, atq; omnis generis contumelijs dedecorarunt: ſed etiam ſeditiones ac cædes ſæpe, impulſu ſpiritus homicidæ, excitarunt ac patrarunt.

De ſocijs Arianiſmi, & per quos promotus fuerit.

Cum Ario ſenſiſſe Socrates ſcripſit libro primo, capite ſexto, Achillam, Aeithalum, Carponum, Arium alterum, Sarmatam, Euzoium, Lucium, Iulianũ, Menan, Helladiũ, Caium, Secundum & Theonam. Idem lib. eodem, capite octauo, ait in Synodo Nicęna Arij ſententiam tutatos eſſe, Euſebium Nicomedienſem, Theognidem epiſcopum Nicææ, & Marem Chalcedonenſem. Quibus libro ſecundo, capite duodecimo, adnumerat Theodorum Heraclię Thiarię, Vrſatium Singidonenſem ſuperioris Myſiæ, & Valentem Murſorum ſuperioris Pannoniæ epiſcopum: item Narciſſum Cilicem, & Marcum Syrum, libro eodem, capite decimooctauo. Sozomenus lib. primo, capite decimoquinto, Macrium quendam habet Arianum: quẽ Nicephorus libro octauo, capite quinto, Macarium uocat. Theodoretus libro primo, capite ſeptimo, addit Menophantum Epheſiũ, & Patrophilum Scytopolitanum. Idem libro eodẽ, capite uigeſimoprimo: Ariani Euſtathio epiſcopo Antiochiæ in exilium pulſo, ſurrogarũt Eulalium, poſtea Euphroniũ & Placentium, quibus omnibus occultè inerat Ariana labes. Nicephorus libro octauo, capite trigeſimoprimo, ex profeſſo Arij opinionem amplexos eſſe ſcripſit, Leontiũ Antiochenum, Antonium Tarſi Siciliæ antiſtitem, Numenium, Eudoxium, Alexandrum, Aſterium Cappadocem. Theodoretus libro ſecundo, capite uigeſimotertio, ex Athanaſio Demophilum recitat, & Placitum Antiochenum epiſcopum, Aetium & Eunomium Arianos. Libro quinto, cap. ſeptimo, habet Paulinum & Gregorium, epiſcopos Phœnices: Theodotum Laodicenſem, Georgium, Athanaſium quendam epiſcopum, Cilices. Meminit eorum Victorinus libro primo aduerſus Arium, & Athanaſius ad ſolitariã uitam agentes. Quibus addit in Apologia ſecunda Acacium à Cæſarea, Stephanum Antiochenum, Baſilium Ancyranum, & Quintianum Gazæ epiſcopum, quos Synodus Sardicenſis damnauit.

Theophilus Iudas plurimùm Arianiſmo addictus fuit. Nicephorus libro nono, capite decimooctauo. Probatius eunuchus Arianus habetur apud Sozomenum libro ſexto, capite quinto.

In Synodo Illyrica, hi non confeſsi filium Dei & ſpiritum ſanctum ex patris eſſe eſſentia, abdicati ſunt: Polychronius, Telemachus, Fauſtus, Aſclepiades, Amantius, Cleopater. Theodoretus ex epiſtola eius Synodi, libro quarto, capite nono.

Arianis his ueteranis Conſtantius, pulſo Athanaſio & omnibus presbyteris, iuſsit eccleſias donari: ut Ammoni, Marco, Irenæo, Sozimo, Serapioni & Siſinnio epiſcopo in Lybia. Athanaſius ad ſolitariam uitam agentes. Hilarius collegio Vrſatij & Valentis etiã Saturninum annumerat, in libro cõtra Conſtantium: & libro contra Arianos, Auxentiũ Mediolanenſem epiſcopum, & Germiniũ.

Promota igitur eſt iſta peſtilentiſsima hæreſis tum ab epiſcopis, tum etiam à Magiſtratibus politicis mirum in modum, ſicut Epiphanius præclarè inquit: Nemo Arianiſmi cauſa eſt, quàm primùm quidem probatio fidelium, Regum uerò defenſio. Principium quidem Cõſtantius rex, in alijs quidem omnibus mitis & bonus, uelut filius magni & perfecti Conſtantini pij, perſuaſus uerò ab Epiſcopis, &c. Irretito enim & occupato

Conſtanti

Constantij animo, Ariani eum pro arbitrio uersarunt. Theodoretus libro secundo, capite octauo. Ac per eundem omnia quæ uoluntperpetrant. Athanasius ad solitariam uitam agentes. Facilem etiam aditum & uiam ad se Ario & discipulis suis statim, posteaquam imperium ei obtigisset, patefecit: Orosius libro septimo. Post sublatum igitur Maxentium, in eam curam solam incubuit, ut Occidentales episcopos omnes ad consensum cum Arianis adduceret, usus ad hoc primùm non ui, sed blandis persuasionibus. Sozomenus libro quarto, capite octauo & undecimo.

Promouit & Valentinianus, Imperator simul & Arianus factus: nisi quòd postea à Theodosio in uiam reductus est. Adiunxit suas operas simul & Iustina coniunx, Arianorum alumna: quæ & Gratiano Imperatore mortuo, filij adolescentis admodum, Valentiniani iunioris animum, Ariano ueneno infecit: & contra Ambrosium, sicut suprà dictum est, multa molita est. Theodoretus libro quinto, capite duodecimo & decimotertio: Socrates libro quinto, capite undecimo: Ruffinus libro secundo, capite decimoquinto.

Valens deinde Arianæ doctrinæ defensor acerrimus fuit, ut Hieronymus ait aduersus Luciferianos. Occasione enim baptismatis, quod ei Eusebius cõtulit, corruptus fuit: Epiphanius. Is & Athanasio per epistolam, ut Arianos recipiat, persuadere conatur: ac nisi faciat, Athanasio dura minatur: apud Sozomenum libro secundo, capite decimooctauo. Quod cum Athanasius non faceret, studet cum Theogonio Nicæno Arium instituere, & Athanasium Alexandrina ecclesia ejicere. Sozomenus libro secundo, capite uigesimosecundo.

Promouent & Valens & Vrsatius Pannoniæ episcopi, & Macedonius, Arianismũ: Sozomenus libro secundo, capite uigesimoseptimo. Leõtius item, Aetius & Eunomi⁹: Theodoretus libro secundo, capite uigesimoquarto, ex Athanasio.

Constantino mortuo, Eudoxius & Acacius omnem lapidem mouerunt, ut in oblitionem eorum omnium quæ Nicææ decreta erant, omnes inducerent: Sozomenus libro quarto, capite uigesimosexto. Gregorius armata manu Alexandrinam ecclesiam occupat. qua in re auxiliatrices ei manus adferunt, qui ibi erant, Ariani: Sozomenus libro tertio, capite sexto. Romæ Liberius episcopus, à Constantio urbem ingresso persuasus, Arianæ hæresi subscripsit: Sozomenus libro quarto, capite undecimo.

Ita igitur non una tantum periclitata est Ecclesia: neque duæ solum, aut tres, in molestam hanc & tristem tempestatem inciderunt: sed fermè à finibus Illyricis ad Thebaidam usque, hæretica pestis omnia depopulata est: Basilius epistola sexagesimanona. Totum enim Orientem, excepto Athanasio & Paulino, Arianorum & Eunomianorum hæresis possedit: Hieronymus aduersus errores Ioannis Hierosolymitani. Peruagatam esse hanc hæresin totam Ægyptũ, Lybiam, & superiorem Thebaida, Socrates lib. primo, capite sexto indicat. Semel enim & simul ex Ægypto & Lybia expulsi nonaginta sunt episcopi, & ecclesiæ Arianis traditæ: Athanasius in Apologia ad Constantium. Sunt Arianæ & ecclesiæ Palæstinæ: quemadmodum ex Sozomeno uidere est libro primo, capite decimoquinto. Et Antiocheni post Eustathium pulsum, triginta totos annos Arianismũ perferre coacti sunt. Theodoretus libro secundo, capite trigesimoprimo. In Mesopotamia quoq; sub Valente grassata est hæc lues: Epiphanius.

Ad Nicomedienses hæc scribit Constantinus, apud Theodoretum libro primo, capite decimonono: De Eusebij institutione & peruersione, conscientia uestra à ueritate discessit. Contentio de Arij dogmate ingẽs fuit in Bithynia, Hellesponto, Thracia, & Constantinopoli maximè, ubi sub Constantio nullum catholicis fuit oratorium, ideo quòd omnia ea Ariani destruxerant. Sozomenus libro secundo, capite uigesimoprimo: & libro quarto, capite uigesimo, & uigesimoseptimo.

Pannonia habuit episcopos Arianos, importunè grassantes, Valentem & Vrsatium: qui etiam Italiam & Illyricum infecerunt. Sulpitius Seuerus libro secundo. Tametsi Occidentem semper liberum fuisse ab Ariana peste, Theodoretus referat libro quinto, capite sexto.

Gallias uerò hac hæresi adflixit Saturninus Arelatensium episcopus. Sulpitius ibidem. Nulla denique Romani imperij gens erat, quæ calamitatem Arianorum non experiretur.

CONFVTATIONES.

Furoribus & blasphemijs Arij & sectatorum eius, mox in ipso exordio, pij, eruditi & præstantes uiri sese opposuerũt. Et quidem egregiam in ea re operam nauauit Alexander episcopus Alexandriæ. Ario & Euzoio diacono, Alexander episcopus Alexandrinus primùm se opposuit, multis disputationibus: qui Arium tandem, cum ex crebris admonitionibus non resipisceret, ex Ecclesia & ciuitate, ueluti magnum malum in uita productum, expulit. Theodoretus libro primo, capite uigesimoquinto: Sozo-

menus libro primo, capite decimoquinto: Epiphanius. Inde autoritate & pietate Constantini Magni res Arij relata ad Synodum Nicænam est, quæ Arium cum omnibus suis damnauit & proscripsit. Eadem & librum Arij, inscriptum Thaliam, stylo molli & dissoluto, improbauit. Socrates libro primo, capite nono. In eadem Synodo Eustathius Antiochenus, Arij blasphemias refutauit. Theodoretus libro primo, capite septimo & octauo: Nicephorus libro octauo, capite uigesimoprimo. Damnauit eandem hæresin & Synodus Sardicensis, sub Constante: Theodoretus libro secundo, capite octauo. Basilius Ancyranus tam diu quàm Constantius imperauit, Arianis restitit. Sozomenus libro quinto, capite undecimo, multa etiam contra Arianos scripsit. Est etiam Asclepas Gazensis episcopus Arianis aduersatus. Sozomenus libro tertio, capite octauo. Sic etiam Didymus cæcus, Ecclesiasticus scriptor, Arianis restitit. Nicephorus libro nono, capite decimoseptimo. Contradixerunt isti hæresi & alij huius ætatis præstantes uiri: ut Ambrosius, Epiphanius, Philaster, Marius Victorinus, & similes.

Priusquam autem confutationes recenseamus, operæ precium uidetur, rationes Arianorum futiles, quarum quidem probati autores mentionem faciunt, commemorare. Filium Dei non esse personam diuinitatis, coessentialem & coæternum patri, sed meram creaturam, adstruere conatus est Arius, ex deprauatis dictis scripturæ. ut Lucæ secundo: Crescebat & proficiebat ætate. &, Qui misit me, maior me est. &, Non ueni facere uoluntatem meam. &, Filius à se nihil potest. &, Non est meum dare uobis, sedere ad meam dexteram: Omnia quæ dedit mihi pater, nemo auferet à me: Rogabo eum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorum: Si non potest transire calix, fiat uoluntas tua: Quæ sunt ei placita, semper facio: Dedit illi nomen, quod est supra omne nomen: Exaltauit puerum suum: Propterea unxit te Deus tuus: Excitauit illum à mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam. Athanasius: Hilarius libro undecimo de Trinitate: Ambrosius libro secundo de fide, capite tertio. Item, Dominus creauit me in initio creaturarum suarum, ad opera manuum suarum: quod dictum, Epiphanius scribit, primam Ario præbuisse occasionem, hæresin contra filium Dei fingendi. Item, Tanto præstantior angelis factus, quanto præstantius nomen præillis sortitus est. &, Pontificem confessionis nostræ IESVM, fidelem existere ei qui eum creauit. Item, Deus hunc IESVM Dominum & episcopum fecit. Athanasius: item Gregorius Nazianzenus libro quarto de Theologia: Epiphanius hæresi sexagesimanona: Ambrosius libro primo de fide, capite septimo. Item, De die illo nemo nouit, neque angeli, neque filius. Athanasius: Hilarius libro nono de Trinitate: & Gregorius Nazianzenus libro quarto de Theologia: Epiphanius: Ambrosius de fide libro quinto, capite octauo. Item: Lachrymatus est, dixit spiritum suum turbatum esse: Clamauit, Deus meus, cur me dereliquisti? hæc Deo non conuenire dixit. Athanasius: Hilarius libro decimo de Trinitate, & in Matthæi canonem trigesimumprimum. Item, Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum: hic solum Deum uocari patrem. Athanasius, Nazianzenus, Epiphanius. Item, Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum: igitur non est natura Deus, dum hoc cæteris Deum patrem esse profitetur, quod sibi sit. Hilarius libro undecimo de Trinitate: Nazianzenus libro quarto de Theologia: Epiphanius in hæresi Ariana. Item, Cum subiecta ei fuerint omnia, tunc ipse subiectus erit ei qui sibi subiecit omnia: Ergo inferioris naturæ erit à Deo patre, cum ei subijcietur. Hilarius & Nazianzenus ibidem. Item, In forma Dei existens, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Vult ergo inferior esse, non uolens rapinam arbitrari æqualem esse. Marius Victorinus Afer, libro primo contra Arium. Item inter Arianorum fundamenta & hæc fuerunt, ubi scriptura dicit, Christum accipere uitam, aut iudicium, aut hæreditatem gentium, aut potestatem omnis carnis, aut gloriam, aut disciplinas: Gregorius Nazianzenus libro quarto de Theologia. Item, Quod factum est in ipso, uita erat: Ergo factum est Dei uerbum. Ambrosius libro tertio de fide, capite tertio. Post me uenit uir, qui ante me factus est: Idem eodem, capite quinto. Caput Christi Deus: Qui plantat, & qui rigat, idem sunt. Idem libro quarto de fide, capite secundo. Item, Non potest filius à se facere quicquam, nisi uiderit patrem facientem. Idem eodem, capite tertio. Ego uiuo propter patrem. Ambrosius libro quarto de fide, capite quinto. Item, Ego sum uitis, pater meus agricola est. Agricolam & uitem diuersæ dicunt esse naturæ, & uitem in agricolæ potestate. Item, Vt dem eodem, capite septimo. Item, Vt clari-

clarificetur filius eius per ipsum. Idem eodem, capite quinto. Item, Deus excitauit eum à mortuis, inquit Apostolus. Si igitur opus habet auxilio Dei, ut excitetur, alius est qui excitat potentia, alius autem inferior qui excitatur per potentis potentiam. Item, Christus inquit pro discipulis orans: Fac eos ut sint in me, uelut & ego & tu unum sumus. Hæc ait, non de æqualitate substantiæ, sed concordia dici. Non poterant discipuli coessentiales Deo fieri. Item: Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri. Item, Oportet eum regnare, donec posuerit inimicos suos sub pedes suos. Oportet, donec tradet regnum, temporis inquit est præscriptio: Ergo & quies & dissolutio ipsius regnantis indicatur. Epiphanius hæresi sexagesimanona. Item, Pater maior me est: Ergo non habet in omnibus perfectam deitatem. Faustinus libro de fide contra Arianos, capite quarto. Item, Dominum eum & Christum Deus fecit hunc Iesum. Item, Dominus creauit me initium uiarum suarum. Sapientiam autem Paulus interpretatur esse Christum: est igitur creatura. Idem eodem, capite sexto. Item, Omne opus & initium sustinet, & fine carere non potest: Filius est genitus: Ergo non potest sine initio & fine esse. Item, Omnis translatio est abiectio pristini status: at Verbum caro factum est: ergo filium necesse est ex tali substantia esse, quæ conuerti, mutari, & uideri queat. Id uerò patri minimè conuenit, de quo scriptum sit: Ego sum, & non mutor: &, Deum nemo uidit unquam. Athanasius. Si uera, inquit, homousij est assertio, falsa erit Apostolorum prædicatio, quæ sine hoc nomine longa per tempora floruerat. Si uerò Apostolica fides, huius nominis expers, uera est, sicuti & est: hæc sine dubio falsa erit, quæ antiquæ fidei nominis nouitatem adiecit. Athanasius in disputatione contra Arium, & Nazianzenus tractatu de fide. Item, Si pater genuit filium, necesse est eum partem substantiæ per deriuationis generationem perdidisse, aut diuisionis uitium perpeti uoluisse: Sed hoc non est consentaneum: Ergo. Eôdem quoque spectat: Si pater filium genuisset, oportuisset ipsum abundare & effluere: Sed determinatorum est effluere, pater uerò infinitus est: Ergo coæternus non potest esse filius: Ergo Christus si esset coæternus patri cœlesti, non filius, sed frater potius dicendus esset. Item, Si exaltatus est, & gratiam accepit: Ergo conuertibilis est. Item, Si primogenitus est filius Dei omnis creaturæ, certum est eum ex rebus creatis unum esse. Item, Vnus Deus est: Ergo Christus non potest esse Deus. Item, in ueteri non dicitur de filio, sed de uerbo: Ergo filius uerbo ætate minor est. Item hoc dictum, Ex utero ante luciferum genui te, in Mariam dicunt competere, ac filium ante exortum stellæ matutinæ ex Maria natum esse. Deo enim uteri uocabulum non congruere. Item, ingenitum dicunt esse, quod suæ essentiæ autorem non habet: Filium uerò habere. Item, Minorem esse petentem datore. Athanasius. Item, Qui natus est, cœpit: qui cœpit, non fuit: qui non fuit, non patitur ut fuerit: Ergo non fuit Christus, antequam nasceretur. Hilarius libro duodecimo de Trinitate: Ambrosius libro primo de fide, capite quinto. Item, Deus est inuisibilis, filius uerò uisibilis, Ergo non Deus: Gregorius Nazianzenus in Tractatu de fide: Ambrosius libro primo de fide, capite octauo. Item, Si filius est, antequam generaretur non erat: aut si erat, cur natus est? Ambrosius libro quarto de fide, capite secundo. Item, Si uerbum patris filius est, & ideo genitus dicitur, quia uerbum est: quod ante uerbum est, opus non est: multifariam locutus est pater, multos ergo generauit filios, si non operatus est, sed locutus est uerbum. Ambrosius libro quarto de fide, capite quarto. Si uoluntate generauit pater, uoluntas antiquior est generatione, quia omnia quæ uoluit fecit: sin inuitus generauit, inualidus erit. Ibidem. Item, Vocabulum ὁμοούσιον non est in sacris literis, Ergo filius Dei non est ὁμοούσιος patri. Ambrosius libro primo de fide orthodoxa, contra Arianos. Item, Cum omnis substantia contraria recipiat: Deus uerò qui nihil diuersum admittere potest, in substantia dici non debet. In eodem, capite quarto. Christus rebus creatis in sacra Scriptura comparatur. Vocatur enim ianua, uia, columna, nubes, petra, agnus, &c. Ergo & creatura abusiuè potest dici. Epiphanius hæresi sexagesima nona. Verbum posterius est eo, cuius est uerbum: Filius igitur minor est. Augustinus de hæresibus capite sexto. Vnigenitus est Christus, & primogenitus: Ergo non ingenitus. libro primo contra Maximinum. Item, Quia pater dedit uitam filio, filius autem accepit, ideo æqualis patri filius non est. Idem libro tertio contra Maximinum, capite decimoquarto. Item, Si ambo sunt ab æterno, duo erunt ingenita. Idem contra Felicianum Arianum, capite quarto. Item, Christus natus est ex uirgine, ideo Deo patri non est coæternus. Ibidem capite undecimo. Item, Nasci est motus non extantis, ut sit: Ergo

Christus non fuit ab æterno. Ibidem capite duodecimo. Item, Mortuus est Christus, Ergo non est Deus. Ibidem capite decimoquarto.

Spiritum sanctum esse creaturam, his argumentis Ariani conati sunt probare. Iohannes affirmat omnia per filium facta esse, nihil cooperante cum filio Spiritu sancto. Deinde emitti dicitur à patre è cœlis, ad præsidium discipulorum: Quod igitur de loco in locum transit, id transitoriæ est substantiæ. Ex qua re liquet, eum conditæ naturæ esse, & nequaquam inconditæ. In disputatione contra Arianos.

Basilius in sermone de spiritu sancto, hoc eis fundamentum tribuit: Nihil in rebus existentibus est, quod non in distinctionem hanc cadat, ut uel sit ingenitum, uel genitum, uel creatum: Sed spiritus nec ad primum, nec ad secundum referri potest: Ergo ad tertium.

De fundamentis, seu potius uanitatibus Arij, Athanasius in compendio de Spiritu sancto inquit: Ariani Sadducæorum more, humanis rationibus diuinam scripturam excipiunt & cauillantur. Et Nazianzenus in oratione de fide inquit: Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis Arianæ, dum non intelligunt uirtutem Dei, neq; tanti sacramenti dispositionem cognoscunt, ut Deum humanis conditionibus comparent.

Ambrosius libro primo de fide, capite tertio, de Arianis ita inquit: Omnem uim uenenorum suorum in dialectica disputatione constituunt. Hinc eosdem Epiphanius libro secundo, tomo secundo, nouos appellat Aristotelicos. Et libro tertio, Tomo primo ait: Arianos alios ex Luciano & Origene occasionem accepisse, quosdam uerò cum Asterico Sophista conuersatos esse. Athanasius uerò ad solitariam uitam agentes, appellat eos Porphyrianos. Et Hieronymus aduersus Luciferianos, Arianam hæresin testatur, argumentationum riuos de Aristotelis fontibus mutuari.

In genere hanc pestilentem hæresin fœdosque errores refutans Athanasius inquit: Se credere secundum diuinas scripturas, Deum & Dominum patrem ingenitum, & filium à patre genitum, & Deum ac Dominum spiritum sanctum. Item, Ego credo secundum diuinam substantiam ac maiestatem, spiritum patrem, spiritum filium, spiritum quoque spiritum sanctum: Domino in Euangelio dicente, Spiritus est Deus. Et ideo secundum diuinam substantiam, inuisibilem confiteor patrem, inuisibilem filium, inuisibilem spiritum sanctum: & neque maius aliquid neque minus in Deitatis substantia credo. Propterea eundem reddo honorem filio & spiritui sancto, quem patri: præcipiente Domino, Qui honorificat filium, & cætera. Et de spiritu sancto: Qui blasphemauerit in spiritum sanctum, non remittetur ei. Athanasius in disputatione contra Arium.

Confutatio primæ Hypotheseos Arianæ contra diuinitatem Christi.

Dictum Lucæ secundo, crescebat & proficiebat ætate, quo abutebantur Ariani, ad diuinitatem Christi labefactandam, ait Athanasius libro de fide sua, de homine loqui, & non de Deo filio. Item: Diuinitatem (inquit) filij his probo testimonijs: In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Item, In principio erat uerbum, & cætera. Ibidem docet hæc dicta: Qui me misit, maior me est: Non ueni facere uoluntatem meam: &, Filius à se nihil potest: Non est meum dare uobis regnum: Transeat à me calix: & similia, non infirmare filium, sed à patre distinguere, & humilitatem eius & incarnationem ostendere. Item pluribus uerbis explicat, quomodo Verbum caro factum sit: Ibidem.

Oratione tertia contra Arianos inquit: Stulti, si omnino omnis creationis primogenitus est, diuersum ergo quiddam à rebus creatis fuerit. Non enim dixit, Primogenitus est omnium aliarum creaturarum: ne ueluti unus ex creaturis, ob cognationem haberetur: sed Vniuersæ creationis, ut diuersum quiddam esse à creaturis intelligeretur. Veritas ipsa tam absurdam opinionem refutat, docetque eum primogenitum inter multos fratres appellatum esse, ob carnis nostræ cognationem: primogenitum quoque ex mortuis, eo quòd per eum, & cum eo resurrectio mortuorum incœperit.

Ibidem & dictum in prouerbijs, Ante æuum fundauit me, quo contra Christum utebantur Ariani, exponit. Hoc dictum, inquit, prouerbialem speciem habet. Non dixit, Ante æuum me uerbum aut filium fundauit: sed simpliciter, Fundauit me: ut denuò ostenderet, se non sui causa, sed propter nos, qui ipsi inædificandi erant, ita de seipso prouerbialiter locutum esse.

Item sermone quarto contra Arianos: Ego sum Deus, & non est alius. Ego sum primus,

primus, &c. Deus per Verbum suum locutus est: non igitur uerbum istis excluditur. Sicut & in dicto prophetæ, Ego solus extendi cœlos: particula Solus, uerbum seu filius non excluditur: cum de ipso etiam dictum sit, Sine eo factum est nihil. Quare nec similibus particulis excluditur, sed in uno, solo, primo, consignificatur et cointelligitur Verbum.

Ibidem refutat, quod obijciebant Ariani, Christum lachrymatum & turbatum esse: unde nitebantur probare, Christum meram esse creaturam. Ista, inquit, quæ exprobratis, non propria sunt naturæ uerbi, in quantum uerbum est: sed eatenus eius sunt, quatenus Verbum in carne erat, quæ istiusmodi affectus patiebatur. Humanitùs igitur ista dixit.

In oratione contra Arianos refutat, quod Ariani dictum, Ex utero ante luciferum genui te, ad Mariam transferunt. Cum scriptura, inquit, loquitur de utero Dei, non ita excipiendum, quasi corporeus sit ille uterus. Consuetudo enim est sacrę scripturę, humanitus ea quę supra hominem sunt eloqui & significare: ut de creatione, Manus tuæ fecerunt me. Idem in disputatione contra Arium, refutat prauum intellectũ istius sententiæ, Hæc est uita æterna: ex qua Ariani concludebant, Christum non esse uerum Deum. Atqui, inquit, ista cum primis uerbis per coniunctionem Et cohęrent, neque quę sequuntur inde dirimenda sunt: & constanter apud rectè sentientes in confesso est, ambas partes Dominicæ uocis inter se copulari debere. Sed audi & scriptam demonstrationem, ut non erres. Iohannes apostolus ita locutus est: Scimus quòd filius Dei uenit, & dedit nobis intellectum, ut cognoscamus uerum Deum: & sumus in uero eius filio Iesu Christo: hic est uerus Deus, & uita æterna. Iam ne animaduertis, easdem uoces de patre & filio proferri, æqualiter patri & filio deitatem imputantes? Et Nazianzenus de eodem dicto: Mea est (inquit) opinio, illud, Cognoscant te solum uerum Deum, ad eos, qui cum dij dicantur, tamen non sunt, tollendos ualere. Alioqui si Christo ex aduerso responderit, adiectum non esset, Et quem misisti IESVM Christum. libro quarto de Theologia. Et Epiphanius: Ideo dixit, inquit, ne multitudo Deorum putaretur, ne diuisio fieret uitalis cognitionis. Si enim solus Deus uerus pater: uerus est filius, ex patre uerè genitus. Nam colens patrem, & solum ipsum uerum Deum reuelans, se ipsum ostendit ex patre uerè genitum.

Hilarius libro nono de Trinitate: Hæc dicta, ad significandum natiuitatis sacramentum à Domino: Qui me uidet, uidet & patrem: Pater in me est, & ego in patre: Ego & pater unum sumus: quia negare hæretici non possunt, ita conantur eludere, ut ad uoluntatis concordiam referant. Et libro duodecimo de Trinitate: Per Dominum Christum creata sunt omnia, atque ideo ei proprium nomen est ut sit Creator. Deinde & Melchisedech uerba de Christo intelligenda sunt: Benedictus Abraham, Deo summo, qui creauit cœlum & terram. Et Oseæ illa: Formans cœlum, & creans. Item: Si Christus creatura est, corruptioni subiectus est, expectationi obnoxius est, & subiectus etiam seruituti: sicut Apostolus inquit, Vanitati creatura subiecta est. Item: Si Christus creatura est, pater quoque non differt à creatura: quia Christus in forma Dei est, id est, æqualis Deo. Et licet formam Dei acceperit, & se euacuauerit, tamen non abolitus est, ut non esset, cum esset & aliud quàm fuisset. Et æqualis Deo est, quia filius est: & qui non honorificat filium, non honorificat patrem: Qui igitur filium creaturam appellat, etiam patrem creaturam facit. Item, Natura humanæ consuetudinis non finit, sed nec doctrinæ Dominicæ sententia patitur, magistro discipulum præesse, uel seruum imperare domino: quòd alterum alteri per ignorantiam subiaceat, ut ignarus scientiæ, & per conditionem inferior sit, ut dominatui seruitus. Quæ cum ita esse commune iudicium sit, cuius nos nunc temeritatis exemplo, Deum creaturam, & filium Dei facturam & dicemus & existimabimus? Cum nusquam nobis hoc de se, & Magister & Dominus, seruis ac discipulis suis, locutus sit, neque natiuitatem suam aut creationem aut facturam docuerit? Sed & pater nihil aliud quàm filium testatus sit, & filius nihil aliud quàm proprium sibi Deum patrem professus sit? Natum utique, non factum aut creatum. sicut ait: Omnis qui diligit patrem, diligit & filium, qui natus est ex eo. Factura autem, opera creaturarum sunt, non generationis natiuitas.

Faustinus in libro de fide contra Arianos, cap. quarto inquit: Dictum illud, Dominum illum & Christum Deus fecit hunc Iesum, referendũ est ad hoc quod dicitur, Filius Dei filius hominis factus est. Fecit enim Deus secundum carnem illum Dominum & Christum. Nam secundum hoc quod est unigenitus filius Dei, non est factura aliqua, promotionem expectans: sed in omnibus perfectus existens, sicut pater eius. Non enim dicitur, quod substantia sit factura uerbum: sed uerbum est Christus, & Dominus factus. Item capite quinto, ad hoc Salomonis,

Dominus creauit me initiũ uiarum ſuarum, inquit: Additur in textu, Ante omnes colles genuit me. Aliud deinde dicere eſt, Sapientiam creari, & Sapientiam eſſe creaturã, quod nuſquã legitur. Nõ enim omne quod creatũ eſt, creatura dicẽdum eſt, etiamſi omnis creatura creata ſit. Sicut nec omne quod factum eſt, factura dicendum eſt, licet omnis factura facta ſit. Vt hinc, Deus ſuſceptor meus factus es tu: non ſequitur, Deum dicendum eſſe facturam. Item, Cor mundum crea in me Deus. Non enim omne quod creari dicitur, ſtatim ſecundum ſubſtantiam fieri intelligendum eſt. Sed ſapientia cum creari dicitur, non iam ſubſtantia eius, quaſi quę non fuerit, facta eſt: ſed ipſa exiſtens creata, eſt initium uiarum Domini.

Et cum uerè à Deo genita ſit ſapientia, id exiſtens ſecundum ſubſtantiam quod eſt genitor: non igitur adoptione filius Chriſtus eſt, ſed uera Dei progenies.

Quod Ariani dicebant, Chriſtum eſſe primogenitum omnis creaturæ: Hieronymus in ſecundo capite ad Titum inquit: Magnus Deus IESVS Saluator dicitur, ut Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri IESV CHRISTI. ad Titum ſecundo. Et Ieſus Chriſtus, uocabula aſſumpti hominis ſunt. Neque uerò alium Ieſum Chriſtum, alium Verbum dicimus, ut noua hæreſis calumniatur: ſed eundem & ante ſecula, & poſt ſecula, & ante mũdum, & poſt Mariam, imò ex Maria magnũ Deum appellamus Saluatorem noſtrum IESVM Chriſtum.

Item in uigeſimoſeptimo capite Matthæi: Nautę & uectores uerè filium Dei Chriſtum confitentur, Matthæi decimoquarto dicentes, Verè filius Dei es. Et Arius in Eccleſia prædicat creaturam. Item: Centurio ante crucem, in ipſo ſcandalo paſsionis, uerè Dei filium confitetur: & Arius in Eccleſia creaturam prædicat.

Secundæ hypotheſeos confutatio.

Alexander epiſcopus Alexandrinus in ſua epiſtola, quæ extat in Socrate libro primo, capite ſexto, egregiè confutat Arij deliria: Quis Ioannem, inquit, dicentẽ audiens, In principio erat uerbum, non condemnat hoſce dicentes, Erat aliquando tempus quo non erat? Aut quis nam in Euangelio Chriſtum unigenitum eſſe filium, & per illum omnia eſſe facta audiens, iſtos non reprehendat, cum filium unum ex creaturis eſſe dicunt? Etenim quomodo par illis eſſe poteſt, quæ per ipſum facta ſunt? Aut quomodo unigenitus eſt, ſi omnibus eſt reliquis, ſicut illi uolunt, connumeratus? Quomodo autem eſſe poteſt ex non exiſtentibus, cum pater dicat, Eructauit cor meum uerbum bonum: & Ex utero ante luciferum genui te? Vel quomodo patri ſecundum eſſentiam ſimilis non eſt, cum ſit perfecta imago & ſplendor patris, & dicat: Qui me uidet, uidet & patrẽ meum? Quomodo uerò, ſi uerbum & ſapientia Dei eſt filius, aliquãdo tempus fuit quãdo nõ fuerit? Perinde namq; eſt, ac ſi Deum aliquando irrationalem & inſipientem fuiſſe dicant. Quomodo mutabilis aut alterabilis eſt, cum per ſe ipſum dicat: Ego in patre, & pater in me eſt? & Ego & pater unum ſumus? Per Prophetam autem dicit: Videte me, quòd ego ſum, & non mutor. Nam licet hoc dictũ ad patrem etiam referri poſſit, conuenientius tamen fuerit ut de uerbo iam dictum intelligamus, quod homo factum, mutatum non ſit: ſed ſicut Apoſtolus dicit, IESVS Chriſtus heri & hodie idem ipſe, & in ſecula. Quid igitur illis dicere perſuaſit, quod propter nos ſit factus: cum tamen Paulus dicat, Propter quem ſunt omnia, & per quem omnia? De blaſphemia uerò illa, de qua dicunt, quòd patrem filius perfectè non cognouerit, admirandum non eſt. Semel enim Chriſtum impugnare propoſuerunt: ideoque & uoces eius non audiunt, quibus dicit, Sicut nouit me pater, ita & ego cognoſco patrem. Quod ſi pater filium ex parte tantum nouit, manifeſtum eſt, quòd & filius patrem uiciſsim ex parte tantum cognoſcat. Si uerò nefas eſt hoc dicere, ſed filium pater perfectè nouit: perſpicuum eſt, quòd ſicut pater uerbum ſuum nouit, ita nouit & uerbum patrem ſuum, cuius uerbum exiſtit. Idem Alexander Alexandrinus, Alexandro Conſtantinopolitano miſit epiſtolam, in qua Arij errores iuſtis fundamentis refellit. Quod autem filius Dei, inquit, ex nihilo genitus ſit, neque fuerit unquam cum ille non eſſet, ſatis inſtruere Ioannes euangeliſta nos poterit, ita ſcribens de illo: Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris. Volens enim prudenter docere diuinus magiſter, res duas inſeparabiles inter ſeſe, nempe patrem & filium, ſic eſt loquutus, ut diceret, ipſum in ſinu patris eſſe. Præterea, non numerari inter creata de nihilo uerbum Dei, ex eo oſtenditur, quòd idem Ioannes ait, Omnia per ipſum facta eſſe. Nam peculiarem propriamq; ipſius ſubſtantiam declarauit, cum dixit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. ſi enim per ipſum facta ſunt omnia: quomodo is qui factis, ut eſſent, largitus eſt, ipſe aliquando non fuit? Non enim quod alia fecerit, eiuſdem eſſe cum illis naturæ, ullius ratio definit. Siquidem & ipſum Verbum fuit in principio, & omnia per ipſum facta ſunt.

Con-

Contrarium enim esse, QVOD EST, uidetur, ijs quæ ex nihilo facta sint, & ualde distare. Illud enim ostendit, nullum inter patrem ac filium esse interuallum: neque quod animus cogitatione sua imaginari possit. Hoc uerò, de nihilo conditum mundum, iuniorem habet & recentem substantiæ genituram, quam essentietatem omnia acceperint à patre per filium. Defixis igitur oculis in Dei Verbum profundum illud ERAT, & excedens omnem genitorum considerationem, attentione summa Ioannes, noluit eius creationem generationem'ue nominare: ne eorundem quidem elemẽtorum complexione, in uoce facientis & factorũ uti ausus: nõ quòd uerbũ ingenitũ esset, (solus enim ingenitus pater) sed quia longè ultra captũ refugeret nõ Euangelistarũ, sed fortasse etiam angelorum, unigeniti Dei ineffabilis substantia: non ratus, ut existimo, ponendos inter studiosos pietatis eos, qui auderent hucusque interrogando progredi, propter subiectionem huius dicti: Altiora te ne quære, & sublimiora ne expendas. Nam si aliorum multorum, quæ sine dubio imperfectiora sunt, cognitio, hominum comprehensioni non patet: (quale est apud Paulum, Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascendêre, quæ præparauit Deus diligentibus se: sed & siderа negat Deus Abraham posse numerare, itemq; arenam maris, & guttas imbris quis, inquit, numerauerit?) hæc igitur cum ita sint, quæ curiositas fuerit, exquirere substantiam uerbi Dei, ullius mortalium, nisi alicuius fortè atra bile perciti? De qua dicit spiritus propheticus: Generationem eius quis enarrabit? Qua & ipse Saluator noster omnium bonorum in hoc mundo columnarum animos exonerare studuit, quibus uniuersis dicitur, secundum naturam comprehensionem illius non esse, soliq; patri reseruatam huius diuinissimi arcani scientiam. Nemo enim nouit quis sit filius, ait, nisi pater: Et patrem nemo nouit, nisi filius. De quo & patrem arbitror dicere: Arcanum meum mihi & meis. Esse autem insanum, de nihilo sentire factum filium, temporali cum processu, ipsum à se DE NIHILO demonstrat: etsi ne intelligunt quidem uocis suæ dementes isti uesaniam. Aut enim temporali dominio includi oportet, id quod dicitur, NON ERAT seu de NIHILO, aut seculorum aliquo interuallo. Si igitur uerum est hoc, OMNIA per ipsum facta sunt: nimirum omnia secula, tempus, interualla: & illud aliquando in quibus reperitur quod aiunt NON ERAT, per ipsum facta sunt. Quam autem fidei rationem habet, dicere aliquando non fuisse factorem temporum, seculorum, momentorum? cum quibus certè illud NON ERAT confusum est. Non enim incomprehensibile tantùm, sed etiam stultissimum cogitatu, autorem alicuius rei, eius ipsius generationis posteriorem perhibere. Nam secundum ipsum præcedit uniuersitatis huius opificem sapientiam Dei illud interuallum, quò mundum genitum fuisse filium à patre asserunt, mentiente secundum ipsos et Scriptura, quæ pronunciat illum primogenitũ uniuersæ creationis. Congruentia cum his proclamat & uocalissimus Paulus, de illo sic inquiens: Quem fecit hæredem omnium, per quẽ & secula creauerat. Sed & in ipso fundata sunt omnia in cœlis & super terram, uisibilia & inuisibilia, siue principatus, seu potestates, siue dominationes, seu solia. Omnia per ipsum & in ipso fundata sunt, & ipse est ante omnia. Cum igitur summa cum impietate hoc de NIHILO constitutum sit, sequitur necessariò, patrem esse patrem: pater autem est præsente filio, quo ipso & paternum nomen inuenit: semper autem præsente filio, semper ille est, perfectusq; pater, in nullo defectu cuiusquam boni: qui nequaquam temporaliter, neq; ex interuallo, nec de nihilo genuit unigenitum filium. Iam non'ne est dictum nefarium, aliquo tempore non fuisse sapientiã Dei? quæ inquit, Ego eram apud illum cõcinnatrix, ego eram qua delectabatur. Quid hoc? Dicere aliquando potentiam Dei, aut uerbum ipsius mutilatũ. Non illa quæ filium indicant, & patrem figurant, non fuisse? Nam qui negat esse resplendentiam gloriæ, aufert & primitiuã lucem, cuius est illa resplendẽtia. Item, Si Dei imago semper non fuit, ne ille quidẽ cuius imago est, Deus sempiternus. Quinetiam si non character sit substantiæ Dei, euertitur & ille qui ab hoc omnino figuratur. Vnde licet intelligere, filietatem Saluatoris nostri, nullã penitus habere cum aliorum filietate communitatem. Quemadmodum enim ineffabilem substantiam illius, incomparabili excellentia præstare omnibus, quibus ipse uitam concesserit, ostendimus: ita & filietatis eius, quæ est secundum naturam paternæ diuinitatis, non dicenda præstantia antecellit eos, qui per ipsum adoptione filiorum nomen cõsecuti sunt. Ipse enim immutabili natura perfectus, & per omnia opulentus, nulliusq; indigens: hi uerò in utranq; partem mutabiles, eius auxilium desiderant. Quò enim progredi ulterius sapientia Dei possit? quid'ue amplius capere ipsa ueritas, aut Verbum Deus? Incrementum'ne fecerit uita, & uera lux? Quæ si fieri nequeunt, quanto magis naturæ repugnat sapientiam fieri capacem stultitiæ? aut Dei potentiam infirmiti implicari? uerbum euanescere incogitan-

tia? aut ueræ luci tenebras obuersari? Cum ex hoc ipso Apostolus dicat: Quæ communitas est luci ac tenebris? quæue consonantia Christo cum Belial? At Salomo fieri nõ posse ait, ut uel cogitatione comprehendatur uestigiũ serpentis in petra, quæ est iuxta Paulum Christus. Sed creaturæ illius tam homines quàm angeli benedictionem accepere, ut progressiones facere possint in uirtutis & legitimorum mandatorum exercitio, ne peccatis irretiantur. Itaq; & Dominus noster, cum natura sit filius patris, ab omnibus adoratur. Verùm qui spiritu seruitutem excusserint, per uirtutem & progressionẽ adepti spiritum adoptionis beneficio naturalis filij, efficiuntur ipsi filij adoptiui. Ipsius autem germanam peculiaremq; & naturalem ac eximiam filietatem Paulus ita demonstra uit, de Deo loquens: Qui quidem proprio filio non pepercit, sed pro nobis, nempe non naturalib. filijs, tradidit ipsum. Vt enim differentia notaretur inter non proprios filios, ipsum proprium appellauit. In Euangelio uerò sic: Hic est filius meus dilectus, in quo est complacentia mea. In psalmis autem ait Dauid: Dominus dixit ad me, filius meus es tu: quo uerus filius demonstratur, cum præterea nullos esse significetur. Quid autẽ illud? Ex utero ante luciferum genui te. An non planè indicat, naturalem filietatem paternæ generationis? quam ille ut naturam peculiarem, non honestate cultuq; uitæ ac morum sit consecutus: ideoq; & inconcussam retinet eam unigenitus filius patris. At rationalium filiorum adoptionem, quæ naturæ nõ sit, sed uitę honestatis & beneficij diuini, scriptura mutabilẽ esse agnoscit. Videntes enim filij Dei filias hominum accipere sibi uxores, & quæ sequuntur: item, Filios genui, & amplitudine extuli, ipsi uerò reprobauerũt me: scimus per Esaiam esse à Deo dictum. Prætermitto multa, quę afferre liceat: importunum enim uidetur, pluribus commonere concordes doctores. Et uos diuinitus instructi estis: neq; ignoratis, hanc nuper inimicã ecclesiasticæ pietati doctrinam Ebionis esse, & Artemæ, & æmulationem Antiochenam Pauli Samosatensis, qui concilio & iudicio omnium undiq; episcoporũ ab Ecclesia remoti fuerunt. Hanc excipiens Lucianus, exclusus à cœtu ecclesiastico longissimo tempore fuit trium episcoporum. Quorum impietatis fæce exorpta, protulere nunc se isti assertores DE NIHILO, stolones illorum, Arius & Achilles, quæq; cum his facit improborum turba: & tres in Syria, haud scio quomodo creati episcopi, approbatione sua igni illi inspirantes: de quibus reseruetur iudicium arbitrio uestro. Atque hi salutaris passionis, abiectionisque & inanitatis, quæque illius dicitur paupertas. horũ igitur & quæ alia trãslata in se propter nos nomina suscepit, ea memorantes proferunt ad expũgendam supremam, & illam in principio diuinitatem ipsius: traditis obliuioni ijs locis, quibus naturalis eius gloria & generositas, & cum patre mansio declaratur. Quale est hoc: Ego & pater unum sumus. Quod Dominus ait, non sese patrem perhibens, neque substantiam duas unam faciens: sed quòd similitudinem paternam soleat exactè referre filius, expressa ex natura ipsius planissimè, qui sit inuariabilis imago patris, & expressus è primitiuo character. Itaq; & Philippo, qui tum aueret patrem cernere, benignè demonstrat Dominus, cum illi dicenti, Ostende nobis patrem, respondet: Qui me uidit, uidit & patrem. tanquam per ipsum, uelut immaculatum & animale speculum diuinæ imaginis, pater conspiceretur, quem in Psalmis similem sanctissimi aiunt: In lumine tuo uidebimus lumen. Proinde, qui patrem ueneratur, idem ueneratur & filium. Rectè quidem. Quicquid enim impiè in filium dicitur, illud refertur ad patrem. Est ne autem admirandum, quod deinceps scribam, amici erga me & pietatis studiosum populum calumnias eos struxisse? An illi ueream sermonibus suis in nos debacchari, qui stant instructi acie aduersum filiũ Dei: qui etiam nullorum ueterum comparationem secum fieri, aut se magistris nostris, quibus à pueris usi sumus, æquari patiuntur? Neque ulli coniuncto nobis societate functionis modulum sapientiæ concedunt, ipsi soli sapientia non quæsita præditi, quiq; glorientur inuentione dogmatum, & reuelatione earum rerum, quæ res nemini omnium quos sol uidet in mentem uenerint. O' nefariam superbiam, malitiam immodicam, uesaniam concinnatam, gloriæ inanitatem, denique satanicum sensum, quo ipsorum sceleratæ mentes occaluere. Non affecit illos pudore claritas deiloqua scripturarum: non collegarum consentiens de Christo studium, eorum procacitatem contra hunc debilitauit, cum nedæmonia quidem tantum nefas sustinere posse uideantur: quippe qui sibi à maledictis in filium Dei temperauerint. Hactenus igitur disceptare pro uiribus nostris uisum est cum ijs, qui parum erudita materia aduersus Christum, uelut in palæstrico puluere sese exercent, & studio sibi habent calumniari pietatem erga illum uestram. Aiunt enim illi ineptarum fabularum inuentores, nos auersantes DE NIHILO in Christum impiam & nusquam perscriptam blasphemiam, ingenita duo introducere. Necesse enim horum esse alterum

aiunt

aiunt insipientes isti, uel ut filium de nihilo extitisse sentiamus, uel duo esse ingenita fateamur. Sed ipsi inertes non uident quantum intersit inter ingenitum patrem, & quę ab illo sunt condita, cùm rationales tum irrationales creaturæ: quorum est media unigenita natura, per quam hanc uniuersitatem de nihilo fecit pater Dei uerbi, quæque ex ipso uero patre genita est. Sicut & ipse alicubi testatur Dominus: Qui diligit patrem, diligit & filium, genitum ex ipso: de quibus ea est fides nostra, quam probat Ecclesia apostolica, In solum ingenitum patrem: qui quod sit, ad nullum ipse alium autorem referat, immutabilem & inuariabilem, semper ad eundem modum & similiter se habentem, neque incrementi neque diminutionis capacem, collatorem legis, prophetarum, Euangelij, Dominum patriarcharum, Apostolorum, & sanctorum omnium. Et in unum Dominum IESVM CHRISTVM, filium Dei unigenitum, non genitum de nihilo, sed de patre qui esset. Non secundum corporum similitudines, incisuris aut diuisionis defluxibus, ut Sabellio & Valentiniano placet: sed ineffabili & non dicendo modo, iuxta eum qui dixit, ut suprà posuimus, Generationem eius quis enarrabit? Cuius substantiam nullius genitæ creaturæ curiositas peruestigare posit, quemadmodum & ipse est imperuestigabilis pater, quia rationalis natura nulla capere potest, diuinæ generationis à patre scientiam. Quæ quidem ex me discere non est æquum, uiros qui spiritu ueritatis aguntur: quibus & insonat præmemorata de hac re Christi uox, quæ docet, Nemo scit quis sit pater nisi filius, & nemo scit quis sit filius nisi pater. Hunc immutabilem & inuariabilem ut patrem, indigentem nullius, perfectum filium, assimilem patri accepimus: solum hoc inferiorem patre, quòd ingenitus non sit. Imago enim est exactissimè expressa indeprauabilis patris: & plena eorum omnium imago esse debet, quibus maior similitudo repræsentetur, sicut & ipse Dominus docuit, cum ait: Pater maior me est. Et secundum hoc credimus, filium semper quoque existere è patre. resplendentia enim est, & character paternæ substantiæ. Non tamen est, quod dicimus, semper sic accipiẽdum, quasi ingenitum esse dicamus, ut quidam sensibus animi excæcatis faciunt. Neque enim cum dicitur, ERAT, neque SEMPER, neque ANTE SECVLA, idem est cum ingenito. Quemadmodum & uos intelligere confido, fretus rectitudine uoluntatis omnium uestrûm, neque omnino ulla horum est nominum talis significatio: neque quicquam fingere potest humana cogitatio, quo denotetur ingenitum. Videntur enim esse hæc nomina quasi temporum quædam extensio: sed quæ nullo modo minuere possint dignitatem diuinitatis, & uelut antiquitatem unigeniti. In contentionibus autem nominandi illa dicuntur, quæ paulo antè recensuimus, dum cupiunt sancti uiri hoc arcanum demonstrare, & ueniam in re maxima petentes, & probabili utentes excusatione. Quod si isti supra humanum modum, uocem excellentiorem emissam per os audire expetunt, aiuntque ea quæ ex parte cognouerint, esse iam destructa, nimirum longè abest ab hac spe quod dicitur, ERAT, ET SEMPER, ET ANTE SECVLA. Quicquid autem fuerit, idem cum ingenito non est. Qua de re conseruanda sua dignitas ingenito patri, qui quod sit, ad nullum referat autorem: filio autem debitus honor habendus, ascribendaque principij expers à patre generatio: & cum hoc uenerationis proloquio, saltem piè & sanctè addemus illud, ERAT, ET SEMPER, ET ANTE SECVLA: neutiquam quidem detrectantes diuinitatem ipsius, sed attribuentes exactissimè similitudinem imaginis & characteris paterni: illud uerò ingenitum, soli patri peculiariter adesse decernentes. Quemadmodum & ipse ait Saluator, Pater meus maior me est. Ad hanc pietatis de patre & filio sententiam, quæ scripturis diuinis perdocetur, confitemur & unum sanctum Spiritum, qui innouarit & ueteris Testamenti sanctos homines, & eius quod nouum appellatur diuinos doctores: unam & solam uniuersalem Ecclesiam, quam non totius mundi oppugnatio possit subuertere, perpetuò uictricem seditiosæ impietatis alienorum dogmatum. Animosi enim reddimur uoce Domini nostri, qui clamat: Bono estote animo, ego uici mundum. Post hæc scimus futuram resurrectionem à mortuis, cuius fuit Dominus noster IESVS CHRISTVS prænuncius: qui cum corpore uero, non opinabili, natus ex uirgine Maria, in consummatione seculorum peregrinus inter homines ad reprobationem peccati, affixus cruci, & mortuus: non tamen ideo diuinitate sua imminutus, resurrexit ex mortuis, assumptusque in cœlum, sedet ad dexteram maiestatis. Hæc carptim exaraui in hac epistola: accuratè singula persequi importunum, ut aiebam, arbitratus, quòd uestrum sacrum studium minimè fugiant. Hæc docemus, hæc prædicamus, hæc sunt Apostolica Ecclesię dogmata: pro his & morimur: & uolentes cogere

ut

ut abiuremus, contemnimus, etiam si tormenta admoueant, non auersantes spem & in illis repositam. quibus aduersata Arij & Achillis factio inimica ueritatis, ab Ecclesia remoti sunt, alieni à pietate doctrinæ nostræ, iuxta beatum Paulum dicentem: Si quis annunciat aliud uobis, præterquàm accepistis, esto anathema, quamuis angelum è cœlo sese esse simulet. Sed etsi quis alienam doctrinam instituit, neque accedat sanis sermonibus Domini nostri IESV Christi, & doctrinæ pietatis, is superbia tumens nihil scit: & quæ sequuntur. Hos igitur anathemate exclusos à fraternitate, nemo uestrûm suscipiat, neque admittat quæ illi loquuntur aut scribunt. Mentiuntur enim uenefici omnia, neque ueritatem unquam proferunt: circum enim urbes cursitant, neque aliud agunt quàm assentationum literas tradere & auferre, quibus seducant deceptas à se paucas mulierculas cumulatas peccatis: & quæ sequuntur. Hos ergo tanta aduersum Christum audacia, qui Christianismo partim occultè detrahunt, partim publicè in iudicijs infamiam studét imponere: qui à se tantam in præsenti pace concitarunt nobis turbam, eneruatores ineffabilis arcani generationis Christi, uos auersati, dilecti & concordes fratres: suffragamini nobis contra furiosam illorum audaciam. Similiter ut alij collegæ nostri, qui moti rei indignitate, & literas dedere ad me contra illos, & in charta anathematis subscripsere nomina sua, quæ & misi ad uos per filium meum Appionem diaconum: ea sunt Lybiæ, Pentapolis, Syriæ, itemque Lyciæ, Pamphiliæ, Asiæ, Cappadociæ, & finitimorum locorum: quos confido, cum hæc acceperitis, uos imitaturos esse. Cùm autem multa auxilia comparauimus saluti eorum qui læsi sunt, tum hoc remedio plebis deceptionem sanatum iri confido: si persuasum illis sit, consentire totam collegij & functionis nostræ societatem, quo futurum uidetur, ut cupidè resipiscant. Salutate uos mutuò, etiam à fraternitate nostra. Valere uos in Domino opto.

Athanasius, de professione religionis Catholicæ: Cur unus in uno est, si diuisa natura est? Cur ego & pater unum sumus, si non est in his una uirtus Sapientiæ & diuinitatis? Idem de Arianis & Catholicis confessoribus ait: Dico homousion, ad filium patre dicente Psalmo centesimo decimo: Tecum principium, &c. Et psalmo secundo: Dominus dixit ad me. Et allegat etiam Ioannis testimonium, In principio erat uerbum, &c. Idem in libro de fide sua inquit: Dominus ipse unum se cum patre esse testatus est, cum dicit: Ego ex Deo exiui: &, Ego in patre, & pater in me: item, Ego & pater unum sumus: &, Qui uidet me, uidet & patrem.

Refutat & obiectionem de uocabulo homousij, Athanasius in disputatione contra Arium: indicans moris esse disciplinæ Ecclesiasticæ, si quando noua doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum uocabula immutare. Probat & exemplo Apostolorum, qui discipulis Christi nomen indiderunt Christianorum. Deinde alijs exemplis: Vt contra Sabellium Ecclesia patrem ingenitum confessa est, quod tamen nomen in scripturis diuinis non reperiatur. Item, quòd Ariani ipsi contra eundem professi sunt, patrem impassibilem. Inde igitur concludit, etiam homousij uocabulum contra insolentes & furtiuos hæreticæ prauitatis esse præsumptum. Sic enim monet, non ualere argumentationem Arianorum à rebus corporeis ad Deum. Potuisse enim Deum filium generare, nec tamen alicuius passionis uicio subiectum fuisse. Item: Non dubito, ait, profitendum, de Dei substantia natum esse, quem constat de patris utero processisse. Item: Si alterius ac diuersæ substantiæ filius esset, non diceret, Sicut pater habet uitam in se ipso, sic dedit & filio. Obijciebant Ariani, in ueteri Testamento nullam fieri mentionem filij. Sed Athanasius in oratione contra Arianos opponit dictum psalmi secundi, Filius meus es tu. Et in Daniele: Species quarti qui apparebat similis filio Dei.

Hilarius libro duodecimo de Trinitate: Abijciendæ sunt hæ tortuosæ quæstiones ex philosophia natæ, & fides spectanda. Homo ambigit, quin quæ in rebus humanis nata sunt, aliquando non fuerint. Sed aliud est, nasci ex eo qui non fuit: & aliud, ex eo nasci qui semper est. Qui non semper pater est, non semper & genuit. Vbi autem semper pater est, semper & filius est. Omne quod semper est, & æternum est. Ab æterno igitur autore uel patre, æterna natiuitas est. Non autem omne æternum quod est, innatum est: Quia quod ab æterno nascitur, habet æternum esse quod natum est. Medium autem aliquid inter natiuitatem filij Dei, & generationem Dei patris, nec ratio, nec sensus admittit: quia & in generatione natiuitas est, & in natiuitate generatio est. Quod utrumque sine interuallo sui est, quia sine utroque neutrum est. Et medium nihil quicquam nomina ista aut natura permittit. Aut enim non semper pater, si non semper filius: aut si semper pater, semper & filius. Quia quantum temporis filio ne semper filius fuerit abnegabitur, tantum

patri deeſt ne ſemper pater ſit. Item: Si Deo initium tribuendum eſt, quo pater eſt, mendax eſt Apoſtolus, qui ea profeſſus eſt æterna. neſcit enim Paulus in Chriſto niſi temporum æternitatem. Deinde de ſolis ac lunę creatione tempora numerare ſolemus, quia ſcriptum de his ſit, Sint in ſigna & tempora & annos. Sed qui ante cœlū eſt, quod ſecundum uos etiam ante tempus eſt, idem & ante ſeculum eſt: neq; ſolum ante ſeculū eſt, ſed etiam ante generationes generationum ſeculum præeuntes.

Marius Victorinus Afer opponit etiam hæc dicta: Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini noſtri IESV Chriſti, ex quo, &c. Et Iohannis primo: In principio erat Verbum. Et ad obiectionem Arianorum reſpondens inquit: Iſta ſignificant, & unam eſſe ſubſtantiam, & unam potentiam. Quomodo enim, Ego & pater unum ſumus? Et quomodo pater in me, & ego in patre, ſi non à patre ſubſtantiam habuiſſet, & potentiam, genitus de toto totus? Et quomodo non rapinam arbitratus eſt, æqualem eſſe patri? Non enim dixit, non arbitratus eſt æqualem eſſe: ſed, Non arbitratus eſt eſſe rapinam. Et, Non eſt illud Arij dogma, quòd maior eſt pater dignitate, potentia, claritate, diuinitate, actione: æqualia enim dixit. Et ſi ſecundum iſtud æqualia, impoſsibile ſecundum iſtud æqualia eſſe, ſi non & ſubſtantia eadem. Dei enim eadem ipſa eſt & potentia, & ſubſtantia, & diuinitas, & actio. Omnia enim unum, & unum ſimplex.

Gregorius Nazianzenus ait: Hæc eſt cauſa erroris, hæc origo hæreſis Arianæ, dum non intelligunt uirtutem Dei, neq; tanti ſacramenti diſpoſitionem agnoſcūt, ut Deum humanis conditionibus compararent. Quibus primo in loco reſpondendum eſt, filium Dei nō ita uiſum, ut Deus erat, ſed ut homo poterat. Deinde in uarijs figuris non mutabilem & conuertibilem ipſum: ſed eſſe hoc potentiæ Dei, ut cum ſi ſingulis prout reuelare dignetur, habitum mutet, non ſubſtantiam uertat, nec proprietatē qualitatis amittat: ſed iuxta meritum uidentis, temperamentū maieſtatis adhibeat: ipſe tamē idem, ut ſemper eſt, in ſubſtantiæ ſuæ proprietate permaneat. ſicut ſcriptum eſt: Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es. Tractatu de fide: & Ambroſius libro de fide contra Arianos, capite octauo. Idem libro primo de fide, capite tertio, Arianorum calumniæ filium patri eſſe diſsimilem reſpondens ait: Hoc ſi homini obijciatur, iniuria eſt. Sic & hoc quod dicunt, ex tempore eum cœpiſſe, cum conditor ipſe ſit temporum. Homines ſumus, & nolumus eſſe temporales, Ex tempore cœpimus, & ſine tempore futuros eſſe nos credimus, & fieri nos optamus æternos. Et quomodo negare poſſumus Dei filium ſempiternum, quem ſempiternum docet atq; demonſtrat natura, non gratia? Prolixius confutat capite quarto, quinto, ſexto, ſeptimo. Et libro ſecundo de fide inquit: Deleant ergo Euangelium, deleant Chriſti uocem. Ipſe enim dixit: Ego & pater unum ſumus.

Epiphanius hæreſi ſexageſimanona, ad criminationem Arianorum, Chriſtum nobis comparari, uocari brachium, &c. reſpondet: Omnia quidem illa abuſiuè dicta ſunt, ſed in deitatem filij non competunt, neque defectuoſum eum faciunt ab eſſentia ipſius erga patrem. Secundò: Si eſt creatura, quid nobis proderit ad ſalutem, & ad Dei uerbi in carne glorificationem, & perfectam deitatem? Tertiò: Si creatura eſſet, non proponeretur ad adorandum, quando dicit, Ne feceris tibi ſculptile, &c. Quartò: Quomodo creauit ſibi Deus filium, & adorari præcepit: cum Apoſtolus dicat, Coluerunt creaturam præter creatorem, & ſtulti facti ſunt? Stultum eſt enim, creaturam deificare. Et ad quod dicebant, Deus excitauit eum ex mortuis, pulchrè dat inſtantiam: Iam & filius, inquit, potentiam habet excitandi mortuos. Quis enim Lazarum, quis uiduæ filium in Nain, quis filium archiſynagogæ excitauit? Cuius nomen Apoſtoli, ſuſcitantes mortuos, inuocabant? Deinde Chriſtus ipſe prædixit, ſe ſua potentia reſurrecturum die tertia: ſicut & clarè inquit, Poteſtatem habeo animam meam ponendi & recipiendi. Denique hac phraſi Apoſtolus uſus eſt, ut oſtendat, nihil ſine uoluntate patris in ſalutis diſpenſatione factum eſſe.

Philaſtrius inquit: Homo & angelus facti ſunt ex nihilo. Filius autem cum ſit uerus, oportet de diuina illa ſubſtantia patris genitus cognoſcatur. Verus enim Deus aliò modo eſſe non poteſt filius unicus, niſi ſit de patris illa diuina ſubſtantia propriè genitus. Sempiterna ſimilitudo itaque filij, & ſecundum opera: Quia ſicut facit pater, & filius ſimiliter facit omnia, & Dei ipſius eſt qualitatis diuina ſubſtantia genitus: quia de ipſo natus eſt propriè ſempiternus, non factus ex nihilo, ut homo, & angelus, aut creatura aliqua eſt.

Fauſtinus cōfutat prolixo libro de fide cō tra Arianos: Omnia per ipſum facta ſunt. Eſt æqualis patri, Paulo teſte. Verus eſt homo, cum formam ſerui accepit. Verus igitur & Deus eſt, cum in forma Dei eſſe perhibeatur. Moſes inducit filiū Dei factorem, non factū. Adhibetur enim cōſors in opere creationis,

ubi dicitur, Faciamus hominem, &c. Item, Est una cum patre imago, cum adoptiuus filius non habeat imaginem adoptantis. Capite primo. Item: Creatura non potest redimere mundum, quem Christus redemit. Et, Abrahã uolens testari de dilectione Dei, obtulit unigenitum: quomodo ergo Deus uerè demonstrans suam mundo dilectionem, non habuisset unigenitum uel proprium filium? Quod si non, minor esset Deus homine, in commendanda dilectione. Et: Si creatura est filius unigenitus, quomodo qui credit in eum, non perit, sed habet uitam æternam: cum credere in creaturam, sit diuinitatis offensio? Et: Nusquam in Euangelio legitur, Christum esse filium Dei adoptiuum: sed filium Dei unigenitum. Et, Ioannis ultimo Christus dicitur uita æterna: quæ neque initium, neque finem habet. Ibidem capite secundo, & capite quarto, respondet ad dictum, Pater maior me est: Hoc, inquit, à filio Dei dictum est: & loquitur de officio ministrantis, non de deitate. Præterea & alibi dicitur, Ego & pater unum sumus: item, Eadem filius patris est imago, forma, substantia, eadem naturæ unitas, potestas, libertas uoluntatis. Idem ad hoc quod Apostolus inquit, Serui formam accipiens, dicit: Igitur qui formam serui accepisse dicitur, in suo statu manere ostenditur. Exinaniuit se, scilicet per occultationem diuinitatis. Sicut & seipsum humiliauit, obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis. Non igitur quod dixit, Pater maior me est, impugnat æqualitatem diuinitatis, sed sacramentum susceptæ humilitatis designat. Denique, Pater maior me est, respectu sacramenti generationis dixit, non deitatis. Non enim dixit, Deus maior me est.

Contra tertiam Hypothesin.

Contra Ariani dogma, patrem solum esse Deum, Hieronymus in caput quartum ad Ephesios sic scribit: Sic eadem consequentia solus erat Dominus IESVS Christus, & nec pater erit Dominus, nec filius Deus. Sed absit, ut non sit uel in dominatione deitas, uel in deitate dominatio. Vnus est Dominus, & unus est Deus: quia patris & filij dominatio una diuinitas est. Propterea & fides una dicitur, quia similiter in patrem & in filium & in spiritum sanctum credimus.

Contra Quartam.

Hilarius præclarè inquit: Absit, ut, quemadmodum sapiunt, pater maior filio suo sit, secundum quod uingenitum eius uerbum est: sed secundum id, quòd uerbum Dei caro factum est. Sed quid mirum, quando in eadem carne factus est etiam angelis minor?

Contra Quintam.

Grauiter Athanasius inquit: Quid coruscum Pauli apostoli eloquium renuis, dicentis: Christus, qui dum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo? Vel hoc intellige, quòd nemo sui ipsius formæ æqualis comparetur, cum forma æqualis in una persona dici non possit. Item, Pater quidẽ Deus & Dominus est filio suo, quia ineſt in eo forma similis, quæ prophetabatur cum diceret, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. cui etiam in eadem prophetia dicit idem filius: De uentre matris meæ Deus meus es tu. De uentre quippe matris eius, ubi hominem assumpsit, Deus eius est: qui propter quòd eum non solum ante matrem matris, sed ante omnia secula coæternum genuit, pater eius est. Idem in oratione secunda contra Arianos: Scriptura sempiternè eum, æternaliterq; cum patre coexistere pronunciat, dum dicit: In principio erat uerbum. Et in Apocalypsi: Qui est, qui erat, & qui uenturus est. Huic sententiæ quis nam æternitatem adimeret? Idem in Synodo Ariminensi & Seleucensi allegat episcoporum in Nicæna Synodo decretum, quod filius esset patri consubstantialis.

Contra sextam.

Athanasius ait in libro de Arianis & catholica confessioue: Ego credo secundum diuinam substantiam, sicut uerbum, sapientiam, brachium, manum, ita potestatem filium esse patris, secundum ipsius Domini sententiam. Ioannis quinto: Quæcunque pater facit, hæc & filius similiter facit. Marci primo, propria potestate mandat dicens: Volo, mundus esto. Marci secundo, paralytico peccata remittit. Ad cæcos dicit: Creditis quod possum hoc uobis facere? Item, Nemo tollit animam meam à me. Citat & hæc dicta: Ego in patre, & pater in me. Et, Sicut nouit me pater. In disputatione contra Arianos inquit: Christus conditor unà est, & ex se facit omnia, quia patris est sapientia & potentia.

Epiphanius in hæresi sexagesimanona: creatione mundi dixit Deus, Faciamus hominem. Non dixit ad filium, Ades huc, faciam & ostendam quomodo operaris. Et deinde dicitur, Fecit Deus hominem. non dicitur: Fecit & ostendit filio, quomodo oporteat facere hominem. Sed ad Iudæos hoc dixit Christus, putantes ipsum quæ patris essent dissoluere. Eorum igitur mentem retrahere uolens, ne humanitati ipsius solum attenderent, dixit

dixit: Nihil facit filius, nisi uiderit patrem facientem. Vt ostendat opus filij esse opus patris, & patrem complacentiam habere in ipsius totius operationis dispensatione.

Contra septimam.

Faustinus in libro de fide contra Arianos, capite tertio, opponit Arianis, Per ipsum omnia facta sunt: nec potest unum opus patris fieri, quod nõ fecerit & filius. Præterea & Zacharias omnipotentem eum dicit: & Hieremias, Fecit (inquit) omnia. Apocalyps. Qui erat, & qui uenturus est, Dominus Deus omnipotens. Macchab. Omnia potest. Item, Omnem habet uirtutem. Denique adoratur ut omnipotens: sicut scriptũ est, Adorabunt eum omnes angeli.

Contra octauam.

Contra hanc octauam hypothesin Athanasius dimicat, Sermone quarto contra Arianos: Filius nouit, inquit, iudicij diem & horam. Primùm, quia filius perfectè nouit patrem: secundò, quia conditor est omnium rerum, etiam temporum: tertiò, Quia scit & prædixit ea quæ antecedent diem illam, quod ipsa sermonis series ostendit. Qua autem de causa discipulis nõ expresserit, nefas est curiosius illud inquirere, cum ipse id tacitum cælatumq; esse uoluerit. Cum uerò sermonem ita temperarit, non obscurum arbitror, eum hic per carnem hominis more, & ex persona hominis locutum esse. Neque hoc aliquid determinanti uerbo adfuit, cum ignoratio ista ad humanam naturam, cui id peculiare est, solummodo pertineat.

Gregorius Nazianzenus: Atqui quomodo rerum aliquid ignorat ipsa Sapiẽtia? ipse seculorum autor, consummator, transformator, rerum omnium finis? Denique is, qui quæ Dei sunt, ita cognoscit, ut quæ in ipso homine sunt, spiritus hominis nouit? Et hac cognitione quid est perfectius? Tum qui cohæret, ut quæ ad horam illam pertinguntur, quæq; in ipso temporis extremo articulo cõsistunt, teneat exactè, ipsam uerò horam non teneat? Libro quarto de Theologia. Et Epiphanius: Qui quod maius est, inquit, cognoscit, hoc est patrem, quomodo quod minus est ignorat?

Contra nonam.

Athanasius de Arianis & Catholica confessione ait: Ego credo Deum Dei filium, secundum suæ Deitatis potentiam in cœlo & in terra fuisse, incarnationis suæ tempore, & totam replere, nec usquam defuisse, ipso ad Nicodemum dicente: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, &c.

Contra decimam.

Refutat hanc propositionem Athanasius pluribus uerbis, in oratione quinta contra Arianos: Leprosus enim Dominum in corpore adorabat: Mulier sanguinis fluxu laborans, solius fimbriæ contactu sanata est: Mare fluctibus æstuans, uerbi incarnati uocem audiens, à tempestatibus conquieuit: Cæcus à natiuitate, saliua carnis curatus est à Verbo. Et quod maius est, & admirabilius, etiam in ipsa cruce pendente Domino, cum eius ibi corpus esset, & in corpore uerbum, sol obtenebratus est, terra tremuit, petræ scissæ sunt, uelum templi disruptum est, & corpora sanctorum qui obdormierant, resurrexerunt. Hæc facta sunt: & quamuis eum homines intuerentur, tamen creatorem eundem agnoscebant. Qui igitur uerbum carnem factum adorare nolunt, ingratos se exhibent eius hnmanitati: Qui uerò uerbum à sua humanitate distrahunt, nullam omnino redemptionem peccati, aut mortis uastationem existimant. Et ubi quæso tandem nefarij, seorsim per se inuenerunt illam carnem, quam saluator noster IESVS Christus assumpsit: ut audeant dicere, non adoramus Dominum cum carne, sed distinguimus corpus, illiq; soli cultu inseruimus?

Contra duodecimam.

Athanasius de Arianis & Catholica confessione: Ego credo, Deum uerbum & sapientiam patris, quia unum cum patre est, impassibilem atque immortalem in sua substantia. Passibilem autem atque mortalem hominem IESVM Christum, de Maria uirgine assumptum, qui Dei uerbo unitus est, confiteor. eodem Domino dicente Matthæi uigesimosexto: Spiritus quidem promptus est, caro autem non prodest, &c. Ioannis tertio: Quod natum est de carne, caro est, &c. Secunda ad Corinthios: Nam etsi crucifixus est, &c. Ipsum quoque hominem IESVM Christum, post passionem sine corruptione à Deo uerbum assumptum & resuscitatum confiteor: ut ipse de se dicit, Soluite templum hoc, & triduo resuscitabo illud. Idem in disputatione cõtra Arianos inquit: Si in homine cõdemnato concedis animam non pati in hoc corporali supplicio, cur tu dicis uerbum & Deum unà crucifixum esse cum corpore?

Contra decimamtertiam.

Hanc propositionem Athanasius in oratione secunda contra Arianos, dicit refutari ex fundamentis quæ suprà de alijs

Arij propositionibus recensuit: & pronunciat, in Arianorũ uerbis nihil nisi mera phantasmata & deliria contineri.

Contra decimamquartam.

Confutat Ambrosius in libro tertio de fide, capite secundo, corruptelam dicti, Tradet regnum Deo: & ait, hoc scriptum esse de Deo, quod nomen commune patri & filio est.

Athanasius quoq; libro de Arianis & catholica confessione, contrarium probat ex Daniele, Aspiciebam in uisione noctis: capite septimo. Et Marci decimoquarto: Videbitis cœlum apertum, & filium hominis sedentem à dextris Dei. Et Actorum primo: Hic est Iesus, &c.

Hilarius libro undecimo de Trinitate: Ante omnia quærendum est, an finis apud Paulum significet defectionẽ, traditio amissionem, subiectio infirmitatem. Quia apostolus dicit: Deinde finis erit, cum tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum & potestatem, & postea subiectus erit illi. Ibi autem finis non significat defectionem, quia finis est immobilis manendi ad quem tenditur statum. Deinde, traditio regni non est amissio: quod ex ipsius Christi uerbis probatur. ait enim, Omnia mihi tradita sunt à patre meo. &, Data est mihi omnis potestas, &c. Ergo si dedisse caruisse est, pater quoque his caruit quæ dedit: Sed pater tradendo non caruit: Igitur nec filius intelligi potest cariturus his quæ patri tradet. Tertiò, Subiectio non significat infirmitatem, uel subiectionem tanquam seruitutem dominatui, sed dispensationem temporis & sacramenti. Euacuatio autem non idem est quod subiectio. nam euacuare aduersantem potestatem, est ius potestatis auferre, ne maneat: & per potestatis euacuationem, regni est abolere dominatum. Tradet ergo regnum Deo patri, non utique tanquam tradens potestatem concedat: sed quòd nos conformes gloriæ corporis sui facti, regnum Dei erimus. Et Nazianzenus: Vt demus, solius Dei esse ingenitum, age quid Adam? an solus ille Dei figmentum? Maximè, inquis. Num ergo & solus homo? Nequaquam. Quid ita? Quia ipsa formatio non erat (ut ita dicam) humanitas. Etenim quod postea quoque natum est, homo erat. Hoc modo nec ingenitus solum Deus est, etsi solius est patris: imò & genitum, quia ex Deo genitum est, Deum esse recipe, quantumuis ægrè ingenitum illud tuum deseras. Iam quomodo essentiam Dei intelliges per illud, quòd non quod Deus sit ponit, sed quòd non fit tollit? Nam hæc oratio, Pater est ingenitus, neque Dei naturam, neque hoc quod non gignitur exprimit, sed tantum patrem non aliunde gigni declarat. libro tertio de Theologia.

Epiphanius hæresi sexagesimanona: Oppone inter se, Oportet ipsum regnare donec, &c. &, Regnabit super donum Iacob in secula. Item hæc, Cum tradiderit regnum Deo & patri: &, Regni eius non erit finis. Quare propter assumptionem humanitatis Apostolus sic loquitur. Si enim tradidit regnum tempori, neque nunc regnat. Si uerò nondum regnat, quomodo reperitur semper adorari ab angelis ante aduentum in carnem, & in aduentu in carnem? iuxta illud, Adorent ipsum omnes angeli; &, Flectat se ipsi omne genu, cœlestium, terrestrium, &c.

CONFVTATIONES HYPOTHESIVM *de Spiritu sancto.*

Contra primam.

Athanasius de Arimin. & cathol. confess. ait: Contrà de Spiritu sancto Paulus dicit, Scrutatur profunda Dei. in prima ad Corinthios, secundo capite. Item: Sicut nemo nouit quid sit in homine, &c. Et, Si angeli, quemadmodum Christus ait, uident faciem Patris: impietas est sentire, quòd uel Filius uel Spiritus sanctus non intuentur, aut capiunt Patrem totum. Epiphanius dictum illud, Omnia per ipsum facta sunt, &c. ait intelligi de omnibus creatis, non de spiritu. Quia si quid creatum est, per uerbum creatum est, & à uerbo. Sub particula uerò, Omnia, nequaquam numeratur Spiritus sanctus. ita enim & de patre dici posset. Sed si de patre hoc affirmare blasphemia nobis uidetur, blasphemia etiam est, cogitare hoc de Spiritu sancto. Deinde, si ex creaturis esset Spiritus sanctus, non sanè increato patri & increato filio connumeraretur. Tertiò, Si creatus est, quomodo spiritus fuerit, de quo testimonium perhibetur, quòd ex patre procedit, & à filio accipit, &c. Pluribus confutat hoc argumentum Didymus, libro primo de Spiritu sancto, apud Hieronymum.

Ad dictum illud, Creo spiritum, ait Didymus: Propheta eo in loco non instituit seriem de Spiritu sancto, ut ex ipsa serie orationis intelligitur: sed dictum illud de uento loquitur, quia nudè & sine articulo ponitur uocabulum Spiritus: quod non solet fieri, quando de Spiritu sancto sermo est. Gregorius Nazianzenus oratione quinta in sanctam Pentecosten: Spiritus sanctus erat quidem semper, & est, & erit, neq; incipies, neq;

neque desinens: sed semper patri & filio coordinatus, & connumeratus. neque enim decebat aut filium aliquando defuisse patri, aut filio spiritum. In maximo enim ignominiam pateretur diuinitas, ac si ex pœnitentia ad perfectionis plenitudinem peruenisset. erat igitur semper participans, non particeps effectus: perficiens, non factus perfectus: implens, non impletus: sanctificans, non sanctificatus: deificans, non deificatus: sibijpsi hoc semper, & illis quibus cum constituitur, inuisibilis, tempore carens, incomprehensibilis, impermutabilis, absque qualitate, absque quantitate, absque specie, intangibilis, per se mobilis, liberè agens, per se potens, omnipotens, si ad primam causam, quemadmodum unigeniti omnia, ita & ea quæ sunt spiritus, referantur: uita & uiuificans, lumen & luminis dator, per se bonus & bonitatis fons, spiritus rectus, principalis Dominus, mittens, segregans, sibijpsi templa constituens, dirigens, operans, gratias ut ult diuidens: spiritus adoptionis, ueritatis, sapientiæ, intellectus, scientiæ, pietatis, consilij, fortitudinis, timoris, descriptorum: per quem pater cognoscitur, & filius glorificatur, à quibusque ipse solus cognoscitur, una coordinatio, unus cultus, adoratio, uirtus, perfectio, sanctificatio, & quid multa? omnia quæ pater est, filij sunt, præterquam quod ingenitus: omnia quæ filius est, spiritus sunt, præter generationem.

Contra secundam.

Appono, inquit Athanasius, alia testimonia, ut quòd Christus dicit Ioannis decimoquarto: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis. Item, Mandatum Christi: Euntes docete, &c. Si enim spiritus sanctus patris substantiæ non esset, filius Dei eum non in consociatu sanctificationis, in hoc mandato numeraret. Denique publicam fidei confessionem, Credo in Deum patrem, Et in IESVM Christum, Credo in spiritum sanctum. Idem de fide unitatis & Trinitatis, & in disputatione contra Arianos. Et Faustinus libro de fide contra Arium: Ex qua nominis autoritate cum patris & filij uerbis sancti spiritus uocabulum iungitur: Sine fine igitur & principio spiritus sanctus est, sicut pater & filius. Item, conditor est unà cum patre & filio, sicut scriptum est: Verbo Domini cœli firmati sunt.

Contra tertiam.

Athanasius inquit: Est equidem ubique spiritus sanctus, quia omnibus simul adest angelis. Et patres omnes à condito æuo, spiritum sanctum habuerunt. Denique omnibus Apostolis longissimè à se inuicem separatis, adfuit idem spiritus sanctus. Et Dydimus libro primo de spiritu sancto. Basilius libro de spiritu sancto, capite decimo: Oportet, inquit, Deo magis obedire quàm hominibus. Christus autem baptizare iubet in nomine patris & filij & spiritus sancti: ubi eum ipse sibi ac patri coniungit. Et capite decimoseptimo: Spiritus eodem modo pronunciatur cum Domino, quomodo filius cum patre. Et quemadmodũ se habet filius ad patrem, ita ad filium se habet spiritus sanctus, iuxta uerbi Dei ordinem in baptismo traditum.

Contra quintam.

Basilius de spiritu sancto, capite duodecimo: Spiritus sanctus dicitur spiritus ut Deus, & Christus Dominus. Dicitur item sanctus, ut pater & filius: item bonus, rectus, ut pater & filius. Quomodo igitur pater & filius glorificandus est, sic & spiritus sanctus. Item: In plurimis scripturæ locis spiritus sanctus uocatur Dominus, ut in secunda ad Thessalonicenses secundo capite: Dominus dirigat corda uestra in dilectionem Dei, & in sustinentiam Christi. Et in secunda ad Corinthios, tertio capite: Dominus spiritus est. Et rursum: Tanquam à Domino spiritu. Theodoretus libro quarto hæreticarum fabularum: Diuini, inquit, Apostoli, & qui eos secuti sunt Ecclesiæ doctores, docent eos qui accedunt, credere in nomine patris & filij & spiritus sancti: & eos quos docuerunt, baptizant in nomine patris & filij & spiritus sancti. Quocirca ij qui donum acceperunt, ut docti erant, ita baptizati sunt. Patrem enim & filium & spiritum sanctum glorificant. Est enim miserabile, eos qui à Trinitate baptismi donum receperint, soli patri gloriam dare: & filium & spiritum sanctum nullo honore affectum relinquere.

Contra sextam.

Basilius in sermone de Spiritu sancto ait, dictum, Si quis spiritum Christi non habet, naturæ proprietatem exponere, non personarum confusionem.

CONTRA HYPOTHESIN
de Baptismo.

Basilius libro de Spiritu sancto, capite duodecimo: Inuiolabilem, inquit, oportet manere traditionem, quæ in uiuifica gratia data est. Nam & solius spiritus sancti mentio fit: ut, In spiritu baptizati sumus. At non ideo in solo spiritu baptismus ualet.

QVOMODO PAVLVLVM REpressa sit pestis Ariana, quidam etiam conuersi.

Post Synodi Nicænæ iudicium, Constantinus ipse contra Arium & sectatores eius passim episcopis & populis scripsit, capitali mandans supplicio, Arianos libros comburi. Edicti uerba habet Nicephorus libro octauo, capite uigesimoquinto, & alibi recitantur. In Aegypto igitur post Synodum hæresis ea repressa est, teste epistola Synodi apud Theodoretum libro primo, capite nono. Diuina gratia, inquit, liberauit Aegyptum à blasphemijs Arianis. Ipse uerò Gratianus Imperator Italiam ab hæresi Ariana expurgauit, superata bello apud Argentinam magna Arianorum multitudine: triginta scilicet Alemannorum, Ariana perfidia maculatorum, milibus cæsis. Hermannus Gigas.

Et Arianos tamen quosdam conuersos adparet inde, quòd ad Serapionem scribit Athanasius, post fœdum Arij obitum, plurimos ex ijs qui ab Ario decepti prius fuerant, ad sanitatem redijsse. Athanasius epistola ad Serapionem. Significat idem & in disputatione contra Arium, eum quo cum in concilio Nicæno disputauit Athanasius, errorem suum confessum, & conuersum esse. Idem & Antiochenos per epistolam hortatur, ut suscipiant, qui se ab illis per contentionem superiori tempore segregarint: & iam pacem affectãtes, à uecordi Arianorum secta deficiant. Athanasius in epistola ad Antiochenos.

DE HAERESI MELEtianorum.

MEletius episcopus quidam in Aegypto fuit, quem Petrus Alexandrinus episcopus, cùm ob alias causas, tum quòd in persecutione parum firmus idolis sacrificasset, ab episcopatu deposuit. Hinc odia & simultates in Petrum Meletius concitauit, post Petrum uerò in successorem Achillam, ac post eum denique in Alexandrum: ut narrat Socrates libro primo, capite sexto: & Athanasius oratione prima contra Arianos, & in Apologia secunda. Theodoretus in Compendio hæreticarum fabularum libro quarto scribit, eundem Meletium, aduersus Alexandri episcopatum insidias agitasse, & in multis ciuitatibus, ambitionis & cupiditatis morbo, episcopos presbyteros & diaconos ordinasse. Recitat eorum episcoporum catalogum Athanasius Apologia secunda. Sed addit Theodoretus, eum rectè cum Ecclesia sensisse, nec quicquam in doctrina immutasse: nisi quòd sectatores eius postea, cum Arij hæresim Imperator Constantinus approbaret, cum Arianis se coniunxerunt. quod & Socrates testatur loco citato. Et Philastrius pagina quadragesima: Meletius fuerat de parte Ariana, & abiectus est ab Ecclesia catholica: postea, quasi uerum sequendo, susceptus est, & discipuli eius cum eo pariter.

Prius autẽ dissensisse inter se Meletianos & Arianos, Athanasius narrat oratione prima contra Arium: Ariomanitę, inquit, & Meletiani, cum antea inter se cõtentiosi essent, nunc (ut Herodes & Pontius) in blasphemias aduersus Christum consentiunt. Depriuatis rebus inter se simultates gerunt, odio uerò inimicitiaq; coniuncti aduersus ueritatem conspirant, & in impietate aduersus Dominũ fœdera conglutinant, seq; mutuò amplexantur: securi quiduis facere & pati, modò id quod semel animo conceperint, tueantur: Meletiani quidem ambitione, ut rebus præsint, tum insano auariciæ studio: Ariomanitæ uerò ultrò sua ipsorum impietate incitantur, ut huiusmodi conspirationibus mutuò inuicem animi sui prauitatem promoueant. Et isti quidem horum impietatis personam induunt: hi uerò malitiæ eorum accedunt & adstipulantur, ac in commune scelera sua comministrantes, insidias illis nectunt, qui rectè pieq; de Domino nostro sentiunt. Ait & Sozomenus lib. quarto, capite uigesimooctauo: Meletianos Antiochiæ se ipsos separasse, ac seorsim conuenisse. Cum Meletianis uerò, Homoiusianos communicare noluisse, ideo quòd ab Arianis episcopus Meletius ordinatus esset: & qui illi adhærerent, ab Arianis essent sacerdotibus baptizati.

Errorem Meletio Nouatianorum Epiphanius tribuit, qui tamen cum aliorum narrationibus de Meletio non conuenit. ait enim, hac occasione sectam eam coortam: Cum in persecutione sub Diocletiano & Maximino, Meletius ipse in Thebaide, Petrus uerò Alexandriæ ob confessionem in carcerem cum alijs aliquot cõiecti essent, aliqui eorum infirmitate uicti defecerunt, alij uerò martyrium obiere. Tandem uerò pœnitentia ducti, ij qui defecerant, in gratiam recipi se petierũt. Ibi igitur Meletius censuit, non esse durante adhuc persecutione eos recipiendos: sed persecutione finita, post longum tempus satis uera pœnitentia declarata, ne alij exemplo eorum ducti in lapsus faciles essent. Petrus uerò opinioni huic reclamans, diuersum sensit: recipi eos iubens, ne desperarent.

Hinc igitur sectam ortam Meletianorũ, qui posthac communes preces cum lapsis receptis non fecerunt, sed ab Ecclesia se ipsos abscideruntcumq; ijs magna pars episcoporum,

rum, monachorum & presbyterorum, in Syria & Ægypto. Hæc Epiphanius.

Meletij socios, Arsanium, Eusionem, Eudemonem & Callinicum, numerat Socrates libro primo, capite uigesimoseptimo: & Athanasius Apologia secunda, ubi & Ioannis principis cuiusdã Meletianorum meminit.

Vsi sunt eorum, ut qui meditandis criminibus & uituperationibus exercitati erant, opera Ariani maximè cõtra doctores, ac præcipuè Athanasium: in quẽ impudentissima omnia conficta mendacia Meletianorũ fuerunt. Athanasius apologia secũda. Nec aliud ferè de Meletianis, quàm turbas, insidias & persecutiones coniunctas cũ Arianis in Orthodoxos, Athanasius recitat. De quib. & Socrates libro sexto, capite uigesimosexto: Theodoretus libro primo, capite uigesimonono: et Sozomenus libro secundo, capite uigesimoprimo.

Addit Theodoretus in fabulis hæreticis, Meletianos sine ullo metu degere, nec uelle ab illis regi, & cum Ecclesijs coniungi recusare. Eaque ratione tanquam liberos & sui iuris, illa quoque ridicula excogitare, ut interdiu corpus aqua mundẽt, cum plausu autem manuum & quadam saltatione hymnos concinant, aliaq; his similia. Philastrius sic de ijs scribit: Iterum indifferenter agere cupientes, communicabant & hæreticis Ecclesiæ catholicæ. Quorum cum cognouisset Ecclesia indifferentiam, exortes eos suæ communionis effecit. Et Augustinus ad Quoduultdeum ait, Meletianos nolle orare cum sanctis.

Extat inter opera Athanasij refutatio aduersus hypocrisin Meletij, qua probat, non posse similem dici filium Deo, sed consubstantialem: pagina sexcentesima uigesima octaua. Hinc Theodoretus in hæreticis fabulis: Magnus, inquit, ille Athanasius perpetuò cum eis bellum gesit.

HAERESIS EVSEBIANA.

EVsebiani, ab Eusebio Nicomediensi, Arij præcipuo propugnatore, originem traxerunt. Athanasius libro quinto contra Arium, Eusebianos duces uocat hæreseos Arianorum. Idem in Apologia secunda scribit, Synodum Sardicensem Eusebianos nominasse Antesignanos infœlicium Arianorum.

In Synodo Nicæna causam Arij egerunt. Cum enim, qui ibi conuenerant episcopi, tollere è medio & explodere studerent inuentas ab impietate Ariana dictiones, De nihilo, & quod filium Dei creaturam & factu ram appellabat: & hoc, Fuisse aliquando quando non erat, & esse mutabilis naturæ: reponere autem uellent scripturas de quibus constaret, filium esse ex Deo natura uni genitum, uerbum, potentiam, sapientiam solam patris, Deum uerum, ut dixerat Ioannes, & Paulus scripserat, resplendentiam gloriæ, & characterem substantiæ paternæ: tum factio Eusebiana impulsa ab improbitate sua, ut inter se colloquerentur, Coniungamur, inquit, & nos, nam & ipsi sumus ex Deo. Vnus enim est Deus, ex quo sunt omnia. Et uetera præteriere, ecce innouata sunt omnia: omnia autem ex Deo. Recensebant etiam, quòd in Pastore scriptum est: Primùm credo unum esse Deum, qui omnia condidit, fecitque de nihilo ut essent. Vbi creaturæ, propterea quòd à seipsis absque autore non sint, sed initium habeant, factæ à Deo dicuntur. at filius solus peculiariter ex patris essentia est, hoc enim proprium unigeniti & ueri uerbi Dei. Postea interrogati ab episcopis, an faterentur non esse creaturam filium, sed potentiam sapientiamq; solam patris, ac imaginem sempiternam & per omnia inde prauabilem patris, ac Deum uerum: deprehensum fuit, Eusebianos nutu inter se significare, conuenire eadem etiam in nos, qui & ipsi dicamur imago & gloria Dei, &c. Theodoretus libro primo, capite octauo: Athanasius in Nicenæ synodi decreto.

Ita igitur ex scripturis confutati & reprehensi, metu synodo Nicenæ subscripsere, discerpto eorum libello blasphemijs pleno. Theodoretus ibidem: Athanasius de synodi Nicænæ decretis.

Cum autem temporis progressu, quasi è cinere hæresis Ariana denuò susciteri incipe ret, Eusebius cum Theogonio Niceno, (qui duo præcipui fuere Arianæ factionis duces) eum quem Imperator ad hoc constituerat, ut synodi acta & scripta custodiret, persuasionibus seduxerũt, ut subscriptiones illis suas redderet. Ex eo igitur Eusebiani publicè docere conati sunt, non sine ingenti dolore & perturbatione Imperatoris, qui denuò excitari incendiũ uix sedatũ tristissimè ferebat: nõ debere de filio sentiri, quòd patri coessentialis existat. Ferunt etiã, quod Eusebius palàm & confidenter apud Imperatorem, ue ste aliqua ex his quibus indutus erat ostensa, dixerit: Quod si uestis hæc mea, quam coràm uides Imperator, diuidatur, nunquã utramuis partẽ eiusdẽ esse dixerim essentiæ. Sozomenus lib. 2. cap. uigesimoprimo.

Cæterùm quia cum Arianis Eusebiani cõgruunt, uisum est tantum quædam de ipsorum sententia ex Athanasio adscribere. Eusebius, inquit, cum suis, qui confitentur Christum filiũ esse, nõ admittunt ipsum naturale esse uerbũ, sed ratione tantummodo uiribusq; intelligendi filium appellari censent. Oratione quinta contra Arianos. Item: Aiunt, (Eusebiani) Si omnia illi tradita sunt,

(ſub hac uoce Omnia imperium naturæ intelligentes) fuit igitur quando non habebat hæc omnia. Si autem non habebat, non eſt ex patre. Si enim ex patre fuiſſet, habuiſſet hęc omnia, utpote qui ex ipſo patre eſſet, minime indignus ut illa acciperet. In oratione de dicto, Omnia mihi tradita ſunt. Olim aliquando Euſebiani dixerunt, ideo Chriſtum prerogatiuas præ alijs habere, Deiq; filium & unigenitum appellari, eo quòd ipſe ſolus ſit particeps patris, cætera uerò de ipſo participant. In decretis Synodi Nicænæ. Item dicunt, uocabula Subſtantiam & Conſubſtantialem ſibi non placere, ut quæ nonnullis ſcandalo fuerint, & multos conturbarint. de Synodo Ariminenſi & Seleucienſi. Affirmant etiam Euſebiani, epiſcopos qui Samoſatenſem condemnarunt, dixiſſe, filium non eſſe patri conſubſtantialem. Ipſos igitur ob reuerentiam honoremq; eorum qui ita locuti ſunt, ab hac uoce abhorrere. Ibidem.

Confutat etiam hoſce Athanaſius ſplendidè. Nam ut pauca ex multis eius proferamus, de Synodis Ariminenſi & Seleucienſi ſic ſcribit: Nihil id refert, ſi quis uoces in ſcriptura non repertas uſurpet, quàm diu pias ſententias complectitur. Contrà, Hæreticus tametſi uoces ſuas è ſacris literis mutuetur, nihilominus ſuſpectus, animoq; corruptus audiet à ſpiritu ſancto: Quare tu enarras iuſtificationes meas? Et ſi quis carpit Nicæenſes, quòd non dixerint omnia quæ ipſorum anteceſſoribus placuerunt: idem quoque meritò carpſerit ſeptingentos epiſcopos Pauli Samoſatenſis condemnatores, quòd ea quæ anteceſſorum erant, non obſeruauerint. Anteceſſores autem eorum fuere duo iſti Dionyſij, cæteriq; qui cum eis Romæ congregati fuere, & uoce Conſubſtantialis uſi ſunt. Verùm neque hos neque illos fas eſt culpare. omnes enim Chriſti curam geſſere, ſtudiaque ſua contra hæreticos intenderunt. Benè quidem & hi & illi recta materia ſcribunt. Qui enim Samoſatenſem ſuſtulerunt, hanc uocem Conſubſtantiale corporaliter accepere: illi uerò Niceenſes de diuinitate uerbi illam uocem intelligunt.

DE ASTERIANA *hæreſi.*

ASterius Cappadox fuit Sophiſta: qui ſophiſtica relicta, Chriſtianiſmũ profiteri incipiens, ad Arianiſmum tranſijt: quem editis libris, quos Athanaſius uidit, defendit. Socrates libro primo, capite trigeſimoſexto. Et hinc Athanaſius eum in ſermonibus contra Arianos, patronum uocat, patrocinatorem & aduocatum hæreſeos Arianę. Vocat eum etiam Euſebij ſocium: de Synodo Ariminenſi & Seleucienſi.

HYPOTHESES ASTERII DE *Chriſto.*

1

Filium Dei non eſſe conſubſtantialem patri: eamq; ob cauſam non eſſe uirtutem Dei conſubſtantialitate, ſed ſicut creaturæ dicuntur uirtutes Dei. Sicut teſtatur Socrates, Aſterium adſerere, Chriſtum ita eſſe Dei uirtutem, ſicut apud Moſen locuſta & bruchus, & alia huiuſmodi Dei uirtus dicuntur. libro primo, capite trigeſimoſexto: Athanaſius in ſecundo & tertio ſermone contra Arianos.

2

Vnum ex rerum uniuerſitate eſſe Chriſtũ, primumq; eſſe rerum conditarum: & unum ex naturis intellectualibus. perinde ut ſol ſit unus ex luminibus. Athanaſius de Synodo Ariminenſi & Seleucienſi.

3

Hinc etiam docuit, Erat quando nõ erat. Athanaſius ibidem.

4

Ex benefaciendi ſtudio conditum eſſe filium, et ex ſuperabundantia poteſtatis feciſſe illum patrem: Ibidem.

Malicioſe deprauauit Aſterius dictũ, Ego in patre ſum: quaſi hinc ſequeretur, quòd ne ſermo quidem, quem exordiebatur, ſui ipſius eſſet, ſed patris: neque ſua item opera eſſe, ſed patris, qui eam ei poteſtatem faciendi dederat. Athanaſius ſermone quarto contra Arianos.

Porrò cum iſti furores cum Arianis concordent per omnia, non uiſum eſt operæprecium prolixam confutationem ſubijcere: tantum adſcribemus locum ex Athanaſio, ſermone tertio contra Arianos. Talia, inquit, ſi uel tantummodo ore ſonuerint, an non digni ſunt habendi quouis odio? Si enim, quod ipſi arbitrantur, non ex eo quòd è patre ſit genitus, neque ex eo quòd prium quiddam ex eius ſubſtantia ſit, Filius nuncupetur: ſed ob rationalia, ratio: & ob ea quæ erudiuntur, ſapientia: & ob ea quæ fortificantur, fortitudo cenſetur: omnino ſequitur, ut ſolum propter eos qui in filios adoptantur, filius ſit appellandus. Et fortaſſe ob ea quæ ſunt, id habet ut ſit, ſecundum ſe mentis conceptionem. Quid igitur illi ſit reliqui? nihil enim horum ſolidè eſſe poterit, quum ea in eo nominetenus duntaxat inhæreant, & eſſendi inane ſimulachrum addant, dum iſtis uocabulis à nobis cohoneſtatur. Atqui iſta diabolica uecordia eſt, & fortaſſe deterior quàm diabolorum, quoniam eos reuera ſubſiſtere uolunt: Dei autem uerbo non niſi nominetenus eſſentiam tribuunt. An non hæc monſtra prodigiaq; uerborum, ſapientiam cẽſere coexiſtere cum patre, nec tamen eam fateri Chriſtum eſſe, ſed multas eſſe

esse creaticias uirtutes & sapiẽtias, & ex eorũ numero Christum unum esse & erucæ & locustæ comparabilem? An non hæc summa uafricies, quod quum ex nobis audijssent, Verbum cum patre simul coexistere: statim obmurmurent, Ergo duos pariter ingenitos pronũciatis? Nec uident, quum ipsi dicant ingenitam esse sapientiam, id genus querelæ in ipsos competere. Nam & illa quoque eorum sententia est prorsus stolida, qua dicunt unigenitam sapientiam & coexistentem cum Deo, Deum esse. Quod enim coexistit, non secum, sed cum altero coexistit. Quemadmodum & Domini nostri Euangelistæ loquuntur, quòd coexistebat siue aderat discipulis suis: ac proinde non sibi, sed discipulis adfuit. nisi compositum aliquem Deum introducere uelint, in cuius naturam coinserta sapientia fuit, & ad complementum integritatemq; ipsius substantiæ data, eaque ipsa ingenita: quam scilicet & opificem mũdi uolunt, ut mundi opificio filium dispolient. Omnibus enim uim adhibent, & torquent, ne uerum sensum de filio concipiant. Nam ubi in sacris literis repererunt, aut ex quo tandem audiuerunt, alterum ad-huc esse uerbum, aut alteram sapientiã præter filium, ut ista sibi aliquo iure comminiscerentur? Scriptum est siquidem, Non ne uerba mea ueluti ignis, & securis incidens petram? Et in Prouerbijs: Docebo uos uerba mea. Sed ista quoque mandata & præcepta æstimãda sunt, quæ per proprium suum & unicum & uerum Verbum elocutus est Deus, de quibus mentionem fecit Psalmista: Ab omni uia mala coercui pedes meos, ut seruarem uerba tua. Istiusmodi igitur uerba diuersa esse à se, etiam ipse Saluator per se indicat, quum inquit: Verba quæ ego locutus sum uobis. Non enim istiusmodi uerba soboles aut filij sunt, aut tot rerum opifices, neque tot imagines unius Dei: neque tanto numero sunt ij, qui pro nobis homines facti sunt: neque ex multis unus conflatur, qui secundum Ioannem caro factus est: sed is qui unicum est Dei uerbum, ab Io anne euangelizatur caro esse factus, & omnia per illum condita esse. Ideoque de solo Domino nostro IESV Christo, & de eius cum Patre unitate, scripta exhibitaque sunt testimonia, dum & pater declarat sibi unicum esse filium: & sancti discipuli, qui id dicerant, oratione profitentur unum esse Verbum, & hoc ipsum unigenitum: & opera ab eo edita pro testimonio sint, omnia uisibilia & inuisibilia per illum condita esse, & sine ipso conditum esse nihil. De secundo autem uerbo, aut ullo alio, nulla prorsus apud illos cogitatio. neque sibi uerba aut sapientias confingunt, quorum neque nomina neque acta à scripturis produntur: sed tantummodo ab istis hæreticis nominantur. Ipsi enim autores sunt huius commenti, hostilisque in Christum adinuentionis, qui nominibus Verbi & Sapientiæ abutuntur, aliaq; sibi confingentes, inficiantur uerum Dei uerbum esse, & ueram & unicam sapientiam patris. Et sese Manichæis æmulos præbent. nam & illi, inspectis Dei operibus, abnegant unicum & uerum Deum existere, aliumque sibi comminiscuntur, cuius tamen neque opus ullum neque testimonium ex sacris literis producere queũt. Quare, si neque intra uerba reperitur alia sapientia præter ipsum filium: neque à patribus quicquam tale accepimus, à quibus & confessione agnoscitur, & scriptis proditur, Sapientiam ingenitam esse, unaque cum patre coexistere, ac propriam illius esse, mundiq; architectatricem habendam: nimirum ea ipsa fuerit filius, qui uel secundum istos æternaliter cum patre coexistit. ipse enim est opifex rerum, ut scriptum est: Omnia in sapientia feci sti. Quin & ipse Asterius, ueluti eorum oblitus quæ prius scripserat, in sequẽtibus itidem ut Caiphas, inuitus dum gentilibus obluctatur, non multas sapientias numerat, aut erucæ mentionẽ facit, sed unam sapientiam agnoscit, ad hunc modum scribens: Vnus quidem Deus, Verbum siue Ratio, multa tamen rationalia: & una quidem sapientiæ & bonitatis substantia & natura, multa tamẽ sapientia & bona. Ac paulo pòst iterum: At quinam sunt quos filios Dei appellare non dedignantur? num et hos quoque esse uerba asseuerabunt, aut sapientias plures introducent? Siquidem impossibile est, ut quum unum sit uerbum, unaque sapientia, multitudini filiorũ uerbi substantia impartiatur, aut nomen sapientiæ indulgeatur. Miri igitur nihil, si contra ueritatem Ariani pugnent, quum in sua quoq; offensantes, alij in alios impingant, interdum multas sapientias, interdum unam esse asseuerantes: ac nunc erucæ sapientiam comparent, nunc patri coessentialem esse, & propriam illius ipsius uirtutem, eamque ingenitam dicant. Et quum nobiscũ depugnãt, eo quòd asseueremus semper Dei uerbum fuisse: ipsi quoque suorum obliti, sapientiam cum Deo increatim coexistere dicunt. Ita per omnia in tenebris uolutantur, dum & ueram sapientiam abnegatam uolunt, & eam quæ non est indagant, alium (sicuti Manichæi) Deum sibi comminiscentes, & uerum Deum inficiantes.

HAERESIS SEMIARIANA.

AVgustinus ad Quoduultdeum, Macedonianos indicat à quibusdam Semianos dictos, ideo quòd de patre & filio

rectè senserint, unius scilicet eiusdemq; substantiæ: de Spiritu sancto uerò, secundum Arianos.

Habet & in hæreticorum suorum catalogo Semiarianos Philaster. Epiphanius, prę sides huius hæresis fuisse dicit Basilium Ancyranum, Georgium Laodicenum, Syluanum, & alios aliquot: quorũ præsidio ideo promota sit, quòd amicum Constantium habuerint. Subscriptores uerò fidei Basilij & Georgij numerat hos, Hyperechium, Letoium, Heorticiũ, Gymnasium, Menirorium, Eutychen, Seuerinum, Eutychium, Alcimodem, Alexandrum.

HYPOTHESES

De *Christo*.

Quidam Semiariani rectè senserunt, patrem & filium unam qualitatis substantiam, unam diuinitatem esse. Philaster, Augustinus. Sed alij dixerunt, filium Dei esse creaturam, non esse ex Deo genitum, ac uocem coessentialis repudiarunt. Epiphanius. Hinc manifestum est, uariasse ipsos Semiarianos inter se sententijs.

De *Spiritu sancto*.

Spiritum sanctum non esse de diuina substantia, nec Deum uerum, sed meram creaturam. Philaster, Epiphanius.

Fidei forma Basilij illi⁹ & Georgij prolixa in Epiphanio extat: quã nõ necesse est huc adscribere, cum propositiones sint expositę.

Porrò, propositiones istorũ fanaticorum omnes suprà in confutatione Arianismi discussæ sunt. nunc tantũ unius Philastrij uerba, contra propositionem ipsorum de Spiritu sancto, adijciemus, quæ sic habent: Christus Dominus spiritum patri & sibi in fide baptismi salutis æternæ coniunxit, eumque cum patre & filio cunctis credentibus adorandum iussit, omniq; seculo Deum uerum prædicandum statuit. Non intelligunt igitur, quòd Euãgelista, cum dicit Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, non de Spiritu sancto dicit, quasi factum spiritum per filium. nam Propheta Trinitatem omnia fecisse, uisibilia & inuisibilia, definit, dicens: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. In omni itaque creatura, quæ facta est per Spiritum, non aliquid prætermisit, quod nõ per eum factum sit: alioqui in fide seruus cum domino non iungeretur, si esset creatura diuinus & sanctus Spiritus. Cuius causa omnis scriptura & Dominus cõcedi omnia peccata hominibus, præter blasphemiam diuini & adorandi Spiritus, cœlesti essentia pronunciauit.

DE DVLIANORVM *hæresi*.

POstea autem alius quoque conflatus est cœtus, ab Arianis separatus: appellationem ab impietate sortiti sunt. Duliani enim appellati sunt, quòd unigenitum Dei filium δοῦλον, hoc est, seruum patris, per contumeliam uocare ausi sunt. Eiusmodi enim syllogismo utentes, suam blasphemiam confirmant: Omnis, inquiunt, creatura seruit ei qui illam creauit: Filius autẽ patris est creatura. Theodoretus libro quarto hæreticarum fabularum.

SVB FILIIS CONSTANTINI MAGNI.

HAERESIS MACEDONIANORUM.

POsteaquam ad summum malitia peruenit, suis ipsa uiribus conficitur. Ira Ariana secta ex simplici triplex facta est, Arianorum scilicet, Aetianorum seu Eunomianorum, & Macedonianorũ. Ruffinus libro primo, capite uigesimoquinto: & Epiphanius, licet in personis nonnihil uariet. Theodoretus uerò in compendio hæreticarum fabularum, tantum bipartitam, Arianorũ seu Eudoxianorum, & Eunomianorum seu Aetianorum.

Acerrimus primùm Homousianorum persecutor Macedonius fuit, sicut indicat capite trigesimooctauo libri secundi Socrates. Factus deinde episcopus Constantinopolitanus, Paulo eiecto, in doctrina in quibusdam ab Arianis dissentire cœpit: creaturam appellare nolens, quam filium scriptura nominat. Qua de causa ab ipsis rursus eiectus est. Ex eo igitur condemnationem nõ ferens, nouæ sectæ autor extitit. Socrates libro quarto, cap. quadragesimoquinto: Theodoretus libro secundo, capite sexto.

Viguit hæc hæresis maximè Constantinopoli: quemadmodum ex Socrate libro quinto, cap. octauo patet. Hieronymus in Chronico ait, circiter annum Domini trecentesimum quadragesimumquintum hanc hæresin exortam.

Hæresim simul cum eo profesi uidentur fuisse, Basilius Ancyranus, Syluanus Tarsensis, Sophronius Pompeiopolis, Pasinicus Zenensis, Leontius Comanẽsis, Callicrates Claudiopolitanus, Theophilus Castabalensis, episcopi. Socrates libro tertio, capite uigesimoquinto: Sozomenus libro sexto, capite quarto. Item Eustathius Sebastiæ episcopus. Socrates libro quarto, capite undecimo & duodecimo: Sozomenus libro sexto, capite undecimo. Et Eleusius Cyzici episcopus. Sozomenus libro secundo, capite septimo. Carterium uerò quendam Macedonia

nũ

næ sectæ antesignanũ. Nicephorus habet libro duodecimo, capite trigesimo.

HYPOTHESES

De Christo.

Macedonius, filium esse eiusdem cum patre substantiæ omnino repudiauit. Vt similis autem in omnibus diceretur, constituit: & ut ὁμοούσιος pro ὁμοίουσιος, hoc est, similis substantiæ diceretur, excogitauit. unde & Homiusiani Macedonij suffragatores dicti sunt. Theodoretus libro quarto hæreticarũ fabularum: & libro secundo historiæ Ecclesiasticæ, capite sexto: Sozomen. lib. quarto, cap. 27: & libro 6, capite 4. Augustinus ad Quodvultdeũ de hac hypocrisi uariat.

De patre, inquit, & filio rectè sentiunt, quòd unius sint, eiusdemq; substantiæ uel essentiæ. sed eò forsan respexit Augustinus, quòd sub Valente persecutionẽ ab Acacianis passi, corã Liberio Romano episcopo catholicos se esse, & cũ Homousianis sentire professi sunt, ut postea dicetur. Socrates lib. 3, cap. 10 refert, Macedonianos interrogatos, quare si alia q̃ Acaciani sentiant, cum illis hactenus quasi cõcordes cõmunicarint? per Sophroniũ Pompeiopolis Paphlagonũ episcopum ista responderũt: Occidentales circa homousion languebãt: Aetius uerò in Oriente sententiã ueritatis deprauando anomion illud secundũ ὁσίαν induxerat: & erant utraq; illegitima. nam illi inordinatè separatas patris & filij hypostases ad unitatẽ copulabãt, & nomine homousij uelut prauo quodam uinculo colligabant: hic uerò cognationem naturæ quam filius habet ad patrem, per id uehementer diuellebat, quòd dissimilitudinem secundum ὁσίαν introducebat. Vtrisque igitur extremè inter se dissidentibus, media inter utrosque uia uisa nobis est, sufficienter ueritatis habere pietatẽ, quæ filium patri secundũ hypostasin similẽ esse dicit. Talia Macedoniani ad hanc quæstionem per Sophronium responderunt, sicut Sabinus in collectaneis Synodicarum rerum memorat.

De Spiritu sancto.

Spiritum sanctum, perinde ut Arius & Eunomius, docuit tantum esse creaturã, nihil habere cum patre & filio commune, & tantum esse ministrũ ac famulũ ipsorum. Theodoretus: Ruffinus libro primo, capite uigesimoquinto: Sozomenus libro quarto, capite uigesimoseptimo. Augustinus tamẽ inquit, Macedonium docere, licet Spiritus sanctus non sit Deus, tamen esse deitatem patris & filij, nec propriam habere substantiam.

2

Angelicis ordinibus paulo præstantiorem esse Spiritum sanctum docuit. Nicephorus libro nono, capite quadragesimoseptimo. Porro à dogmate contra Spiritum sanctum, narrat Augustinus Macedonianos præcipuè πνευματομάχους dictos esse.

MORES ET RITVS.

Ad communionem omnes adigebant: ligno ora aperiebant, & mysteria illis imponebant. Mulieres & paruulos initiari uolebant: detrectantes uerberibus, carceribus & tormentis excarnificarũt. mulieribus, quod auditu crudele est, ubera aperta cista & operimẽto iniecto abscinderũt: alijs ferro, uel etiã ouis extremè feruentibus eadem corporis partes combusserunt: ut narrat Socrates, se à longæuissimo Auxanonte audiuisse, libro secundo, capite trigesimooctauo.

Vitæ conuersatione, quam plebs potissimùm obseruat ac suspicit, haud malè se gerebant. Erat, inquam, illis species honestatis, uitæ conuersatio similis monasticæ, sermo haud inelegans, & ingenium ad persuadendum potens. Sozomenus libro quarto, capite uigesimoseptimo. In publicum cum grauitate quadam prodibant. Nicephorus libro nono, capite quadragesimoseptimo. Sese ipsos ambitiosè episcopi titulo diuulgarunt: ut Gregorius Nazianzenus in epistola ad Nectarium Constantinopolitanũ narrat.

Insaniam Macedonij promouerunt (ut Ruffinus libro primo, capite uigesimoquinto testatur) plurimi, qui uidebantur attentiorem uitam agere, & monasteria permulta apud Constantinopolim uicinasq; prouincias. Præterea & episcopi, nobiles, alijq;, Macedonij errorem sunt secuti.

In opinione erronea consenserunt Macedonio Eleusius & Eustathius, & quotquot tum temporis ab illis qui ex aduersaria hæresi erant, Constantinopoli & per Bithyniam, Thraciam, Hellespontum, & uicinas gentes adhæserunt. Sozomenus libro secundo, capite uigesimoseptimo: Socrates libro quarto, capite secundo: & libro quinto, capite octauo. Hanc hæresin usque adeò studio & pecunijs suis adiuuit Marathonius, (quem paulo antè Nicomediæ constituerant episcopum) ut Macedoniani à nonnullis haud immeritò Marathoniani uocentur. Solus enim ille cum cõtubernio suo in causa fuisse uidetur, quòd hæresis ista Constantinopoli non est prorsus extincta. Etenim ab eo tempore quo depositus est Macedonius, usque ad imperium Arcadij, neque ecclesias neque episcopos habuit. Ariani inquam, non permittebant ut emergerent. Sozomenus libro quarto, capite uigesimoseptimo: Socrates libro secundo, capite quadragesimoquinto.

Contra hanc hæresin synodus altera Constantinopolitana à Theodosio coacta est: Zonaras de Theodosio. in qua magno studio id egit Imperator bonus, ut Macedonianos

cum

cum Homousianis coniungeret: reuocans illis in memoriam, quod olim Liberio episcopo professi essent, sed frustra. Potius enim se Arianum dogma profiteri malle, quàm cum Homousio, dicebát. Sozomenus libro septimo, capite septimo: Nicephorus lib. duodecimo, capite undecimo & duodecimo.

In ea igitur synodo episcopi congregati, etiam spiritus sancti gloriam, ut pote simile atq; æqualem patri & filio, sancto Nicenæ fidei symbolo adiecerunt: Gregorio Nysseno, id quod deesset, supplente. Nicephorus lib. eodem, capite decimotertio. Addit Zonaras, Macedonium & eius sectatores, Ecclesia catholica tum quoque esse eiectos. Testatur et Socrates lib. quinto, cap. nono, Macedonianos à Theodosio Constantinopoli expulsos esse, eo quòd fidem illius auersarentur.

Conuersos autem ante hæc tempora, sub imperio scilitet Valentiniani & Valentis, suprà dictum est, cum exagitati ab Eudoxianis, tres præcipuos episcopos eorum Eustathiũ Sebastiæ, Siluanũ Tarsensem, & Theophilum Castabalensem, Romam ad Liberiũ misissent, indicantes & ipsi & cæteris per occidentem Ecclesiæ doctoribus, se in fidei causa à Liberio non discrepare, & cum Romana ecclesia communicare cupere. Quos cum nõ admitteret Liberius, significans non posse eos recipi, quia de Arianorũ partibus essent: responderunt, se pœnitentiam agere, errorem agnoscere, & Arianorum fidem abnegare. Mox explicationem Liberio postulanti, libellum obtulerunt, in quo uerba fidei Nicænę adscripta erant. Sic igitur tum Macedoniani cum Homousianis coniuncti sunt. Socrates libro quarto, capite duodecimo: Sozomenus libro sexto, capite decimo & undecimo. Illi igitur de causa legationis communicantes, Arium & hæresis illius sectatores condemnarunt, simulque omnem hæresin, Nicænæ fidei contrariam, abdicarunt: & nomen ὁμοούσιον, tanquam idem significans quod ὅμοιον κατὰ οὐσίαν, acceptarunt. Gaudens igitur Liberius, illis communicauit: & per epistolas ad Orientales, concordiam & consensum illorum laudauit. Sozomenus ibidem.

Post eam igitur legationem, indifferenter aliquandiu in ecclesijs per ciuitates communicauerunt, atq; inter se cùm ipsi, tum qui inde ab initio Nicenæ fidei adhærebant, coniuncti fuerunt. Sed ad uomitum quasi canes, non ita multo pòst redierunt. Quamprimum enim Gratiani lex uariantibus inter se religionibus libertatem dedisset, illi separationem denuò instituerunt. Collecti igitur Antiochiæ Syriæ, decreuerunt auersandam esse ὁμοιούσιος uocem: nec ullo modo illis consentiendum, qui fidẽ Nicænã profiterentur. Condemnabantur enim à multis, quòd subinde aliter atq; aliter decreuissent. At separabant se ab illis non pauci, quos Homousia ni firmiter adiuuabant. Socrates libro quinto, cap. quarto: Sozomenus libro septimo, capite secundo.

SVB CONSTANTIO ET CONSTANTE.

DE HAERESI MARCELLI & Photini.

MArcellum Ancyranum è minori Galatia episcopum, sub Constantio & Cõstante Socrates lib. primo, capite trigesimo sexto, ad hæresin delapsum ea occasione scripsit, quòd aduersus Asterium Arianũ pugnare instituens, nimiũ contendit acutè & scrupulose: quamobrem in Pauli Samosateni hæresin illapsus sit. Refert idem Sozomenus lib. secundo, capite trigesimo tertio. Epiphanius tamẽ eum in Sabellij opinionẽ deuenisse scripsit. sic enim ait libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesima secunda: Cum uoluerit quædam diffusius apud quosdam dicere, declarauit se cum Sabellio sentire.

Addit Socrates, uolumen quoddã à Marcello conscriptum, quod erroneũ synodus Hierosolymitana deprehendens, ut in quo clarè se cum Samosateno sentire testatus esset, Marcellum ut combureret iussit, confusus ille quidem, se combusturum pollicitus est: sed cum non feciisset, quasi propugnator sui erroris, in synodo sequenti Constantinopolitana depositus est. Episcopatum tamen suum in synodo Sardicensi recepit, cum se purgasset, Scriptum suum non intellectum, sed falso in Samosatenici dogmatis suspicionem raptum esse. Addit Epiphanius, Etiam alios Marcelli causam egisse, qui pro ipso intercedentes, rectè eum & sensisse & uixisse affirmarunt. Addit & hoc, pœnitentia fortasis eum ductum, seipsum correxisse. Idem, Hieronymus in Catalogo. Certè Hilarius in libro ad Constantium, & Athanasius aliquoties, non nominis solum sui ut hæretici, uerùm etiam erroris meminit, ut postea dicetur. Et libro eodem, capite uigesimo, Socrates in hanc sententiam dicit: Quæcunque fuerit Marcelli excusatio, quasi phrasis libri sui non intellecta sit, sciendum est, Eusebium Pamphili tribus integris uoluminibus Marcelli confutasse librum, ad Pamphilum, disputantem quæ contra Marcellum scripsit.

Discipulorum seu sectatorum Marcelli Epiphanius horum meminit: Photini, Eustathij, Photini alterius, & Sigerij, presbyterorum, Hygini diaconi, Heracidis seu Heraclidis (nam nomen utrunque habet) hypodiaconi, Elpidij lectoris, Cyriaci præ-

fidis.

sidis. Athanasius de synodis Ariminen. & Seleuc. Marcello etiam Scotinum Ancyrogalatam, Marcello consentiente, nominat. Basilius Treuerensen adnumerat.

Cęterum quia Photinum cõiungere cum Marcello uisum est, prius de eo quoque cõmemoranda quædam sunt.

Ex decretis synodi Nicænæ apparet, Photinianos etiam Paulianistas dictos. Ruffinus libro primo, capite sexto. Fuit autem Photinus discipulus Marcelli, episcopus Syrmij, ciuitatis Illyriæ, ubi & hæresin suam initio sparsit. Socrates libro secũdo, capite decimo nono: Hieronymus in catalogo. Ad tantum nefas non mediocribus adminiculis utebatur. Nam erat & ingenij uiribus ualens, & doctrinæ opibus excellens, & eloquio proprius: quippe qui utroq; sermone copiose et grauiter disputaret. Vincentius Lirinensis ex Sozomeno libro quarto, capite sexto.

HYPOTHESES

de Deo.

Marcellus & Photinus docuerunt, Deum singulum esse et solitarium: et more Iudaico confitendum non esse tres personas, sed unã duntaxat: licet tria nomina sint, pater, filius, & spiritus sanctus, tamen filium & spiritum sanctũ non esse personas peculiares. Vincentius Lirinensis: Theodoretus libro secundo hæreticarum fabularum: Marius Victorinus libro primo contra Arium. Hinc etiam asserabãt, operationem patris, filij & spiritus sancti tantum uni personæ adscribendam: planè ut Sabellius & Samosatenus.

De Christo.

Marcellus & Photinus, filium Dei nudũ esse hominẽ, & ex humanę generationis natura initium habere, neq; esse ante secula genitum docuerunt. Socrates libro secundo, cap. 19 & uigesimo: & libro septimo, cap. trigesimo secundo. Sozomenus libro secundo, cap. trigesimo tertio: & libro quarto, cap. 6: Athanasius de salutari aduentu Christi, & in disputatione cõtra Arium: Hilarius libro septimo de Trinitate: Athanasius oratione, Vnum esse Christum: Gregorius Nazianzenus in oratione de se ipso: Ambrosius libro de Apologia Dauid, item libro tertio Hexameri: Hieronymus lib. tertio in Hieremiam: Marius Victorinus libro primo aduersus Arium: Vincentius Lirinensis, Optatus Milevitanus libro quarto.

De Spiritu sancto.

Spiritum sanctum non esse propiã personam: Basilius epistola septuagesima quarta, Vincentius Lirinensis, Epiphanius. Theodoretus hæreticarum fabularum lib. secundo, ait eum docuisse, spiritum sanctum esse extensionem extensionis.

Rationibus usi sunt, quæ sunt Arianis cõmunes: ut quòd scriptura dicit, Cum subiecta ei fuerint omnia. Athanasius oratione, Vnum esse Christũ. Et, Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: Hilarius de synodo contra Arium. Item, Faciamus (Deus inquit) hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Verbo sui ipsius pater dixit. Quid igitur? Verbum in patre, inquit, erat, sed non erat filius. Et, Pluit Dominus à Domino, in patre existens uerbum. Et, Vidi descendentem supra nubes, uelut filium hominis. Hoc, inquit, prędenunciatiuè dixit, non uelut filio existenti: sed quòd filius uocandus esset post Mariam, & à carne uenturus esset. Prædictorio modo, inquit, omnia ad ipsum referuntur ab initio, nondum autem erat. Verbum uerò erat, uelut in me uerbum. Et primus homo ex terra terrenus, & secundus à cœlo. Epiphanius.

Basilius Magnus epistola quinquagesima secunda ad Athanasium: Marcellus ex diametro respondentem Ario impietatem attulit, atq; contra eandem unigeniti diuinitatisq; essentiam impiè egit: Verbiq; appellationem malè usurpauit, qui uerbum quidẽ unigenitum uocari tradit, ratione ministerij ac dispẽsationis, & quatenus in tempore natus prodijt. Cæterũ ad eũ unde egressus erat reuersum, nec ante egressum fuisse, nec post regressum existere. Item: Nunc quæritis me interficere. Hieronymus in Hieremiã lib. 3.

Cõfutarunt istas hæreses multi præstãtes uiri, uel ex instituto, uel sparsim in suis scriptis: Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Epiphanius, Prudẽtius, Marius Victorinus, Vincentius Lirinensis, Hilarius, Gregorius Nazianzenus. Meminit Theodoretus libro secundo hęreticarũ fabularũ, cõtra Photinũ, Diodorum scripsisse, qui rexit Cilicum ecclesiam: & contra eundem Gennadius ait, Audentium episcopum Hispanũ librũ composuisse, titulo De fide cõtra omnes hæreticos.

De Deo.

Libro tertio Hexameron Ambrosius opponit: Pater Deus dicit ad filiũ, Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinẽ nostram.

Athanasius inquit ad Marcelli hæresin, Si futura in expectatione habuissent, aut Dei aduentum iudiciumq; credidissent, aut pœnã ueriti essent, Euangelio obtemperassent, Apostolos secuti fuissent potius quàm humanas rationes. Christum etiam Apostoli proficiscentes statim prędicarũt, idque uno ore, sine ullo dissidio, natum illum scilicet in Bethleem esse ex semine Dauidis, similemq; specie hominibus sub Pontio Pilato, eundemq; & filium Dei & hominẽ dixerũt, eundem ex cœlo, eundem de terra, eundem impatibilem, eundem passum, & non aliũ: non

non duas personas, nō duas hypostases, non duas adorationes. Ad illud Marcelli de dissoluta deitate, respōdit idem: Discernimus, inquit, in uno homine corpus & animam. Corpus, ut Christus ait, homines occidere possunt, animam autem non. Quanto magis nos, in una persona Dei & hominis causam immortalitatis, id est, deitatem ab hominis infirma natura discernimus? Et Christus inquit, Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud: utiq; homo passus est, qui templum Dei factus est: Videbunt in quem confixerunt. Nunquid diuinitatem clauis fixerunt, aut lancea perforarunt? absit. Libro de assumptione hominis contra Marcellum. Ambrosius libro de Apologia Dauid: Taceat Photinus, qui Christum Dauid filium, non Dei dicit: & taceat damnatus uoce cœlesti. Quomodo enim dicit Christum filium Dauid esse, cùm ipse Dauid dixerit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo? Si Dauid, inquit, Dominum illum uocat, quomodo filius eius est? Non ergo Dauid filius, sed Dei filius Christ⁹.

Epiphanius ait: Si non est filius Dei, uanus est ipsius labor, uana ipsius uoluntas, & spes ac cogitatio. Non enim dicit de ipso Euangelium, In principio erat Verbum, & Verbum erat in Deo: sed, erat apud Deum. Et non solum apud Deum, sed & Deus erat Verbum. At in homine uerbum intus dispositum semper, & prolaticium existens, non potest dici homo, sed hominis uerbum. Sed de filio dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. Et confutans dictū, Primus homo ex terra terrenus, ita scribit: Reluctatur ipsi doctrinæ ueritatis. Hominem enim, & hominē secūdum Apostolus uocat: & primum quidem hominem Adam ex terra esse terrenū, secundum uerò è cœlo. Et quidem cum hominem dicat, Non ex cœlo caro descendit: sed etiam ex hoc cōfessum est, quòd sit à Maria. A' cœlo uerò abusiuè non dicit carnē, sed secundum hominē, quando quidē ex supernis uenit uerbū, et habitauit inter nos, uelut scriptum est. Contra hoc, Pluit Dominus à cœlo, à Domino: non dixit, Verbū Domini, sed Dominus à Domino. quemadmodum et Dauid dicit, Dixit Dominus Domino meo. Et, Ex uentre ante luciferum genui te: ostendit præsentiam eius ab initio. Prudentius Homuncionitas refutat his rationibus:

——*Non de labe uirili*
Sumit principium, tener illum seminat ignis,
Non caro, nec sanguis patris, nec fœda uoluptas,
Intactam thalami uirtus diuina puellam
Syncero afflatu per uiscera casta maritat.

2 *Mira fides, utero puer interceptus anili,*
Virgineum Dominum materno ex ore salutat, &c.

3 Ex uaticinio Esaię, Vocabitur Emanuel.
Est'ne Deus iam noster homo, uersatur & adstat
Nobiscum, nomenq; probat, uersumq; uetustis
Obscurum seclis præsenti illuminat ore.

4 *Est'ne Deus, cuius cunas ueneratus Eous,*
Lancibus auratis regalia secula supplex
Virginis ad gremium panni puerilibus offert.

5 *Sed iam tolle Magos, thus, aurum, myrrhea dona,*
Quæ uerum docuere Deum, &c.——
Ipsa Deum uirtus factorum & mira loquantur:
Insanos uideo subitò mitescere uentos,
Cum iubeat Christus, &c. ——
Ipse super fluidas plantis nitentibus undas
Ambulat, &c.
Lazare dic, cuius uocē tellure sub ima Audieris: etc.

Hieronymus inquit. Hinc retundenda Photini hæresis est, quod Domin⁹ noster IESVS Christus Deus sit, dum Apostolus, qui à Christo ad prędicationē Euāgelij missus est, negat se missum esse ab homine. Et, Notū uobis facio fratres Euangeliū, &c. quia non est secundum hominem. Si igitur Euangelium Pauli nō est secundū hominē, neq; ab homine accepit illud aut didicit, sed per reuelationem IESV Christi: non est utiq; homo IESVS Christus, qui Paulo Euangelium reuelauit. Quod si non est homo, consequenter Deus est. in primo capite epistolæ ad Galatas. Idem in capite quarto epistolæ ad Ephesios: Qui descēdit, ipse est qui ascendit. Hic locus aduersus Photinum uel maximè facit. Si enim ipse est ascendens in cœlos, qui de cœlis antè descenderat, quomodo Dominus noster IESVS Christus non ante Mariam, sed post Mariam?

Articulum de Spiritu sancto refutat Epiphanius inquiens: De Spiritu sancto nemo suscipiet tuum sermonem. Neque enim maior est Spiritus, neque minor. Redarguit autem te eadem sancta scriptura, ubi loquitur Dominus de Spiritu sancto, cōfitens ipsum esse genuinum suæ deitatis: & dicit, Qui ex patre procedit. Et, De meo accipiet.

Contra hunc Photinum conuocata est synodus in Syrmio, autoritate Constantij. Socrates libro secundo, capite uigesimonono: Sozomenus libro quarto, capite sexto: in qua etiam exilio multatus est. Qui in eadem synodo contra Photinum disputarunt, ibidem indicatur: & ab Epiphanio, qui & in synodo quadam Sardicensi damnatam Photini hæresin scripsit. Postremò, ad exiguum tempus hanc hæresin durasse, & dissipatam esse, Epiphanius scripsit.

SVB FILIIS CONSTANTINI.

DE LVCIFERIANIS.

Lvciferianos ait Augustinus ad Quodvultdeum, nec à Philastro, nec ab Epiphanio inter hęreticos numerari: ideo quòd schisma

schisma uerius quàm hæresis, quod de Lucifero scribitur, arbitrati sint. Se tamen inter hæreticos Luciferianos positos inuenisse.

Fuit autem Lucifer episcopus Sardiniæ. Venerat aliquando Antiochiam, ubi cum à se creatum Paulinum episcopum, Eusebius eò ueniens non probasset, ab Eusebio dissidere cœpit, simultatem alens ad finem usq; uitæ suæ irreconciliabilem. Ruffinus lib. 1. cap. 30, Socrates libro 3. capite nono: Theodoretus libro tertio, cap. 5. Sozomenus lib. 5. cap. decimotertio.

De huius hæresi tantum Theodoretus, ibidem: Lucifer in Sardiniam reuersus, alia quædã adiecit Ecclesiasticis dogmatis, quæ quibus placuerant, de huius appellatione cognomentum etiam sibi imponebant, ut Luciferiani diu quidem uocarentur. Quod tamen dogma extinctum, obliuione obrutũ est. Theodoretus & Sozomenus ibidẽ: Qui se Lucifero coniunxerunt, ab Ecclesia se ipsi discíderunt. Erasmus in argumento dialogi aduersus Luciferianos, ait fuisse episcopũ Smyrnensem. & Erasmi iudicio nulla uidetur unquã fuisse hæresis Luciferianorũ. Sed quia plures fuerũt Luciferi, inter quos alioqui non fuerunt ulla hęresi infecti, ambigui tatem ipsum nomen peperit.

Augustinus ad Quoduultdeum, dubitanter eis tribuit eam opinionem, quòd anima ex transfusione generetur, eademq; & de carne & carnis sit substantia: & subobscurè significat, eos propterea non posse dici hæreticos. Sozomenus libro tertio, capite decimoquinto ait, Luciferum autorem Homonymianorum fuisse. Hieronymus dialogo contra Luciferianos scribit, Helladium Luciferianum asseruisse, uniuersum mundum Diaboli esse, & factum de Ecclesia lupanar: & laicum ab Arianis uenientem recipi debere per pœnitentiam, clericum uerò nõ debere. Atq; hęc confutat dialogo isto toto. Lucenburgius dicit, eos docuisse, Deum in Luciferi deiectione peccasse. Sed quia de ista hæresi dubitatur, nos eam pluribus non persequemur.

SVB FILIIS CONSTANTINI.

AVDAEANORVM SEV ANTHROPOMORPHITARVM *anthropomorphitarum hæresis.*

AVdæus, iuxta Theodoretum, seu Audius, secundũ Epiphaniũ, Syrus fuit, ex Mesopotamia, celebris in patria sua integritate uitæ, & zelo erga Deũ, & fide. Epiphanius. Temporibus autem Arij fuit, & Synodi Nicenæ. Epiphanius. Theodoretus uerò eius hæresin sub Valentinianum collocat, libro 4. cap. 10.

Orta hæc hæresis & acriter defensa est in Ægypto, inter monachos in eremo Scythię. Et Epiphanius: In monasterijs, inquit, habitant, & secedentes contubernium faciunt tum in solitudinibus, tum prope urbes, & in suburbijs.

HYPOTHESES *de Deo.*

Deum habere humanam formam, ac mẽbris humanis inclusum esse docuerũt: Theodoretus lib. 4. cap. 10. Augustinus rationem usurpauit, quia scriptum sit, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Et, Oculi Domini super pauperem respiciunt, & aures ipsius ad preces illius. Et, Manus Domini fecit hęc omnia. Et, Cœlum mihi thronus, & terra scabellum pedum meorum: & quæcunq; talia de eo scripta sunt. Et, Vides, inquiũt, quod est corpus, quod est secundũ imaginem Dei? Sed & in hoc resistũt, & grassantur super humanam potentiam, quòd uisus est Dominus prophetis. Epiphanius.

2

Deum omnipotentem non esse opificem neque ignis, neq; tenebrarum, sicut Manes, docuerunt. Verùm hanc factionem ista occultasse, ait Theodoretus lib. 4. cap. 10.

DE MORIBVS ET RITIBVS *Audæanorum.*

Nobiscum preces non faciunt, uituperantes episcopos nostros, diuites ipsos appellantes, itemq; alios. Epiphanius in Anacephalęosi, & Augustinus ad Quoduultdeum.

Cum Iudæis Pascha perficere uolunt: hoc est, quo tempore Iudæi sua azyma faciunt, tunc & ipsi Pascha agere contendunt: & adsciscunt, quòd sic in Ecclesia erat receptum. Nam & sermonem calumniatorum Ecclesiasticis in hac parte obtendunt de Constantino: Propter personarum acceptionem, inquiunt, reliquistis patrum circa festiuitatem Paschatis ordinem, & diẽ transmutastis in officium regis. Quidam uerò rursus priuato contentionis studio decernunt, ac dicunt: Quando instat natalis dies Constantini, tunc trãsmutastis Pascha. Afferunt falso ad hoc & Apostolorum constitutionẽ, quæ apud multos in ambiguo est. At uerò dictum à quo accipiunt de Paschate malè interpretantur, & per ignorantiam aliter intelligunt. Epiphanius. Dicunt, Vigilias faciendas esse in medio Azymorum. Conuersationem ac uitã bene ordinatam habent. Pleriq; in monasterijs habitant. Idem in Anacephalęosi. Simulabat hæc factio magnam uitæ innocentiam ac castitatem, recedereq; à communitate Ecclesiastica se dicebant, quod in illa ferrentur fœneratores & impuri. Ex Theodoreto libro quarto, cap. 10.

Contra Audæanorum dogmata sic scribit

Theodoretus libro quarto, capite decimo: Sic sensit Audæus, non intellecta scripturæ sententia, quæ sæpenumero diuinis effectionibus humanorum membrorum nomina imponit. Nam ita qui subtiliora non capiunt, de prouidentia Dei edocentur. Theophilus etiam Alexandrinus contra Anthropomorphitanorum hæresin longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit. Epiphanius sic refutat. Visus est quidem sicut uoluit, cum potes sit in omnibus. Viderunt & Apostoli, ut Stephanus: & prophetæ & Apostoli uidebant Deum prout poterant ipsi, & sicut licebat, & sicut ipse uoluit. Si enim conspici uult Deus ab homine à se facto, nihil aduersatur ipsius uoluntati. Et, Viderunt sicut natura potuit ferre, & hoc secundum gratiam potentiæ, qua potens ille ipsum potentem fecit in omnibus propter amicitiam eiusdem hominis seruientis illi in ueritate.

De Audæi successoribus, & quibus in locis secta potissimum fuerit.

Multi porrò post Audæi obitum fuerunt cum illis, & post ipsum, ordinis ipsius episcopi, ut Vranius quidam Mesopotamię. Sed & à Gothia habuit aliquos, ipsosq; cõstituit episcopos. Fuit & Syluanus & alij quidam: quorum aliqui è uita discesserunt: præsertim Vranius, qui ex medio illorũ gloriosus erat. Verũ post obitũ horũ episcoporũ, pleriq; dissipati sunt, & ualde imminuta est horum cõgregatio, et in partib. Chalcidis ad Antiochiã sitis, & in partib. Euphratis. Nam à Gothia pleriq; fugati sunt, persecutione magna instante sub rege Græco. Multi igitur ipsorum Audæanorum, ubi discesserunt à Gothia & nostris partibus, huc delati, cohabitãt à tempore hoc annorum 4. Sed & à Tauro monte rursus discesserunt eorundem Audæanorũ monasteria, & à Palæstina & Arabia. Erant enim iam dilatati: Verùm de cætero pauci, & pauca monasteria. Fortasis autem in duob. uicis iuxta exteriorem Chalcidis partem, & ultra Damascũ ac Mesopotamiæ partes, usq; huc est ordo supstes in paucis. Epiphanius.

SVB CONSTANTINO, IVLIANO, ET ALIIS.

DE DONATISTARVM, CIRcumcellionum & Parmenianorum hæresi.

MIrum est nullam prorsus mentionem fieri Donatistarũ apud scriptores Ecclesiasticos huius seculi, Socratem, Sozomenum: solus Theodoretus in fabulis hæreticorum, breuibus eorum meminit.

Initium eius hæreseos Hieronymi Chronicon in annum Christi 331 reijcit, & paulo antiquiorem Donatum facit. Veniſſe ex Numidia hunc Donatum, Augustinus retulit.

Separarunt se ab Ecclesia: eamq; separationem sic excusant, quòd in cõmunione Sacramentorum mali maculent bonos: ideoq; se corporali disiunctione, à malorum contagione recessisse, ne omnes pariter perirẽt. Libro de unico baptismo, cap. 14.

Orta primùm est hæc hæresis in Africa, ab autore Donato, qui schismate adortus primùm Cecilianum episcopum Carthaginensem (cuius in constitutionibus & epistolis suis Constantinus meminit, apud Eusebiũ de uita Cõstantini) indignatus quòd præter eius uoluntatem episcopus ordinatus esset: sed cum crimina non probata Ceciliano obiecissent, & falsi ac mendaces deprehensi fuissent, studio dissentiendi confirmato, Donatus cum sua parte schisma illud in hæresim conuertit: Augustinus ad Quoduultdeum. id quod suo loco fusius exponitur. Fuerunt autem duo: & posterior quidem istam hæresin maximè corroborauit. libro contra Cresconium, cap. 2. Ab eo autem Donatistæ dicti sunt: quos Philaster etiam Montanistas uocat, & suo tempore Parmenianos dictos fuisse asserit. Hieronymus etiam Montenses eos uocatos testatur, in Chronico.

Tota igitur prius ab ea hæresi occupata Africa & Hipponensi regione, postea etiam in Hispaniam, Italiam, Romam & Galliam pullulauit: ut ex Augustino, libro primo contra literas Petiliani constat. Plurimósque subinde recensẽt, qui Donati partium fuere.

HYPOTHESES

De Deo.

Quamuis eiusdem substantiæ, minorem tamen patre filium, & minorem filio putasse spiritum sanctum, Augustinus ad Quoduult deum testatur. Sed addit tamen, in hunc de Trinitate errorem Donatistas non ita attentos fuisse: nec facilè ex ijs aliquem reperiri, qui Donatum sic sensisse norit. Sicut & ad Bonifacium de correctione Donatistarum, eorum errorem ab Arianorum errore differre testatur. Theodoretus in fabulis hæreticorum, indicat eos cum Arianis consentire.

De Ecclesia.

Ecclesiam dixerunt nullibi esse quàm in Africa, & quidem tantum esse in parte Donati. Augustinus libro secundo contra literas Petiliani, capite decimoquinto. Et tempus Donati esse messem Ecclesiæ: libro tertio, capite secundo. Et perijsse dicitur de orbe terrarum Ecclesiam, & in parte Donati eius reliquias remansisse, tanquam in frumentis & zizanijs & palea separatis: libro secundo contra Cresconium, capite trigesimoseptimo. Aiunt & hoc, de Africanis solùm dictum esse, Erũt primi qui erant nouissimi

nouissimi: deficiente aliàs toto terrarũ orbe. Augustin. in epistola Petil. cap. 13. Hinc Cassianus in 60 psalmũ ait, Donatistas asseuerare, Ecclesiã Christi esse localẽ: Iussi probare, Ecclesiã uel in sola Africa, perditis tot gentibus, retinendam: uel ex Africa in omnibus gentibus reparandam atq; supplendam esse: uerum esse hoc respondent, quia ipsi dicant, uel quia dixerint illi collegæ ipsorum, aut illi episcopi, uel clerici uel laici eorum: seu quia illa & illa mirabilia fecerit Donatus uel Pontius, uel quilibet alius: aut quia homines ad memorias mortuorũ ipsorum orant & exaudiantur: aut quia illa & illa ibi contingant: aut quia ille frater aut illa soror ipsorum tale uisum uigilans uiderit, uel tale uisum dormiens somniarit. Augustinus in epistola Petiliani cap. 16.

De Sacramentis.

Sacramenta sancta esse, quando per sanctos homines dentur. Augustinus in Psalmo 100 & 32.

De Baptismo.

1

Baptisandos esse eos qui ipsorum sententiæ accesserunt. Philaster. Ac pronunciant, extra suum cœtum non administrari uerum baptismum. Augustinus libro primo contra literas Petiliani, capite decimonono: & lib. 4. contra Cresconium, cap. 5.

2

Virtutem baptismi pendere à ministro qui baptizat: qui si bonus sit, salutaris quoq; fit baptismus: sin minus, baptismus nihil prosit. Et hic articulus ferè præcipuus est, in quo exorbitarunt.

Ideo, Augustinus inquit, id agunt Donatistæ, ut origo, radix & caput baptizati non nisi ille sit, à quo baptizatur. Lib. primo contra literas Petiliani, cap. 4. Et iuxta uestram sententiam talis quisq; redire dicitur, qualis fuerit à quo baptizatur: si nocens, nocentẽ: si innocens, innocentem. libro secundo aduersus Petilianum, capite centesimoprimo: & libro tertio, capite trigesimonono. Et Donatistæ propè tot baptismos, quot homines, persuadere conantur: detorquentes eò dictum Matth. septimo, Arbor bona fructus bonos facit. ut à bono baptizatus bonus sit, & à malo malus. Lib. contra Petilianum, capite decimooctauo.

Rebaptizationem probãt his rationibus: Quia Paulus cũ inueniſſet in Epheso quosdam, qui se dicebant Ioannis baptismate baptizatos, baptizari iussit in Christo. Actorum decimonono. libro de unico baptismo capite septimo. Si igitur post Ioannem, amicum sponsi, baptizatum est: quanto magis post hæreticum baptizandum est? libro quarto contra Cresconium, capite quinto. Narrat præterea & hanc historiam. Quidam Donatistarum episcopus, cum hic apud Hipponem, sicut audiuimus, sermonem in populo faceret, dixit, eandem arcam Noe ideo bituminatam intrinsecus, ne aquam emitteret suam: ideo etiam extrinsecus, ne admitteret alienam. Ad hoc utiq; ualere uoluit hãc interpretationem, nè baptismus uel extra Ecclesiam posse exire credatur: uel qui extra datus fuerit, acceptetur. lib. 2. contra Petilianum, cap. quinto.

De Libero arbitrio.

Cum arbitrio libero homo creatus est: & si uult, credit in Christum: si non uult, non credit. Si uult, perseuerat in eo quod credit: si non uult, non perseuerat. Et ideo cum cœpisset per orbem terrarum crescere Ecclesia, noluerunt homines perseuerare: & defecit ex omnibus gentibus Christiana religio, excepta parte Donati. Libro 2. contra Petilianum, cap. decimonono.

De Peccato.

Donati imitatores ita sine peccato uolunt uideri, ut etiam iustificatores hominum se esse adserant. Libro contra Petil. cap. decimoquarto.

De Pœnitentia.

Epiphanius, Donatianos Catharis adnumerat, eosq; societatem non habere cum lapsis in persecutione affirmat. lib. 2. tomo 1, hæresi quinquagesimanona.

De Martyrio.

Violentam mortem, quam uel sponte ac prẽter necessitatem sibi inferunt, uel iubent alios oblato suo corpore sibi inferri, martyrium nominant. Theodoretus in Hæreticorum fabulis.

De Ritibus & moribus Donatistarum.

Operæpretium est cognoscere, quæ dè ijs scribit Theodoretus in fabulis hæreticorũ: Nouum, inquit, insaniæ genus excogitarũt: Violentã enim mortem martyriũ nominãt. Et qui hanc quidem appellationem assequi uolunt, id longo antè tempore, ijs qui idem secum sentiunt, significant. Illi aũt eos omni genere officij obseruant, eisq; inseruiunt, & omne ciborum genus afferunt: ueluti quædam sacrificio destinata animalia præpascentes, & pinguefacientes. Cum diuturno autẽ tempore in his delicijs lautè & opiparè uixerint, cogunt eos, quos in uijs inuenerint, læ talia eis uulnera ense afferre. Et nonnulli quidem institutum assequuntur, alij uerò ab eo excidunt. Instar Corybantum itaque furentes & debacchantes, se ex alto è præcipitijs deorsum præcipitant. Et lepidam adijcit historiam. Cum permulti ex ijs, instar phasianorum adipati, in generosum quendam iuuenem incidissent, deinde nudum ensem ei porrexissent, iusserunt ut eis

eis afferret uulnera: & se eum interfecturum minati sunt, nisi imperatum faceret. Is autem dixit, se uereri, ne aliquibus occisis, qui supereſſent pœnitentia ducti, pœnam cædis ab eo exigerent. Oportere itaq; prius unicuique eorum uinculum imponere, deinde sic ensem adigere. Cum illi autem acquieuisset, & uincula accepissent, cum uirgis omnes ce cidisset, eos uinctos relinquens, abijt. Eis uerè hanc phrenesin immisit malus dæmon. Eadem hæc de Circumcellionibus Augusti nus narrat ad Quoduultdeum, quos genus hominum ait esse agreste & audax. Philaster uerò circuitores uocat, circumeuntes terram, & sub specie martyrium rapientium latrocinantes. Augustinus libro primo contra literas Petiliani, capite uigesimoquarto, tribuit Circumcellionibus tyrannicas in ciuitatibus & fundis alienis dominationes, furores, & præcipitatorum ultrò cadauerũ cultus sacrilegos, & prophanas bacchationes ebrietantium. Et lib. 1. cap. 27 ait, eos sacros libros flammis tradidisse, & persecutiones uiolentissimas exercuisse. Lib. 2. contra eosdem, capite 14, uocat eos prophetarum interfectores. Et in eodem, capite decimoquinto, Linguas eorum dicit dolosas. In eodem, capite octuagesimotertio: Viuunt ut latrones. Et: Quæ strages, inquit, à uobis factæ sunt, posteaquam Iulianus basilicas uobis tradidisset? In eodem, capite octuagesimooctauo: Vetus, inquit, Circumcellionum malitia fuit, uti fustibus. nam inter uinolenta conuiuia, & cum fœminis maritos non habentibus liberam comitandi, uagandi, iocandi, bibendi, pernoctandi licentiam, non solùm fustes tornare, sed etiam ferrum uibrare, & fundas circumagere didicerunt. In eodem, capite nonagesimosecundo, contumaces eos uocat, & legibus hostili modo repugnantes: Constantinus, inquit, Magnus acceptari à uobis, nec ad se appellantibus, nequaquam meruit. Optatus Mileuitanus lib. 6, ait solitos eos lauare parietes templorum, radere altaria, & frangere calices, ubi catholici uel cœtus habuerunt, uel cœna usi sunt.

Magnam fuisse Donatianorum licentiam sub Iuliano apostata, apparet ex Augustino, ut dictum est. Meminit & Faustini cuiusdã, sub cuius regno mira fuerit catholicorum paucitas: libro secundo contra Petil. cap. octuagesimotertio. Et Pontij, qui apud Iulianum prætorem eorum egerit, cap. nonagesimosecundo. Cresconius grammaticus acerrimus eorum fuit defensor, quemadmodum & ipse Petilianus: ut suo loco dicetur. Apud Herodem Proconsulem postulationem egit Thicianus Donatista. lib. 3. contra Cresconium capite quinquagesimosexto. Lucilla opulenta Hispana fœmina, Donatianos promouit opibus & patrimonio. libro secundo contra Petil. cap. 3: & Hieronymus in epistola ad Cresiphontem, aduersus Pelagianos. Narrat & Optatus Mileuitanus lib. secundo, sub Iuliano Donatistas, etc. cõtra catholicos persecutionem mouisse, & in Mauritania seditionem excitasse. Contra Donatianos scripsit libros sex ad Valentinianum & Valentem Imperatores, Optatus episcopus Mileuitanus.

Articulum de Ecclesia Optatus Mileuitanus libro secundo sic confutat, quòd allegat testimonia scripturæ: Dabo tibi gentes: Dominabitur à mari usque ad mare: item Psalmum quàdragesimumoctauum, Vocauit terram ab ortu solis usq; ad occasum: item Psalmum centesimum duodecimum, Laudandũ nomen Domini ab ortu solis usq; ad occasum: item, Cantate Domino omnis terra. Idem ex proprietate nominis catholici deducit eadem, &c.

Contra articulum de Sacramentis, Optatus Mileuitanus lib. 2. inquit: Non dotes ministri, sed Trinitatem in Sacramentis operari, cui cõcurrat fides credentiũ, & professio.

Contra articulum de Baptismo, idem lib. eodẽ inquit: Vos rebaptisando rebaptisatis hominem fidelem, & dicitis Deo habitanti, maledicte exi foras: ut compleatur quod per prophetam à Deo dictum est de se, Et maledicebant mihi. Item: Sic Deus Christus præcepit dicẽdo: Ite, baptisate omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. De hoc lauacro dixit: Qui semel lotus est, nõ habet iterum necessitatem lauandi. Qui semel dixit, prohibuit iterum fieri.

Leges uerò etiam contra Donatistas latas ab Imperatoribus, Augustinus testatur lib. 2. contra Petil. cap. 86. Et libro 3. contra Cresconium, cap. 46, Imperatorum legibus ciuitates eos uitare iussos indicat. Primus autem Constantinus Magnus multa cõtra Donatistarum errorem constituit, & ademit eis basilicas: eodem autore lib. 2. aduersus Petil. literas, cap. 92.

De successoribus Donati idem ad Quoduultdeum sic: Donatus adiunctis sibi eiusdem factionis episcopis, Maiorinum apud Carthaginẽ ordinauit episcopum. Cui Maiorino Donatus alius eadem diuisione successit, qui eloquentia sua sic confirmauit hanc hæresin, ut multi existiment propter ipsum potius Donatistas uocari. Cõuersos quosdam, ut Candidũ Villaregiensem, & Donatum Macomediensem: ex Augustino, lib. 2. cap. 10. apparet. Postremò, de confutatione huius hæreseos, alibi plura.

SVB IOVINIANO.

DE IOVINIANI *hæresi.*

IOuiniani hæresim sub Iouinianum Impẽratorem collocat Sabellicus lib. 9. septimę Enneadis. Augustinus testatur, se iuuene exortam, ad Quoduultdeum: fortè quia repulsam fuit, seu adhuc durauit. Apparet autem ex eodem Augustini & Hieronymi peculiari aduersus Iouinianum libro, Iouinianum ex monacho clericum factum, hominem fuisse obscurum, diuitem tamẽ: sed nec eruditum, nec eloquentem. Dogmata ei Augustinus adscribit, de quibus non omnibus meminit Hieronymus ex professo, licet contra Iouinianum scribens: fortè quia ætate Augustini plura portenta affinxerunt. Videtur porrò ex Augustino, Romæ hæc hæresis fuisse.

De Peccato.

Omnia peccata, perinde ut Stoici, paria esse dicebat.

De Baptismo.

Non posse peccare hominem, aut à diabolo subuerti, lauacro regenerationis plena fide accepto: Augustinus, Hieronymus. Idem autem ascribitur Pelagio. Suo præterea baptismo plus tribuit, quàm eorum qui à se dissentiebant.

De Virginitate Mariæ.

Virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam.

Tribuerunt insuper Hieronymus & Augustinus Iouinianis propositiones, quasi erroneas & falsas: quæ, si non accesserunt circũstantiæ aliquę malæ & reprehensibiles, à uerbo Dei non discrepant: & hæretici potius cẽsendi sunt, qui contrarium affirmant: nempe has: Nihil interesse inter uescentem cibis, & abstinentem seu ieiunãtem, modò cum gratiarũ actione sumat. Imò uirginitatẽ etiam sanctimonialium, & continentiam sexus uirilis, in sanctis eligentib. cœlibem uitã, cõiugiorũ castorũ atq; fideliũ meritis adęquabat.

Perpaucos uerò hac hæresi infectos Augustinus scribit: & citò eam oppressam & extinctã, scripsit aduersus Iouinianũ Hieronymus.

SVB VALENTINIANO ET VALENTE.

DE HAERESI APOLINARIJ.

DVo fuerunt Apolinarij, uiri eximiè docti, pater & filius, Græcarũ literarum professores primùm: postea uerò presbyter alter, lector alter Laodiceæ factus est. Vbi cũ nimis familiariter cum Epiphanio sophista uiuerent, nec ab eo auelli, quicquid in ea re studij poneret Georgius episcopus, possent, communione ab eo priuati sunt. Quam contumeliam indignè ferens uterq;, & iniuriam esse existimans, hæresim propriam constituere, quæ Apolinaristarum deinceps nominata est. Apolinaristas Epiphanius uocat Dimœritas, ideo quòd duas tertias partes humanæ naturę in Christo confitentur, corpus uidelicet & animã, & tertiam partem ipsam mentem: in quo aduentum Christi in carne negant. Sunt qui ea occasione à Georgio in hæresin discessisse eos dicant, quòd cum Georgius in formam fidei Seleuciæ factam prius consensisset, ad Arianam postea insaniam relapsus, absurda iterum de Christo concionari, eumq; patri similem dicere cœpisset. Quam illi rem non ferentes, ab eo discesserunt. Socrates lib. 2 cap. 46. De alia quadam hęresi huius occasione Sozomenus libro 6. cap. 26, hoc modo: Athanasius à Constantino in Ægyptum exulatum pulsus, Laodiceã transijt, ibiq; familiaris Apolinario factus, cũ eo sese coniunxit. Eam coniunctionem cum illi qui de aduersa erant hæresi, contra canones & leges sacerdotũ initam esse calumniarentur, factum est, ut Georgius Apolinariũ cõtumeliose ex Ecclesia eiecerit. Ferũt aũt Apolinariũ deinde Georgio sępe supplicem factũ, ac ut reciperetur precatũ esse: cõmunione uerò non impetrata, ad dogmatum nouitatem & hæresin conuersum esse.

Addit Basilius in epistola 72. Facilitatẽ eum scribendi, qua per occasionem ad quoslibet irrepserit, coniunctam habens sufficientem linguæ facultatem, orbem repleuisse: cõtempto Ecclesiaste, qui cauendum esse dixerit, ne multi fiant libri. In multitudine enim certũ esse, quòd multa delinquantur. Dum igitur cõtentionis uitio nimis agitur, & aduersum omne quod quisq; dixerat ire obuius delectatur, iactatione ingenij malæ sortis hęresim ex contentione generauit. Ruffinus lib. 2. cap. 20.

Vsus est opera maximè Vitalij presbyteri Antiocheni, unius ex Meletianis. A quo adiutus, & Laodiceæ & in alijs ciuitatib. ecclesias collegit. Sozomenus lib. 6. cap. 25. Theodoretus lib. 5. cap. 4. Maximus etiam Cynicus fuit Apolinaris uesania refertus: Theodoretus lib. 5. cap 8. Synodus Constantinopolitana sub Constantio & Valente, meminit etiam Timothei discipuli Apolinarij, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9.

De hac hæresi in genere scribit Athanasius, de salutari aduentu Christi, quòd conueniat cum præstigijs Pauli Samosatensis, Marcionis, Manichęi, Valentini, Arij, & Sabellij.

HYPOTHESES DE *Christo.*

1

Solum corpus, non etiam animam, à Domino

mino in dispensatione susceptum: Ruffinus lib.2.cap.20. Ait tamen Athanasius, eos hac ipsa in re uariare: Interdum, inquit, increatá supercœlestemq; Domini carnem asserétes, interdum eam deitati consubstantialem esse. Deinde aiunt, loco eius hominis qui in nobis interior dicitur, mentem supercœlestem in Christo fuisse. instar enim instrumenti, eum circumferétia corporis usum fuisse. Quippe fieri nõ potuisse, ut homo perfectus existeret. Vbi enim perfectus homo, ibi & peccatũ: duoq; perfecta in unũ conflari non posse, &c. lib. de incarnatione Christi. Item, E' cœlo ideo sibi Christus fecit cœleste corpus, ut è cœlo illud in terras deportaret, & inuisibile uisibile redderet: & contumeliæ inobnoxiũ, obnoxium: & impatibile & immortale, mortale & patibile. Idé Epiphani⁹. Vincentius Lirinensis etiã testatur Apolinariũ docuisse, Domini carnẽ nõ de sanctæ uirginis Marię carne susceptã, sed de cœlo in uirginẽ descendisse: eamq; mutabundus & dubius semper, modò coęternam de uerbo, modò de uerbi diuinitate factam prædicabat. libro aduersus prophanas nouationes.

2

Hominem primùm à Deo Verbo, in dispẽsatione incarnationis sine anima susceptum esse. Socrates lib.2.cap.46. Deinde uelut ex resipiscentia correcti adijciunt, animam quidem ab eo susceptam fuisse, nunc uerò illam non haberi, sed Deum uerbum in homine susceptò esse loco mentis. Hoc solum discrimen esse dicunt, qui nunc ex illis Apolinaristæ uocantur: Idem ibidem. Athanasius in oratione contra omnes hæreses, inquit: Nouum dogma Arius protulit, Christum corpus solum ex illibata uirgine sumpsisse, Deumq; uicem animę subijsse. Idé Epiphanius. Theophilus lib. primo Paschali scribit, istos hæreticos tribuere Christo substantiam inanimam, carnẽ inanimam, & pro anima rationali Deum uerbum in ea fuisse. Et Vincentius Lirinensis ait eos dixisse, in ipsa Saluatoris nostri carne aut animam humanam penitus non fuisse: aut certè talem fuisse, cui mens & ratio non esset. Item Augustinus ad Quoduultdeum.

3

Affirmant, eum qui ex Maria prodijt, patri consubstantialem esse: Athanasius lib. de incarnatiõe Christi. idq; ideo, quia caro Verbum sit factum. Idem Epiphanius.

4

Ipsum unigenitum Deum, iudicem omnium autorem uitæ, mortis destructorem, mortalem esse fecit, ac propria eius diuinitate passionem susceipisse: & in triduana illa mortificatione corporis, diuinitatem quoque unà cum corpore occubuisse, ac ita à patre rursus à morte resuscitatum esse.

5

Verbum dixerunt, in carnem, ossa, pilos, & totũ corpus transmutatũ esse, & à propria natura immutatum ex epistola Athanasij ad Epictetum, quæ apud Epiphanium extat.

6

Filium item Dei adoptione, & non natura, corpus gestasse. Ibidem.

7

Deitatem filij, quæ est coessentialis patri, ipsam circumcisam esse, & imperfectam ex perfecta factam. Ibidem.

8

Corpus in ligno clauis affixum, non fuisse corpus, sed ipsam opificem naturæ essentiam. Ibidem.

9

Christum non ex Maria, sed ex sua essentia transmutasse sibi ipsi corpus. Ibidem.

10

Dicentes ex Maria esse Dominicũ corpus, non amplius Trinitatem, sed quaternitatem in deitate docent. Ibidem.

11

Carnem, quam induit Saluator ex Maria, essentiæ ipsius Trinitatis esse. Ibidem.

12

Non esse recentius corpus deitate ipsius Verbi, sed consempiternũ ipsum per omnia genitũ esse, quandoquidé ex sapiẽtia cõstat.

De Peccato.

Ex natura esse peccatum: idq; ex opinione impijssimi Manichæi, Athanasius de incarnatione Christi, eos asserere dicit.

De Resurrectione.

De resurrectione mortuorum ineptiuit, ut reuersuros eos ad legem & circumcisionem, sabbata, ritus, adorationem, cibos, templum per mille annos traderet. Theodoretus lib.5. cap.3 Basilius epistola 137. Epiphanius: Hieronymus in caput trigesimumsextum Ezechielis.

De ritibus Apolinaristarum.

Ritibus usi sunt ab Ecclesia catholica alienis: præter cõsuetas sacras odas, mensuratas quasdam, & de ipso Apolinario adinuentas cantiunculas psallentes. Etenim cum præter aliam eruditionem etiam poetico esset in genio, ac uariorum carminũ gnarus, etiãistis delectatiunculis multis, ut sibi aquiescerét, persuasit. Et uiri inter potandum ac operandum, & mulieres in textrinis cantica illius psallebant. Sozomenus lib.6.cap.25.

Idem libro eodem, capite uigesimoseptimo, quousq; peruaserit indicat: Apolinarij, inquit, hæresis apud Cilices orta, ad Phœnices usq; peruenit. Et Athanasius de incarnatione Christi: Apolinarij hæresis ex Syria in Aegyptum promanauit.

Confuta-

Confutarunt hanc hæresin multi uiri doctrina & iudicio excellentes: ut Theodoretus, Athanasius, Epiphanius, Theophilus Alexandrinus, Basilius & Gregorius Nazianzenus: qui ex professo multa contrà scripsere. id quod & Gregorius Nyssenus fecit, ut testatur Nicephorus lib. 11. cap. 19. præterea & Ambrosius cõtra Apolinarẽ librũ fecit, & Theodorus Antiochenę ecclesiæ presbyter.

Contra hypotheses Apolinaristarũ de Christo, Athanasius libro de incarnatione Christi inquit: Dei uerbum quod aduenit, & ex uirgine homo prodijt, reuera patri consubstantiale est, tamen secundum carnem filius Dauidis appellatur. Apostoli quoq; & Euangelistæ ita Christi genealogiam faciunt secundum carnem. Et scriptura dicit: Verbum carnem factum esse, non carnem Verbum: & Deus homo & caro factus est. Ibidem. In oratione contra omnes hæreses, scribit: Quomodo in sepulchro nuda deitas descendit ad inferos, ut seruaret animas? Potius eo modo ad perdendum quàm ad saluandum descendisset. Opus igitur fuit anima. Et Christus ait: Ego sum pastor bonus, et animam meam pono pro ouibus. Et, Potestatem habeo deponendi animam, & resumendi eam. Et ad Ioseph in somnis angelus ait: Mortui sunt, qui quærunt animam pueri. Oratione contra omnes hæreses. Gregorius Nazianzenus epistola prima ad Clidoniũ scribit: Non segregamus hominem à deitate, sed unum & eundem esse docemus, prius quidem non hominem, sed Deum & filium solum, & ante omnia secula, sine corpore & ijs quæ sunt corporalia, carnẽ pro nostra assumpsisse salute, passibilem carne, impassibilem deitate, corpore circumscriptibilẽ, incircumscriptibilem spiritu, eundem terrestrem & cœlestẽ, uisibilem & cognoscibilem, capacem & incapacem: ut toto homine, eodem & Deo, totus homo reformaretur, cadens sub peccatũ.

Athanasius in epistola ad Epictetum scribit: Patres in Synodo Nicęna non corpus, sed ipsum filium dixerunt patri coessentialem. Et hunc quidem ex essentia patris, corpus uerò ex Maria esse, confessæ sunt scripturæ. Deinde opponit scripturæ testimonia: Ecce uirgo in utero habebit. Gabriel mittitur ad Mariam desponsatam Ioseph. Idem cautè dicit, Quod nascetur ex te, non In te. Simeon eum in ulnas accepit, ætate creuit, se non esse spiritum dixit. Nec dixit, quemadmodum me uidetis carnem & ossa esse: sed, habere. Thomas eum contrectauit, &c. Et postea: Si nõ deus erat in corpore, quomodo statim progressus ex Maria uocatus est Emanuel: id est, nobiscũ Deus? Quomodo etiam Paulus, si nõ uerbum erat in carne, Romanis scripsit: Ex quibus Christus, quantum ad carnem attinet? Et cur Thomas exclamat: Dominus meus, & Deus meus? Et cur sol uidẽs opificem suum in corpore patientẽ, amittit splendorẽ? Et: Si sic uenit Verbũ, uelut unus ex prophetis uenit, cur hic ex uirgine, & nõ etiam ipse ex uiro & muliere? Aut cur nõ uniuscuiusq; mors pro nobis facta dicitur, sed sola huius? Cur de hoc solo dicitur, quòd semel uenerit in consummatione seculorum? Cur hic solus die tertia resurrexit? &c.

Epiphanius inquit: Nihil mirũ est si scriptura dicit, Dominũ gloriæ crucifixum esse. nam & Dominum gloriæ confitemur etiam ipsum in carne aduentũ. Non enim diuisus à deitate est aduentus in carne. Passibilis nobis prędicatur Christus, et creditur, nõ quòd per se ipsum passus sit: neque quòd alius est qui passus est, & alius Dominus: neq; quòd deitas passa est: sed passus est deitate immutabili manente. Et Theophilus Alexandrinus air: Inanimã carnem Christus nõ habuit. Nec dicens in Euangelio illud, Nunc anima mea turbata est, significauit deitatẽ suam perturbationi subiecisse: quod consequens est eos dicere, qui pro anima diuinitatẽ in corpore eius fuisse cõtendunt. Libro primo Paschali.

Confutatio hypotheseos de Millenario, seu resurrectione.

Vbi est, quod ab Apostolo dictũ est, Si circumcidimini, Christus uobis nihil pro derit? Et quomodo erit id quod à Domino dictum est, In resurrectione neq; ducunt uxores, neq; nubunt, sed sunt æquales angelis? Et, Sermo hic contrarius est toti scripturæ. Si enim lex fuit pædagogus usq; ad Christũ, quomodo iam post Christi perfectionem rursus pædagogo opus erit? Et si transpositum est uetus testamentum, & renouatum est nouum, quis nobis rursus temerè introduxit uetus in usum? Epiphanius in hæresi Dimœritarum, lib. 3. tomo 2.

Damasus autem Romanus episcopus, ubi hæresin istam latè serpere cognouisset, & Petrus Alexandrinus, primi congregata synodo Romæ, alienã esse eam ab Ecclesia catholica decreuerunt: Sozom. libro 6. cap. 25. Et Theodoretus lib. 5. cap. 9. Idem in eodem li. capite uigesimo septimo: Quòd dogmata ista non prævaluerint, nec ad multos peruenerint, illorum temporum monachis potissimum, ut adparet, ascribi debet. Theodosius præterea Imperator conatus represit Eunomij & Apolinaris. Nam duces ipsos hęresiũ, ex frequentib. & populosis orbis partib. in solos locos relegauit. Nicephorus li. 11. ca. 13.

In synodo Constantinopolitana nouationem Apolinaris planè abdicarunt, idq; hac clausula: Etiam doctrinam humanitatis Domini indeprauatam seruamus, neq; animæ neq; mentis expertẽ, nec imperfectã admittentes

tentes carnis officium ac curam. Et: Iam semel formam protulimus, ut qui se Christianum profitentur, seruēt ea quæ ab Apostolis tradita sunt, cum dicat sanctus Apostolus: Si quis uobis annunciat aliud quàm accepistis, anathema esto. Nam Christus filius Dei, Dominus noster, humano generi per suam passionem absolutissimam contulit salutem, ut hominem totum à peccato occupatum, à toto peccato liberaret. Hunc si quis aut deitatis, aut humanitatis minus habuisse dixerit, is plenus spiritu diabolico, sese gehennæ esse filium prodit. Theodoretus libro quinto, capite nono.

SVB VALENTINIANO.

DE MESSALIANO-*rum hæresi.*

FRuticatio quædam Phrygiani & Montani sectæ, Messaliani dicti sunt, seu Euchitæ, hoc est, precatores. Theodoretus libro quarto, capite undecimo: & libro tertio Hæreticarum fabularum. Idem & Enthusiastas, id est, correptos numine, seu arreptitios dictos indicat. Augustinus ad Quoduultdeum, Psallianos nomine Syriaco dictos ostendit.

Fuisse eos in Oriente, & circa Antiochiam in Syria, & Edessæ, ac uicinis in locis, ex eodem Theodoreto liquet: in quæ loca eos ex Mesopotamia digressos, Epiphanius indicauit. Theodoretus eos ex Syria aliquando exactos, in Pamphiliam concessisse scripsit.

Idē Theodoretus eos sub tempora Valentiniani locat. Epiphanius ait: Fuerunt ante aliquod tempus, à temporibus Constantij, & huc usque. Huius sectæ principes fuere Dadoes & Sabas, & Adolphius & Hermas, & Symeones, atq; insuper etiam alij. Theodoretus ibidem.

HYPOTHESES.

De Deo.

Plures esse Deos dixerunt: non tamen adorarunt ullum, præter unum, omnipotentem. Epiphanius.

De Cœna.

Diuinā cœnam neq; prodesse, neq; lædere quenquam. Theodoretus in Ecclesiastica historia. Verùm hunc morbū ipsos cęlare ait.

De Baptismo.

Baptismum auferre priora peccata, instar nouaculę: nec prodesse cuiquam nisi oratione prorsus excindantur, ut deinceps non sit necesse ieiunio corpus reprimere, aut doctrina refrenare, possitq; omni petulantia carere: deniq; etiam coràm diuinam trinitatem possit contemplari.

Ritus.

Multa faciunt, quæ phrenesim eorum arguunt. Nam & repentè saltant, & super dæmones se saltasse iactitant, & digitis sagittantium speciem præ se ferunt, se in dæmones iaculari affirmantes. Theodoretus lib. quarto fabularum hæreticarum. Et orationi utique uacantes, maximam diei partem dormiunt. Deinde à dæmone, qui eos in furias adigit, decepti, dicūt se uidisse reuelationes, & quæ futura sunt prædicere conantur. Iactant autem se uidere patrem & filium & spiritum sanctum corporeis oculis, & spiritus sancti aduentum sensu percipere. Et correpti numine, de percepta cuiusdam dæmonis ui, quam sancti spiritus præsentiam esse putant: hoc morbo penitus correpti, omnia opera manuum auersantur, tanquam improba: somnoq; indulgentes, uisa somniorum prophetias nominant. Et Augustinus inquit: Dicuntur Euchitæ opinari, monachis nō licere sustentandę uitæ suæ causa aliquid operari: atq; ita se ipsos monachos profiteri, ut omnino ab operibus uacent. Et in fabulis hęreticis Theodoretus scripsit, eos adnegandum paratos: & si urgeantur, protinus anathematizare eos qui horū aliquid dicunt. Epiphanius hęc narrat: Constructurunt sibi ipsis domos quasdam, aut locos amplos instar fororum, & adoratoria & precatoria appellarunt. In alijs uerò locis etiam naturæ cleſias ad similitudinem sibiipsis fecerūt: & ad uesperam & mane multis lucernis ac luminibus incensis cōgregantur, & diu ac per longum tempus lectiones quasdam per doctos suos, et laudes quasdam in Deum facientes, uelut per lectiones ac laudes Deum precantes, seipsos decipiunt.

Augustinus scribit, nonnullos dicere, eos de purgatione animarū nescio quam phantasticam & ridiculam fabulam narrare: Porcam scilicet cum porcellis suis uidere exire de ore hominis, quando purgatur, & in eum uisibili similiter specie ignem qui non comburat intrare.

Refutat hosce Epiphanius, & disertè ait, ipsos quadam παποσχολίᾳ ista omnia, et contra scripturam sanctam tentare. Sed pleraq; huius hæresis capita, etiam in alijs suprà sunt retusa.

Lytoius igitur, gubernator ecclesiæ Melitenæ, cum uideret hunc morbum hausisse multa monasteria, concremauit illa, et lupos de grege repulit. Ad eundem modū & laudatissimus Amphilochius, cui Lycaonū metropolis regenda commissa esset, postquam sensit hanc luem in illa quoq; loca uenisse, statim abegit: & ouilia quæ illa depascerer, hac labe liberauit. Et Flauianus celeberrimus, cū esset pontifex Antiochenus, ubi comperit hos Edessæ congregari, & suum uirus uicinis instillare, missa monachorum cohorte, deduxit Antiochiam, & negantibus confessio-

feſsionem morbi ita extorſit. Accuſatores a-iebat calumnioſos, teſtes mendaces eſſe: ſed Adelphium admodum grandem natu blandè compellans, iuxta ſe aſsidere iubet: Nos quidem, inquit, ô ſenex, poſt maiorem uitæ peractã partem, exactius nouimus & humanam naturam, & molitiones dæmonum aduerſariorum cognouimus, uſu etiam didicimus largitatem gratię: iſti uerò adoleſcentes cum ſint, neq; exquiſitã harum rerũ teneant rationem, ſpirituales audire ſermones nõ ſuſtinent. quapropter mihi expone, quomodo doceatis & aduerſantem ſpiritum recedere, & aduenire gratiam ſanctiſsimi ſpiritus. His uerbis delinitus ſenex, totum uenenum occultatũ euomit: nemini prodeſſe quicquam ſanctum baptiſma, omnium qui ipſum conſequerentur: ſolam autem ſedulã orationem expellere domeſticum dæmonem. Nam unumquemq; qui naſceretur, trahere de primo parente ut naturam, ſic dæmonũ quoq; ſeruitutem. Sed his ſedula oratione fugatis, tum deinde aduenire ſanctiſsimũ ſpiritum, cum ſignificatione ſenſibili & inuiſibili prętentiæ ſuę, quo corpus perturbationum motibus liberetur, & animæ ad deteriora inclinatio prorſus auertatur, ut deinceps neq; iejunio reprimente corpus, neq; doctrina refrenante, & ad decus ac ordinem inſtituente opus ſit. Quæ ſi cui contigerint, iam non illum modò petulantia carere corporea, ſed planè etiam præuidere uentura, & diuinam Trinitatem oculis contemplari. Tum diuus Flauianus effoſſo puteo fœtido, & elicitis aquis impietatis, infelici ſeni: Inueterate, inquit, diebus malis, coarguit te os tuum, haud ego: & labia tua contra te dixere teſtimonium. Itaque prodito morbo, Syria illi exacti, in Pamphyliam conceſſere, eamq; impleuere peſte hac.

DE EVPHEMITIS, MARTYRIANIS, & SATANIANIS.

FVerunt tantum Meſſalianicæ ſectæ addicti, ut Epiphanius & Auguſtinus teſtantur: in quibuſdã, ut fit, tamen uariarunt, turpiora perpetrantes.

Non Iudaiſmo, nec Chriſtianiſmo erant addicti: nec Samaritę haberi uolebant, ſed ſolùm Greci. Voluerunt uideri ſe in Chriſtum credere, quia renunciarint mundo, & bonis proprijs ſeceſſerint, prauè intelligẽtes Chriſti dicta de deſertione facultatum, ut Epiphanius narrat: quaſi qui non abneget ſeipſum, & deſerat omnia, non poſsit eſſe Chriſti diſcipulus. Item illud: Operemini nõ cibum qui perit, ſed qui manet in uitam æternam.

Simul autem permixtim uiri cum mulieribus, & mulieres cum uiris, in eodem loco dormiũt, in uicis & plateis æſtatis tempore, eo quòd non habent poſſeſsionem, ut inquiunt, in terra. Quæcunq; ex ipſis interrogaueris, is illum ſeipſum eſſe dicit, quæcunq; tandem uolueris. Siue igitur prophetam dixeris, dicet, Sum propheta: ſiue Chriſtum nominaueris, dicit, Sum Chriſtus. Ieiuniũ omnino ignorant: ſed uel orationibus uacantes, & ab hora ſecunda aut tertia, aut etiam nocte, ſi famem perceperint, omnia intrepidè operantur edentes ac bibentes.

Et principes quidam æmulatores pietatis, multos ex his occiderunt, eo quòd adulterent ueritatem, & imitentur Eccleſiæ mores. Hinc Martyrianos ſeipſos cognominarunt.

Alij ex his profundius quiddam cogitantes, dixerunt: Satanas magnus eſt, & fortior, & multa hominibus mala facit: cur nõ potius ad hunc confugimus, & ipſum adoramus, ipſum honoramus, & ipſi laudes dicimus, quo propter blandum cultum nõ faciat nobis mala: ſed nobis, ut qui ſerui ipſius ſumus facti, parcat? Atque ſic etiam Satanianos ſeipſos cognominarunt. Et hi cum prædictis, æqualiter ſub dio progreſsi, & à ueritate digreſsi, precibus ac hymnis uacauerunt.

SVB VALENTINIANO ET VALENTE.

AETIANORVM, SEV EVNOMIANORVM, *ſeu Anomœorum hæreſis.*

AEtiani, ab Aetio denominati ſunt, cuius ſe diſcipulum Eunomius profeſsus eſt: à quo & Eunomiani dicti ſunt. Theodoretus libro quarto hæreticarum fabularũ. Epiphanius in Anacephalæoſi etiam Anomœos appellatos ait, ab inæqualitate perſonarum in Trinitate, quam aſſeuerabant. Sozomenus lib. 6. cap. quarto, Anomianos habet. Theodoretus etiã Troglytas, ſeu Trogloditas nuncupatos, autor eſt, à ſecretis per domus cõuentibus, quos agitabant: de quibus infrà. Socrates libro quarto, capite quadrageſimoquinto, etiam Exucontios ab Homouſianis dictos eos, autor eſt. Theodoretus autem, Arianos Exaconitas uocatos ait, à loco, in quo conuenire ſoliti ſint.

Aetij ſecta ſtatim tum cœpit, cum Ario ab exilio reuocato, quidam qui Ariani prius ex profeſſo fuerant, Ario amplius communicare detrectarent: ideo quòd per ſimulationem cauſam Euſebio alijsq; communicaſſet, qui de ipſa ſubſtantia Dei patris filium eſſe confiterentur. Illorum igitur, cum per mortem deceſsiſſent, ſucceſſor factꝰ eſt Aetius Syrus, Antiochenæ eccleſię diaconus. Cui breui interuallo ſucceſsit rurſus Eunomius Cyzicęnæ eccleſiæ epiſcopus, qui quod Aetius docuerat, latius & ualidius aſſerebat. Ruffinus

libro

libro primo, capite uigesimoquinto: Sozomenus lib. 4. cap. 12.

Is Eunomius hæresim suam, communicato consilio cum Eudoxio, aliquandiu occultè & intricatè ac perplexè sparsit: propterea quòd sanam in doctrina Cyzicenorum ecclesiam accepisset, et Imperatorem infensam habere creationem filij Dei animaduerteret. Prodita autē est tandem eiusmodi occasiōe: quòd auditores probè nutriti & instructi diuinis scripturis, dolos latentes deprehenderunt: & explanationem ab eo, eorum quę insidiosè & inuolutè tradidisset, exegerunt. Ibi animo sumpto, quæ hæreticè sentiret, in cœtib. publicis palàm ostendit. Eam ob causam ab auditoribus apud Eudoxium Constantinopoli accusatus est: deinde apud Imperatorem ipsum delatus, quasi maiorem sereret doctrina sua impietatē, quàm Arij fuisset. Sic igitur mandato Imperatoris, ab Eudoxio nolente uolente Cyzico cedere iussus est. Atq; ita dux sectæ suæ Eunomius factus est. Theodoretus libro secundo, capite uigesimonono. Socrates libro secundo, capite trigesimoquinto, Aetium deceptum categorijs & sophismatis Aristotelis, affirmat hæresin finxisse. Deinde quòd ineruditus fuit, nec in sacris literis uersatus, sed cōtentiosus tantum: tùm quòd antè se doctores, ut Clementem, Aphricanum, Origenem, non cognouerat. Idem Sozomenus libro tertio, capite decimoquinto exponit.

Secum sentientes Aetius habuit Arianos: Eudoxiū, qui Antiochena ecclesia potitus, manifestè Aetij hæresin tueri cœpit: Acaciū, Vrsatium, Valentinum, & Vranium Tyri episcopum. Sozomenus libro quarto, capite duodecimo & decimosexto. In eodem, capite decimotertio, Asphalium presbyterum Antiochenum, uehementer hæresi Aetianæ deditum fuisse scribit. Libro sexto, capite uigesimotertio, etiam Auxentium Mediolanensem cum Eunomianis sensisse affirmat. Initium sectæ huic Chronicon Hieronymi tribuit annum Domini trecentesimum septuagesimumseptimum.

De Deo.

Dicunt Anomæi, se non simpliciter nosse Deum, in cognitione fidei: sed exactè & perfectè, uelut cognoscit quis omne uisibile, & quod manibus suis contrectat. Epiphanius. Basilius libro primo cōtra Eunomium: Hieronymus libro secundo in Matthæum, cap. undecimo: Chrysostomus homilia secunda, de incomprehensibili Dei natura: Theodoretus libro quarto hæreticarum fabularum. Porro scribit Epiphanius, eum dixisse: Ita noui Deum, sicut meipsum: & non in tantum noui meipsum, sicut Deum. Et si quis obijcit, Quomodo potestis Deum nosse, si terrena intellectum uestrum fugiant? Dicat enim quis uestrūm, inferni locum, aeris mensuram, cœlorum formam & crassitudinem, &c. Ibi respondent: Omnia hæc corporalia sunt, & nosse non possumus: Deum autem qui ipsa facit, nouimus clarè quis sit, & qualis sit, & quomodo sit. Hinc Proclus in epistola ad Armenios rectè dixit: Eunomij audacia naturam incōprehensibilem intra scientiam humanitatis includit. Et Basilius loco suprà citato: Ipsam substantiam Dei non patitur supra omnem intelligentiam & cognitionem hominum esse. Deniq; quia temerè multa & leuiter de Deo disputabat Aetius, ideo à quibusdam ἄθεος appellatus est. Sozomenus lib. 3. cap. 15.

De Trinitate.

Eunomiani docent, tres esse diuersas qualitatis substantias: ut auri, argenti, & æris. Et patrem quidem fecisse filium: & iterum filium qui sit creatura, fecisse spiritum. Philastrius.

HYPOTHESES

De Christo.

1

Filium patri dissimilem, nec esse eiusdem essentiæ, creatumq;, & ex non existentibus factum esse pronunciauit. Et quidem Aetius atq; Eunomius primi fuerunt, qui post Arium blasphemias in filium Dei effuderint. Sozomenus libro octauo, capite uigesimosexto: Theodoretus libro quarto hæreticarum fabularum: Basilius libro primo contra Eunomium: Athanasius disputatione contra Arium.

2

Ordinis & temporis eminentia filium posteriorem esse, patrem priorē. Basilius. Fons horum errorum fuit, quòd categoriarum Aristotelicarum sophismatis impeditus, scripturarum autem sacrarum rudis, intelligere non potuit, quomodo sit ingenita generatio: & quomodo quod natum sit, coæternū sit ei quod genuit. Socrates libro secundo, capite trigesimoquinto. Idem indicat & Ambrosius, de sacramento incarnationis Domini capite secundo.

De Spiritu sancto.

1

Spiritum sanctum essentia alienum esse à patris & filij substantia. Sozomenus lib. sexto, capite uigesimo secundo: Theodoretus libro quinto, capite decimo.

Argumentationē ipsorum recitat Athanasius. Si nō est creatura spiritus sanctus, Ergo filius est: ac duo fratres erunt, Verbum & ipse. Deinde addunt: Si ex filio accipiet spiritus, siq; ab eo datur, sic enim scriptum est: Ergo auus est pater, & spiritus eius nepos. Ad Serapionem, de spiritu sancto.

2

Spiritum Sanctum ante alias creaturas esse à filio fabricatum. Theodoretus de hæreticorum fabulis. Deitate atq; creatiua potentia carentem, & à patre Spiritum remouent. Basilius lib. 2. contra Eunomium.

3

Spiritum sanctum honore patre & filio esse minorem. Sozomenus, Theodoretus. & Ruffini symbolum in operibus Cypriani extans ait: Arius & Eunomius spiritum sanctũ non solum minorem esse, sed & Mittendarium asserunt.

Probationes afferunt, quòd creatura dicatus sit spiritus sanctus. Vnam, ex propheta dicente: Qui firmás est tonitruum, & creans spiritum. Alteram, ex Euangelio: Quòd omnia per ipsum facta sunt. Ibidẽ. Et Didymus libro primo de spiritu sancto: Impijssime, inquit, inter OMNIA connumerant spiritum sanctum, dicentes, in eo quod Omnia per uerbum facta sunt, etiam significari spiritum sanctum facturam.

De Baptismo.

Rebaptisandos esse catholicos & Arianos: sicut infrà de Ritibus sequetur.

De Scriptura.

Blasphemant Anomiani prophetarum & Apostolorum nomina, cum redarguuntur ac castigantur, dicentes, Hoc Apostolus uelut homo dixit. Item: Quid mihi profers ea quæ in ueteri sunt Testamento? Epiphanius.

Ponit exemplar Epiphanius libelli cuiusdam Aetij, continentis quadraginta septem Epicheremata seu positiones, de ingenito Deo, & genito: quas ordine prolixè cõfutat. Ideo ex autore ipso petendæ uidentur.

Cum Acacianis Aetij sectatores, filium patri per omnia, tam secundũ essentiam, quàm secundum uoluntatem, ἀνόμοιον, ex non existentibus factum esse, docuerunt. Sozomenus libro quarto, capite uigesimonono. Interrogati autem, quare, cum filium in expositione fidei suæ Deum ex Deo dixerint, iam illum dissimilem, & non ex existentibus nominare non uereantur, talib. sophismatibus obiectionem eludere conantur: Sic, inquiũt, dictum est illud Ex Deo, sicut ab Apostolo dictum est, Omnia uerò ex Deo. Est igitur filius unus ex omnibus, quæ sunt ex Deo. Et ob eam causam additur in expositionib. illud, Secundũ scripturas. Huius sophismatis autor erat Gregorius Laodicenus episcopus, ut suprà. Socrates libro secundo, capite quadragesimoquinto. Hinc & in synodo Seleuciæ conuocata studiosè id agunt, ut episcopi præsentes, scripturæ alicui de fide subscribant, cui non insit homousij nomen. ibidem in eodẽ, cap. decimosexto, Epiphanius.

Ritus & mores.

Aetianis hoc unum est studium, ut multitudines corrumpant: ut Constantius scribit in epistola ad Antiochenos, apud Sozomenum libro quarto, capite decimotertio. Eunomius Constãtinopoli in suburbijs degens, seorsim in ædibus Ecclesiam colligebat. Sozomenus libro septimo, capite decimoseptimo. Fertur etiam Aetius usq; adeò bonis moribus fuisse inimicus, ut asseueraret, quòd nihil cuiquã obesset quorumlibet perpetratio ac perseuerantia peccatorum, si huius quæ ab illo docebatur fidei particeps esset. Augustinus ad Quoduultdeum: Sozomenus libro sexto, capite uigesimosexto. Et Epiphanius ait, se accepisse ab eo qui palàm audierit, Aetium dixisse, dormire cum muliere extra coniugium tam non esse peccatũ, quàm scalpere aurem: quia necessitas sit, & ministerium. Idem in Anacephalæosi: Aberrare aliquem in scortatione aut alio peccato, nihil esse aiunt. Nihil enim quærit Deus, dicunt, quàm ut quis solum sit in ipsorum fide.

Idem de ritibus eorum: In ampliorem infamiam delati Aetij sunt discipuli, & horum successor Eunomius. Rebaptizat enim iam baptisatos, non solum eos qui ab orthodoxis & alijs sectis ad ipsum uenerunt, sed etiam eos qui ab ipsis Arianis. Rebaptizat autem ipsos in nomen Dei increati, & in nomen filij creati, & in nomen spiritus sanctificatiui, & à creato filio creati. Et affirmant quidam, quòd in caput baptizat eos qui ab ipso rebaptizantur, pedibus sursum uersis, & capite deorsum. Et sic per iusiurandũ cogit ipsos iurare, ne resiliant à tali hæresi ab ipso instituta. Idem Nicephorus libro undecimo, capite undecimo affirmat. Et Theodoretus libro quarto hæreticarum fabularũ: Eunomius, inquit, subuertit sancti baptismi ritum, à Domino & Apostolis ab initio traditum, & contrariam legem apertè tulit, dicẽs, Non oportere ter immergere eum qui baptizatur, nec Trinitatem inuocare, sed semel baptizare in mortem Christi. Porrò autem baptizantes ad pectus usq; madefaciunt: reliquis autem partibus corporis, tanquam abominandis, aquam adhibere prohibent. Qua de causa, quando in solio quidem baptizabant, cum hominem extra id statuissent, eius caput usque ad pectus semel in aquam deprimebant. Postquam autem contigit sauciari quempiã, cum caput ad solium impegisset, excogitarunt aliud genus baptismatis. In aliquo etiam subsellio pronũ hominẽ, extra id aũt caput sublime erigentes, effundunt aquã, quæ nullã aliam partem attingit. Alij uerò ex ijs alium quoq; modum baptismatis inuenerũt. Maximã enim uittã

compo-

componunt, eamq; consecrant, & ea hominem ad ungues usque inuoluunt, à pectore incipientes, deinde sic aquam infundũt. De rebaptisatione ipsorum & Ambrosius in inuectiua in Auxentium testatur.

Habuit porrò hæc hæresis promotores, Eusebium Eudoxij amicum, (Sozomenus libro quarto, capite decimosexto) & in aula Imperatoris rerum potientes, qui cum Eudoxio omnes sentiebant. Nicephorus libro nono, capite trigesimosexto. Item eunuchos in palatio Imperatoris. Sozomenus libro quarto, capite duodecimo.

Quousq; processerit, indicat Sozomenus libro sexto, cap. uigesimoseptimo. Eunomij, inquit, hæresis à Cilicibus & Tauro monte ad Hellespontum & Constantinopolim usque peruenit. nam Eunomius facile persuasit, ut secum sentirent ij qui cum eo morabantur, ut qui uicini essent. Idem libro quarto, cap. decimotertio: Aetianorum naufragium, totam fermè Antiochenorum Ecclesiam corripuit. Theodoretus libro secundo compendij hęreticarũ fabularum, tamen inquit: Sunt admodum pauci Aetiani, cum omnes eos abhorreant & auersentur, propter blasphemiæ impudentiam. Et maxima quidem pars orbis terrarum ab eorum pernicie liberata est. Paucæ autem admodum ciuitates habent eorum aliquos, qui ipsi quoque conantur latêre.

Quòd autem dogmata Eunomij nõ pręualuerunt, nec ad multos peruenerũt, illorum temporũ monachis potissimùm ascribi debere, Sozomenus lib. 6. cap. 27 indicat.

DE HAERESIBVS THEOPHRONIANORUM *seu Eunomotheophronianorum, & Eutychianorum seu Eunomiætychianorum.*

EVnomiani, ut fit, concordiam et consensum in hęresi inter se non diu aluerunt. Primũ enim Eunomius ab Eudoxio, à quo fuerat episcopus Cyzici ordinatus, secessit: cum Imperatoris mandato Eudoxius cedere eum ab Ecclesia cõpulisset, hoc causæ prętexens, quòd præceptorẽ suum Aetium expulsum, ipse non recepisset.

Deinde Eunomio adhęrentes & ipsi inter se diuisi sunt. Primùm enim Theophronius quidam Cappadox, contendendi artificio ab Eudoxio instructus, & crassum Categoriarum Aristotelis & περὶ ἑρμηνείας sensum nactus, libros de mentis exercitio inscriptos cõposuit, et in absurdas disputationes delapsus est. Curiosus enim factus, ex nominibus in sancta scriptura positis disputauit: Deum ea quæ nõ sunt præscire, existentia scire, prętereritorũ meminisse: nec semper eâdem esse sententia, sed pro ratione uel futurorũ uel præsentium uel prętereritorum mutare sententiã.

Propter huiusmodi dogma ne Eunomianis quidem ipsis tolerabilis uisus, ab Ecclesia eorum pulsus est. Qui igitur se illi adiunxere, postea Theophroniani dicti sunt. Sozomenus libro septimo, cap. decimoseptimo. seu Eunomotheophroniani: Socrates libro quinto, capite uigesimoquinto.

Eutychius autem Constantinopoli cum Eunomio alioqui sentiens, propterea quòd pronunciauit (quod Arianis contrarium erat) filium scire iudicij diem, ut qui omnia fine penuria & defectu à patre accepisset, à Constantinopolitano episcopo nõ receptus est. Separat⁹ igitur ab Ecclesia, hæresim propriam constituit, ut qui ei adhærerent Eutychiani dicerentur: Sozomenus ibidem. seu Eunomiætychiani: Socrates ibidem.

Vbiq; autem & Theophroniani & Eutychiani baptisma quoq; adulterarunt. non enim in triadem, sed in mortem Christi baptizarunt. Socrates libro quinto, capite uigesimoquarto: Sozomenus libro sexto, capite uigesimosexto.

DE HAERESI EVSTATHIJ.

CVm Macedonius in Triadis diuinitate Spiritum sanctum cõplecti recusaret, tum & Eustathius: Ego, inquit, Spiritũ sanctum nec Deum nominare uolo, nec creaturam uocare ausim: propter hanc causam uocarunt eos (Macedonium & Eustathium) Homousiani, Pneumatomachos: id est, bellum cum spiritu sancto gerentes. Socrates libro secundo, cap. quadragesimoquinto: Augustinus ad Quoduultdeum.

DE PNEVMATOMACHORUM *hæresi.*

ARianos, Macedonianos & Eunomianos, simul dictos fuisse Pneumatomachos, Theodoretus docet libro secundo cõpendij hæreticarum fabularum: & Epiphanius progeniem eos Arianorum uocauit in Ancorato.

HYPOTHESES.

Blasphemant spiritum sanctum, creatum ipsum proclamantes, & qui non sit ex deitate, imò abusiuè propter propriam efficaciam creatum esse, sanctificantem uirtutem ipsius solum esse adserentes. Epiphanius in Anacephalæosi. & libro tertio, tomo primo: Non connumerant ipsum patri & filio. Adseuerarunt etiam, synodum Nicænam non definisse, spiritum sanctum in deitate connumerandum esse. Ratio ipsorum admodum putida est. inquiunt enim: Spiritus sanctus scrutari dicitur, Ergo non perfectè cognoscit. Non igitur Deus est.

Ibidem.

CON-

CONTRA PNEVMATOMACHOS.

Hunc errorem ita confutat Epiphanius: Spiritui sancto tribuuntur, quę propria sunt Dei, & appellatur cum patre & filio Dominus: ut, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, Spiritus ueritatis, Spiritus Dei. Spiritus enim Domini dicitur, & ex patre procedens, & de filio accipiens, largiens que dona diuersimodè prout uult, perscrutans etiam profunditates Dei, & cum filio existens, baptizans, obsignans, perficiens obsignatum. Deinde confutat prolixo sermone, quem ex Ancorato suo citat: in quo scripturæ testimonijs multis probat, Spiritum sanctum cooperari patri & filio, & æqualiter facere: Deum igitur esse cum patre & filio. ut quòd Petrus in Actis Spiritum sanctum simpliciter Deum dixit: Nō mentitus es, inquit, homini, sed Deo.

Obiectionem primam de Synodi determinatione sic diluit: In Synodo Nicęna nullam de Spiritu sancto fuisse quęstionem, nec cuiquam de Spiritus sancti deitate dubiū quicquam uisum. Synodos uerò non cauere solere de illis quæ non pro tempore acciderunt: nihilominus tamen in Synodi eius fide haberi, Credimus in Spiritum sanctum: Idem & Basilius epistola 78. Sententia de Spiritu sancto in Nicęnæ fidei formula in transcursu sine omni diligentia posita est, propterea quòd nondum mota esset quæstio ista: sed adhuc credentium mentibus securus, ac nullis obiectus insidijs, ineesset de Spiritu sancto intellectus.

Rationem ipsorū sic refutat Epiphanius: Etiā de patre, inquit, dicitur, Scrutatur prōptuaria uentris: de Spiritu sancto uerò, Scrutatur quę Dei sunt: ut significetur, illum perfectè scrutari, &c.

DE HAERESI POtentini.

ATHanasius de sing. hominibus, Nouellam extitisse dicit Vrbici cuiusdam Potentini, qui Spiritum sanctum contenderit patrem, aut filium, aut certè facturam debere confiteri. Confutat autem hoc modo: Vtique si Spiritus sanctus, & hic paracletus, ut dicis, pater esset, sine dubio iam non esset unus pater, sed duo patres. Aut si Spiritus & hic Paracletus filius esset, sine dubio iam nō unus filius esset, sed duo filij. Vel si factura esset spiritus paracletus, pculdubio iam nō esset uerus Deus, qui factus esset: quod absit. Ad fundamentum Pneumatomachorum Spiritus sanctus uocatur arrabo, est igitur minor Christo. Respondet Athanasius de communi essentia patris, filij & spiritus sancti: Quin & patrem inuenimus in scriptu-

ris partem appellari, cum in Psalmo dicit: Pars mea es tu in terra uiuentium. Atque item in decimoquinto Psal. Dominus pars hæreditatis meæ. Hæretici etiam dicere solent, Verba prophetarum ex persona Sancti spiritus pronunciata esse: atq; inde arbitrantur se ostendere posse, Spiritum sanctum minorem esse Deo, eo quòd in Psalm. ita habeatur, Venite adoremus eum: quasi Spiritu sancto unà cum hominibus adorante. Sed male. Cur est quod dicit, Ploremus coram Domino? Ergo ne etiam spiritum plorare affirmabis? Quin & alibi, ut ostendatur dominatus Spiritus, ita loquitur: Ego enim sum Dominus Deus. Et in alio Psalmo, Cognoscite quoniam ipse sit Dominus Deus. Rursus alibi, Audiam quid loquatur in me Dominus. Item, Spiritus locutus est in me, non per me. Et Paulus inquit: Multipliciter Deus locutus est patrib nostris per prophetas, in extremis diebus locutus est nobis per filium. Liquet igitur, Deum esse Spiritum sanctum.

TROPICI.

ILli qui dicuntur Tropici, Spiritum in numerum creaturarum redigūt: ausiq; sunt, ut ipsi loquuntur, tropos sibi excogitare: & interpretari illud Apostoli dictum, qui rectè Timotheo scripsit: Testor, inquit, coram Domino nostro Iesu, & electis angelis, ut hæc obserues sine præiudicio, nihil ex affectibus faciens. Illi autem dicunt, Ex eo quod Paulus nominato Christo angelos statim subiūxerit, necessum esse, Spiritū angelis annumerari, & eiusdem ordinis esse: eumque Angelum esse, sed maiorem cæteris. Respondet Athanasius: Inuentum illud est impietatis Valentini, qui affirmat, misso spiritu, unà cum eo missos esse angelos eius coætaneos. Atq; ita redigentes illi Spiritum in ordinem angelorū, non sentiunt se angelos Trinitati consociare. Si enim post patrem & filium, ut ipsi uolunt, sunt angeli, certum est, angelos esse in Trinitate: neq; eos esse iam administratorios Spiritus, qui ad ministeria: neque sanctificari, sed potius alijs dare sanctitatem. Vbi quęso scripturarum inuenerit, angelum esse spiritum sanctum? Imò archangelus Gabriel Spiritui sancto pariter & filio ministret est apud Mariam, cum ita dicit: Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Et aliquāto pòst: Decebat eos, cum prorsus non intelligant, se silentio tradere, nec illos (Arianos) filium, nec istos (Tropicos) spiritum creaturis consociare, aut agnoscere id quod scriptū est: & Patri coniungere filium, & Spiritum sanctum non segregare à filio, ut indiuisa & suę naturæ permaneat sancta Trinitas. Athanasius & Serapion: Spiritum sanctum non esse creaturam.

ACACIANI.

AB Acacio Cæsarienſi epiſcopo appellati ſunt Acaciani. Habuerunt ſecũ ſentientes Aetij ſectatores & Leonani, qui in aula Imperatoris Conſtantij magnis dignitatibus militabat: & Lauritium, ducem militum. Sozomenus lib. 4. cap. 22. Conſenſit Acacio & Macedonius, quãdiu Eccleſiæ Cõſtantinopolitanę gubernatione fungeretur: ut idem teſtatur.

Subſcripſerant fidei formulæ inſtitutæ aliquando Antiochiæ in Encænijs: filium ſcilicet per omnia ſimilem eſſe patri, etiã ſecundum eſſentiã: ſeu, ut Athanaſius de illis ſcripſit, filium eſſe ſubſtantiæ patris ſine omni diſſimilitudine imaginem. In Seleuciana uerò Synodo, quæ prius de fide decreuerãt, rurſus reprehenderunt, reſpondentes, ſimilem eſſe patri filium, ſecundum uoluntatem duntaxat, & non ſecundum eſſentiam: quod de Semiarianis Epiphanius dixit. Sozomenus ibidem, & Athanaſius de Synodo Ariminenſi & Seleuciana. Hæc ſentientes Acaciani, eos qui in palatio Imperatoris potentes erant, in ſuam pertraxere ſententiam, perq; eos etiam Imperatoris ipſius ambierunt beneuolentiam. Conſenſerunt & alij illis, Eccleſiaſticis facultatibus corrupti: alij blandis uerbis & dignitate perſuaſi & ſeducti: Sozomenus lib. 4. cap. 23.

Rurſus uerò non ita multò pòſt, Acaciani quieſcere neſcientes, Antiochiam cum paucis conuenerunt, ac nomen illud ὅμοιον è ſcriptura Arimini & Conſtantinopoli lecta auferendum eſſe ſtatuerunt: ac filium patri per omnia tam ſecundum eſſentiam quàm ſecũdum uoluntatem ὅμοιον, & ex non exiſtentibus factum eſſe, ſicut & Ario initio uiſum fuerat, iudicarunt.

Interrogati autem à Nicęnæ fidei profeſſoribus, Quare cum antea in expoſitione fidei ſuæ, filiũ Deum ex Deo dixerint, nunc diſſimilem, & ex non exiſtentibus nominare audeant, ſophiſmate lectionem eluſerunt hoc modo: Sic dictũ eſt illud Ex Deo, ſicut ab Apoſtolo dictum eſt, omnia uerò ex Deo: Eſt igitur & filius unus ex omnib. quæ ſunt ex Deo. Socrates libro ſecundo, capite quadrageſimoſecundo: Sozomenus libro quarto, capite 29.

Poſtremò rurſus, cum infamiam & condemnationem ſui ferre non poſſent, fidem Conſtantinopoli approbatam receperunt, & Synodo ſoluta ad ciuitates ſuas redierũt. Socrates, & Sozomenus ibidem.

DE AERIANIS.

DE Aerio, quis & ubi fuerit, certi nihil ſcriptum eſt. Epiphanius Arianum fuiſſe omnino indicat. Hæreſim eum finxiſſe eiuſmodi occaſione Auguſtinus ait ad Quoduultdeum; quòd cùm presbyter eſſet, doluerit quòd ad epiſcopum non prouectus ſit. Ait & ipſe, quòd in Arianorum hæreſin delapſus ſit. Baſilius libro de Spiritu ſancto, capite ſecundo, hæreſeos cuiuſdam Sylabicorum meminit, cuius principem fuiſſe Aerium indicat. In prouincia autem Pamphiliæ quamplurimi commorati ſunt, ut Philaſter teſtatur.

HYPOTHESES.

1

De Deo.

Filium diuerſæ naturæ eſſe à patre, quémadmodum inſtrumentum diuerſæ naturæ eſt ab opifice: & Spiritum ſanctum eſſe diuerſum, ſicuti locus & tempus diuerſam habent naturam ab illis qui his utũtur. Hanc eis propoſitionem expreſsè adſcribit Baſilius libro de Spiritu ſancto, capite quarto. Inuoluerunt autem iſtis perplexitatibus Arianiſmum.

Cæterùm ex ſuperſtitioſa ſyllabarum obſeruatione, eos talia deliria ſuxiſſe ac protuliſſe, idem Baſilius affirmat libro eodem, capite ſecundo: Curioſa, inquit, iſtorum hominum circa ſyllabas ac dictiones obſeruatio, haudquaquã ſimplex alicui uideri poſſit, neque ad mediocre tendens malum, ſed profundum habet atq; obtectum aduerſus pietatem conſilium. Contendunt enim oſtendere, diſſimilem eſſe prolationem patris & filij & ſpiritus ſancti: tanquam hinc habituri facilem probationem, eos etiam natura diſiunctos eſſe. Habẽt enim iſti uetus quoddam commentum, ab Aerio huius hæreſeos principe inuentum, qui in epiſtolis ſuis alicubi ſcripſit affirmans, ea quæ ſecundum naturam diſſimilia ſunt, diſſimiliter proferri: ac retrorſum, quæ diſſimiliter proferuntur, eſſe diſſimilia ſecundum naturam. Ad huius dicti confirmationem Apoſtolum citauit dicentem: Vnus Deus & pater, ex quo omnia: & unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia. Itaque quemadmodum, inquit, uoces ſe habent inter ſeſe, eodem modo habebunt & rerum ſignificatarum naturæ. Sed inter ſe diſcrepant, Per quem, & Ex quo: diſſimilis eſt igitur patri filius. Ex hoc morbo nata eſt iſtis & de propoſitis ſyllabis curioſitas. Vnde Deo quidem & patri tanquam eximiam quandam portionem attribuunt illud, Ex quo: filio uero & Deo aſsignarunt illud, Per quẽ: ſpiritui uerò ſancto illud, In quo. negantq; hunc ſyllabarum uſum uſquam inuerti, ut (quemadmodum dixi) ex diſcrepantia prolationis ſimul appareat & naturæ diſcrepantia. Explicat autem copioſius iſta in

capite ſequenti.

2 De

2

De Coniugio.

Damnant de lege nuptias, non à Deo institutas esse adserentes: & abstinentiam urgẽt. Philaster.

3

De Indifferentibus.

Pascha non esse peragendum, quia Pascha nostrum immolatus sit Christus. Augustinus, Epiphanius. Iubent eos quos ad communionem admittunt, propria relinquere. Augustinus.

Porrò non satis dilucidè explicant autores, quomodo de Adiaphoris & alijs quibusdam rebus docuerint. Nam quod Epiphanius & Augustinus scribunt, eos sensisse ac docuisse, episcopũ presbytero nõ esse excellentiorem, quia uterque eodem fungatur baptisandi & manus imponendi officio: item, non oportere orare uel offerre pro mortuis oblationem: item, ieiunia ordinata non esse seruanda: iusto uerò non esse legem positam: ieiunandum igitur esse, cum quis uoluerit, propter libertatem. Hęc, nisi accesserint aliæ circumstantiæ malæ, non pugnare uidentur cum sacra scriptura.

De ritibus & moribus eorum Philaster sic scribit: Dicuntur Encratitæ, id est, abstinentes. Non possident quicquam: escas abominantur, quas Deus cum benedictione humano generi tribuit. Verùm non exponit, quomodo id fecerint. Epiphanius etiam de ipsis hæc commemorat: Apud ipsos studium est, ut in die Dominica ieiunent, quarta uerò & prosabbato edant. Sæpe uerò etiam quarta ieiunant, non ex statuto, sed ex propria uoluntate. In diebus autem Paschatis, quando apud nos fiunt, humi dormientes, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, uigiliæ, &c. ipsi à summo mane obsonantur, carneque ac uino uenas suas explentes cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos qui sanctũ hunc cultum hebdomadis Paschatis perficiunt. Tametsi enim renunciatoriũ habeant hi uitæ modũ: non tamen exercetur apud ipsos, sed multo plus carnis esus, & uini potus. Quid si autem præter rem Epiphanius hæc exaggerasset? Magis enim hæreticum & scripturæ sanctæ contrarium est, superstitiosè istos ritus, hoc est necessariò & opinione cultus obseruare, quàm pro libertate ipsis uti. Nec tamen crapulam & luxuriam diebus festis, quibus uerbum Dei tractari debet, ullus piorum probauerit.

Augustinus ad Quodultdeum ait: Quidam perhibent istos, sicut Encratitas uel Ampotactitas, non admittere ad communionem suam, nisi continentes, & eos qui seculo renunciauerint, & propria nulla possident.

Pugnant contra istos Basilius & Epiphanius. & Basilius quidem de Spiritu sancto, cap. quarto sic scribit: Nos porrò frequenter his usum uocibus etiam ueritatis sermonem confitemur. Haud tamen dicimus spiritus libertatem ullo modo seruire, iuxta submissionem & indignitatem rerum sensibilium, sed iuxta id quod semper est, ad exprimendũ rerũ proprietatẽ uocabulis nõnihil abutimur. Neq; enim τὸ ἐξ οὗ, id est, ex quo, prorsus declarat materiam, quemadmodum illi putant: sed usitatissimum est scripturæ, hoc uocabulum ad supremam illam causam accommodare: Quod genus est illud, Vnus Deus ex quo omnia, &c.

Et capite quinto: Nos demonstrabimus, nec patrem, cum sibi sumeret has uoces, Ex quo, ad filium proiecisse has, Per quem: neq; rursus filium non recipere spiritum in consortium harũ uocum, Ex quo, aut Per quẽ, sicut isti præscribunt, quod tamen istorum maius distributio definit: Vnus Deus & pater, ex quo omnia: & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Hæ uoces non sunt eius generis, ut nobis legem præfigat, & aliter loqui sit nefas: sed quæ notent personarum discrimen, &c. Confutat prolixè per caput illud totum, & aliquot sequentia.

SVB GRATIANO.

DE HAERESI PRISCILLIANI.

PRiscillianus natione siue Hispanus, siue Galata, ut in Chronico Hieronymus indicat, sub Gratiano & Valentiniano Imperatoribus monstrum quoddam hæreticum, ex Manichæorum & Gnosticorum insania & turpitudine conflatum, in Hispanijs & Gallijs disseminauit: laicus primùm, quemadmodum Sulpitius scripsit: postea episcopus Abilensis, seu Labiliẽsis, ut Sulpitius habet, à sectatoribus suis Instantio & Saluiano constitutus: de quibus, ut & cæteris Priscilliani gregalibus, infrà dicemus. Nunc summam errorum eius proponimus.

De Trinitate.

Eundem esse patrem, qui & filius & spiritus sanctus. Nauclerus genealogia 13. Augustinus ad Quoduultdeum sic: De Christo Sabellianam doctrinam tenẽt, eundem ipsum esse dicentes, non solum filium, sed etiam patrem & spiritum sanctum.

De Creatione.

A maligno istò principe mundum factũ uolunt, atq; ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari.

De Homine.

Astruunt etiam fatalibus stellis homines colligatos;

colligatos, ipſumq; corpus noſtrum ſecundum 12 ſigna cœli eſſe compoſitum: ſicut hi qui Mathematici uulgo appellantur.

De Anima.

Animas dicunt eiuſdem naturæ atq; ſubſtantiæ, cuius eſt Deus, ad agonem quendã ſpontaneum in terris exercendum per ſeptem cœlos, & per quoſdam principatus gradatim deſcendere, & in malignum principem incurrere.

De Coniugio.

Coniuges Priſcillianus, quibus hoc malum poteſt perſuadere, diſiungit, & uiros à nolentibus fœminis, & fœminas à nolentibus uiris. Opificium quippe omnis carnis non Deo bono & uero, ſed malignis angelis hæc ſecta tribuit.

De Adiaphoris.

Carnes tanquam immundas eſcas, hęreſis ipſa deuitat. Auguſt. Nauclerus ibidem.

De Confeßione.

Perſecutionis tempore licere mentiri, & negare proximum. In corde retinendũ eſſe quod uerum eſt: ore aũt ad alienos proferre falſum, nullum eſſe peccatum: ſed ad proximos hoc non licere. accommodat dictũ: Qui loquitur ueritatẽ in corde ſuo, &c. Et quòd ſolummodo ad proximum non licet, patêre ex Apoſtolo, qui cum dixiſſet, Deponentes mendacium loquimini ueritatem: ſtatim ad iecerit, Vnuſquiſq; cum proximo ſuo: Auguſtinus libro contra mendacium contra conſenſum, cap. 2. Rationem etiam huic commento adiecerunt, quia Chriſtum debere inter inimicos latêre. Ibidem, cap. 11.

DE RITIBVS ET MORIBVS *Priſcillianiſtarum.*

Turpitudinibus & contaminationibus nefandis hæc ſecta uacat. quæ ut cælari poſſint, eos qui ad ſe accedunt, ad hæc uerba obligant: Iura, peiera, ſecretum prodere noli. In hoc uerò uerſutiores ſunt etiam Manichæis, quòd nihil ſcripturarum canonicarũ repudiant, ſimul cũ Apocryphis legentes omnia, & in autoritatem ſumentes, ſed in ſuos ſenſus allegorizando uertentes, quicquid eſt in ſanctis libris, quod eorum euertat errorem. Auguſtinus ibidem.

Priſcillianus ipſe coram Euclio præfecto, qui eum capitis damnauit, confeſſus eſt, ſe nocturnos turpium fœminarum egiſſe conuentus, nudumq; orare ſolitum. Sulpitius libro ſecundo.

Pro hæretico iudicatus Romæ à Damaſo, Mediolani uerò Ambroſio, & Martino epiſcopo Treuirenſi, in Synodum Burdegalenſem coactus eſt, in qua gregalibus ſuis depoſitis, ipſe ad Imperatorem Maximum prouocauit, qui capitis eum reum pronunciauit. Damnati uerò cum eo etiam ſocij eius ſunt, alij gladio, alij exilijs, ut infrà dicemus. Sulpitius.

Cæterùm hac ratione hæreſis ea non ſolum nõ repreſſa, ſed confirmata, latiusq; propagata eſt. Sectatores enim Priſcilliani, qui eum prius ut ſanctum honorauerant, poſtea ut martyrem colere cœperunt. Corpora peremptorũ in Hiſpanias retulerunt, magnisq; exequijs eorum funera celebrarunt. Quia & iurare per Priſcillianum pro ſumma religione habebant. Sulpitius. Verùm de confutatione huius ſectæ, plura ſuo loco.

SVB THEODOSIO.

DE HAERESI DOROTHEI *& Pſatyrianorum, ſeu Gothianorum.*

COnſtantinopoli hæ hæreſes inter Arianos ortæ ſunt, quę & occaſio extiterunt, ut in ſeparatos cõuentus Ariani diuiderẽtur. Cœperũt aũt ex abſurda & nõ neceſſaria quæſtione, quaſi Eridis pomũ in mediũ proiecta: Vtrũ ſcilicet Deꝰ, antequã filius extitiſſet, potuerit aut debuerit uocari pater? Etenim quia Verbũ Dei nõ ex patre genitũ, ſed ex nõ exiſtentib. ſubſiſtere tradiderũt, à primo ac ſupremo cap. aberrantes, & de nudo homine diſceptantes, in tam abſurdamodo homine diſceptantes, in tam abſurdamo iuſmodi contentionẽ meritò ſunt prolapſi.

Continuò igitur Dorotheus quidam, qui Antiochiæ in locũ Marini ſurrogatus, Arianorum hæreſi præerat, conſiderata nominũ ratione, Deum antequam filius extitiſſet, patrem uocari non potuiſſe pronunciauit. Marinus uerò, ſiue quòd ita ſentiret, ſiue quia ſtudio à Dorotheo diſsideret, ꝓpterea quòd in gubernanda Arianorum Eccleſia, ſibi iniuncta prælatus fuiſſet, contrarium aſſeuerauit, patrem ſcilicet ſemper eſſe patrem, etiam filio nondum ſubſiſtente. Quam opinionẽ una cum Marino defendit Theoctiſtus quidam Pſatyropola: à quo deinceps qui Marini ſectatores fuere, Pſatyriani dicti ſunt: & Gothi, ideo quòd Selenam Gotthorum epiſcopum, ſecum haberent ſententem. Socrates lib. 5. cap. 23. Sozomenus libro ſeptimo, capite 17: & Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum. ubi Pſatyrianorum opinionem ſic effert: Dicũt, Pater Deus, ſemper aũt etiã filius à Deo creatus eſt. Idẽ eſt enim in Deo & creare & gignere. Theodoretus hæreticarum fabularum lib. 4. uocat Tapſyrianos.

SVB THEODOSIO.

DE HELVIDIANORVM, *ſeu Antidicomarianitarum hæreſi.*

B Heluidio, Auxẽtij diſcipulo, ut Hieronymus oſtẽdit, homine ruſtico, & uix primis imbuto literis, hęc hęreſis originẽ traxit. quanq; Helui-

Heluidianos ab Apolinariſtis deſcendiſſe, Epiphanius indicat. Ipſa hæreſis nomen illis impoſuit Antidicomarianitarum, ut Auguſtinus indicat.

Dixerunt, Mariam, poſt natum Saluatorem, Ioſepho nupſiſſe. Ideo enim deſponſatam, non commendatam, dictum ab Euangeliſta, ut quandoq; nupturam. Neque enim de non conuenturis Euangeliſtam dixiſſe, priuſquam conuenirent. Ac dictum eſſe, Non cognoſcebat eam donec peperit filium. Et, Peperit filium ſuum primogenitum. Non poſſe autem primogenitum dici, niſi eum qui habeat fratres. Et, in Euãgelio multos appellari fratres Domini. Et, adſtantem ad crucem matrem Domini, ob uiduitatem & ſolitudinem commendatam fuiſſe Ioanni. Epiphanius, Hieronymus, Auguſtin⁹.

Confutat hæc omnia Epiphanius, ſedecim aut pluribus rationibus, per longam epiſtolam, ad Arabicos quoſdam errores, huic ſubſcribentes. Confutat & Hieronymus peculiari contra Heluidium libello, & Apoſtolorum & ſanctorum patrum traditionibus. Ait, Vxorem dici more ſcripturæ, quæ ſponſas hoc nomine appellet: quodq́; de fratribus Domini dicatur, non de uterinis, ſed cognatione dici.

DE COLLYRIDIANIS,

Mariæ offerentibus.

Contrariam hanc hæreſin ſuperiori opponit Epiphanius, ridiculam & ſtultam, eamq́; in Arabia à Thrace & ſuperioribus Scythiæ partibus emicuiſſe ſcribit.

Dicuntur Collyridiani à placentis tortilibus, quas collyridas Græci uocant. Quædã enim mulieres (mulieres enim, præcipuos, Epiphanius ait, hęreſis huius fuiſſe autores) ſtato quodam anni die, currum quẽdam ſeu ſellam quadratam ornarunt, expanſo ſuper ipſam linteo, ſub quo panes κολλυρίδας promentes, in nomen Mariæ obtulerunt.

Confutat autem hunc furorem aliquot rationibus & exemplis Epiphanius, ex quib. quædam inter dogmatica ſuprà relata ſunt: ut Mariam nobis nõ datam ad orationẽ, aut ſacrificiũ, cum creatura ſit ipſa, neq; angelos qdẽ adorari De⁹ uelit. Deinde nuſquã nec in ueteri, nec nouo Teſtamento haberi, quòd mulieres ſacrificarint: poſtremò, nec loq mulieri in Eccleſia ſcripturam diuinã ꝑmittere.

DE MILVII HAERESI.

Cuius ſit ætatis Miluij hæreſis, incertũ eſt. Inuenimus apud unum Athanaſium, in ſermone cõtra omnes hæreſes, de Miluio hæc uerba: Faciamus, inquit, iam uerba ad infœlicem Miluium, arbitrantem ſe extollere uirginem, & coniugiũ infamare poſſe, cum Deus in paradiſo Euam ad Adam deducat, ibiq́; loquatur Adam: Ea de cauſa relinquet homo patrem & matrẽ, &c. Cæterùm iſte uetus Teſtamentũ non recipit. Quid ergo? Nunquid auſcultas in Euangelio, Dominũ in Cana ad nuptias ueniſſe, easq́; benedixiſſe, & ex aqua uinũ feciſſe? Et rurſus alibi Iudæis dicentibus, ſibi Moſen conceſſiſſe libellũ repudij: Chriſtũ reſpondere, id Moſen ipſis conceſsiſſe ob peruicatiã, duritiemq́; animi. Et, Quos Deus cõiugauit, homo ne ſeparet. Quomodo poteſt ramus cõſiſtere, ſi nõ ſubſit radix? Quomodo uirgo eſſe poterit, ſi non habeat patrem & matrem?

DE PATRICIANORVM ET

Symmachianorum hæreſi.

Patriciani, à Patricio quodã, qui fuit Romæ, dicti ſunt. Hi ſubſtantiã carnis humanæ non à Deo, ſed à diabolo conditã dicunt: eamq́; ſic fugiẽdã ac deteſtandã putãt, ut quidã eorum perhibeantur, etiã morte ſibi illata, carere carne uoluiſſe. Philaſter, Auguſtinus. Meminit Patricianorũ Ambroſius in prima ad Timotheum, quarto capite.

Symmachiani ex Phariſæis originem tradũt, qui ſeruata omni lege, Chriſtianos ſe dicunt: & more Photini, Chriſtum non Deũ & hominem, ſed hominem tantummodo definientes aſſerũt. Ambroſius in Pręfatione cõmentarij in epiſtolã ad Gal. Confutauit aũt eos ibidẽ ſic: Omnis credens in Chriſtum, & obſeruans legẽ factorũ, male intelligit Chriſtum. Si enim Deum intelligerent Chriſtũ, nihil de lege factorũ ſperarẽt, id eſt, de Neomenijs, ſabbato, citcunciſione, & diſcretiõe eſcarũ: quia qui Deũ & Dominũ legis colit, ſupra legẽ eſt: nec poteſt à lege iudicari, qui cum legislatore concordat. Deniq; non illorum cauſa lex data eſt, qui Deum colebãt, ſed eorum qui malè & credebant & agebant ad contemptum creatoris.

Philaſter, inquit: Symmachiani diſcipuli illius (Patricij) eadẽ ſentientes in omnibus, nõ ſperantes iudicium, uitijs ſecularibus & carnalibus concupiſcentijs prædicant ſeruiendum. Hinc apparet, quòd & reſurrectionem negarint.

CAPVT VI.

DE RITIBVS ET CEREmonijs.

De Ceremonijs hoc primum in genere lectorem monemus, ut attẽtè conferat cum ſuperiorib. ſeculis, & obſeruet quantum hoc ſeculum à primitiuæ Eccleſiæ ſimpliciori ſtatu degenerarit: cumulatis, & in Eccleſiam inuectis, tum gentiliũ, tum Iudaicis ritib. & ſubinde alijs atq; alijs ex inſcitia, ſuperſtitione, κακοζηλίᾳ, hypocriſi, traditionib. humanis excogitatis, approbatis, & uſu receptis.

RITVS PVBLICORVM *congressuum.*

FIt mentio aliquoties locorum istorũ, in quib. conuenerint Christiani, in historia persecutiõis sub Diocletiano & Maximino. Et apparet, ante Constantinum etiam locos eos fuisse mediocriter extructos atq; exornatos, quos seu templa appellarunt, seu Dominica, ut apud Eusebiũ lib. 9. cap. 10. Ruff. li. 1. cap. 3. seu προσευκτήρια, Oratoria: ut apud Eusebium libro 8. cap. 2. Socrates libro 5. cap. 7. Est & basilicę appellatio pro templo frequẽs apud Nazianzenum, Ambrosium, & alios: sicut & Martyrij uocabulum Cõstantini temporibus, cum in martyrum memorias templa construerentur, usurpari cœpit. Sic etiã templum Hierosolymis, circa annum Imperij Constantini trigesimum, in loco cranij ædificatum, martyrium magnum dicebatur: ut Sozom. tradit lib. 2. cap. 26. Quod si uerò templa aut propter persecutiões frequẽtare Christianis non liceret, aut alia quadam necessaria ratione deserere cogerentur, in cœmiterijs & locis extra urbes conueniebant: quẽ admodum fecerunt in persecutione sub Valente Antiochiæ, ubi extra urbis mœnia, ad radices montium, Christiani conuentus agebant. Theod. li. 4. cap. 24. Et in persecutiõe sub Georgio Alexandrię, ubi cum aduersarij pietatis præualentes, templa obtinerent, eorumq; cõiunctionem Christiani fugere cogerentur, in cœmiterijs ad orationem conueniebant. Theodoretus lib. 2. cap. 14.

Nouã deniq;, nec (ut uidetur) necessariã ad modum rationẽ Cõstantinus inuenit, qui in bellicis expeditionibus tabernaculũ, ad templi formam paratum, circumuexit, in eoq; conuentus coegit. Sozom. lib. 1. cap. 8.

Nec intra tantum, sed etiã extra urbes templa extruebantur: & nomina interdũ ab Apostolis & martyribus, nonnunq; ab alijs euentibus sortiebãtur. Sic Zenon Gazensis episcopus, extra ciuitatẽ oratoriũ ędificauit sub Theodosio: Sozom. lib. 5. cap. 9. Meminit extramuranarum basilicarum, & Basilius epist. 33. Edessę templum fuit S. Thomę apostoli: Sozom. lib. 6. cap. 8. Hierosolymis templũ Saluatoris erat, quod regijs impẽsis plurimis Cõstantinus ædificauerat: ut Athanasius refert in Apologia secunda: & Euseb. li. 3 de uita Constantini. Fuit ibidẽ & aliud templum Theophanię dictũ, aliud itẽ assumptionis. Sed & duo tẽpla Helena cõstruxit: alterũ in Bethlehẽ, in memoriã partus uirginis Deiparæ: alterũ in memoriã Ascensionis Domini. Euseb. idem. Alexandrię uerò templa fuerunt, dicta Dionysij & Theonæ: Idem li. 3. cap. 6. & li. 4. cap. 9. Cõstantinopoli magnificũ illud & celebre oratorium Anastasię, Soc. lib. 5. cap. 7. cuius appellationis ratione expositum prolixè Sozom. lib. 7. cap. 5. uerùm parũ uidetur cõsentanea ueritati. Extra eã urbẽ & Theodosius ipse tẽplum cõdidit in honorẽ Ioh. Baptistæ. Et alioqui etiã Pauli, Apostolorũ, Pacis, & Sophiæ tẽpla Cõstantinopoli fuisse, Soz. li. 4. ca. 26. & Niceph. retulit, lib. 9. cap. 7. Vsitatæ enim omnino magis q̃ superiorib. seculis tẽplorũ fuerunt dedicationes seu cõsecrationes, & quidẽ festiuę, nã Athanasi' in lib. de Passione imaginis Domini scribit, Iudæos Beryti cõuersos, synagogã maximã Christo saluatori, per antistitẽ eius loci, cõsecrari curasse: atq; ex eo tẽpore moré hunc, per diuersas orbis terrę nationes & prouincias inoleuisse, ut basilicas plurimas Christianæ religionis, pontifices in honorẽ Saluatoris mũdi cõdiderint & dedicarint. Videtur aũt hæc etiã quadam praua ęmulatione gentilissimi esse facta, præsertim ubi nõ indigue-rũt tot ædificijs ad cõuẽtus suos Christiani.

Et quib. ceremonijs Cõstãtinus tẽplũ Saluatoris Hierosolymis in loco Cranij extructũ cõsecrari curauerit, cõmemorat Eus. li. 4. de uita Constant. & Athanas. in Apologia 2. nã Imperator patres Tyri cõgregatos Hierosolyma accersiuit, eosq; p̃ suũ legatũ amica dextrę porrectiõe, cõuiuijsq; splẽdidis & epulis sympoticis honorificè excepit, & in paupes & nudos pecuniã & uestes distribuit, & regalib. anathematib. tẽplum exornauit. episcopi uerò, precib. simul & cõcionib. id festũ decorarunt. alij diuinas lectiones interpretati, arcanas cõtemplatiões reuelarunt: alij mysticis operationib. sacrorũ Deum placarunt, & pro cõmuni pace, pro Ecclesia Dei, pro Imperatore & filijs eius preces Deo obtulerũt. Qua quidẽ ex re etiam hoc est perspicuum, quali ratione templa isti ueteres dedicarint. Nihil hic dicitur de magicis aut superstitiosis cultib. aspersione aquæ lustralis, aut similibus rebus: sed de cõcionib. ac precationib. quamuis & hæ dedicationes ex Iudaismo natæ uidentur, sine ullo Dei præcepto.

Cõuocauit & Basilius episcopus Ancyręad cõsecrationẽ tẽpli recẽs à se cõstructi, uicinorũ locorũ episcopos: ut Sozom. narrat lib. 4. ca. 13. Ait de eodẽ ritu & Basilius in enarratione Psal. 114. Tẽpla martyrib. dedicarũt, hymnis & gratiarũ actiõib. ad quas media nocte, ut tũ qdẽ usitatũ erat, cõuenerũt. Meminit & tẽpli dedicati 40 martyrib. Cęsareę, sermone in 40. martyres. Qui ritus & in Africanis Ecclesijs receptus fuit: quẽadmodum ex Athanasio uidere est, qui Christianos in tẽplis nõ dum cõsecratis nõ cõueniisse, clarè indicat in Apologia ad Cõstantium: ubi & tẽpla, quã primum exædificata fuerunt, gratiarũ actionib. cõsecrata esse indicat. Dedicationis itẽ basilicæ extructæ à fratre Basiano, Ambros. lib. 1. Epistol. epistola 5 ad Felicem meminit.

Et quas

Si qua deniq; fides canonibus synodorum, qui in Tomis conciliorum, ut hodie extant, cõtinentur, tribuẽda est, extat inter canones concilij Nicæni, conscriptos à Gratiano, canon, qui citat ecclesias semel cõsecratas, non iterũ dedicari, nisi aut exustæ, aut homicidio aliquo & turpitudine pollutæ fuerint: aut illi à quibus consecratæ sint, fidem sanctæ Trinitatis non tenuerint. Vnde uerò eum rigorem sumpserint, & quibus de causis obseruarint, non certum est. Cæterùm ut templorum dedicatio ex *παναγηλίαι* Iudaismi originẽ sumpsit: ita superstitionib⁹ & humanis traditionib. ansam & campũ mox præbuit.

Aras in templis fuisse, id quoq; huius seculi historiæ testantur. Narrat Socrates lib. 5. cap. 22. in templis Antiochiæ Syriæ altaria fuisse, non ad orientem, sed ad occidentem. Meminit & Sozomeni narratio altaris in oratorio, à Zenone Gazense structo: lib. 5. cap. 9. Aram istam Theodoretus lib. 5. cap. 18. sacram uidetur appellasse mensam, ad quã munera offerebantur, & cui (ut Theophilus testatur lib. 1. Paschali) imponebatur corpus & sanguis Domini. & Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianũ inquit: Quid est altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi? Vérùm hæc etiam consuetudo à Iudaica in Ecclesiam Christi permanauit, ac postea superstitioni materiã præbuit. Sedium deinde primariarũ, quibus etiam Iulianus templa exornare, ad imitationẽ Christianorum cõstituerat, meminerunt Sozomenus lib. 5. cap. 16. & Paulus Diaconus in narratione de Iuliano: de quo & Gregorius Nazianzenus oratione infamatrice in Iulianũ ait, eum gradus & subsellia in tẽplis fieri curare uoluisse. Quin & Athanasius in epistola ad solit. uit. agentes, throni in templis, subselliorũ, mensæ ligneæ, & tabularũ mentionẽ fecit. Sacrarij Ambrosius meminit lib. 1. Off. cap. 50. Et ornamenti imaginũ, Sozom. lib. 5. cap. 21. & lib. 6. cap. 16. Qui effigiẽ mulieris hæmorrhousæ, & Christi saluatoris, apud Cęsaream Philippi à Iuliano deiectam, à Christianis in ecclesiã rursus collocatã fuisse scripsit. Narrat & Euseb. lib. 4. de uita Constantini, quo pacto Constantinus templũ illud magnificum Hierosolymitanũ, Christo saluatori dedicatũ, anathematis ex auro, argento & lapidib. preciosis exornarit. Quod & in alio templo Apostolorũ ab eo factum, ibidem prodidit. & Optatus Mileuitanus libro 1. contra Parmenianum, ornamentorũ ecclesiæ meminit. De imagine Saluatoris apud Berytũ Syriæ, est apud Athanasiũ in libello de passione imaginis Domini. Indicat & Prudẽtius, imagines repræsentantes Martyrum passiones, in templis collocari solitas: in carmine de passione Cassiani, in foro Corneliano. uerùm ea res non est ab omnibus æquè probata doctoribus. nam Hieronymus picturas in templis improbat, dum allegat suum quoddam factum, quo uelum picturatum in templo alieno discidit: in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum.

Cereas candelas & lampadas in locis conuentuum à Constantino ipso accensas interdum fuisse, Eusebius retulit li. 4. de uita Cõstantini. Ac de Melane episcopo Rhinocururæ, sub Valente, Sozomenus retulit, inuẽtum eum aliquando esse lychnos ecclesiæ, extremũ tanquam ministrũ, parantem, & zonam oleo sordidatã super uestimentũ habentem. Meminit cerearũ & Prudẽtius in hymno de Laurentio, & Hieronymus aduersus Vigilantiũ: ubi, Per totas, inquit, orientales ecclesias, quando legendũ est Euangeliũ, accenduntur luminaria, iam sole rutilante: nõ utiq; ad fugandas tenebras, sed ad signũ lætitiæ demonstrandũ. Verùm hæc quoq; ex Iudaismo orta, & necessitate superioris seculi ob persequutiones cõfirmata (quia noctu coacti sunt cõuenire) manserũt in ecclesijs, & superstitionib. materiã deinde dederũt.

Tempus porrò conuentus in ecclesijs Orientalibus, indicat Basili⁹ in epistola ad Clericos Neocæsarienses, fuisse antelucanũ, perinde ut in seculis superioribus. Idem, & ad dedicationes templorũ media nocte homines conuenisse testatur, in enarratione Psal. 114. Meminit uigiliarũ antelucanarũ & Ephrẽ Syrus, in sermone ad Monachos. Euse bius uerò lib. 1. de prępарat. Euang. ca. 3. quotidie ferè ubiq; locorũ ecclesias frequentissimè cõuenisse, indicat his uerbis: Cuncti simul & innumerabiles uiri et mulieres, senio res & pueri, serui & liberi, nobiles atq; ignobiles, docti simul atq; indocti, in omni ab ortu solis ad occasum loco, ubi homines habitãt, quotidie fermè ad pcipiendã disciplinã Christi cõfluũt. Basilius etiã infantes in templa adductos esse, clarè significat sermone 3, in diuites auaros: ubi, Infantes, inquit, & minimè sentientes, ad cõfessionẽ in tẽplo cõuoniũt. Alexãdriæ Athanasius noctu quoq; cõuentus plerumq; cogebat: quemadmodũ ex eius Apologetico refert Theodor. li. 2. ca. 13. Sozom. li. 7. ca. 19. indicat, in multis ciuitatib. ac pagis apud Aegyptios usitatos fuisse conuent⁹, ad uesperã sabbati. Quẽ diẽ publici fuisse cõgressus, etiã Athanasi⁹ significat in li. de interpretatiõe psalmorũ, ubi cõuentuũ Ecclesiasticorũ dies hos nominat: sabbatũ, diẽ Dominicũ, secundũ Sabbati, Parasceuẽ, & quartam Sabbati. Rursus homilia de Semẽte, idẽ ait: Die Sabbati cõgregati sum⁹, nõ q, labore m⁹ Iudaismo: sed in Sabbato ideo cõuenim⁹, ut Dominũ Sabbati IESVM adoremus. Et de die Dominico: Olim, inqt, priscis hominib.

in summo precio sabbatum fuit, quam quidem solennitatem Dominus in diem Dominicam transtulit.

Europęis quoq; ecclesijs consuetudinem fuisse noctu cõueniendi, & uigilias ducendi, ex Lactantio apparet: qui peruigilij eius causam etiã indicat li. 7. de diuino præmio, cap. 19. Hęc nox est, inquit, quę à nobis ppter aduentũ regis ac Dei nostri, peruigilio celebratur. cuius noctis duplex ratio est: quòd in ea & uitã tum recepit cum passus est, & postea orbis terræ regnũ recepturus est. Meminit uigiliarũ nocturnarũ & Hieronymus in epistola ad Sabinianũ: uigiliarũ item & pernoctationũ in basilicis Martyrũ, in epistola aduersus Vigilantiũ. Constantinopoli, & ferè apud omnes in sabbato, & unà consimiliter sabbati Christianos conuenisse, Sozomenus tradidit libro septimo, capite decimonono. Romæ uerò & Alexandriæ non item.

Actiones uerò in conuentibus Christianorum, Eusebius lib. 10. cap. 2 & 3. has recitat: ut orationes, psalmodiã, sanorũ operationes, participationẽ de mysterijs, gratiarũ actiões. Ac de Constantino pulchrè ait lib. 4. de uita Constantini: Cantare primus incœpit, unà orauit, cõciones stans reuerenter audijt, adeò ut rogatus ut considêret, responderit: Fas nõ esse, dogmata de Deo remisse ac segniter audiri. De Psalmodię origine hæc Theodoretus indicat lib. 2. cap. 24. Psalmos Dauidis alternis cani ad martyrũ monumenta, & in ecclesijs, instituerũt Flauianus et Diodorus Antiochiæ: qui mos inde in fines usq; orbis terrarũ peruagatus est. Ac de Ephrẽ, Edessenæ ecclesię presbytero, idẽ ait lib. 4. cap. 29, eum ad impios, sed suauissimos modos Harmonij cuiusdã, accõmodasse pias & sacras materias. Basilius Litanias usitatas fuisse in ecclesia Neocæsarienſiũ, scripsit in epist. 63. Achatius etiã, admonitus à Deo de Nicomediæ concussione, clericis præcepit, ut Deo seriò supplicarent, & preces placatorias pro sedanda illius ira, quã minabatur, funderent: ut narrat Sozom. lib. 4. cap. 16. & Antiochenus populus cum cognouisset Imperatorẽ Theodosium ob seditionẽ ibi motã ira esse inflammatum, Deo supplicasse, ut Imperatoris iram mitigaret, usurpatis ad eam supplicationem melodijs lugubribus, dicitur apud Sozomenum libro septimo, capite uigesimotertio. Nazianzenus stationũ totius noctis meminit in serm. in præsentia centũ quinquaginta episcoporum: & in oratione infamat. in Iulianũ, ubi & de sacris libris populo lectis, & explicationibus Græcorum dogmatum, quibus auditorum mores formabantur, secretioraque in religione aperiebantur, quædam monet. Meminit lectionis scripturarum & Eusebius libro de præparat. Euangelica 12 cap. 1. Apud nos, inquit, incipientibus ac imperfectioribus, simplicius scripturæ leguntur. Libro de pœnitẽtia, cap. 2. Ephrem inquit: Festiuitates nostras honoremus, in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus. Meminit chorearum & epularum in lætiori bus conuentibus Christianorum, post insignem aliquam liberationem, Theodoretus libro tertio, capite uigesimoseptimo, hæc de Antiochenis scribens: Cognita fede illius (Iuliani) publicis epulis & festis indulgebant, neq; in Ecclesijs solum, atque ad martyrum monumenta choreas agebant, sed in theatris prædicabant crucis uictoriam: & cætera.

De concionibus, in Basilij enarratione in Psal. 14. clarum testimoniũ est: cuius moram spaciũ fuisse horæ integræ, ibidem significatur: quod etiam ex initio orationis 3. in sanctum lauacrũ Nazianzeni, clarum est. Interdũ concionandi materia ex psalmis illis desumpta est, quos prius decantarunt: ut ex ea narratione Psalmi centesimi decimiquarti uidere est. Qui & in sermone in luxum & ebrietatem, indicat, in Quadragesima singulis diebus cœtui congregato habitas esse conciones.

In conuentibus Alexandrinæ ecclesiæ Athanasius interdum psalmos populo prælegi, ac preces postea fieri curauit: ut ex ipsius Apologetico commemorat Theodoretus libro secundo, capite decimotertio. De alijs uerò actionibus quibusdam eiusdem Ecclesiæ, Sozomenus libro septimo, capite decimonono hæc narrat: In urbe Alexandrina, quod in locis omnib. alijs nouum est, dum Euangelia leguntur, episcopus non surgit, & eum sacrum Euangeliorum librum prælegit ibi archidiaconus. Apparet & ex Athanasij ipsius homilia de semente, conciones in cõuentibus habitas esse uernaculo & simplicissimo, absque ulla affectata elegantia, sermone. Qua finita, preces ab auditoribus dictæ sunt. Læticiæ communis, hymnorum & cantuum etiam Theophilus Alexandrinus meminit, Paschali libro primo. Et extat Canon Concilij tertij Carthaginensis, celebrati circa tempora Syricij, qui nihilin ecclesijs aliud præterquam scripturas canonicas legi permittit: & martyrum passiones, in eorum festiuitatibus. Ruffinus libro secundo, capite trigesimotertio, Theodosium dicit circumiuisse cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca, & iacuisse ante Martyrum & Apostolorum thecas prostratum: quod non tam de solenni aliqua circuitus ceremonia, quàm de publicis precibus, quas ille in expeditione, passim in pluribus locis, cum Ecclesijs celebrauit, intelligendum est.

De

De illis deniq;, quæ in conuentibus eccle siarum Asiaticarum et Africanarum commu niter obseruata fuerint, ad hunc modum Ba silius in epistola ad clericos Neocæsarien ses: Ritus, inquit, omnibus ecclesijs Dei concor des sint, & consoni. De nocte siquidem po pulus consurgens, antelucano tempore do mum precationis petit: inq; labore & tribu latione ac lachrymis indesinentibus, facta ad Deum confessione, tandem de oratione surgentes, ad Psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi, alternis succinentes psallunt, atque ex eo simul elo quiorum Dei exercitationem ac meditatio nem corroborant, & cordibus suis attentio nem, & reiectis uanis cogitationibus men tis, soliditatem suppeditant. Deinde uni ex ipsis hoc munere dato, ut quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt: atq; ita psalmodiæ uarietate, precibusq; subinde in terfectis, noctem superant. Illuscente iam die pariter omnes, uelut ore uno ac corde uno, confessionis psalmum Domino offerunt, ac suis quisq; uerbis resipiscentiam profiten tur. Horum gratia si uos fugitis, fugietis si mul & Ægyptios, fugietis Libyam utranq;, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnices, Sy ros, & qui ad Euphratem habitant, ac (ut semel dicam) omnes apud quos uigiliæ ac preces, communesque psalmodiæ in pre cio sunt.

In ecclesijs Insularibus, conciones etiam in episcoporum conuentibus habitæ sunt. hic enim in cõuentu quodam episcoporum Cypri, episcopus Ledrensis Theophilus, concionẽ habere iussus est. De cæteris quæ in ijsdem ecclesijs fieri cõsueuerunt, Epipha nius ad hunc modum libro tertio, tomo se cundo, in doctrina compendiaria de fide ca tholica: Matutini, inquit, hymni in Ecclesia perpetuò fiunt, & orationes matutinę, lucer nales q; simul psalmi ac orationes.

Constantinopoli in præcipuis festis, & maximè in Paschalium feriarum prima die, librum Euangeliorum prælegerunt episco pi: post quos diaconi tantum, quantum e piscopi legissent repetierunt. Indicat Sozo menus lib. 7. cap. 19. Testatur & Hilarius lib. 6. de Trinitat. conciones in medijs ec clesijs habitas esse. Qui & hymnorum ue spertinorum, atq; adeò totius Ecclesiæ pro gressus per diem ad hunc modum meminit in expositione Psalmi 64. Dies, inquit, in o rationibus Dei inchoatur, dies hymnis Dei clauditur. Et rursus in expositione Psalmi sexagesimiquinti: Audiat, inquit, orantis populi, consistens quis extra ecclesiam, uo cem: spectet celebres hymnorum sonitus: & inter diuinorum quoq; sacramentorum officia, responsionem deuotæ confessionis. Ambrosius & Litanias, non in Gallicis so lum ecclesijs receptas fuisse, sed etiam in a lijs, indicare uidetur libro primo de Vocati one gentium, capite quarto: Præcepit, in quit, Apostolus fieri obsecrationes, postula tiones, gratiarum actiones, pro omnibus ho minibus, &c. Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum & omnium fideli um deuotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo, non solùm pro sanctis, & in Christo iam regeneratis: sed e tiam pro omnibus infidelibus, & inimicis crucis Christi: pro omnibus idolorum cul toribus, pro omnibus qui Christũ in mem bris ipsius persequuntur, pro Iudæis, pro hę reticis & schismaticis, &c.

Idem & conciones & explicationes scrip turarum in lingua uernacula factas, ostendit in enarratione capite decimoquarto, epistolæ prioris ad Corinthios: ubi aliena in Eccle sia lingua canentes aut loquentes reprehen dit. Et antiphonarũ quidem cantum, hymnosq; in ecclesijs Latinis Ambrosio Sigeber tus tribuit. Et Iuo in Chronico, sub Valente narrat, uigilias, hymnos, & antiphonas Me diolani primùm ab Ambrosio cœptas, ema nasse ad omnes prouincias. Concionum deniq;, ad quæ populus inuitatus sit, etiam Hieronymus meminit in epistola aduersus errores Ioannis Hierosolymitani. Ambro sius in 1. Corinth. 14. inquit: Sedentes dispu tent seniores dignitate in cathedris, sequen tes in subsellijs, nouissimi super mattas.

In Burgundionum etiam ecclesijs sacram scripturam legi solitam, non stantibus, sed sedentibus presbyteris, & alijs, constat ex e pistola Anastasij ad eosdem: in qua eam à ma ioribus acceptam abrogat consuetudinem, ut infrà suo loco dicetur. Deniq; & obla tionum meminit Hieronymus, quæ in con uentibus publicis ita factæ uidentur, ut in ter offerendum, diaconus publicè astans in templo, proclamarit offerentium nomina, adijciens: Tantũ offert ille, tantum ille pol licitus est. libro sexto comment. in Ezechie lem. Quod & in Ecclesijs orientalibus usi tatum fuisse uidetur. Scribit enim Sozome nus libro sexto, capite decimosexto, Valen tem cum aulicis in festo Theophaniæ, in Ec clesia munera ad sacram mensam obtulisse.

DE RITIBVS CIRCA *baptismum.*

FVit in omnibus ubiq; Ecclesijs baptizã di potestas propria sacerdotum: ac epi scoporũ quidẽ primùm, deinde & presbyte rorũ & diaconorum. De baptismo admini strato per Macarium episcopum Hierosoly mita

mitanum, Theodoretus scribit lib.2.cap.27. Tribuit & pontifici soli, hoc est episcopo (ita enim eum sua phrasi appellat) ius baptizandi, narratio de ritibus Ecclesiæ, quæ apud Dionysium extat. Ac solenne fuisse, adsciscere interdum baptismi tempore episcopos aliarum ecclesiarum, ex Nazianzeni oratione tertia in sanctum lauacrum apparet, ubi eam consuetudinem reprehendit, & baptismum efficacem (ut quem nō liceat ex personæ metiri aut dignitate, aut nobilitate) esse scribit, administratum à quocunque sacerdote, qui non sit improbatus aut alienæ ecclesiæ. Ne dicas inquit, Episcopus me baptizet, & hic Metropolitanus uel Hierosolymitanus. Siquidem non locorum est gratia, sed spiritus. Ne dicas, Nobilis ille sit, senior sit: sed & cœlebs, & ex continentibus illis, & qui angelica uiuunt cōuersatione, &c. Est & apud Ambrosium, qui baptizādi ritus sui temporis prolixè describit, frequens sacerdotum baptizantium mentio. Hieronymus aduersus Luciferianos, baptismum post episcopos, presbyteros & diaconos, in casu necessitatis administrari licuisse etiam à laicis, monet: Sine episcopi iussione, inquit, neque presbyter, neq; diaconus, ius habent baptizandi. quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis. De Baptismo uerò mulierum, exemplum hæc ætas nullū suppeditat: estq; inter constitutiones concilij quarti Carthaginensis canon expressus, quo baptizare mulieribus interdicitur: idque propter bonum ordinem, extra casum necessitatis, factum est.

Baptizabantur autem eadem aqua publicè in templis cuiuscunq; sexus, ætatis & cōditionis homines. Vnde Gregorius Nazianzenus oratione 3. in sanctum lauacrum, diuites & nobiles obiurgat, quòd cum pauperibus & tenuibus simul tingi dedignabantur. Est apud eundē, ibidē de baptismo, in quacunq; aqua: tametsi eam consecrari solitam Basilius indicat, in lib. de spiritu sancto cap. 28. Consecramus, ait, aquā baptismatis, &c. Quod & in Occidentalibus ecclesijs receptū fuisse, Ambrosius testatur lib. 2. de Sacramentis cap. 5: Sacerdos, inquit, super creaturam aquæ inuocationē, postea & precem adfert, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia æternæ Trinitatis, quamuis tam horrendæ adiurationes & prophanationes non sint adhibitæ, ut posterioribus sæculis factum est.

De baptisterijs superiori capite quædam monuimus. Meminit eorum Athanasius in historia de persecutione Alexandrinæ sub Georgio ad orthodoxos. Est & de ijsdem apud Ambrosium lib. 5. Epistolarum, epist. 33. ad Marcellinā: & lib. 4. de Sacramentis cap. 1. Est de Colymbethra (quæ aquæ in baptisterio receptaculum fuit, ex qua baptizato aqua superfusa, per inferiorem quendā meatum secedebat) apud Socratē lib. 7. cap. 17. Idem & in Thessalia, solis Paschatis diebus baptismum administrari consueuisse, scribit lib. 5. cap. 22. Quos dies baptismo destinatos præ cæteris fuisse, etiam ex Basilij apparet exhortatione ad baptismum: ubi tamen addit, præter paschatis diem baptismo quodlibet tempus esse idoneum. Nazianzenus oratione 3. in sanctum lauacrum, baptizandi præcipua tempora fuisse innuit, Diem lumi narium, Pascha & Pentecosten. Sed obseruationem eam reprehendit: & tempus quodlibet baptismo aptum esse, prolixè ibidem disputat. Contrà Canon Concilij Neocæsarienſis, sub Eusebio aut Meltiade (si unquàm fuit) grauidis tantum permittit, ut quandocunq; uoluerint, se baptizari sinant. Fuit & in Europæis ecclesijs Pascha dies baptismatis: quemadmodum Ambrosius indicat serm. 61. In Pascha, inquit, omnes gentes baptizari solent. Et lib. de ieiunio, cap. 10. Venit iam dies resurrectionis, baptizantur electi. Idem tamen in expositione capitis 4. epistolæ prioris ad Timoth. ægros quotidie baptizatos fuisse ostendit. Infantum baptismum in ecclesijs Africanis in usu fuisse, suprà ex Cypriano & Origene demonstratum est: hoc uerò seculo eundem durasse, ex Athanasij quæstione 124 constat.

De Asianis ecclesijs Nazianzen' loquens, infantes baptizandos esse ait, ita quidem, si immineat aliquod periculū: extra quod uerò, trienniū, aut eo plus minus ue (id quod pro peculiari opinione habendum est) expectandum esse censet: Orat. 3. in sanct. lauacrū. Attamen omni ætati baptisma conuenire, ibidem ait. Et de adultis cuiuslibet ætatis & dignitatis, hæc subijcit: Nec tu dines unà cum paupere baptizari dedigneris, nec tu generose cum ignobili, nec tu domine cum eo qui seruus fuerit. Basilius non alios quàm catechumenos baptizatos esse scribit, quos in Paschate cōuocabantur: in exhortatione ad baptismum. Constantinum senem admodum, & morti propter morbum uicinum, baptizatum demum, Theodoretus tradidit libro primo, capite trigesimoprimo. Constantius bello congressurus cum Gothis, magno cum Ecclesiæ malo baptizatur: sicut idem narrat lib. 4. cap. 12. Et Theodosium, cum in morbum incidisset, baptizatum scribit Socrat. lib. 5. cap. 6. Qui mos, adultos sci licet baptizandi, sine dubio in aliarū quoq; terrarum ecclesijs receptus fuit. In occidentalibus certè, Hieronymi adhuc tempore adulti baptizabantur: quemadmodum ex eo uidere est, in epistola aduersus errores Ioannis

nis Hierosolymitani. Illi igitur ad baptismum missi, quòd baptizari se peterent, dicebantur competentes: sicut idem indicat in epistola ad Pammachium, & Ambrosius epistola 33. De puerorum etiam baptismo, multa habet autor libri, qui falso tribuitur Dionysio Areopagitæ.

Baptizandi aũt in Asiaticis ecclesijs, prius aliquandiu in doctrina pietatis erudiebantur, & Catechumeni dicebantur, quemadmodum ex Basilio paulo antè retulimus: Resurrectionis, inquit, gratiam in die resurrectionis excipiamus. Quamobrem ecclesia suos procul alta uoce conuocet alumnos, ut quos prauum peperit, tunc demum lacte sanæ eruditionis, fide catechumenos enutritos, cibi firmioris degustatione institutoq; perfecto corroboret. Et ibidẽ rursus: Sciendum est, inquit, quòd primum docere & instruere oporteat, atq; ita demum præclarisi mo baptismate ritè instructũ dignari. Narrat idem de Iudæis Berythi Athanasius, in lib. de passione imaginis Domini, quòd ad episcopi eius urbis genua aduoluti, baptisma petierint: quos ipse cum clericis suis suscipiens, per dies plurimos in doctrina Christianæ pietatis erudierit: & catechumenos deinde factos, post tridui ieiunium baptizarit. Hinc & Nazianzenus Orat. 2 in sancta luminaria, eos damnat, qui ad baptismum rudes properabãt, & nõ exactè prius se præparabant. Idem & baptizandos peccata sua confiteri solitos, indicat Orat. 3 in sanctum lauacrum. Et ex Ephrem libro de pœnitentia cap. 5. apparet, baptizandos suam fidem coram multis testibus professos esse, ac sic dixisse: Abrenuncio tibi Sathan, & omnibus operibus tuis. Quod & Basilius commemorat in libro de spiritu sancto, cap. 11. ubi, baptizandos renunciasse ait Sathanæ, & angelis eius. Idem & alios quosdam ritus circa baptismum obseruatos, enumerat in exhortatione ad baptismum: ueluti manus in cœlum attollere, erigi in pedes, genua adorando flectere, &c. Sed & exorcizationem adhiberi solitã, Nazianzenus scripsit in Oratione iam sæpius citata: Ne ægrè feras, inquit, exorcismi culturam longiorem, neque ob illius prolixitatem defatigeris. Etiam in Africanis ecclesijs exorcizationem in usu fuisse, apparet ex Optato Mileuitano, qui in 4. lib. contra Parmen. inquit: Neminem fugit, quòd omnis homo qui nascitur, quãuis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum ab homine excludi & separari. hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur. Extat inter concilij quarti Carthaginensis constitutiones canõ unus, qui præcipit, ut baptizandi nomen suum dent: & deinde sub abstinentia uini & carniũ, ac manus impositione, crebra examinatione baptismum percipiant.

Cyprijs Ecclesijs et confitendi ritum ante baptismum usitatum fuisse, ex his Epiphanij in Ancorato uerbis conijcitur: Vnumquenq;, inquit, in fide instructum, & ad sacrum lauacrum accedere uolentem, non solum sinere debetis, ut indicet se filijs uestris, in Domino quòd credat: sed etiam, ut prolatis uerbis, uelut eadem omnium mater ecclesia nostra & uestra recepit, doceat & dicat, Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, &c. sunt enim uerba fidei Nicænæ. Et in occidentalibus quidẽ ecclesijs eosdem obseruatos ritus, Hilarius ostendit in Matthæi concione decimaquinta: Venturi, inquit, ad baptismum, prius confitentur credere se in Dei filio, & in passione ac resurrectione eius. Et tunc professionis sacramento fides redditur. Atq; ut hanc uerborũ sponsionem, quædam rerum ipsarum ueritas cõsequatur, toto in ieiunijs passionis Dominicæ tempore demorantur. Ambrosius libro tertio de sacramentis, capite secundo, etiam prius cõfessos baptizandos scribit: aut non confitentes, tamen petijsse baptizari se, ut iustificarentur. Idem libro primo de sacramentis, cap. 1 & 2. & libro de his qui mysterijs initiantur, hos ritus sui temporis circa baptizationem obseruatos recitat. Sacerdotes baptizaturi, primùm dicebant Hephatah: capite secundo. Deinde interrogati, responderunt, renunciare se diabolo & operibus eius, mundo & luxuriæ eius ac uoluptatibus. Hac renunciatione facta, conuertẽrunt se ad Orientem: cap. 2. Postea ad aquam à sacerdotibus adducebãtur: Sacerdotes interrogabant, & consecrabant: cap. 3. De institutione uerò baptizandorum, etiam Hieronymus in ca. 28. Matth. ad hunc modum: Iusit, inquit, Christ⁹ apostolos, ut primùm docerent, deinde fidei intingerent sacramento. Et ad Pammach. aduersus errores Ioannis Hierosolymitani: Consuetudo apud nos istiusmodi est, ut his qui baptizãdi sunt, per quadraginta dies publicè tradamus sanctam & adorandam Trinitatem. Idem de renunciatione, in capite sexto Amos: In mysterijs renunciamus ad occidentem, ei qui in occidente est, nobisque moritur cum peccatis: & sic uersi ad orientem, pactum inimus cum sole iusticię. Idem aduersus Luciferianos: Solenne est, inquit, in lauacro post Trinitatis confessionẽ interrogare, Credis in sanctam ecclesiam? Credis remissionem peccatorum?

Absolutis his actionibus, baptizandi ter mergebãtur: quod constitutũ fuisse Apostolorum

lorum traditionibus, Sozomenus ostendit lib.6.cap.26. Est de terna ea immersione etiã apud Basilium, libro de spiritu sancto, capite 28. Quod & in Africanis ecclesijs receptum fuisse, Athanasius testatur Quæst.124. Quòd infantem, ait, ter in aquam immergimus, & ter educimus, mortem & triduanam Christi resurrectionem significamus. Item in Europęis, Hieronymus aduersus Luciferianos: Multa sunt, inquit, quæ per traditionem in ecclesijs obseruantur, uelut in lauacro ter caput mergitare. Et in cap. 4. epist. ad Ephesios: Ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. De forma porrò baptismi, Basilius libro de spiritu sancto, capite duodecimo: Baptizamur, inquit, in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et Athanasius sermone tertio, cõtra Arianos: Dum initiamur baptismate, unà cum patre filij quoque nomen recensetur. Et ibidem: Vbi baptismus datur, quem baptizat pater, baptizat & filius: & quem filius baptizat, is in spiritu sancto initiatur. Ambrosius libro 2. de sacramento, cap.7, ter significat baptizandos immersos: & ter ad quamlibet immersionẽ interrogatos, articulos fidei cõfessos esse: uidelicet se credere uerum Deum, patrem omnipotentem: se credere in Dominum nostrũ Iesum Christum, & crucem eius: se credere in spiritũ sanctum. Et in libro de his qui mysterijs initiantur, cap.4. Baptizantur in eodem nomine patris & filij & spiritus sancti. Rursus de alijs gestibus usurpatis inter baptizandũ, uidelicet tangi os, aures & nares, baptizandis à sacerdote, assistere uerò baptizandis solitos parentes aut amicos, uerisimile est. Nazianzenus orat.3. in sanctũ lauacrũ, reprehendit eos qui hac pompa destituti, baptismum differebant. sic enim ait: Ne dicas abeundo, Reuertar, ac cras baptizabor: adsit mihi mater, adsit pater, fratres, uxor, filij, amici, omne quod mihi preciosum est. Atqui timendum est, ne luctus socios accipias, quos lætitiæ socios fore speraſti. De susceptoribus porrò, certi nihil inuenias. Extat phrasis, Leuare è sacro fonte, apud unum Basiliũ in epist.128, ad Posthumianum. Susceptorũ deinde meminit uerbosa narratio, de ritibus in baptismo, Dionysij.

Iam quæ post baptismi ablutionem fieri consueuerint, hæc ferè sunt. Primùm olei inunctio, de qua Basilius libro de spiritu sancto, cap.28. Deinde cãdida uestis, de qua Nazianzenus orat. 3. in sanctum lauacrũ, ubi & hos ritus baptismũ consecutos recitat & explicat: Statio, inquit, in quam post baptisma ante magnum altare constitueris, uenturæ gloriæ est præludiũ. Psalmodia, cum qua susciperis, laudis uenturę est ante ambulatrix. Lampades quas accendis, uenturæ sunt illuminationis mysterium. Fuit & in occidui ecclesijs usitata post baptisma unctio, & stola candida, qua induti baptizati, statim ad synaxin accesserunt. Apparet hoc ex Ambrosij libro de his qui initiantur, cap.7 & 8. Chrisma inungens sacerdos, sic dicebat: Deus omnipotens, qui te regenerauit ex aqua & spiritu sancto, remisitq; tibi peccata tua, ipse te ungat in uitam æternã. Idem li.3. de sacram. cap.1. Chrisma in ampulla cõseruari solitum, indicat Optatus Mileuitanus li. 2 cõtra Parmenianum. Meminit candidi uestitus baptizatorũ etiam Lactantius, in carmine de Resurrectione Christi, hoc modo:

Rex sacer, ecce tui radiat pars magna trophæi,
Cum puras animas sacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atq; uetus uitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas uestis quoq; candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Ritus alios plures Ambrosius enumerat, libro tertio de sacramento, capite primo. Vbi quòd baptizati egressi ex aqua, lectione audierunt: illisq; episcopus aut presbyter succinctus pedes lauit, ad exemplum Christi lauantis pedes Petro: & Ioannis dicentis, Ego à te debeo baptizari, & tu uenis ad me? Et quòd baptizati spirituale signaculum acceperunt, ut perfecti fierent. Postea ductis ad altare, luto illiti sunt oculi. Hos uerò Hieronymus commemorat, aduersus Luciferianos: An nescis, inquit, ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur spiritus sanctus? Et egressos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem. Item lib. 15 commemorat in Esaiam: Mos iste ac typus in Occidentis ecclesijs hodie usq; obseruatur, ut renatis in Christo uinum lacq; tribuatur. Libet nunc attexere, quę in Hierarchia ecclesiastica, sub nomine Dionysij Areopagitę, de actionibus in baptismate obseruatis, ad hunc modum tradita sunt.

Qui horum quæ uerè cœlestia sunt, participeps fieri cupit, cum ad aliquem eorum qui initiati sunt adijt, suadet ille quidem ut sectà ad sacerdotem ducat: ipse autem se omnino ea quæ tradentur, sequuturum esse pollicetur: petitq; ut & ad eum adducatur, & uitæ omnis quam deinceps aget, curam suscipiat. Illum autem qui eius quidem salutis sancta cupiditate ducitur, sed ex rei magnitudine hominis ingenium metitur, horror quidam repentè, reiq́ue difficultas deterret: ad extremum tamen, id quod petit, obtinuit, benignè se facturum esse promittit, acceptumq; eum ducit ad sacerdotem. Hic uerò lætus, quasi oue in humeros uirorũ imposita, primùm quidem principium, quod unum boni causa est, & à quo uocantur ea quæ

ea quæ uocantur, & quæ adipiſcuntur ſalutem, ſalutem conſequuntur, mentis gratiarum actione, corporeaq; adoratione uenerantur. Deinde omni ſacro cœtu, & adiuuandæ celebrandæq; eius ſalutis, & diuinæ bonitati gratiarum agendarũ cauſa in ſacrum chorum cõuocato, ipſe principiò hymnũ quendam, qui in diuinis ſcriptis continetur, cum omni Eccleſiaſtico ordine recitat: deinde ſacram menſam oſculatus, ad uirum qui adeſt uenit, eumq; interrogat, cur uenerit? Ille, poſteaquàm pro ſui in Deum amore, ex ijs quę ab eo qui illum accepit tradita ſunt, Dei priuationem, ignorationemq; ueri boni, atque actionis diuinæ uitæ uacuitatem accuſauit, petijtq; ut eo quaſi ſequeſtro, Deo, & ijs quæ ad Deum pertinẽt, potiatur: tum ei exponit rationẽ perfectam, qua ad Deum, qui perfectus integerq; ſit, accedendum eſt: explanataque eidem diuina uita, & (ut ita dicam) conuerſatione, ex eo præterea quærit, num ita inſtituat uiuere? cum promiſit, manum eius capiti admouet: ſignoq; edito, ſacerdotibus imperat, ut uiri atque ſponſoris nomina perſcribant. Iis ſcriptis, ſacras preces perficit: quas ubi uniuerſa eccleſia cum eo compleuit, exuit eum, expoliatque per miniſtros. Deinde cum illum occidentem uerſus attendentem, manusq; porrigentem, ad eandem regionem pertinentes, collocauit: tum eum iubet tertiò Satanam, ut ita dicam, inſufflare, & præterea quæ defectionis & abrenunciationis ſunt, profiteri: eiq; ter abrenunciationis ſolennibus uerbis propoſitis, cum toties illud conceptis uerbis pronunciauit, ipſum ad Orientem transfert: intuentemq; in cœlum, & manus tendentem, iubet Chriſto aſſentire, omnibusque ſacris uerbis quæ à Deo tradita ſunt. Quod cum fecit, tum ei rurſus profeſsionem ter explicat: idemque poſteaquam ter rurſus profeſſus eſt, rurſus ille cum precatus eſt, benedicit, manusq; imponit. Cum ei planè ueſtes miniſtri detraxerũt, tum ſacerdotes ſacrum unctionis oleum afferunt: ipſe cum inungendi ac perfundendi ter exprimendo ſigno crucis principium fecit, utrumque deinceps perfundendum toto corpore ſacerdotibus tradidit, ad matrem adoptionis uenit: eiusq; ſacra appellatione inuocationeq; ſanctificatis aquis, cum eas trina unguenti perfuſione crucis ſpecie perfecit, pariq; numero ſacroſanctarum unguenti aſperſionum, ſanctum afflatus prophetarum, qui diuino numine permoti fuerunt, carmen recitauit, uirum ad ſe portari iubet: cumq; ſacerdos aliquis ex tabula profeſsionis & eum & ſponſorem citat, hic quidem ad aquam à ſacerdotibus ducitur, ad hierarchæ manum ab eius manu ductus. Hierarcha autem in loco ſuperiore ſtans, cum rurſus ſacerdotes ad aquas ſub hierarchæ manu, eius qui initiatur nomen citauerunt, ter quidem illum demergit, atque in tribus eius qui initiatur demerſionibus, emerſionibusq;, trium diuinæ beatitudinis perſonarum nomina appellat, & inuocat. Acceptumq; eum ſacerdotes & ſponſori, & duci uię permittũt: eundemq; cum ueſte eo digna induerunt, rurſus ducunt ad hierarcham. Is cum uirum unguento, quod maximè diuinos efficit, inſigniuit, Euchariſtiæ, quæ uim maximam habet perficiendæ ſanctitatis, participem eſſe pronunciat. Hæc cum ritè perfecit, à ſuo ad ſecunda progreſſu, iterum ad primorum contemplationem excitatur: quippe qui nullo tempore aut modo ad aliena aliqua, præter ſua, ſe conferat, ſed à diuinis ad diuina aſsiduè ac ſemper diuino ſpiritu transferatur. Et ibidem: In ſancta regeneratione, miniſtri accedentem antiqua exuunt ueſte, atque diſcalciant, & ad Occidentẽ ut abrenũciet ſiſtunt, rurſumq; ad Orientem transferunt.

Et aliquanto pòſt de baptiſmo puerorum: Plurima ex ijs quæ ignoramus cauſas habẽt digniſsimas, nobis quidẽ ignoratas, uerùm præſtantioribus ordinibus cognitas. Nihil igitur, ut reor, indignum eſt, ſi ad diuinum inſtitutum puer adducitur, ſanctum habens præceptorem, qui illi diuinarum rerum habitum tradat, malorumq; ſeruet immunem. Tradit autem puero ſancta myſteria Pontifex, ut nutriatur in ipſis, &c. Et uiſum eſt noſtris ducibus, admittere infantes hoc modo: Naturales oblati paruuli parentes, puerum uni ex fidelibus tradãt, præclaro diuinarum rerum magiſtro, ſub quo iam puer ſit quaſi ſub patre diuino, ſanctæque ſalutis alumno. Hunc itaque præſul ſpondentem, puerum iuxta ſanctam educaturũ uitam, requirit ut abrenũciationem profiteatur, fidemq; confiteatur: non, ut illi ridentes aiunt, alium pro alio imbuit ſacris. Neque enim hoc ille ait, Ego pro puero abrenunciationes facio, aut fidei ſacramẽta profiteor: ſed ita puer renunciat & profitetur, id eſt, Spondeo puerũ inducturum, cum ad ſacram intelligentiam uenerit ſedulis adhortationibus meis, ut abrenunciet contrarijs omnino, profiteaturq; & peragat diuina quæ pollicetur.

De confirmatione ſubſecuta baptiſmum, in aliarum, præterquàm Occidentalium, eccleſiarum hiſtorijs nihil legitur. Sunt qui hæc Baſilij uerba in capite 28 libri de Spiritu ſancto, ad confirmationem torqueant: Vt ſigno crucis eos, qui ſpem collocarũt in Chriſtum, ſignemus, quis ſcripto docuit? Et præterea ipſum, qui baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis cõſecramus? Quæ, ut maximè confirmatio dici poſsint, ritus tamen conne-

xos cum cæteris baptizandi ceremonijs fuisse, clarum est. Adducunt huc & Canonẽ 48 Concilij Laodicensis, coacti sub Damaso: Oportet baptizatos post baptismum sacratissimũ chrisma percipere, & regni cœlestis participes fieri. Verùm unde eá habeat necessitatem, incertum est. Nullum enim mandatũ Dei, quod ista necessariò iubeat baptismo addere, extat. Quid autẽ hoc dissimile habet ab eo, quod suprà de inungendis oleo baptizatis dictũ est? Quale & Hieronymi illud est aduersus Luciferianos: Episcopus manũ imponet his, qui in recta fide baptizati sunt.

DE VARIIS CASIBVS CIRCA *Baptismum.*

NArrat Socrates lib. 5. capite 6, Theodosium morbo correptum, posteaquam ab episcopo Thessalonicensi baptizatus fuisset, melius habuisse. In annuo quodá martyrij Petri Alexãdrini episcopi die, conspicatus Alexander, pueros quosdã in littore colludentes, ritus Ecclesiasticos imitari, interq; alia, illa etiã quæ in baptismo agi solerent, ab uno eorũ per ludũ administrari, pueros ad se adducere presbyteros suos iussit. Adductos autẽ diligenter percunctatus est, quis illis lusus, tum quibus sermonibus & actionibus actus fuisset? Responderunt, Athanasium fuisse eorũ episcopum, à quo puerorum aliqui nondum initiati, baptizati fuissent. Sciscitatus exactius Alexander, quos ritus Athanasius adhibuisset? Cumq; omnia, quanquam per ludum, secundum ordinem Ecclesiasticum obseruata animaduertisset, inito cum sacerdotibus suis consilio, censuit pueros per simplicitatem semel baptizatos, nõ esse rebaptizandos. Ac mox reliqua, quæ ad baptismum pertinentia ab episcopo solo præstari poterant, in pueris illis consummabat. Sozomenus lib. 2 cap. 17.

Addit de Protogene presbytero Edesseno eiusmodi narrationem Theodoret. lib. 4 cap. 18. Pulsus is à Valente cum Eulogio in exilium Antinonem Thebaidis, puerorum pædagogiam exercere ibi, & scholas publicè habere cœpit. Fortè uerò, è cœtu suo puer unus in morbum incidit: ad quem accedens Protogenes, oratione morbum ab eo repulit. Quod cum nouum, & miraculo simile plerisque ibi uideretur, magnam Protogeni admirationem apud omnes conciliauit. Parentes enim pueros ægros omnes ad eum posthac adduxerunt, atque orarunt ut morbis eorum succurreret. Negauit autem ille, pro liberatione eorum, Deum precaturum se, nisi qui affecti essent, baptismum prius percepissent. Ita igitur factum est, ut ad baptismum pueri adducti, orante interea pro restitutione eorum Protogene, à morbis liberati sint.

Ex hæreticis postremò, Cathari seu Nouatiani, sine baptismo, per pœnitentiam & confessionem solam, in suum ordinem recepti sunt: Paulianistæ uerò, seu Photiniani, etiam rebaptizati. Extat de his utrisque canon 9. et 21 synodi Nicænæ, apud Ruffinum libro primo, capite sexto.

DE RITV ADMINISTRATIONIS *Clauium.*

PRimùm: Mansisse hoc etiam seculo Ecclesiæ censuram de atrocioribus peccatis, & excommunicationem facinorosorũ, & uel hostium religionis, uel hæreticorum, exempla aliquot non obscura huius ætatis historiæ suppeditant. Sic enim Theodorus Laodicenus episcopus, Apollinariũ utrumque, propter societatem cum Epiphanio sophista impio, publicè prius reprehensum ex Ecclesia eiecit. Sozomenus libro 6, cap. 25. Itemq; Alexander Alexandrinus episcopus, posteaquam placidis aliquot rationibus & disputationibus ab hæresi eum abducere conatus fuisset, obtemperare nolentẽ, ordine eum suo, cum consentientibus sibi remouit. Theod. lib. 1 cap. 2 & 4. Eadẽq; disciplina in Imperatorem etiã uti & animaduertere nõ dubitauit Ambrosius Mediolani, ut est apud Theodoret. lib. 5 cap. 18. Et ad censuram illam usitatam ijs temporibus Hieronymus allusit, sic ad Demetriadem scribens: Quos Ecclesia ipsa reprehendit, quos interdũ abiecit, in quos nonnunquam episcoporum & presbyterorum censura desæuijt.

Quæ uerò publicè sic abijciẽdi forma aut ritus fuerit, alius quàm admonendi prius, publiceq; reprehẽdendi, ac tum demũ si resipiscere damnationis rei noluissent, à saniori cœtu separandi, non explicatur. Hoc in constitutionibus synodi Nicænæ legitur, nemini licuisse, eum quem episcopus aliquis, seu laicum seu clericum de Ecclesia expulisset, suscipere. Ruffin. lib. 1 cap. 6. Sicut & Concilium quartum Carthaginense, communicantes aut orantes cum excommunicatis, excommunicandos & ipsos statuit. Et ex Basilij epistola quadam ad Athanasium apparet, excommunicatorum damnationem ad omnes familiares eorum, amicos & aduenas, relatam esse: damnatos uerò, emendare se per pœnitentiam nolentes, iudicio Dei relictos. Basil. epistola. 47.

Secundò: Reprehensi seu damnati, si uerã agere se pœnitentiam declararent, recipiebantur: ita tamen, si uerè se pœnitere sufficientibus indicijs ostendissent. Sic de receptis hæreticis Eusebius ait libro 3 de uita Constantini: Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, animo ueraci præsides Ecclesiarum aliquanto tempore probarunt, & post sufficientem experientiam receperunt. Et præclarè

clarè Athanasius orat. secunda in sanctũ Lauacrum: Neq; ego quidẽ, inquit, recipio eos qui aut penitus nõ, aut minus dignè flectuntur, neq; emundatione scelera compensant. Cum uerò recepero, competentẽ ipsis locum distribuo: & si lachrymis rigatos uidero, Noüatum non imitabor, &c. Sic Ariũ & Euzoium Athanasius recipere nolebat, quòd non debitæ pœnitentiæ ac conuersionis ueræ notas in ijs animaduerteret: ut Nicephorus ait lib. 8 cap. 48. Nec ad reconciliationem Ambrosius Theodosium admisit, priusquã octo mensium pœnitentiam uerã in eo deprehendit, ut postea dicetur.

Tertiò: Nõ recipiebantur aut absoluebantur sine pœnitentia publica, etiam qui non excommunicati, sed alioqui aut religionis hostes, aut ab Ecclesia alieni essent, aut notoria perpetrassent facinora. Sic Valens Imperator pœnitentia ductus, ibi demũ à Basilio recipitur, cum in templũ ultro uenit, & Basilij doctrinam amplecti se publicè profitetur, oblatis ad aram muneribus, quæ seriò eũ ad Ecclesiam redire, ac pœnitentiam egisse, publica quasi quędã essent testimonia. Theodoretus lib. 4. cap. 19.

Theodosius octo, quemadmodũ diximus, mensibus in gemitu, dolore & lachrymis cõsumptis, ad Ecclesiam redit, ab Episcopo duriter reprehenditur, & imperata facere cogitur. Postea non stans, nec genibus flexis Domino supplicat, sed humi prorsus stratꝰ psalmi uersum recitat: Adglutinata est pauimento anima mea, uiuifica me secundum uerbũ tuum. manibus uerò capillum uellens, frontemq; pulsans, ac guttis lachrymarum pauimentũ rigans, dari sibi ueniam petit. Accedit interea tempus offerendi ad sacram mensam munera, cum post oblationem intra cancellos sacrarij consistens, exire iubetur, & cum reliquis assistere. Theodoret. libri quinto, cap. decimooctauo.

Recitat Sozomenus ueterem quendã pœnitendi & absoluendi ritũ, multis Ecclesijs, præsertim autẽ Occidentalibus communẽ, ad hunc modũ, lib. 7. cap. decimosexto: Quoniam, inquit, pœnitentibus Deus, etiamsi sępenumero deliquerint, ignosci præcepit: & illis qui peccata sua confiteri detrectant, delicta, ut credibile est, aggrauantur: inde ab initio sacerdotibus placuit, ut uelut in theatro, teste multitudine Ecclesiæ, peccata manifestarentur. Et ad hoc instituti presbyterum aliquem, cuius conuersatio esset optima, tenacem etiam secretorum, & prudentẽ deputarunt, ad quem qui deliquerunt accedentes, quæ gessissent confiterentur. Ille secundum uniuscunq; delictum, quid faciendum luendum ue esset, multa imposita, ea lege cõfitentes absoluebat, ut à se ipsi pœnas commissorum exigerent.

Potest & ex Ambrosij libris de pœnitentia animaduerti, quos ritus pœnitendi & recipiendi Ecclesiæ istæ habuerint: ut libro primo de pœnitentia, cap. decimoseptimo indicat, peccatores publicè à multis obiurgatos primùm, deinde plures pro ijs intercessisse. Et paulo prius in eodem libro, capite decimo, pœnitentiæ actionem eiusmodi fuisse significat, ut pœnitens peccatum suum confessus, multos obsecrarit, ut pro eo intercederent: ad genua prostratus, uestigia osculatus sit: et proprios filios culpæ ignaros, uenię precatores obtulerit. Quem morem pro peccatoribus intercedendi, etiã canones Petri Alexandrini recipiunt: ex quibus & conijcitur, usitatum fuisse dari singulis certum pœnitendi ac præfinitum tempus. In quam sententiam & quartum cõcilium Carthaginense constituit, pœnitentibus, iuxta peccatorum modum, episcopi arbitrio, pœnitentię tempora esse decernenda: Canon trigesimusprimus eius concilij, in tomo primo Concil. Huc pertinent Niceni cõcilij canones, quos Ruffinus recenset libro primo, capite sexto: Qui absq; tormentis in persecutione lapsi sunt, & ex corde agunt pœnitentiam, quinq; annos inter Catechumenos faciant, & duobus annis post hoc, fidelibus tantum in oratione iungantur, atq; ita postmodũ suscipiantur. Et qui propter confessionem militiam abiecerant, & rursum ad hanc redierunt, eos tredecim annis pœnitentiam agere, et posteà suscipi, si tamen ex corde pœnitentiam agant, concilium statuit. Esse tamẽ in Episcopi potestate moderandi facultatem, si eorum fructuosam & attentam pœnitentiam uiderit. Et de his uerò qui uita excedunt, pœnitẽtibus decernunt, uacuum nullum debere dimitti. Si quis sanè accepta communione superuixerit, debere eum tempora statuta cõplere, uel certè prout moderari episcopus uoluerit. De Catechumenis deniq;, qui prolapsi sunt, statuerũt, tribus annis eos à Catechumenorum oratione separatos, postea recipi debere.

Casus circa excommunicationem.

Narrat Paulinus in uita Ambrosij, scribam Stiliconis ab Ambrosio excommunicatum, à dæmone arreptum ac discerptum esse, dũ adhuc excommunicationis uerba Ambrosius recitaret.

DE RITIBVS CIRCA *cœnam.*

EST inter canones concilij Nicæni unus etiam, ostendens quorũ fuerit, in actione eucharistica cœnam Domini distribuere. sic enim habet: Diaconi presbyteris præsentibus Eucharistiã ne diuidant, sed illis agen-

tibus solũ ministrent: Si uerò presbyter nullus sit in præsenti, tum demum etiam ipsis licet diuidere. Ruffinus lib. 1, cap. 6. Apparet & ex Nazianzeni oratione super funere patris, & Ambrosij lib. 4. de Sacrament. cap. 5, præfuisse ei actioni solos sacerdotes. Ac disertè epistola Synodi Alexandrinæ apud Athanasium ait, apologia secũda: Sanguinem Christi propinare nemini, nisi solis legitimis Ecclesiæ præsidibus, licere.

In publicis uerò congressibus, ac in templis, memoriam cœnæ Dominicæ celebrare, usitatum hoc seculo fuisse uidetur omnibus ecclesijs. Hinc enim synodus Gangrensis sub Constantio, Eustathium episcopum Sebastiæ Armeniæ condemnauit, quòd præter Ecclesiasticas formulas, nonnullis qui Ecclesias auersati fuerãt, domi communicare concesserat. Socrat. lib. 2, cap. 43. Nec in prophanis ullis locis facere id licuisse, ex Basilij clarum est Sermone de baptismo, & Athanasij epistola ad Antiochenos. Quod et in Europæis ecclesijs receptum fuisse, ex Hieronymo aduersus Iouinianũ apparet: ubi etsi indicat Christianos Romæ domi communicare consueuisse, tamen in eum morem duriter inuehitur, & Quare, inquit, non ingrediuntur in ecclesias? An aliàs in publico, aliàs in domo Christus est?

Calice in distributione sanguinis usos esse sacerdotes, notius est quàm ut admonitione indigeat. Frequens enim apud Athanasium appellatio calicis est, seu poculi mystici. Et nota est historia Ischyræ, conducti illius calumniatoris Athanasij, qui eum de conculcato poculo mystico apud Mareoten accusabat. Extat & utraq; uox ac phrasis in epistola synodi Alexandrinæ, in apologia secunda Athanasij, propinare sanguinem Christi ex calice, aut poculo mystico. Hieronymus de priuatis receptaculis, aut pauperis certè ecclesiæ sensisse uidetur, quod de Exuperio Tholosano scripsit ad Rusticum monachũ, de forma uiuendi: Nihil illo (inquit) ditius, qui corpus Domini canistro uimineo, sanguinem portat in uitro. De mensa sacra, seu altari parato in templis ad cœnæ Dominicæ usum, dictum est suprà.

Porrò ex Eusebij libro primo de demonstrat. Euangelica, cap. decimo, Christianos quotidie memoriam corporis & sanguinis Christi celebrare consueuisse constat. Tametsi Ambrosius libro quinto de Sacramentis, cap. quarto, eum Orientalium ecclesiarũ morem reprehendit, quod per annum semel tantum ad synaxin accesserint: & accedendũ esse quotidie monet, quia quotidie oporteat meminisse mortis Christi, & quotidie homines peccent. Quod & de Romana ecclesia, in qua quidam domi communicare soliti erant, Hieronymus scripsit, pro libro nono aduersus Iouinianum, sine dubio & in alijs uicinis ecclesijs usitatum fuit: sed non approbatum ab omnibus fuisse eum morem, & fortè etiam abrogatum, ex eodem ibi uidere est. Nec reprehendo, inquit, nec probo. Quemadmodum & ad Lucinium scribit: Vtinam, inquit, Eucharistiam absq; condemnatione nostri, & purgante conscientia semper accipere possimus. Epiphanius in compendiaria forma fidei catholicæ ait, ex constitutionibus Apostolorum, synaxes ordinatas esse quarta, & prosabbato, & dominica. Concilium contra Eliberinum in Gallia, ter per annum communicandum statuit, ut in Paschate, Pentecoste, & natali Domini. autor Gratianus. Sed eæ temporum metæ ijs qui aliàs rarò solebant communicare, præfixæ uidentur.

Accessuri autem ad Synaxin in Ecclesijs Africanis, prius in uigilijs & orationib. pernoctabant: quemadmodum Athanasius monuit in Apologia ad Constant. & in Apologia de fuga sua. Idem & in epistola ad Antiochenos indicat, in conuentibus publicis ad Synaxin, primùm omnes inter se mutuò reconciliatos esse, ac post eam reconciliationem synaxin celebrasse. Nec alios ad communionem in Occidentalibus ecclesijs admissos, quàm eos qui nec Catechumeni essent, nec pœnitentes, ex Hieronymo apparet in expositione cap. septimi Epistolæ posterioris ad Corinthios, ubi ait: Catechumeni & pœnitentes commmunicare nõ possunt.

De materiali cœnæ, & utraq;, ut uocant, specie seu parte, Ambrosius inquit lib. quinto de Sacramẽtis cap. primo: Diximus, quòd in altari constituatur calix & panis. In calice mittitur uinum. Et quid aliud? Aqua. Ea enim uino admixta simul consecrabatur: sicut idem ostendit libro quarto de Sacramento, cap. quarto. Ac de corpore & sanguine Domini distinctè Hieronymus, portare corpus & sanguinem Domini, ad Rusticum monachũ, ut paulo antè ostendimus. De pane solido, & in distributione in frusta conscisso, habet quiddam descriptio apud Dionysium in Hierarchia ecclesiastica. Habetur & inter decreta Iulij, si uera sunt, de materialibus in cœna: Audiuimus quosdam schismatica ambitione detentos, contra diuinos ordines & Apostolicas institutiones, lac pro uino in diuinis sacrificijs dedicare: alios quoq; intinctam Eucharistiam populis pro cõplemento cõmunionis porrigere: quosdã etiã expressum uinũ in Sacramẽto Dominici calicis offerre: alios uerò pannũ lineũ musto intinctũ per totũ annũ reseruare, & in tẽpore sacrificij partẽ eius aqua leuare, et sic offerre. Et quod de expresso botro, id est, de uuarum granis populus

populus cõmunicetur, ualde est confusum. sed si necesse sit, botrus in calice cõprimatur, & aqua misceatur: quia calix Dominicus iuxta canonum præcepta, uino & aqua permixtus debet offerri, quia uidemus populum in aqua intelligi, in uino uerò ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice uino aqua miscetur, Christo populus adunatur: & credentium plebs, ei in quem credit, copulatur & iungitur. Et ideo nulli deinceps erit licitum, aliud in sacrificijs diuinis offerre, nisi iuxta antiquam sententiam Conciliorũ, & calicẽ uino & aqua permixtũ, &c. ex decreto septimo Iulij, Tomo primo conciliorum.

De cõmemoratione uerborum cœnæ Domini per sacerdotem facta, breuiter Nazianzenus monet in Oratione in funere patris. Et prolixum Canonem Ambrosius recitat libro quarto de Sacramẽtis, capite quinto: Vis igitur, inquit, quia uerbis cœlestibus cõsecratur, accipe quæ sunt uerba. Dicit Sacerdos: Fac nobis hanc oblationẽ adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi: qui pridie antequam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cœlum, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias agẽs benedixit, fregit, fractumq; Apostolis suis & discipulis tradidit, dicens: Accipite & edite ex hoc omnes: hoc enim est corpus meũ, quod pro multis confringetur. Similiter etiam calicem, postquam cœnatũ est, pridie quàm pateretur, accepit, respexit ad cœlũ, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, Apostolis & discipulis suis tradidit dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus.

In ijsdem Ecclesijs, tradi solitam Eucharistiam communicaturis in manum, ex uerbis Ambrosij apparet, quibus Theodosium ecclesiam ingredi uolentẽ prohibuit: Istas ne adhuc stillantes iniustæ cædis cruore manus extendes, & ijs sanctissimum Domini corpus prehẽdes? Vel tum precio sum illum sanguinem admouebis ori tuo? In distributione deinde corporis & sanguinis Christi sacerdos dicebat, Accipe corpus Domini, Accipe sanguinem Christi. Ad quod communicans respondebat, Amen. Indicat Ambrosius libro quarto de Sacramentis, cap. 5.

Moribundis adferri solitam Eucharistiam, ex earundem Ecclesiarũ historijs, quẽadmodũ & de seculo superiori ostendimus, conijcitur. Ab Horato enim ecclesiæ Vercellensis sacerdote, Ambrosio morituro oblatum esse corpus Domini, quo accepto expirarit, Paulinus tradidit in uita Ambrosij. Et infundi in os Eucharistiã morientibus, post reconciliationẽ per manus impositionẽ, iubet canon septuagesimus sextus, cõcilij quarti Carthaginensis. Quin & peregrinãtes ac nauigantes, Eucharistiam secum circumtulisse Christianos, ex Ambrosio apparet, ex oratione Ambrosij in funere fratris Satyrij.

Adijcimus nunc descriptionem rituum in administratione cœnæ, quæ apud Dionysium his uerbis extat: Pontifex perfecto precum sacro ad Dei altare, cum ab eo incendendi odores initiũ fecit, sacrũ obit locum. Reuersus autẽ ad diuinã aram, sacros psalmos canere incipit: canuntq; cum eo omnes Ecclesiastici ordines. Deinceps à ministris sanctorum librorũ lectio ordine recitatur. Ea recitata, extra templi ambitum collocantur catechumeni, & unà cum eis energumeni, atq; ij quos superioris uitę pœnitet: manent aũt ij qui diuinarũ rerũ & aspectu digni sunt, & communione. Ministrorũ uerò alij stant pro templi foribus, quæ occlusæ sunt: alij aũt, alii quid aliud eorũ quæ illorũ ordinẽ attingũt, perficiũt. Præcipui porrò atq; selecti ordinis eius qui ministrat, cum sacerdotib. in diuino altari proponũt panem, benedictionisq; calicem, cum antea Ecclesiastici omnes laudem hymnumq; generalem Deo tribuerint: cum quib. Pontifex sacras preces ritè perficit, sanctamq; pacem omnib. nunciat. Cum omnes se inter se salutauerũt, mystica sanctorũ recitatio fit. Cumq; manus aqua abluerũt et Pontifex & sacerdotes, Pontifex quidem in medio altari collocatur: circũstant autem eum soli cum sacerdotibus ministri selecti. Pontifex laudatis sacris Dei operibus, ea quæ diuinissima sunt, ritè perficit, oculisq; subijcit ea quę propositis ritè signis laudata sunt. Donis diuinorum operum mõstratis, ad sacram eorum cõmunionẽ & uenit ipse, & inuitat cæteros. Accepta dataq; diuina cõmunione, in sacram gratiarũ actionẽ definit. Cum interea multi quidem sola diuina signa conside rent: ipse autem diuino spiritu semper ad sacra principia eorum quæ perficiũtur, beatis, mentisq; contẽplationibus, ut pontificem decet, in diuini status puritate ducitur.

Missæ ne uocabulum quidem apud hũius seculi scriptorem (de Romana ecclesia pòst dicemus) inuenias. Nam precationes duas illas, præparantes sacerdotem missam facturum, quæ operibus Ambrosij suppositæ sunt, nec Erasmus iudicauit esse Ambrosij. Et continent errores, qui alibi apud Ambrosium non inueniuntur: ut adorationem panis in sacramento, inuocationem sanctorum, & præcipuè Mariæ. sicut habet precatio secunda præparans ad Missam: Vt efficax

hæc mea sit deprecatio, beatæ Mariæ
uirginis suffragia peto,
& cætera.

VARII CASVS CIRCA
cœnam.

NArrat Nazianzenus, patrem suum sacerdotem ardentissima & diuturna febri exhaustum, ab ancilla aliquãdo synaxis tempore deductum manu in cœtum Ecclesiasticum, in quo pro more cœnam, sed paucissimis, & quibus tum per morbum potuit uerbis consecratam, alijs & distribuerit, & ex ea participarit ipse quoq; Reuersum uerò ad lectum, ciboq; parumper ac somno refectum, melius statim habuisse, ac pristinæ tandẽ sanitati ex integro fuisse restitutum. In orat. in funere patris. Quale quiddã & de sorore sua Gorgonia recitat, in orat. in funere sororis.

Alius casus.

Hoc uerò de fratre suo Satyrio, Ambrosius cõmemorat in oratione in funere eiusdẽ: Priusquam, inquit, perfectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio constitutus, cum ea qua ueheretur nauis scopulosõ illisa uado, & urgentibus hinc atq; hinc fluctibus solueretur, nõ mortẽ metuẽs, sed ne uacuus mysterij exiret è uita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fideliũ sacramentũ popoſcit: nõ ut curiosos oculos inſereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in oratorio, & oratorium inuoluit in collo, atq; ita se deiecit in mare, & seruatus est.

Alius.

Macarius presbyter Cellinorũ affirmauit, Marcũ monachũ abs se nunquã accepisse Eucharistiã ad sacrã mẽsam, sed angelũ ei dedisse: cuius se manũ ad iunctura usq; tãtum uidisse, Marcus testabatur. Sozom. lib. 6, ca. 29. An hæc sint consentanea ueritati, lector iudicet.

Alius.

Recitat ex Amphilochio, de uita Basilij, Vincentius lib. 14, cap. 18: In cœtum aliquando Christianorum, qui ad synaxin conuenerant, curiositate cõspiciendi Christianorũ mysteria, clam irrepsisse Iudæum quendam, cui in administratione cœnæ Domini uisus sit infans, partiẽs per manus Basilij. Quod miraculum occasio fuerit & sibi & familiæ suæ conuersionis ad Christianismum.

Alius casus.

Vrbanus Formẽsis & Fœlix Idicrensis Donatistæ irruentes in Thipasam Cæsareensis Mauritaniæ ciuitatẽ, iusserũt Eucharistiã canib. fundi. canes uerò accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente uindice, tanquam ignotos & inimicos lacerarunt. Refert Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum.

DE RITIBVS CIRCA
orationem.

MAgna ex parte ad dicendas preces & cõfessionẽ, institutos fuisse cõgressus publicos, suprà monuimus: & declarat id Basilius in epistola sexagesimatertia. Qui & in exhortatione ad baptismũ indicat, preces diei solitas à toto cœtu, posteaquã in suggestũ, docturus aut explicaturus aliquid ex scriptura, præses aut episcopus cõscendisset. Hoc enim cõcionis suæ initiũ ipse sibi facit: Precibus eorũ qui Dominũ diligunt opus habeo, ut optimi Dei, ac Christi ipsius gratia, sanctus ac bonus spiritus admoneat nos, & doceat quæcunq; à Domino audiuerit, ac mentem nostram in uiam pacis, &c. dirigat.

Idem & uultu conuerso ad Orientẽ Christianos orasse, autor est, in lib. de Spiritu sancto: ubi, Omnes (inquit) spectamus ad Orientem, cum precamur: pauci tamen nouimus, quòd id faciẽtes antiquã inquirimus patriã, uidelicet paradisum, quem conseuit Deus in Eden, ad Orientẽ. Quod & in ecclesijs Africanis usitatũ fuisse, ex Athanasio clarũ est: apud quẽ de causis eius gestus hæc dicuntur, Quæst. 14. Quæ causa, inquit, est quòd adoramus ad mundi plagã Orientalẽ? Quod Spiritus sanctus per Dauidẽ prophetã præcepit, qui dicit: Adorem⁹ ad locũ ubi stetere pedes eius. In Oriẽte uerò staturos pedes Domini, Zacharias prædixit: In oriente pedes Domini stabũt, in monte Oliuarũ, eregionẽ Hierusalem. Atq; hac ratione ait respõderi Iudæis, adorãtibus uersus Austrũ. Græcis uerò illa, Non quod ideo Deus aliquo modo circũscriptus à Christianis habitare putetur: sed quia Deus sit lux uera, dicaturq; ob quã causam Christiani ad creatũ istud lumẽ cõuersi, nõ illud quod creatum sit lumẽ, sed luminis eius creatorẽ adorẽt: & ex elemẽto omniũ splendidissimo, omniũ elementorũ splendidissimũ creatorẽ Deũ uenerẽtur. Tertiò, quòd sancti Apostoli, Christianorũ Ecclesias ideo iusserint orientẽ uersus precari, ut ad paradisum, unde cecideramus, respiciẽtes, supplices à Deo petãt, & Domino, ut in antiq; nostr patriã, & locũ unde cecidimus, restituere uelit. In magnis Ecclesiæ calamitatib. episcopi iacentes sub altari orarunt, ut Ruffinus de Alexãdro cõtra Ariũ oráte, lib. 1. cap. 12, & de Ambrosio Deo supplicante contra tyrannidem Iustinæ, lib. 2. cap. 16 prodidit.

De cæteris gestib. inter orandũ obseruatis, Basili⁹ rursus in lib. de Spiritu sancto: Prima, inquit, sabbati erecti, perficimus deprecationes. Nõ solum enim, quod ueluti simul cum Christo resuscitati, quæ sursum sunt, quærere debeam⁹, in die resurrectionis datæ nobis gratiæ stando precãtes, nosmetipsos cõmonefacimus: sed quòd is dies uideatur aliquo modo imago uẽturi seculi. Necessariũ igitur in hoc die Ecclesia suos alũnos docet, stãtes absoluere preces suas, ut assidua cõmonitione ne uitę illius nunq; desituræ, nõ negligamus ad

ad eã demigrationẽ parare uiaticũ. Quin & totũ tẽpus usq; ad Pentecostẽ, admonitio est Resurrectionis, quã in illo seculo expectam⁹: in quo corporis erecto habitu precari potius nos Ecclesiæ ritus docuerũt, nimirũ per euidentẽ cõmonitionẽ, quasi transferẽtes mentem nostrã à pręsentib. ad futura. Insuper & quoties genua flectimus (quod alijs orandi temporibus extra Pascha usque ad Pentecosten, & diem Dominicum, fieri solitum fuisse uidetur) & rursus erigimur, ipso facto ostendimus, quod ob peccatũ in terram delapsi sumus, & per humanitatem eius qui creauit nos, in cœlum reuocati sumus. Hactenus Basilius. Monet & Canon uigesimus Nicæni concilij apud Gratianum, diebus Dominicis & Pentecostes stando orandum esse.

Certis autẽ & determinatis diebus Christianos orasse, historiæ de Iuliano Imperatore testantur, qui gentilismũ apparatib. & ordini Christianę religionis cõformare studẽs, determinatorũ dierum precatores instituit. Narrãt Sozom. lib. 5. cap. 16, & Naziãzenus. Hieronymus, & certis horis ecclesias Occidentales orasse, autor est. sic enim ad Eustochium uirginem scribit: Quanquam Apostolus orare nos semper iubeat, & sanctis etiam ipse sit somnus oratio: tamen diuisas orandi horas debemus habere, ut si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculũ quoq; & uesperam, nemo est qui nesciat. De quibus horis, & in commentarijs in Danielem sic inquit: Tria sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua: tertiam horam, sextam & nonam, Ecclesiastica traditio intelligit. Tertia hora Spiritus sanctus descẽdit super Apostolos: sexta uolens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculũ, Act. decimo: nona Petrus & Ioannes pergebant ad templum, Act. 3.

De formis orationum dictum suprà est: ut de litanijs, quarũ Basilius meminit epistola sexagesimatertia. Nam et alios pro alijs orasse, idem indicat epistola octaua ad Eusebiũ sic scribens: In Synodo memoriam nostri fieri iube, & tu ipse pro nobis precare, atque ad id populi quoq; preces adiunge, ut reliquos incolatus nostri dies & horas Domino ministrare mereamur, iuxta quod illi gratũ fuerit.

Priuatarũ precum exempla illustria hæc ætas multa habet: & recitat formã precatiunculæ Constantini, quam dictauit suis militibus, Euseb. lib. 4. de uita Constantini, his uerbis: Te unũ Deum nouimus, te agnoscimus regem, te opitulatorẽ inuocamus. Tu uictoria nostra es: per te hostes uincimus: tibi accepta ferimus bona, quibus fruimur, omnia. Reliqua abs te uno expectamus: te supplices precamur, ut Constantinũ principẽ nostrũ, eiusque filios diutissimè serues incolumes. Idem & lib. 9, cap. 9 indicat, eum profecturũ ad bellum contra Maxentiũ, prius cum omni orasse exercitu. Quod & Theodosium fecisse, pugnaturũ aduersus Maximũ & Eugenium, Ruffinus indicat lib. 2, cap. 33.

De orationib. ante cibos, sic Ambrosi⁹ lib. 6 de Sacramentis, cap. 5. Non debes, inquit, quasi famelicus ad cibum, de cibo inciperes sed ante à laudib. Dei. Idem & mane orasse Christianos, & psalmos & hymnos ceciniſse indicat. Id etiam à quibusdã non factũ, reprehendit in lib. de Ieiunio, cap. 15. Basilius etiam in lib. de Spiritu sancto, priuatũ fuisse Christianis morẽ, precib. excipere noctis inītiũ, & ad lucernas accensas orare. Visum, inquit, est patribus nostris, uespertini luminis gratiam haudquaquam silentio arripere, sed mox ut apparuit, agere gratias.

De cõtinuis deniq; priuatis Christianorũ precib. hæc Hieronymus ad Eustochiũ: Nec cibi, inquit, sumantur, nisi oratione præmissa: nec recedatur à mensa, nisi referatur creatori gratia. Noctibus bis terq; surgendũ, et euoluẽda, quæ de scripturis memoriter tenemus. Egrediẽtes de hospitio, armet oratio: regredientibus de platea oratio occurrat antè quàm sessio, nec prius corpusculum requiescat quàm anima pascatur.

DE RITIBVS CIRCA ORDINATIONEM.

ORdinationẽ episcoporũ aut ministrorum in ecclesijs Asiaticis, præcedebãt suffragia, ut uidetur, populi, magistratus, & aliorũ episcoporũ & presbyterorũ. Et exemplo probat Basilius, epist. 58. ad Meletiũ, sine iustis suffragijs ordinationẽ in seditionẽ interdũ exijsse. & Constãtinus in epistola sua ad Nicomedienses, hortatur eos, ut Eusebio pulso alium ordinẽt episcopũ, & elegãter inquit: Medicina nõ sera fuerit, si nunc saltem delecto episcopo fideli & integro, respexeritis ad Deum: quod & in pręsentia est potestatis uestræ, & iampridẽ debuerat iudicio uestro esse perfectũ. apud Theodoret. lib. 1. cap. 19. Meminit quædam de electione populi, quã epispop⁹ cõfirmabat, & dãdis nominib. electorũ, Epistola synodi Nicænę ad Alexandrinos, apud Socrat. lib. 1, cap. 9. In quib. Ecclesijs & rata habebatur episcopi p̃ mortẽ decedẽtis electio, ei⁹ quẽcunq; successorẽ dignũ iudicasset. Sic enim Athanasius moritur⁹ Petrũ sibi successorẽ designauit: quod ratũ et firmum habuit tũ Sacerdotalis ordo, tũ magistratus & popul⁹. Theodoret. lib. 4, cap. 20. Et in Europæis ecclesijs, ad electionẽ episcopi cõsensus multitudinis accedebat: quẽadmodum in historia Ambrosij Mediolani cõstat, apud Socrat. lib. 4, cap. 30. Et in constitutionibus concilij Rom. sub Sylueſtro, clarè dicitur: Ordinandus habeat uota cleri &

populi. Variant ab hac consuetudine, mirũ qua ueritate, cõstitutiones Cõcilij Laodiceni, quæ ordinationes iudicio multitudinis fieri prohibuerũt: ut in tom. 1 Conciliorum legitur. Mittebant & episcopi alij, ad alios, quos ordinatione dignos habebant: ac pro ijs apud eũ episcopũ, penes quẽ ius esset ordinandi, precabantur: quemadmodũ ex Epistola quarta Basilij ad Gregorium, eiusdemq; ad Cæsarienses trigesima patet.

Electionem igitur ordinatio sequebatur, per episcopos alios et presbyteros, cuius usitatum in Africanis ecclesijs processum explicat Petrus Alexandrinus: qui Athanasio, ueluti diximus, defuncto successerat, sed Lucij Ariani scelere & uiolentia expulsus erat. Sic enim de tyrannico Lucij ingressu scribit: Nõ hunc constituerat cõuentus orthodoxorum episcoporum, non uerorum clericorum suffragia, non populi postulatio, quemadmodũ Ecclesiasticis iubetur sanctionibus. Aderant autem illi non aliqui episcopi, non presbyteri, non diaconi, non populi multitudo: non deducebatur à cultoribus uitæ solitariæ, cũ hymnorum diuinæ scripturæ cantu, &c. Theod. libro quarto, capite uigesimosecundo. Idem libro quinto, capite uigesimotertio: In ordinatione episcopi, inquit, canon Ecclesiasticus cunctos prouinciæ iubet conuocari episcopos, creariq; uetat ullum nisi tribus episcopis præsentibus. Recitat idem rursus & alios ritus libro eodem, capite decimoquinto, in narratione de ordinatione Antiochi: ut genibus flexis, ad sacram mensam assistere, & in frequente populi conuentu manus imponere. Qui ritus inde usq; ab Apostolis ipsis in omnium locorum ecclesijs, diutissimè hæsit. Meminit manus impositionis & Epiphanius libro primo, tomo secundo: Ac notum est, quòd Marcianus Nouatianorum Constantinopoli episcopus, post Sabbatium presbyterum ordinatũ, qui ex Iudæo Christianus factus, nihilo tamen minus postea iudaizabat, dixit: Satius sibi fuisse, si spinis manũ imposuisset, quàm Sabbatio, & cum eo sentientibus. Oportebat autem, ut & hoc obiter moneamus, episcopum manum imponentem, nõ suspectæ esse religionis, sed orthodoxum. Sic enim Moses Saracenus raptus, & ad uicinum episcopum Lucium Alexandrinum, ut ordinaretur adductus, manum eius, quòd Arianus esset, religionis hostis & persecutor, ferre noluit: sed deduci se iussit ad exulãtes in montanis Orthodoxos, à quibus manuum impositionẽ accepit: narrat Socrat. libro quarto, capite trigesimosexto. Simile exemplum Theodoretus etiam de Antiocho recitat lib. 4. cap. 15. Is enim Eusebio magno illi Samosatensium episcopo successor delectus, cum inter manuum impositionem conuersus uidisset Iouianum Pergensem, qui breui tempore cum Arianistis coniunctus fuerat, manum capiti suo imponere, repulit illam: petijtq; ne interesset numero cõsecrantium se, quòd sufferre manum administram blasphemiæ sacrorum posse se negareti. ex Optati Mileuitani lib. 2 contra Parmenianum apparet, Donatistas solitos esse radere capita sacerdotum. Nã eã ob causam eos reprehendit, inquiens: Docete, ubi uobis mandatum est radere capita sacerdotũ, cum econtrà sint tot exempla proposita, fieri non debere.

Examinis episcoporum ordinandorum meminit canon primus concilij quarti Carthaginensis. Secundus uerò Canon & hos episcoporum ordinandi ritus habet: Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem, super caput & uerticem eius: & uno super eum fundente benedictionẽ, reliqui omnes episcopi qui adsunt, manib⁹ suis caput eius tangant.

In ecclesijs Occidentalibus, si catechumeni nondũ baptizati episcopatus administrationi idonei uiderẽtur, in ordinatione prius baptizabantur, postea episcopi designabantur. testatur Theodoretus libro quinto, capite nono, de ordinatione Nectarij senis, nondum initiati: & Socrates libro quarto, capite trigesimo, de ordinatione Ambrosij. In ijsdem ecclesijs episcoporum ordinatio referri etiam solebat ad Imperatorem, qui si legitima uideretur ordinatio, ab eo adprobabatur. Socrat. ibidem. Imò & Catalogus ordinandorum Imperatori exhibebatur, & pro iudicio eius ordinabatur, quemcunq; is ordinatione dignum censuisset. Hoc enim de Gratiano & Nectario Constantinopolitano refert Theodoretus libro & capite modò citato. Imperator idem & Gregorium Nazianzenum, propter uitæ & doctrinæ admirationem Constantinopolitano episcopatu dignum iudicauerat: attamẽ episcopis Nazianzenorum, ecclesiam optimo pastore priuari uolentibus, morem gessit. Sozom. lib. septimo, capite septimo.

Ordinabantur autem ad ecclesiæ administrationem, qui ea maximè uiderentur digni: quemadmodum Epistola synodi Nicænæ ad Alexandrinos monet apud Socratem libro primo, capite nono. Non admittebantur, quos constabat in persecutione sacrificasse. Sic enim in ordinem Ecclesiasticũ Asterius sophista, quia in persecutione lapsus erat, non recipiebatur. Socrat. libro primo, capite trigesimosexto. Nec qui simulatores essent Christianismi, aut magiæ studiosi: qualis Heraclius ille fuit, quem quòd Eleusius ordinauerat, ab Acacianis in synodo Constantinopolitana deponebatur. Sed ordinabantur

bantur periti sacrarum literarum, nec ignari Ecclesiasticarum constitutionum, & probatè uiuentes. Sozomenus libro quarto, capite uigesimoquarto. Quæ omnia accuratè ab episcopo ordinando requirenda esse, canon primus concilij Carthaginensis statuit: Qui episcopus, inquit, ordinandus est, natura sit prudens, moribus temperatus, castus, sobrius, cautus, humilis, affabilis, misericors, literatus, in lege Domini instructus, in scriptu rarũ sensibus cautus, in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus, &c. Qualia quædam & epilogo habet cõcilij Romani sub Sylvestro. Habeat bonũ testimoniũ foris, sit ꝓbato, &c.

Ij etiam, qui secularibus fungebantur officijs, si idonei essent, interdum constituebantur episcopi: cuius rei exemplum est in Ambrosio Mediolanensi præfecto, Ruffin. lib. 2. cap. 11. & Philogonio, qui ex causidico Antiochenus sit episcopus. Niceph. lib. 8. cap. 6. Eusebius ex laico in Romanum episcopum est assumptus: & Nectarius generis nobilitate & officio prætoris clarus, Constantinopolitanus à tota Synodo citatus episcopus sub Theodosio. Socrat lib. 5. cap. 8.

Obseruabatur & ordinis similitudo, ita ut episcopi ex episcoporũ ordine Ecclesijs præficerentur, si essent in eo ordine, ad dignitatem eam idonei: si non essent, ut è presbyterorũ numero legerẽtur. Similiter & presbyteri & diaconi, ex ipso sacerdotali ordine crearentur. Sic enim habent constitutiones synodi Illyricæ, sub Valentiniano & Valente.

Probabatur & competẽs & iusta ætas Doctoris aut episcopi. Macarius enim quadraginta natus annos, presbyter demum ordinatus est. Sozomenus lib. tertio, capite decimoquarto. Ac probat trigesimum annum in doctore quodam Nazianzenus, iuniorem alium sic reprehendens: Tu antequam tibi genæ barbitio uestiantur, seniores uel docere credis, cum nondum neque ætate, neque moribus uenerabilis habearis? Hinc Neocæsariense concilium, aliquem quantumuis dignum, ante trigesimum annum, presbyterum ordinari uetat. Et non satis firmam addit rationẽ: Quia Christus trigesimo ætatis anno baptizatus sit, & docere cœperit. Extat & canon quartus concilij tertij Carthaginensis, qui diaconũ ante uigesimumquintũ annum, neminem consecrari cõstituit, tomo primo Conciliorũ. Meminit apud Sozom. lib. 7, cap 30, Ammonius monachus legis cuiusdam sacerdotalis, quæ requirat, sacerdotẽ eum ordinari, qui membris sit integris. sed non obseruatam perpetuò, eiusdẽ Ammonij historia testatur hoc modo: Ad episcopatum is expetitus, totis uiribus reluctabatur: sed cum urgeretur & traheretur, aurem sibi ipsi amputauit, sperãs se ea occasione oblatos honores, à quibus abhorrebat, declinare posse, quòd lex sacerdotalis, non mancos aut mutilos, sed integros sacerdotes requireret. At quid fit? Iudicat de eo tum Ammonij facto, tum lege: & cognoscit, ad Iudæos legem illam pertinere, non ad Christianã Ecclesiam, quæ non curat, integra ne membra aut corpus sacerdos habeat, si mores sint integri.

Vsitatum porrò initio in Asiaticis ecclesijs fuisse, ad prẽsidentias aspirare per gradus inferiores, ex Nazianzeni oratione in laudem Basilij apparet, qui eum ordinem non amplius obseruari ibi conquẽritur, ac de Basilio sic inquit: Deus eum nequaquam festinanter ad gradus perduxit, neq; per detrectationes & fraudes more multorũ, qui nunc præsidentias concupiscunt, sed ordine & lege ascensionis spiritalis honorẽ adauxit. Sanè ne quaquã rerũ & ordinis apud nos laudo confusionem, &c. Obiter tamẽ legem laudo nautarũ, quæ prius gubernatori remũ in manus dat, indeq; in prorã deducit, & ulteriora concredit. Itaq; tandẽ super gubernacula, cum multa maris experiẽtia & uentorũ statuit cognitione. Pariter & in rebus solet fieri bellicis. miles sub initiũ quis efficitur, deinde ordines regit, tandẽ etiam in ducem euadit. Ita magnus & celeber Basilius, sub initio sacros populo legit libros, horumq; enarrator fuit, nec ordinẽ hunc gradus dedignatus est. Sic in cathedra presbyterorũ, sic episcoporũ, laudauit Dominum. Quemadmodum & de Athanasio idem dixit, in oratione in funere Athanasij: Cum per omnem graduum transiret seriẽ, populi illi cõcredita est prẽsidentia. Ex Epiphanij epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, quam latinam fecit Hieronymus, apparet, presbyterũ neminem, nisi qui diaconus prius fuisset, ordinatũ. Adeò, ut & qui presbyterio idoneus uideretur, tamẽ primùm diaconus ordinaretur: & post peractũ semel in sacrificijs diaconi munus, presbyter tum demum crearetur. Habent & de ordinationibus per gradus singulos, multa canones concilij quarti Carthaginensis.

Ordinatorũ deniq; episcoporũ nomina ad alios episcopos, propius seu longius agẽtes, qui ordinationi non interfuissent, perscribebantur: illi uerò literis ordinatos statim salutabant, & ab illis uicissim literas accipiebãt: quemadmodum ex fine libri primi Paschalis Theophili Alexandrini clarum est.

Descriptio ritus ordinationis ex Dionysij Hierarchia Ecclesiastica.

Pontifex qui ad perfectionem uirtutemq; pontifice dignã euehitur, utroq; genu flexo ante altare, supra caput habet libros à Deo traditos, manumq; pontificis: atque hoc modo ab eo pontifice, qui eum consecrat, sanctissimis precationibus appellationibusque

consecra-

cõsecratur. Sacerdos autem flexis ante aram genibus, capiti suo admotam pontificis manum dextram habet, atq; ita à pontifice, qui eum cõsecrat, sanctissimis precationibus cõsecratur. Ministeruerò genu altero flexo, ante altare dextram manum põtificis, qui eum consecrat, super caput habet, ab eoq; cõsecratur ijs precationibus et inuocationibus, quibus ministri consecrari solent. Vnicuiq; autem eorum signum crucis à cõsecrante Pontifice imprimitur, & singulis sancta prędicatio perficiens q; salutatio adhibetur, omnib. ecclesiastici ordinis cõsalutantibus, ac pontifice consecratore, eum qui in aliquẽ ordinẽ Ecclesiasticũ eorũ quos enumerauimus cooptatus est. Et cõmunia quidẽ sunt & pontificibus & sacerdotib. & ministris, cum cooptantur & consecrantur, accessus ad diuinũ altare, inflexio genuũ, pontificis manus admotio, signum crucis, prædicatio siue laudatio, perficiens salutatio: præcipua autem & propria pontificibus quidem, diuinorum librorum ad caput admotio, quod inferiores ordines non habent: sacerdotibus autem, utriusq; pedis demissio, quo caret ministrorũ consecratio. ministri enim, ut dictum est, alterum modò genu inflectunt.

Casus circa Ordinationem.

Ad Amphilochium in solis locis philosophantem, propter excellentẽ & uitam & doctrinam eius, angelos Deus misit, qui mystica & arcana benedictione, & episcopali arrogatione eum dignati, intellectuali modo cõsecrarunt, & hierarchã ciuitatis Iconij renunciarunt. Ad hunc quoq; non longo pòst tempore eligendum atq; ordinandũ, in eum locum episcopi conuenêre. At ubi ex eo cognouerunt, ab angelis Dei consecrationem eum suscepisse: data, de tam sacra & diuina gratia, Deo gloria, ut pontificẽ Dei, & Euangelij præconem, fideiq; defensorem, cum timore reuerenter hominem admisere: & solita salutatione atq; osculo ei impertito, ea quæ episcopalis functionis sunt, administrare & exequi permisere. Nicephorus libro 11, cap. 20: qui tamen multa uana, & ad superstitionem facientia, subinde admiscet.

EXORCIZATIO OBSESSORVM.

Casus circa exorcizationes.

Arsatius, insignis confessor sub Licinio, uidit aliquãdo dęmoniacũ quendã, gladio stricto per forum discurrere, & obuium quenq; perterrefacere ac fugare. Illi igitur obuiã sese offerens Arsatius, CHRISTVM nominauit, ac uerbo dæmonium expulit, obsessum liberauit. Sozom. lib. 4, cap. 16. Ioannes aũt monachus quidã in Aegypto, dęmones sola pellebat precatione. Idẽ lib. 6, cap. 28. Canon 90 cõcilij quarti Carthaginensis, exorcistis mandat, energumenis manꝰ quotidie imponere.

Alius.

Cœtus monachorum inter quos Macarius & Isidorus, Lucij scelere sub Valente, in insulam quandã paruã, in qua nulli omnino erãt Christiani, relegatus, filiam ibi sacerdotis dæmone correptã, & humi præcipitatã, precib. coniunctis liberãt, & patri sanam eam ac ualentem restituunt. Theodoret. lib. 4. cap. 21.

Alius.

Marcellus Apameensis episcopus, destructurus sub Imperio Theodosij fanum Iouis Apameę, atrum dæmonis spectrũ, uim ignis suppositi coercens, sic repulit. Iussit aquã adferri in uasculo: qua supposita sacro altari ipse in faciem humi prostratus, Domino supplicauit, ne ulterius progredi dæmonis tyrannidem pateretur. Quod precatus, figura crucis aquã consignauit, atq; ad flammã diaconum aquã eam adferre iussit, & aspergere. Quo facto, cõtactus aquæ impatiens dęmon aufugit. Theodoretus lib. 5. cap. 21. Sed nõ est dubium, multa superstitiosa esse addita à recentioribus.

RITVS CIRCA IEIVNIA.

IEiunia obseruasse, ac religiosius quidem, seu superstitiosius, quàm superiorib. seculis, huius ætatis Christianos, historiæ testatur. subinde enim magis magisq; traditiones humanæ cumulatæ sunt. Prolixa Christianis ieiunia Iulianum per ludibria obiecisse, Nazianzenus testatur in oratione infamatri ce in Iulianũ. Sed in tẽpore ingens fuit diuersitas, etiam in ipsius quadragesimæ obseruatione, ut postea indicabimus. Ecclesias per Palæstinã, ieiunium diei Parasceues religiose, ob passionis Dominicæ recordationẽ, obseruasse, Socrat. tradit lib. 5. cap. 22: & Sozom. lib. 7, cap. 19. Epiphanius uerò lib. 3, tom. 1, hæresi septuagesimaquinta, ieiunium feriæ quartę & sextę, seu prosabbati, ut ipse loquitur, in omniũ orbis terrarũ regionibus in Ecclesia cõstitutum esse asserit, usq; ad horã nonam: eiusq; cõstitutionis autoritatẽ ad Apostolos refert. Quin & ieiuniũ per sex dies Paschę ab Apostolis institutum affirmat: quod tamẽ nusquã in eorũ scriptis extat. Sed exceptam tamẽ fuisse Pentecosten, id est quinquaginta dies intra Pascha & Pentecosten, diem Dominicũ in ipsa etiã quadragesima, indicat ibidẽ, & in Cõpendiaria uia de fide catholica: ubi & Epiphaniorũ diem, seu Natalis Domini, à ieiunio liberũ haberi, etiãsi in quartã aut prosabbatũ incidat, tradit. Quam ob causam Synodus Gangrensis, Eustathiũ Sebastiæ episcopũ condemnauit, quòd diebus Dominicis ieiunare instituerat: Socrate teste lib. 2, cap. 43.

Significat & Athanasius in Apologia de fuga sua, tempus omne intra Pascha & Pentecosten, à ieiunijs fuisse immune: post Pente-

costen

coſten uerò, in Europęis eccleſijs, ex Apoſtolorũ traditione, cœnas in prædia mutatas eſſe, Hieronymus teſtatur in epiſtola ad Euſtochiũ: quod de monaſtica uita cõmodi⁹ dictũ eſt, q̃ de alijs Chriſtianis. Canon 23. Concilij Eliberini, ieiunia per ſingulos menſes ſtatuit celebrari: exceptis Iulio & Auguſto, ob eorũ menſiũ infirmitatem. Idem concilium etiam diei ſabbati ieiunium conſtituit.

De Quadrageſima.

De diuerſitate ieiunij Quadrageſimalis apud gentes diuerſas, hæc annotarunt Socrates & Sozomen⁹ locis paulo antè indicatis. Quadrageſimam, Sozom. inquit, in qua multitudo ieiunat, alij ſex, ut Illyrij & Occidẽtales, totaq; Libya et Aegypt⁹ cũ Palęſtinis: alij ſeptẽ hebdomadib. cõprehendũt, ut Cõſtantinopolitani & uicinæ gẽtes, uſq; ad Phœnices: alij tres ſeptimanas, ex illis ſex uel ſeptẽ ſparſim: alij tres, Paſcha cõtinuè præcedẽtes. Et ad hoc ieiuniũ, omnis ſexus atq; ætatis homines commonefactos fuiſſe, Baſilius indicat Sermone 2 de ieiunio. Meminit eius & Athanaſius in epiſtola ad Orthodoxos, de perſecutione. Et Epiphanius in uia compendiaria: Quadrageſimã, inquit, ante ſeptẽ dies Paſchæ ſeruare ſolet ſancta Eccleſia, in ieiunijs perſeuerans. Teſtatur & Sozom. libro 1, cap. 11, Spiridionẽ Cypri epiſcopũ, ieiuniũ in Quadrageſima cũ domeſticis ſuis continuaſſe, certoq; die cibũ guſtare, intermedijs uerò diebus ieiunum perſiſtere conſueuiſſe.

De ieiunio Quadrageſimæ plurima etiam Ambroſius monet, ſermonibus 34, 35, 36, 37. Quod & à ſacerdotibus indici ſolitũ, indicat ſermone 25. & 40. Sicut & de alijs ieiunijs, in Aſiaticis eccleſijs, ab epiſcopis certis temporibus indici ſolitis, Gregorius Nyſſenus adſerit in Oratione de pauperibus amandis. Ac in argumento epiſtolarũ Theophili, Caſſianus monet, eas Epiſtolas quotannis per omnes Aegypti eccleſias miſſas eſſe, ad indicandum initium Quadrageſimæ, & diem Paſchæ. Et Hieronymus in epiſtola ad Marcellam: Nos unam, inquit, Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus.

A quibus porrò cibis per ieiuniorum dies abſtinuerint, non ſatis eſt ab omnibus explicatum. Epiphanius ex Apoſtolorũ traditione, per ſex dies Paſchæ omnes homines in ſiccorũ eſu perſeueraſſe ait: & pane, ſale, atq; aqua uſos, uſq; ad ueſperã. Gregorius Nyſſenus in oratione de amandis pauperibus, ieiunatum eſſe à carnibus & uino indicat, in eum finem, ut à uitijs homines abſtinerent, ac diſcerẽt alijs benefacere. Quod ieiunium, à carne ſcilicet, auibus & uino, Quadrageſimæ fuiſſe, Theophilus oſtendit libro tertio Paſchali: ubi & in reliquis ieiunijs, ſeminibus tantũ è terra pro cibo, & aqua pro potu uſos eſſe ieiunantes, teſtatur.

Canon octuageſimuſquintus Cõcilij quarti Carthaginenſis, baptizandos diuturno ieiunio à carnibus & uino iubet abſtinere.

Hieronymus in epiſtola ad Lætã, ieiunia quædã Chriſtianorum fuiſſe innuit, in quibus ab oleo & pomis abſtinuerint. Et in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium, abſtinentiam quorundam religioſam fuiſſe ait, à uino, liquamine, piſcibus, melle, & ouis,

DE FESTIS.

Dominici diei feſtiuitatẽ, ſolennẽ inde uſq; ab Apoſtolorũ temporibus, propter memoriam Reſurrectionis Dominicæ, Conſtantinus noua lege ubiq; terrarum diuulgata indixit. Quin & Veneris diem, ob memoriã paſsionis & crucis ſolennem omnibus eſſe, lege conſtituit: ut Euſebius indicat de uita Conſtantini lib. 4: & Sozom. lib. primo, capite octauo.

Cum aũt eo tempore Oriens totus prope modũ in Paſchate celebrando, Iudæorũ obſeruationem imitaretur, & exemplũ in omnes uniuerſi orbis Eccleſias propagaret: Cõſtantinus idem per Synodũ Niceæ congregatã effecit, ut repudiatis Iudaicis obſeruationibus, Chriſtiani per totũ orbẽ terrarũ, eodẽ die cõcorditer Paſcha ſanctũ agerẽt, quo occidẽtales eccleſiæ, & Romana, poſt uernum ſcilicet æquinoctium, ex antiqua traditione, de qua in ſuperiori libro dictũ eſt. Euſebius lib. 3. de uita Conſtantini: Socrates lib. 5, cap. 22: Theodoretus lib. 1, cap. 10. Socratis uerba hæc ſunt: Omnes reliqui ad occidentis partes, & Oceanum uſq;, poſt æquinoctium, ex antiqua quadã traditione Paſcha facere reperiuntur. Et hi omnes hoc pacto paſcha celebrantes, nunquã inter ſe diſſenſerunt. Nec, ut quidam uulgarunt, collecta ſub Conſtantino ſynodus, feſtum hoc inuertit. nam ipſe Conſtãtinus diſſentientib. circa hoc feſtum ſcripſit, admonẽs eos, ut cum ipſi pauci ſint, alios plures exiſtentes imitarẽtur. Pars ea epiſtolæ Conſtantini de Paſchate ſic habet: Conueniens ordo eſt, quẽ cunctæ Occidentis, Meridiei, ac Septẽtrionis, partium orbis Eccleſiæ, & nõnulla etiã Orientis loca retinent. Ob eam cauſam in præſenti cõueniens futurũ cuncti iudicarũt, & ipſe noſtræ placere induſtriæ fateor, ut quod in urbe Romana & Africa, totaque Italia, Aegypto, Hiſpania, Gallijs, Britãnijs, Libyis, tota Hellade, Aſianaq; diœceſi, ac Pontica, & Cilicia, una & cõcordi ſentẽtia ſeruatur, illud & ueſtra prudẽtia cupidè recipiat: hoc reputãs, nõ ſolũ maiorem prędictorũ locorum eccleſiarũ numerũ, ſed & iuſtiſsimũ eſſe id maximè uelle, quod & accurata ratione appeti, & cum Iudæorũ perfidia nihil habere conſortij uidetur.

Meminit

Meminit diuersitatis in Paschate celebrando etiã Epiphanius lib.2, tomo 2, hæresi 69, contra Arianos: Alij, inquit, præoccupabant, alij mediũ tenebant, alij uerò postea perficiebant. Libro uerò tertio, tomo 1, hæresi septuagesima, de tẽpore obseruationis Paschatis Ecclesiæ hoc modo differit: Obseruat Ecclesia, ut festiuitatem Paschatis peragat: hoc est, hebdomada decretam etiam ab ipsis Apostolis, in constitutione & secunda sabatorũ, etc. Et lib.2, tomo 1, hæresi 50 Quartadecimanorum: Sancta Dei Ecclesia undiquaq; de sacræ huius disciplinę utilitate connexionem colligens, à ueritate nõ excidit. Vtitur enim nõ solũ decimaquarta, sed etiã septima, ordine septẽ sabati dierũ secundũ circuitũ reuoluto, ut secundũ ea quæ à Domino facta sunt secundũ exemplar, sit resurrectio & cõuiuiũ. Et utitur nõ solũ decimaquarta lunæ, sed etiam cursu solis: ut ne uno anno duo Pascha ta facientes, in altero neq; unũ Pascha perficiamus. Quapropter obseruamus quidẽ decimam quartã, transgredimur autẽ æquinoctium, & ferimus in sanctã Dominicã finem cõplementi, &c. Huc de Paschatis obseruatione narratio prolixa Ambrosij li. 10 Epistolarum, epistola octuagesimatertia, pertinet: quam integram adscribimus.

¶ Dominis fratribus dilectissimis episcopis per Aemyliã cõstitutis, Ambrosi⁹ episcopus. Nõ mediocris esse sapientiæ, diẽ celebritatis definire Paschalis, & scriptura diuina nos instruit, & traditio maiorũ. Qui cõuenientes ad synodũ Nicęnã, inter illa fidei, ut uera, ita admiranda decreta, etiã super celebrata memorata cõgregatis peritissimis calculãdi, decẽ et nouẽ annorũ collegêre rationẽ: & quasi quẽdã cõstituêre circulũ, ex quo exemplũ in annos reliquos gigneretur. Hunc circulũ Enneadecaterida nuncupauerũt, sequentes illud: quòd nõ debeamus uana quadã opinione super celebritate huiusmodi fluctuare: sed uera ratione cõperta, ita omniũ cõ currat affectio, ut una nocte ubique sacrificiũ pro resurrectione Domini deferatur. Domini fratres dilectissimi, eò usq; à uero nos deuiare nõ cõuenit, nec uago ingenio discrepare: ut quędã necessitas celebritatis huius omnibus sit imposita Christianis. Quãdoquidẽ ipse Dominus eũ elegit diẽ, quo Pascha celebraret, q cũ obseruãtię uerę ratione cõcurrit. Scriptũ est enim: Venit aũt dies, in qua necesse erat Pascha immolari. & misit Petrũ & Ioãnẽ, dicens: Euntes ite, parate nobis Pascha, ut manducem⁹. At illi dixerũt: Vbi uis parem⁹? Et dixit ad illos: Ecce introeuntib. uobis in ciuitatẽ, occurret homo amphorã aquę portans: sequimini eũ in domũ, in quã intrat, & dicetis patrifamilias: Dicit tibi magister, ubi est diuersoriũ, ubi Pascha cũ discipulis man- ducem? ipse uobis ostendet in superioribus locum magnum, ibi parate. Aduertimus igitur, quòd nõ ad terrena descendere, sed in superioribus locum magnum stratum quærere debeamus, ut Domini Pascha celebrem⁹. Abluere etiam sensus nostros quadam spirituali aqua fontis æterni, & deuotæ celebritatis tenere mensuram, nec opinione uulgari dies quosdã explorare lunares, cũ Apostolus dicat: Dies obseruatis, & menses, & tẽpora, & annos: timeo ne sine causa laborauerim in uobis. Nã incipit esse cõtrariũ. Sed aliud est obseruare gentilitio more, ut qua luna quid adoriendũ sit iudices: utputa quintã esse fugiẽdã, nihilq; ea inchoandũ. Varios quoq; cursus lunæ obeũdis negocijs cõmendare: uel cauere quosdã dies, queadmodũ pleriq; posteros dies, uel Aegyptiacos declinare nõ cõsuerunt. Aliud enim est, obseruantiã religiosæ mẽtis intendere in eũ diẽ de quo scriptũ est, Hic est dies quẽ fecit Dominus. Nam etsi scriptũ sit, quod Pascha Domini quarto decimo die mensis primi celebrari debeat, & uerè quartãdecimã lunã ad celebrandã Dominicę seriẽ passionis inquirere debeamus: tamẽ ex hoc possumus intelligere, quòd ad huiusmodi solẽnitatẽ uel Ecclesię perfectio, uel claræ fidei plenitudo quæratur. sicut dixit propheta, cum loqueretur de filio Dei: Quia sedes eius sicut sol in cõspectu meo, & sicut luna perfecta in æternũ manebit. Inde est, quod & ipse Dominus, cũ opera in terris miranda feciſſet, quasi iã fundata humanarũ mentiũ fide, tempus passionis esse memorauit, dicẽs: Pater uenit hora, clarifica filiũ tuũ, ut filiꝰ tuus clarificet te. Hanc enim celebrandę passionis claritudinẽ quęsitã, alibi docet, dicens: Ite dicite illi uulpi, Ecce eijcio dæmonia hodie, & cras sanitates pficio, & sequenti consummor die. His utiq; consummatur resvrs, q incipiũt esse perfecti, ut plenitudinẽ diuinitatis & redemptionis eiꝰ fide sua credãt. Ergo & diẽ & horã exquirimus, ut scriptura nos instruit. Propheta enim Dauid dicit, Tẽpus faciẽdi Domine: petens accipere sensum ad cognoscẽda Domini testimonia. Ecclesiastes ait: Omni rei tẽpus. Hieremias clamat: Turtur & hirundo, agri passeres agnouerũt tẽpora introitus sui. Quid aũt euidentius, q̃ de passione Dñi dictum uideri: Agnouit bos possessorẽ suũ, & asinus pręsepe Domini suũ? Agnoscamus ergo hoc præsepe Domini, in quo alimur, pascimur & reficimur. Hocigitur tẽpus pręcipuè scire debemus, quo p uniuersum orbẽ cõsona sacrę noctis fundatur oratio. quia & tempore commẽdantur preces, sicut scriptũ est: Tẽpore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Hoc est tempus, de quo Apostolus dixit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nũc dies salutis. Vnde necesse fuit,

fuit, quia etiam post Ægyptiorum supputationes, & Alexandrinæ ecclesię definitionē, episcopi quoq; Romanę Ecclesiæ per literas pleriq; meam adhuc expectant sententiam, quid existimem scribere de die Paschę. Nam licet futuræ diei Paschæ inciderit quæstio, tamen etiam in reliquū quid tenendū uideatur, aperimus, si qua quęstio talis incurrerit. Duo aūt sunt obseruanda in solennitate Paschæ: quartadecima luna, & primꝰ mēsis qui dicitur nouorum. Itaq; ne à ueteri Testamēto uideamur discedere, ipsum de Paschæ celebrandæ die capitulum recenseamus. Monet Moyses populum, dicens custodiendum mensem nouorum, eum primum esse mensem prædicans. ait enim: Hic mensis uobis principiū mēsiū, primus in mensib. anni: &, Facies Pascha Domino Deo tuo, quartadecima die mēsis primi. Lex nēpe per Moysen data est, gratia aūt & ueritas per IESVM Christum facta est. Ipse ergo qui legē locutus est, postea ueniēs per uirginem nouissimis temporibus, plenitudinem legis consummauit: quia uenit non legem soluere, sed implere: & celebrauit Pascha hebdomade, in qua fuit 14 luna, 5 feria. Deniq; ipsa die (sicut superiora docent) Pascha cum discipulis manducauit: sequenti autem die, hoc est 6 feria, crucifixus est, luna 15. Sabbato quoq; magno illo 16 fuit: ac per hoc 17 luna resurrexit à mortuis. Vnde hęc lex Paschę nobis seruāda est, ut nō quartādecimā obseruemus in die resurrectiōis, sed in die magis Passionis, aut certè alijs, pximis superiorib. diebus. Quia resurrectionis celebritas die Dominica celebratur. Dominica aūt ieiunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei ieiunia iure dānamus. Hoc est enim in resurrectionem Christi non credere, si legem quis ieiunij die resurrectionis indicat: cum lex dicat, Pascha edendum cum amaritudine: hoc est, cum dolore, quòd tanto sacrilegio hominū author salutis sit interemptus. Die aūt Dominica exultandum propheta docet, dicēs: Hic est dies quē fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Ergo non solum Passionis diem, sed etiam resurrectionis, obseruari oportet à nobis: ut habeamus & amaritudinis & lætitiæ diem: illa ieiunemus, isto reficiamur. Vnde si inciderit, sicut futurum est proximè, 14 luna mensis primi die Dominica: quia neq; Dominica ieiunare debemus, neq; 13 luna die sabbati incidente ieiunium soluere, quod maximè die Passionis est exhibendum, in altera hebdomada celebritas Paschæ est differenda. Siquidem sequitur 15 luna qua passus est Christus, & erit secunda feria: tertia quoq; feria erit sextadecima luna, qua Domini caro in sepulchro quieuit: cum quarta etiam feria, septimadecima luna futura sit, qua Dominus resurrexit. Cū igitur triduum illud sacrum, in hebdomadam proximè concurrat ultimam, intra quod triduum & passus est, & quieuit, & resurrexit, de quo triduo ait: Soluite hoc templū, & in triduo resuscitabo illud: quid nobis potest molestiam dubitationis afferre? Nam si ea res scrupulum mouet, quia 14 luna non celebramus ipsum diem uel Passionis uel resurrectionis, ipse Dominus non 14 luna passus est, sed 15, & septimadecima resurrexit. Qui si mouet, quia quartamdecimam lunam transeuntes, quæ die Dominica incidit, hoc est quarto decimo calendas Maij, sequenti Dominica instaurandam celebritatem suademus. auctoritas extat huiusmodi. Nam temporib. paulo superioribus, cum incidisset quartadecima luna mensis primi in Dominicam diem, sequenti altera Dominica celebrata solennitas est. Octogesimo autem anno, & nonagesimo tertio, ex die Imperij Diocletiani, cum 14 luna esset nono calendas Aprilis, nos celebrauimus Pascha pridie calendas Aprilis. Alexandrini quoq; & Aegyptij, ut ipsi scripserunt, cum incidisset quartadecima luna & uigesimo & octauo die Pharmutij mensis, celebrarūt Pascha 5 die Pharmutij mensis, quę est pridie calendas Aprilis: ac sic conuenere nobiscum. Rursus 90 & 3 anno, à die imperij Diocletiani, cum incidisset quartadecima luna in quartumdecimum diem Pharmutij mensis, quæ est quinto Idus Aprilis, quæ erat Dominica die, celebratum est Pascha Dominica Pharmutij 20 & 1 die, qui fuit secundum nos quinto decimo Calendas Maij. Vnde, cum & ratio sit, & exemplum, nihil super hoc mouere nos debet. Nūc illud est quod enodandum uidetur: quia pleriq; putant secundo mense nos celebraturos Pascha, cum scriptum sit, custodi primū mensem nouorū: quod non potest incidere, ut prętер mensem nouorū Pascha celebrent, nisi qui quartādecimam ita obseruant secundum literam, ut non alio nisi ipso celebrent die. Denique in futurum Iudæi duodecimo, non primo mense celebraturi sunt Pascha: hoc est, 3 Calendas Aprilis, secundum nos: secundum Aegyptios autem, uigesimo quarto die Phamenoth mensis, qui est non primus mensis, sed duodecimus, & incipit sexto Calendas Aprilis, & finitur septimo Calendas Maij. Ergo secundum Aegyptios primo mense celebraturi sumus Dominicam Paschæ: hoc est, septimo Calendas Maij, qui est dies trigesimus Pharmutij mensis.

Nec absurdum arbitror, ut inde obseruandi mensis trahamus exemplum, ubi primum Pascha celebratum est. Vnde & maiores nostri in tractatu concilij Nicæni, eum diem endecateride, si quis diligenter intendat,

dat, ſtatuendum putarunt, & ipſum mẽſem nouorum rectè cuſtodierũt: quia in Ægypto hoc primo menſe noua ſecantur frumenta. Hic autem menſis & primus eſt ſecundum Ægyptiorum prouentus, & primus ſecundum legem, & octauus eſt ſecundum conſuetudinem noſtram. Indictio enim in Septembri menſe incipit. Octauo igitur menſe Calendæ Aprilis ſunt. Incipit autem menſis non ſecundum uulgarem uſum, ſed ſecundum conſuetudinem peritorum ab æquinoctio, qui dies eſt duodecimo Calendas Aprilis: & finitur undecimo Calendas Maij. Inde maximè intra hos triginta & unum dies ſæpe celebrati Paſchæ dies: ſed cum ante biennium celebrauerimus Paſchæ Dominicam 11 Calend. Maij, hoc eſt, trigeſimo die mẽſis, ſecundum noſtram ſcilicet calculationem: moueri non debemus, ſi & proximè 30 die Pharmutij menſis celebraturi ſumus Paſchę Dominicam. Verùm ſi quis menſem ſecundum inde exiſtimat, quia poſt triduum compleri menſis, qui cõpleri uidetur 11 Calendas Maij, Paſchæ Dominica erit, illud cõſideret: quia quartadecima luna, quæ quæritur, quartodecimo Calendas Maij erit: hoc eſt, intra prędſcriptum menſis numerum. Lex autem diem Paſsionis exigit intra primum nouorum debere celebrari. Satisfactum eſt igitur ſecundum plenitudinem lunæ, cui ad cõplendũ menſem ſuperſunt tres alij dies. Non ergo in alterum menſem recidit, quando intra eundem menſem, qui primus eſt, Paſcha celebrabitur. Ad literam aũt nos teneri non oportere (licet cõſuetudo celebrandę Paſchę ipſa nos inſtruat) tamen & Apoſtolus docet, qui ait, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Sed & propoſita lectio docet, literã nõ conſequendã. Sic enim habes: Et facies Paſcha Domino Deo tuo, quartodecimo die menſis primi. Diem pro luna dicit. Vnde peritiſsimi quoq; ſecundũ legem, lunari curſu cõputãt menſem. & ideò cùm à pluribus nonis Lunæ incurſus incipiat, hoc eſt, dies primus: uides nonas Maij adhuc ad mẽſem primum cõputari poſſe. Ergo & iuxta legis ſententiã, primus hic menſis eſt. Deniq; menẽ lunã uocant Græci: unde menas Græcè dicunt menſes. & naturalis uſus nationũ exterarũ lunam pro dieb. appellat. Alium autẽ diem paſsionis, aliũ reſurrectionis celebrandum, ueteris quoq; teſtaměti ſeries oſtẽdit. Sic enim habes: Agnus ſine macula, mũdus, conſummatus, anniculus, maſculus erit uobis: ab ouib. et hœdis ſumetis, et erit uobis in obſeruatione uſq; in quartamdecimã mẽſis huius, & occidetis illũ tota multitudo ſynagogæ filiorũ Iſrael ad ueſperum, & ſument de ſanguine eius, & ponent ſuper duos poſtes, & ſuper limẽ oſtij domus: in quib. manducabunt eum inter ſemetipſos: manducabunt carnem hanc noctu, igni aſſam. Et infrà: Et edetis illũ cum ſolicitudine Paſchæ, Paſcha enim eſt Domini: & pertranſibo in terrã Ægyptiorũ in nocte illa, & percutiã omnẽ primitiuũ in Aegypto, ab homine uſq; ad pecus, & in omni terra Aegypti faciã uindictã ego Dominus. Et erit uobis ſanguis in ſigno in domibus, in quib. eritis. ibi & uidebo ſanguinẽ, & protegã uos, & non erit uobis in plaga exterminij. Et conteram terram Aegypti, & erit dies hic uobis memorabilis & ſolennis, & diem feſtũ agetis eum Domino in progenies ueſtras, legitimũ ſempiternum diem feſtũ agetis illum. Aduertimus & paſsiõis diem deſcriptum in ieiunio, quia ad ueſperũ occidendus eſt agnus. licet ultimum tempus pro ueſpere poſsimus accipere, ſecundum Ioannem, qui ait: Pueri, nouiſſima hora eſt. Sed & iuxta myſterium ueſperę diei conſtat occiſum, quando tenebræ ſtatim factæ ſunt: & ieiuniũ deferendũ eo die, uerum eſt, Quia ita edetis illum cum ſolicitudine. ieiunantib. enim ſolicitudo adhærebat. Reſurrectionis autem die exultatio reſectionis eſt, atque lætitiæ: quo die uiderut populus exiſſe ex Aegypto, primitiuis Aegyptiorum necatis. quod poſteriora euidentius docent, quibus ait ſcriptura: Quia poſtquam Iudæi fecerunt Paſcha, ſicut præcepit Moyſes, factum eſt circa mediam noctem, & Dominus percuſsit omnem primitiuum in terra Aegypti, à primitiuo Pharaonis. Et uocauit Pharao Moyſen & Aarõ nocte, & dixit illis: Surgite, & exite de populo meo, & uos & filij Iſrael, ite & ſeruite Domino Deo ueſtro. Et urgebant Aegyptij populum, feſtinantes quamcelerrimè expellere. Deniq; ſic profecti ſunt Iſraelitæ, ut non occurreret ſibi azymam fermentare. Eiecerunt enim eos Aegyptij, & non potuerunt ſuſtinere: apparatum ſibi fecerant in uia. Reſetatum eſt igitur, diem reſurrectionis obſeruandum poſt dies paſsionis. Qui dies reſurrectionis non quartadecima luna debeat eſſe, ſed poſtea, ut uetus loquitur Teſtamentum: quia dies reſurrectionis is, cum egrediens populus de Aegypto, in mari & in nube baptizatus, ut Apoſtolus dicit, Morte uicit, panem ſpiritualem accipiens, & potum de petra hauriens ſpiritualem. Nec paſsionem Domini die Dominica poſſe celebrari, etiamſi quartadecima luna in Dominicam inciderit, ad iungendam hebdomadam alteram, ſicut & 76 anno die Imperij Diocletiani factũ eſt. Nam tunc 28 die Pharmutij menſis, qui eſt 7 Calendas Maij, Dominicã Paſchæ celebrauimus, ſine ulla dubitatiõe maiorũ. Simul etiã lunæ curſus & ratio ſuffragatur: quoniã uigeſima prima luna proximum

proximum Pascha celebrandũ est. Nam usq; ad 21 lunam consueuit extendi. Ergo cum tot ueritatis indicia concurrant, iuxta maiorum exemplа festum publicæ salutis læti, exultantesq; celebremus: postes nostros ubi est ostiũ uerbi, quod sibi Apostolus optat aperiri, fide passionis Dominicæ colorantes. De hoc ostio dicit etiã Dauid: Pone Domine custodiã ori meo, & ostiũ circuit' labijs meis: ut nihil aliud nisi sanguinẽ Christi loquamur, quo mortem uicimus, quo redempti sumus. Fragret in nobis odor Christi, ipsum audiamus, in illum & mentis & corporis oculos dirigamus: opera eius mirãtes, beneficia prędicantes, super limen ostij nostri sacrę redemptionis confessio resplendeat. Sumamus feruenti spiritus sacramentum in azymis synceritatis & ueritatis, pia doctrina gloriam patris & filij & spiritus maiestatem indiuiduam concinentes.

De festiuitate continua per dies 50, intra Pascha & Pentecosten, suprà aliquoties iam dictum est. Paulus Diaconus libro 11 narrat, Constantinum lege edixisse, duas Paschatis hebdomadas: unam scilicet ante, & alteram post resurrectionem, sine negotio cuiusq; operis celebrandas esse. In quam sententiam & Nazianzenus ait Orat. tertia in sanctũ lauacrũ: Nos Pascha in oratiõis domib. & ante cœnã, & post resurrectioné peragimus. Ex eiusdem etiam oratione in sanctum Pascha apparet, noctem eam ante diem resurrectionis, peruigilem totam fuisse Christianis, luminibus ubiq; & publicè & priuatim accensis. Quod & Prudentius de Europæis ecclesijs scripsit in καθημερ. hoc modo:

Nos festis trahimus per pia gaudia,
Noctem concilijs, uotaq; prospera,
Certatim uigili congerimus prece,
Extructaq; agimus liba sacrario,
Pendent nobilibus lumina funibus,
Quę suffixa micant per laquearia.

Et in Africanis quidem ecclesijs hoc ritu celebratum esse Pascha, ex Athanasij epistola ad Dracontium conijcitur, ut primùm concionesde resurrectione ad cœtus collectos habitæ sint, postea uerò ad epulas populus consederit, inspiciente & præcipiente episcopo ut religiosè & ritè epularentur. Epiphanius hos ritus commemorat lib. 3. tomo primo, hæresi 75. In diebus, inquit, Paschatis apud nos fiunt humidormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, uigiliæ ac ieiunia. Quorum rituum aliquot & Ambrosius meminit in sermone sexagesimo: In Paschate, inquit, ieiunauimus sabbato, uigilias celebrauimus, orationibus percunctanter institimus. Et in sermone sequenti de quinquagesima intra Pascha & Pentecosten festiua, sic ait: Scire debet uestra sanctitas, cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis iugis & continuata festiuitas, ita ut hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus: sed sicut Dominica solemus facere, erecti & feriati resurrectionem Domini celebramus. Et instar Dominicæ, tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies uelut Dominici deputantur, cum post resurrectionem tota Quinquagesima Christus cum hominibus commoratus sit. Et sic disposuit Dominus, ut sicut eius passione in Quadragesimæ ieiunijs contristaremur, ita eius resurrectione in Quinquagesimæ ferijs lætaremur. Idem Hilarius in prologo explanationis Psalmorum: Sabbata sabbatorum ea ab Apostolis religione celebrata sunt, ut his Quinquagesimæ diebus nullus neque in terra strato corpore adorat, neq; ieiunio festiuitatem huius beatitudinis impediat.

Retinuit & Pentecostes festiuitatem hoc seculũ, cuius in epist. ad solitariam uitam agentes, Athanasius meminit: & eadem solennitate celebratam, qua Pascha, Ambrosius indicat, sermone paulo antè citato. Venerabilem, inquit, Pentecostes diem non minore lætitia celebremus, quàm sanctum Pascha curauimus. Recitat & inter festa sui temporis, Pentecostes lætitiam, Hieronymus in enarratione capitis quarti ad Galatas, ac de eadem ibidem ait: Nos non septem, iuxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus sancti ueneramur aduentum.

Diei Natalis Christi, historia persequutionis Maximini meminit, qui in ipso Natalis Dominici die, Nicomediæ Christianos festiuitatem celebrantes, succenso templo concremauit: ut Nicephorus refert libro septimo, capite sexto. Basilius in sermone de humana Christi generatione, hoc festum Theophaniam uidetur appellasse. ait enim: Theophaniam nostrum hoc festum appellamus, in quo mundi salutarem concelebramus diem Domini natalem. Nazianzenus præter Theophaniam, etiam Genethlia nominat: oratione in Natalem Saluatoris. In argumento Epistolarum Theophili, libris Paschalibus præfixo, per Casianum Scytham, etiam Epiphaniorum appellationem accommodatam in Ægypto fuisse ad diem Natalis Domini ostenditur: quo nomine & diem baptismi Christi nuncuparunt, ac utramque festiuitatem una & eadem simul die solenni celebrarunt. Sic enim ibi dicitur: Intra Ægypti regionem mos iste antiqua traditione seruatur, ut peracta Epiphaniorum die,

quâ prouincię illius ſacerdotes, uel Dominici baptiſmi, uel ſecundũ carnem natiuitatis eſſe definiunt: & idcirco utriuſq; ſacramenti ſolennitatem nón bifariè, ut in occiduis quincijs, ſed ſub una die huius feſtiui tatem celebrant, &c.

Indicat autem inſcriptio orationis ſecundæ Nazianzeni in ſancta Epiphaniarum lumina, etiam Luminariũ diem, idem feſtum appellatum fuiſſe. Sicut ipſe, inquit, die luminarium, populus omnis in Eccleſiam conuenit. Poſtea feſtiuitatis ſolennitatem recenſet, ut ordinem pſalmodiæ, ceremonias, aras omni decore & reuerentia cultas, oblationes, &c.

De feſto Annunciationis Mariæ, primus hoc ſeculo Athanaſius quædam monuit in enarratione Euangelij, de ſancta Deipara, ubi de eo feſto ſic ait: Feſtum hoc unum eſt ex Dominicis feſtis, atque adeò primarium, ac prorſus ueneran dum: utpote quod pro ordine & digeſtione rerum earum quæ in Euangelio de Chriſto prædicantur, ſacroſan ctum habeatur, quippe in quo de filij Dei è cœlis deſcenſu agatur.

Martyrum porrò feſtiuitates in omnibus penè hoc ſeculo eccleſijs ſolennes fuiſſe uidentur quocunque tandem tempore cœperint. Sic Iuuentio & Maximiano pro certamine de ueritate, precioſa monumenta ec cleſia Antiochena ſtatuit, eorumque memoriam annuis feſtis recoluit: ut Theodoretus indicat libro tertio, capite decimoquinto. Ac de ijſdem feſtiuitatibus quædam etiam Baſilius monet in ſermone in martyrem Iulittam, ubi ſe feſtum diem eius martyris omni ſtudio celebrandum annunciaſſe indicat. Ac in Aſceticis, capite quadrageſimo, reprehendit quoſdam, qui in martyrum feſtiuitatib. negociationes exercebant. & propter quod inſtitutæ fuerint martyrum memoriæ, ſic ait: Non decet Chriſtianos ob aliam cauſam in martyrum memorijs, aut locis ui cinis comparere quàm ut precentur, & per recordationem ſanctorum, quàm illi ſcilicet pro pietate ad mortem uſque conſtantes fuerint, ad huiuſmodi zeli imitationem inciten tur. De Martyrum memorijs apud Euſebium legitur, libro quarto de uita Cõſtantini, ac de ijſdem in Nazianzeni orationibus mul ta habentur. In oratione in funere fratris Cæſarij, ſic inquit: Singulis annis nos, qui ſuperſtites ſumus, honores hos inſtaurabimus, ac defunctorum renouabimus memoriã. De Alexandrinis Sozomenus ſcribit lib. 2. cap. 17. quotannis ſcilicet eos diem memoriæ Petri, qui eorum fuerat epiſcopus, celebraſſe. De ijs & Ambroſius ait, in oratione de fide reſurrectionis: Nos quoque ipſi natales dies defunctorum obliuiſcimur, & eum quo obierint diem celebri ſolennitate renouamus. Et Hieronymus in enarratione cap. 4. epiſtolæ ad Galatas: Pro uarietate regionum diuerſa in honore martyrum tempora conſtituta ſunt.

Feſti apoſtolorum Petri & Pauli, Ambroſius meminit ſermone ſexto: ubi & conuiuia celebrata in eadem feſtiuitate à Chriſtianis, indicat. Meminit & Prudentius in hymnis περὶ στεφάνων.

Phœnices & laudatorum quoruncunque uirorum memorias annuas celebraſſe, Sozomenus teſtatur libro tertio, capite decimoquarto: Phœnices, inquit, uiros bonos anniuerſarijs ſolennibus diebus honorare conſueuerunt, ea occaſione: quòd Heſphias diſcipulus Hilarionis monachi, reliquias eius clanculum ſubreptas in Phœniciam intulerat, & in monaſterio ſuo ſepeliuerat.

Sed & encænia ſeu templorum conſecrationes & dedicationes, huic ſeculo feſtiuæ fuerunt. Sic enim Nazianzenus in oratione in nouũ Dominicum: Vt encænia, inquit, honorentur, uetuſta lex eſt. At de Alexandro Alexandrino epiſcopo Athanaſius ait, in Apologia ad Conſtantiũ, eum abſolutis templorum operib. encænia & dedicationes per conuentus, laudes & gratias Deo canentes celebraſſe. Conſtantinus etiam diem feſtum admodũ ſolennẽ ad celebrandam dedicationẽ templi indixit. Euſeb. lib. 4. de uita Conſtantini. idq; feſtum quotannis, octo diebus continuis, à cõuentib. Eccleſiaſticis, ad quos frequentiſsimè conuenere omniũ ferè ſub ſole nationum Chriſtiani, celebratum eſſe. Sozomenus narrat lib. 2. cap. 26. Meminit & Athanaſius Apologia ſecunda.

Videre eſt ex Nazianzeni oratione in Machabæos, etiam Machabæorum certo tempore, in aliquibus eccleſijs celebratam fuiſſe memoriam. ſic enim ibi inquit: Machabæorum præſens eſt feſtiuitas, qui licet minus honorantur à pleriſq;, quòd non Chriſti cet tarunt gratia: omnibus tamen ueneratione ſunt digni, quòd ob leges paternas fortiter egerint.

Præbuerunt occaſionem feſtiuitatibus nonnunquam & inſignes liberationes: quales Conſtantinus poſt uictorias de hoſtibus ſui regni ſeu Eccleſiæ ferè indixit, ut poſt deuictum Licinium & Craſſum: item poſt Synodum Nicænam, ſuperato hoſte Eccleſiæ, & inſtituta concordia. Quas feſtiuitates Euſebius dixit panegyricas, libro decimo, capite nono: & libro tertio de uita Conſtantini. Cuiuſmodi feſtiuitatis diem Alexandrini inſtituerunt ſub Iuliano, eamque memoriam dixere terræmotus, qui ex inundatione maris ſubinde recedentis & recurrentis ortus, urbem Alexandrinam concuſſe-

concusserat. de qua sic Sozomenus libro sexto capite secundo: Diem, inquit, illum, quo undarum dilapsus accidit, Alexandrini etiam annuum festum agunt, illumq; pluribus lychnis per uniuersam urbem incensis, ac Deo per supplicationes gratiarum actione oblata, admodum splendidè ac religiosè celebrant.

Videntur & Nataliũ memoriæ apud quosdam, sed priuatim solennes & festiuæ fuisse. Sic enim Ambrosius ad Felicem episcopum Comensem libro 1 Epistolarum, epistola 5. Natalem, inquit, tuum prosequamur nostris orationibus, & tu nostri in tuis uotis nõ obliuiscaris. Dierum item, quib. dignitates ingressi sunt. Sicut ad eundem idem: Celebrem, inquit, utriq; nostrũm annunciasti diem affore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotij.

De oblationibus in festis, ex Nazianzeno suprà retulimus. Ephrem distributionis ecclesiasticarum in martyrum festis meminit lib. de Pœnitentia, cap. 2. Cum sanctorũ, inquit, memorias celebramus, memores simus omnium debilium, uiduarum, pupillorum, peregrinorum & pauperum.

DE RITIBVS CIRca nuptias.

NVptias celebrari in Quadragesima, cõcilium Laodicenũ interdixit: quẽadmodum ostendit Canon 52, in tomo 1 Conciliorum. Concilium uerò quartum Carthaginense constituit, ut sponsus & sponsa, ad benedictionem sacerdotis à parentib. suis uel paranymphis in templum deducerẽtur: & benedictione accepta, per noctem sequentem proximam castitatem præstarent. Indicat hoc Canon 13, eius Concilij. Meminit & Ambrosius lib. 9. Epist. epistola 70, uelationis & benedictionis sponsarũ: Cum ipsum, inquit, coniugium uelamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat. Nam & nuptias ad altare initiari solitas, tumq; festitatem quandam consecutam, & præmia nuptijs collata, idẽ ostendit in Virginis institutione, cap. 17.

DE RITIBVS SEPVLTVRAE.

RItus & ceremoniæ funebres, hoc seculo superstitione crescẽte, tum ex Ethnicismo, tum Iudaismo cumulatæ sunt.

Quæ in ecclesijs Occidentalibus, in uestiendis & ungendis defunctorũ corporibus, fieri solita sint, Prudentius breuiter explicat in hymno in exequias defunctorum: Cando re, inquit, nitentia claro, prætendere linteamos est, aspersaq; myrrha, Sabeo corpus medicamine seruat.

Efferebantur autem sanctorum funera, manib. aliorum sanctorum in lectulis: quem admodum de Basilij funere G. Nazianzenus scribit. Ad quem modum Epiphanius libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesima prima refert, Georgium Alexandriæ certo numero excogitasse lecticas, quibus mortuorũ corpora efferrentur. Inter efferendum autem Psalmi luctu permixti canebantur: quẽadmodum in eadem oratione de funere Basilij Nazianzenus indicat. Et de funere Constantij in orat. infamatrice in Iulianum: Constantius, inquit, communibus omnium elatus est laudibus, ac pompis, ijsq; uenerandis, ac nostris nec non cantibus tota nocte resonantibus, ac luminib. accensis, quibus Christiani transitũ honorare pium censemus. panegyris q; post interitum dictus est, & corporis facta deportatio, cũ cõcomitatione. Qualia ferè & de Constantini funere Eusebius indicauit libro quarto de uita Constantini: Cadauer, inquit, in capsulam collocatum, & purpurato operculo obtectum, Constantinopolim deportatum, & in basilica sub altissimis gradibus depositum est, luminibus super candelabris aureis circumcirca accensis. Inde deductum in aliud templum, ubi conditum est: turba frequens omnis generis hominum secuta est, ac preces cum fletu pro anima Imperatoris fudit.

Solebant & cerei præferri funeri inter deducendum, sicut in epitaphio Paulæ matris Hieronymus indicat: Sacerdotes, inquit, lãpades cereosq; prętulerunt funeri. Quod & in epistola ad Eustochium, de obitu Paulæ sic commemorat: Translata est, inquit, episcoporum manibus, & ceruicem feretro subijcientibus, cum alij pontifices lampadas cereosq; præferrent, alij choros psallentiũ ducerent. Tota ad funus eius Palæstinarũ urbium turba cõuenit: Ebręo, Græco, Latino, Syroq; sermone Psalmi in ordine personabant, &c. Simile quiddã etiam de funere Fabiolę Romanę recitat idem, in epistola ad Oceanũ: Quę res ex ethnicismo in Ecclesiam inuecta est, ut patet ex eodem cõtra Vigilantium, & lib. 1. Eusebij de uita Constantini.

De cœmiterijs, quæ templis ipsis uidẽtur fuisse aut coniuncta, aut alioqui uicina, suprà in historijs persecutionum sæpe dictum est. In ijs sepulturas quorundam fuisse hæreditarias, ex Hieronymi uidere est epistola ad Marcellam. Est & de donatitijs sepulchris apud Nazianzenum, in fine orationis in funere fratris Cæsarij: Sepulchrum, inquit, à nobis Cæsarius donum habet, quod parentib. ac senectuti in tempore suo fuerat præparatum. Helenam uerò, Nicephorus narrat libro 8, capite 13. Hierosolymis agrum figuli parari ad sepulturam aduenarum & peregrinorum curauisse.

Orationes deinde de uita eorum qui è uiuis excesserant, antè quàm in sepulchrum

funus deponeretur, haberi solitas, uel ex Nazianzeno clarum est: ex quo & precatiunculam inter deponendum in terram defunctũ, recitatam fuisse conijcitur, cuius exemplum habetur in fine orationis in funere fratris Cęsarij. Habuit & Gregorius orationem super funere Meletij Antiocheni: quemadmodum Socrates ostendit lib. 5. cap. 9.

Post conditum & curatum funus dabantur elee mosynæ. Quam consuetudinem de Ecclesijs occidentalib. retulit Hieronymus ad Pammachium, ubi & hunc morẽ recitat: Cæteri, inquit, mariti super tumbas coniugum spargunt uiolas, floresq; purpureos, & dolorẽ pectoris his officijs consolantur. Expressit idẽ Prudẽtius in hymno in exequijs:

Nos tecta fouebimus ossa,
Violis & fronde sequenti:
Titulumq; & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Idem & de affixis sepulchris epitaphijs, in hymno de passione Hippolyti martyris:

Plurima, ait, *litterulis signata sepulchra loquuntur,*
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.

In ijsdem Ecclesijs celebris ob defuncti memoriam fuit dies Quadragesimus post obitum. Sic enim in oratione de exitu, uita & moribus Theodosij, Ambrosius ait: Eius principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc Quadragesimam celebramus: sicut sanctus Ioseph patri suo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit. Vbi & de ritus eius uarietate hæc addit: Alij tertium diem & trigesimum, alij septimum & quadragesimum, obseruare consueuerunt. Et in oratione de fide resurrectionis: Nunc die, inquit, septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est. Videtur ibidem, etiam orationes & exhortationes eo die haberi consueuisse.

Descriptio ritus funebris, ex Dionysij hierarchia Ecclesiastica.

Propinqui eius qui mortuus est, pro iure diuinæ propinquitatis, ac morum similitudine, & eum qualis est prædicant beatum, quòd ad uictoriæ finem peroptatò peruenerit: & uictoriæ autori gratias cum cantu agũt, & præterea sibi similem requiem optant. Sumptum eum ad antistitem portant, quasi ad sanctarum coronarum donationem. Ille autem eum libenter accipit, eaq; perficit omnia, quæ ex sancto instituto fiunt in ijs qui sanctè dormierunt.

Conuocato sacro deinde choro, diuinus antistes, si is qui excesserit è uita, erat ordinis sacerdotum, cùm ante sanctum altare eum posuit, Deum precari incipit, eique agere gratias. Sin autem sacris monachis, sancto ue populo annumeratus erat, cum ad uenerationem dignum sacrarium ante sacerdotum introitum collocat: deinde perficit sacrum solenne precationis, qua agit Deo gratias Põtifex: deinceps ministri, promissis uocibus, quæ feruntur in scriptis diuinis, de sancta nostra resurrectione, recitatis, sanctè canunt cantus Psalmorum, qui eiusdem rationis sunt, atq; idem ualent. Tum ministrorũ primus catechumenos dimittit, sanctosq; qui iam dormierunt prædicat, cum quibus pari laudatione dignũ iudicat eum qui paulo antè excesserit è uita: hortaturq; omnes, ut beatum in Christo finem petant. Tum accedens diuinus antistes, ei sanctissimas preces adhibet. Quib. ritè perfectis, & ipse eum qui à uita migrauit, salutat, & secundum eum omnes unà qui adsunt. Cum eum omnes consalutarunt, tum antistes oleo mortuum perfundit: sanctaq; precatione pro omnib. adhibita, in loco honorato corpus cum alijs eiusdem ordinis sanctis corporibus reponit & condit.

Est pòst aliquanto: Accedens diuinus antistes precibus quidem à diuina benignitate contendit, ut & omnia peccata, quæ humana fragilitate, imbecillitate que admissa sunt, ei qui excesserit è uita remittat, & eum in lucem ac regionem uiuorum, in sinus Abrahæ, Isaac, & Iacob deducat: in locum à quo fugit dolor, tristitia & gemitus.

Sed hæc extra scripturam fiunt & geruntur.

DE TRANSLATIONIBVS *& reliquijs Sanctorum.*

IN seculis superiorib. de translatione reliquiarum Sanctorum, & ueneratione eorundem, nihil apud probatos autores reperimus. At hoc seculo ea res, tum ex nimia sanctorũ prędicatiõe, tum ex Nazianzenijs de sanctorum intercessione, tum ex Ethnica superstitione, primùm cœpit, & mirum in modum mendacibus prodigijs & signis confirmata magis magisq; creuit.

Ritus propemodum similes illis qui in funeribus defunctorũ obseruati sunt, in translationibus etiam, seu leuationibus corporũ sanctorum, hæc ætas habuit. Cum enim sacerdotes Apollinis Iuliano Antiochiæ iuxta fontem Castalium litanti dixissent, sepulchrum Babylæ martyris, quod in uicinia erat, in causa esse, quòd Apollo non daret responsa: mandauit, ut Galilæi (sic appellans Christianos) uenirent, & sepulchrum Babylæ auferrent. Igitur uniuersa Ecclesia conueniens, matres & uiri, uirgines iuuenes que, immensa exultatione succincti trahebant longo agmine arcam martyris, psallentes summis clamorib. & cum exultatione dicẽtes: Cõfundantur omnes qui adorãt sculptilia,

sculptilia, & qui confidunt in simulachris suis. Ruffinus libro primo, capite trigesimoquinto: & Socrates li.3.cap. decimooctauo. Meletij uerò Antiocheni episcopi, qui sub Theodosio obijt, reliquiæ è Constantinopoli Antiochiam translatæ, & iuxta thecam Babylæ martyris repositæ sunt. Aiunt & Imperatoris iussu, per totam uiam publicam intra muros in ipsas ciuitates assumptas eas: et per uices & psalmodias in singulis locis, cũ honore, donec Antiochiã perferrentur, fuisse exceptas. Sozom.lib.7.cap.10. Quin & horum reliquijs sanctorum, ab Ethnicis aut dispersis, aut quocunque modo neglectis & inuentis, suum habuerũt: ut exempla huius temporis testantur. Narrat Sozom.libro 5. cap.9. Mulierem quandam Gazensem collegisse reliquias ossium Martyrum eorũ, quos Gazensis populus, propterea quòd templa eorũ idololatrica labefactassent, interfecerãt: Eusebij scilicet, Nestabi et Zenonis fratrum: & in ollam reconditas, Zenoni consobrino eorum tradidisse. quas abditas ille domi adseruarit, oratorioq; ædificato, eò reposuerit. In persecutione uerò Persica sub Sapore rege & Magis, Acepsimas episcopus fortiter in cõfessione perdurans, mortuus est: cuius reliquias nonnulli ex Armenia, ex illis qui Persis sunt uicini, clanculum sublata sepelierũt. Narrat Sozomen.lib.2.cap.13. De reliquijs Hilarionis monachi clam subreptis, & in Palæstina reconditis per Hesychium, Hilarionis discipulum, suprà diximus ex Sozom. libro tertio, capite decimoquarto.

Ritum denique in leuandis et transferendis Martyrum inuentis corporibus, eum obseruatum in occidentalibus ecclesijs, Ambrosius indicauit epistola octuagesimaquinta ad sororem, ad hunc modum: Primùm inuentæ seu studio seu casu sancti alicuius reliquiæ, populo monstrabantur, & cuius essent Martyris significabatur. Deinde ordine componebantur, & transferebantur ad aliquod templum, ubi uigiliæ sequebantur tota nocte, habebatur cõcio de uita istius Martyris: fiebant & miracula, si Ambrosio credimus. Aegri enim qui uestes saltem sanctorum manu contigissent, sanabantur, obsessi liberabantur, &c. Non omnibus pijs doctoribus illas sanctorum uenerationes placuisse, apparet ex contentione Vigilantij cum Hieronymo, quam suprà in loco de Schismatibus retulimus. Vigilantius enim, apertè ex Ethnicismo in Ecclesiam, eam inuectam esse, affirmat.

DE PEREGRINATIONIBVS *ad loca sacra.*

CAeperunt hoc seculo primùm sub Cõstantino loca terræ sanctæ ab ethnicis idololatrijs expurgari, et excoli, et in precio haberi, propter memoriã rerum ibi gestarũ. Nam Constantinus Magnus in locum sepulchri Christi, fœdatum idolo Veneris, oratorium constitui præcepit. Et Helena mater Imperatoris, mulier superstitiosa, illuc profecta adorãdi causa, reperta Domini cruce, duo templa ædificari curauit: unum prope Dominicæ natiuitatis antrum, alterum in monte unde Dominus in cœlos assumptus est. Eusebius lib.3. de uita Constantini. & Ruffin. lib.1. cap.7. Et curauit postea Constantinus in loco Cranij templum extrui: idq; publica solennitate accersita Synodo patrum, apud Tyrum congregata. Euseb.lib.4. de uita Cõstantini. Quæ res in anniuersariam solennitatem abijt, confluentibus eò ex omnibus terræ partibus Christianis. Sozom.lib.2.cap.26. et paulatim in errorem multitudinem deduxit, ut non in postrema pietatis laude ponerent, terram sanctam & loca sacra inuisisse: ut patet ex Gregorij Nysseni epistola, in qua eam opinionem & superstitionem eleganter refutat, quam in eius uita ad uerbum adscripsimus.

DE DISCIPLINA ET MORIBVS *Christianorum.*

HAbuit hæc ætas multarũ Christianarum uirtutum pulcherrima exempla, nisi quòd suo tempore ex ijs nonnullas languescere cœpisse Hieronymus queritur ad Nepotianum. Primùm pietatis & confessionis suę studiosissimi fuerunt, et ab omnibus quæ cõtraria illi & inimica uiderẽtur, quàm maximè cauentes, hoc studio ab omnium Ethnicorum & impiorum cõsuetudine abstinuerunt. Ideo enim Apolinarij excommunicati legũtur, quòd Epiphanij impij sophistæ contubernium relinquere noluerunt. Sozomenus libro sexto, capite uigesimoquinto. Est & canon inter decreta concilij tertij Carthaginensis, omnibus Christianis, præsertim autem clericorum filijs interdictum esse, ne ad spectacula Ethnicorum accederent. Quòd & Iulianus imitatione Christianorum disciplinæ præcepit, ne scilicet aut theatra accederent, aut in tabernis biberent. Sozomenus libro quinto, capite decimosexto. Eodem modo nec cum hęreticis commune quicquam habere uoluerunt. Quemadmodum Mosen Saracenorũ episcopum, manum episcopi Antiocheni in ordinatione ferre noluisse, suprà retulimus. Samosateni uerò lauare cum Eunomio noluerunt, sed post discessum eius è balneo, aquas sibi parari recentes curarunt, rati abominatione hæretica etiã aquas cõtactas esse. Sic & Edesseni cõmunicare Ariano episcopo, in Barsæ orthodoxi locum introducto, noluerunt, sed extra urbẽ conuentus

habuerunt: ut est apud Theodoretum libro quarto, capite decimoquinto & decimosexto. Sed nec fratri quidem, quòd impius esset, & Arianus, suppetias contra Gotthos ferre uoluit Imperator Valentinianus: sicut idē indicat libro eodem, cap. trigesimoprimo.

Inuocationis deinde, & precationū in suo quisq; officio studiosissimi fuerūt. Sicut Cōstantinum in aula sua ministros supplicātes pro Imperio eius aluisse, Eusebius prodidit lib. 1. de uita Constantini. Eundem & ad bellum nunquam progressum, nisi cum omni exercitu, Dei auxilio inuocato, scripsit lib. 9 historiæ Ecclesiasticæ cap. 9. Quod & Theodosium fecisse, suprà retulimus ex Sozomeni libro secundo, cap. uigesimoquarto. Orarunt manè, et psalmos & hymnos cecinerūt, quin & de nocte ad preces surrexerunt: ut ex Ambrosio clarum est libro de ieiunio, capite decimoquinto: & libro secundo de Abrahā, capite quinto. Et quæ de uespertinis precibus Christianorum Basilius scripserit in libro de spiritu sancto, suprà diximus. Orarūt & ad mensam ante & post cibos: sicut testatur Hieronymus ad Eustochium. Ad mensam Imperatoris Theodosij adolescentes canere solitos esse, apparet ex Sozom. libro 7. capite 23. Nam Flauianus illis persuasit ut ad mensam Imperatoris psalmodias canerent, quę in supplicationibus Antiochenorum usurparentur. Ad omnē item incessum, crucis signo frontem cōsignarunt, sicut ibidem Hieronymus ostendit, & ad Demetriadem scribens fieri præcipit: Claudas, inquit, cubi culū pectoris, & crebrò signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Aegypti in te locum reperiat. Quin & dormientes idem obseruasse, Prudentius innuere uidetur in hymno ante somnum:

Fac, inquit, cum uocante somno,
Castum petis cubile,
Frontem, locumq; cordis,
Crucis figura signet.

Testatur Ruffinus libro secundo cap. decimonono, Alexandrinos, pro thoracibus Serapis, quos per singulas quasq; domos in parietibus, in ingressibus, in postibus etiam ac fenestris habebant gentiles, iam Christianos factos abrasisse, & pro ijs crucis Dominicæ signum in ijsdem locis appinxisse. Is uerò ritus, etiam hoc seculo nouus uidetur, et paulatim in superstitionem degenerauit, ut existimarint simpliciores magnā uim in signatione huiusmodi sitam esse. Studium denique & perseuerantiā orandi, ac uigilias apud Christianos suo tempore langueiscere, Hieron. queritur ad Nepotianum. Magicas etiam quascunq; deceptiones damnarunt. Sicut Basilius eos qui malo aliquo laborantes ad incantatores confugiebāt, obiurgauit in explicatione Psal. quadragesimiquinti: Paruus, inquit, filius incidit in morbū: tu mox incantatorem requiris, uel superuacaneos uarios q; characteres, uel figuras aut literas puerorum innocentium collo suspendis, &c.

Congressuum publicorū ad preces & cōciones, quàm amantes & studiosi fuerint, dictum à nobis alibi est. Adeò ut & templis aut urbibus prohibiti, sub cœlo, nec aeris iniquitate nec tempestatibus uicti, conuentus egerint: sicut & paulo antè de Edessenis ex Theodoreto retulimus. Conciones uerò audiri summa attentione & modestia uoluerunt: quemadmodum de Constantino ipso suprà diximus, qui nunquā sedens, sed stans sacras conciones reuerenter audiebat. Eos uerò Basilius in Psalmo decimooctauo reprehendit, qui non attentè audierunt oracula Dei: neq; tristes, cum metu iudicij Dei, & cōscientia ac memoria peccatorū suorum, sed ridentes in templum ueniunt, dextris interse iunctis, ac locum prolixi profaniq; colloquij domum Dei faciunt.

Ecclesiarum etiam ministros ueneratione & reuerentia coluerunt. Quod uel Constantini rursus historia indicat, qui nullos unquam homines maiori honore & pietate cōplexus est, quàm sacerdotes Dei: ut Euseb. refertur lib. 4. de uita eiusdem. Ac notum est, quam reuerentiam & obseruantiam episcopis habuerit in synodo Nicæna: ubi nec considere prius, quàm episcopi annuissent, uoluit. Socrat. lib. 1. cap. 8. Quid, quòd eum & hoc dicere solitum Theodoretus refert lib. 1. cap. 11. Si conspexisset oculis suis episcopum aliquem, alienum thorum cōmaculantem, obtecturū se purpura seu paludamento suo, sceleratum eiusmodi facinus, ne qui eo fortè offenderentur. Extat & Valentiniani, Valentis & Gratiani ad ecclesias Asianas epistola, qua sacerdotibus Dei & molestias & persecutiones intentari, reuerenter uetāt: apud Theodoretum libro quarto, capite octauo. Nostra, inquiunt, potentia ubiq; edixit, ne quis persequatur, ne ue exagitet, aut irriteret operatores in agro Christi, &c. Episcopos etiam suos ob ueritatis confessionem in exilia pulsos consolati sunt literis suis. quod ecclesiam Alexandrinam erga Athanasium fecisse, Iulius cōmendat in epistola suā quę extat apud Nicephorum libro nono, capite 22.

Magistratibus honorem & reuerentiā debitam exhibuerunt. Suprà diximus, quòd & ordinationibus sacerdotum autoritatem Imperatorū intercedere episcopi uoluerunt. Et congregati episcopi Constantinopoli sub Gratiano, Imperatorem salutaturi, capitibus detectis, religiosè admodum palatium ingrediuntur, & piè suauiterq; salutant. Sozom. libro septimo, capite sexto.

Amicitiæ, concordię, & ſocietatis ſtudioſi fuerunt: quarum rerum ſymbolum fuit dextræ, ſi quis alteri obuius fuiſſet, porrectio: ut Ambroſius indicat in enarratione capitis ſecundi, epiſtolæ ad Galatas. Maximè autem ſimultates pernicioſas Eccleſię cauerũt. Narrat exemplum Sozomenus libro ſexto, cap. decimoquinto. Cum propter diſsidium quoddam, offenſa eſſet inter Euſebium epiſcopum Cæſarienſem, & Baſilium, eiusque diſsidij occaſione Valẽs Imperator eccleſias per Cappadociam Arianis tradi poſſe ſperaſſet: Baſilius ex Ponto, quò propter offenſam conceſſerat, ultrò redijt, quamprimum Imperatorem cum Arianorum grege in Cappadociam uenire comperiſſet, & cum Euſebio in gratiam redijt. Quàm uerò omnino nec iuſtæ uindictæ cupidi fuerint, Euſebij Samoſatenſis exemplum teſtatur. Is enim orthodoxus, cum ab Ariana muliere iactu tegulæ letaliter læſus eſſet, moriturus amicos iurãdo obſtrinxit, ne quam à fœmina ea pœnam exigerent. Theodoretus lib. 5. cap. 4.

Quis autem pietatem, ſtudium, & officia eorum in pauperes, adflictos, ægros, imò & mortuos, explicet? Teſtis Euſebius eſt lib. 9. cap. 8. quanta fuerint eorũ ſub perſecutione Diocletiani & Maximini, in miſeros omnes humanitatis ſtudia, & ſedulitas: cum alij curandis & ſepeliendis mortuis, à ſuis negletis, diligentiſsimè uacarent, alij multitudini per totas ciuitates fame periclitãti panes & uictum diſtribuerent. Nec ignotum eſt, quòd de Spiridione Thrymythuntis epiſcopo Sozom. refert lib. 1. cap. 11. quem pro more pietatis & beneficentiæ habuiſſe ait, ut de fructib. qui ipſi prouenirent, gratis partim alijs diſtribueret, partim ſine fœnore mutuo daret. Pauperum autem quantam curam egerint, indicant multæ duriſsimæ diuitum auarorum reprehenſiones, quæ extant in tribus orationibus Baſilij contra diuites auaros. Et ex oratione Nazianzeni in funere patris, apparet, Chriſtianos propter dignos indignis etiam, quæ ad uictum pertinerent, liberaliter diſtribuiſſe. Quin & in orat. de paupertate fouenda, omnibus dandum cenſet, ob quamcunq; etiam cauſam affligãtur. Ac in oratione de Baſilij laudibus affirmat, Baſilium ipſum famis tempore omnis generis cibos collegiſſe, menſam pauperibus inſtruxiſſe, illisq; ueſcentib. miniſtraſſe. Narrat & Sozom. lib. 3. cap. 16. Edeſſæ famis tempore, opulentos ab Ephrem duriter obiurgãtos fuiſſe, quòd egentibus non ſubuenirẽt.

Extant & hoſpitalitatis in hoc ſeculo aliquot illuſtria exempla, quorũ hoc de Melane Rhinocururæ epiſcopo Sozomenus recitat lib. 6. cap. 31. Quòd aduenas ex itinere fatigatos, ad ſe uenientes, ſumma beneuolentia confeſtim in diuerſorium epiſcopale deduxerit, menſamq; illis parauerit. Prædicat eiuſmodi humanitatẽ & officiũ uxoris Theodoſij Theod. lib. 5. cap. 18. Quòd nimirũ diligentiſsima cura complexa ſit tum mutilos, tum quacunq; ratione debiles & ægros, ad diuerſoria illorum acceſſerit, ac pro neceſsitate, quibuſcunque quis eorum rebus opus habuerit, ſuppeditarit. Eodemq; modo Eccleſiæ etiam xenodochia uiſerit, medicinas adhibens decumbentibus: & ſedulò cauens, ut ex uaſis mundis, quæ & ipſa interdũ manibus ſuis eluere conſueuerit, uictus illis exhiberetur. Apparet & ex Athanaſij ad uit. ſolit. agentes epiſtola, ſolenne fuiſſe Chriſtianis in Africa, lauare pedes peregrè uenientium. Significat enim ibi, exercitũ, qui cum Sebaſtiano duce Alexandriã turbauit, honeſtum quendã uirum, Hermiã nomine, inter lauandũ peregrinorũ pedes arripuiſſe, & in carcerẽ conieciſſe. Narratur & de Spyridione, quòd peregrinantem laſſum, de itinere domũ deduxerit: filiæq; continuò mandarit, ut pedes ei ablueret, & cibũ adponeret. Sozom. lib. 1. ca. 11. Quæritur aũt, eas ferè uirtutes, ut eleemoſynas & laborẽ quidẽ manuũ, unde eleemoſynę cõferri poſsint, peregrinorum ſuſceptionẽ, pauperũ defenſionẽ, & uiſitationẽ languentiũ, ſuo tempore decreſcere, Hieronymus ad Nepotianũ. Attamẽ Chriſtianarũ mulierum officia eſſe, eſurientes cibo alere, nudos ueſtire, uiſitare infirmos, peregrinos tecto ſuſcipere, & Chriſto in pauperib. fœnerari, indicat in epiſt. ad Demetriadẽ.

Pudicitiæ porrò adeò fuerunt ſtudioſæ Chriſtianę mulieres, ut bona potius omnia, uitam etiam ipſam amittere, quàm pudicitię maculam ullam admittere maluerint. Teſtantur exempla uiduæ Antiochenæ, cum duabus filiabus: quæ, ne in militum inſidiatorũ pudicitiæ muliebri manus inciderent, in præterlabentẽ ſeſe fluuium coniecerunt: apud Euſebium libro octauo, capite duodecimo. Et libro eodem, capite decimoquinto, duarum mulierum: Alexandrinę, quę exilium potius & ſpoliationem omnium facultatum, quàm Maximini tyranni laſciuiam pertulit: & Romanæ, quæ ferro proprio corpori intentato, eiuſdẽ libidinẽ euaſit. Indicare uidetur & Baſilius in oratione de uera uirginitate Chriſtianorũ, uirginibus ꝑdire in publicũ, priuſquã deſpõſæ maritis eſſent, nõ licuiſſe. Quin & ob eã cauſam, cuſtodiẽdę ſcilicet pudicitię gratia, inſtrumenta muſica imꝑbaſſe uidetur Ambroſi⁹ in li. de Ieiunio.

Vſuras etiam & auaritiam exercere, pro illicito & impio habuerũt. Hinc enim Sophronius Pompeiopolitanus ab Acacianis excõmunicabatur, quòd ex Eccleſię pecunia quęſtũ feciſſet, eamq; defraudaſſet. Et maximã à

Chri-

Christianis iudicatã fuisse inhumanitatem, si quis ex eo quod indigẽti mutuò dedisset, lucri aliquid feciſſet, Basilius indicat in expositione Psalmi decimiquarti.

Seruos ab heris suis abalienare, peccatum iudicabatur, & quidem excommunicatione dignum. Testatur id exemplum Eustathij, qui à synodo Gangrensi, ideo quòd dominis seruos abstulisset, depositus est. Socrat. libro secundo, capite quadragesimotertio.

Apparet & militiã exercuisse Christianos in curijs Imperatorũ, & prouincijs prę fuisse. His enim dignitatibus spoliati sunt milites Christiani à Diocletiano: Euseb. lib. 8. cap. 3. & 4. Constantinus uerò eas publico edicto reddidit, apud Eusebiũ li. 2. de uita Constantini. & Iulianus ijsdem eos iterum spoliari edicto præcepit: Socrates libro tertio, capite decimotertio: & Sozomenus libro primo, capite octauo, Christiani omnibus ferè Romanis magistratibus fungebantur.

Alij honestis artificijs operam dederunt: sicut de Cyzicenis Christianis legitur, qui lanificia & operationes in numismatis cudendis exercuerunt magno numero: & singulis annis eorum alij chlamydes militares, alij numismata recentia in publicum ærariũ dependerunt. Sozomenus lib. 5. cap. 18.

Fuisse & in more concœnationes in templis, quas ἀγάπας Christiani dixerunt, ex canonibus concilij Laodiceni (si quid illis tribuendum est) conijcitur: ubi ἀγάπαι prohibentur, canone uigesimooctauo.

Deniq; et hilariores interdum habuerunt comessationes, in quibus alij alijs propinantes, Christi nomen ad pocula inuocarunt. Refert Sozom. lib. quinto, cap. decimoseptimo.

Postremò libet Epiphanij narrationem de uera fidei formula, libro tertio, tomo secundo, summã quandam de moribus Christianorum adscribere. De hospitalitate & beniguitate erga homines, eleemosynaq; in omnes, huius sanctæ catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fructus omnibus prædicatus est. At uerò lauacrum habet pro inueterata circumcisione in Christo. Quiescit in magno sabbato. Abstinet à societate omnium hæreseon. Reprobat omnes scortationes & adulteria, petulantiam, idololatriam, cædem, omnem iniquitatem, magiam, ueneficium, astronomiam, uaticinationes, nemorum obseruationes, incantationes, amuleta, quæ appenduntur aut alligantur, & phylacteria quoq; appellantur. Prohibet theatra, ludos equestres, uenationes, musicos, omnem maledicentiam, detractionẽ, omnem pugnam, blasphemiam, iniusticiã, auariciam & usuram. Negociatores non recipit, sed inferiores omnibus ducit. Oblationes accipit à non iniustis, neq; iniquè agentibus, sed à iustè uiuentibus: preces assiduè imperat noctu & interdiu ad Deum effundere. Seruatur ac cauetur, ut ne quis omnino iuret, neq; conuicietur, neq; deteſtetur, ex præcepto ipsius Saluatoris: & ut neq; quis mentiatur, quantum eius fieri potest. Pleriq; uerò uendunt bona sua, & dant pauperibus. Hic est character & forma huius sanctę Ecclesiæ catholicæ, &c.

DE MONACHATV.

COepit hoc seculo primùm Monastice, in Aegypto, ubi claruerunt in eo genere Antonius, Macarius de superiori eremo, alius Macarius de inferiori, Isidorus in Scyti, Pambus in Cellulis, Moyses & Beniamin in Nitria, Scyrion & Helias & Paulus in Apeliote, alius Paulus in Focis, Pœmẽ & Ioseph in Pispiri, qui appellabatur mons Antonij, Ruffinus lib. 2. cap. 8. Etiam in Palestinam, Armeniam & Paphlagoniam id hominum genus propagatum esse, testatur Sozom. lib. 3. cap. 14. & in omnes terras totis examinibus, ut Hieronymus ait, propagata est. Nam in Mesopotamia, & apud Edessam, & in Catarũ partibus, & in Cappadocia, & alibi passim etiam id genus hominum degisse, Ruffinus narrat lib. 2. ca. 8 & 9. Et sanè mirum est, cum hoc seculũ habuerit tam prę stantes Doctores, quòd ij eiusmodi genera uitæ, quæ à Deo non sunt instituta, non modò approbarint, sed etiã ipsi instituerint, & ex traditionibus humanis cultus fecerint. Videntur autem duo omnino fuisse Monachorum genera: aliud scilicet eorũ qui in solitudinibus latitarunt, aliud eorum qui in ipsis ciuitatibus contubernia separata habuerũt: de quibus Sozomenus hoc modo lib. 3. cap. 16. Alij, inquit, in turba ciuitatum conuersabantur, sic seipsos gerentes, ut nullius momenti uiderentur, & à multis nihil differrent. Cum aũt uirtutem exercerent, uerã de se ipsis existimationẽ abscondebant, ne ab alijs laudarentur. Quod & de monachis apud Cappadocas & Galatas, illisq; uicinos, per ciuitates & uicos habitantibus, idem tradidit libeodem, cap. 33. Et Epiphanius in compendiaria doctrina de fide Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ: Quidam, inquit, ex solicariam uitam degentibus, habitant in ciuitatibus. Sic contubernia monachorũ Constantinopoli Marathonium instituisse, Socrat. tradidit lib. 4. cap. 27. Qualia & in cæteris occidẽtalibus locis fuisse, ex Ambrosij Epist. lib. 10. epistola octuagesimasecunda uidere est.

Rationem uerò uitæ monasticæ, obseruationem & cultum, prolixè Basilius (quem cum Gregorio in Ponti urbibus monasteria instituisse, Ruffinus dixit lib. 2. cap. 9.) tradidit in Asceticis: ex quibus appareat, Monasticen professuros, facultates suas prius distribuisse, q̃ in monasteriũ ingressi fuerint. Oportere

portet, inquit, monachum ante omnia id uitæ genus amplecti, ut nihil possideat, corpus habeat quietum, & habitum honestum, uocem moderatã, & sermonem bene dispositum, cibum ac potum sumere tranquillè ac cum silentio, apud seniores tacere, &c. Quorum similia multa in sermone Ascetico odio sa prolixitate coaceruat.

Recitat & multa monachorum exercitia & proprietates Nazianzenus, in oratione de reconciliatione monachorum: ut uigilias, ieiunia, orationes, lachrymas, genarum callos, pectoris percussionẽ, suspiria ex profundo cordis emissa, stationẽ nocturnã, mentis ad Deum eleuationẽ, tenerũ luctũ & indeficientem, remediũ compunctionis, cantus, glorificationes, meditationẽ legis Domini die ac nocte, exultationes Dei in gutture, squallidã comam & horridam, pedes nudos Apostolicos imitantes, nihil mortuũ ferentes, cæsariem commensuratam, uestem arrogantiam plectentem, zonam, ornatum inornatũ, incessum constantem, oculum nequaquã uagum, uisum manſuetum, sermonem prolatum, silentium sermone uenerabilius, &c.

Ephrem lib. 2. de cõpunctione cordis, cap. 3. Gloriatio, inquit, monachi est, patientia in tribulationibus suis, longanimitas cum charitate, cum nullas res præsentis uitæ possidere desiderat. Gloriatio monachi, humilitas & simplicitas cordis, uigiliæ & fletus in orationib. suis, manſuetudo cordis & silentiũ, quando Deum toto corde dilexerit, & proximum tanquam seipsum: abstinentia escarum, & à multiloquio linguæ.

Est & operibus Athanasij annexa exhortatio ad monachos, quæ satis prolixã formulã uitæ monachorũ proponit hoc modo: Primùm abstinentiæ cura, ieiunij, patientiæ, orandi assiduitas & legendi: uel si quis adhuc literarũ expers sit, audiẽdi sit desideriũ, cum cupiditate discendi. Hæc enim sunt prima, quasi lactentiũ cunabulorũ in Dei agnitione crepundia. Et: Hos ad præmiũ gloriæ illo labore nitentes, bonũ est nõ manducare carnẽ, neq; bibere uinũ. Et: Ieiuniorũ quoq; nõ sit uolentib. certa mensura, sed in quantũ possibilitas ualet, nisu laborãtis extensa, quæ præter Dominicã semper sint solennia, si uotiua sunt. Orationibus uerò ita frequenter instandum est, ut uix eas aliquod tempus interpolet. Sine legẽdi studio nemo ad Deũ ualebit esse intentus. Illud aũt extra cõmonitionem puto, ut sit uictus facilis, uestitusq; uilis: cũ hæc tegendi corporis gratia reperta sint, nõ ornandi: & illa sustinendæ animæ potius, q̃ obruendæ. His ergo quę suprà ostendimus, actibus mancipatus, omne odiũ deponat inimici. Nec hoc tantũ fine cõtentus, simultates amore cõmutet, iram patientię temperet freno, auaritiã abstinentię forti uincat ferro, & præcipuè linguam custodia taciturnitatis oblepiat, ne in litigiũ cõtrouersia ferueat, ne in maledictũ procurrat, ne in obtrectationẽ maledica serpat, ne in iurationẽ facilis prolabatur, ne in mendaciũ ficta simulet, ne in circumuentione astuta calleat, ne in elationem superba iactetur: sed obseruans tempus tacendi, & tempus loquẽdi, omne uerbũ ociosum obnoxiũ sciat esse rationi. Et: Sit igitur qui huiusmodi uitã scandit, tacitus, mitis, benignus: & quia charitatis habetur insolubilis affectus, in studio parili semper aliũ iudicans potiorẽ. Necessarius è domo & rarus egressus, quem aut religionis ratio exegerit, aut ad substantiã uictus causa exercendi operis ordinarit. Nec quidẽ præbendæ eleemosynæ gratia, ultra supradictos uictus ab ullo quopiam præsumatis. Et: Ne quis fortè aut connexus sit coniuge, aut liberis impeditus, & cætera. Tametsi in epistola ad Dracontiũ monacherum meminerit, quos liberos generasse dixit.

Ambrosij epist. 82. lib. 10 Epistolarũ, rectè monet, monasteria fuisse officinas uirtutũ, abstinẽtiæ, ieiunij, patientię, laborũ. Ex quibus cõducti episcopi pluribus uirtutibus, ad quas in monasterijs fuissent assuefacti & durati, sicut ipse loquitur, præstiterint. Ibidẽ & de monachis iunioribus ad hunc modũ: Recepti, inquit, intra monasteriũ ieiunabãt, intra monasteriũ continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibriosa disputationis licentia. Et: Qui in illam se laudem induerunt, hymnis dies ac noctes personãt. Hæc nempe angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris atq; exorare Dominum student. Lectione uel operibus continuis mentem occupant: separati à cœtu mulierum, sibi ipsi uitæ præbent custodiam.

Ex Dionysij Hierarchia, de consecratione Monachi.

Sacerdos stat ante diuinũ altare, precationem, quę monachos attingit, recitãs & pronuncians. is autem qui consecratur, & initiatur, stat post sacerdotem, nec utrunq; genu flectit, nec alterũ, nec caput habet suppositum diuinis libris: sed tantum præsto est sacerdoti, qui mysticam precationem in ipso recitat. Sacerdos uerò ea perfecta, cum ad eũ qui initiatur, uenit, illum rogat primùm, num remittat nuncium, nõ solum diuiduis distinctis´ue uitis, uerùm etiã uisionib⁹: deinde perfectissimã ei uitam exponit, hoc pro testimonio dicens, eum mediã uitã superare ac transilire oportere. Quæ ubi omnia is qui initiatur continenter professus est se esse facturum, sacerdos signo crucis eum consignatum tondet, appellans tres personas diuinæ beati-

beatitudinis: omniq; ueste detracta, eum alia induit, & cũ alijs sanctis uiris qui adsunt, cum eum salutauit, participem facit diuinorum mysteriorum. Hæc superstitiosa non sunt consentanea sacris literis, nec obseruationi purioris Ecclesiæ.

De monasterijs Virginum.

Fuisse ante Constantinũ etiam uirgines, seu mulieres continentes, & castitatem perpetuã professas, ex lib. 4. Eusebij de uita Constantini apparet: ubi magnopere approbasse disciplinã eiusmodi Imperatorem Constantinum affirmat, adeò ut & frequẽter earum cõtubernium adierit. Helenam uerò etiam, Constantini matrem, Hierosolymis uirgines deo sacras reperisse, Socrates testatur libro 1. cap. 17. Quarum professionem usq; adeò probarit, ut ministram sese illis præbuerit: quod sic Theodoretus retulit lib. 1. ca. 18. Congregatis, inquit, uirginalis uitæ cultricibus plurimis, sedilibus præparatis, Helena discumbere illas iussit: & ipsa ut famula circumiens ministrauit, cibum apponens, et pocula porrigens, & uinũ infundens: & pelui allata, de uase manuali effudit aquam manibus illarum.

Basiliũ in Ponti urbibus monasteria construere, & uirgines castitatem uouere instituisse, Ruffinus narrat libro secundo, capite nono. Ac notum est, quod de cœtu uirginum castitatem professarum, qui Iulianum cantionibus irritauit, Theodoretus retulit libro tertio, capite decimonono.

Testatur & Arij historia, apud Epiphanium libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimanona, Alexandriæ monasteria fuisse mulierum, castitatem profitentium: quarum septingentas Arius ueneno suo infecit, quæq; unà cum illo Alexandria expulsæ sunt. Meminit & Ambrosius Mauritanarum puellarum, quas Mediolani ipse uelauit. sic enim libro primo de uirginibus, ad Marcellinam: Ex ultimis infrà ultraq; Mauritaniæ partibus deductę uirgines, hic sacrari gestiunt. Et Optatus Mileuitanus, à Donatistis castimoniales mulieres in Mauritania stupratas, indicat libro secundo aduersus Parmenianum. In Europa uerò uirginitatis uotum apud eum sexum commune fuisse, Ambrosius indicat libro eodem. ait enim ibi: De Placẽtino sacrandæ uirgines ueniũt, de Bononiensi ueniunt, de Mauritania ueniunt, ut hic uelentur. Et: Quid de Bononiensibus uirginibus loquar, fœcũdo pudoris agmine, quæ mundanis se delicijs abdicantes, sacrarium uirginitatis incolunt, sine contubernali sexu: relictoq; parentum hospitio, tendunt in tabernaculum Christi, indefessæ milites castitatis?

Votum autem faciebant uirgines, non adolescentulæ, sed maturioris ætatis, ut ex eiusdem libro tertio de uirginibus apparet. Sic enim ibi: Aiunt pleriq;, inquit, maturioris ætatis uirgines esse uelandas. Neque ego abnuo, sacerdotalis esse cautionis debere, ut non temerè puella ueletur. Vouebant & sua sponte, neq; iussæ à parentibus, neq; coactæ. Sic enim idem in libro ad uirginem lapsam, capite quarto: Te nec pater, inquit, compulit, nec mater coegit, ut uirginitatem profitereris, quam ultro & propria uolũtate professa es. Nam scio, cum multas difficultates tibi tuus genitor proponeret, cum arduum esse iter seruandæ uirginitatis ingereret, te non solum pertinaciter perstitisse, sed etiam reuelationes tibi datas dixisti terribiles.

Potest & ex eodẽ libro animaduerti, quæ ratio tum fuerit uirgines uelandi. Primùm enim uelabantur in templo ad altare in die Paschæ, solenni cõuentu, candelis accensis, cum ante ueli impositionem sacerdos diceret: Aspice filia & intuere, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscat Rex decorem tuum. Ad hæc uerba, cum uelamine tecta esset, omnis populus ac clamauit, Amen. Solebant autem uirginibus uelandis imponere mitras, ut apparet ex Optati Mileuitani lib. 2 contra Parmenianũ. Accurrebãt deinde ad uelatam certatim matronæ religiosæ & nobiles, eius oscula petentes: libro ad uirginem lapsam, cap. quinto. Precatiunculam super uirginem uelandam dici, Ambrosius instituit: libro de institutione uirginis, capite septimo.

De exercitijs uirginum sacrarũ, idem breuiter libro primo de uirginibus: Nunc canticis, inquit, spiritualibus personant, nunc uictum operibus exercent. Liberalitatis quoque subsidium quærunt. Rursus de ijsdem ex traditione Liberij, quam in tertio de Virgin. libro recitat, hoc modo: Dilige uirgo Christum: modicè uino utere, ne infirmitatem corporis tibi concilies. Escis calidioribus omnibus abstine: conuiuia, saltationes uita, rarius uisita: loquere parcè, præsertim in Ecclesia. Lectionibus de Christo mentem & aures admoue, fabulando ne obstrepas. In ministerio Dei gemitus, screatus, tusses, risus abstine. Vocis uirginitas prima signetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, instituat consuetudo naturam. Virginẽ mihi prius grauitas sua nunciet, pudore obuio, gradu sobrio, uultu modesto, & prænuncia integritatis anteeant signa uirtutis. His præceptis Ambrosius & illa adijcit ibidem paulo pòst: Ieiunandum singulis diebus, innumera tempora sine cibo transige. Et si quando rogaris ut cibum sumas, paulisper codice deposito responde: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo Dei.

Ipse

Ipse epularum usus cibis obuius, ut edendi fastidio ieiuniũ desideretur potus, è fonte, fletus in prece, somnus in codice. Pectoris tamẽ colles diuersis saltem seminibus sere, nunc alimonijs mediocribus, nunc ieiunijs parcioribus, lectione, opere, prece: ut mutatio laboris, inducię sint quietis. Solennes orationes cum gratiarumactione deferendę sunt, cum è somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, & hora incensi, cum deniq; cubitum pergimus. Etiam in ipso cubili psalmos cum oratione Dominica recita, uel cum eui gilaueris, uel antequã corpus sopor irriget. Symbolum quoq;, tanquam nostri signaculum cordis, antelucanis horis quotidie debemus recensere. Iam illud quis non ad nostrã institutionem dictũ intelligat, quod ait sanctus Propheta: Lauabo per singulas noctes lectum meum, &c. Mœrere pro seculo, gaude re debetis in Domino. Omne denique, inquit Apostolus, quodcunq; facitis in uerbo aut in facto, in nomine Domini nostri IESV Christi facite, gratias agentes Deo patri per ipsum. Et lib. de institutione uirginis: Semel mundo mortua, ne tetigeris quæ sunt istius seculi, sed semper in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus abducas te ab huius seculi conuersatione, non homini, sed Deo cantans.

Est inter Athanasij opera liber de uirginitate, seu de meditatione, præcepta de uirginum sacratarũ uiuendi formula multa proponens. Vult enim, mediocriter uestitã esse uirginem, indumento fusco, non tincto, sed coloris natiui, aut albo, amiculo item & manicis laneis, usq; ad digitos, uitta crinali lanea, cucullo & superhumerali lacinias non habente: ieiunare moderatè, & quidem à uitijs magis quàm à cibis: panẽ sumere cum olerib. oleo refectis: hora 9, in hymnis & orationib. perdurare, solã & seorsim orare & psallere, nunq; denudari: balneis nõ uti, nisi faciei & manuũ ex aqua pura ablutione. sole oriente, librũ in manus sumere, post horam tertiam synaxim conficere, sexta hora precationes absoluere, nona Deũ glorificare, & cum lachrymis peccata confiteri. post synaxim horæ nonæ panem comedere, ad mensam orare, post cibum sumptum Deo gratias agere. Hora duodecima redire in templum, maiorem & longiorẽ facere synaxim, cum uirginibus cõcordibus: ideo quòd illa hora Dominus ad inferos descenderit. Media nocte surgere, & hymnis celebrare Dominũ, ideo quod ea hora Dominꝰ à mortuis surrexerit, & patrem suum hymnis celebrarit. Excitatam quidẽ primùm, uersum Psalmi dicere: Media nocte excitabar ad confitendum tibi. post uerò recitare integrum Psalm. 50. additis ad quemlibet psalmũ lachrymis, cum genuum inflexione. Post tres psalmos absolutos accinere, Alleluia. Mane recitare psalmũ: Deus Deus meus, ad te de luce uigilo. in diluculo hunc, Benedicite omnia opera Domini Dominum: cum hymno, Gloria in excelsis Deo. Postq; illa seruare charitatem, mansuetudinem, tolerantiam, longanimitatem, clementiam: non respondere, in publicũ non prodire, quietem amare, seruorum Dei non obliuisci, sanctos hospitio excipere, in ædes ingredientibus, cum timore & honore occurrere, pedes eorum abluere, cum alijs comedere omne quod apponitur: uinum bibere, sed pauxillum, &c.

Hieronymus ad Eustochium, Nonnæ etiam uocabulo usus est: & in eadem epistola, multa de uirginitatis professione præcepta tradit.

DE HEREMITIS.

VTriusque sexus solitariam uitam agentes, Ecclesiæ cœtui adnumerat Epiphanius, in narratione illa de formula, statutis & traditionibus Ecclesię catholicę, quam suprà diximus. Et Socrates lib. 4. cap. 24. ex Euagrio refert, in Aegypti solitudinibus mulieres aliquot æquè atq; uiros monasticen professas fuisse: quemadmodum & Sozomenus de coniugibus, qui à consortio mutuo abstinuerunt, & continẽ etiam professi sunt, quædam habet libro tertio, cap. 14. Autores uerò monasticæ eius uitæ, à longè petita origine Sozomenus recenset lib. 1. cap. 12. Vbi his temporibus religioni illi, seu potius superstitioni & monasticæ politiæ, occasionẽ præbuisse narrat persecutiones, ob quas in montes & solitudines homines fugientes, eiusmodi uitæ consuetudinem contraxerint. In Aegypto uerò autorem eius fuisse Antonium eum, quem Constantinus ut uirum religiosum & admirandum amicitia sibi deuinxerit, in confesso affirmat esse apud omnes. Quod & Hieronymus partim attestatur, partim corrigit hoc modo, in initio narrationis de uita Pauli eremitę: Inter multos, inquit, sæpe dubitatũ est, à quo potissimũ monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidã enim altius repetentes, à beato Helia & Ioanne sumpsere principium. Alij autem (in quam opinionem uulgus omne consentit) asserunt, Antonium huius propositi fuisse caput: quod ex parte uerum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas uerò, & Macarius, discipuli Antonij, etiam nũc affirmant, Paulum quendam Thebæũ principem istius rei fuisse: quod non tam nomine quàm opinione nos quoq; cõprobamus. Ait & in uita Hilarionis, Antonium propagasse monachos in Ægypto. Ac post eum cla-

ros fuisse hoc uitæ genere ibidē utrumq; Macarium, Sozom. indicat lib. 3. cap. 14. Reliquos uerò Antonij discipulos, in Palęstina, Syria & Arabia monasticen professos fuisse & claruisse, libro 1. capite 13. Hieronymus, qui & ipse monachorum per Palæstinā meminit in epistola aduersus errores Ioan. Hierosolymitani, in Syria Hilarioné monachos propagasse, in uita Hilarionis scripsit.

Et annotauit de Syrorum monachorum disciplina hæc Sozomenus libro sexto, capite trigesimotertio: Transeundum, inquit, nobis est ad Syros, & illis uicinos Persas, qui tantam multitudinem monachorum acquisiuerunt, ut cum illis qui in Aegypto philosophabantur, decertarent. Claruerunt autem potissimum tum temporis apud Nisibenos, circa montem Sigoron, Batthæus & Eusebius, & Barges, & Abbos & Lazarus, &c. Quos etiam greges nominabant, & eam philosophiam recens inchoauerant. Sic autem eos ob id nominabant, quòd nec domicilia habentes, nec pane nec obsonijs uescentes, neque uinum bibentes, sed montanis locis immorantes, Deum indefinenter precationibus & hymnis, secundū Ecclesiæ consuetudinem laudabant: & cum edendi tempus esset, instar pascentium, falce quisq; accepta montem circuibant, & herbis pascebantur.

Rursus de ijsdem ac consortibus illorum, capite sequenti: Communis omnibus, inquit, politia hęc erat animos potissimum curare, & instructos reddere ad contemnendum præsentia. Deinde ad preces, ieiunia, & diuinos hymnos frequentandum, & circa ista plurimum exercitij insumendum. Pecunias ciuiliumq; rerum negotia, & corporis uel otium uel curam prorsus negligebāt. Inter eos Alas quidam nomine, octoginta annis panem non gustauit.

Sed ad greges, quos dixit Sozomenus, apud Nisibenos in Mesopotamia, etiam alluisse uidétur Epiphanius, ad hunc modum de ijs scribens, libro tertio, tomo secundo, hæresi octuagesima: In alia, inquit, forma præoccupati uenerandi nostri fratres, qui in monasterijs per Mesopotamiam degunt, quos & mandras, hoc est, ouilia siue cohortes appellant. Nam comas muliebres producunt, & sacco conspicuo incedunt. Barbam quidem, uiri formam, resecant: capillos autem capitis sæpe nutriunt. Sed hanc consuetudinem reprehendit, ut quæ, licet honestę uitæ gratia, tamen neq; ex Euangelij præcepto, neq; ex Apostolorum traditione suscepta sit.

Armenijs uerò, Paphlagonibus, ijsq; qui ad Pontum habitant, monasticæ conuersationis Eustathium Sebastiæ Armeniæ episcopum authorem fuisse, à multis creditum, Sozomenus retulit libro tertio, capite decimotertio. De Monachis item Syris, Persis, & Saracenis libro sexto, cap. trigesimoquarto & trigesimooctauo. Et libro primo, capite decimoquarto narrat, Ammonem in meridie ad lacum Mariæ, desertum uidelicet circa Scythen & montana Nitriæ, multis annis monasticam religionem professum esse.

Sed ad monachos Ægyptios redimus, quorum celebres aliquot Sozomenus recenset libro eodem, capite 14: Pambonam, Heracliden, Cronium & alios: quorum habitum & mores, à reliqua disciplina monastica diuersos fuisse indicat. Pellibus eos uerò indutos, ad imitationem Heliæ incessisse. Alios rursus in Aegypto monachos, tunicis sine manicis usos scribit, in hoc, ut manus à contumelia cohibendas esse docerent: usos & tegumento quodam capitis, quod cucullū dixerint: zona præterea circa lumbos, & humerali quod humeros & brachia armaret.

Pachomium alium narrat, si uerè tamen, Sozomenus libro tertio, cap. 14. primùm sollum in antro quodam secretiori philosophatum: angeli deinde admonitione, cœtus monachorum iuniorum colligere, ac legibus gubernare iussum esse, quas in libro descriptas ab angelo leges acceperit: quarum quæ summa fuerit, hoc modo explicat. Quæ in illo, inquit, libello scripta continentur, ista præcipiunt: uidelicet, ut unicuique permittatur tantum edere ac bibere quantum uoluerit, operari quoq; ac ieiunare, uel minus. Illis uerò qui ualentiores essent edendo, ea imponantur opera, quæ plus laboris requirunt, facilia uerò illis qui religione exercentur. Deinde ut multæ ac paruę habitatiunculæ constituantur, in quarū singulis tres monachi maneant, in una uerò domo cuncti cibum sumant. cumq; silentio edāt, & ad mensam faciebus sic obuoluti sedeant, ut nec se inuicē, nec aliquid aliud nisi mensam & propositos cibos uideāt: & ne peregrinus quispiā unà cum eis uescatur, nisi illac iter faciēs hospitio susciperetur. Quod si quis illis cohabitare uoluerit, ut is primū toto triēnio grauioraopera subeat, ac tum demū ad cohabitandum admittatur. Ad hæc, ut pellib. uestiantur, & tiaris laneis capita tegant: quas purpureis maculis, ueluti punctis obsignari præcepit. Præterea ut tunicis lineis ac zonis utantur, & ut cincti tuniculis ac pellibus dormiant, sedentes uidelicet in sellis utrinque sic circumseptis, ut cuiusque stratum contineant. Prima ac ultima septimanæ ad communionem diuinorum mysteriorum accessuri, antequam ad altare appropinquent, zonas dissoluant, ac pelles ponant: singulis diebus duodecies precētur, & sub uesperā similiter: noctu

noctu quoq; totidem uicibus: nona hora ter comesturi ante singulas preces psalmum canant: uniuersam cohabitationem in uiginti quatuor classes diuidant, illasq; secundum græca elementa nominent, ac unicuiq; secundum uitæ ac morum rationem, appellationem accommodent: utpote simpliciores Alpha & Iota, morosulos uerò Zita uel x, & alios aliter uocent, ut ex figura literæ, ipsius rei conditio & institutum facile intelligatur.

Creuisse autem eum ordinem ad numerũ septem millium, ac contubernium ei in Tabenna insula Thebaidis fuisse narrat, à qua & Tabennasitæ dicti sint. Inde uerò in reliquam Thebaida & Aegyptum fuisse propagatum. Hac ratione pullulauit & creuit his in rebus uana superstitio.

Lib. 6. cap. 31. idem de Monachis in Scethi siue cellis narrat: Domicilia ibi eorum, quæ ascæteria Socrates appellat lib. 4. cap. 23. à se inuicem procul disiuncta esse, ut in illis habitantes, alios alij uidere aut audire non possint. Congredi uerò in cœtum omnes, ac Ecclesiam colligere prima & ultima septimanæ: ubi si quis eorum desideretur, morbo laborare putari. Ad eum igitur uisendum & curandum, alios post alios accedere, offerentes quod quisq; morbo curando accommodũ habeat. Extra eiusmodi uerò causam non conuenire, nisi ad audiẽdos sermones, ad cognitionem Dei uel animæ saluté facientes. Quos audire expetens, eum accedat, quem doctrina & sermone ualere sciat.

Serapionem porrò monachum circa Arsenoiten, circiter decem millia sub se habuisse refert monachorum, quos omnes sic institueret, ut proprijs laboribus necessaria sibi singuli conquirerent, & alijs quoq; egentibus suppeditarent. Messis igitur tempore pro mercede merientes, frumentum reposuisse, quod & sibi & alijs sufficiens esset. Libro eodem, cap. 28.

Hæc autem de uita & disciplina monachorum Aegyptiorum, Epiphanius commemorat libro tertio, tomo secundo, hæresi octuagesima: In singulis, inquit, monasterijs, tum in Aegyptiorum regione, tum in alijs, serui Dei proprijs manibus, tenues suas operationes operantur, iuxta uniuscuiusque artem. In ore uerò omnem fermè diuinam scripturam annunciant, citraq; fatigationem & impigrè frequentes agunt uigilias, partim in orationibus, partim in psalmodijs. Perpetuò autem conuentus ex more statuto ordinatos faciunt, uersanturq; interdiu semper assiduis iuxta interuallum horis, preces ad Deum irreprehensibiliter cũ multa humilitate & doloroso eiulatu sursum emittentes: & proprijs manibus, uelut dixi, operantur, unà cum spirituali operatione, ut ne egentes fiant.

Idem in Compendiaria doctrina de fide catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, multa de diuersitate obseruationum religiosorum seu monachorum hoc modo: Sunt aliæ, inquit, præeminentes uitæ conuersationes, quæ in eadem sancta catholica Ecclesia seruantur, eorum inquam qui ab omnibus carnib. abstinẽt, quadrupedibusque & uolatilibus ac piscibus, ouo item & caseo, & alijs diuersis uitæ institutis. Et quidam sanè abstinent ab omnibus his: aliqui uerò à quadrupedibus solùm, uolatilibus uerò & reliquis uescuntur. alij uerò à uolucribus abstinent, utuntur autem ouis & piscibus. Alij neque ouis uescuntur, alij piscibus solis. alij etiam à piscibus abstinent, caseo uerò uescuntur: alij autem neq; caseum sumunt. Iam uerò adhuc alij etiam à pane abstinent, alij etiam ab arborum fructibus duris ac nucibus, & à coctis. multi uerò etiam humi dormiunt. Alij neque calciamenta induunt, alij saccum gestant occultum, qui uidelicet rectè gestãt propter uirtutem & pœnitentiam. Indecorum enim est in conspicuo sacco prodire, quemadmodum aliqui faciunt. Indecorum est item, uelut dixi, in uinculis prodire, uelut quibusdam uisum est. Pleriq; autem à balneo abstinent: & quidam uitæ renuncia runt, artesq; tenues & nullius negotij sibi ipsis excogitauerunt, ut ne ociosam uitam degant, neq; panem grauatum comedant. Pleriq; uerò in psalmodijs & assiduis orationibus, lectionibusq; sacrarum scripturarum & secessibus exercentur.

Hieronymus etiam ad Rusticum monachum, Aegyptiorum monasteria hunc morem obseruare dixit, ut nullum absq; operis labore susciperent. Et hanc quasi summam & symbolum fuisse Aegyptiorũ monachorum, ut qui non operaretur, non manducaret, in uita Hilarionis scripsit.

Idem de monachis Aegyprijs copiosè hæc narrat, in epistola ad Eustochium: Tria sunt, inquit, in Aegypto monachorum genera. Primum, Cœnobitæ, quod illi Sauses gentili lingua uocant, nos in commune uiuentes possumus appellare. Secundum, Anachoritæ, qui soli habitant per deserta, & ab eo quod procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est, quod Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum, & quod in nostra prouincia aut solum aut primum est. hi bini uel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitratu ac ditione uiuentes. Et de eo quod laborauerint, in medium partes conferunt, ut habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimi in urbibus & castelx 2 lis:

lis: & quasi ars sit sancta, non uita, quicquid uendiderint, maioris est precij. Inter hos sæpe sunt iurgia: quia suo uiuentes cibo, non patiuntur se alicui esse subiectos. Reuera solent certare ieiunijs, & rem secreti uictoriæ faciunt. Apud hos affectata sunt omnia, laxę manicę, caligę follicantes, uestis crassior, crebra suspiria, uisitatio uirginum, detractio clericorum. Et si quando dies festus uenerit, saturantur ad uomitum. His igitur, quasi quibusdam pestibus exterminatis, ueniamus ad eos qui plures sunt, & in commune habitant: id est, quos uocari cœnobitas diximus. Prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus, & quicquid iusserint facere. Diuisi sunt per Decurias & Centurias: ita ut nouem hominibus decimus præsit. Et rursus decem præpositos, sub se centesimus habeat. Manent separati, sed iunctis cellulis. Vsq; ad horam nonam, ut institutum est, nemo pergit ad aliũ, exceptis his decanis quos diximus: ut si cogitationibus fortè quis fluctuat, illius consoletur alloquijs. Post horã nonam in commune concurritur, Psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more. Et cõpletis orationibus, cunctisq; residentibus, medius, quem Patrem uocant, incipit disputare. Quo loquente, tantum silentium fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus, in fletu est audientium. Tacitè uoluuntur per ora lachrymæ, & ne in singultus quidem erũpit dolor. Cum uerò de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare uentura: uideas cunctos moderato suspirio, & oculis ad cœlum leuatis, intra se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo, & requiescam? Post hæc concilium soluitur, & unaquęq; decuria cum suo parente pergit ad mensam: quibus per singulas hebdomadas uicissim ministrẽt. Nullus in cibo strepitus est. nemo comedens loquitur. Viuitur pane, leguminibus, & holeribus, quæ sale solo condiuntur. Vinum tantum senes accipiũt: quibus & paruulis sæpe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt: ibi usq; ad uesperam cum suis unusquisq; loquitur, & dicit: Vidistis illũ, & illum? Quanta in ipso sit gratia? quantũ silentium? quàm moderatus incessus? Si infirmum uiderint, consolantur. Si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili unusquisq; uigilat, circumeunt cellulas singulorum: & aure appositа, quid faciant, diligenter explorant. Quem tardiorem deprehenderint, non increpant, sed dissimulato quod norunt, eum sępius uisitant: & prius incipientes, prouocant magis orare quàm cogunt. Opus diei statum est, quod decano redditum, fertur ad œconomum: qui & ipse per singulos mẽses patri omnium cum magno tremore reddit rationem. A' quo etiam cibi, cum facti fuerint, prægustantur. Et quia non licet dicere cuiquam, Tunicam & sagum textaq; iumenta strata non habeo: ille ita uniuersa moderatur, ut nemo quod postulet non habeat. Si quis uerò cœperit ægrotare, transfertur ad exedrá latiorem, & tanto senum ministerio confouetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectũ. Dominicis diebus, orationi tantũ & lectionib. uacãt: quod quidẽ & omni tempore cõpletis opusculis faciunt. Quotidie aliquid de scripturis discitur. Ieiuniũ totius anni æquale est, excepta quadragesima, in qua sola cõceditur districti, uiuere. A' Pentecoste, cœnæ mutãtur in prãdia: quo & traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, & uentre non onerent cibo duplicato. Tales Philo, Platonici sermonis imitator: tales Ioseph̃us, græcus Liuius, in secunda Iudaicę captiuitatis historia, Essenos refert. Verùm quia nunc de uirginibus scribẽs, penè superfluũ demonachis disputaui, ad tertiũ gen⁹ ueniã, quos Anachoritas uocant: qui & de cœnobijs exeuntes, excepto pane & sale, ad deserta nihil præferunt amplius. Huius uitę author Paulus, illustrator Antonius, & (ut ad superiora cõscendam) princeps Ioannes Baptista fuit.

Monasteria uerò ante Hieronymi ætatem in Europa nõ fuisse, uerisimile est: nisi quòd de uirginum sacratarum contubernijs multa Ambrosius habet, cuius ætate & ipsæ uirginum professiones uidentur cœpisse. Hinc est, ut uix in aliquo latinorum scriptore huius seculi, monachi nomen reperiatur. Certè Sozomenus lib. 3. cap. 14 disertè affirmat, Thraces, Illyrios, & quotquot Europam incolunt, hoc adhuc tempore expertes fuisse contuberniorum monasticorum.

Leges igitur Monasticæ disciplinæ complures recensет Hieronymus in epistola ad Rusticum, & contemptum rei familiaris, & mundi sordidas uestes, humilitatem, abstinentiam à balneis, ieiunia moderata, modicum & temperatum cibum, &c. Qualia multa etiam in epistola ad Paulinum de institutione monachi commemorat.

De Hæreticis monachorum.

De monachis hæreticis Theodoret. lib. primo, capite nono hæc tradidit: Sunt, inquit, in Ægypto monachorum agmina quędam, quæ neq; sani dogmatis fidem habent, & nouos in re Ecclesiastica ritus usurpãt, nõ abhorrentes ab amentia Samaritarum & Iudæorum. Et libro quarto, cap. 23 ait, trans lacum Mariæ, circa Alexandriam, monachos fuisse de secta Gnosticorum. Quin &

Mace-

Macedonianæ hęreseos monachos fuisse primùm Hierosolymis, postea autem in Ciliciã migrauisse, Sozomenus scripsit li. 7. cap. 27. Audium denique hæreticum relegatum ad Scythiam, propterea quòd rebelles populos faceret, ulterius progressum ad intima Gothiæ, ubi monasteria multa suæ sectæ instituerit, Epiphanius narrat lib. 3. tomo 1. hæresi septuagesima. De Monachis Ægyptiacis, opinionem de Deo, quòd gerat formam hominis, fouentibus, & mordicùs defendentibus, narrat Theophilus Alexandrinus in libris Paschalibus.

DE RITIBVS ECCLESIÆ Romanæ.

Congressus Publici.

ROmæ conuentus Ecclesiasticos non fuisse in Sabbato, quemadmodum in aliarum terrarũ Ecclesijs, Sozomenus indicasse uidetur libro 7. capite 19. Extat inter Hieronymi opera, epistola suppositicia Damasi papæ ad Hieronymum, ex qua adparet, antea Damasum psalmodiam in ecclesia Romana non fuisse. Ab eo igitur de psalmodia Hieronymus consultus, instaurandam monet: & adiungendam ad finem cuiuslibet Psalmi clausulam, Gloria patri & filio, &c. Affigendam quoq; uocem, Alleluia.

Ritus Baptismi.

Habetur in primo tomo Conciliorum, inter edicta Constantini, prolixa narratio de baptismo Constantini: per Syluest rum Romanum episcopum, ritus omnes in posterioribus seculis postea receptos: sed Constantini seculo falsò tributos (quemadmodũ suo loco dicetur) ordine complectens: ut pœnitentiam in cilicio, uigilias, ieiunia, lachrymas, & orationes. Deinde manuum clericorum impositionem, renunciationẽ sathanæ pompis & operibus, confessionem coram omni populo de unoquoq; articulo fidei: aquæ baptismatis posthac benedictionem, in eamq; trinam immersionem, ex ea inde susceptionem, uestem candidam, consignationẽ, perunctionem chrismatis, & crucis in frontem impressionem cum precatiuncula: post quã clerus omnis responderit, Amen: præsul uerò baptizans adiecerit, Pax tibi.

In eadem ecclesia Syricius constituit, nullo anni tempore, præterquam in Paschate & Pentecoste, quenquam baptizandum esse, ni si mortis eum aliquod urgeret periculũ. Refert Luitprandus de Syricio: Constituit idẽ concilium Romanum, celebratũ sub Syluestro, exceptis infirmis, quibus quolibet tempore baptismum exhibendum esse censuit: tomo 1 Conciliorum. Ex eiusdem Syricij decretis apparet, baptizandos 40 dies ante baptismum dedisse nomen suum: & quotidianis orationibus, ieiunijs & exorcismis fuisse expiatos: tomo primo Conciliorum.

Ibidem: Liberius in festo Pentecostes baptizaturus, celebrem omnium Christianorum conuentũ indixit: & cum Litanijs in ædem Petri ingressus, hanc precationem præmisit: Deus qui misisti filium tuum, & ostendisti creaturæ creatorem, respice super uineam istam, & emunda ab ea spinas & tribulos, & produc palmites eius in fortitudinem, & dona eis fructum ueritatis, per Deum & Dominum nostrum IESVM Christum, & spiritum sanctum agnoscat, qui uiuit cum Deo patre omnipotente, & à seculis, & nunc, & usq; in secula seculorum. Ad quod respondit uniuersa plebs, Amen.

In eadem Ecclesia, baptizati ab episcopis signabantur, & chrismate inungebantur: quod propter occasionem transitus mortis faciendum, Syluester constituerat. Damasus in Sylueſt.

Ibidem: Consignationem in fronte per signum crucis post baptismum, Damasus de nuò instituit. Ex decretal. Damasi, tomo primo Conciliorum.

Confirmationem per manus impositionem, ut necessariã ad baptismi perfectionẽ, Meltiades in eadem ecclesia instituit. Ex epistola Meltiad. ad episcopos Hispaniæ, ibidem. Quæ tamen ante eum ab Eusebio sacramentum appellata fuit, quòd non ab alijs quàm summis sacerdotibus liceat administrari. Ex decretali epistola Eusebij.

In eadem hæretici conuersi, & in nomine sanctæ Trinitatis baptizati per manus impositionem recipiebantur: quod Eusebius constituerat. ex epistola Eusebij ad episcopos Tusciæ & Campaniæ. Citatur idem ex Canone octauo concilij Nicæni.

Ritus circa claues.

De ritu pœnitendi & recipiendi Ecclesiæ Romanæ, hæc commemorat Sozomenus libro 7. cap. 16. In Romana, inquit, Ecclesia perspicuus est pœnitentiũ locus, in quo stãt mœsti, ac ueluti lugentes. Peracta autem liturgia, à mysterijs excluſi quæ ad initiatos pertinent, cum lamentatione & planctu ad terram sese pronos abijciunt. Episcopus ex aduerso cum lachrymis accurrens, & ipse ad pauimentum lamentando prouoluitur, & uniuersa Ecclesiæ multitudo lachrymis suffunditur. Postea episcopus primus exurgit, & iacentes erigit: & quatenus conuenit pro peccatis pœnitentium facta oratione, ex ecclesia illos dimittit. Seorsum quisq; sponte sua uel ieiunijs, uel balnei aut eduliorũ abstinentia, siue alijs modis, secundũ quod iussus est, sese affligens, tempus expectat, quod episcopus determinauit. Cõstituto aũt die, peccati mulcta quasi debito quodã remissa, po-

pulo in Ecclesia cõiũgitur. Videtur ad eum ritũ alluſiſſe & Hieronymus in epiſtola ad Oceanum: In eccleſia Romana, ait, peccator ſaccum induebat: ante diem paſchæ in ordine pœnitentium ſtabat. peccatum publicè fatebatur, epiſcopo, presbyteris, & omni populo collachrymantib. Atq; hæc ratio cum in uſu, Hieronymi adhuc ſeculo fuerit, quã fidem mereatur, quod de Syricij placitis Sabellicus & Platina nugantur, quis non uideat? Aiunt enim, pœnitentes, ad Eccleſiam redeuntes, recipiendos eſſe Syriciũ cenſuiſſe, ſi monaſterium ingreſsi, ieiunijs & orationibus ſe toto uitæ tempore ibidem macerarent: uiaticum uerò tum demum ab Eccleſia reciperent, ubi de optima eorum uita conſtaret.

De ritu recipiendi hæreticos pœnitentiã agentes, in eccleſijs Occidentalibus, monet quædam decretum ſeptimum primi concilij Conſtantinopolitani, ſub Theodoſio Magno, in primo tomo Conciliorum, ad hunc modum:

¶ Qui ex hæreticis orthodoxæ Eccleſiæ adiungi & adhærere, atq; in partes eorum qui ſeruantur tranſire cupiunt, eos recipimus & admittimus, ſecundum ſubiectũ ordinem & conſuetudinẽ. Nam Arianos quidem & Macedonianos, Sabbatianos & Nouatianos, qui dicunt ſeſe Catharos, & Ariſteros, item Quartodecimanos ſiue Quaternarios, itemq; Apollinariſtas admittimus, ſi tradãt libellos, ac deteſtentur execrenturq; omnem hæreſin, quæ non conueniat cum ſancta Dei uniuerſali & apoſtolica Eccleſia. Ad hæc, ut eorum & frons, & oculi, & nares os & auriculæ ſignentur ſiue ungantur, primùm ſacro unguento. Et cum ſignamus eos, dicimus SIGNACVLVM doni Spiritus ſancti. Eunomianos autem, qui una immerſione baptizantur: item Montaniſtas, qui hic appellantur Phryges: præterea Sabellianos, qui hyiopatorium docent, & alia quędam atrocia agunt, aliasq; ſectas (multi enim hic hæretici, qui adueniunt à Galatarum regione) ex ijs qui uolunt adiungi orthodoxæ Eccleſiæ, ſicuti Græcos gentiles & infideles admittimus. ac primo quidem die deſignamus eos Chriſtianos: altero Catechumenos, id eſt, elementarios, ac quaſi fidei tyrones: deinde tertio die adiuramus eos, ter inſufflando in faciem & aures: atque ita catechizamus ſiue inſtituimus & erudimus eos, damus'que operam ut longiori tempore maneant ac uerſentur in eccleſia, diligenterque & attentè audiant ſcripturas: tunc tandem eos baptizamus.

Ritus circa cœnam Domini.

Ceremoniam cœnæ Dominicæ ab Eccleſia Romana (ſi uera ſunt, quæ de Paparum conſtitutionibus tradita ſunt) transformari paulatim cœpiſſe, in ſuperiori Centuria monuimus. Hoc uerò etiam ſeculo pluribus humanis traditionibus deformata eſt. Nam aureos & argenteos à Conſtantino donatos eſſe calices, Platina ſcripſit in Syluſtro: quem & de ornatu miſſam celebrantis multa inſtituiſſe, idem autor eſt. Etin decretis Euſebij legitur, ſacrificium altaris non in ſerico panno aut lineo celebrandum, ſed in puro linteo ab epiſcopo conſecrato, terreno ſcilicet lino procreato atque contexto: ideo quòd & corpus Domini noſtri IESV Chriſti in ſindone linea munda ſepultum fuit. Confeſsionem à ſacerdote celebraturo prius dicendam eſſe, Damaſum inſtituiſſe, ſuprà quoq; oſtendimus ex Polydoro, libro quinto, capite decimo. Sed cum Hieronymus, amantiſsimus Romanæ eccleſiæ, nec Miſſæ, nec apparatuum ad eam pertinentium uſquam meminerit: quid illis pontificijs ſcriptoribus tribuendum ſit, in medio relinquimus. De quotidiana communicatione, non oblatione, Hieronymus inquit aduerſus Iouinianum: Scio Romæ eſſe hanc conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant: quod nec reprehendo, nec probo.

Syricio tribuitur, in ſacramento corporis Chriſti tantum panem & uinum aqua mixtum offerendum eſſe: cum de conſecratione uini aqua mixti, in calice, uſitata in eccleſijs Occidentalibus, ante eum diu Ambroſius ſcripſerit: quemadmodum in ritibus eccleſiarum Europicarum ſuprà monuimus.

Oblationes conſecratas ab epiſcopo Romano, per Eccleſias alias partiendas eſſe, Meltiadem in eadem eccleſia inſtituiſſe, refert Damaſus.

Ritus circa Ordinationem.

Ordinationes eccleſia Romana, quemadmodum de ſuperiori ſeculo dictum eſt, celebrauit in menſe Decembri, Damaſo autore. Quos autem ordinatione & gradibus Eccleſiaſticis dignos habuerit, Hieronymus explicat aduerſus Iouinianum: Epiſcopi, inquit, presbyteri, diaconi aut uirgines eligũtur, aut uidui, aut certè poſt ſacerdotium in æternum pudici. Idque contra doctrinam Pauli.

In eadem eccleſia neophytus, niſi cautius examinatus, non legebatur in clerũ: Platina teſte, in uita Syricij. Ex cuius decretis ad Himeriũ Tarraconenſem, ordinationes miniſtrorum per gradus & interualla ætatis, hoc

hoc modo leguntur, capitulo nono & decimo: Quicunq; se ecclesiæ uouerit obsequijs, à sua infantia ante pubertatis annum baptizari, & lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ, usq; ad tricesimum ætatis annum, si probabiliter uixerit, una tantum, & ea quam uirginem communi per sacerdotem benedictione percepit, uxore contentus, acolythus & subdiaconus esse debebit: posteaque ad Diaconij gradum, si se ipse primitus, continentia præeunte, dignũ probauerit, accedat. Vbi, si ultra quinq; annos laudabiliter uixerit & ministrauerit, congruè presbyterium consequatur. Exinde post decennium, episcopalem cathedram poterit adipisci: si tamẽ per hæc tempora integritas uitæ ac fidei eius fuerit approbata. Qui uerò iam ætate grandæuus, melioris propositi conuersatione prouocatus, ex Lai co ad sacram militiam peruenire festinat, deinde si fidelij sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero societur: si tamen eum unam habuisse, uel habere, & hanc uirginem accepisse, constet uxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus & subdiaconus fiat, & sic ad diaconatum (si per hæc tempora dignus iudicatus fuerit) prouehatur. Exinde iam accessu temporum, presbyterio uel episcopatui, si eum cleri ac plebis euocauerit electio, non immeritò societur.

Hoc uerò memoratu & obseruatu dignũ est, quod primùm hoc seculo sub Valẽtiniano Imperatore, in urbe Romana, sede meretricis Babylonicæ, sanguine multorũ episcopatus cõparari & consecrari cœpit. Nam mortuo Liberio, cum Damasus esset episcopus ordinatus, Vrsinus quidam eiusdem ecclesiæ diaconus indignè ferens Damasum sibi prælatum esse, in tantum audacię & furoris erupit, ut persuaso quodam satis imperito et agresti episcopo, collecta turbulentorum & seditiosorum hominum manu, in basilica quæ Sicinini appellatur, episcopum se ordinari extorqueret contra leges. Eo ex facto tanta seditio, imò uerò tanta bella coorta sunt alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationũ loca. Ruffi. libro secundo, capite decimo: Socrates libro quarto, capite uigesimonono.

De Ieiunijs.

Fuisse peculiare ecclesiæ Romanæ ieiunium in quacunque die Sabbati, Socrates testatur libro quinto, capite uigesimosecundo. Romæ, inquit, omni Sabbato ieiunant. Ibidem & de ieiunio in Quadragesima: Romani, inquit, tres ante Pascha septimanas, prẽter Sabbatum & Dominicum, continuas ieiunant. Ieiunium in die Dominico, & feria quinta, Meltiades interdixit: quam & in ipsa Quadragesima à ieiunio liberam esse statuit Damasus.

De Festis.

De festo Petri ad uincula, Romæ instituto, Polydorus libro sexto, capite octauo: Petro, inquit, ad uincula, rogatu Imperat. Constantini ad memoriam tormentorum, quæ pro religione tulisset, constituta est celebritas à Syluestro, quæ ad uincula nuncupatur: quemadmodum in libello quodam de Petri uinculis continetur, qui Hieronymo, tametsi parum uerè, adscribitur.

Epistola decretalis Eusebij papæ ad episcopos Tusciæ & Campanię, festi inuentionis Crucis celebrationem indicit ad quintum nonarum Maij. Quod festum Helenam, Constantini matrem, Hierosolymis quotannis celebrandum instituisse, Nicephorus autor est, sed sine teste, libro octauo, capite uigesimonono. Sed & Pontificum festiuitates Romæ quotannis celebratas esse, Hermannus Gigas in Floribus suis retulit.

Ritus circa nuptias.

Habuit ecclesia Romana benedictiones sponsarum, ex superiorum etiam episcoporum sanctionibus. Sic enim in decretis Syluestri apud Damasum legitur: Vnusquisq; clericus sit unius tantum uxoris uir, quæ tamen à sacerdote sit benedicta. Restaurauit decretum idem postea Iulius, coniugium scilicet à sacerdote benedicendum esse: ut Gigas annotauit. Et in sponsalibus quidem benedictionem illam per sacerdotem factam, ex decretis Syricij apparet: qui prohibuit, puellam alij desponsam, ab alio in matrimonium duci: quòd illa benedictio, quam sacerdos nupturæ imposuisset, transgressione uiolata, sacrilegij esset instar. Refert Luitprand. in Syricio.

Ritus translationis & deductionis Reliquiarum sanctorum.

Si quæ sanctorum uel martyrum reliquiæ Romam ex alijs locis transferebantur, fiebat id hoc ritu, ut in quancunque ciuitatem aut uicum illatæ essent, per psalmodias religiose exciperentur ac deducerentur. Testatur Sozomenus libro septimo, capite decimo.

DE RELIGIONE ET MORIBVS *Ecclesiæ Romanæ.*

HIeronymo in procœmio libri secundi commentariorum in Epistolam ad Galatas, Romanæ plebis laudatur fides: Vbi alibi tanto studio & frequentia ad ecclesias, & ad martyrum sepulchra concurritur? Vbi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat, & uacua idolorum templa quatiuntur? Non quòd aliam

habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi ecclesiæ: sed quòd deuotio in eis maior sit,& simplicitas ad credendũ. Rursum facilitatis & superbiæ arguuntur.

De Monachatu.

De monachis Romæ Hieronymus ad Pãmachium sic: Nostris, inquit, temporibus Roma possidet, quod mũdus antè nesciuit. Tunc enim rari sapientes, potentes, nobiles Christiani: nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles. Inter mulieres uerò Marcellam fœminam uiduam Romæ omnium primùm monachatum professam fuisse, ex eodem apparet. Et habetur de monasterijs uirginũ,& uirginitatis professione,in pontificum Romanorum,& synodorum constitutionibus: ut quòd canone quarto Syricius constituit, ne uirgines ante annum ætatis uicesimumquintum consecrarentur. In canone uerò trigesimotertio sic constituit: Virgines sacræ si parentibus,à quibus custodiebantur, priuatæ fuerint, episcopi prouidentia,uel presbyteri, episcopo absente,in monasterio uirginum,uel grauioribus fœminis commendentur. Habet & canon decimus concilij Romani de uirginibus consecratis, matrimonium expetentibus, hoc modo: Nullus episcoporum uirginem sacratam, si maritale expetierit consortium, benedicere attentet, nisi eam probauerit septuaginta duorum annorum esse constitutam: ubi probabitur iudiciũ ueræ pudicitiæ, ut in septuaginta duobus annis requirens uerum Christum, pudicitia custodita uncto uertice, introducat ad nuptias Christi, uelamen capitis ferens, nõ cordis. Et ibidem de Monachis: Nulla schemata monachorum oportet fieri, nisi post uigintiquinque ætatis annos, propter scandala: & uigintiquinque annis iam euacuato omni feruore diaboli,inueniat sibi mundum uas spiritus sanctus.

CAPVT VII.

DE POLITIA ET GVBERNATIONE *Ecclesiæ.*

QVANTVM ex historia Ecclesię huius seculi animaduertere est, dederunt id operam plerique, quibus Ecclesiarum regendarum cura commissa fuit, ut homines eruditi, boni, probati, & ad docendum instructi, functionibus Ecclesiasticis præficerentur. Quemadmodum decessurus Alexander Constantinopolitanus episcopus, successorem sibi eligi mandat Paulum, uirum bonum, & rebus diuinis instructum: apud Sozomenum libro tertio, capite tertio. Nazianzenus etiam ad episcopos centum & quinquaginta, qui ad electionem episcopi Constantinopolitani conuenerant, dixit: Acquirendum aliquem esse uirum laudignum, atque intelligentia præditum, ut & committi ei multitudo,atque ab eo recte instituì posset: Theodoretus libro quinto,capite octauo. Et Valentinianus ad Mediolanensem synodum dixisse fertur: Non potestis ignorare, quippe innutriti diuinis literis, qualem esse conueniat eum cui pontificalis dignitas committenda sit: quòdq; non doctrina solum, sed etiam moribus ac uita subditos instituere debeat,atque ita totius honestatis se proponere exemplum, ut doctrinæ suæ administratio ipsa testimoniũ dicat. Proinde & hoc tempore eum collocate in pontificali solio, cui nos quoque Imperij moderatores, nostra subdamus synceræ capita, cuiusq; reprehensiones tanquam medicinæ curã libenter admittamus. Theodoretus libro quarto,capite quinto. Theodosius etiam iussit patres synodi Constantinopolitanæ, diligenti inquisitione uirum honestum & bonum, cui episcopatus Constantinopolitanus committeretur, eligere: Sozomenus libro septimo,capite septimo. Et testantur exempla multorum laudatissimorum episcoporum, ut Eustathij, Basilij, Pauli, Alexandri, Athanasij, & aliorum,qui ob integritatem, probitatem, doctrinam,ac pientiam & industriam, ad gubernationem ecclesiæ adhibiti, multis illustribus ornamentis & uirtutibus testati sunt, quales in administratione Reipublicæ Ecclesiasticæ oporteret esse præsides. Quanquam, ut est diaboli furor, alicubi nec illi defuerũt, quos in hoc ecclesiæ statu, non pastores, sed lupos, nõ gubernatores, sed uastatores & perturbatores tranquillitatis ecclesiarum esse, euentus ipse docuit: sicut suo loco ostenditur. Ad eam uerò rem non parum momenti attulerunt quidã Archiepiscopi, penes quos erat ordinandi potestas: qui nulla accurata adhibita ratione, propter auaritiam, rudes & ineptos ordinabant. Hinc Nazianzenus oratione in laudem Basilij: Sanctissimus,inquit, apud nos periclitatur ordo, ne prorebus cunctis sit ridiculosissimus. Non enim ex uirtute magis quàm malitia oritur præsidentia: neque digniorum, sed potentiorum sunt throni. Cathedra enim sine ullo acquiritur labore. Vnius diei sanctos facimus, & sapientes esse iubemus eos, qui nulla prædi- ti sunt sapientia, & qui nihil ad gradum præterquam uelle adferunt. Et in oratione de funere Athanasij: Non thronum pariter accepit, (Athanasius) quemadmodum ij qui tyrannidem aut hæreditatẽ præter opinionem sortiuntur. Hæc enim degenerantium & adulterinorum sunt sacerdotum, & qui professione sunt indigni, qui nihil ad sacerdotium

dotium afferunt, neque boni consequendi gratia laborarunt, heri sacrilegi, hodie sacerdotes: heri sacrorum expertes, hodie in sacris duces, & cętera. Qualia & Ambrosius queritur in libro de sacerdotũ dignitate, capite quinto: Solicitudo, inquit, fraterni nos retardat amoris, illorum præcipuè sacerdotum, qui mentis tempore hebetati, sacerdotalem diffamant honorem: & qui nouam prodigaliter regulam ac tempestatem peperisse deflentur: & Giezi, sectantes Simonis sententiam, sancti episcopatus gratiam pecunijs coëmerunt: nequaquam timentes, cum honorem sacerdotalem pecunijs emerent, à beato Petro apostolo se cum Simone fuisse damnatos. Sicut ait: Pecunia tua tecum sit in perditionem. & Iepram cum Giezi à sancto accepisse se credant Helisæo, qui gradum sacerdotalem æstimant pecunijs comparari. Et uideas in ecclesia passim, quos non merita, sed pecuniæ, ad Episcopatus ordinem prouexerunt: nugacem populum, & indoctum, qui talem sibi asciuerunt sacerdotem. Quos si percunctari fideliter uelis, quis eos præfecerit sacerdotes, respondẽt mox, & dicunt: Ab Archiepiscopo sum nuper Episcopus ordinatus, centumq; ei solidos dedi, ut episcopalẽ gratiam consequi meruissem: quos si minimè dedissem, hodie episcopus non essem. Vnde melius est mihi aurum de sacello inuehere, quàm tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, & episcopatum comparaui. Quos tamen solidos, si uiuo, recepturum me ilico non diffido. Hoc nunc admonemus, superstitione quadam hominum magis, & nouis opinionibus, ex iniquitatis mysterio natis, quàm aut uero iudicio aut necessitate, hoc primùm seculo irrepsisse in Ecclesiam, maximè uerò Occidentalem, traditiones de conditionibus eorum qui Ecclesiasticis muneribus præessent: nimirum ut uel qui nunquam coniuges fuissent, uel qui fuissent, uxoribus repudiatis, sacerdotijs fungerentur. Et Socrates libro primo, capite undecimo, expresse dicit: placuisse episcopis, ut hanc nouam legem in Ecclesiam inducerẽt in Nicæno concilio, quod tamen eodem non ubique modo obseruatum legimus. In Oriente enim episcopis liberum fuisse, ut seu coniugio operam darent, seu eo abstinerent: Socrates libro quinto, capite uigesimosecundo, disertè narrat. Et Spiridionem Trimithuntis Cypri episcopum, uxorem & liberos habuisse, & ob id nihilo ad res diuinas deteriorem fuisse, Sozomenus libro primo, capite undecimo refert. Pater etiam Gregorij Nazianzeni cõiunx episcopus fuit: Ruffinus libro secundo, capite nono: Sozomenus libro sexto, capite decimo septimo. Et Gregorius Nyssenus, Basilij frater, uxorem habuit: Nicephorus libro undecimo, capite decimonono. Et Athanasius in epistola ad Dracontium affirmat, se episcopos & monachos nouisse, qui filios genuerint. In synodo Nicæna cum in deliberationem quæstio uenisset, utrum aut coniuges, aut cęlibes oporteret esse sacerdotes: mysterium iniquitatis de prohibitione matrimonij laborauit quidem gnauiter, sed tamen DEO auxiliante Paphnutius consensu totius synodi obtinuit, ne qui uxores haberent sacerdotes, ab eis separarentur, sed coniugio liberè uterentur. Nisi quòd in aliorum gratiam hoc permisit, ut quicunque in sacerdotum ordinem legerentur, si coniuges nondum essent, ne ducerent uxores: sicut narrat Sozomenus libro primo, capite uigesimotertio. Etsi autem synodus Nicæna ea de re nihil statuit, sed eam in uniuscuiusque arbitrium reiecit, neminiq; necessitatem imposuit, ut refert idem Sozomenus loco iam annotato: tamen cum plerique doctores nimium in eam sententiam inclinarent, imò eam publicè profiterentur, nimirum non licere sacerdotibus habere uxores: in consuetudinem & necessitatem paulatim ea res abijt, ut uxores sacerdotes, quas Laici legitimè duxissent, post initum sacerdotium non quidem ut alienas à se reijcerent, sed ab earum tantum consuetudine abstinerent. Refert Socrates libro quinto, capite uigesimosecundo, quendam Heliodorum clericum, qui libros amatorios composuerit, in Thessalia autorem fuisse consuetudinis, quæ etiam in Macedonia & Hellade recepta sit, ut si clericus factus, cum uxore quam ante clericatum legitimè duxisset, dormijsse compertus esset, abdicaretur. Eiusdem consuetudinis etiam promotorem fuisse Eustathium, quem synodus Gangrensis in Paphlagonia damnauit, eo quòd tum alia multa cõtra regulas Ecclesiasticas gessisset, tum uerò præcipuè quòd nubere prohibuisset, & multos qui nupserant à connubio separasset, & preces in domibus coniugatorum fieri prohibuisset: & presbyteri, uxorem quam adhuc laicus legitimè duxisset habentis, benedictionem & communionem, tanquam abominationem declinare iussisset. Indicat Socrates libro secundo, capite quadragesimotertio. Causam eius rei finxerunt, occupationem in munere docendi. Sicut libro primo de demonstratione Euangelica, cap. 9 Eusebius scribit: Ministros uerbi Dei, ab omnib. uitæ uinculis, & solicitudinibus debere esse liberos. Item: Qui sacrati sunt, inquit, atq; in Dei ministerio cultuq; occupati, cõtinere deinceps seipsos à cõmercio uxoris decet. In qua ratione ex-

ne exaggerãda multus adeò præ cæteris Hieronymus est, in pluribus locis. ut in expositione capitis tertij epistolæ prioris ad Timotheum, ubi: Omnes, inquit, episcopi abstinere debent à conuentu fœminæ, quia necesse est eos quotidie præsto esse in ecclesia. Nam si plebeijs hominib. orationis causa ad tempus abstinere se Paulus præcipit, ut uacent orationi: quanto magis leuitis aut sacerdotibus, quos die noctuq; pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo esse debent cæteris, quia actiones DEI sunt. Et libro primo aduersus Iouinianum: Si laicus, & quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: Si semper orandum est, ergo semper carendũ matrimonio est. Et rursus, pro libris aduersus eundem: Apostoli, inquit, uel uirgines, uel post nuptias cõtinentes, episcopi, presbyteri, diaconi aut uirgines eliguntur, aut certè post sacerdotium in æternum pudici. Mitigationem tamen aliquam diaconis ecclesiæ admisisse aliquando canones uidentur concilij Ancyrani, ut in primo tomo Conciliorũ legitur: quibus statutũ est, ut qui se diaconos ordinari expeterent, si se ducturos prædicerent, coniuges postea ex permissu essent episcopi. Si qui uerò ante manuum impositionem, cõtinentiam se seruaturos uouissent, ac postea tamen ducerent, deponerentur.

DE GRADIB. PERSONARVM.

HAbuit etiam hæc ætas præcipuos Ecclesiasticę dignitatis gradus, nimirum episcopos, presbyteros & diaconos. Nam Ambrosius in libro de dignitate sacerdotali: Aliud est, inquit, quod ab episcopo requirit Deus, aliud quod à presbytero, aliud quod à diacono. Nec Dionysius de Hierarchia ecclesiastica, plures quàm hos tres recenset. Et Optatus Mileuitanus libro secundo contra Parmenianum inquit: Certa membra sua habet Ecclesia: episcopos, presbyteros, diaconos, ministros, & turbam fidelium. Idem libro primo, episcopos in primo, presbyteros in secundo, diaconos in tertio sacerdotio esse dicit. At apud ueteres quidem Hieronymus testatur ad Nepotianum, eosdem fuisse episcopos & presbyteros: eo tantum discrimine, quòd illud dignitatis, hoc ætatis fuerit nomen. quę ratio postea propter schismata & ordinationes sit mutata. Et Ambrosius ait in libro de dignitate: Episcopi & presbyteri una ordinatio est, uterq; enim sacerdos est: sed episcopus primus est. Verùm quemadmodũ sub finẽ seculi superioris cœperunt augeri cœtus Ecclesiastici, & ceremoniæ cumulari, & operæ presbyterorũ & diaconorũ in plura genera distribui, eo quòd pauciores ijs efficiendis nõ essent pares: ita hoc seculo, nõ tantũ recepta illa personarum discrimina in usu manserũt, uerùm etiã subinde plures accreuerunt. Hinc Ambrosius inquit lib. 1. Officiorum, cap. 44. hoc modo: Alius distinguendæ lectioni aptior est, alius psalmo gratior, alius exorcizandis qui malo laborãt spiritu solicitior, alius sacrario opportunior habetur. Et Eusebius lib. 8. cap. 6. episcoporũ, presbyterorũ, diaconorũ, lectorũ, & exorcistarũ mentionẽ facit. Idem lib. 3. de uita Cõstantini, in Nicæna synodo episcopos, presbyteros, diaconos & acoluthos fuisse affirmat. Meminit & Hieronymus ad Nepotianum, Lectoris, psaltæ, & acolythi. Sozom. lib. 4. cap. 3. in ecclesia Constantinopolitana & hypodiaconorũ quoddã fuisse officiũ refert, ac talẽ quendã ibi fecisse martyriũ indicat. Archidiaconi Alexandrini monachi, prælegentis sacrũ librũ, meminit Sozom. li. 7. cap. 19. Et Optatus Mileuitanus lib. 1. cõtra Parmenianũ, Cæcilianũ archidiaconũ uocat. Edessena etiã ecclesia archidiaconos habuit, qualis in ea fuit Ephrẽ: qui & in lib. de pœnitentia cap. 5. cõmunibus gradibus, episcopi scilicet, presbyteri, diaconi & lectoris, Abbatẽ annumerat. Quemadmodũ & uirgines, solitudinarios & cõtinentes: Epiphan. in cõpendiaria forma fidei, lib. 3. tomo 2. Sed quorũ in monasterijs potius, q̃ ecclesijs, usus fuit. Post eos Epiphanius usitatos recenset gradus: ut episcopos, presbyteros, diaconos, hypodiaconos, lectores, exorcistas. illisq; addit, laboratores et ianitores, quos Hostiarios Romana dixit ecclesia. Nec plures gradus historiæ de Syluestro Romano episcopo, & synodo sub eo celebrata, cõmemorant, q̃ episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolythi, exorcistæ, lectoris & ostiarij: in primo tomo Conciliorum. Postremò & præsidis Ecclesiæ officiũ inter dignitates Ecclesiasticas Epiphanius numerat, lib. 2. tom. 2. hæresi 68. & lib. 3. tomo 1. hæresi 75. Et diaconissas li. 2. tom. 2. hæresi 88. quarũ & Sozom. meminit lib. 7. cap. 16. & Hieronymus in enarratione capitis 16. epistolæ ad Romanos. Iulianus autem Imperator, ad imitationẽ Christianæ religionis, quo fuco gentilissimũ suum promoueri putabat, etiam precatorũ ordinem instituit: sicut ostendit Sozomenus libro quinto, capite decimosexto: & Nazianzenus in oratione infamatrice in Iulian. Polydorus libro quarto, capite nono narrat, Marcellum Romæ constituisse quindecim cardinales, qui mortuos sepelirent, & infantes baptizarent.

Cleri porrò aut clericorum appellatio, recepta & hoc seculo fuit, & accommodata omnibus officijs seu dignitatibus Ecclesiasticis: Eusebius libro 10. cap. septimo. Rationem

nem quandam eius appellationis Hieronymus annotauit in epistola ad Nepotianum, de uita clericorum: Si cleros (inquit) Græcè, sors Latinè appellatur: propterea uocantur clerici, uel quia de sorte sunt Domini: uel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est.

Episcopi & Metropolitani dicebantur à præcipuis, seu primarijs ciuitatibus: sicut Basilium metropolitanum Cappadocum Sozomenus uocat libro tertio, capite decimosexto. Et Archiepiscopi: qualem Seleucię fuisse Simeonem, idem retulit libro secundo, capite octauo. Patriarcha totius alicuius prouincię, dicebatur Episcopus: ut Socrates indicat libro quinto, capite octauo. Hierarchia Ecclesiastica sub Dionysij nomine, episcopum etiam ἱεραρχὴν Pontificé nominat, Iudaico nimirum more.

Quæ uerò officia & ornamenta ueri sint episcopi, Nazianzenus exposuit in oratione de laudibus Basilij Magni, hæc de eo scribens: De cura, inquit, & præfectura ecclesiæ, multa uiri sunt indicia: loquendi libertas erga principes: discordiarum solutiones nõ supectæ, sed ab illius uoce signatæ: indigentium subsidia, plura quidem spiritualia, non pauca autem corporalia: pauperum sustentatio, hospitum receptio, uirginum congregatio: monachorũ institutio, tam scripta quàm oretenus prolata: precum ordinationes, gradus exornatio. Et de omnium sacerdotum officio Ambrosius libro primo, capite quinquagesimo, ex institutione Pauli, ad hunc modum: Non sint, inquit, auari, & lucri cupidi: habeant testimonium non fidelium solùm, sed etiam eorum qui foris sunt: uideant alta Dei, agant excubias pro populo: defendant castra: sint continentes, sobrij, benefici, deposita seruent ac reddant, furto quæsita non suscipiant, iniustum iuramentũ & promissum non seruent. Et libro decimo Epistolarum, epistola octuagesimasecunda, ad ecclesiam Vercellensem: Neq; mediocris est, inquit, uirtus sacerdotalis, cui cauendũ non solùm, ne grauioribus flagitijs sit affinis, sed ne minimis quidem: ut sit promptus ad misericordiam, promissum non remordeat, lapsum reuocet, cõpatiatur dolori, mansuetudinem teneat, pietatem diligat, iram depelat, uel decoquat: sit quidã lituus plebis excitandæ ad deuotionem, mitificandę ad tranquillitatem, &c.

Quod ad operas deinde Ecclesiasticas attinebat, episcopi munus fuit populum docere, quod & presbyterorum officium erat: sed in Alexandrina ecclesia, post Arium, episcopi solius: ut Socrates indicat libro quinto, capite uigesimosecundo. Ordinatio ministrorum propria erat episcopi: quo solo iure cæteris sacerdotibus præstantiorem esse episcopum, Hieronymus scripsit ad Euagrium. Sed tamen etiam presbyteris, si episcopi uoluntas & permissio accessisset, licuisse, canon decimustertius concilij Ancyrani ostendit. Pertinuit etiam sacramentorum administratio propriè ad episcopos: sed cum iussione episcopi, etiam presbyteri fuisse, Hieronymus indicat aduersus Luciferianos.

Episcoporum uicarios, canones conciliorum Ancyrani, Neocæsarienſis, & Antiocheni, si quam fidem habent, Chorepiscopos nominant: quæ uox etiam apud Basilium extat, epistola quinquagesimaquarta. Et Sozomenus libro secundo, capite decimoquarto, Maureandam chorepiscopum cuiusdam Bicoris episcopi Persarum appellat. De illis canon decimustertius concilij Neocæsarienſis ad hunc modum: Vicarij episcoporum, quos Græci chorepiscopos uocant, constituti sunt quidem ad exemplum septuaginta seniorum, sed tanquam consacerdotes, propter solicitudinem & studium in pauperes, offerant, & honorabiles habeantur. Est & prolixa epistola Damasi inter decretales Romanorum episcoporum, ad Prosperum Numidiæ episcopum, in qua fusius se ab eo de chorepiscoporum officio consultum, prolixè respondet: Chorepiscopos nihil amplius esse quàm presbyteros: quodq; non liceat illis cõsecrare sacerdotes, nec diaconos, nec subdiaconos, nec uirgines, nec altare erigere, nec ecclesias dedicare, nec chrisma conficere, nec ungere, &c. sed ab omnibus remoti sint pontificalibus officijs, nec in sacerdotum catalogo habeantur. Quibus similia & in canone decimotertio concilij Ancyrani, & decimo Antiocheni, dicentur.

Presbyteri, præterquam quod plebem docebant, etiam lites & discordias componebant. Adparet id ex Epiphanio libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimanona. Erant & legati in accusationibus hæreticorum, ut ex eo rursus apparet libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimasexta: ubi & partem officij eorum significatur fuisse, pauperum & hospitum curam in Xenodochijs agere. Sed & cura & custodia bonorum Ecclesiasticorum ad eos pertinebat, ut uidere est ex Sozomeno libro quinto, capite octauo, qui Theodoritum presbyterum Antiochiæ custodem fuisse precioſorum uasorum ecclesiæ, indicat. Sed in Africanis ecclesijs, custodiam sacri calicis, quo utebantur in communione, penes præsides seu episcopos Ecclesiæ fuisse, constat ex Athanasio, apologia secunda. Constantinopoli, longa & recepta consuetu-

ſuetudine, presbyter pœnitentibus ſatisfactionum leges præſcribebat, & abſoluebat. Quod officium Nectarius primus ibi poſtea abrogauit. Sed in Romana eccleſia id munus presbyteris manſit. Socrates libro quinto, capite decimonono.

De diaconorum officio Epiphanius libro tertio, tomo ſecundo, hæreſi ſeptuageſimanona: Diaconis, inquit, in Eccleſia non concreditum eſt, ut aliquod myſterium perficiant: ſed ut adminiſtrent ſolum, & exequãtur commiſſa. Et lib. 2. tom. 2, hæreſi ſeptuageſimaprima, oſtendere uidetur, Diaconos ad publicas diſputationes Eccleſiaſticas admiſſos eſſe, ut notariorum & exceptorũ munere fungerentur. Quod etiam confirmat exemplum Athanaſij. Is enim cum eſſe diaconus, cum epiſcopo ſuo Alexandro ſene uenit ad Nicænam ſynodum, & hæreticorum dolis & fallacijs patefaciendis & refutandis non parum Alexandrum adiuuit. Ruffinus libro primo, capite decimoquarto. Eoſdem uerò ad cuſtodiam domus eccleſiæ Conſtantinus conſtituit: quemadmodum Euſebius indicat libro quarto de uita Conſtantini. Videtur & pauperum cura diaconis commiſſa fuiſſe: quod de Marathonio diacono Macedonij Conſtantinopoli, Sozomenus retulit libro quarto, capite uigeſimo. Ambroſius in quartum caput ad Epheſios dicit, in prima eccleſia tempore Apoſtolorum conceſſum fuiſſe omnibus, & euangelizare, & baptizare, & ſcripturas in eccleſia explanare: uerùm poſtea, ubi eccleſia omnia loca circumplexa ſit, conuenticula conſtituta, & rectores, & cætera officia in eccleſijs ordinata eſſe, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret ſibi non eſſe creditum uel conceſſum. & hinc eſſe, quòd nunc, hoc eſt ſuo tempore, neque diaconi in populo prædicent, neque clerici uel laici baptizent. Hieronymus ad Euagrium, ubi errorem eorum refellit, qui presbyteris diaconos æquandos eſſe contendebant, ad officium, quod diaconi appellatio repræſentat, reſpexit, cum de diacono loquens ait: Quid patitur menſarum & uiduarum miniſter? ubi & diaconũ inter preſbyteros Romæ ſedere non licuiſſe, ſed ſtare, indicat. Ad quod & canon uigeſimus concilij Nicæni alluſit, qui & cæteras partes officij diaconorum complectitur, hoc modo: Ne diaconi presbyteris præferantur, neue ſedeant in conſeſſu presbyterorum, aut illis præſentibus Euchariſtiam diuidant, ſed illis agentibus ſolum miniſtrent. Si uerò preſbyter nullus ſit in præſenti, tunc demum etiam ipſis liceat diuidere. Ruffinus libro primo, capite ſexto.

Conſtitutiones Sylueſtri apud Antoninum, titulo nono, & in primo tomo Conciliorum, diaconis parêre iubent ſubdiaconos: his uerò acolythos, acolythis contrà exorciſtas, quibus rurſus lectores, lectoribus uerò oſtiarios, oſtiario abbatem, abbati monachos. Exorciſtas Epiphanius in compendiaria forma fidei eccleſiæ, Eiuratores interpretatur: & interpretes fuiſſe ait, linguæ in linguam, ſiue in lectionibus, ſiue in colloquijs. Facit & laboratorum ordinem, quorum fuit curare & obuoluere corpora mortuorum. Hos uerò à Conſtantino fuiſſe inſtitutos, & in numero & ordine clericorum habitos, ſignificat quædam filiorum Conſtantini conſtitutio, quæ extat libro decimoſexto codicis Theodoſij. Meminit & diaconiſſarum, ad hunc modum de officio earum loquens: Diaconiſſæ conſtituuntur in miniſterium mulierum ſolum, propter reuerentiam, ſi opus fuerit balnei gratia, aut uiſitationis & inſpectionis corporum. Et libro tertio, tomo ſecundo, hæreſi ſeptuageſimanona: Miniſtrarum quidem, diaconiſſarum appellatarum, inquit, ordo eſt in Eccleſia: ſed non ad ſacrificandum, neque ut quicquam aggredi permittantur: uerùm reuerentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut uiſitationis affectionis, aut laboris. Et quando nudatum fuerit corpus mulieris, ut ne à uiris ſacrificantibus cõſpiciatur, ſed à miniſtrante muliere: cui præcipitur à ſacerdote, ut curam gerat ad temdationis corporis ipſius. Obſeruandum eſt autem, quòd diaconiſſis ſolum indiguit Eccleſiaſticus ordo, uiduasque eas nominauit: & ex his adhuc ſeniores, aniculas, nuſquam autem presbyteridas aut ſacrificulas conſtituit. Hinc canon poſtremus concilij Nicæni apud Ruffinum libro primo, capite ſexto, ſanxit: diaconiſſas numerandas eſſe inter laicos, ideo quòd impoſitionem manuum non accipiant. Hieronymus tamen in expoſitione capitis decimiſexti, epiſtolæ ad Romanos, diaconiſſas in Orientalibus eccleſijs miniſtraſſe ſcripſit in baptiſmo, ſeu etiam priuatim in miniſterio uerbi. Et recitat conſtitutionem Theodoſij Imperatoris Sozomenus libro ſeptimo, capite decimoſexto: qua præcepit, ne miniſterium Dei mulieribus committeretur, priuſquam liberos procreauiſſent, & annum ſexageſimum exceſsiſſent. Idem etiam mulieres, quæ raſis eſſent capitibus, eccleſijs expellit: & epiſcopos, eas admittentes, epiſcopatu priuari iuſsit. Extat ea lex adhuc hodie, l. Nulla. C. de epiſcopis & clericis.

Fuerunt etiam quidã epiſcopi donis miraculorũ clari, ut Paphnutius Ægypti epiſcopus: per quẽ nõ minus ſigna eſſe facta quàm per

per Apostolos, Ruffinus refert libro primo, capite quarto. nam dæmones uerbo tantum fugabat, & ægros sola oratione curabat. Spiridion Cypri episcopus dono prophetię claruit: Ruffinus libro primo, capite quinto. Frumentius etiam ab Athanasio episcopus Indorum factus, miracula fecit Apostolica, quibus Indos conuertit. Ruffinus libro primo, capite nono. Millem, seu Milesium, uitam apostolicam imitatum esse, & peram duntaxat circumtulisse, in qua sacrum Euangeliorum codicem tantum habuerit, & multa miracula fecisse, commemorat Sozomenus libro secundo, capite decimoquarto: & Theodoretus libro primo, capite septimo, tempore Nicænæ synodi multos Apostolicis donis excelluisse.

Fuerunt postremò inter monachos seu eremitas hac ætate, uiri donis miraculorum præstantes & celebres: ut Antonius, eiusque discipuli & sectatores, Macarius uterque, Isidorus, Heraclides, Pambus: sicut Ruffinus indicat libro primo, capite octauo: & libro secundo, cap. quarto. Et Moyses: Ruffinus libro secundo, capite sexto. & Beniamin, Scyrion, Helias, Paulus uterque, Pamon, Ioseph. Ruffinus libro secundo, capite octauo. & Ioannes monachus in Thebaide, dono etiam prophetię claruit sub Theodosio: ut est apud eundem libro secundo, capite 19 & 32.

DE RATIONE GVBERNATIONIS.

EPiscopi in singulis uerbibus, singuli & ipsi præsidebant, sicut de Alexandrina ecclesia Epiphanius ait libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimaoctaua, nunquam eam duos simul habuisse episcopos. Et Sozomenus libro quarto, capite decimo quinto, regi à duobus gubernatoribus unã & eandem ecclesiam, à legibus Ecclesiasticis affirmat esse alienum, ac dissidij præ se ferre speciem. Ait & Hieronymus in tertium caput epistolæ prioris ad Timotheũ: Nunc unus est in ciuitate episcopus. Et Ruffinus libro primo, capite sexto recitat, decimo Canone concilij Nicæni prohibitum esse, ne in una ciuitate essent duo episcopi. Sed tamen sub Constantio, cum Liberius Romanus episcopus esset in exilium missus, & interea Fœlix ordinatus, non sine sanguine & seditione, & postea Liberius ab exilio reuocaretur, synodus Syrmiana statuit, ambos debere Apostolicam procurare sedem, & cõmuni sacerdotio concorditer fungi. Sozomenus libro quarto, capite decimoquinto. Ab episcopis igitur, cum series & summa uniuersa gubernationis Ecclesiasticæ tanquam à capite penderet, operas mutuas cum presbyteris & diaconis inter se partiebantur: quorum, pro magnitudine & condi tione cuiuslibet Ecclesiæ, indifferens erat numerus: aut septenarium certè numerũ, in quantumuis amplis ciuitatibus, non excessisse, Sozomenus libro septimo, capite decimonono indicat. Nec enim plures quàm septem admisit canon decimusquartus concilij Neocæsarienſis.

Ac primùm quidem in gubernatione fuisse uidetur doctrina, & institutio Ecclesiæ: quam communem & episcopis & presbytetis ferè fuisse, suprà monuimus. In ea diligenter se accommodarunt ad auditorum captũ, quos ex initijs simplicioribus & rudimentis, paulatim ad solidiora deduxerũt: quemadmodum Gregorius Nyssenus oratione prima rectè monet, Ecclesiæ duces initio documenta quædam, quæ sint instar elementorum, auditoribus proponere: deinde quasi per gradus ea quę perfectiora, magisq; recondita sint, patefacere. Ac rudiores quidem, qui ad pietatis disciplinas recens essent adhibiti, monuerunt, ut ad timorem Dei uitam instituerent. Qui uerò solidioribus dogmatis instructi essent, ut perfectioni secundum internum hominem studerent, sicut in Asceticis cap. quarto Basilius tradidit. Et uidentur episcopi certas aliquas formulas Catechisticas tradidisse rudioribus. Inquit enim Eusebius Pamphili in epistola ad Cæsarienses: Sicut ab anteceſſoribus nostris episcopis, cùm in catechismo, tum quando baptizati sumus, accepimus: & sicut ex diuinis scripturis didicimus: denique sicut in presbyterio, & in ipso episcopatu & credidimus & docuimus, ita & nunc credentes fidem nostram ad uos referimus. Socrates libro primo, capite octauo.

Idem in sermone, Non esse rebus secularibus adhærendum, etiam hoc in docendo, qui Ecclesijs præerant, obseruasse indicat: ut exortis publicis calamitatibus, ut incendijs, uastationibus, aut alijs, auditores admonerent de autore malorum diabolo: eosque ad quos publici mali pars aliqua deuoluta esset, consolarentur, adductis exemplis aliorum sanctorum, quibus similia accidissent, ut Iob, &c. Nihil autem damni perpessos cohortarentur, ut damno affectos fratres facultatibus suis subleuarent. Sicut & peculiaribus cantionibus alioqui auditores hortati sunt, ut in pauperes ac captiuos liberales essent ac benefici: sicut oratio Gregorij Nysseni, de pauperibus amandis, indicat.

In priuatis autem & publicis admonitionibus & doctrinis, prius obiurgabãt, si quid peccatum esset, deinde consolationes adhibebant. Extat eius formæ exemplum apud Ambrosium sermone sexto de Margarita: Satis, inquit, ad correctionẽ uestrã arbitror

posse sufficere, fratres dilecti, quòd anteriore Dominica profecturus, nulla uobis sacrarũ literarum spiritualia dona largitus sum: sed tantum eos increpans & arguens pro peccato, sine aliqua prædicationis consolatione dimiserim. Volui enim uos hoc ipsum intelligere, quàm grauiter peccaueritis, quod diuina eloquia audire minimè meruistis. Et: Ego fratres, pro magnitudine quod admiseratis delicti, nolui uobis pandere Euangelicæ refectionis eloquia: sed magis ingerere animosæ indignationis iniuriam, & prius uos uerberibus spiritualibus emendare, ac sic margaritæ ditare muneribus, & cætera.

Hæreses deinde, earumq; autores & sectatores taxarunt sedulò, euerterunt, & quantum fieri potuit submouerunt. Quod se strenuè præstitisse, Basilius de se, in libro de fide prædicat: Quousque, inquit, contra insurgentes hæreses pro tempore pugnandum fuit, secutus maiores nostros, consentaneum putaui & congruum, uarietati superseminatæ à diabolo impietatis, contrarijs uocibus coercere, aut etiam subuertere subinductas blasphemias. Narrat & de Basilio Ancyrano Epiphanius libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimaprima: quòd contra Photinum hæreticum publicam disputationem habuerit. cuius rei exempla plura in capite de hæresibus suprà adduximus. Damnatos etiam, erroris q; conuictos hæreticos, interdum expulerunt ex Ecclesijs, cum omnibus consentientibus: sicut ea autoritate in Arium Alexãder usus est, ut suprà diximus.

Libertatem reprehendendi uitia & flagitia, in omnib. sine respectu alicuius seu dignitatis, seu ordinis, usurparũt. Quin & presbyteri, si quid uitij in Episcopis animaduerterunt, taxare & accusare eos non dubitarunt. Sic Flauianus presbyter Antiochiæ. Paulini hypocrisin & simulationem, qua & Damasi & Apollinaris hæretici declarati, partium se esse asseuerabat, apertè coarguit. Recitat exemplum Theodoretus libro quinto, capite tertio. Ambrosius libro decimo, epistola octuagesimatertia, reprehendit pastores, quòd dies Aegyptiacos obseruent. Magistratus uerò, si quid delinquerent, liberrimè reprehenderunt. Sicut Ambrosius uixdum episcopus electus, in colloquio cum Theodosio, summa cum libertate taxat prætorũ iniusta facta: quod in eo Imperator probat, & cæteris eum malis secundum præscripta diuinarum legum mederi iubet. Theodoretus libro quarto, capite septimo. Imò & Imperatorem ipsum postea, ob cædem Thessalonicæ perpetratam, durisimè tractat: sicut idem narrat libro quinto, capite decimooctauo. Cæcilianus Lucillam arguisse dicitur, apud Optatum Mileuitanum libro primo, contra Parmenianũ. Hilarius librum contra Constantium scripsit, in quo uehementissimè in eum inuehitur: & inter alia accusat, quòd acta Nicænæ synodi rescinderit. Arguit et audacter Valentini Imperatoris scelera Britannio Scythiæ ecclesiarum gubernator: apud eundem libro quarto, capite trigesimoquinto. Ac si qui turbationum in Ecclesijs autores fuissent, si quiescere nolent, ab Episcopis de ijs ad magistratus referebatur, ut punirent: sicut Constantinus Cæcilio Carthaginensi mandat, ut turbatores reprehensos, & in impietate perdurantes, proconsuli deferat, ut supplicium ab ijs ille sumat. Eusebius libro decimo, capite sexto.

Ita & in omnes cuiuscunque loci & ordinis homines facinorosos & pręfractos censuram seueriorem exercuerunt. Pater Eustathij, episcopus Cæsariæ Cappadociæ, sicut habitu, atq; ab eo ordine suo alieno quosdam offenderat, loco suo & dignitate priuauit: quemadmodum Socrates refert libro secundo, capite quadragesimotertio. Ambrosius, Imperatorem alioqui pium, ob interfectos ciues Thessalonicenses, excommunicauit. Nec hæreticis, si resipiscere nolent, piorum gubernatorum quisquam pepercit: ut exempla multa hinc inde testantur. Et de abscindendis incorrigibilib', Ambrosius libro secundo Officiorum, capite uigesimoseptimo, bene monet: Cum dolore amputatur, inquit, etiam quæ putruit pars: & diu tractatur, si potest sanari medicamentis. Si non potest, tunc à medico abscinditur. Sic episcopi affectus boni est, ut oportet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera: adurere aliqua, non abscindere: postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere. Nectarius Diaconum, qui concubuerat cum muliere nobili, ab officio remouit. Socrates libro quinto, capite decimonono.

Auditorum suorum cœtus, doctorum alij aliter distinxerunt. Basilius in rudes seu tyrones, & perfectiores, Ecclesiam distinxit (quemadmodum diximus) in Asceticis. Epiphanius in uirgines, solitarios, continentes, uiduas, coniuges & sacerdotes, & qui sub ipsis essent. Ambrosius auditores omnes in duos distinxit cœtus, Laicorum et Clericorum: in lib. de dignitate sacerdotali, cap. secundo. Hieronymus in catechumenos, fideles & pœnitentes: in expositione capitis septimi Epistolæ posterioris ad Corinthios, & lib. quinto Commẽtariorum in Esaiam. Dionysij uerò Hierarchia ecclesiasti-

ca, catechumenorum, energumenorum & pœnitentium cœtus numerat. Energumenis tamen superiores, facit uoluptatibus, fœdisque libidinibus & perturbationibus obnoxios.

Preces sacras ordinarunt pro omnibus rebus necessarijs: pro felici Imperij statu, pro Imperatoribus, pro salute Ecclesiæ, pro publica tranquillitate, pro inimicis, pro nondum conuersis: quemadmodum exemplis suprà in commemoratione rituum Ecclesiæ ostendimus. Socrates libro secundo, cap. trigesimoseptimo: Theophilus Alexandrinus lib. tertio Paschali.

Et quidem episcopos diligenter pro ecclesiarum suarum salute orasse, exemplum Alexandri testatur, per totam noctem contra Arium, Dei auxilium implorantis, his uerbis: Iudica Domine inter me & Eusebij minas, atque Arij uim: apud Ruffinum libro primo, cap. duodecimo & decimotertio. Orasse etiam eos pro dissentientibus & hæreticis, ex Optati Mileuitani lib. quarto contra Parmenianũ constat. inquit enim: Oramus pro uobis.

Ceremonias, quas ob ordinem bonum & disciplinam aut instituerint, aut mutarint, suprà retulimus. Constantinopoli ritum circa pœnitentiam & confessionem, cui presbyter multis temporibus peculiaris præfuerat, Nectarius primus abrogauit: & statuit, ut pro suæ quisque conscientiæ ratione, ad communionem mysteriorum accederet: propterea quòd mulier quædam nobilis, concubitum cum diacono in ecclesia, in confessione presbytero pœnitentiæ prodidisset: factumque illud turbas multitudini, & Ecclesiæ infamiam peperisset. Socrates libro quinto, capite nono. Ambrosius etiam ritum illum mutauit, quo Imperatores in sacrario apud sacerdotes considere in sua ecclesia solebant, & iussit Theodosium ante cancellos sacrarij sedere: ut refert Sozomenus libro septimo, capite uigesimoquarto.

Quas uerò ceremonias non necessarias, nec cum uerbo Dei congruentes excogitarint (ut accensiones candelarum interdiu in templis, quas Constantinus instituit: templorum recens extructorum consecrationes, exornationes superbas, aliaque superstitiosa, quorum maximam partem Constantinus excogitauit, & in multas ecclesias propagauit) suprà quoq; diximus. Sed nimia in primis & superstitiosa Romanę Ecclesiæ insolẽtia fuit, circa missæ celebrationem: quam in nullis, præterquam ab episcopo sacratis locis faciendam, concilium Romanũ sub Syluestro constituit.

Ordinationes ministrorum, quot & quibus ritibus celebrarint, suprà quoque retulimus: tum quòd ad gradus Ecclesiasticos eminentiores per inferiores dignitates ascenderint. sicut Basilium interpretem sacrarum literarum & presbyterum primum fuisse, deinde ad episcopatum ascendisse, Naziãzenus scripsit, oratione in laudem Basilij. qui & per omnem graduum seriem transijsse Athanasium, in alia quadam oratione, de funere Athanasij, tradidit.

Episcopi & temporum rationem ac festa Ecclesijs suis denunciarunt: sicut Basilius se indicasse ait festum diem Iulittæ martyris, in sermone in martyrem Iulittam. Et episcopus Alexandrinus per omnes ecclesias & monasteria Aegypti, propter Quadragesimæ initium, & Paschatis rationẽ, Theophili epistolas misit: ut in collationibus suis Cassianus indicat.

Iidem & in causis ciuilibus sententias pronunciabant, si qui à iudicijs ciuilibus ad eorum autoritatem appellassent. Quam rem propter ueneration em episcoporum adeò Imperator Constantinus adprobauit, ut ratas haberi, potioresque quàm aliorum iudicium senrentias, nec minus quàm si ab ipso Imperatore essent pronunciatæ, per magistratus & milites, magistratuum ministros, ad effectum perduci, lege edixerit: ut Sozomenus testatur libro primo, capite nono. Sicut & alijs politicis negocijs episcopi & metropolitani interdum occupabantur. Nam Philæas Thmuitanorum episcopus, muneribus ciuilibus ritè & decenter obeundis, clarus fuisse dicitur. Nicephorus libro septimo, capite nono. Et Flauianus pro Antiochenis intercessit apud Theodosium. Sozomenus libro septimo, capite uigesimotertio. Quemadmodum de Epiphanio Salaminæ episcopo Sozomenus narrat libro sexto, capite trigesimosecundo, magna eum cum uirtute rebus etiam politicis fuisse inuolutum. Idem & libro eodem, capite trigesimosexto: Vlphilam Gotthorũ episcopum legatione apud Valentem Imperatorem, pro impetrando hospitio Gotthorum, functum tradidit. Et Maruthas Mesopotamię episcopus, ab Imperatore Romano ad regem Persarum missus scribitur à Socrate, libro septimo, capite octauo. Quidam sacerdotes apud Theodosium testati sunt de innocentia Arbogasti. Ruffinus lib. 2, capite trigesimoprimo.

Ea uerò res hoc seculo noua est, nec superioribus fuit in usu, cum ab Imperatoribus tum clerici, tũ laici Christiani opprimerentur adeò, ut ne clerici quidem à publicis oneribus essent immunes. Hæc autẽ Constantini cõcessio, appellandi à ciuilibus iudicijs ad episcopos, causam prębuit Antichristo, ut

regnum Christi in politicum trâsformaret, & se supra magistratum paulatim efferret: & ex Ecclesiæ ministris & doctoribus, Dictatores et Reges faceret: spreta interim et abiecta salutari animarum cura. Hinc de Arianorum episcopo Gregorio Ruffinus dicit libro primo, capite uigesimotertio, quòd magis sibi iuris dicendi creditos fasces, quàm sacerdotium ministrandum religiosis officijs æstimarit. Et Lucius Arianorum Alexandrię episcopus, per armatam manum equitum & peditum, quibus tribunos præpositos & duces prę fecit, persequutus est orthodoxos. Ruffinus libro secundo, capite tertio. Nonum etiam illud est hoc seculo, quòd curam ædificandarum basilicarum Imperatores episcopis aliquando commiserunt. nam Constantinus Macario episcopo Hierosolymitano ædificationem basilicæ in loco Sepulchri Christi demandat. Eusebius libro tertio de uita Constantini. Et Damasus ac Platina, & alij uitarum põtificum descriptores, passim Romanis episcopis templorum ædificationes adscribunt. Et Sozomenus libro quarto, cap. decimotertio, Basilium Ancyranum templum ædificasse narrat.

Armati legibus Imperatorum, etiam sub Theodosio cœperunt episcopi templa idolorum destruere: ut est exemplum in Marcello Apameę episcopo. Theodoretus lib. quinto, cap. uigesimoprimo: Et Theophilo Alexandrino, Theodoretus lib. 5. cap. 22.

Nouum etiam, & hoc seculo ortum & usurpatum, episcoporũ officium esse, cõsecrare templa, indicat autor libelli de passione imaginis Domini apud Athanasium. Et reliquias sanctorum conquirere, & transferre, & populo commendare: ut patet ex libro decimo, epistola octogesimaquinta, apud Ambrosium.

Est etiam hoc nouum hoc seculo, quòd episcopi cœperunt simul ecclesias & monachorum instituta regere: quod Ambrosius lib. 10, epistola octogesima secunda, de Eusebio Vercellẽsi affirmat, cum ait: In Vercellensi ecclesia duo pariter ab episcopo exigi uidentur, monasterij continentia, & disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diuersa inter se, Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, ut & in ciuitate positus instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Multũ enim adiumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, & normam integritatis, iuuẽtutem adstringat: & uersantes intra urbem, abdicet usu urbis & conuersatione. Pertinebat etiam ad officium episcoporum, prouidere ne matrimonium inter sese contraherent ij quibus uetitum est, uel lege diuina, uel humana: ut ex Ambrosij libro octauo, epistola sexagesimasexta apparet. Et ex libro nono, epistola septuagesima, in qua Vigilium iubet docere plebẽ, ne ex alienigenis, sed ex domibus Christianis coniugij quæratur copula.

Vtrum autem etiam monachorum aut eremitarum aliquis in ecclesijs, extra monasteria fuerit locus, affirmari non potest. Narrationes sequentes ostendent, lectos interdum ex monasterijs in Ecclesias fuisse eruditos & probatos episcopos & presbyteros. Sic Moyses monachus, Sarracenorũ ordinatur episcopus. Ruffinus libro 2. cap. sexto. Interdum etiam præcipui & celebriores monachi, ueris doctoribus, calumnijs, delationibus, insidijs, aut quibuscunq; impetitis iniurijs, ueritatis testimonium perhibuerunt: sicut Antoniũ Alexandriã profectũ aliquando fuisse, ut fidei Athanasij, propter aduersarios & calumniatores laboranti, testimonium ferret, scripsit Sozomenus libro tertio, capite decimo. Videntur & introductionibus recens lectorum episcoporum, monachi interesse soliti. Sic enim Petrus Alexandrinus, Lucij Ariani lupi intrusionem contra leges factam pronunciauit, quòd ingredienti ei in urbem & ecclesiam Alexandrinam, non adfuissent præter cæteros uitæ solitariæ cultores, cum hymnorum cantu eum deducentes. Theodoretus libro quarto, capite uigesimosecundo: ex epistola Petri Alexandrini. Eremitæ etiam suis scriptis, obiurgationibus, & cohortationibus, & alijs officijs iuuerunt ecclesias: ut est exemplum in Ephrẽ Syro. Sozomenus libro tertio, capite decimoquinto.

DE SYNODIS PRIuatis.

FVisse ueterem, & legibus etiam receptũ morem, in Ecclesijs maximè celebrioribus, ut Ecclesiasticæ personæ, si quid de doctrina aut rebus Ecclesiasticis tractandum & declarandum incidisset, in synodum & consistorium quasi conuenirent, exempla huius seculi passim testantur. Extat epistola Ambrosij ad Valentinianum Imperatorem, libro quinto, epistola trigesimasecunda: in qua adeò defendit & probat id quasi ius Ecclesiæ, de rebus Ecclesiasticis iudicandi, ut earum nullam ad Imperatoris consistorium (sicut ipse loquitur) pertinere, constanter affirmet. Sic enim ibi: Si tractandum est, inquit, tractare in Ecclesia didici, quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio: sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ principe, qui nullas leges antè præmisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus. Et pater tuus (Theodosius) non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit,

sanxit, in causa fidei, uel Ecclesiastici alicuius ordinis, eũ iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. hæc enim uerba rescripti sunt: hoc est, sacerdotes de sacerdotibus uoluit iudicare.

Additur ibidem, negocia fidei seu doctrinæ, etiam populo præsente tractari, in more fuisse: maximè, si de præficiendo Ecclesiæ sacerdote, casus Synodum coegisset. Ait enim: Venissem, Imperator, ad consistorium clementiæ tuæ, si me uel episcopi, uel populus misissent, dicentes, de fide in Ecclesia coram populo debere tractari. Item: Si audierit illum populus, & putauerit melius disputare. Hilarius in libro ad Constantinum, hortatur tum Imperatorem, ut decernat, ut omnes se ubique iudices, quibus prouinciarum administrationes creditę sunt, ad quos sola cura publicorum negocium pertinere debet, à religiosa obseruantia abstineant, neque posthac præsumant & putent se cognoscere causas clericorum.

In priuatis igitur illis, hoc est, quæ sine conuocatione sacerdotum aliarum finitimarum Ecclesiarum frequẽtabantur, Synodis, iudicabant de doctrina, examinabant si quid à quoquam à fide alienum, aut nouum, aut inusitatum propositum esset. Sicut in Arij opinione, cum collegis suis fecit Alexander: ut refert Sozomenus libro primo, capite decimoquinto. In ijsdem, si qui prauas, & à scriptura alienas opiniones cõtumaciùs defenderent, nec abijcerẽt, damnabantur & exigebãtur: sicut Arius cum suo collegio expulsus est à synodo Alexandri. Theodoretus libro primo, capite quarto. Sic eundem Arium post exhibitam fucatam & fallacem fidei, quasi resipuisset, formulam Imperatori, noluit recipere Athanasius. Socrates libro primo, capite uigesimoseptimo. Idem & Marcellum, parum sanæ fidei compertum, à communione suspendit: ut Sulpitius indicat lib. secundo. Apollinarios ideo, quòd pertinacius adhærerent Epiphanio sophistæ, Theodotus Laodicensis episcopus Ecclesia eiecit: post actam uerò pœnitentiam, rursus recepit. Sozomenus libro sexto, capite uigesimoquinto. Abrogarunt deinde ceremonias, ex quibus incommodi aliquid Ecclesiæ prouenisset: sicut presbyterum pœnitentiarium, ut dictum est, priuata Synodo abrogauit Nectarius Constantinopolitanus. Socrates libro quinto, capite decimonono. Conferebant consilia de quæstionibus & rebus grauioribus, ad ministeriũ pertinentibus. Nam Alexander cũ cognouisset ab Athanasio puero, in puerili lusu officio episcopi fungente, alios pueros secundum ritum Ecclesiæ baptizatos esse, collocutus cum concilio clericorum, statuit illis, quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere. Ruffinus libro primo, capite decimoquarto. Transegerũt causas matrimoniales. Sicut Ambrosius ex sua Synodo Paternum quendam, qui filio neptem ex filia copulare uolebat, redarguit, & retrahit, libro octauo Epistolarum, epistola sexagesimasexta. In ijsdem rursus cõuentibus liberabantur personæ suspicionibus & falsis delationibus laborantes, ac damnabantur earum autores. cuius rei apud eundem exemplum extat libro eodem Epistolarum, epistola sexagesimaquarta, de Renato & Leontio, qui de Indicia uirgine falsum rumorem sparserant, expugnati pudoris & obruti partus. Sed ab Ambrosio in Synodum citati, eius iudicium subterfugerunt. post quod nihilominus cognita puellæ innocentia, probam eam & incorruptam Synodus pronunciauit, falsi rumoris autoribus Renato & Leontio excommunicatis, usquedum se pœnitentiam egisse probarent. Causas etiam ciuiles & lites in eiusmodi Synodis componebant. unde canon nonus tertię Carthaginensis synodi uetat, ne episcopi, presbyteri, diaconi & clerici accusati, ad iudicia ciuilia appellent, iudicibus Ecclesiasticis repudiatis: ideo quòd & priuatorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri præcipiat. Et Nicephorus libro septimo, capite quadragesimosexto testatur, Constantinũ iudicium & iurisdictionẽ in clericos, episcopis mandasse: et quod ij iudicassent, id robur & autoritatem sententiæ habere decreuisse.

Vicinarum denique ecclesiarum Episcopi, in unum aliquẽ locum simul relegati, inter ipsas exilij sui ærumnas, eiusmodi Synodos & communes deliberationes habuerũt de Ecclesiarum pace. Quod factitatum ab Eusebio & Hilario, Italicis episcopis, & Lucifero Sardiniæ in Thebaide, cùm eò à Constantio deportati essent, scribit Theodoretus libro tertio, capite quarto.

Leges & statuta, quæ pro conditione & necessitate interdum alicuius Ecclesiæ, in talibus Synodis hauddubiè publicata sunt, pauca sanè in hoc seculo, quod nondum impense nimium traditionum fuisse uidetur amans, reperias: nisi quòd Romana ecclesia (si tamen non usque adeò probatis testibus fides adhibenda est) in decretis condendis tota perpetuò fuit. Sic de Marcello proditum est, nullum clericum, in causa quantumuis criminali, in ius, apud iudicem secularem, uocandum esse. Item: Nullas esse conuocandas Synodos absque Romanæ sedis autoritate: summarumq; causarum iudicia eiusdem sedis autoritate esse agenda, & finienda. Quod & Damaso tri-

buunt. Qua ambitione & Meltiades ad episcopos Hispaniæ scripsit, ne episcopos aliquos iudicarent aut condemnarent absque sedis Romanæ authoritate: quòd hoc priuilegium Romanæ sedi, à temporibus Apostolorum, relinquendum, statutum fuisset. Verùm id sine certo testimonio dicitur. Sylvester uerò perquàm necessariò constituit, chrisma ab episcopo solo cõsecrandum esse. Et Eusebius, puellam etiam desponsam, si monasterium ingredi cuperet, nequaquam esse prohibendam. Item, Sacrificium altaris non in serico panno, sed in lineo esse consecrandum. Damasus etiã statuit, oblationum usum non esse permittendum laicis, sed sacerdotibus solis. Tomo primo conciliorum: Luitprandus, Hermannus Gigas, Platina.

DE BONIS ECCLESIÆ.

LArgitionibus aliorum, & mutuis collationibus uehementer locupletari hoc tempore Ecclesia cœpit. Primùm enim Maximinus, cum morbo graui correptus, decretum pro Christianis ederet, nominatim edixit, ut domus, prędia, & fundi in persecutionibus Christianis erepti, ad ius eorum reuocarentur. Eusebius libro nono, capite decimo. Deinde & Constantinus hortos ac domos Ecclesiæ, & quæcunq; alia, ad ius eius pertinentia, restitui iusit. Idem lib. decimo, capite quinto. Auxit uerò res Ecclesiæ, & augendi commoditates plures, in Ecclesiæ ipsius & pauperum usum, inuenit idem Imperator. Nam ex statuis ethnicis preciosioris materiæ, & quæ non æreæ solum essent, pecunias conflauit, & Ecclesijs contulit. Sozomenus lib. 2, cap. 5. Deinde ex publicis tributis, per singulas ciuitates, uectigal certum deduxit, ac cuiusque loci ecclesijs & cleris deputauit: eamq; munificentiam firmam ac perpetuam haberi lege statuit. Idem lib. primo, cap. octauo: & lib. quinto, capite quinto. Ac si qui martyrijs perfuncti, bonorum aliquid post se, sine liberis aut cognatis hæredibus reliquissent, in ærarium Ecclesiæ bona ea inferri lege sanxit: quemadmodum indicat Eusebius libro secundo de uita Constantini. Ecclesijs etiam frumentum de publico præstari iusit: quod cum Iulianus prohibuisset fieri, successor eius Iouianus edita lege præcepit. & postea Valentinianus & Gratianus in constitutione sua l. priuilegia. C. de Sacrosancta Ecclesia, inquiunt: Quia humanitatis nostræ est, egenis prospicere, & dare operam ut pauperibus alimenta non desint, salaria etiam quæ sacrosanctis Ecclesijs in diuersis speciebus de publico hactenus ministrata sunt, iubemus nunc quoque inconcussa, & à nullo prorsus imminuta præstari. Meminit & Athanasius de persecutione ad Orthodoxos, in historia irruptionis Alexandrinæ per Georgium, pecuniis cuiusdam ecclesiæ: ut uini & olei reconditi. Ibidemque in epistola ad Marcum Papam, uestimentorum Ecclesiasticorum, ornamentorumque & utensilium. Ac derebus contributis Ecclesiæ, Basilius epistola centesima quadragesima testatur, multos rotas domos usui ecclesiarum destinasse: alios uerò ultrò omnem suam ijsdem contulisse substantiam. Quod cum sub alijs Imperatoribus facere non licuisset, Constantinus constitutione id permisit. Extat ea constitutio l. 1. C. de sacrosancta Ecclesia. Cum autem ea quoque lege aboterentur quidam ministri Ecclesiæ, & monachi hæreditates captarent, & in testamenta irreperent: alia lata lex est à Valentiniano, Valente & Gratiano, cauens ne quid ex aliorum testamentis clerici & monachi priuatim caperent. Extat ea lex libro decimosexto Codicis Theodosij. Meminisse eius uidetur Hieronymus in sua ad Nepotianũ epistola, in qua dolere se ait, meritos illam esse Ecclesiarum ministros: & reprimendæ clericorum auariciæ necessariam fuisse fatetur.

Narrat Theodoretus libro tertio, capite duodecimo, ecclesiam Antiochenam plurima habuisse uasa preciosa, quæ dono ei ecclesiæ Constantinus & Constantius contulerant: in quæ Felix quæstor quidam Imperatorij thesauri sub Iuliano, petulanter illuserit: En, inquiens, qualibus uasis ministratur Mariæ filio. Ait & Sozomenus libro quinto, capite quinto & octauo, auunculum Iuliani Imperatoris, nomine etiam Iulianum, tum ex Antiochenorum templis, tum aliorum per Orientem Christianorum templis, plurima preciosissima anathemata, pecunias & uasa sacra diripuisse: ac custodem ipsorum Theodoritum presbyterum, thesauros eos prodere nolentem, flagellari, gladioq; cædi præcepisse. Imperator uerò ipse, Christianorum imitatione, maximam frumenti & uini summam sacerdotibus suis, pauperibus ac peregrinis exhibendam quotannis constituit: sicut ex eiusdem ad Arsacium epistola constat, apud Sozomenum libro eodem, capite decimosexto.

Romanã Ecclesiam locupletem fecisse uidentur testamento relictæ hæreditates & latitiones, sicut Sabellicus narrat Enneadis septimæ libro octauo: Lucinam quandam nobilem & prædiuitem fœminam, facultatum suarum hæredem instituisse ecclesiam Romanam, ideoque à Maxentio relegatam.

Præfuisse

Præfuisse autem bonis illis & reditibus undecunque, maximè tamen ex largitionibus, oblationibus & contributionibus in usum Ecclesiæ, ministrorum & pauperum collectis, episcopos ipsos, exempla aliquot testantur. Ideo enim Athanasium apud Constantinum Ariani eo nomine falso accusauerant, quòd lucri proprij gratia annonam Ecclesiæ uendidisset: ut Sozomenus narrat libro tertio, cap. nono. & Athanasius in Apologia secunda, ubi patres synodi Alexandrinæ in epistola ad omnes ubique Ecclesias inquiunt: Frumenrum dabatur à patre Imperatorum, in alimentum uiduarum, partim Lybicarum, partim Aegyptiarum, quod etiamnum accipiunt, Athanasio nihil inde nisi operam & laborem referente. Idem & Sophronium Pompeiopolitanum episcopum, ab Acacianis Constantinopoli cõgregatis, aliquando depositum fuisse indicat, quòd Ecclesiæ oblata defraudasset, et in proprios usus & quæstum conuertisset: lib. quarto, cap. uigesimoquarto. Idem rursus libro septimo, capite uigesimosexto, facultates quas Ecclesiæ in Cypro multi reliquerant, in custodia & cura Epiphanij episcopi fuisse significat. Quanquam & ibidem œconomi Ecclesiæ meminit, quẽ communem cum episcopo bonorum eorum curam & dispensationem sustinuisse, uerisimile est.

Vsus porrò quis fuerit istorum bonorum, ex his quæ iam retulimns, manifestum est: nimirum quòd quicquid alicui ecclesię prouentuum & facultatum fuerit, inde ministri, pauperes & peregrini sustentati sint. Quod autem ad ministros Ecclesiæ attinet, ad stipendia ab Ecclesijs collata, & oblationes, propria etiam, si qua possederunt, erogasse uidentur. Quin & manuum labore nonnullos eorum, sed sic uolentes, uictitasse, Epiphanius testatur libro tertio, tomo secundo, hæresi octogesima. Populi, inquit; ex iustis laboribus tribuant sacerdotibus, quæ ad alimentum pertinent, per primitias, oblationes, & alia. Et pòst aliquanto: Ex ipsis Dei sacerdotibus quidam unà cum prædicatione uerbi imitantes sanctum ipsorum (post Deum) in Christo patrem, Paulum inquam sanctum apostolum, etiam ipsi pro uiribus, etiamsi non omnes, attamen plures, proprijs manibus operantur: quamcunque tandem iuxta proportionem dignitati & Ecclesiasticæ curæ assiduitati conuenientem repererint artem, quo cum uerbo & prædicatione, conscientia ipsa gaudeat, dum etiam per manus proprias fructum affert, & sibi ipsi suppeditat, fratribusque ac indigentibus impertit ministerij fructum, ex primitijs inquam, & oblationibus, & ex manuum labore partis, propter excellentem affectionem erga Deum, proximis ultro impertiens. Quanquam ipsi ad hoc non cogantur, neque deputati sint, sed iusticiæ labores & operationem Ecclesiasticam habeant, & secundum iusticiam alantur: uerùm propter excellentem uoluntatis promptitudinem hoc faciunt. De stipendijs item & uictu ex proprijs, Ambrosius libro primo Officiorum, capite trigesimosexto: Qui fidei, inquit, exercet militiam, agelli sui fructibus, si habet, debet esse contentus: si non habet, stipendiorum suorum fructu. Hieronymus in epistola ad Damasum monet, non alios clericos stipendijs & sumptu Ecclesiæ ali debere, quàm quibus deesset patrimonium: neque aliunde, unde se sustentarent, ijs suppeteret. Et primitiarum, quæ sacerdotibus offerebantur, post Epiphanium, Hieronymus meminit libro tertio commentariorum in Ezechielem: Primitiæ, inquit, ciborum nostrorum sacerdotibus offeruntur, ut nihil gustemus nouarum frugum, nisi sacerdos antè gustauerit, &c. Eusebius libro decimo, capite sexto, etiam munerum Imperialium meminit, quæ missa à Constantino ad Cæcilium episcopum Carthaginensem, inter sacerdotes Africæ, Numidiæ & Mauritaniæ distribui iussit,

Præter stipendia uerò & oblationes, ut facilior uictus Ecclesiæ ministris esset, Constantinus etiam sacerdotibus ubique locorũ immunitatem concesit. Eusebius libro decimo, capite septimo: Sozomenus primo libro, capite decimonono. Quam deinde lata lege Constantini hæredes, Constantius pius adhuc, & Constans, recens constituerunt, & ratam haberi uoluerunt: scilicet ut clerici omnes cum pueris & domesticis eorum, immunes essent. Idem libro tertio, capite decimoseptimo. Sicut & eodem beneficio Constans Athanasium, cum omnibus consortibus eius, affici præcepit, cum eum Alexandrinis remitteret. Idem libro eodem, capite uigesimoprimo. Nec prius erepta sacerdotibus ea libertas & immunitas est, quàm cum ad imperium Iulianus peruenisset, qui hoc bono eos priuauit: sed quod subsecutus Iouinianus, integrum Ecclesiæ & ministris restituit. Theodoretus libro quarto, capite quarto, & undecimo: Sozomenus libro quinto, capite quinto.

Cum autẽ eam ob causam multi iam tum, ut immunes essent, clericorum collegio sese adiungerent: Constantinus edixit, ne uel Decurio, uel ex Decurione progenitus, uel etiam patrimonio instructus, atq; obeundis

publicis muneribus idoneus, in defuncti cleri locum cooptetur, inquiens: Opulentos publicas necessitates subire oportet: pauperes Ecclesiarum diuitijs sustentari. Et Valentiniani lex uetuit, plebeios diuites ab Ecclesia suscipi. Sed tamen Ecclesiastica prædia ordinarijs tributis fuisse obnoxia, patet ex lege tertia, Cod. de Episcopis & clericis: qua filij Constantini edixerunt, ut clerici prædiorum possessores, ad persoluenda tributa fiscalia compellerentur: neq; episcopi reclamarunt. Ambrosius enim de Valentiniano secundo loquens: Si tributum, inquit, petit, non negamus. agri Ecclesiæ tributum soluunt.

Post sacerdotes, proxima ex Ecclesiæ bonis ratio habebatur pauperum, (quorum procuratores fuisse uidentur diaconi: Sozomenus libro quarto, capite uigesimo) eorumq; qui egentes aliunde aduenissent. Illis enim frumentum largitus Constantinus est Alexandriæ. Sozomenus libro tertio, capite nono. Laudatur & Cyrilli episcopi Hierosolymitani pietas in pauperes, quod cum in magna aliquando fame, quæ regionem Hierosolymorum occupauerat, hominum multitudo cibo necessario destituta, ad eum tanquam episcopum respexisset, nec in promptu fuisset pecunia, uasa Ecclesiæ, quantumuis necessaria, preciosa quoque & sacra uela, in subsidium indigentium distraxit. Idem libro quarto, capite uigesimoquinto.

Quid ad insidiosam Christianæ gubernationis Ecclesiasticæ imitationem Iulianus fecerit, paulo antè meminimus. nimirum quòd ad Sacerdotum, pauperum ac peregrinorum subsidia, per uniuersam Galatiam, ingentem frumenti & uini copiam suppeditari curarit: frumenti scilicet in singulos annos, modiorum triginta millia: uini uerò, sexaginta millia sextariorum, quemadmodum ex literis ipsius ad Arsatium retulerunt Sozomenus libro quinto, capite decimo sexto: & Paulus Diaconus, in Iuliano. Cumque usitatum esset apud Christianos, pauperes peregrinantes certis notis & literis, ab episcopis ad alias ciuitates remittere, atque ut susciperentur & curarētur commendari, ipse idem imitatus est. Sed & admoneri gentiles iussit, ut & ipsi ad ministeria alendi pauperes, & prouidendi hospitibus (id enim à Christianis fieri uiderat) ultrò conferrent. Quid quod & hospitalia, quæ uocant, Christianorum imitari uoluit? Sic enim de ijs ad Arsatium ibidem: Frequentia, inquit, xenodochia per singulas ciuitates constitue, ut humanitate nostra peregrini fruantur, nō modò qui ex nostris sunt, sed & alij, quicunq; pecunijs destituuntur. Fuisse enim publica apud Christianos pauperum & peregrinorum diuersoria, eorumq; curā ad presbyteros interdum pertinuisse, etiam ex Epiphanio clarum est: qui libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimaquinta, de Eustathio hæc refert: Aërium presbyterum suum procuratorem fecit xenodochij, quod in Ponto ab alendis pauperibus Ptochotropheium appellatur. Talia enim quædam extruunt ob amorem hospitalitatis, ac mutilatos & imbecilles illic diuertere facientes, uictum suppeditant, ac necessaria prouidentes, Ecclesiarum præsides.

Contulit & Valens Imperator conuersus, optimos quosque agros, in pauperum nutricationem, eorumque curam Basilio cōmisit: ueluti Theodoretus narrat libro quarto, capite decimonono. Hieronymus denique in epistola ad Innocentium, opum Ecclesiæ meminit, quibus pauperes & senes alebantur: Anus, inquit, quædam, quæ Ecclesiæ sustentabatur opibus, &c. Et libro secundo commentariorum in Esaiam: Non Ecclesiasticis, ait, sustentatur uidua alimentis, nisi quæ sexaginta annorum est, & maturitatem habet morum pariter & ætatis. Vbi & publicam stipem ad sustentationem pauperum dari solitam, indicat. De bonis Ecclesiæ uirgines etiam & uiduas, propter egestatem inter cleros assumptas, ali solitas, constat ex Theodoreti libro primo, capite undecimo: ubi Constantinus frumētum ad eam rem ex fisco dari præcepit. Et Sozomeni libro quinto, capite quinto: ubi Iulianus ab ijs exigi iussit, quæ antea ab ærario publico acceperant. Est in scripto de munificentia Constantini, in primo tomo Conciliorum: Reges, præsides, ac magistratus per uniuersa terrarum regna, propria largitos esse Ecclesijs, ex quibus alerentur egeni.

Cœperunt etiam interdum hæretici, bonis Ecclesiasticis sibi suæ opinionis parare assecias & patronos. Narrat Sozomenus libro quarto, capite uigesimotertio, Acacianos Ecclesiasticis facultatibus corrupisse quosdam, qui erant in palatio Imperatoris Constantij. Imò Hieronymus ad Rusticum Narbonensem scribens, accusat episcopos, qui, quod commune Ecclesiæ erat, inuaderent, inq; suos priuatim usus conuerterent: conqueritur, infelicem clericum in plateis mendicare, episcopum solum incubare bonis. Solebant etiam Ecclesiæ, si Imperatorum deesset liberalitas, uehicula & sumptus suppeditare episcopis ad synodum euntibus: ut patet ex Theodoreto lib. secundo, capite decimosexto, ubi Liberius inquit: Neq;

Neq; indigent publicis uehiculis Ecclesiastica, cum suis episcopis ad mare mittendis quælibet Ecclesia suffecerit.

DE BIBLIOTHECIS.

Sicut in omnes partes Christianæ religionis Constantini Imperatoris excellens & indefessum prædicatur studium: Ita non postremam pietatis laudem hæc ipsius meretur industria, quòd exacta diligentia conscribi curauit libros sacros, eiq; negocio Imperiales impendit thesauros: sicut inquit Eusebius libro tertio de uita Constantini. Persecutores illi libros diuinitus inspiratos igne cremari & aboleri præceperant: hic contrà etiã illos ex Imperialibus thesauris multiplicari mandabat. Sic enim ea de re ad Eusebium Cæsariensem Constantinus scripserat, quemadmodum Socrates indicat libro primo, capite nono: Conueniens uisum est prudentiæ tuæ significare, ut quinquaginta membranas operculis impactas, quę & commodè legi, & propter usum facilè portari queant, ab artificiosis librarijs artem eam exactè scientibus, scribi iubeas, idq; ex diuinis scripturis, quorum potissimum institutionem & usum ad doctrinam Ecclesiæ necessariò pertinere nosti. Sunt autem literæ à nostra clementia ad uniuersalem gubernatorem ad hoc missæ, ut cuncta ad parandas hasce membranas accommoda exhiberi curet, &c.

Indicat & Athanasij narratio de persecutione Arianorum in ecclesia Alexandrina, bibliothecas in templis Christianorum fuisse, & libros magna cura asseruatos fuisse. In ea enim Arianorum impietatem accusat, quòd libros ecclesiæ ereptos combusserint. Athanasius de persecutione ad Orthodoxos.

Historiæ uerò de imperio Iouiniani, instructissimę meminerũt bibliothecæ in templo Antiochiæ, quod Traiano olim nuncupatum fuit: Iouinianus uerò ex instigatione uxoris, succendi iussit, faces subijcientibus concubinis: quo incendio multi precioſi atque optimi libri, cum templo simul concremati sint. Meminit bibliothecarum in ecclesijs & Hieronymus ad Pammachiũ, ubi: Ecclesiarum, inquit, bibliothecis fruere. In Apologia uerò aduersus Ruffinũ, bibliothecæ Cæsariensis meminit. Et Platina sub Innocentio narrat, Euzoium Origenis & Pamphili corruptam bibliothecam, membranis instaurare conatum esse.

Ex actionibus etiã synodi Romanæ, quæ sub Syluestro fuit, apparet, ecclesiam Romanam notarios aluisse, qui martyrum diuersorum res gestas conscripserunt: Tomo primo Conciliorum. Ac de Iulio papa Polydorus libro quarto, capite undecimo: & Sabellicus Enneadis septimæ libro octauo, referunt: curasse eum, ut res omnes ad Ecclesiam pertinentes, literis per notarios ad id conductos mandarentur. Iidem & Damasum ipsum, Pontificum Romanorum ante se uitas conscripsisse, & ad Hieronymum misisse, testantur.

DE SCHOLIS.

Scholas utriusq; generis, ethnicas scilicet, seu philosophicas, & Ecclesiasticas, in omnibus celebrioribus ecclesijs florentissimas fuisse, ex plurimis exemplis huius seculi notissimum est: quorum aliquot breuiter recensemus. Nazianzenus scholarum Palęstinæ meminit, in quibus rhetoricam se didicisse scribit: in oratione in funere fratris Cæsarij. Meminit & scholæ Plotinianæ Sozomenus libro primo, capite quinto: cui Sopatrum philosophum ex Græcis nobilissimum præfuisse scribit, sub Constantino. Laodiceæ uerò scholam habuit Epiphanius sophista, quam frequentauit Apollinarius: Socrates libro secundo, capite quadragesimosexto. Nicomediensis Lactantio clara fuit, quem Hieronymus rhetoricam in ea docuisse tradidit, in Catalogo uirorum illustrium. Sub Constantio uerò, Libanius gentilis sophista à pædagogis Constantinopoli eiectus, etiam eò uenit, ibiq; commoratus est: Socrate autore libro tertio, capite primo. Scholam Cæsariensem Cappadocum, historia de adolescentia Iuliani & Galli fratrum celebrat: quam utrque adolescens, cum gentilibus præceptoribus certo consilio Constantius pater erudiendos eos tradere noluisset, frequentauit, & à doctoribus eruditis in sacris literis instituti sunt. Ante id uerò tempus Gallus solus in ludis Ephesi Ioniæ eruditus erat: quemadmodum ibidem Socrates retulit. Sed Cæsariensem scholam etiam Nazianzenus commendauit, in oratione de laudibus Basilij: quam adijsse Basilium, & à se quoque ipso frequentatam magno suo in literis profectu, scripsit: splendentem scilicet eo tempore & florentem disciplinarum institutione, & frequentia studiosorum in tota Asia. Nazianzenus in Monodia.

Præ cæteris tamen quatumcunq; regionum, illustris fuit in utroque disciplinarum genere, nobilis illa & uetusta Alexandrinorum schola: cui præfuisse hoc tempore Dydimum cæcum, Ruffinus libro secundo, capite septimo: & Sozomenus retulit libro tertio, capite decimoquinto. In qua & Aristotelicarum disciplinarum Doctores, audiuisse Aetium, idem ibidem testatur. Audiuit in eadem Philosophos etiam Eusebius Emisenus:

Emiſenus, eodem teſte libro tertio, capite ſexto. Et Baſilius, officinam fuiſſe pulcherrimam uniuerſæ doctrinæ ſcholam Alexandrinã, & eo quo eam frequẽtarit frater Cæſarius tempore, & deinceps, ſcripſit in oratione funebri Cæſarij eiuſdem.

Celeberrimas deinde ſcholas aliquot Europa habuit, inter quas præcipuum fuit nomen Athenienſis aureæ illius, & ſermonum & literarum omnium parentis, ut Nazianzenus appellat: quam Iulianus quoque frequentauit, & cõdiſcipulos habuit Baſilium & Gregorium Nazianzenum: quemadmodum Monodia de uita Baſilij, & Nazianzenus ipſe teſtatur in oratione inuectiua in Iulianum. Idem & in oratione de laudibus Baſilij, in ludum Byzantinum ſeu Conſtantinopolitanum profectum Baſilium ſcripſit, qui tum ſophiſtis & philoſophis præcelluerit clariſsimis, prius quàm ſe Athenas diſcendi ſtudio contulerit. In eodem etiam inſtitutum à Mardanio eunucho Iulianum fuiſſe, Socrates narrat libro tertio, capite primo. Fuiſſe aliquem locum & Romanę ſcholæ uidetur: in qua Victorinum Afrum Rhetoricen tradidiſſe, Hieronymus indicauit de uiris illuſtribus. & Symmachus libro primo, epiſtola quarta ad Theodoſium dicit, uſitatum fuiſſe, ut ex Attica poſcerentur qui Romæ nobiles erudirent: & laudat Imperatoris bonitatem, quòd Celſum Romanis gymnaſijs arrogauerit. Fuit etiam in Britannia tempore Conſtantini prope urbem Legionum, quæ nunc Cæſtria appellatur, nobiliſsimum Bannochorenſe collegiũ, quod plus quàm duo millia hominum Chriſtianæ religionis ſtudioſorum alebat.

In quo autem diſciplinarum, gentilium ſcilicet & ſacrarum, genere prius aut poſterius diſcentes Chriſtiani inſtituti fuerint, explicari non facile eſt. In fundamentis tamen Chriſtianę fidei prius inſtitutos, ac poſtea Ethnicarum doctrinarũ præceptoribus traditos fuiſſe, hiſtoria de ſtudijs Euſebij Emiſeni teſtatur, apud Sozomenum libro tertio, capite ſexto: in qua ſignificatur, Euſebium eum à puero, ſecundum patriam conſuetudinem, in ſacris fidei articulis, ac ſimul etiam gentilium diſciplinis, à præceptoribus Edeſſæ, cuius urbis ciuis fuit, inſtitutũ fuiſſe. Licuiſſe enim Chriſtianorum pueris in Ethnicorum diſciplinis uerſari, probatione nulla eget, & ex his quæ iam retulimus clarum eſt. Sic Athanaſium Grammaticos & Rhetores audiuiſſe, cum eccleſiæ Alexandrinæ beneficio in ſtudijs educaretur, Sozomenus teſtatur libro ſecundo, capite decimoſeptimo. Ac notum eſt, quòd cum ſcholarum philoſophicarum uſu, Chriſtianorum liberos per edictum Iulianus prohibuaſſet, Iouinianus ſecutus, rurſus lege ſtatuerit, ut Chriſtianorum pueri gentilium literis imbuerentur. Socrates libro tertio, capite decimoſexto. Baſilius etiam & Gregorius iuuenes, Athenis probatiſsimos tunc temporis audiuerunt ſophiſtas, Numerium & Prohæreſium, quem poſt edictum Iuliani, ne Chriſtiani liberales artes aut diſcerẽt, aut docerent, ſcholam ſuam ſtatim reliquiſſe, Hieronymus in Chronico retulit. Sozomenus libro ſexto, capite decimoſeptimo.

Extat præterea inter opera Baſilij, admonitio ad adoleſcentes, quo pacto ex gentilium doctrinis proficere poſsint: in qua utiliter diſci & euolui monet Ethnicorum poetarum & hiſtoricorum ſcripta, quæ tamen cum delectu legenda ſint. Poetis, inquit, & Oratoribus, & omnibus hominibus utendum, ut de futura ſit aliqua utilitas, quæ ad animæ faciat ædificationem. Et ſi noſtrorum ſermonum ac gentilium ulla eſt conuenientia, nobis illorum ualde conferet noticia: ſin minus, eos ſaltem ſimul conferendo differentiam diſcere licebit, cum ad melioris optionem atque delectum non parum comparatio faciat: & inferiora ſæpe collata, ſint potioribus ornamento.

Poetas tamen cognoſci uult eos tantum, qui bonorum hominum facta dicta ue enarrarunt: quo in genere Heſiodum & Homerum commendat. Vitari uerò uult contumelioſos, cauillantes, ſcommata iactantes, amantes aut ebrios: quod & in hiſtoricis obſeruandum monet.

Oratoriam deinde, etiam quatenus ad decipiendum et mentiendum compoſita ſit, uitare iubet: illis ſaltem ex ea receptis, in quibus uirtutem laudarunt, uel uitia uituperarunt. Ac recenſet ibi obiter aliquot Philoſophorum, Oratorum & Poetarum ſapienter dicta & facta: ut Solonis, Theognidis, Periclis, Euclidis, Socratis, Cliniæ, Alexandri, Timothei muſici, Homeri, Pittaci, Pythagoræ, Diogenis, Heſiodi, Biantis, & aliorum: quibus ſine dubio exemplum proponere uoluit, quę in eius generis ſcriptoribus & autoribus obſeruata, utilitatem aliquam adferre poſsint.

Baſilius in oratione de funere fratris Cæſarij ait: Ex Geometria eum & Aſtronomia, nec nõ alijs diſciplinis periculoſis, id ſolum elegiſſe, quod utile eſſet: nempe ut ex Harmonia perpulchra, & ordine cœleſti, laudaret creatorem: quicquid uerò ex illis nocens uideretur, ab eo declinatum.

Non quoſuis in ſcholis publicè docere licebat, ſed prius iudicio ordinis probatos, & conſentientibus curialibus: ſecundum legem Iuliani, magiſtros ſtudiorum, Cod. de profeſſoribus & medicis. Neq licebat in

locum

locum defuncti magistri alium surrogari, ni si prius à septem collegis idoneus esset iudicatus & approbatus: secundum legem Gratiani, Si quis. Cod. de professoribus & medicis. Medici & archiatri & grammatici & professores alij literarũ, & doctores legum, unà cum uxoribus & filijs, & rebus quas in ciuitatibus suis possidebant, ab omni functione & ab omnibus muneribus ciuilibus uel publicis immunes erant: neq; in prouincijs hospites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi uel exhiberi, uel iniuriam pati tenebantur: secundum constitutionem Constantini Augusti, l. Medicos. Cod. de professoribus & medicis. Sed ij qui habitum philosophiæ indebitè & insolenter usurpabant, hoc est, qui non erant examinati & approbati doctores & professores, immunitatis priuilegio non gaudebant: secũdum legem Valentiniani & Valentis, Reddatur unusquisq;. Cod. de professoribus & medicis.

Mercedem & salaria professoribus soluebant: iuxta legem Constantini, Medicos. Cod. de professoribus & medicis.

Schola Romana in Capitolio habebat tres Oratoriæ, & decem Grammatices, & quinq; sophistas seu Dialectices professores, & unũ philosophiæ, & duos Iuris & legum doctores: quorum quisq; in separato auditorio legebat, ne discipuli sibi inuicem obstreperẽt: & ne magistrorum uoces permistæ, aures quorundam aut mentes à studio literarum auerterent: secundum legem Theodosij & Valentiniani, Vniuersos qui usurpant, Cod. de studijs liberalibus urbis Romæ.

DE CONSOCIATIONE ECCLESIARUM *unius alicuius prouinciæ.*

COnsuetudo, quæ superioribus seculis recepta est, ut in una aliqua prouincia multarum ecclesiarum gubernatores, ad unum aliquem, in populosa & illustri ciuitate habitantem episcopum respicerent, eius que consilio res communes & ad disciplinam earum Ecclesiarum pertinentes gererent, hoc quoq; seculo non tantum ualuit (ut patet ex historia Licinij, qui nitebatur eam abrogare, dum præciperet, ne episcopi inter se communicarent, aut ad uicinas Ecclesias proficiscerentur, aut synodos conuocarent, aut de rebus necessarijs consultarent: Euseb. lib. 1. de uita Constantini. sed Constantinus eum reprehensit) uerùm etiã paulatim in legem abijt: ut patet ex decretis Nicęnæ, & Antiochenę, & Constantinopolitanæ synodi. Nam in ijs distributę sunt prouincię singulis episcopis: & sancitũ, ut episcopi in cuiusq; prouinciæ metropoli, iudicijs Ecclesiasticis, & synodis, & moribus singulorum episcoporum regendis præessent, ita quidem, ut in arduis causis neq; metropolitanus sine aliorum consilio, neq; alij sine metropolitani consensu quicquam facerent. Quod enim iuris habebant episcopi in clericos, hoc in episcopos cuiusq; prouinciæ metropolitis tribuebatur. Etsi autem non satis liquet ex historia huius seculi, quæ ciuitates in singulis prouincijs metropoles fuerint: tamen aliquorum fit mentio episcoporum, ut qui alijs præfuerint in suis prouincijs. Nam prærogatiuæ honoris Hierosolymorum episcopi meminit canon Nicænæ synodi octauus, apud Ruffinum libro primo, capite sexto. Quanquam ibidem etiam mentio fiat metropolitani eius prouinciæ, qui Cæsarienſis fuisse uidetur. Nam Cyrillus Hierosolymorum episcopus, cum Acacio Cæsareensi, propter iura metropolitana, tanquam Apostolicæ sedis episcopus, disceptasse dicitur: apud Sozomenum libro quarto, capite uigesimoquinto. Antiochenum etiam alijs præesse solitum, apparet ex canone sexto Nicęno, apud Ruffinum libro primo, capite sexto: & decretis synodi Constantinopolitanæ, apud Socratem lib. quinto, capite octauo: & Sozomenũ lib. septimo, capite nono. Et Flauianus Antiochenus episcopus toti Orienti præesse ab Illyricis existimatur: Theodoretus lib. quinto, cap. uigesimotertio. Tarsensi episcopo Diodoro commissa est cura gentis Cilicum: Theodoretus lib. 5, cap. 4: Socrates lib. 5, cap. 8. Laodicenæ eccleſiæ Pelagio gubernandæ commendatæ sunt: Socrates lib. 5, capite 8. Antiochenses Pisidiæ Optimo concreditæ sunt: Socrates libro quinto, capite octauo. Amphilochio metropolis Lycaonum, nempe Iconium, regenda commissa est: Theodoretus libro quarto, capite undecimo: & Socrates lib. 5. cap. 8. De Iconio Basilius epistola octaua inquit: Iconium (ciuitas est Pisidiæ, olim post maximam prima, nunc uerò & ipsa ei parti præsidet, quæ ex multis est in unum coacta) prouinciæ propriæ moderamen accepit. Eccleſias Melitenæ Armenię rexit Otreius, & Cæsareæ Cappadociæ Basilius: Sozomenus libro tertio, capite decimosexto: & postea sub Theodosio Gregorius Nyssenus. Basilij tempore Cappadocia diuisa est in primam & secundam: & in duas metropoles, Cæsareã & Tyanam. Quæ res inter Basilium Cæsarææ metropolitanũ, & Antinum Tyanæ, cum nouus ille metropolitanus utrique Cappadociæ creare episcopos præsumeret, fons & origo certaminum fuit. Nazianzenus in Monodia. Ponticis eccleſijs præfuit Helladius. Socrates libro quinto, capite octauo. Nicæa Valentiniani & Valentis, & Nicomedia Valentiniani priuilegio, sese metropoles esse creatas

tas in concilio Chalcedonenſi probarunt. In tota uerò Ægypto, Thebaide, Lybia, Ammoniaca, Mareotide, ac Pentapoli, ſupremam gubernationis Eccleſiarum curam ex ueteri more ſuſtinuit epiſcopus, ſeu archiepiſcopus Alexandrinus, qui reliquis per eas prouincias epiſcopis & presbyteris utebatur quaſi collegis & coadiutoribus: ſed ut adminiſtrationis ſumma penes ipſum ſolum eſſet. Athanaſius Apologia ſecunda: & Epiphanius libro ſecundo, tomo ſecundo, hæreſi ſexageſimaoctaua, & ſexageſimanona: & canon ſextus Nicænus apud Ruffinum libro primo, capite ſexto. Et Arſenius ciuitatis Hypſelitarum epiſcopus, Athanaſium ſuum appellat metropolitanum. Athanaſius Apologia ſecunda: & Socrates libro quinto, capite octauo, Aegyptiacas eccleſias Timotheo Alexandrino commiſſas in concilio Conſtantinopolitano, dicit. Muſonius in quadam Carthaginenſi ſynodo, appellatur epiſcopus primæ ſedis Byzancenæ. Epiphanius metropolitanæ Cypriorum eccleſiæ præfuiſſe dicitur, ſub Theodoſio. Sozomenus libro ſeptimo, capite uigeſimoſexto. Conſtantinopolitanus Megalopoleōs & Thraciæ eccleſiarum inſpectionem ſortitus eſt ſub Theodoſio. Socrates libro quinto, capite octauo: Sozomenus libro ſeptimo, capite nono. Et Sardica urbs Illyriæ, metropolis Daciæ gentis appellatur. Theodoretus libro ſecundo, capite quarto. Cuius epiſcopus Protogenes, unà cum Oſio, præſedit conſilio ibi habito. Socrates libro ſecundo, capite uigeſimo. In Scythia cum plures eſſent ciuitates, omnes tamen eius gentis eccleſiæ Tomæorum epiſcopo metropolitano paruerunt. Sozomenus libro ſexto, capite uigeſimoprimo: & libro ſeptimo, capite decimonono & uigeſimoquinto. Alba Italiæ metropolis dicitur apud Sozomenum libro quarto, capite octauo. Dionyſium Mediolani epiſcopum, Italiæ metropolitanum, Athanaſius in Apologia de fuga ſua uocat: apud Theodoretum libro ſecundo, capite decimoquinto: & in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes. Romanus epiſcopus ſuburbicanarum eccleſiarum curam gerere iubetur à patribus Nicænę ſynodi, apud Ruffinum libro primo, capite ſexto. Et apud Athanaſium, in epiſtola ad ſolitariam uitam agētes, Roma metropolis Romanæ ditionis appellatur. Capuam metropolim Campaniæ eſſe, Athanaſius ad ſolitariam uitam agentes indicat. Mediolanenſis epiſcopus, aliquot ſibi adiunctas habuiſſe uidetur ſocias eccleſias: ſicut Ambroſius epiſtola octogeſimaprima, cōſociatos ſecum eſſe uicinarum eccleſiarum epiſcopos indicat, Euentium, Maximum, Felicem, Baſsianum, Theodulum, & alios, quos ibidem recenſet. Luciferi, Sardinię inſulæ metropolitani meminit Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes: Theodoretus libro ſecundo, capite decimoquinto. Proculus Maſſilienſis, primatum obtinere in ſua prouincia iubetur in ſynodo Taurinenſi. Paulinum epiſcopum Treuirorum, Galliarum metropolitanum appellat Athanaſius in Apologia de fuga ſua, & in epiſtola ad ſolitariā uitam agentes: Theodoretus libro ſecundo, capite decimoquinto. Et Arelatenſem epiſcopum in Gallia metropolitanum fuiſſe, apparet ex concilio Arelatenſi. Euphratis epiſcopi Agrippinæ, quæ eſt metropolis ſuperioris Galliæ, meminit Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes.

Cæterùm non eodem modo metropoles omnes dictæ uidentur. Nam alię ſic dicebantur, quòd ex ijs ab initio propagata eſſet doctrina Euangelij: ut erat in Palęſtina Hieroſolyma, in Aegypto & Africa Alexandria, in Aſia Antiochia, in Italia Roma. & huiuſmodi etiam in Capadocia fuit Cæſarea, de qua pater Gregorij Nazianzeni in epiſtola ad Cæſarienſes inquit: Cuiuslibet quidem eccleſiæ, tanquam corporis Chriſti, habēda eſt ratio: maximè uerò noſtræ (Cæſarienſis) quæ propè mater omnium Eccleſiarum (ſcilicet in hac prouincia) & fuit ab initio, & nūc quoque eſt, & nominatur: quam Chriſtiana Reſpublica, uelut centrum ſuum circulus, undique obſeruat, non ſolum propter orthodoxam doctrinam ubiq; ab initio prædicatam, ſed & propter conſpicuam concordiæ gratiam, quam diuinitus accepit. Extat apud Baſilium epiſtola trigeſima. Hac ratione Romana eccleſia, mater & caput Eccleſiarū, ſcilicet in Italia, uocatur in epiſtola Marciæ apud Athanaſium. & Hieroſolyma mater omnium eccleſiarum appellatur, in epiſtola Synodali apud Theodoretū lib. quinto, cap. 9. Aliæ uerò, quòd in deſcriptione ciuitatū ac prouinciarum, cum eſſent maximæ & nobiliſsimæ, accepiſſent iura metropolitana: aliæ uerò, quòd præfecti prætorio, ſeu Imperatores, ſuas ſedes in ijs haberent. Porrò illos plurium eccleſiarum inſpectores appellarit communiter epiſcopos, ut apparet ex hiſtoria & epiſtolis hoc ſeculo ſcriptis, tum abipſis ad ſe inuicem epiſcopis, tum ab imperatoribus, tum à ſynodis, quarū exempla paſſim annotant Socrates, Theodoretus, & Sozomenus: nonnunquam uerò archiepiſcopos, quo nomine Epiphanius lib. ſecundo, tomo ſecundo, hæreſi ſexageſimanona, Alexandrinum uocat epiſcopum. Et Simeon Seleucię archiepiſcopus dicitur: Sozomenus libro ſecundo, capite octauo. Aliquando metropolitanos, ſic Sozomenus Baſiliū metropolitanum

politanum Cappadociæ appellat, libro tertio, capite decimosexto. Estq; eius uocis frequens usus in canonib. synodi Nicenæ, Antiochenæ & Constantinoplitanæ. Gregorius Nazianzenus in oratione quam habuit præsente patre & Basilio, cum esset Asimorum episcopus electus, appellat eos compastores. Et in oratione ad Heronem, Athanasium uocat archisacerdotem sacerdotum. Neque uerò uel ad fastum, uel ad tyrannidē, & quoddam tanquam regnum, aut certè oligarchiam quandam illa (ut ita dicam) prærogatiua pertinebat, non magis certè quàm consulis potestas in senatu: sed ad ordinem Ecclesiæ, quæ iam longè lateque diffusa per uniuersum propè orbem terrarum erat, magis continendum, & disciplinam astringendam: ut in Republica describuntur Magistratuum & gradus & præfecturæ, & ordines & potestates.

In quacunque igitur prouincia, gubernatores, socij seu collegæ, si res necessariæ communi gubernationi incidissent, cōueniebāt, & consilijs coniunctis de illis deliberabant. Ita enim patres Nicænæ synodi in quinto canone sanxerunt, per singulos annos, in singulis quibusque prouincijs: secundo, ab omnibus episcopis prouincialibus concilia agi debere. Ruffinus libro primo, capite sexto. Et Constantinopolitana synodus sub Theodosio statuit, ut si necessitas poscat, cuiusq; prouinciæ negocia synodus disponat. Socrates libro quinto, capite octauo. Et intermissam eam cōsuetudinem magno cum incommodo Ecclesiarum aliquando, Basilius queritur, sic ad Nazianzenum scribens, epistola trigesimatertia: Si cùm secundum statuta antiqua, tum secundum eam quam Ecclesijs debemus curam & solicitudinem, sæpius per annum conuenissemus, ianuam certè calumniatoribus non aperuissemus. Sic impendente aliqua Ecclesiastica necessitate, episcopos per Cyprum cōuenire solitos fuisse, Sozomenus indicat libro primo, capite undecimo. Si necessitas nulla incumberet, tamen propter collationem de doctrina, & disputationes, cōueniebant episcopi, presbyteri, & clerici. In tali enim disputatione quadam Alexandriæ, hæresim suam Arius prodidit: quemadmodū Socrates indicat libro primo, capite quinto. Ac si qui extranei essent, ut eorum doctrina exploraretur, iubebantur concionari: ubi si quid erraſſent, admonebantur. Sozomenus libro primo, capite undecimo. Si quis item doctorum de errore suspectus esset, de eius causa episcopi & presbyteri socij synodum agebant: sicut idem Sozomenus narrat lib. eodem, capite decimosexto, aliquot in Aegypto super Arij errore synodos agitatas fuisse, prius quàm concilium uniuersale Niceæ Constantinus indixisset. Hæretici igitur deprehensi, si munere aliquo in Ecclesia fungerentur, in eiusmodi societatis synodis deponebantur. Sicut Athanasius reditum sub Constantio ad Ecclesiam suam consecutus, Ecclesias per Aegyptum circumijt, ac quoscunq; cum Ario sentiētes reperit, deposuit: cæteris qui fidem Nicænam profiterentur, Ecclesias committens. Sozomenus libro tertio, capite uigesimoprimo. Indicat & Ambrosius libro decimo Epistolarum, epistola septuagesimanona, de erroribus, aut opinionibus nouis ab aliquo sparsis, iudicasse episcopos finitimos. Solebant etiam metropolitani conuocare in synodum suos coepiscopos, & aliorum decreta uel cōfirmare, uel improbare. Sic Maximus Hierosolymitanꝰ episcopus, rogatu Athanasij, episcopos è Syria & Palæstina accersit, & Athanasio communionem & dignitatem reddit. Socrates libro secundo, capite uigesimoquarto. Sed & uocandi seu ordinādi ministros causa, Ecclesiæ consociatę frequenter conueniebant. Nam libro primo, capite sexto Ruffini, patres Nicænæ synodi statuisse dicuntur, ut episcopus à totius prouinciæ episcopis, si fieri possit, ordinetur. si uerò non possit, à non paucioribus quàm tribus, ita tamen ut metropolitani episcopi maximè uel præsentia uel autoritas habeatur, absque eo uerò ordinationem irritam haberi debere. Et gentem Samosatensem conueniſſe ad Antiochi episcopi ordinationem, Theodoretus libro quarto, cap. decimoquinto scribit. Petrum etiam Alexandrinum, uicini episcopi ordinant. Theodoretus libro quarto, capite uigesimo. Indicat etiam Basilius epistola octaua, Iconiensem ecclesiam se rogasse, ut ad se ueniat, & sibi episcopū ordinet in locum Faustini defuncti. Et mittebantur ordinati in Ecclesias comprouinciales: Theodoretus libro quinto, capite quarto: Sozomenus libro quarto, capite duodecimo. Ad consultationem uerò de futuro aliquo episcopo, finitimi conuocabantur: quod & rectum, & & de Ecclesiastica lege esse, Nazianzenus dixit, epistola trigesima ad Cæsarienses. Quēadmodum & patrum Nicænorum eam sanctionem ac definitionem synodus Constantinopolitana monet, apud Theodoretum libro quinto, capite nono: Vt scilicet uniuscuiusque prouinciæ episcopi coniuncti, ac si uideatur, adscitis etiam finitimis, Ecclesiasticos honores ijs cōferant, quos utiliter gesturos eos cōfidant. Et canon nonus secundæ Carthaginēsis synodi, incōsulto primate uetat ordinare episcopos: excepto casu necessitatis, in quo tribus episcopis cum consensu primatis licèat ordinare. Metropolitani

etiam ab exilijs redeuntes, ſolebant in eccle ſijs ad ſuam diœceſim pertinentes, ordinare ſaniores epiſcopos, eiectis hæreticis. Sic Meletius Tarſenſibus præfecit Diodorum, Apamæis Ioannem, Germaniciæ peſte Eudoxij infectæ Stephanum. Theodoretus lib. quinto, capite quarto.

Conueniebant contiguarum prouinciarum epiſcopi, qui tamen ad unum cæteris ſuperiorem reſpiciebant, etiam cum de doctrina & fide ratio reddenda eſſet. Sicut ſub Iouiniano Athanaſius cum præcipuis epiſcopis Ægypti, Thebaidis & Lybiæ ſynodum egit: & Imperatori fidei rationem petenti, de fide Nicææ expoſita ſeruanda, reſpondit. Theodoretus lib. quarto, cap. tertio.

Si qui alios uel de hæreſi, uel de criminibus alijs accuſare nitebantur, conueniebant eius gentis epiſcopi orthodoxi, & ex uicinis prouincijs in eam Eccleſiam, in qua teſtes errant eorum quæ quiſq; affirmabat: & ita cauſa ultro citroq; exagitata & probè cognita, ſentētia ab epiſcopis ferebatur. Sozomenus libro ſexto, capite ſeptimo. In Carthaginenſi prouincia cauſa epiſcopi peccantis, à duodecim epiſcopis, & ſex presbyteris, & tribus diaconis, & proprio epiſcopo cognoſcebatur: iuxta canonem nonum Carthaginenſis ſynodi ſecundæ.

Solebāt etiam doctores alios inſignes, aliqua occaſione per prouincias illas tranſeuntes, adhibere ad diſſenſionum compoſitionem. quemadmodum præſides Hieroſolymitanarum eccleſiarum, Gregorium Nyſſenum ex Arabica ſynodo ſecum Hieroſolymam adduxerunt, ut eius interceſsione, perturbatus eccleſię ſtatus cōponeretur: ut narrat Nyſſenus, in epiſt. de ijs qui abeunt Hieroſolyma.

Si quam eccleſiā calamitas aliqua oppreſſiſſet, epiſcopi uicini eam conſolationibus ſubleuabant. Sicut Baſilius conſolatur eccleſiam Neocæſarienſem, ob epiſcopi Gregorij mortē: in epiſtola ſexageſimaſecunda. Conſolatur & Antiochenos, hortaturq; ad conſtantiam in cruce, & fidei ſincerā formulam ei inculcat: in epiſtola ſexageſima. Vacantem autē eccleſiam, illi qui uicini eſſent, unà curabant & obſeruabant: ut ex Ambroſio liquet, qui ad Conſtantium quendam epiſcopum ſic ſcribit libro ſeptimo Epiſtolarum, epiſtola quadrageſimaquarta · Commendo tibi, fili, Eccleſiam quæ eſt ad forum Cornelij, quo eam de proximo interuiſas frequentius, donec ei ordinetur epiſcopus. Occupatus ingruētibus diebus Quadrageſimæ, tam longè non poſſum excurrere.

Solebant etiam epiſcopi ſibi inuicem certis notis literarum peregrinantes commendare, & quò irent, & unde proficiſcerētur ſignificare: quò tanquam noti & amiciſsimi, propter ſymboli teſtimoniū, hoſpitio ſuſciperentur & curarentur. Sozom. lib. 5, cap. 16.

Si quid etiā Imperatores in prouincia aliqua curari uolebant, per eos efficiebāt. Hinc Conſtantinus, cum liberalitatem cuperet exercere in miniſtros eccleſiarum Africanarū, Numidianarum, & Mauritanarum, ſcribit ad Cæcilium Carthaginenſem epiſcopum, ut mille ruffos ab Vrſo prefecto Aphricæ accipiat, & diſtribui iubeat. exemplum literarum eſt apud Euſebium libro decimo, capite ſexto. Idem, dum Hieroſolymis templa quædam in loco ſepulchri Chriſti extrui cupit, ſcripſit ea de re ad Macarium Hieroſolymitanum epiſcopum. Euſebius libro tertio de uita Conſtantini. Idem facit, cum ad quercum Mambre, abrogata ethnicorū idolatria, templum erigi præcipit: eodem libro. Idem in literis ad Euſebium inquit: Quotquot igitur eccleſijs uel ipſe præes, uel alios ſuis quoſq; locis epiſcopos, presbyteros, uel diaconos præeſſe noſti, admone, ut diligentes ſint circa eccleſiarum ſtructuras, ac uel exiſtentes reſtaurēt, aut auctiores reddant, aut ubi neceſsitas exigit nouas ædificent. petes uerò & ipſe, & alij per te, à præſidib. magiſtratibus q; prouincialibus, ea quæ neceſſaria ſunt. Idem in literis ad eundem Euſebiū poſtulat, ut ſibi in membranas ſcribi curet è ſacris literis. Euſebius libro quarto de uita Conſtantini.

Superiores uerò, etiam temporum & feſtorum rationem eccleſias ſocias edocebāt: ſicut Ambroſius idem epiſcopos per Æmyliam de Paſchatis ratione inſtruit, epiſtola octogeſimatertia. Quod officij in Ægypto epiſcopus Alexandrinus geſsit, qui ex ueteri more initium Quadrageſimę, & Paſchatis rationem omnibus Ægypti eccleſijs & monaſterijs quotannis ſignificauit: quemadmodum in argumento epiſtolarum Theophili Caſsianus indicauit: & patet ex epiſtolis ipſius Theophili. Et canon primus tertiæ Carthaginenſis ſynodi præcipit, ut omnes Africanarū eccleſiarum epiſcopi inſtructionem de Paſchate ab eccleſia Carthaginenſi petant.

Conuocabātur ſocij inter ſe, & uicini epiſcopi, ad templorum quoq; recens ædificatorum conſecrationem: quæ tamen citra ſuperſtitionem facta eſt. Sic enim Baſilius Ancyranus ad templi noui dedicationem, ſynodum uicinorum epiſcoporū coegit. Sozom. lib. quarto, cap. 13.

Solebant etiā metropolitani cum ſuis collegis, ſi quid in ſua prouincia min⁹ piè & recte fieret, quod emendari cuperēt, ad pios & Chriſtianos Imperatores ſcribere, & emēdationē petere, nam Macarius & alij epiſcopi

Palæstinæ, missis ad Constantinũ literis significarũt, in Mamre, ubi Deus apparuisset Abrahæ, gentes idololatriam exercere, quã abrogari petierunt: ut constat ex literis Constantini ad Macarium, apud Eusebium libro tertio de uita Constantini.

Cum Symmachus urbis Romanæ præfectus, à Valentiniano Imperatore obnixè peteret, ut & Romæ permitteret ethnicam religionẽ & aras instaurari: Ambrosius diligenter monebat Valentinianum, ne faceret: & Symmachi refutabat epistolam. Ambrosius lib. 5, epistola trigesima, & trigesimaprima.

Imò etiam ipsi cum ab hæreticis affligerentur, Imperatores adibant, eorumq; implorabant opem. Sic Athanasius ad Constantẽ profectus est, & conquestus coram eo de insidijs Arianorum, impetrauit, ut Constans ad fratrem suum Constantium ea de re scriberet. Theodoretus libro secundo, cap. quarto. Aut si ipsi apud Imperatores essent accusati, mittebant suos collegas. nam Athanasius, cum aduersum se in aula Imperatoris Constantij consultari percepisset, ipse quidẽ ad Imperatorem proficisci neque ausus fuit, neque profuturũ dixit: selectos tamen quinque Aegyptios episcopos, ex quibus erat Serapion Thebanus, misit ad Imperatorem, & cũ his tres presbyteros ex sua Ecclesia amandauit, qui illum sibi placarent, & si opus foret, ad calumnias aduersariorũ responderẽt. Sozomenus libro quarto, capite nono.

Solebant metropolitani dare operam, ut eradicarent hæreses in suis prouincijs grassantes. Hinc Letoius gubernator ecclesiæ Melitenæ, cum uideret hæresin Messalinorum occupasse multa monasteria, uel potius specus latronum, & concremauit illa, & lupos de grege repulit. Ad eundem modũ Amphilochius, cui Lycaonum metropolis regenda commissa erat, cum cognouisset eam luẽ in illa quoq; loca ueniisse, statim abegit: & ouilia quę illa depascerentur, hac labe liberauit. Flauianus etiam pontifex Antiochenus, ubi comperit eos hæreticos Edessæ congregari, & suum uirus uicinis instillare, missa monachorum cohorte, deduxit Antiochiã, & coniunctos Syria exegit. Theodoretus libro 4, capite undecimo.

Contra seditiosos & schismaticos, si alia ratione nõ possent tumultus auerti, auxilio præfectorum & iudicum politicorum utebantur. Sic apud Eusebium libro decimo, capite decimo sexto, Constantinus Cæcilium episcopum Carthaginensem iubet, eos qui praua corruptione Ecclesiam catholicã peruertere conarentur, iudicibus indicari, qui habeant mandatum eos reprimendi.

DE CONSOCIATIONE PLVRIVM *prouinciarum, seu uniuersali.*

QVemadmodum uerò in singulis prouincijs Ecclesiæ sibi inuicem erant coniunctæ, ad præstandas mutuas operas, in tuendo & conseruando consensu, in uera doctrina, exercenda disciplina Ecclesiastica: ita tum plurium prouinciarum in una aliqua orbis terrarũ parte, ut pote omnes prouinciæ in Africa, aut Asia, aut Europa: tum plurium orbis partium, uidelicet Africæ & Asiæ seu Orientales Ecclesiæ: aut omnium, puta Orientalium & Occidentalium, consociatæ fuerunt, non quodam alio iure quàm ut uera & syncera doctrina conseruaretur, & disciplina Ecclesiastica aduersus hæreticos & improbos exerceretur. Huiusmodi autẽ seu coniunctionem seu cõsensum, Eusebius lib. primo & secundo de uita Constantini, appellat studium & harmoniam pacis & cõsensionis. Alexander uerò eam uocat uinculum concordiæ & pacis, in epistola ad uniuersas Ecclesias: apud Socratẽ libro primo, capite sexto. Et Basilius in epistola quadragesimaoctaua ad Athanasium, nuncupat uiã auxilij Ecclesiarum laborantium. Olim, inquit, sciebam unam acquirẽdi auxilij uiã, quod ecclesijs nostris cum occidentalibus conuenit. Idẽ epistola septuagesima eleganter ea de re inquit: Dominus noster IESVS Christus, quoniam omnem Ecclesiam Dei, suũ ipsius corpus nominari uoluit, et unum quenq; nostrũm alterius esse membrum declarauit, dedit quoq; nobis, ut erga omnes, iuxta membrorum consensum, amicè simus affecti. Quapropter etiamsi habitationibus sumus alter ab altero quàm longissimè separati, ratione tamẽ coniunctionis huius propinqui sumus inuicem.

Cum autem necesse esset, inter metropolitas plurium prouinciarũ, in aliqua orbis terrarum parte, ordinem aliquem esse: & tamen periculum esset, ne is cui primus quasi concederetur locus, in curandis rebus ad cõmunem Ecclesiarum curam eius regionis pertinentibus, monarchiam aliquam affectaret: Africani episcopi metropolitanas ecclesias in primas & secũdas et tertias, ac sic deinceps sedes distinxerunt: & cauerunt prudenter, ne primæ sedis episcopus appellaretur princeps, aut summus sacerdotum, sed tantũ primæ sedis episcopus: ut cõstat ex Canone uicesimosexto, tertiæ Carthaginensis. Et in alia Carthaginensi synodo, Musonius appellatur episcopus primæ sedis prouinciæ Byzanzenę. Et secundo loco episcopũ Thebaidis post Alexandrinũ habitũ esse, Epiphanius lib. 2, tom. secũdo indicat: ubi inquit, Videbatur & Meleti prę eminere inter episcopos Aegypti, ut q secũdũ locũ habeat post Petrũ

in archiepiſcopatu, uelut adiuuandi eius gratia ſub ipſo exiſtens, & ſub ipſo Eccleſiaſtica curâs. Et aliquâto poſt: Detulit itaq; ad aures archiepiſcopi, archiepiſcopus Meletius, uerùm ſubditus Alexandro. Idem fortè in alijs orbis terræ partibus, ubi fuerunt plures metropolitani, factũ eſſe, quis nõ facile cõcedat, ſi modò ordinis ſtudiũ & prudentiâ cæteris quoq; eccleſijs tribuat? Illę certè honoris prærogatiuæ, quæ in Nicæno cõcilio attribuuntur epiſcopo Romano, Alexãdrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, licet in ſynodis quæ ſeculis ſequentibus habitæ ſunt, uariè torqueãtur, præſertim à Romanis pontificibus, primatũ inde excudere nõ ſine crimine falſi machinantibus, ſi rectè cõſiderentur, nihil aliud iuris ijs conceſsiſſe uidentur, quàm quòd alijs metropolitanis in illis regionibus, autoritate & conſilio præeſſe deberent, in generali earum eccleſiarum regimine: maximè uerò in ordinatione metropolitanorum, & cõgregatione ſynodorum, & ſimilium.

Videbatur uerò ordo poſtulare, ut ſicut in una prouincia, aut in pluribus coniunctis, eſſet unus aliquis quaſi in ſupremam ſpeculam collocatus, qui cum alijs tractaret de rebus ad generalem eccleſiarum iſtarum curam pertinentibus: ita etiam inter totius orbis terrarum epiſcopos inſigniores, unus aliquis ad ſummum gubernationis gradum collocaretur, qui omnium metropolitanorũ & eccleſiarum uniuerſalis inſpector eſſet, ea ratione, ut ipſe nihil ſine alijs, nec alij quicquam ſine ipſo in rebus communibus decernerent. Verùm patres Nicæni cõcilij, & quidem alij in alijs concilijs, ut Antiocheno, Conſtantinopolitano & ſimilibus, ubi actum eſt de regimine eccleſiarum, & ipſi pij Imperatores, quales fuerunt Conſtantinus & quidam ſucceſſores eius, re abſq; dubio diligenter ponderata, non iudicarunt conſultum eſſe, unum aliquem Oecumenicum & uniuerſalem omnium eccleſiarum ordinare inſpectorem & gubernatorem. Nam Socrates libro primo, cap. uigeſimoquarto: & Sozomenus libro ſecundo, capite decimonono, referunt, Conſtantinum, Euſebium Pamphili adeò celebraſſe, ut eum diceret non unius ciuitatis, ſed totius orbis epiſcopatu dignum eſſe. Verùm eum nuſquam omnibus orbis terrarum eccleſijs præfeciſſe legitur: quod utiq; feciſſet, ſi exiſtimaſſet in rem Eccleſiæ fore. Vnde metropolitanis, & cæteris epiſcopis in ſingulis prouincijs curam eccleſiaſticarum rerum cõmendarunt, inter quos tamen quaſi præcipuos, propter eccleſiarum antiquitatem, & urbium celebritatem, & doctorum excellentiam, uenerati ſunt Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanũ epiſcopos: quibus patres Conſtantinopolitanum, in cõcilio ſub Theodoſio, annumerarunt, & quidem ei ſecundum locum poſt Romanum attribuerunt, propterea quòd Conſtãtinopolis eſſet noua Roma. Theodoretus lib. 5, cap. 9: Socrates lib. 5, cap. octauo: & canon quintus ſynodi Conſtantinopolitanæ. Et quidem ei dederunt potteſtatem ordinandi metropolitanos in Ponto, Aſia, Thracia, & apud Barbaros ſeu Scythas, ut exponitur in actione decimaſexta Chalcedonenſis ſynodi. & canonibus caueruntur, ut quiſq; metropolitanus ſuâ prouinciâ curaret, & in alienã, manũ ſuam nõ immitteret: ut patet ex canone decimotertio concilij Antiocheni, & decimonono cõcilij Sardicẽſis. & canone ſecundo Conſtãtinopolitani, qui ſic habet: Epiſcopi qui extra diœceſim ſunt, ad eccleſias quæ extra terminos earum ſunt, non accedãt, neq; cõfundant & permiſceãt eccleſias, ſecundũ regulas cõſtitutas. Alexandriæ quidẽ epiſcopi, ſolius Orientis curã gerant, ſeruatis honoribus primatus eccleſiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ ſynodi continentur. Sed & Aſianę diœceſis epiſcopi, ea quæ ſunt in Aſia: & quæ in Aſianã tantummodo diœceſim pertinent, gubernent. Ponti autem epiſcopi, Ponticæ tantum diœceſis habeant curam: Thraciæ uerò, ipſius tantummodo Thraciæ. Solicitudinem uerò externarum rerum, ad gubernationem eccleſiarum promouendam facientium, Imperatoribus reliquerunt, ut poſtea dicetur. Et hęc quidẽ de metropolitanorũ ordine & gradibus in cõmuni pluriũ, aut omniũ eccleſiarum gubernatione. nam de affectatione primatus poſtea prolixius.

Cæterùm, quia metropolitani ſeu inſpectores plurium eccleſiarum, ob communem & ſociam eccleſiarum gubernationem, ſibi deuincti erant: ideo non ſplendidis & magnificis ſeſe inuicem ornarunt dignitatis nominibus & titulis. nam plerumq; ſeſe mutuò fratres, aut coepiſcopos, aut comminiſtros, aut compresbyteros ſalutarũt: quemadmodum ex literis ſynodicis epiſcoporum per diuerſas prouincias animaduertere eſt apud Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, Ambroſium, & alios. Et Iulius Romanus epiſcopus, in literis ſuis ad Eccleſiam Alexandrinam, Athanaſium ſuum fratrem & ſynepiſcopum appellat: apud Theodoretum libro ſecundo, capite uigeſimoquarto. Et ſynodus Hieroſolymitana in epiſtola ſua ad presbyteros, & diaconos, & plebem per Ægyptum, Libyam, & Alexandriã, Athanaſium ſuum ſymmiſtam uocant. Sozomenus libro tertio, capite uigeſimoſecundo. Et Hilarius libro de ſynodis fidei catholicæ contra Arianos, epiſcopos Germaniæ, Belgicæ,

Belgicæ, Lugdunensis utriusque, nominat fratres suos ac coepiscopos. Nec alios ferè graduũ aut eminẽtiæ inuenias titulos: cum & in ipsis confictis epistolis decretalibus Romanorum episcoporum, fratrum appellatio sit communissima. Nam qua occasione qui in prouinciali aliqua Ecclesiastica gubernatione aut archiepiscopi, aut patriarchæ, aut metropolitani dicti fuerint, suprà expositum. Nec papam appellatum Romanum solum episcopũ, sed & alios episcopos, in apologijs & narrationibus de synodis apud Athanasiũ uidere est: in quibus, ab alijs episcopis, & papa & archiepiscopus Athanasius sæpe nuncupatur. Nec Romanus episcopus solus pontifex dicebatur, sed etiam alij episcopi. Theodoretus enim libro secundo, capite septimo, dicit, Sardicæ conueniisse pontifices ducentos quinquaginta: & docent antiquæ narrationes, & alibi passim episcopos, pontifices appellatos. Athanasius in prima oratione contra Arianos, non tantum Iulium et Liberium pontifices appellat: sed eodem nomine dignatur Græciæ, Daciæ, Cappadocię, Aphricę, Italię, Sicilię, Armenięq; episcopos. Et Ruffinus lib. 2. cap. uigesimosexto, Athanasium pontificem maximum uocat.

Symbolum uerò coniunctionis & societatis inter episcopos diuersarum prouinciarũ, erant communes ad se inuicem scriptiones literarum, quas pacificas appellabant. Patres enim synodi in Illyrico, ad Asianas & Phrygianas Ecclesias scribentes, inquiunt: Hoc oppresso dissidio, licebit mutuò inter nos pacificarum literarũ salutationibus uti. Theodoretus libro quarto, cap. decimo. Aut synodales: ut est apud Sozomenum lib. septimo, cap. undecimo. Dissentientium enim hæreticorum literas nõ recipiebant. Nam Liberius recusabat Macedonianorum epistolas recipere. dicebat enim, eos ex Arianorũ esse parte, nec posse ab Ecclesia recipi, ut qui Nicænam fidẽ reprobassent, Socrates lib. quarto, cap. undecimo. Quemadmodum nec ijs, quorum doctrinam aut ordinationẽ improbabant, scribebãt. Romanus enim episopus, & cuncti occidentales, Paulino, tanquã Antiochiæ episcopo, consuetas epistolas, quas synodales uocant, scripsisse, erga Flauianum uerò filuisse, dicũtur: apud Sozomenũ lib. septimo, cap. undecimo. Apud Optatũ Mileui tanũ libro secundo, formatæ appellantur.

Cæterũ officia quæ in communi gubernatione sibi inuicem præstiterunt, plurima ex historia huius seculi colligi possunt. Nã metropolitanos se inuicẽ instituere solitos esse de rebus ad Ecclesiæ gubernationẽ pertinentibus, exempla monent. Cyriacus enim Adanorum episcopus, & Diodorus Tarsensis, & alij ex Cilicia episcopi, inuitati & rogati à Nectario, Cõstantinopoli recens ordinato episcopo, apud eum sunt cõmorati, & talẽ ei præstiterũt operã. Sozom. lib. 7, cap. decimo. In controuersijs & quæstionibus paulò grauioribus expetebant aliorũ sententias: quod patet ex canone quadragesimooctauo, tertię Carthaginensis. Nam is refert, patres Aphricanos censuisse de exploranda sententia Syricij & Simpliciani, utrũ qui à Donatistis baptizati essent, prohiberi debeant ne sacerdotes ordinentur. Et Ambrosius lib. 10, epistola octogesimatertia inquit: Post Aegyptiorum supputationes, & Alexandrinæ ecclesiæ definitionẽ, episcopi quoq; Romanæ ecclesiæ, per literas pleriq; meã adhuc expectant sententiã, quid exiſtimẽ scribere de die Paschæ.

Hortari etiam interdum solebant alios, ut sua autoritate doctrinæ Ecclesiæ testimoniũ ferrent: sicut Matidius & Tarsinus presbyteri in Suedris, ad Epiphaniũ Constantiæ Cypri episcopum scribunt, petentes ut de fide Ecclesiæ librum cõscribat, quo simpliciores confirmentur, & adhuc de fide ambigentes. Extat epistola eorũ, Epiphanijq; responsio, in initio Ancoratus Epiphanij. Quin & doctores interdũ alij ad alios proficiscebantur, ac inter se de doctrina conferebant: sicut de se Hieronymus in procemio commẽtarij in epistolã ad Ephesios, ad Paulã & Eustochiũ scribit: Ob hanc causam uel maximè Alexandriam nuper perrexi, ut uiderẽ Didymũ, & ab eo in scripturis omnibus quæ habebam dubia scisciterer.

Si qua essent orta dissidia inter aliquos, interponebãt sese alij, et sibi inuicem reconciliabant. Sic Theophilus Alexandrinus, & Damasus Romanus, cum ambo succenserẽt Flauiano Antiocheno episcopo, ob periuriũ, & excitatum dissidiũ in Ecclesia Antiochenorũ, cum eo recõciliati sunt, intercessione aliorum. Socrates lib. 5, cap. decimoquinto.

Solebant etiam interdum dissidentes episcopi appellare ad iudiciũ & arbitriũ episcoporum, in remota aliqua prouincia. Sic Donatistæ à Cæciliano dissidentes, petierunt à Constantino, sibi episcopos è Gallia dari iudices: ut refert Optatus Mileuitanus libro 1. aduersus Parmenianum. Et Eusebianos, in causa Athanasij cognoscenda & iudicanda, prouocasse ad Iulium Romanũ episcopum: Sozomenus libro quarto, capite septimo: & Iulius in sua epistola apud Athanasium, in apologia secunda, commemorant.

Coniungebant etiam consilia & operas in uisitandis & corrigendis perturbatis, ueneno hæreticorũ infectis Ecclesijs. Nã reuocati ab exilio, sub Iuliano Lucifer Caralensis Sardiniæ, & Eusebius Vercellensis Italię, episcopi, consilium commune ineunt, de restituendo corrupto Ecclesię omniũ ubiq; terrarum

ſtatu, ac rebus deliberatis cõueniunt, ut Lucifer Antiochiam Syriæ proficiſcatur: Euſebius uerò Alexandriã, ut ibi Synodum cum Athanaſio cõgregans, Eccleſiaſtica dogmata confirmare iuuet. Mittit ibi ſuũ unà Lucifer diaconũ ſuo loco, per quẽ ſe amplexutũ pollicetur, quęcunq; ab ea ſynodo deliberata & cõſtituta fuiſſent. Concedens uerò ipſe interim Antiochiã, cum eò uenit, perturbatũ eccleſiæ ſtatũ reperit: in cuius emendationem, Paulinũ ibidem epiſcopũ ordinat. Euſebius uerò Antiochia digreſſus, inſtar boni medici per Orientẽ tranſiẽs, infirmos quoſcunq; in fide ſuſcipit, inſtruit ac docet. Deinde & Illyricum ac Italiã progreſſus, eadẽ agit. Socrat. lib. 3, cap. 6 & 9: Ruffin. lib. 1 cap. 30. Athanaſius item reſtitutus Eccleſiæ ſuæ ſub Conſtantio, non Ægyptiacarũ ſolũ eccleſiarũ gubernationẽ ſuſcipit: uerùm etiã per alias gentes iter faciens, Arianis epiſcopis eccleſias liberat, & alios in locũ eorũ ſubſtituit. quamuis hoc illi accuſationem poſtea aduerſariorum pepererit, quod ſcilicet in eccleſijs ad ſe nõ pertinentibus ordinare auſus fuiſſet: Sozomenus lib. 3, cap. 21. Etiam Euſebius Samoſatẽſis, à Valente in Thraciam exulatum miſſus, cum uideret multas Eccleſias carere paſtoribus, Syriã circuibat, Phœnicemq; & Palæſtinã, creans presbyteros & diaconos, & alijs in rebus conſtituens Eccleſias. Theodoretus lib. 4, cap. 13. Idem poſtea ſub Gratiano ab exilio reuerſus, Acacium præfecit Berrhœę, Hierapoli Theodotũ, Chalcidi Euſebium, Cyrẽſibus Iſidorũ, Eulogiũ Edeſſæ, Marem Dolichiæ. Theodoretus lib. 5. cap. 4.

Si labefactari ab hæreticis aut calumniatoribus ulla pars doctrinæ cœpiſſet, conſociati inter ſe multarũ prouinciarũ epiſcopi, mutuis operis acriter reſiſtebant. Quemadmodum ſub Valente contra Anomianos & Homouſianos, ſtudijs coniunctis, ſpiritum ſanctum coeſſentialem eſſe patri & filio, defendunt ac tuentur: Athanaſius in Ægypto, apud Cappadocas & eccleſias per Pontum Baſilius & Gregorius, in Syria uerò Apollinarius Laodicenus. Quibus & epiſcopi Romani ſtudium acceſsit. is enim Orientales eccleſias cohortabatur, ut quemadmodũ Occidentales religioſe facerent, Triadẽ coeſſentialem & eiuſdem gloriæ uenerarentur. Sozomenus lib. 6, cap. 22. Sub Valente Baſilius & Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyſſæus, & Petrus in Cappadocia ueritatẽ propugnaſſe: in Piſidia uerò Optimus, & in Lycaonia Amphilochi⁹, & in Occidente Romæ Damaſus, Mediolani Ambroſius, longè etiam poſitos ſagittis immiſsis confixiſſe dicuntur: apud Theodoretum lib. quarto, cap. trigeſimo. Solebant etiam metropolitani, ſi in ſua eccleſia aliquem hæreticũ damnaſſent, literas mittere tum ad uicinos, tum etiam longè poſitos epiſcopos, quibus hæreſin, & refutationẽ eiuſdem cõmemorabant: & petere communia ſuffragia, quibus reprimerẽt in errorẽ inductos. Sic Alexander de hæreſis Arij damnatione, & eiuſdem excõmunicatione ſcripſit paſsim ad epiſcopos Lybiæ, Pentapolis, Syriæ, Lyciæ, Pamphiliæ, Aſiæ, Cappadociæ & finitimorũ locorũ. Item ad Philogoniũ pręſulẽ Antiochenum, & Euſtathiũ Berrhœenſem, & Alexandrum Conſtantinopolitanũ epiſcopũ: & rogauit, ut in charta anathematis ſubſcriberẽt nomina ſua. Theodoretus lib. 1, cap. 4.

Occidentales etiã, cum Arianiſmo magna ex parte eſſet Oriens infectus, ſinguli diligenter ſuos quoſq; obſeruarunt: & ſi quos ad Arianũ dogma cõpererunt inclinare, eos alijs, & maximè Romano epiſcopo indicarũt, qui cõgregata ſynodo ea de re diligentius inquiſiuerunt, & in hæreſin prolapſos excommunicarunt. Sic Galli & Veneti, & nonnulli alij, Auxentium epiſcopum Mediolanẽſem, Arianũ dogma & hæreſim Arianorũ ample-ctentẽ deprehenderũt: idq; tum alijs epiſcopis, tum Romano Damaſo indicarunt. Ob quã cauſam multarũ gentiũ epiſcopi Romã cõuenerunt, & Auxentiũ cõdemnarũt, & decreta ſynodi Nicænæ cõfirmarunt: & ad eccleſias in Illyrico ſcripſerunt, adhortãtes eas, ne ſe in errorẽ induci patiãtur. Sozom. lib. 6, cap. 23. Quicquid etiã ſeu errorũ, ſeu ex alijs rebus laboris & moleſtiæ, in quacunque regione eccleſijs accidiſſet, ab ijs ad alias in fide cõſentientes retulerũt, & officia mutua pietatis & ſocietatis cõſecuti ſunt. Sic ad Athanaſium Baſilius ſcribit, epiſtola quadrageſimaoctaua: Arbitramur prudẽtiæ tuæ cõpere, ut excellentẽ de cõſeruandis eccleſijs ſollicitudinẽ habeat. Viros igitur eccleſię tuæ potentes ad Occidẽtales epiſcopos mitte, quibus calamitatibus occupemur ac premamur, illis exponãt. Et pòſt aliquanto: Ad reliquas quidẽ Orientis res, opus forſan habebis & pluriũ cooperatione, & neceſſariũ fuerit expectare eos qui ex Occidente uenturi ſunt. Antiochenę ſanè eccleſię ſtat⁹ manifeſtè à pietate tua pendet, ut alios quidẽ ædifices, alios uerò cõpeſcas, ac quietos reddas, atq; eccleſiæ uires per unanimem cõſenſum reſtituas. Et rurſus aliquãto pòſt: Viſum eſt mihi cõſentaneũ, ut ſcribatur epiſcopo Romæ, ut quę hic gerũtur, cõſideret, detq; cõſiliũ, &c. Idem ad Meletium, epiſtola quinquageſimaſeptima: Decretũ eſt, ut hic ipſe frater noſter Dorotheus Romã uſq; proficiſcatur, & permoueat quoſdã ex Italia, ut nos inuiſant, idq; per mare, quò eos effugiãt, à quibus poterunt impediri. Igitur ſi prudẽtiæ tuæ conſilium noſtrũ utile uiſum fuerit, dignabere, &

& epistolas formare, & monita dare, de quibus oporteat ipsum narrare, & ad quos, & quando, ut fidem & autoritatē habeant literę. Ad eūdē rursus epistola quinquagesima nona: Si uidetur epistola ad Occidentales necessarium quid complecti, postquā eā fide digna scripsisti, ad nos transmitte, ut curemus ab omnibus cōsentientibus subscribi. Et ad fratres Occidentales, epistola sexagesimā prima: Quemadmodū nos concordiā et unitatē uestrā, qua mutuò inter uos istic fruimini, interpropria nobis bona deputam⁹: ita & uos oportet in hisce dissidijs, quibus premimur, nobiscū collaborare, ita ut nō ideo mutuā inter nos cohęsionē, facta propter locorum distantiā separatiōe deseramus: sed quoniā spiritus cōmunione uiuimus, ad unius corporis cōsensum mutuò nos cōplectamur. Ex hac autē cōsuetudine paulatim Romani episcopi regulam fecerunt, ut ad se omnia perscribi primùm mandarent: ut patet ex epistola Iulij apud Athanasium, Apologia secūda. inquit enim: An ignari estis, hanc consuetudinē esse, ut primùm nobis scribatur? Ita scilicet paulatim ad primatum aspirarunt.

Sic igitur subleuandarū laborantiū Ecclesiarū studio, alij ad alios per longinquas interdū terras episcopi profecti, autoritate sua hæreses damnabant: ac inter se admonebantur, si quid in alijs alij desiderabant. Sic enim Basilius ad Athanasium, epistola quadragesimaoctaua, iterum: Quæritur, inquit & hoc à nonnullis illic, ut & nobis ipsis uidetur necessarium, ut Marcelli hæresin illi cum uenerint, tanquā malā ac nociuā, & in sua fide alienam exterminēt. Quoniā ad hunc usq; diē, in omnibus quas scribunt literis, execrabilē quidē Arium sursum ac deorsum uersantes, anathematizare, atq; ex Ecclesijs eliminare non cessant. Marcellū uerò, qui ex diametro respondentē Ario impietatē attulit, ne semel quidē accusare uidentur. Igitur & illius deposcunt. Itaq; ne occasionē habeāt, qui occasionem quærunt, ex eo quòd sanctitati tuæ coniunguntur qui fide sani sunt, manifestandi sunt omnibus qui ad uerā fidē claudicant: & ut posthac agnoscamus consentientes: & non perinde atq; in nocturna pugna, inter amicos et inimicos sine discrimine uersemur. Epistola item quinquagesimanona ad Meletium: Illud mihi argumentum uelut intactū adhuc esse, locumq; dare scribēdi usum est, admonere illos, (Occidentales) ne sine discrimine quorumuis communionem ex Oriente uenientium accipiant: sed una semel electa parte, reliquos ex consentientium testimonio admittant, & nō cuiuis sub prætextu Orthodoxæ doctrinæ fidei formulam scribendi astipulentur. Nam isto pacto deprehendentur cum aduersarijs facientes. Ne igitur amplius hæresis eorū qui inter se mutuo dissident, per ipsorum scripta, quæ prætexere & deijcere solēt incautos, seducat, admonendi sunt, ut arcanas accedentium communiones, & scriptis iuxta formam Ecclesiasticam comprehensas, faciant.

Ab ijsdem rursus epistola septuagesimasexta petit, ut Arianos in toto Oriente manifestos faciant: occultè uerò hæreticos & dissimulanter, ut Eustathium, Apollinariū, Paulinum & Marcellum Occidentalibus etiam ecclesijs prodant, & manifestent. Eorum, inquit, curam à uobis requirimus. Eam adhibebitis, si uniuersis Orientis Ecclesijs scribere dignabimini, ut eos qui ueritatis doctrinā ad hunc modum adulterarunt, tum demum ad communionem admittant, si quando errata correxerint. Si uerò contentioſe rerum nouationi immorari noluerint, ab illis secedant.

Si quid etiam iniuriarum ab hæreticis & persequutoribus essent perpessi, sibi inuicem querebantur. Vnde Paulus Constantinopolitanus episcopus ab Arianis depositus, in Italiam uenit, & de sua causa conquestus est. Sozomenus libro tertio, capite decimo. Et Petrus Alexandrinus sub Valente ab Arianis in carcerem coniectus, cum è uinculis effugisset, omnibus ubique Ecclesijs de sua calamitate scripsit: & quidem Romam ad Damasum abijt, conquesturus de iniuria. Socrates libro quarto, capite uigesimosecundo.

Huiusmodi uerò alij benignè suscipiebant & consolabantur, præsertim si manifesta esset eorum tum in uera doctrina synceritas, tum uitæ innocentia: id quod constat exemplo Iulij Romani & episcoporum Occidentalium, qui Athanasium ad se uenientem benignè susceperunt, & honorē prosequuti sunt. Sozomenus libro tertio, cap. 7: & Nicephorus lib. nono, capite sexto. Quin etiā suam interponebāt autoritatem: quasi parum efficerent, Imperatorum implorabant præsidium contra hæreticorum furores. Eius rei illustre exemplum præbet historia Athanasij. Nam Eusebius dux Arianorum tumultuantium aduersus Athanasium, Iulio Romano episcopo, qui Occidentalium episcoporum antesignanus uidebatur, scripsit, eumq; hortatus est, ut ipse iudex eorū esset, quæ in causa Athanasij apud Tyrum decreta essent: Sozom. lib. 4, cap. 7. & ad eam rem Romæ indiceret synodum, ut refert Athanasius apologia secunda in literis Iulij, haud grauatè Iulius suam operam & studium præstitit. Iussit enim Arianos Romam uenire, & Athanasio quoque diem dixit. Theodoretus lib. secundo, cap.

quarto. Veniebat quidem Athanasius, uerùm aduersarij eius non comparebant. Aderant uerò etiam alij episcopi ecclesijs suis ab Arianis priuati: Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, Lucius Adrianopolitanus. Iulius cognitis eorũ querelis in Synodo, cum deprehendisset eos amplecti fidem Nicænam, in communionẽ eos admisit, & unicuiq; Ecclesiam suam iudicauit reddendam. Et Orientalibus episcopis scripsit, reprehendẽs eos, quòd minus rectè cõtra hosce uiros iudicassent, quòd iniustè aduersum eos pronũciassent. & diem dixit, quo adessent, & probarent quòd iustè aduersum eos pronunciassent. Hæc Sozomenus libro tertio. cap. octauo commemorans, dicit Iulium eò fecisse, quòd existimarit, propter sedis dignitatem omnium curam ad se pertinere. Socrates uerò libro secundo, capite decimoquinto dicit, eum propter Romanæ ecclesiæ prærogatiuam fecisse. Sed huiusmodi applicationem Theodoretus nõ facit libro secundo, cap. quarto: nec Ruffinus, qui hæc omnia à Iulio facta silentio pręterit. Et quidẽ Orientales episcopi Iulij imperiũ non ferunt: sed rescribentes expresse dicunt, ipsum nõ posse sua decreta rescindere. Sozomenus lib. tertio, capite octauo. Ob quam causam Iulius omnem rem Imperatori Constanti exposuit: qui fratri scripsit, ut quosdã Orientis episcopos mitteret, qui reddant rationem, cur Athanasiũ & alios deposuerint. Sozomenus lib. tertio, capite decimo. Quod factum est: & quidem Orientales excommunicarunt Iulium Romanum episcopum. Sozomenus lib. tertio, cap. undecimo.

Si qui etiam sinceri & innocentes episcopi, in exiliũ ab Imperatoribus, instinctu hæreticorum, essent missi, alij pro ijs intercedebant apud Imperatores, petentes restitutionem. quod Occidentales pro Liberio apud Constantium egisse, Sozomenus libro quarto, capite decimoquinto narrat: & synodum Ariminensem eidem supplicasse pro episcopis expulsis, idem autor est lib. quarto, cap. decimooctauo. Iulium pro Athanasio interpellasse Constantem, idem Sozomenus libro tertio, cap. decimo cõmemorat. Et Nicæna ecclesia eiectos Basilium magnum accessisse, eumq; pro ipsis legationẽ ad Valentem suscepisse, sed nihil impetrasse, Zonaras tomo tertio de Valente annotat.

Gratulabantur etiam Ecclesijs ob episcopos suos ab exilio reuocatos, eosq; cõmendabant. quod Iulius Romanus fecit: quem Sozomen. lib. tertio, cap. uigesimo indicat, Athanasium amicè remisisse ad suos, & datis literis ad clerum & populum Alexandrinũ, celebrasse Athanasium, & ecclesiæ Alexandrinæ congratulatum esse ob reditum eius, & ut cum eo censentirent hortatum esse. Idem fecit synodus Hierosolymitana, in literis suis ad presbyteros & diaconos & ecclesias Aegypti, Libyæ & Alexandriæ: ut est apud Sozomenum libro tertio, capite 22.

Si qui etiam hæretici ad mentẽ sanioremredibant, ij legatos suos mittebãt tum ad Imperatores, tum ad diuersarũ prouinciarum episcopos: & petebant se ad communionem recipi, & pro fratribus haberi, & consilia sibi communicari, qua ratione res Ecclesiasticæ instituendæ essent. Prouinciarum uerò episcopi coactis synodis, eos audiebant, & ad communionẽ recipiebant, alijs q; ea de re scribebant. Sic Macedoniani mittunt tres legatos, Eustathium, Syluanum, Theophilum, ad Valentinianũ Imperatorem. & simul scribũt Liberio Romano episcopo, & sacerdotibus per Occidentẽ. Liberius ubi eorũ cõfessionẽ in scripto accepit, cõmunicauit illis: & rescribit episcopis Oriẽtalibus, laudãs illorũ cõcordiam, & in dogmate cõsensum. Legari uerò, ea de re acceptis literis à Liberio, in Siciliam nauigant, & ab episcopis in synodũ coactis eodẽ modo recõciliantur. Cum reuertissent ad suos, passim etiam Oriẽtales episcopi in Tyanis collecta synodo, legerũt literas Liberij & Occidentaliũ episcoporũ: & omnib. Ecclesijs scripserũt, ut decreta episcoporũ Asiæ, & literas Liberij, Italorũ, Aphrorũ, Gallorum, Occidentalium, & Sicilienſium legerent, ipsisq; consentirent & communicarẽt. Socrates lib. quarto, cap. 12, & 13.

Probarunt & cõfirmarunt, sic inter se connexæ Orientales & Occidentales ecclesiæ, illustres etiam ordinationes legitimè factas: sicut de sua ordinatione Ambrosius scribit libro 10 Epistolarũ, epistola 82, ordinationem suam episcopos Occidentales & Orientales, iudicio suo & exemplo cõprobasse. Macedoniani obiecerunt Paulo, quòd archiepiscopatum Constantinopolitanũ præter sententiam Eusebij Nicomediẽsis, & Theodori Heraclienſis, Thraciæ episcoporũ, ad quos ordinatio tanquã ad uicinos pertinebat, adeptus sit. Sozomenus lib. tertio, cap. tertio.

Eudoxius etiam sibi Antiochenũ episcopatum uendicasse dicitur, cũ nec Georgius Laodicænus episcopus, nec Marcus Arethusanus, qui tum in Syria insignes inter episcopos erant, neq; alij ad quos ordinatio pertinebat, cõsentirẽt. Sozom. lib. 4, cap. 12. Et idem Moysi, & ordinationẽ Petri, Damasus probauit. Socrat. lib. 4, cap. 37. Theodosius etiam cõtra Occidẽtales episcopos Flauiani ordinationẽ propugnãs, affirmat, cũctas Orientales ecclesias Flauiani præsulatũ defendere: & præter has, habere eum cõiunctas & secũ communicãtes omnes Asiaticas & Pontícas, atq; etiã Thracicas ecclesias: & toti Illyrico

lyrico persuasum esse, uniuerso Oriēti præsidere Flauianū. & hortatur etiam Occidentales episcopos, ut ordinationē eius approbēt. quod etiam postea factū est: ut narrat Theodoret. lib. 5, cap. 23. Hac coniunctione abuti cœperūt Romani episcopi, ut paulatim ad se traherēt primatū. Nam ab alijs ordinatos, leui de causa improbarūt: & ut se purgarent, Romā uenire coegerunt: ut patet ex historia Flauiani apud Theodoretum lib. 5, cap. 23. Transtuletūt etiam ex alijs in alias ecclesias interdū doctores idoneos: quemadmodū Nicænæ fidei patres, Eustathiū Berrhœa Antiochiam transtulerūt. Sozom. lib. 1, cap. 2. Episcopi quoq; Constantinopolitani ex multis cōgregati prouincijs, necessarium esse iudicarunt, ut è Nazianzo Gregorius Constātinopolim transferretur. Idem lib. 7, cap. 3. Id uetet ex canone 16 Nicæni concilij. Ruffinus libro primo, cap. 6. Et ex historia Eusebij Nicomediensis, occupantis ecclesiam Constantinopolitanam. Theodoretus lib. 1, cap. 19.

Nec licebat episcopis diuersarum prouincia rum clericos, sine probabili causa uagantes aut oberrantes, in communionem suscipere: ut patet ex canone decimoseptimo Nicæni concilij. Ruffinus libro primo, capite sexto.

Nec eos qui sub alterius diœcesi erant, sibi inuicem surripiebant, & sine consensu eius metropolitani clericos in sua Ecclesia ordinabant: ut patet ex canone decimooctauo Nicæni concilij. Solebant etiam metropolitæ cum suis collegis episcopos ordinare, & alijs gentibus mittere. Sic Athanasius Frumentium Indorum episcopum creauit, eoq; ablegauit. Sozomenus libro secundo, capite uigesimoquarto.

Solebant etiam ad dedicationes ecclesiarum, plurium prouinciarum episcopi cōuocari & conuenire: quod tempore Constantini cœpisse uidetur. Is enim ad dedicationem templi Hierosolymitani accersiuit œcumenicam Synodum, apud Tyrum congregatā. Eusebius libro quarto de uita Constantini. Eo nomine Eusebius curauit congregari Synodum Antiochiæ Syriæ. Socrates libro secundo, capite octauo. Quo in loco idem autor affert, canonem Ecclesiasticum iubere, ne qua canonicè dedicetur ecclesia, sine consensu Romani episcopi. Quem uerò intelligat canonē, nō facile est intelligere: nam inter Nicænos nullus talis extat. Sed uidetur Socrates ex epistola Iulij eam phrasim hausisse, lib. 2, cap. decimoseptimo: de quo nō est mirū, si mysterij iniquitatis more, canones sibijpsi de suo iure mentitus est. Sozomen. lib. 3, cap. 10, eandē historiam referēs, non meminit canonis de consecrandis templis, cum consensu Romani episcopi. Patres è Nicæno concilio rogatu Constantini Byzantium uenisse, & eam urbem precibus & uotis Dei genitrici dedicasse, & Constantinopolim & nouam Romam appellasse, Nicephorus lib. octauo, cap. uigesimosexto refert. Idem Zonaras tomo tertio, de Constantino narrat.

Si quid aliàs rerum necessariarū, quarum Ecclesijs omnibus, aut plerisq; diuersarum prouinciarum interesset, incidisset, in Synodos coibant, & cōmuni deliberatione de ea tractabant. Habebant quidē singuli metropolitani potestatem cōuocandi Synodos ex episcopis suæ prouincię, ut suprà demonstratum est. Vnde si quid esset statuendū, quod ad plures pertinebat prouincias, duo aut plures metropolitani cōueniebant, & in una aliqua prouincia cōuocata Synodo cōferebant sententias, & aliquid decernebant, ac sua illa decreta ad alios metropolitanos mittebant: qui similiter congregatis suis coepiscopis & uicinis, facta deliberatione, decreta illa uel approbabāt, uel reijciebāt. Nam cum Apollinaris hæresin suam sparsisset, Petrus Alexādrinus Romā ad Damasum profectus, cum eo contulit de opinione Apollinaris. Damasus autem conuocat alios coepiscopos: & re hinc inde agitata, hæresin eam esse pronunciat. Eam sentētiam Petrus, reuersus Alexandriam, in synodo cum suis confirmat. Idem postea facit synodus Constantinopolitana. Ruffinus lib. secundo, cap. uigesimo.

At generales et œcumenicas Synodos cōuocandi ius, hoc seculo penes Imperatores fuisse, testatur historia: quæ manifestè indicat, omnes generales Synodos, quotquot hoc seculo coactæ sunt, Imperatorū autoritate coactas esse, ut postea dicetur. Solebant enim episcopi, si qua cōmunis causa esset tractanda, interpellare Imperatores de Synodi conuocatione. Nam Ruffinus libro 1, cap. 1, testatur Constantinū de sacerdotū sententia conuocasse synodū Nicænā. Epiphanius uerò libro 2, tom. 2, eam Synodum Alexandrum ab Imperatore impetrasse. Sic Athanasius & alij afflicti ab Eusebianis & Arianis, accedētes ad Constantē Imperatorē, petebant congregari synodum: quod & fecit. Ex pluribus enim quàm trigintaquinq; prouincijs, Sardicensem synodum coegit, ut narrat Athanasius in epistola ad solitarios. Et meminerūt eius synodi Sozom. libro 3, capite undecimo: Theodoret. lib. 2, cap. 7. Eusebiani hortati sunt Constantium, ut synodum Antiochenam conuocaret. Sozomenus libro quarto, capite uigesimosecundo: Socrates libro secundo, capite octauo. Idem Ariani eidem persuaserunt, ut Mediolani Synodum cogeret. Theodoretus libro secundo, capite decimoquinto: Ruffinus libro primo, capite decimonono. Arianorum fraude eundem

quoq;

quoq; geminam indixisse synodum, aliam Occidentalium Arimini, aliam Orientalium Seleuciæ, indicat Sozom. lib. 4, cap. 16. Macedonianos à Valente petijsse, ut Synodum sibi pro congreganda fide instituere liceat, commemorat Socrates lib. 4, capite secundo & quarto: Sozomenus uerò, episcopos per Thraciam, Bithyniam & Hellespontũ missa legatione ad Valentinianum, Lampsacenam synodum impetrasse, lib. 6, cap. 7. Nec Romano episcopo synodos generales congregare sine autoritate Imperatorum licuisse, manifestum est ex Dialogo Liberij & Constantij, apud Theodoretum libro secundo, cap. 16. ubi concedit Imperatori potestatem conuocandi synodum. Et ex epistola patrum Constantinopoli congregatorum sub Theodosio, quæ extat apud Theodoretum libro quinto, cap. 9. In ea enim testantur, se à Damaso literis Imperatoris ad synodũ Romanam inuitatos esse.

Solebant autem plerosq; omnes insigniores metropolitanos, ex omnibus prouincijs ad generales synodos conuocare: ut constat ex Nicæna synodo, apud Eusebium lib. 3. de uita Constantini: & Theodoretum libro primo, capite septimo. Eam consuetudinem Iulius Romanus episcopus, ut canonem ecclesiasticum allegat, cum synodum Antiochenam reprehendit, & irrita esse eius decreta affirmat, eo quòd se ad eam synodum non uocarint. Socrates libro secundo, capite decimoseptimo: & Sozomenus libro septimo, capite decimo.

Ad indictas ab Imperatoribus synodos, ecclesiæ in diuersis prouincijs mittebãt suos metropolitanos & insigniores episcopos: ut constat ex Eusebio lib. 4. de uita Constantini. Testatur enim, Macedones suæ metropolis episcopum, & Pannonios, & Mysios, & Persas & alios, misisse suos præstantes uiros ad synodum Hierosolymitanã: & Constantiũ cuiusq; gentis episcopos, qui instructiores essent & ad intelligendum, & ad differendum, Sozom. lib. 4. cap. 16 affirmat.

Qui nõ poterant in synodũ uenire, missis literis & legatis suis se excusabant, id quod fecerunt episcopi Orientales Constantinopoli cõgregati, qui collegas suas Cyriacum, Eusebium, Priscianum, cum literis ad synodum Romanam ablegant, apud Theodoretum lib. 5, cap. nono. Ad Nicænam synodum cum Romanus episcopus nõ posset uenire propter seniũ, misit presbyteros duos, Vitum et Vincentium, qui locum ipsius supplerent. Eusebius libro tertio de uita Constantini: Sozomenus libro primo, capite decimoseptimo: Theodoretus libro primo, capite septimo. Socrates libro primo, capite octauo. Petebant etiam interdum, missis literis ad Synodos, ut Ecclesiarum laborantium haberent rationẽ: quod Georgius Laodicenus fecisse dicitur apud Sozomenum libro quarto, capite decimotertio.

Interdum etiam, præsertim si suspectae habebant Synodos, prorsus emanebant. quod de Maximo Hierosolymorum episcopo, Socrates libro secundo, capite septimo commemorat: quem ad synodum Antiochenam non abijsse dicit, quòd ueritus sit, ne simul cum alijs ad subscribendum depositioni Athanasij induceretur.

Nec præsidendi in Concilijs potestas erat penes certæ alicuius prouinciæ metropolitanum: sed uel is in cuius prouincia congregatum erat Concilium, uel qui doctrina & autoritate excellebat alijs, uel qui ab imperatore aut communi aliorum episcoporum sententia esset ad id munus delectus: quod infrà ex historia Conciliorum apparebit. In synodo Nicæna, Eustachius Antiochenus episcopus primus in dextro latere sedit, & nomine totius Synodi orationem ad Imperatorem habet: ut patet ex Eusebio libro tertio de uita Constantini: & Theodoreto libro primo, capite septimo. Athanasius in apologia de fuga sua (ut refert Theodoretus libro secundo, capite decimoquinto) de Osio inquit: Cuius enim non fuit ille Concilij princeps? aut quis illius refragari potuit rectæ sententiæ? quæ Ecclesia non habet pulcherrima patrocinij illius monimenta? De eodem Theodoretus ibidem inquit: Osius erat episcopus Cordubæ, celebris in magna synodo Nicæna: & princeps, id est præses synodi Sardicensis. Testatur etiam Socrates libro secundo, capite uigesimo: et Sozomenus libro tertio, capite duodecimo, Protogenem episcopum Sardicensem, & Osium, in synodo Sardicensi præcipuos fuisse. Ariani apud Athanasium in epistola ad solitariam uitam agentes, appellant eum Synodorũ principem, qui formulam fidei in Nicæno concilio conceperit.

Romanum episcopum haud ulli Synodo uniuersali hoc seculo celebratæ præsedisse legas: nisi fortè Romanæ sub Theodosio præsediſſe uideatur, cuius meminit Theodoretus libro quinto, capite nono, & uigesimotertio. Nam quòd, ut metropolitanus, prouincialibus & Romæ congregatis concilijs præsederit: id extra controuersiam est.

In Synodis uerò solebant primùm fidei cõtrouersias componere, & deinde etiam episcoporum causas agere, qui iniustè depositi, aut in exiliũ acti essent. Sozomenus libro quarto, capite decimoseptimo.

In Synodis itaque aut de doctrinæ ueræ confirmatione, aut damnatione errorum tractabant: quod factum est in Nicæna synodo,

do, in Sardicensi, Romana sub Damaso contra Apollinarē, Constātinopolitana & alijs. Aut ceremonias uariantes conformabant: quemadmodum in Nicæna, diuersa paschatis celebrādi ratio sublata est. Aut ordinabāt episcopos, præsertim metropolitanos: aut legitimè ordinatos confirmabant: quod in Cōstantinopolitana sub Theodosio factū esse, ipsi eius synodi patres in literis ad synodum Romanam indicant, apud Theodoretum libro quinto, capite nono. Aut cognoscebant aut dijudicabant causas Episcoporum inter se litigantium: quod in synodo Romana sub Constantino, & in Arelatensi, in quibus Cæcilianus & Donatistæ inter sese discęptarunt, factum esse, constat ex literis Constantini ad Miltiadem, & ad Chrestum Syracusiorum episcopum: quæ extant apud Eusebium libro decimo, cap. quinto. In Synodo apud Tyrū, & alijs multis, agitata est causa Athanasij. Et quidē quos cognoscebant uel hæresi esse infectos, uel criminibus notorijs obnoxios, uel sacrorum canonū uiolatores, eos aut deponebant ab officio, aut prorsus excommunicabant. Sic in Nicæna synodo damnatus est Arius cum suis: in Sardicēsi Theodorus, Acacius, Vrsatius, Valens, & alij plures, non modò ab officio episcopatus remouentur, sed etiam excommunicantur. Theodoretus libro secundo, cap. octauo. Aut ab officijs depositos, & excommunicatos, si eorum probata esset innocentia, ad communionem recipiebant, & suis ecclesijs restituebant cum publico innocentiæ testimonio: quod Sardicensis synodus fecit Athanasio, Marcellæ, Asclepę. Theodoretus libro secundo, capite octauo. Non enim licebat depositis redire ad Ecclesiam, nisi in synodis probassent suam innocentiam. Quare cum Athanasius iussu Imperatoris redijsset Alexandriam, etiam omnibus ubique episcopis scripserunt, accusantes eum, quod contra leges Ecclesiæ egerit, & non prius in concilio se insontem esse declarauerit. Sozomenus libro quarto, capite octauo. Hæreticos etiam libellos resipiscentiæ offerentes recipiebant, & pro ijs reuocandis apud Imperatores intercedebant: quomodo Eusebius & Theogonius recepti dicuntur, apud Sozomenum libro 2, capite decimosexto. Aut etiam in synodis dedicabant ecclesias. Eusebius libro quarto de uita Constantini: Socrates libro secundo, capite octauo: Zonaras tomo tertio, de Constantino. Solebant etiam in synodis reprehendere ipsos Imperatores. Nam episcopos in synodo Mediolanensi palàm Constantium præsentem coarguisse impij & iniusti imperij, Theodoretus testatur libro secundo, cap. decimoquinto. Canones etiam ad Ecclesiæ gubernationem & disciplinam necessarios, in synodis condere solebant: quod in Nicæna, Antiochena, & Constantinopolitana factum esse, suo loco demonstrabitur. Mittebant etiam ex synodis legatos ad Imperatores, eosq; rogabant, ut decreta, siue iam nuper, siue olim facta confirmarent, & contra ea agentes cohercerent. Sic synodus Ancyrana missis legatis ad Constantium, indicat ei, quòd Eudoxius studeat fidem deprauare: & petunt ut prouideat, quò ea quę Sardicæ & Syrmij cum alijs synodis decreta essent, confirmentur. Sozomenus lib. 4, cap. 13.

Decreta autem facta in synodis, oportebat ab omnibus episcopis, præsertim insignioribus, approbari. unde ad absentes acta Nicæni concilij, & Sardicensis, perscribebantur. Theodoretus libro primo, cap. nono: & lib. 2. cap. 8. Et Marius Victorinus libro secundo aduersus Arium, dicit, decretam fidem Nicænam per totum orbem missam, & multa episcoporum millia consensisse. Idem in alijs cōcilijs factum est, ut patet ex literis synodalibus, quarum exempla plurima à scriptoribus Ecclesiasticis annotantur.

Porrò si non consensissent pleriq; omnes, qui erāt doctrina & pietate & autoritate prę-cellentes, minus roboris ea decreta habebant. Hinc episcopi Romæ sub Damaso congregati, decreta Ariminensis concilij Nicænis contraria reprobant: ut quibus nec Romanus episcopus, nec Vincentius, nec alij consensissent: ut est in epistola synodi Romanæ ad episcopos in Illyrico: apud Sozomenum libro sexto, capite uigesimotertio: & Theodoretum libro secundo, capite uigesimosecundo. Osius etiam & Protogenes, qui in Sardicensi synodo congregatis occidentalibus præsidebant, uerìt ne quibusdam Nicæni concilij decreta alterare putarentur, Iulio scripserunt, affirmaruntq; habere se illa firma & authentica: uerùm propter declarandi necessitatem, eandem se illorum sententiā fusius exposuisse, ne Arianis breuitate scripturæ abutentibus, dictione illius imperitos in absurdā sententiam pertrahere concederetur. Sozomenus lib. 3, capite duodecimo. Hac pia cōsuetudine abusi postea Romani, supremam conciliorum confirmandorum potestatem paulatim sibi adscripserunt: ut sequentibus seculis dicetur.

Interdum etiā in una synodo acta, permiserunt in alia denuò examinari: quod Iulius in epistola sua ad Antiochenos affirmat. Inquit enim: Episcopi in magna synodo Nicęę congregati, non sine Dei consilio permiserunt, prioris synodi acta in alia synodo examinari, ut & illi qui iudices erant præ oculis habentes secundum de ea ipsa re iudicium futurum, cum omni diligentia causam

expende-

expenderent: & illi qui ſententiam acceperant, certò agnoſcerent, ſe non per ſimultatē priorum iudicum, ſed iure & meritò condēnatos eſſe. apud Athanaſium in apologia ſecunda. Si in ſynodis contra abſentem in lite proceſſum eſſet, non habebatur ea ſententia pro firma: ut patet ex literis Iulij ad Antiochenos, apud Athanaſium Apologia ſecunda: & ex colloquio Liberij & Conſtantij, apud Theodoretum libro ſecundo, capite decimoſexto. Etiam contra ſynodorum impia in doctrina decreta, ſcriptis ſeſe opponere ſolebant: quod Hilarius fecit, qui cōtra ſynodum Mediolanenſem librum edidit.

DE OFFICIIS POLITICI MAGIſtratus in iuuanda & conſeruanda gubernatione & diſciplina Eccleſiaſtica.

AD communem plurium aut omnium Eccleſiarum gubernationem, hoc primùm ſeculo Imperatorum Chriſtianorum acceſsit cura & autoritas, & neruus in rebus externis. Nam pij Imperatores de ſuo officio edocti, agnouerunt, Magiſtratum, quantum ad externa, cuſtodem primæ & ſecundæ tabulæ à Deo eſſe conſtitutum. Vnde Euſebius narrat, ſe audijſſe Conſtantinum ad epiſcopos in conuiuio dicere: Vos quidem eorum quæ intus ſunt in Eccleſia agenda, ego uerò eorum quæ extra hanc ſunt, epiſcopus à Deo ſum conſtitutus. Libro quarto de uita Cōſtantini. Et ipſe quidē Euſebius lib. primo de uita Conſtantini, eundē quaſi communem epiſcopum à Deo cōſtitutū eſſe dicit. Quid quod Cōſtantinus ipſe, in epiſtola ſua ad Nicomedienſes, ſe miniſtrum Dei, ut qui habeat poteſtatē epiſcopos improbos coërcendi, appellat, apud Theodoretum lib. primo, cap. decimonono? Vſi autem ſunt ſua autoritate & neruo in propaganda uera religione. Publicis enim edictis ad ueram fidē ſuos ſubditos Conſtantinus eſt cohortatus: ut paſsim Euſeb. in uita eius commemorat. Gratianum etiam legem tuliſſe, ut cuncti ſubditi eā religionē retineret, quā Damaſus et Petrus Alexandrinus cuſtodirent, Sozom. lib. 7, cap. 4 ſcribit. Et econtrà de prohibendis & abrogandis idololatrijs ethnicorū, Imperatores quoq; leges publicas ꝓpoſuerūt. nam Cōſtantinus plurimos paſsim idololatricos cultus abrogari, & ijſdē in locis Eccleſias ædificari, & populum de uera & ſalutari agnitione Dei erudiri curauit. Sic enim à loco ſepulchri Chriſti, Veneris idolū, & aras ab ethnicis ſtructas remoueri, & ibidē templa ędificari, & ſimiliter in Mambre fieri curaſſe, narrat Euſeb. lib. 3 de uita Cōſtant. Idē cōmemorat eodē libro, eū in Phœnicū gente & Cilicia idololatriā abrogaſſe: & ſuperſtitioſorū ciuitatē, Eccleſiā Dei, presbyterosq; & diaconos ſortitā, & epiſcopū incolis illis præfectū eſſe. Et libro quarto inquit: Creberrimis legibus & cōſtitutionibus, omnibus interdicebat, ne ſimulachris ſacrificarēt, ne uaticinis ſciſcitarētur, ne ſtatuas erigerēt, ne ſacrificia occulta facerēt, ne ciuitates ſingularīū certaminū homicidijs polluerent. His uerò qui per Aegyptū, ipſamq; Alexandriā, fluuium qui apud ipſos eſt, per uiros effœminatos colere ſolebant, alia lex miſſa eſt, ut uniuerſum Androgynorū genus, tanquam adulterū, è uita tolleretur: nec alicubi eos uidere liceret, qui obſcęna hac libidine detinerentur. Idē & alij ſequentes pij & Chriſtiani Imperatores fecerunt. nam de filijs Conſtantini Sozom. lib. 3, cap. decimoſeptimo aſſerit, quòd paternis legibus adſtipulati ſint, & proprias adiecerint, cōtra eos qui uel ſacrificare, uel imagines colere, aut ethnicā ſuperſtitionē exercere preſumerent. Et de Theodoſio Ruffin. inquit lib. ſecundo, cap. 19: Idolorum cultus, qui Conſtantini inſtitutione, & deinceps negligi & deſtrui cœperat, Theodoſio imperante collapſus eſt. Quod expreſsius Theodoretus lib. quinto, cap. 20 refert: Imperator fideliſsimus Theodoſius, tranſtulit ſtudium ſuum aduerſus errorem Græcorum: legesq; ſcripſit, quibus mandabatur deſtructio lucorum ſimulachralium. Conſtantinus enim magnus dignisſimus omni laude, qui primus exornauit Imperium pietate, cum adhuc inſanire cerneret orbem terrarum, interdicto ſuo ſacra dæmonum prorſus ſuſtulit: fana tamen non ſubuertit, ſed inacceſſa eſſe uoluit. Huius filij, & ipſi paternis ueſtigijs inſiterant: uerùm Iulianus impietatē renouauit, & antiquæ deceptionis ſuccēdit ignem. At Iouianus imperium adeptus, rurſus ſimulachrorum cultum prohibuit. Et Valentinianus magnus ijſdem legibus Europam gubernauit. Valens uerò cunctis alijs, quam deleginſſent religionē, eiusq; cultum permiſit: cum ſolis autem propugnatoribus dogmatum Apoſtolorum bellare nunquā ceſſauit. Toto igitur tēpore ipſius Imperij, & inanis ignis ardebat, & ſimulachra libationibus ac ſacrificijs honorabantur, & in foro publicæ epulę dabantur, & initiati orgijs Bacchi cum parmis curſitabāt, canes diſcerpentes, inſani entes, bacchantes, peragentesq; & alia quib. illorū magiſtri feſta celebrātur. Hæc omnia cum fideliſsimus Imperator Theodoſius cōperiſſet, funditus euulſa obliuioni dedit. Ambroſius lib. quinto, epiſtola trigeſimaprima dicit, Conſtantium aram Magnæ Deæ in curia Romana auferri iuſsiſſe.

Turpes etiam conſuetudines, moribus & pietati nocentes aboleuerunt. cuius rei exempla de Theodoſio commemorat Socrates libro quinto, capite decimooctauo: qui mancipes, Romæ in tabernis proſtituentes meretrices,

meretrices, & incautos scortatores per cuniculum in pistrinum proijcientes, supplicio affecit, & speluncas illas latrociniorum subuertit: & obscœnam puniendæ adulterę consuetudinem, per publicam stuprationem ad sonitum tintinnabuli in sistris lupanaribus, sic uocatis, prorsus extinxit.

Curæ etiã ijs erat, inter episcopos & doctores Ecclesiarũ conseruare cõcordiã: & si quæ essent ortę dissensiones, siue ob doctrinã, siue ob alias causas, suam interponebant autoritatem, in ijs sibi inuicé reconciliandis. Quod Cõstantinꝰ fecit, cũ Alexandriã misit Osiũ, & ipse scripsit literas ad Ariũ & Alexandrũ, obtestans eos, ut concordię & paci studerẽt: quemadmodum refert Eusebius lib. secundo de uita Constantini: & Socrates lib. primo, cap. septimo. Idem, cum in Antiochena ecclesia orta essent dissidia, ob ordinationẽ, literis eos ad concordiam est cohortatus. Eusebius libro tertio de uita Constantini.

Si uerò literis & cohortationibus nihil proficerent, causam eam cognoscendam aliquibus insignioribus episcopis commendabant, præsertim ijs ad quorũ iudicia dissentientes prouocarent. Nã cum quidã Africani episcopi, antesignano Donato, Cæcilianum Carthaginensem in multis reprehenderent, inter alia ei obijcientes, quòd sacras literas Christianæ religionis hostibus tradidisset cremandas, & dissidijs eæ Ecclesiæ turbarentur, & peterent ab Imperatore, ut quoniam Gallia esset immunis à contentione, quæ orta esset inter Africanos & cæteros episcopos, sibi de Gallia iudices dare præciperet (ut commemorat Optatus Mileuitanus libro primo aduersus Parmenianum) Constantinus Cæcilianum unà cum decem episcopis, qui eum accusarent, additis alijs decẽ qui de causa cognoscerent, Romam accersiuit, & Romanum episcopum Miltiadem, & Marcum, & Galliæ episcopos Rheticium & Maternum & Marinum, unà cum illis causam componere iussit: ut patet ex literis eius ad Miltiadem & Marcum, apud Eusebium libro decimo, capite quinto, & ex Optato Mileuitano.

Si uerò nec sententiæ episcoporũ acquiescerent, sed appellarent ad synodũ, curabant Imperatores synodos congregari, & iterum de ea causa tractari: quod etiam in dissensione Cęciliani & Donati factum est. Nam cum in consessu Romano, cognita causa, episcopi Cæcilianum absoluissent, & Donatum improbum calumniatorem damnassent, Donatus prouocabat ad synodum: Constantinus uerò Arelati eã congregauit, eoq; accersiuit Chrestum Syracusiorũ episcopum, & quàm plurimos alios ex uarijs et innumeris ciuitatibus. Eusebius libro decimo, cap. quinto.

Ne quid uerò uiderentur sibi sumere, accersebãt orthodoxos et probatos episcopos, & cum ijs cõsilia de sanandis Ecclesiarũ perturbationibus consultabant. id quod fecisse Iouinianũ, narrat Ruffinus libro secundo, capite primo: qui Athanasiũ familiarissimis literis ad se euocarit. Theodosium etiã cũ Nectario captasse consilium, quo pacto dissentientes ad cõsensionẽ in doctrina adduci possent, Socrates libro 5. cap. decimo prodidit.

Ad sanandas uerò in doctrina dissensiones, & componendas lites episcoporũ, Imperatores indicebant synodos, siue sua sponte, siue rogatu & hortatu episcoporũ, ut suprà diximus: nec reperias ullã generalẽ synodũ, hoc toto seculo, sine Imperatorum autoritate cõuocatam. quod per enumerationem probare hoc loco non ducimus esse necessarium: siquidem ex capite de Concilijs, lector id cognoscere potest. Testatur Socrates in procœmio libri quinti, quòd ab Imperatoribus, postquam Christiani esse cœperint, pendeãt res Ecclesiasticę: & quòd maximæ synodi ex illorum sententia congregatæ sint, & adhuc congregentur.

Interdum autem Imperatores cum Episcopis sibi familiaribꝰ de loco opportuno eligendo ad synodum, deliberabant. Nam Constantius, suasu Basilij, Nicomediã synodo destinabat. Sed ea urbe ante conuentũ terrę motu cõcussa, iterũ cõsulebat Basiliũ de alio loco. proponebat is quidem Nicæam: sed cum ea Imperatori non uideretur satis idonea, Basilium iubebat per literas scisciari ex omnib. Orientis episcopis, quo loco synodũ cõuenire commodum arbitrarentur. Illi autem nõ unum, sed diuersa loca nominabant. Sozom. lib. quarto, cap. decimosexto. Nusquã hic inuenies, siue de concilio conuocando, siue de loco eligendo, Romanũ episcopũ consultum: ut penes quem solum ea esset potestas definiendi. Conuocabantur autem episcopi ad synodos literis Imperatorũ. Eusebius libro tertio de uita Constantini: Theodoretus libro quinto, capite nono. Vehebantur autem publicis uehiculis, procurantibus ea Imperatoribus per præfectos: ut patet ex epistola Constantini ad Chrestum. Eusebius libro decimo, capite quinto. aut ecclesiasticis: Theodoretus. aut iumentis: Eusebius libro tertio de uita Constantini, & Theodoretus lib. 2. capite decimosexto. Et Reipublicæ sumptibus episcopos ad concilia uenire soli tos, apparet ex Sozomeno lib. quarto, cap. 16. Persuaserant enim Imperatori, nec Reipublicæ, propter sumptus, nec ipsis episcopis, propter itinera cõmodũ fore, ut cuncti in eundem locũ conuenirent. Conuiuijs etiá exceptos, & muneribus honoratos patres Nicænos à Constantino esse, Euseb. affirmat lib. 3:

de uita Cõstantini. Quod etiã Hierosolymis eũ feciſſe, cõmemorat lib. 4. de uita Constantini: & Theodoretus lib. 1, cap. trigesimo.

In synodis nõnunquam ipsi Imperatores intererant, & ad concordiã episcopos sua autoritate flectebant: quod de Constantino in Nicæna synodo præsente, Euseb. dicit lib. 3. de uita Constantini. In Mediolanensi synodo Constantium præsentem fuisse, apparet ex Theodoreto libro secundo, capite decimo quinto. Et in Romana sub Damaso, Theodosium adfuisse, colligi potest ex epistola Orientalium, apud Theodoretum libro quinto, capite nono. Si ipsi Imperatores non possent adesse, mittebant suos legatos. Nam concilio apud Tyrum congregato, ex præcepto Imperatoris, Dionysius comes à latere Imperatoris, & Anhelaus comes Orientis, & Comes Phæniciæ præsederunt. Ruffinus libro primo, capite decimosexto, & decimoseptimo. Idem constat ex epistola Constantini ad synodum Tyri: quæ est apud Theodoretum libro primo, capite uigesimooctauo. in qua inquit: Misi isthuc Dionysium uirum consularem, qui quos uobiscum in concilium ire oporteret admonendo, & ea quæ gererentur, in primisque ordinem animaduertendo, præesset conuentui. Si quos episcopos intellexissent ad synodum uenire detrectare, literis & edictis iubebant ut adessent. Ná cùm patres in Tyro cõgregati, Constantino indicassent nomina eorum qui abessent, quos cuperent adesse, scripsit ad eos ut uenirent, & suam curam in eo concilio ad aliorum adiungerent. Mandauit etiam suo legato, ut iussionem Synodi paruipendentes, & uenire recusantes, in exilium ageret: ut patet ex literis Constantini apud Theodoretum libro primo, capite uigesimooctauo.

Iudicium de causis fidei, & rebus Ecclesiasticis, commendabant episcopis. Nam Ambrosius lib. quinto, epistola trigesimasecunda inquit: Si tractandũ est, tractare in Ecclesia didici, quod maiores mei fecerũt. si cõferẽdũ de fide, sacerdotum debet esse ista collatio: sicut factũ est sub Constantino, &c. qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit sacerdotibus iudicium. Factum etiã est sub Constantio, &c. Ibidem etiam monet, Theodosium legibus sanxisse, in causa fidei uel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hinc Athanasius in epistola ad solitariam uitam agentes, de Constantio inquit: Obtendit in speciem episcoporum iudicium, sed interim facit quod illi lubet, &c. Nam si illud est iudicium episcoporum, quid cõmune cũ eo habet Imperator? Sin cõtrà ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo episcopis? &c. Plurimę antehac synodi fuêre, multa iudicia Ecclesię habita sunt: sed neque patres istiusmodi res principi psuadere conati sunt, nec princeps se in rebus Ecclesiasticis præbuit curiosum. Sed tamen decreta in synodis facta, etiã ipsi Imperatores sõlebant examinare, an secundum scripturas essent facta. Sozomenus enim libro quarto, capite decimosexto, & decimoseptimo refert, Constantium ordinasse, ut synod⁹ eligeret decẽ ex Oriẽtalibus, & totidẽ ex Occidẽtalibus episcopis, & ad aulã Imperatoris mitteret, qui decreta synodi exponerẽt, ut & ipse cõsideraret, an secũdũ scripturã inter se cõueniissent: & de reb⁹ agẽdis, quæ optima uiderentur, determinaret. quod etiã synodus fecit. Sozomenus lib. 4, cap. 18.

Si cognoscerentur patres in synodis minus rectè causam tractasse, & iniustas sententias in innocentes pronunciasse, increpabãt eos, & ut denuò conuenirent imperabant. Sic cùm Constantinus intellexisset, in synodo apud Tyrum, Athanasium iniustè damnatum, grauissimas ad eos misit literas: quibus ad se patres præcipit uenire omnes Constantinopolim, & coràm ostendere reipsa, quam syncerè & rectè iudicauerint. & palàm eis obijcit, quod nihil aliud faciant, quàm ea quæ ad disidia & odia & perniciem generis humani tendant. Constant hæc ex epistola Constantini, apud Socratem lib. primo, cap. trigesimoquarto. Eodem modo Constans, cum esset per Iuliũ Romanũ episcopũ admonitus de iniusta sententia synodi Antiochenæ aduersus Athanasiũ, & alios Nicænã fidẽ amplectentes: scripsit fratri suo Constantio, ut quosdã ex Oriẽtis episcopis mitteret, qui rationem illius depositionis redderẽt: quod & factum est. Sozom. lib. tertio, cap. decimo.

Etiam in synodis damnati, ad Imperatores appellare & confugere solebant. Nam Athanasius in synodo apud Tyrũ iniustè damnatus, ad Constantinũ fugit. Socrates lib. primo, cap. 23. Narrat Augustinus epistola centesima sexagesimasecunda, & centesima sexagesimasexta, Donatum in synodo Arelatensi damnatum, appellasse ad Constantinum: qui utraq; parte audita, Cęcilianum pronunciauerit innocentem. Ex epistola Ambrosij ad Theophilum, quæ in libro decimo est septuagesimaoctaua, apparet, Flauianum litigantem cum Euagrio, cum synodus Capuensis eius causæ cognitionem cõmisisset Theophilo, & episcopis Aegyptijs, ad Imperatorem appellasse. Quæ uerò existimabant rectè decreta esse, siue in doctrina, siue in alijs rebus, ea confirmabant, ac literis etiam suis promulgabant: additis edictis, de pœnis eorum qui ea uiolarent. & mandabant præsidibus executionem.

De

De Constantino Eusebius in uita eius libro quarto testatur, eum definitiones episcoporum in synodis promulgatas confirmasse: & gentium præsidibus interdixisse, ne ea quæ ab illis decreta essent, infringerent. Idem decreta synodi Nicænæ amplexus est: & protestatus, se in exilium acturũ eos qui non subscriberent. Ruffinus libro primo, capite quinto. Quod etiam fecit. nam Arium cum sex suis asseclis in exilium misit. Ibidẽ. Promulgauit decreta synodi Nicænæ suis literis, quarum exempla passim extant in libro tertio Eusebij de uita Constantini, & apud Socratem & Theodoretum. Præcepit etiam Arij libros cremari: & si quis eos celare deprehensus esset, eum capitali supplicio affici iussit. Socrates libro primo, cap. nono. Valentinianus & Valens & Gratianus decreta synodi in Illyrico, episcopis diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Cataphrygiæ, Pacatianæ denunciant: apud Theodoretum libro quarto, capite octauo.

Edictis etiam & neruo ciuili reprimebant tum hæreticorum falsa dogmata & blasphemias, tum eorum seditiosos tumultus & conatus. Nam Constantinus de Nouatianis, Valentinianis, Marcionistis, Paulianis, & Cataphrygibus constitutionem promulgauit, in qua edixit, ut omnia eorum oratoria ipsis etipiantur, & catholicæ Ecclesiæ tradantur, & reliqua eorum loca rebusp̃licis adiudicentur: nec ulla prorsus facultas conueniendi ijs relinquatur, siue in publico, siue priuato loco. Minis etiam eorũ asseclas terrebat, & ut ecclesiã ingrederentur adegit: libros etiam eorum inquiri & perlustrari mãdabat, ut refert Euseb. lib. tertio de uita Constantini. Idẽ, cũ Eusebij Nicomediensis & Theognonij fraudes deprehendisset, iussit eos arreptos in remotissima loca deportari: in epistola sua ad Nicomedienses, apud Theodoretũ libro primo, capite decimonono. ubi eleganter inter cætera inquit: Nos si habeamus episcopos castos, orthodoxos, humanos, gaudemus. Quod si quis audacter inconsulteq; ad memoriam, ad laudem pestium illorum exarserit: illius statim audacia', ministri Dei, hoc est mea executione coherceb̃itur. Et cum Meletiani turbas molirentur Alexandriæ, scripsit Constantinus ad Athanasium, se bene scire quòd Meletiani soleant criminationes confingere, & contra Ecclesias turbas excitare: se uerò in posterum talia non laturum, sed iudicaturũ secundum leges: & pœnas de illis sumpturum, nisi quiescerent. Sozomenus libro secundo, capite uigesimoquarto. Constantius etiam, monente synodo Ancyrana, Eudoxij turbas in Antiochena Ecclesia seuerissimis literis repressit. Sozom. libro quarto, capite decimoquarto. Gratianus per Saporem ducem, Arianos sacris ædibus expulit, eosq; optimis pastoribus restitui mandauit. Theodoretus lib. 5, cap. 2. Cum Ariani quadraginta annos Constantinopoli oratoria tenuissent, Theodosius eis eripuit. Socrates libro quinto, cap. 7. Gratianus Arianas de Deo disputationes lege uetuit. Sozomenus libro septimo, capite sexto. Theodosius in Oriente summa cura, pulsis hęreticis, ecclesias Catholicis tradebat. Ruffinus libro primo, capite decimonono. Præfecti etiam politici, seditiones in ecclesijs tum ob episcoporum ordinationes, tum alias ob causas suscitatas, compescebant: quod Romæ fecisse Maximus, & Ambrosius Mediolani, commemorantur. Ruffinus libro secundo, capite decimo & undecimo.

Iudæorum etiam impias aduersus Ecclesiam & publicam tranquillitatem machinationes, tum legibus, tum externa ui coërcuerunt. Cum enim eos affligerét Iudæi, qui ex ipsis ad Christianã accederét religionẽ: Constantin' lege edixit, ne quid molestię ijs inferrent. quæ adhuc extat l. secunda, Cod. de Iudęis, &c. Et eosdẽ, templũ suũ Hierosolymis instaurare nitẽtes, ut perduellionis reos, seuerè castigauit. Narrat enim Chrysostomus oratione secũda cõtra Iudęos, eũ disiectis eorũ operibus, non modò architectis ipsis atq; fabris, sed & reliquę turbę conspiranti, inusfisse perpetuæ infamiæ notã, auribusq; præcisis, & corpore mutilato, tanq̃ fugitiua mancipia ad ludibrium circumduxisse, ut hoc exemplo alij absterrerentur. Sozomenus lib. tertio, cap. decimoseptimo, de filijs Constantini affirmat, quòd interdixerint sub pœna capitis, ne quis Iudæorũ more circũcidatur.

Persequutores Ecclesiæ, si alia ratione nõ possent, aperta ui propulsabãt. Nã Constantinus Liciniũ lege interdicentem, ne qua in re episcopi inter se communicarent, nec ad uicinam aliquam Ecclesiã proficiscerétur, nec conuocarent synodos, & episcopos passim affligentem, aperto bello aggressus est, & uictum capitali supplicio affecit. Eusebius lib. primo & secundo de uita Constantini.

Si etiam Episcopi ex odio impugnabãt alios innocentes, suscipiebant eorũ defensionem. quod fecit Theodosius, Flauianum à Romano & Occidentalibus episcopis falsis criminibus, quòd esset hostis Dei & tyrãnus, delatum defendens. Theodoretus lib. 5, cap. uigesimotertio. Constans Occidentis Imperator, cum cognouisset Athanasiũ iniustè in exiliũ pulsum, rogatione & minis apud Cõstantiũ fratrẽ suũ intercesisit, & effecit ut Athanasium Alexandrinę ecclesiæ restitueret. Ruffinus libro primo, capite decimonono.

Pulsos in exilia, si eorum innotuisset inno-

centia,reuocabant. Sic enim Constantinus iunior Athanasium ab exilio reductum, Alexandriam remisit. Theodoretus libro secundo, capite primo: & Socrates libro secundo, capite tertio. Et Constantius eundem postea ex Italia uehiculis publicis,additis literis,redire iussit. Sozomenus libro tertio,capite uigesimo. Eundem etiam Iouinianus in Aegyptum remisit,ibiq; ecclesias ac populos instituere iussit. Sozomenus libro sexto, capite quinto. Gratianus extincto Valente legem tulit, qua expulsi pastores suis quique gregibus restituerẽtur. Theodoretus libro quinto, capite secundo.

Hæretici etiam agentes pœnitentiam,& errorem suum oblatis libellis damnantes,in terceſsione episcoporũ ab Imperatorib. reuocari, & suis ecclesijs restitui solebant. cuius rei exemplum est in Ario & Euzoio, qui cum libellũ dissimulato errore obtulissent Constantino, Alexandriã ab eodem remissi sunt.Socrates lib.1, cap. 27. Eodem modo Eusebius Nicomedia, & Theogonius Nicæa pulsi,oblatis libellis resipiscentiæ,interpellatione episcoporũ recepti dicuntur. Sozomenus lib.secundo,capite decimosexto.

Vocationes & ordinationes episcoporũ, maximè uerò metropolitanorũ confirmare, penes Imperatores quoq; erat. Hinc Constantius ad Liberiũ inquit: Nos,quòd Christianus esses,dignum te iudicauimus episcopatu urbis nostræ. Theodoretus libro secundo, capite decimosexto. Idem cum uenisset Constantinopolim, & cognouisset Paulum esse designatum episcopum, molestè tulit,quòd episcopatus concreditus esset indigno:& conuocata synodo, eum ab Ecclesia repulit, & Eusebio Nicomedienſi episcopo Constantinopolitanã ecclesiam tradidit. Sozomenus libro tertio, capite quarto: Socrates libro secundo,capite sexto & septimo. Valentinianus electionẽ & uocationẽ Ambrosij,à synodo factam,approbauit.Theodoretus lib.quarto, cap.septimo. Theodosius Nectarium Constantinopolitanũ episcopum elegit, & ordinationem eius approbauit.Theodoretus libro quinto,capite nono: Sozomenus libro septimo,capite octauo.

Ceremonias etiam Ecclesiæ utiles & necessarias, approbatas à ueris doctoribus,suis edictis & legibus confirmarunt & propagarunt. Constantinus enim admonuit omnes Romano Imperio subditos,ut dieb. Seruatori nuncupatis feriarẽtur:similiter & eos qui sabbathi sunt,uenerarentur: & singularum gentium præsidibus legem dedit,ut Dominicum diem secundum nutum Imperatoris obseruarent,et martyrũ dies honorarent, & festorũ tempora ecclesijs decernerent. Eusebius lib.quarto de uita Constantini.

Legibus etiam suis de causis matrimonia libus iuuerunt ecclesias. Nam Ambrosius libro quarto, epistola sexagesimasexta narrat, Theodosium uetuisse consobrinos inter se coniugij cõuenire nomine: & grauissimam pœnam statuisse, si quis temerate ausus esset fratrum pia pignora.

Iuuerunt etiam largitionibus,immunitatibus & alijs beneficijs ecclesias:quod Eusebius passim in Constantino cõmendat libro secũdo & quarto de uita Constantini. Et Sozomenus lib. tertio, capite decimoseptimo, de filijs Constantini dicit,quòd clericos unà cum pueris & domesticis suis, præcipuis honoribus & immunitatib.honorarint. eas uerò leges cũ Iulianus abrogasset, Iouinianus postea ad Ecclesiæ utilitatẽ reuocauit. Theodoretus libro quarto,cap.quarto.

Porrò quemadmodum pij Imperatores suo neruo iuuabant ecclesiasticã administrationem:ita ecõtrà impij, aut in hæresin prolapsi,uel etiam pij,ab hęreticis tamẽ et schismaticis persuasi, externa sua autoritate interdum abutebantur,tum ad idololatriã instaurandã,et abolendã Christianã religionẽ: quod Sozom. de Iuliano narrat lib.5, capite tertio:(idem constat ex epistola eius ad Arlacium:cuius exemplum habet Sozomenus libro quinto, capite decimosexto) tum ad hæreses & hæreticos promouendum, & ueram doctrinam & orthodoxos episcopos affligendum. Nam ipse Constantinus Arij & Euzoij subdola confessione deceptus, reuocauit eos ab exilio:& Athanasium, eos ad communionem admittere recusantem, in Galias relegauit. Socrates libro primo, capite uigesimoseptimo, & trigesimoquinto. Et Alexandro mandabat sub pœna exilij, ut Ario communicaret. Socrates libro primo,capite trigesimooctauo.

Constantij autoritate & potẽtia abusi Ariani, Athanasium damnarunt,& in exilium expulerũt.Ruffinus lib.primo, cap. decimoseptimo,et decimooctauo. Qui etiam Tribunos, præpositos,comites et exercitus edictis excitasse ad inuestigãdum Athanasiũ latitantem dicitur.Ruffinus libro primo, capite decimooctauo. Macedonius prætexens edictum Constantij, quo iubebantur eorum oratoria destrui, qui filium patri esse homousion asseuerarent, multas Ecclesias destruxit: & secum cõmunicare detrectantes, non solum expulit, sed etiam in uincula cõiecit, & iudicibus tradidit. Sozomenus libro quarto, capite uigesimo. Iulianum etiam edicto præcepisse, ut Africani Donatistis redderentur Ecclesias, quas Constantinus eis ademerat, Augustinus commemorat libro secundo, capite octuagesimotertio, & nongesimoseptimo, contra literas Petiliani.

Valen-

Valentem etiam in Oriente, Imperiali dignitate in orthodoxis affligẽdis et hæreticis promouẽdis abusum esse, cõstat ex Ruffino lib. 2. cap. 2. Nam Euzoius, eius autoritate & edicto armatus, Petrum Alexandrinũ orthodoxum episcopũ carceri inclusit, & Lucium Arianum substituit. Socrat. lib. 4. cap. 21. Iustina quoq; iunioris Valentiniani mater, Arianæ hæresi addicta, Ambrosium et alios infestauit. Ruffinus lib. secundo, cap. 15.

Tum etiam ad hæreticorum congregandã cõuenticula. Nam Constantij potestate abusi sunt Ariani, ad cõgregandam synodum Constantinopolitanã, & rescindendum acta Nicænæ synodi, & absoluendum Arium, & damnandum Alexandrum. Ruffinus libro 1, cap. 12. Idem Occidentales episcopos per deceptionẽ, ad cõsensum Arianæ hæreseos cogere aggressus est, cõgregata synodo Mediolanensi & Ariminensi. Ruffinus lib. primo, cap. decimonono, uigesimo, & uigesimoprimo: & Sozomenus lib. quarto, cap. decimoquinto & decimosexto. Tum ad Iudæorũ confirmandam peruicaciã: quod de Iuliano notum est, quem Iudæis potestatẽ fecisse templi Hierosolymis reædificandi, Ruffinus libro primo, capite trigesimooctauo prodidit.

Intempestiuè etiam sibi Imperatores interdum iudicium de causis fidei sumebant: quod Athanasius in Constantio reprehendit, in epistola ad solitariam uitam agentes: & Ambrosius in Valentiniano, ad quem inter cætera inquit: Pater tuus, Deo fauente, uir maturioris æui, dicebat: Non est meum iudicare inter episcopos. Tua nunc dicit clementia, Ego debeo iudicare. Ambrosius libro quinto, epistola trigesimasecunda.

DE PRIMATV.

VT in seculis superioribus episcopi Romani cœperunt, data occasione, paulatim sibi præparare aditum ad primatum: ita nec hoc seculo in eis mysterium iniquitatis fuit ociosum, sed paulatim magis magisque promouit, arreptis undecunq; occasionibus, etiam leuissimis: id quomodo sit factum, exponemus. Hactenus Romanis episcopis autoritatẽ prę alijs cõciliauerat amplitudo ciuitatis Romanæ, quòd ea domina & caput orbis esset: & multitudo & synceritas, & cõstantia doctorum, & beneficẽtia in alias ecclesias, & propagatio Euangelij ad urbes uicinas. Iam uerò accessit autoritas Imperatoris Constantini Magni, ad fidem conuersi, in ea inhabitantis, qui causas episcoporũ etiam in alijs locis contendentium nonnunquam, Romano & alijs uicinis episcopis cognoscendas & dijudicandas cõmisit: ut constat ex Eusebij libro 10, cap. 5. Deinde synodus Nicæna, eius iamdudum affectatam supra Ecclesias eius prouinciæ eminentiam & inspectionem confirmauit, quam antea consuetudine sibi acquisierat: ut patet ex sexto canone concilij Nicæni, apud Ruffinũ libro primo, capite sexto. Postea magis eius potentiam auxit perturbatus ecclesiarũ Orientalium status, propter hæresin Arianã. Nam cum orientales episcopi, Athanasius & alij Romani, ut præcipui inter Occidẽtales, consilium & auxiliũ implorarẽt, & is pro eis sua autoritate tum apud Imperatores intercederet, & consilijs iuuaret, paulatim primas sibi uendicabant partes: quod cõstat ex historia Iulij, quem Socrates lib. secundo, capite decimoquinto, dicit fretum ecclesiæ Romanæ prærogatiua, minacibus literis cõmuniuisse Paulum Constantinopolitanum, Asclepam Gazensem, Marcellum Ancyranũ, & Luciũ Adrianopolitanũ, & Athanasium, ab Orientalibus depositos: & ad Orientem scripsisse, ac suum cuiq; locum restituisse: illosq; reprehendisse, qui eos per temeritatem deposuerant. Sed Orientales eius imperium & primatus affectationem, ut legibus Ecclesiasticis contrariam, refutant. Ibidem: & Sozomenus libro tertio, capite octauo.

Fecit etiam id Romanos episcopos insolentiores, quòd solebant, ut alij metropolitani, conuocari ad synodos: & si abessent, eorũ requiri sententiæ. quod adeò pro canone Ecclesiastico sibi arripuerũt, ut eo nomine synodorum decreta reprobarent, ut paulo antè dictum est. Item, quòd in causis cõmunibus, si quid alij egissent, solebant id ad Romanũ episcopum perscribere, ut sua comprobatione pacem & concordiam iuuarẽt. quod appa ret ex epistola Ambrosij ad Theophilũ, quæ est septuagesimaoctaua, libro decimo: ubi Theophilum monet, ut si quid in causa Orientalium, quę ipsi à synodo Capuensi commissa erat, ageret, referat ad sacerdotem Romanæ ecclesiæ. Etiam illud eis ansam prębebat sese offerendi, quòd ex alijs Ecclesijs testimonia de doctoribus interdũ à Romano episcopo petebant. Fidem enim Moysi Saracenorũ episcopi probasse dicitur Damasus, apud Socratem lib. quarto, cap. trigesimoseptimo. Item, quòd eorũ rectæ sententiæ acquiescebãt etiã alij pij doctores: quod uidetur innuere Sozomenus lib. sexto, cap. uigesimosecũdo. Cum enim agitaretur quęstio de Spiritu sancto, Liberius scripsit Orientalibus episcopis, ut cum Occidentalibus sacerdotibus Triadem coessentialẽ et eiusdem gloriæ uenerarẽtur. Quo facto, tanquã semel accepta à Romana ecclesia causę huius determinatione, singuli cõquieuêre. Et quòd interdũ episcopi dissentientes in alijs prouincijs, spontè appellabãt ad Romanũ episcopũ, et rogabãt ut utramq; partẽ citaret: et audita & cognita causa, suo arbitrio et sentẽtia lites

componeret. Sic Macarius & Hesychius legati Eusebianorum à Iulio postularunt, ut synodum indici curet, & mittat literas ad Athanasium, & ad Eusebianos, eosque Romam conuocet. Alexander etiam Carponem, ob Arianam hæresin reum, Romam citari curauit: ut refert Iulius in epistola ad Antiochenos apud Athanasium, in apologia secunda. Item quod quidam Ariani ad mentem saniorem redeuntes, & errorem & scelera sua agnoscentes, à Romanis episcopis, ut præcipuis inter Occidentales, cũ obtulissent resipiscentiæ libellos, recipiebãtur: quod de Vrsatio & Valente, Iulio offerentibus libellum pœnitentiæ, narrat Socrates libro secundo, capite uigesimoquarto. Et quod Gratianus legem tulit, ut cuncti eam religionem retinerent, quam Damasus Romanus & Petrus Alexandrinus custodirent. Sozomenus libro septimo, cap. quarto. Et quòd eos, quorum non approbat ordinationem, uidebat suam ambire amicitiam, & Romam sui purgandi causa legatos mittere. Cuius rei exemplum est in Flauiano, apud Theodoretum libro quinto, capite uigesimo tertio.

Vrebantur etiam illo artificio Romani episcopi, ut in epistolis suis (si tamen non sunt prorsus, ut uidentur, ficticiæ) multum, ad tædium usque, de suo nomine, Petriq́ue coryphæi Apostolorum primatu occinerent: quemadmodum uidere est in singulis ferè epistolis, quæ episcopis huius seculi attribuuntur, maximè uerò in Miltiadis, Marcelli, & Marci, & similium.

Si qui ad eos scribebant, id statim pro subiectione & obedientia interpretari eos solitos esse, testari potest epistola Damasi ad episcopos Orientis: apud Theodoretum lib. quinto, capite nono. Sic enim orditur: Quod debitam reuerentiam Apostolicæ sedi uestra habet charitas, uobis, filij charissimi, præstatis ipsi plurimum. Cum tamen in literis Orientalium ad Damasum, nulla insignis alicuius reuerentiæ fiat mentio. Fortè etiam exemplum Montanistarum, quorum etiam alias impietates imitari cœperunt, eis profuit: de quibus Hieronymus in epistola ad Marcellam scribit, quòd habeant primos de Pepuza Phrygiæ patriarchas, secundos cenones, tertio uerò loco episcopos.

His & similibus occasionibus & artibus paulatim mysterium iniquitatis in Romanis episcopis, sibi tractu temporis, usu & consuetudine, ius aliquod in alias ecclesias præscribere, & ad primatum gradus ponere, hoc quoq; seculo laborauit. Quod uerò non perfecerit id quod moliebatur, impedijt illa communis Ecclesiarum consociatio, de qua suprà diximus.

¶ Deinde obstitit etiã eis Synodorũ auctoritas. Nam patres in Nicæna synodo, canone sexto, Romanum episcopum alijs metropolitanis non præferunt, sed coæquant: & quidem Romano concedunt prærogatiuam honoris, ob consuetudinem. De Hierosolymitano uerò dicunt, ei antiquitus traditam honoris prærogatiuam. Canone octauo, & canone decimooctauo, apertè edicunt, ne quis clericum, qui ad alium pertinet, ordinet sine eius consensu. Et in Carthaginensi synodo, canone decimo, decretum est, ne quis alienos fines usurpet, aut transcendat episcopum collegam suum, aut usurpet alterius plebes. Et in Antiochenæ synodi canone decimotertio, uetant episcopos in aliena prouincia ordinare, licet consentire uideantur nonnulli: nisi literis tam metropolitani, quàm cæterorum qui cum eo sunt episcoporum, rogatus sit. Et canone uicesimosecundo interdicunt, ne episcopus alienam ciuitatem, quæ sibi non est subiecta, adeat. Eadem etiam ferè in Sardicensi canone decimoquarto repetita sunt. Cum Iulius Romanus episcopus ea quæ in Athanasium Orientales episcopi Ariani in synodo Antiochena falso pronunciauerant, reprehendisset: & datis minacibus literis, Athanasium, Asclepam, Paulum & alios depositos restitui iussisset: molestè illi Iulij censuram & mandatum, quasi ei in omnes Ecclesias imperium commissum esset, tulerunt: denuoque congregati rescripserunt, confiteri se quidem, ecclesiam Romanam liberalem in quosuis perhiberi, tanquã Apostolorum phrontisterion, & pietatis metropolim factã inde ab initio: quanquam Christiani dogmatis autores ex Oriente ad illam uenissent, eam tamen ob causam non debere se posteriores ferre, quòd nec amplitudine, nec multitudine Ecclesiæ abundarent, cum uirtute & propositio uincerent. Iulium uerò accusabant, quòd eos qui cum Athanasio erant, ad communionem admisisset: molesteque ferebant, quòd synodum ipsorum contumelia affecisset, & sententiam illius abrogasset: quod factum quasi iniquum, & ab Ecclesiastica lege dissonum arguebant. maximè cum antecessores eorum in Oriente, Romano nihil contradixissent, cum sine aliarum Ecclesiarum iudicio aliquid suscepisset: ut quòd Nouatianum, inconsultis Orientalibus episcopis, Romana ecclesia expulisset. Sozomenus libro tertio, capite octauo: Socrates libro secundo, capite decimoquinto. Ad eas Orientalium literas respondit quidem Iulius: sed primatum suum super omnes ecclesias, quę sciebat nullo iure niti, non defendit, ut patet ex

ter ex literis Iulij apud Athanasium in Apologia secunda. Adeò uerò nihil de primatu Romani episcopi Orientales sentiebant, ut etiam Iulium excommunicarent. Sozomenus libro tertio, capite undecimo. Concilium Alexandrinum, utpote nihil sentiens de Romani episcopi uniuersalis inspectione, omnium ecclesiarum uisitationem, & emendationem ecclesiarū Orientis, commisit Asterio: & Occidentis, Eusebio. Ruffinus libro primo, capite uicesimonono. Et Eusebius Vercellensis, ac Hilarius, Illyricum, Italiam & Gallias uisitarunt, & correxerunt ea quæ uidebantur in ecclesijs emendanda. Ruffinus libro primo, capite trigesimo, & trigesimoprimo.

Synodus Syrmiensis statuit, Liberium & Felicem ambos debere sedem Apostolicam administrare, & communi sacerdotio concorditer fungi. Sozomenus libro quarto, capite decimoquinto. Quod certè non potuisset eis in mentem uenire, si sciuissent solum Romanum episcopum esse uicarium Christi, & caput ecclesiæ. Facile enim intelexissent, fore contra decorum, ut ecclesia Christi duo habeat capita. Synodus Sardicensis Iulium appellat amicum & collegam suum, in literis synodalibus. Theodoretus libro secundo, capite octauo. Constantinopolitana synodus, Constantinopolitanum honoris prærogatiuas post episcopum Romanum habere iussit, eò quòd Constantinopolis esset noua Roma. Socrates lib. quinto, capite octauo. Et ijsdem priuilegijs, ordinibus populi, & magistratib. uteretur: Imò & symbola secundum legitima Romanorū in Italia, & iura & honores ex æquo essent utriq; ciuitati. Sozomenus libro septimo, capite nono. Sed ut ea honoris prærogatiua non œcumenicam omnium ecclesiarum inspectionem & supremam potestatem concedebat Constantinopolitano, ita nec Romano episcopo. Constantinopolitanum Romano coæquarunt: sed eo Romanum episcopum alijs metropolitanis neq; prætulerunt, neq; principem seu caput eis præfecerunt: & cum in ea synodo confirmarint Nicænæ synodi decreta, decreuerunt omnes ecclesias secundum antiquos canones debere administrari: & episcopis nō licere ecclesias, quę extra ipsorum sunt terminos, inuadere, aut ordinationibus sese ingerere, nisi uocentur: & singulos, quæ in synodo cuiusq; gentis, tanquam optima uisa, decreta essent, administrare & facere debere: ut testantur Sozomenus libro septimo, capite nono: & Socrates lib. quinto, capite octauo. Et ipsi eius synodi patres in literis suis ad Damasum & Ambrosium, & alios Romæ ad synodum congressos, (quæ est apud Theodoretum libro quinto, capite nono) nihil amplius Romano episcopo attribuerunt iuris aut potestatis, quàm antea ei in Nicæna est propter consuetudinem concessum. In tertia Carthaginensi, quæ circa tempora Syricij habita est, canone uicesimosexto, qui citatur distinctione nonagesimanona, Patres sanxerunt, ut primæ sedis episcopus nō appelletur Princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi: sed tantum primæ sedis episcopus: Vniuersalis autem, nec etiam Romanus pōtifex appelletur. Quam postremā clausulam Petrus Grabbe, compilator tomorum Conciliorum, siue fraude, siue negligentia subticuit.

¶ Tertiò uerò doctorum sincera sententia, qui ut senserunt, ita etiam docuerunt & scripserūt, omnes coepiscopos ubicunq; terrarum ecclesijs præsint, eiusdem esse meriti & honoris, & successores Apostolorum. & quamuis honorificè de Petro apostolo & de Romana ecclesia loquantur, tamē apud nullum huius seculi autorem legas, Romanum episcopum siue diuino siue humano iure esse œcumenicum, seu uniuersalem omniū ecclesiarum inspectorem. Nam si euoluas omnia quæ hodie extant Arnobij scripta, ne mentionem quidem fieri Romanæ ecclesię, aut episcoporum Romanorum uideas. Petri quidem apostoli meminit in Psalmo centesimosexto, & centesimo trigesimooctauo, ut episcopi episcoporum: sed ad Romanos episcopos non applicat. Nec Lactantius (qui fuit Arnobij discipulus, & tempore Diocletiani & Constantini Magni uixit, & ad eum septem libros scripsit de uera sapientia) uspiā in suis operibus, quæ hodie extant, pro Romanæ ecclesiæ primatu quidquam dicit: sed cōtra eum nō pauca habet. qualia sunt, quòd lib. 4, cap. 21. ait: discipulos Christi per prouincias dispersos, fundamēta Ecclesiæ ubiq; posuisse: & quòd episcopatum quemlibet, summum sacerdotium appellat, & omnem Ecclesiam catholicam, quæ uerum cultū retinet. lib. quarto, cap. trigesimo.

Nec Eusebius Cæsarienſis primatum Romanorum episcoporum super alias ecclesias uspiam agnoscit. Nam in historia ecclesiastica passim, eos tantum urbis Romanæ episcopos uocat: quod & alij historici, ut Hieronymus in Chronico, Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus faciūt. Et in proœmio in Chronicon, Romanos, Alexādrinos, Hierosolymitanos, Antiochenos appellat episcopos per easdem ciuitates metropoles prouinciarum, id est, metropolitanos.

Nec Athanasium, Romanis episcopis eum honorem attribuere, facile ex eo apparet, quòd in scriptis suis, cum eorū facit mentionē, tātum episcopos Romanos eos appellat.

In epistola ad solitariã uitam agentes inquit: Ne Liberio quidé Romano episcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, uel quòd sedes illa esset Apostolica, uel quòd Roma metropolis esset Romanæ ditionis, uel quòd eos apostolicos uiros in suis literis appellassent. Iulium quidem in apologia secunda, Romanum pontificem appellat: sed eodem nomine etiam alios dignatur, in oratione contra Arianos. Extant epistolæ duæ inter opera Athanasij, in quibus Marcus uocatur uniuersalis ecclesiæ papa, & Romana sedes mater & caput omnium ecclesiarũ. Sed eam quæ Athanasio adscribitur, eius non esse, stylus facilè indicat: nec res in ea contentæ, ueritati historiæ sunt ἀνάλογαι. Nam si incendium sacrorum librorum per Georgiũ Cappadocem factũ est, ut patet ex epistola Athanasij ad orthodoxos de persequutione, Imperante Constantio, cum Iulius præesset Romanæ ecclesiæ, ut patet ex Socrate libro secundo, capite decimoquarto: & Marcus dudum esset mortuus, ante imperium Constantij: quomodo Athanasius ad Marcum scripsit de combustis canonibus Nicænæ synodi? Præterea, ea phrasi ecclesias metropolitanas, è quibus in reliquas alicuius prouinciæ ciuitates propagata est doctrina Euangelij, appellari solitas, suprà monuimus.

¶ Hilarius etiam, licet minus commodè de Petro apostolo loquatur, quod ædificationi ecclesię subiaceat, & sit eius fundamentum, libro sexto de trinitate, & commentario in Psalmum centesimum trigesimumprimum: tamen ecclesiæ Romanæ nusquam meminit, quasi ad eam, tanquam ad caput, omnes in toto terrarum orbe sint alligatæ. Imò in libro contra Constantiũ inquit: Vertisti deinde, ô Constanti, bellum tuum usq; Romam, eripuisti illinc episcopum.

Basilius etiam in suis scriptis nusquam prodidit, Romanum episcopum, uel diuino uel humano iure, super omnes ecclesias habere inspectionem. Extant epistolæ ad Athanasium numero quadraginta octo, & quinquaginta duæ, in quibus tantum consilium Occidentalium episcoporum & Romani petere eum iubet: Sic enim uisum est, inquit, mihi consentaneum, ut scribatur episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur cõsideret, detq; consilium, &c. Et in epistola quadragesimaoctaua, statum Antiochenæ ecclesiæ non à Romano episcopo, sed ab Athanasio pendêre dicit: quem etiam hortatur, ut eam instauret. Et quidem in libello de uita solitaria, capite uicesimotertio inquit: Christus Petrum post se suæ Ecclesiæ pastorem constituit, & consequenter omnibus pastoribus & doctoribus eandem potestatem tribuit: cuius signum est, quòd omnes ex æquo & ligant & absoluunt, quemadmodum & ille.

Nec ex Caio Mario Victorino, qui Romæ rhetoricam docuit, & sub Constantio scripsit, leuissimam aliquam coniecturam capias, de Romanorũ episcoporum in omnes ubiq; terrarum ecclesias potestate. Idem de Petro Alexandrino, Pantaleonte, Nilo, Chromatio, Gregorio Nysseno, Faustino, Theophilo Alexandrino, Didymo, Prudentio, Iuuenco, Ephrẽ Syro affirmari potest. Optatus Mileuitanus, etsi libro secundo dicit, Petro in urbe Roma primò cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput, unde & Cephas appellatus sit, in quo uno cathedræ unitas ab omnibus seruaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisq; defenderent: ut iam schismaticus & peccator esset, qui cõtra singularem cathedram, alterã collocaret: & posteà enumerat successores Petri, usq; ad Syricium: tamen ipse sese satis declarat in sequentibus & antecedentibus, quòd non de Romanorum episcoporum in alias ecclesias potestate, sed de legitima ordinatione ad ministerium, & consensione in uera doctrina loquatur. Pugnat enim contra Donatistas, qui dicebant se tantum esse ecclesiam, reliquos uerò non esse: quos refutat eo, quòd non possint probare legitimam ordinationem, nec in doctrina consensionem piorum. Et quidé expressè dicit, Syricium suum & aliorum, hoc est, catholicorum, seu rectè sentientium esse socium, cum quo ipsis totus orbis cõmercio formatarum in una cõmunionis societate concordet: hoc est, Siricium & omnes alios episcopos in orbe terrarum, in doctrina cõsentire, & sibi inuicem scribere. Literas enim illas pacificas, quas ad sese inuicem scribere episcopi solebant, quæ erant symbolum consensionis in doctrina, & approbationis legitimæ ordinationis, formatas appellat. Idem, cum libro primo & secundo gradus hominum in Ecclesia recenset, quatuor tantum generacũ esse in Ecclesia dicit: episcoporũ, presbyterorum, diaconorũ & fidelium. & nõ meminit Romani pontificis, tanquam capitis omnium aliorum, sed omnes episcopos apices & principes appellat. Præterea recitat ipse libro primo historiam de synodo Romana, in qua non solus Miltiades, quem episcopum Romæ uocat, sed etiam alij tres Gallicani, & quatuordecim Itali, causam Donati & Cæciliani cognouerunt, & sententiam pronunciarunt. & quidem à sententia Miltiadis Donatus appellauit ad aliorum episcoporum iudicium: quod sanè ei non licuisset facere, si Romanus episcopus pro œcumenico & summo ecclesiarum gubernatore esset habitus.

In

In Ambrosij etiam Mediolanensis scriptis multa passim inuenias, quæ manifestè doceant, cum non agnouisse Romanam ecclesiam, siue humano, siue diuino iure, caput aliarum omnium esse. Nam in sermone sexagesimosexto de natali Petri & Pauli, cum planè dicat incertum esse, uter inter hos Apostolos alteri sit præferendus: Romam quidem principatum & caput obtinere nationum dicit, sed nõ ecclesiarum. Idem libro tertio de Sacramẽtis disertè ait: In omnibus cupio sequi ecclesiam Romanam: sed tamen & nos hominis sensum habem⁹, ideo quod alibi rectius seruatur, & nos custodimus. Ad hoc ecclesia Romana quid respondebit? Vtique ipse autor est nobis huius assertionis Petrus apostolus, qui sacerdos fuit ecclesiæ Romanæ. Quo in loco agit de ritu lauandi pedes, quem in Romana ecclesia negat obseruari. Idem in libro quinto, epistola trigesima, cum meminit Damasi, tantũ eum Romanæ ecclesiæ sacerdotem appellat: & quidem causam Romanæ ecclesiæ ipse Ambrosius in epistola sua ad Valentinianum agit, dum eum monet, ne aram in curia Romana, quod Symmachus & quidam gentiles Romani postulabant, instaurari permittat. Syricius item in epistola octuagesima, apud Ambrosium libro decimo Epistolarum, Mediolanenses appellat suos fratres: ijsq; indicat, se cum suis presbyteris & diaconis & clericis Iouinianum, Auxentium, Genialem, & alios quosdam autores nouæ blasphemiæ & hæreseos excommunicasse: & postulat, ut eosdem pro excommunicatis habeant, nec ullum imperioũ in eos uidetur arrogare. Mediolanenses uicissim, inter quos fuit Felix Comensis episcopus, appellant Syricium papam & fratrem: ac laudant quidem in eo, quòd communem ecclesiarum curam gerat, eiq; renunciant quod Iouinianum & Auxentium & cæteros eorum assecias etiam ipsi damnent. extat epistola libro decimo, numero octogesimaprima.

Hieronymus uerò, etsi interdum minus commodè loquitur de Petro apostolo, quòd Dominus super eum fundauerit Ecclesiam, ut in epistola ad Marcellam, & in libro aduersus Pelagianum: cui tamen alijs in locis contradicit, ut in libro primo aduersus Iouinianum, ubi super omnes apostolos fundatam Ecclesiam dicit: tamen ad Euagrium ex professo hæc contra primatum Romanum ad hunc modum scribit: Nec altera Romanæ urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ & Britanniæ, & Aphrica & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, unum Christum adorant, unam obseruant regulam ueritatis. Si autoritas quæritur, orbis maior est urbe: ubicunque fuerit episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij: omnes Apostolorum successores sunt.

Sed dicis, Quomodo Romę ad testimonium diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi præfers unius urbis testimonium? Quòd uerò idem in præfatione in quatuor Euangelia, Damasum appellat pontificem, more ueteris testamenti loquitur, quo nomine etiam alios episcopos passim appellat: nec Romanos tantum Papas, sed alios quoq; episcopos eadẽ appellatione honorat. Ita enim in epistola ad Chromatium, Valerianum uocat: & Epiphanium, beatum Papam dicit in epistola ad Eustachium, & in epistola ad Fabiolam.

Epiphanius etiam Romanæ ecclesiæ ignorat primatum. nam Liberium non uniuersalem, sed Romæ episcopum appellat: libro tertio, tomo primo, cõtra hæresin Aerij. Iulium itidem Romanum episcopum nominat libro secundo, tomo secundo, de secta Meletij Ægyptij. Idem in Ancorato quidem dicit, Christum Petrum primum constituisse apostolorum: sed ad Romanos episcopos id priuilegium personale non accommodat. Si (quod idem libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimaoctaua scribit) Alexandrinus episcopus totius Ægypti & finitimarum regionum fuit administrator, quid tũ potestatis ibi habuit episcopus Romanus?

Marcellus Ancyranus Iulium tantummodo uocat comministrum suum, in epistola ad eundem: quæ extat apud Epiphanium libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimasecunda, in qua etiam indicat, suos aduersarios à Iulio, ad quem causam detulerant, citatos non comparuisse: quod indicio est, eos ignorasse, Iulium uicarium Christi esse in terris.

Gregorius etiam Nazianzenus nusquam docet, de Romanorum episcoporum super omnes ecclesias primatu. In sermone de moderandis disputationibus, de ordine quidem dicit, quod à Deo definitus sit, ut sit grex, & sint pastores: & ut sit quod regat, & quod regatur: & postea inter Apostolos, cum omnes essent egregij, tamen Deum seruasse ordinem inter eos, ut Petrum uocaret petram, eique concrederet fundamenta Ecclesiæ: Ioannem uerò plus diligeret, & super pectus suum quiescere pateretur: alij uerò haud grauatim ferrent, sibi hos honore præferri. Quod totum ad exemplum boni ordinis & modestiæ accommodat, & planè damnat affectationem primatus, cum inquit: Turpe quidem

quidem eligere uestem & uictum non splendidiorem, sed frugaliorē: & humilitatē, propriæq; fragilitatis cōscientiam declarare ieiunijs, uigilijs, duris cubilibus, labore, nullisq; non castigationibus: in diuinis autem sermonibus Imperatorem aliquem agere uel tyrannum, nulliq; in alio cedere, superciliumq; ultra omnes doctores legis attollere.

Quid dicamus de Gregorio Nysseno? certè nec ipse uspiā in suis scriptis, caput ecclesiarum omniū pronūciat Romanū episcopum.

Idem de Eusebio Emiseno, quantū ex homilijs eius quæ extant iudicare licet, affirmari potest. Nihil enim uspiam, quod commenticio Romanæ ecclesiæ primatui adstipulari possit, in ijs legas. Quid quòd in homilia quam habuit in festo Petri & Pauli, cum exponit illud Matthæi 16, Tu es Petrus, &c. nō super Petrum, nec super Ecclesiam Romanam, sed super Christum, & fidem in Christum, quem Petrus confitebatur esse filium Dei uiui, ecclesiam ædificatā: & potestatem ligandi & soluendi non soli Petro, sed etiam cæteris Apostolis, & nō tantum Apostolis, sed etiam episcopis & sacerdotibus concessam esse docet?

Autor libri qui Dionysij Areopagitæ titulo uulgo uenditatur (quem hoc seculo uixisse, suo loco dicimus) omnes episcopos ἱμοταγεῖς ἢ ἰσοτίμους facit, nec uspiam primatus Romani pontificis meminit: licet uoce Pontificis crebrò utatur, sed quæ idem quod episcopus ei ualet.

¶ Quartò, etiam Imperatorū autoritas obstitit mysterio iniquitatis, in Romanis episcopis. Nam politicam & externam Ecclesiarum curam Imperatores non solum Romano episcopo concesserunt, sed ipsi gesserunt. Nam conuocandi, aut etiam impediendi synodos potestatem sibi uendicabant. Intererant etiam ipsi, aut suos legatos mittebant qui præessent, ordinationes episcoporū confirmabant aut reprobabāt, hæreticos tumultuantes compescebant, & in officio ipsos sacerdotes continebant: & contra ecclesiasticā disciplinam & uerum in doctrina cōsensum agentes deponebant, & in exilia mittebant, ne quidem Romanis episcopis parcentes, si rei essent, ut paulo antè commemoranimus.

Porrò cum hæc omnia ex probatis & antiquis autoribus & historijs sint certissima: quis non miretur insaniam Romanorū pontificum, impudētiam & audaciam, qui seculis inferioribus in commenticio & suppositicio scripto nugati & mētiti sunt, Constantinum Magnum donasse Papæ dominiū spirituale supra omnes Ecclesias orbis terrarū, & regia insignia, & politicum dominium totius Occidentis? Etsi uerò non admodum necessariū uidebatur de uanitate & falsitate eius donationis plura uerba facere: tamen ne quid prætermittamus, quod ad turpitudinem meretricis Babylonicæ contemplandam & execrandam pertineat, nugatoriam illam donationem subijcimus, monstraturi eius falsitatem.

EDICTVM IMPERIALE SCRIptum & datum sacræ & sanctæ catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ à beato Constantino, primo inter Imperatores Christiano.

¶ In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, patris uidelicet, & filij, & spiritus sancti: Imperator Cæsar Flauius Constantinus, in Christo IESV unico eiusdem Trinitatis saluatore, Domino & Deo nostro, fidelis, victis, beneficus, Alemanicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hunnicus, pius, felix, uictor, triumphator, semper Augustus: Sanctissimo & beatissimo patri patrum Syluestro episcopo, & Papę magnæ urbis Romæ, & omnibus pontificibus successoribus eius in cathedra beati Petri, usq; ad cōsummationē seculi sedentibus: itē omnibus reuerendissimis & religiosis catholicis episcopis, huic sacræ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, per hanc nostram Imperialem cōstitutionem subiectis: Gratia, pax, amor, lætitia, magnanimitas, misericordia ab omnipotēte Deo & patre, & Iesu Christo filio eius, et Spiritu sancto omnibus nobiscum. Quæ à redemptore & saluatore nostro Domino Iesu Christo, qui est filius altissimi patris, per sanctos apostolos eius Petrum & Paulum, mediante patre nostro Sylueſtro summo Pontifice & catholico Papa, admirabiliter circa nos, miserationibus illius facta sunt, manifesta narratione per hanc Imperialem nostram scripturā deinceps omnibus studuimus tradere, ad cognitionē omnium qui sunt in orbe terrarum, populorum. Manſuetissimè enim nostræ apparitionis ab intus, & ab ipso corde procedit confessio. Primùm quidem nostram fidem præ se fert, quam à prædicto beatissimo patre & intercessore nostro Sylueſtro catholico hierarcha didicimus, ad documentum intelligentię omnium nostrūm. Deinde & effusam super nos Dei misericordiam omnibus nunciat. Scire enim uos omnes uolumus, sicut per prædictam nostram Pragmaticam constitutionem uobis declarauimus, nos ab idolorum cultu, quæ muta & surda & manufacta sunt, diabolicisq; fictionibus, & ab omni Sathanæ pompa desilijsse, & ad integrā Christianorū fidem, quæ lux uera est & uita æterna, descendisse: sicut nos ipse excelsus & summus pater noster & magister Sylueſter admonuit, in Deum patrē omnipotentem, factorem cœli & terræ, uisibilium omnium & inuisibilium: et in Iesum Christum

Christum filium eius unigenitũ Dominũ nostrum, per quem omnia facta sunt: & in spiritum sanctum Dominũ, & uiuificantẽ omnem creationem, prẽcipiens credere. Nos patrem, filium, & spiritum sanctum sic confitemur, tanquã in perfecta trinitate, & perfectionem diuinitatis esse, & unitatem potentiæ, Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus: & tres unũ sunt: tres igitur formæ, sed una potentia. Perfectis igitur cœlestib. uirtutibus, & omnibus terrenis materijs, misericordi nutu ipsius sapientiæ, primo ex limo terræ hominem formãs, secundum imaginem & similitudinem suijpsius, in paradiso hunc posuit deliciarũ: cui inuidens serpẽs, antiquus inimicus & diabolus, amarissimo gustu inexperti ligni, exulem fecit lætitię illius. Illumq; cũ expulisset, nõ cessat suijpsius mortiferis sagittis multis modis alios sagittare, ut abstrahens humanũ genus à uia ueritatis, idolorum cultui, id est creationis, sed non creatori seruire omnes persuadeat: ut quos possibilis fuit suijpsius machinationibus colligare, hos ęterno supplicio tradat puniendos. Sed Deus propriæ formationis miserationẽ capiens, misit sanctos eius prophetas, & per hos uitæ lucẽ, aduentũ uidelicet filij eius, Domini aũt nostri & saluatoris Dei Iesu Christi annuncians. Nouissimè autem misit & unigenitum eius filium, & uerbum sapientię: qui à cœlis descendit propter nostrã salutem, & genitus est ex Spiritu sancto & Maria uirgine. Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis: nõ deponẽs quod fuit, sed incipiens esse quod non fuit: Deus perfectus, & homo perfectus, tanquã Deus mirabilia perficiens, & tanquam homo humanas passiones ferens: sic Verbũ hominẽ, & Deũ uerbũ intelligimus. Doctrinis nostri patris Siluestri summi põtificis, tanquã Deum uerum, & hominẽ uerum eundẽ esse, nequaquam est ambigendũ. Eligens igitur duodecim Apostolos, hosq; innumerabiles populos antè supernaturalib. miraculis illustrauit. Confitemur ipsum Dominũ nostrum Iesum Christũ adimpleuisse leges & prophetas, passum & crucifixũ esse secundũ scripturas, tertia die à mortuis resurrexisse, assumptum esse in cœlos, sedere à dextris patris, illinc uenturũ iudicare uiuos & mortuos, cuius regni nõ erit finis. Hæc est nostra orthodoxa fides, à beatissimo patre nostro Syluestro nobis antea lata. Admonemus igitur omnẽ populũ, et diuersa gentiũ genera, hanc fidem detinere, colere, prædicare, & in sanctę trinitatis nomine baptismatis gratiã assequi: & Dominũ nostrũ & Saluatorẽ Iesum Christum, qui cum patre & spiritu sancto in infinita secula regnat, reuerenti corde adorare: quẽ beatissim⁹ pater noster Syluester catholicus hierarcha prædicat. Ipse enim Dominꝰ noster, mei peccatoris miserꝰ, misit sanctos apostolos eius, nos uisitaturos, & luce splendoris eiꝰ nos illustrauit: & tenebras attrahẽs, ad ueritatis cognitionẽ me peruenire dignatus est. Quoniã grauis turpitudo lepræ omni mei corporis carni insilijt: multisq; cõuenientibus medicis, cura mihi adhibita est, & horũ nullius studio sanitatẽ assequi potui. Ad hæc, accesserũt mihi & sacerdotes Capitolij, oportere dicẽtes cisternã in Capitolio fieri, & hanc innocẽti sanguine & calido impleri, illicq; lauari: sic mundationem assequi posse. Secundũ documẽta igitur ipsorũ, cum multi innocẽtes infantes cõgregati essent, et uellent impij & sacrilegi sacerdotes ipsos iugulare, & illorũ sanguine cisternã implere: lachrymis matrũ illorum nostra serenitas intendens, statim rem nefandam exhorruit: illasq; tunc ego miseratus, matribus tradi filios iussi: uehiculaq; exhibens, & dona concedens, gaudentes ad propria remisi. Hic dies cũ præterijsset, & nocturna quies succederet, & ad somnũ opportunitas inuitaret, adsunt sancti apostoli Petrus et Paulus, mihi dicentes: Quoniã ad peccata procedere non permisisti, & innocentis sanguinis effusionẽ es abominatꝰ: à Christo Domino & Deo nostro missi sumus, dãtes tibi cõsiliũ per quod sanitatẽ resumes. Audi igitur nostrũ mandatum, & fac quod te admonemus. Huius urbis episcopus Sylueſter, tuas persecutiõnes fugiẽs, in cauernis lapidũ cum proprijs clericis occultatur in monte Soracte. Hunc ad te ipsum accersens, demonstrante illo uerã religionis cisternã addisces: in qua cum tertiò immersus fueris, omnis uis lepræ te derelinquet. Quo facto, hanc cõtributionẽ econtrà metire Saluatori tuo, ut tuis mãdatis omnes in orbe terrarũ ecclesias renoues: & tu in hac parte teipsum purga, ut omnẽ idolorũ infelicitatẽ relinquẽs, solũ uiuentẽ & uerũ Deũ, qui solus est uerus Deus, colas & adores, & illius uoluntatẽ adimpleas. Expergefactus igitur, secundum quæ ordinata fuerant ab Apostolis, operatus sum: accersensq; præcipuum & prẽclarũ patrem Sylueſtrũ catholicum papam, qui nos illuminauit, omnia ipsi à sanctis Apostolis mandata mihi uerba declaraui: quæsiuiq; ab ipso, qui dij essent Petrus & Paulus qui appellantur. Dixitq; ille: Non uerè deos hos appellari, apostolos autẽ Saluatoris nostri & Domini Iesu Christi esse asseuerauit. Rursus incepi interrogare beatissimum Papam, si quæ manifestæ horum apostolorũ essent imagines: ut ex pictura igitur possumus cognoscere, si possibile est, illos esse quos à reuelatione didicimus. Tunc ille, omni reuerentia dignus pater, diuinorum horum apostolorum imagines per proprium

prium diaconum afferri iusſit: quas aſpiciés, & aſpectus illorũ, quos in ſomnis uideram, in imaginibus perdiſcés, magna uoce coram meis ſatrapis confeſſus ſum, hos illos eſſe in ſomnis mihi uiſos. Ad hæc beatiſsimus hic pater noſter Silueſter, urbis Romæ epiſcop⁹, tempus nobis pœnitẽtiæ terminauit in uno cilicio, intra noſtrum Lateranẽſe palatiũ: ut omnia quæ à nobis impiè operata ſunt, & iniuſtè perpetrata, ieiunijs, uigilijs, lachrymis & orationibus apud Dominũ Deum & Saluatorẽ noſtrum placaremus. Deinde clericis imponẽtib. mihi manus, uſq; ad ipſum Pontificem perueni. Illic autem renunciãs ſathanæ pompas, & opera eius, et omnia ido la manufacta, credere in unũ Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, uiſibilium omnium & inuiſibilium: et in unum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, Dominum noſtrũ, qui genitus eſt ex Spiritu ſancto & Maria uirgine, ſpõtanea uolũtate coram omni populo cõfeſſus ſum. Benedicto autem lauacro, illic menſurabili demerſione ſalutarem aquam mundauit. In ſinu autem lauacri poſitus, manũ tangentẽ me à cœlo proprijs oculis aſpexi: ſub qua mundus reſurgens, ab omni lepræ turpitudine meipſum mundatũ eſſe cognoui. Ablatum autem me à uenerando lauacro, albis pallijs induerunt, ſeptiformeq; Spiritus ſancti ſignaculum præbuit beati chriſmatis unctione, & ſignum ſanctæ crucis meæ fronti ſignauit dicens: Sigillat te Deus fidei eius ſignaculo, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. omnisq; clerus reſpondit, Amen.

Et addidit Pontifex: Pax tibi. Primo igitur die, poſtquam cœpi miniſterium diuini baptiſmatis, & poſt medelam mei corporis à lepra, cognoui nõ eſſe alium Deum, præter patrem, filiũ, & ſpiritũ ſanctum: quem beatiſſimus pater Sylueſter prædicat, trinitatẽ in unitate, unitatẽ in trinitate. Omnes enim dij gentiũ, quos ſuperius colui, dæmonia, opera manuum hominũ manifeſtè demõſtrantur. Ad hæc, quantã poteſtarẽ ipſe Saluator noſter proprio apoſtolo beato Petro prębuit in cœlo & in terra, manifeſtè nobis ipſe uenerandus pater expoſuit: quando illũ fidelẽ inueniẽs in interrogatiõe dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo eccleſiã meã, & portæ inferi nõ prẽualebũt aduerſus eam. Conſiderate potẽtes, & aurib. cordis attẽdite, quid bonus magiſter & Domin⁹ proprio diſcipulo adiũxit, dicens: Et dabo tibi claues regni cœlorũ: & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Admirabile uerbum, & glorioſum, & ſuper terrã ligare & ſoluere, & in cœlis ligatum eſſe & ſolutũ. Hæc igitur beato Silueſtro docente cognoſcens, & beneficentijs ipſius beati Petri inte gerrimè ſanitatem ſentiens corpori redeũtem, &c. Hactenus ex Bartholomei Pinceti de Monte arduo, ad Iulium ſecundũ Pontificem Maximum, uerſione. Sequitur ex diſtinctione nonageſimaſexta.

¶ Conſtantinus Imperator quarta die ſui baptiſmi, priuilegiũ Romanę eccleſiæ Pontifici contulit: ut in toto orbe Romani pontifices, uel ſacerdotes, ita hunc caput habeant, ſicut iudices regem. Vtile iudicamus unà cum omnibus ſatrapis noſtris, & uniuerſo ſenatu, optimatibus, & cuncto populo imperio Romanæ Eccleſiæ ſubiacẽti: ut ſicut beatus Petrus in terris uicarius filij Dei uidetur eſſe conſtitutus: ita & pontifices ipſius principis apoſtolorũ, in terris principatus poteſtatẽ amplius quàm terrenę Imperialis noſtræ ſe, renitatis manſuetudo habere uidetur, cõcelſam à nobis noſtroq; imperio obtineant, eligentes nobis ipſum principẽ Apoſtolorum, uel eius uicarios, firmos apud Deum eſſe patronos: & ſicut noſtra eſt terrena Imperialis potẽtia, ita eius ſanctã Romanam eccleſiã decreuimus uenerãter honorare, & amplius q noſtrũ imperiũ terrenumq; thronũ, ſedem ſacratiſsimam beati Petri glorioſe exaltari: tribuentes ei poteſtatẽ & gloriam, & dignitatẽ atq; uigorem, & honorificentiã Imperialẽ atq; decernentes ſancimus, ut principatũ teneat tam ſuper quatuor ſedes, Alexandrinã, Antiochenam, Hieroſolymitanã, Conſtantinopolitanã: quàm etiam ſuper omnes in uniuerſo orbe terrarũ eccleſias Dei. Et Pontifex, qui per tempora ipſius ſanctæ Romanæ eccleſiæ extiterit, celſior & princeps cunctis ſacerdotibus, et totius mundi exiſtat: et eius iudicio, quæ ad cultũ Dei, uel fidem Chriſtiãnorum, uel ſtabilitatem procuranda fuerint, diſponantur. Iuſtum enim eſt, caput principatus ſanctam habere legem: ubi ſanctarum legislator ſaluator noſter, beatum Petrum mãdauit apoſtolatus habere cathedrã: ubi crucis lignũ, & ipſe ſuſtinẽs beatæ mortis piaculũ bibit, imitator proprij magiſtri et Domini factus. Illic uſq; ad finem & conſummandi magiſtrũ quærant, ubi ſanctum magiſtri corpus quieſcit. Illic gentes pro confeſsione nominis Chriſti colla inclinent, ubi horum magiſter beatus Paulus apoſtolus, pro Chriſto collũ extendens, corona martyrij coronatus eſt. Illic ſupini & humiliati, cœleſtis regis et Dei et ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti officio ſeruiãt, ubi ſuperbæ terreni regis poteſtati ſeruiebãt. Quorum gratia ſcire uolumus omnes in orbe terrarũ gentiũ populos, quod nos intra Lateranẽſe noſtrũ palatiũ, templũ ereximus ipſi Saluatori noſtro & Deo & Domino IESV Chriſto, ab ipſis fundamẽtis cum baptiſterio. Sciatisq;, & duodecim cophinos terræ illinc nos ꝓprijs humeris extuliſſe;

se, æquales numero duodecim Apostolis: ædificauimusq; ecclesias et beatis Petro et Paulo, primis apostolis, quas argento & auro decentes & ornatas constituimus: ubi & sacratissima ipsorũ corpora sepelientes, magna cũ reuerentia, thecas ipsis ex electro, cuius nulla clementi potẽtia est fortior, cõstruximus: crucẽq; auri purissimi, & ex margaritis preciosis factã, per utranq; thecã imposuimus, aureis clauis affigentes. Ecclesijs beatorũ apostolorũ Petri & Pauli, post continuationẽ luminariorum, possessionum prædia contulimus, & rebus diuersis eas ditauimus, & per nostram Imperialem iussionem sacram: tam in Oriente, quàm in Occidente, uel etiam à septentrionali & meridiana plaga, uidelicet in Iudæa, Græcia, Asia, Thracia, Aphrica & Italia, uel diuersis insulis, nostra largitate ei cõcessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Syluestri summi pontificis, successorumq; eius, omnia disponantur. Exultet igitur nobiscũ omnis populus, omnia in orbe terrarum gentium genera admonemus, ut nobiscum & saluatori nostro ΙΕΣΥ Christo infinitas gratias confiteatur: quoniã ipse Deus in cœlo superius, & in terra inferius, per sanctos Apostolos cũ nos uisitasset, sanctũ mysterium baptismatis, & corporis sanitatẽ nos dignos fecit suscipere. Pro quibus etiam prębemus ipsis sanctis Apostolis, & dominis meis beatissimis Petro & Paulo, & per hos beato Syluestro, & omnibus successoribus eiusdẽ, de præsenti tradimus palatium Imperij nostri Lateranense. Deinde diadema, uidelicet coronam capitis nostri: simulque Phrygium, nec non & superhumerale uidelicet lorum, quod Imperiale circundare assolet collũ: uerùm etiam chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumenta, seu etiam dignitatem Imperialium præsidentium equitum: conferentes ei etiam Imperialia sceptra, simulque cuncta signa atque banna, & diuersa ornamenta Imperialia, & omnem processionem Imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ iuris: etiam diuersi ordinis reuerendissimis clericis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientibus, illud culmen singularis potentiæ & præcellentiæ habere sancimus, cuius amplissimus noster Senatus uidetur gloria adornari: id est, patricios & consules effici: nec non & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari: & sicut Imperialibus extat decorata militia, ita clerũ sanctæ Romanæ ecclesiæ adornari decreuimus: & quẽadmodũ Imperialis potẽtia diuersis officijs, cubiculariorũ nempe et ostiariorũ atq; omniũ cõcubitorũ ordinatur, ita & sanctã Romanã ecclesiã decorari uolumus: & ut amplissimè pontificale decus præfulgeat, decreuimus: & ut clerici eiusdẽ ecclesiæ Romanę mappulis & linteaminibus, id est, candidissimo colore decoratos equos equitent. & sicut noster Senatus calciamentis utitur, cum ulonibus, id est candido linteamine illustrentur, & ita cœlestia sicut terrena ad laudẽ Dei decorentur. Prę omnib. autẽ licentiã tribuimus beato Sylueſtro, & successorib. eius ex nostro iudicio, ut quẽ placatus proprio cõsilio clericari uoluerit, & in religiosorũ numero clericorũ cõnumerare, nullus ex omnib. præsumat superbè agere. Decreuimus itaq; & hoc, ut ipse & successores eius diademate, uidelicet corona, quã ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo & gemmis preciosis uti debeat, pro honore beati Petri: ipse uerò beatissimus Papa, super coronam clericatus, quam gerit ad gloriã beatissimi Petri, ipsa ex auro non est passus uti corona: Phrygiũ uerò candido nitore splendidũ, resurrectionẽ Dominicã designans, eius sacratissimo uertici manibus nostris imposuimus: & tenentes frenum equi ipsius, pro reuerentia beati Petri, stratoris officium illi exhibuimus: statuẽtes eodem Phrygio omnes eius successores singulariter uti in processionibus, ad imitationem Imperij nostri, unde ut pontificalis apex non uilescat, sed magis quàm terreni Imperij dignitas, gloria & potentia decoretur: ecce tam palatium nostrũ quàm Romanã urbem, & omnes Italiæ siue Occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, beatissimo Pontifici & uniuersali Papæ Sylueſtro concedimus atque relinquimus: & ab eo & successoribus eius per pragmaticum constitutũ decreuimus disponenda, atq; iuri sanctæ Romanæ ecclesię concedimus permanenda. unde congruum perspeximus, nostrũ Imperiũ & regni potestatem Orientalibus transferri regionibus, & in Bizantiæ prouincię optimo loco, nomini nostro ciuitatẽ ędificari, & nostrũ illic Imperiũ constitui. Quoniam ubi principatus sacerdotũ & Christianę religionis caput ab Imperatore cœlesti cõstitutum est: iustũ non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc omnia uerò quæ per hanc Imperialem sacram, & Imperialia diualia decreta statuimus & confirmauimus, usque in finem mundi illibata & inconcussa permanere decreuimus. Vnde coram Deo uiuo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili eius iudicio obtestamur omnes nostros successores, Imperatores, uel cunctos optimates, satrapas, etiã amplissimũ Senatum & uniuersum populum in toto orbe terrarum, nunc & in posterum, nulli eorum quoquo modo licere aut cõfringere, uel in quoquam conuelli. Si quis autẽ (quod nõ credimus) in hoc temerator aut contemptor extiterit,

extiterit, æternis condénationibus subiaceat innodatus, & sanctos Dei principes apostolorum Petrum & Paulum sibi in præsenti & in futura uita sentiat cõtrarios: atq; in inferno inferiori concrematus, cum Diabolo et omnibus deficiat impijs. Huius uerò Imperialis decreti paginã proprijs manibus roborantes, super uenerandum corpus beati Petri posuimus. Data Romę, tertio calendas Aprilis, à Constantino Augusto quartò consule, & Gallicano quartò.

Vt formula priuilegij integra esset, & tamen retinerentur illa ipsa uerba, quæ extant in distinctione nonagesimasexta, Constantinus, etc. libuit ea quæ omissa essent, ex Bartolomei Pincerni editione attexere.

Cæterùm neque Constantinum Magnũ Romanis episcopis ea donasse, quæ referuntur donata: neq; formulam illam priuilegij hoc seculo, neque aliquot sequentibus esse scriptam, ex multis argumentis animaduerti potest. Nam de ea nulla apud probatos autores expresse fit mentio, per aliquot secula. Neque enim historici eius meminerunt, quales sunt Eusebius, Eutropius, Ruffinus, Socrates, Theodoretus, Euagrius, Paulus Diaconus, Bedà, Orosius, Zonaras, Nicephorus, & similes: neque ij qui uitas Imperatorum aut Pontificum scripserunt, ut sunt Hieronymus & Damasus. qui etsi quædã de donis Constantini dicit: tamen alij insignes ecclesiarum doctores, quorum monumenta extant, ut Athanasius, Basilius, Ambrosius, Optatus Mileuitanus, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Augustinus, Chrysostomus, neq; ipsi Romani episcopi in concilijs, cum onus probandi suum primatum sustinuerunt, huius donationis, quæ sanè sacra ipsis fuisset anchora, mentionem fecerũt, ut suo loco demonstrabitur.

Nauclerus autor est, in generatione undecima suæ Chronographiæ, Isidorum in sua historia affirmare, Constantinum urbe Roma pontifici cessisse, ornamentisq́ue omnibus Imperialibus, diademate uidelicet, habituq́; et albo equo, quo uectetur. Verùm in codicibus uetustis Isidori id non extat. In Panormia Iuouis, qui uixit circiter annum millesimum centesimum decimum, ex priuilegij formula quædam citantur. Idem etiam in Chronico suo uidetur pleraque de lepra Constantini, eiusq́; baptismo inde sumpsisse. Sed cum in uetustis codicibus desiderentur, suppositicia esse uidentur. Gratianus uerò, qui circa annum Domini millesimum centesimum & quinquagesimũ, decretũ cõpilauit, eam inseruisse dicitur: quod etiam ambiguũ est, cum ea in uetustissimis codicibus non reperiatur, & multis alijs locis à Gratiano congestis repugnet, & quidẽ cum titulo Palea sit insignita, quo ea solent notari, quæ à Gratiano in ueteribus codicibus & canonum collationibus non sunt inuenta. Quod uerò in illa Palea dicitur, priuilegium illud extare in Syluestri gestis, quæ Gelasius in concilio septuagesimo episcoporum legi à Catholicis commemorat, nec id satis est ad ueritatem rei demonstrandam. Nam ea clausula quę Gelasio adscribitur distinctione decimaquinta, Sancta Romana, &c. quæ sic habet (Itẽ actus beati Syluestri Apostolicæ sedis pręsulis, licet eius qui scripsit nomẽ ignoremus, à multis tamẽ in urbe Romana catholicis legi cognouim⁹, et pro antiquo usu multæ imitantur ecclesiæ) in uetustis codicibus non extat: nec est dubium, quin inserta sit à falsatoribus, fictitiæ donationi Constantini testimoniũ uetustatis subdolè adornãtibus. Præterea nec in gestis Syluestri, quæ legi dicit in Ecclesia, priuilegiũ illud extat. Quidẽ quod nec quinta uniuersalis synodus, nec ipsa synodus Martini Papæ contra Monothelitas, in quibus recensentur omnia authentica & apocrypha scripta, meminerunt actus Syluestri de donato imperio Occidentali, aut primatu super omnes ecclesias. Et fuisse Gratiani tempore, qui donationem Constantini assereret esse ficticiam, constat ex Othone Phrysingensi, qui eodem seculo uixit & scripsit. ita enim inquit lib. quarto, capite 3: Constantinus caput omniũ, in tantũ Romanã exaltauit ecclesiam, ut beato Syluestro, eiusdẽ urbis pontifici, insignibus regni traditis, ipse se Byzantium transferret, ibiq́; sedẽ regni cõstitueret. exhinc Romana ecclesia Occidentalia regna, tanquã sui iuris à Cõstantino sibi tradita affirmat. Verùm Imperij fautores, Constãtinum non regnũ pontificibus Romanis hoc modo tradidisse, sed ipsos tanquam summi Dei sacerdotes, ob Domini reuerentiam in patres assumpsisse, ab ijsq́; se & successores suos benedicendos, & patrocinio orationũ fulciendos cõtendunt. Atq; ad hoc probandum, quòd ipse Constantinus, regno inter filios diuiso, alij Occidentẽ, alij Orientẽ tradiderit, & sic per successiões Theodosio quoq; et alijs, non solum hæreticis, sed religiosis principibus cũ Occidente Romana sorte deuenerit, inducũt. Aiũt enim, nunquam tam religiosum principẽ, quod prius Ecclesiæ tradiderat, filijs reliquisse: uel tam catholicum Imperatorẽ, utpote Theodosiũ, quod suum non erat, sed esset Ecclesiæ, usurpasse. Quæ omnia definire præsentis negocij non est. Vnde factum est, ut interdum timidius de illa donatione loquerentur. Nam Nicolaus tertius, qui uixit circiter annũ Domini millesimũ ducentesimũ septuagesimũ-septimũ, capite Fundamenta, libro sexto de Electione

Electione, meminit quidē donationis Constantini: sed tantū Romanam urbem, & non totam Italiā & Occidētem donatū indicat.

Nec postea defuerunt, qui id commentū etiam publicis scriptis refutarūt: quales fuerunt Marsilius Patauinus in suo Defensore pacis, qui uixit circa annum Domini millesimum trecentesimum uigesimumquartum: Laurentius Valla, circa annum Domini millesimum quadringentesimum quadragesimum: Antoninus archiepiscopus Florentinus in sua historia, qui negat formulam donationis in uetustis codicibus decretorum inueniri: Cusanus Cardinalis libro tertio, capite secundo, qui suam sententiam ad Basiliense concilium misit circa annum millesimum quadringentesimū sexagesimum: & ipse Aeneas Syluius in Dialogo suo: & Hieronymus Paulus Cattalanus circa annum millesimum quadringentesimum nonagesimumsextū: Raphael Volaterranus anno millesimo quingētesimo: & Lutherus anno Domini millesimo quingentesimo tricesimoseptimo.

De phrasi uerò si quis rationē ineat, quis est tam hebes, aut tā ignarus sermonis, quo seculum Constātini usus est, qui nō animaduertat, eam formulam priuilegij suppositiciā esse? Si enim Arnobij, Lactantij, Ambrosij, Hieronymi, Symmachi, Prudentij, Ruffini, & aliorum qui hoc seculo uixerunt, scripta, & quidē ipsius Constantini edicta & epistolas, quarum multa apud Eusebium & Socratem & alios extant, legas & cōferas, haud inueneris eos huiusmodi phrasibus usos, quales sunt: Satrapæ, populus subiacens, terrena imperialis potentia, ueneranter honorare, imperialis serenitatis mansuetudo, nostra serenitas, gloriose exaltare per gloriam & potestatem & dignitatem, & uigorē & honorificentiam imperialem, possessionū prædia, princeps sacerdotibus, extiterit & existat, pro luminationum continuatione, Orientalib⁹ transferre regionibus, cuncta signa & banna, concubitores pro contubernales, equos equitent, ex nostro indictu, clericare decreuimus quod uti debeant, dextratoris officium exhibere, apex pontificalis, pater patrum, hierarcha, intercessor, uniuersalis Papa Syluester (eo nomine Constantinus Melchiadem non notat, in epistola ad eundem, quę est apud Euseb. lib. decimo, cap. quinto) pragmaticum constitutum, iuri sanctæ ecclesiæ permanendas decreuimus, diualia decreta, Byzantia prouincia, terminauit nobis tempus pœnitentiæ in uno cilicio, infinitas gratias confiteatur, & similes.

¶ Quid dicamus de perplexis loquutionibus, quales sunt: Eligentes nobis ipsis principem apostolorū, uel eius uicarios, firmos apud Deum esse patronos. Nam dubites, Petrum ne an eius successores eligat: & ineptè alij episcopi uocantur Petri uicarij. & quidē Petrum & Paulū appellat beatos, Syluestrū uerò beatissimum: dicit se prædia possessionum donasse, & diuersis rebus Ecclesiam ditasse: uerùm non exprimit, quæ, ubi, quando, quomodo: quod omnino necesse est in donationibus fieri. Sibi etiā, ut parū sui memor, non semel cōtradicit: ut quòd Constantinopolitanam sedē Romano subijcit, cum nondum esset Constantinopolis ædificata. phrygio Dominicam resurrectionem repræsentari, & Imperij Cæsarij esse imitationē, sibi repugnant inuicem: Constantinū modò Imperatorē terrenū, modò diuum sacrumq́; uocat: & Syluestrum modò urbis Romæ episcopum, modò uniuersalem papam. Vt autē hoc quod de phrasi sumitur iudicium eluderent pontificij, subornarunt quendā Bartholomęum Picernū, qui affirmaret, se in bibliotheca Romana priuilegiū illud Constantini in libello quodā gręcè scriptum inuenisse, & uertisse. Mirū sanè, quòd Constantinus episcopo Romano græcè scripsit, quē græcè sciuisse dubites, si audias Eusebium in libro tertio de uita Constantini asserere, eum in synodo Nicæna latinè loquutum: eundemque in libro decimo, capite quarto, & libro secundo de uita Constantini, testari, se epistolas & decreta Constantini ex Romana lingua in Græcam translata adscribere. At fortè græcè & latinè scribi curauit, quomodo edictum suum apud Eusebium libro secundo de uita Constantini promulgauit græcis & latinis characteribus. Sit sanè ita factum: nunquid autem tam barbarè, tamq́; perplexè eo tempore, siue græcè siue latinè, Imperatorum scribas, in quorum numero Firmianus Lactantius etiam fuit, scripsisse somniemus?

Ea uerò quę in formula priuilegij referuntur, si ad ἀναλογίαν ueræ & approbatæ historiæ conferantur, quis non agnoscat, partim manifestè falsa esse, partim nullas uerisimiles occasiones aut circumstantias habere? Nam à Syluestro Constantinum Romæ baptisatum esse, mendacium est. Euseb. enim lib. quarto de uita Constantini, affirmat, eū Nicomediæ paulo ante mortē baptizatū, in episcoporum cōuentu: & quidē ab Eusebio Nicomediensi baptizatū, Hieronymus prodidit in Chronico suo. id uerò factum anno sexagesimoquinto ætatis eius, Imperij uerò trigesimoprimo, cum iam ferè ante quinquenniū mortuus esset Syluester, testantur Ruffinus libro primo, capite undecimo: Socrates libro primo, capite trigesimonono: Theodoretus lib. 1, cap. trigesimoprimo: Sozomenus libro secundo, cap. trigesimoquar-

to. Isidorus in Chronico suo author est, Constantinum ab Eusebio Nicomediẽsi Ariano rebaptizatũ esse: uerùm Eusebius, Socrates, Theodoretus, & alij antiquiores & probatiores autores, baptizatum eum, & nõ rebaptizatũ affirmãt. & quidem synodus Ariminensis, in literis suis ad Constantiũ, quarum exemplum extat apud Theodoret. lib. 2, cap. 19. & Sozomenũ lib. quarto, cap. decimooctauo, testatur, Constantinũ in uera fide Nicæna, accepto baptismo uita defunctũ esse. Quod haud affirmassent, si eum à uera fide defeciſſe, & ab Ariano rebaptizatum esse sciuissent. Ambrosius etiam in libro de obitu Theodosij testatur, Constantinum in ultimis constitutum, baptizatum esse. Gratianus l. duodecima, quæstione 1. Futuram, &c. ex epistola Melchiadis allegat, ubi Melchiades, quasi à se Constantinum baptizatũ asserit. Mirum sanè, quòd cum Melchiades ante Sylueſtrum fuerit, & Constãtinus post utriusq; obitum baptizatus sit Nicomediæ, & non Romæ, tamen uterq; Constantinum baptisasse mentiatur. Nicephorus libro septimo, capite trigesimoquinto affirmat, Arianos diabolico animo confinxisse de Constantino, quod Nicomediæ baptizatus sit, & Romæ à Sylueſtro baptizatum autumat. Verùm id nullis alijs rationib. probat, quàm quòd Ecclesia Romana id asserat, & quòd baptisterium Romæ à Constantino conditum dicatur: & quòd in Nicænam synodum non fuisset admissus, si baptismo nondum initiatus fuisset. Sed quàm friuola hęc sint, quis non uidet?

Quòd uerò lepram inciderit, eamq; sanguine infantum curare iussus sit, & à Petro & Paulo admonitus, baptizatus, & à lepra per baptismũ liberatus sit: id quoq; fabulosum non nobis modò, sed etiam Vallę, & Platinæ, & alijs uisum est: cum eius rei ueri scriptores, ut Eusebius, qui uitam eius copiosè descripsit, & Eutropi⁹, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Hieronymus, Ruffinus, Orosius & alij, non faciant mentionem: sed recentiores historici, ex apocrypho libro de rebus à Sylueſtro gestis referant.

Vanissimum uerò commentum est, quòd Constantinus sanxerit, ut Romanus episcopus principatum teneat super quatuor præcipuas sedes, Antiochiæ, Alexandriæ, Constantinopoleos & Hierosolymorum: & super omnes in uniuerso orbe terrarum Dei ecclesias: & sit princeps omnium sacerdotum, qui sunt in uniuerso orbe terrarum, eiusque iudicio debeant gubernari omnia quę ad diuinum cultum, uel robur fidei Christianorum pertineant. Nam si id priuilegium, ut Palea dicit, quarto die sui baptismatis Romano Pontifici contulit, & conuersio seu baptizatio Constantini ante bellum, quod contra Maximum gesit, contigit, circiter annum Domini trecentesimum decimumseptimum (ut Nicephorus libro septimo, capite trigesimotertio, & alij recentiores nugantur) nondum fuit Constantinopolis ædificata. ea enim decimo demũ Imperij Constantini anno extrui cœpit, & uigesimooctauo eiusdem Imperij anno absoluta est, ut refert Nicephorus libro octauo, capite quarto. Deinde si Constantinus concesisit Romano episcopo primatum super omnes istas quatuor sedes, cur in Nicæno concilio passus est contrarium decerni? in ea Romanus Alexandrino, & Antiocheno, & Hierosolymitano non præfertur, sed uix cœquatur. Præterea id de primat, ut refutat tota de politia Ecclesiæ historia, quam hactenus descripsimus.

Illa uerò quæ de donatione referuntur, omnibus modis improbissimè conficta & omnibus modis mentita esse, quis non uel manibus palpet? Nam Constãtinum unà cum omnibus suis satrapis, & uniuerso Senatu, & optimatibus, & cuncto Romani Imperij subiacenti populo, Sylueſtro donasse insignia Imperialia omnia, & urbem Romam, & totam Italiam, & Occidentalium regionum prouincias, uidelicet tres Gallias, duas Hispanias, Germaniam, Britanniam, et omnia loca et ciuitates, prorsus à ueritate absonum est. Senatus enim Romanus, & maxima pars populi Romani, nõ Constãtini modò tempore, sed etiam Valentiniano regnãte, à Christiana religione alienissimus fuit: ut apparet ex epistola Symmachi ad imperatores Valentinianum, Theodosiũ et Arcadiũ, in qua, nomine Senat⁹ Romani rogat Imperatores, ne quid in gentili religione mutẽt, lib. 1, epistola 40. Constantinũ uerò id facere potuisse, nullo iudicio uerisimile reddi potest. Neq; enim dominandi cupiditas, qua eum adeò inflãmatum fuisse Eutropius prodidit, ut etiã socios & affines Imperio priuarit: nec dignitatis ratio tum id facere siuisset, ut ea ratione Sylueſtro Imperium donaret, ut se seruum & ministrum eius faceret: nec Reipublicæ commodũ tulisset, ut se altero Imperij oculo orbaret: præsertim cum nõdum omnes nationes subegisset, & necesse haberet se cõtra Barbaros tutari: nec filij, nec amici, nec cognati, neq; Romanus Senatus id permisissent, nec fides & cõscientia sua eum id facere cõcesisset. Sacris enim literis edoctus sciebat, magistratũ esse ordinationẽ Dei: & distincta esse officia ministrorũ Ecclesiæ & magistratus, nec debere cõmisceri. ut testatur Eusebius, eũ dicere solitũ, Deũ sacerdotib. cõmisisse interna Ecclesię curã, sibi uerò externã. Ex altera parte, si cogites Sylueſtrũ uerũ & pium

pium Ecclesiæ pastorẽ, quales eo tempre pleriq; adhuc fuerunt: qua ratione tibi persuaderi sinas, eum permisisse Constantinum sibi ea donare, quorum usum à Christo interdictum nosset? Haud enim eum latuit illud: Principes gentium dominantur, uos autem non sic. Item, Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Deinde si donauit Silueſtro occidentale Imperium, necesse fuit res donatas ei solenni ritu tradi, eumq; accipere & possidere, & suis successoribus reliquisse: eosq;, si non amplius teneant, aliquando de possessione deiectos esse. Verùm nullum ex his, ne minimo quidem uestigio ex historijs aut patribus, qui à Constantino per aliquot secula uixerunt, demonstrari potest. Nam quo ritu alijs Imperium traditum sit, passim historiæ commemorãt: sed de Syluestro & Romanis episcopis altum silentium.

De possessione quid dicamus? Certum est, Constantinũ ipsum, eiusq; successores omnes, quotquot hoc seculo uixerunt, Romam & Italiam & occidentale Imperium tenuisse: Si Syluestro donassent, quo iure sibi usurparent? Nam Constantinum imperium Occidentis tenuisse, & filijs suis Imperij hæreditatem ita diuisisse, ut auitam sortem maiori, Orientis principatum alteri, & medium tertio relinqueret, Eusebius lib. 4. de uita Constantini testatur. Et Socrates libro primo, capite trigesimooctauo affirmat, Constantinũ Occidentalium partium, in primo decennio sui Imperij: Constantium, Orientalium partium in uicesimo: Constantem uerò, in tricesimo constituisse Cæsarem ac principem. Idem & alij historici (ut Ruffinus lib. primo cap. undecimo, Sozomenus, Eutropius, Orosius, & similes) uno ore omnes affirmãt. Eusebius quidem apertè dicit, eum Romanæ urbis inhabitatores annuis muneribus honorasse, filijs uerò suis Imperij hæreditatem tribuisse: quod Socrates exponit de Constantinopoli. inquit enim: Multis Romanorum ciuitati, quæ ipsi cognominis est, legatis relictis, obijt. Socrates libro primo, capite trigesimonono. Et Constantius in colloquio cũ Liberio Romano episcopo, inquit: Nos, quòd Christianus esses, dignum te iudicauimus episcopatu urbis nostræ. apud Theodoret. lib. 2, cap. 16. Testatur etiam Athanasius in epistola sua ad solitariã uitam agẽtes, Constantium præfecto suo Romam scripsisse, & mandasse, ut Liberium ad se in castra mittat. Etiam Iulianum occidentale Imperium tenuisse, ex Eutropio constat, qui eum in Gallijs à militibus Imperatorem creatum affirmat. Iouianum idem dicit ignobilem pacem fecisse cũ Persis, mutatis finibus, & nõ nulla Imperij parte tradita: quod ante eum annis quadringentis & uiginti duobus ferè, ex quo Romanum Imperium conditum erat, nunquam accidit. Valentinianũ etiam Occidentis Imperium tenuisse, Socrates lib. quarto, capite secundo narrat. Eundem Romæ habuisse præfectum Maximinum nomine, ex libro quarto, capite uigesimonono Socratis constat. Gratianum quoq; & Theodosium Romam tenuisse, ex epistolis Symmachi urbis præfecti notum est. Idem de reliquis Imperatoribus usque ad Pipinum & Carolum Magnum, affirmari potest, ut sequentium ætatum historia demonstrabit. Quæ etiam eo magis uanitatem ficticiæ donationis Constantini coarguet, dum alijs, nempe Pipino & Carolo Magno donata & confirmata cõmemorabit, ea quæ à Constantino finguntur esse collata.

Syluestrum uerò & eius successores, hoc aut sequentib. seculis usq; ad Bonifaciũ nonum (qui uixit circiter annum Domini milesimum trecentesimũ nonagesimũtertium) ne urbis quidem Romanæ imperiũ, nedum Occidẽtis tenuisse constat. Et quotquot hoc seculo, & aliquot sequentib. uixerũt, omnes Imperatores suos dominos professi sunt, eorumq; legibus fuerũt subiecti: ut testatur historia Liberij, quem in exilium misit Constantius: Theodoretus libro secundo, capite decimosexto. & Iulij, qui cõtra Arianorum furores aduersus Athanasiũ Constantis implorauit auxilium: & Damasi, qui Imperatoris Theodosij literis Orientales euocauit ad synodum Romanam.

Cætera quæ in formula priuilegij falsitatem resipiũt, præterimus: qualia sunt, quòd eam Constãtinus proprijs manib. roborarit, & super uenerandum corpus principis apostolorum beati Petri imposuerit. quasi uerò non potius æneis tabulis inscribi, & palàm in conspectum omnibus proponi oportuisset, si firmã & ratam donationẽ ab omnibus haberi utérq; uoluisset.

Postremò, non pauca reperias quæ analogiæ fidei repugnant: quæ non est uerisimile Constantinum scripsisse, aut Syluestrum pro ueris asseri passum esse. Nam à fide aliena sunt illa, quæ de apparitione Petri & Pauli referuntur: & quòd Constantinus recuperationem suæ ualetudinis Petri beneficio adscripserit, & quòd Petrum & Paulum patronos sibi apud Deum delegerit: cùm Christus unicus sit noster apud Deum mediator & patronus, prima ad Timotheum secundo. Quòd Petrum & Paulum uocarit suos Dominos, eorumq; iram minatus sit ijs qui suam donationem uiolaturi essent. Et quòd iussus sit, ut omnia sua peccata ieiunijs, uigilijs, lachrymis, orationibus apud Dominum & Deum saluatorem placet seu expiet. Et quòd Dominus mandarit Petro, ut apo-

ſtolarus cathedram Romæ conſtitueret. id enim nuſquam ſcriptum reperitur. Rationes etiam illæ, quibus Conſtantinus fingitur motus, ut Sylueſtrum caput omnium ecclesiarum & dominum Occidētis conſtitueret, ineptiſsimę ſunt, & huic toti ſeculo ignotę, & ad eam donationem confirmandā inualidæ. Non enim eo quòd Chriſtus dixit Petro, Tu es Petrus: item, Quæcunq; ligaueris, &c. eum caput Eccleſiæ & Imperij conſtituit. nec eo mandauit, ut Conſtantinus donet ſucceſſoribus Petri dominium politicū. nec quia Petrus & Paulus Romę docuerunt Euangeliū, & interfecti ſunt, & quia Imperatores Romæ habitantes imperarūt gentibus: ideo Sylueſter & eius ſucceſſores debēt tenere ſupremā poteſtatē ſuper eccleſias omnes, & imperare Occidenti. Nec quia in urbe Roma Sylueſter eſt epiſcop⁹ & ſucceſſor Petri, iniuſtū & impiū eſt, ut ibidē habeat ſuam aulā, & adminiſtret res Imperij: cum Deus utrunq; ordinarit, et officijs certis diſtinxerit, & ſibi mutuas operas ferre iuſſerit, quod nec Conſtantinum neq; Sylueſtrū latere potuit.

DE EPISTOLIS DECRETALIBUS quæ falſo adſcribuntur Romanis epiſcopis.

SI pius lector Epiſtolas decretales, quę epiſcopis Romanis, qui hoc ſeculo uixerunt (nempe Marcellino, Marcello, Euſebio, Melchiadi, Sylueſtro, Marco, Iulio, Liberio, Felici, Damaſo, & Syricio) in 1. tomo Conciliorum attribuuntur, ad normā ueritatis, ut Lydium lapidem, examinauerit, certis indijs & argumentis firmis deprehendet, hoc ſeculo tales ſcribi ab illis nō potuiſſe: ſed longè inferiori tempore uel integras confictas, uel ex ueris quibuſdam, ſed pluribus intermixtis mendacijs, conſutas eſſe. Id enim primùm genus dictionis indicat. nam ſi ad phraſin Latinorum, qui hoc ſeculo ſcripſerunt, ut ſunt Arnobius, Lactantius, Ambroſius, Hieronymus, Ruffinus, Prudentius, Iuuēcus, Iulius Firmicus, Hilarius Pictauienſis, Damaſus & ſimiles, quis has epiſtolas comparauerit, toto cœlo diſtare animaduertet. Haud enim apud eos legas tam inconditas & barbaras uocum connexiones, quales ſunt, deuotionē officij paſtoralis impendere, notitiæ noſtræ inſinuare: in prima epiſtola Marcellini, Plena gratulatione ſuſcepi, quod uotiua mihi de charitate, quæ inter uos eſt, eccleſiarum & pace ſpōte indicaſtis: item, pertinet ad continentiā noſtrarū literarum: ſecunda Marcellini epiſtola. ut paulò ſuperius prælibatum eſt: in epiſtola prima Marcelli. A' fructibus inaneſcere, facere ſynodum regulariter: hæc uobis, à quibus nimis infeſtè perſequimur, ſcienda mandamus. Marcellus in epiſtola ſecunda. Gauſus de ueſtra ſoſpitate, agricultores, rigoroſus tortor, omnes ſuggeſtiones ueſtras diſgnanter ſuſcipere: in epiſtola prima Euſebij. Iungi uotiui iocunditate coloquij: in tertia Euſebij. Charitatiuam proferre ſententiam: in epiſtola Meltiadis. Paſtoralem curam inſequi, meæ exiguitatis prædeceſſores: in epiſtola Marci. Tumultuoſa in diſciplinatione ueritas oppreſſa eſt, dependere obtemperantiam, agere indiſciplinatè: Iulius in epiſtola ad Orientales. Corpus Chriſti proprio ore conficere, fraternam præſentem ſyllabam expoſuimus, fraternitatis ueſtræ apocriſiarij, mentem noſtram per has Syllabas expoſuimus, altercationem uerborum propter temporis pręſentis incōgruitatē declinantes, non iurgialiter ſtamus: In epiſtolis Felicis ad epiſcopos Alexandrinos. Iniuriantes paternas doctrinas, remoramini fratres eum qui ſuſtinuit talem contradictionem: in epiſtola ſecunda Liberij. Eadē cum apoſtolo compaſsibiliter dicere, cuncta charitatiuè peragere, inordinabiliter intendere, confiteere corpus Chriſti, in tertia epiſtola Damaſi. Nec titulos illos Romanorum epiſcoporū apud probatos huius ſeculi ſcriptores legas, cuiuſmodi ſunt: Marcellus epiſcopus ſanctæ & apoſtolicæ & Catholicæ urbis Romæ. Eodē titulo ſeſe etiam Euſebius & Marcellinus ornant. Fœlix uerò ſcribit, ſe almæ Romanæ urbis & uniuerſalis Eccleſiæ epiſcopum & Papam.

¶ Quid, quòd ἀνακόλουθα plurima in ijs reperiuntur? qualia ſunt: Detrectationes & accuſationes atque perſecutiones inter Chriſtianos oppidò uitandæ ſunt, quia licet pauci ſumus in comparatione aliorum, ſi tamen unanimes fuerimus, facilius aduerſarijs reſtemus. Sanctus enim protomartyr Stephanus lapidabatur, ſed Ieſus ſuſcipiebat plagas: Marcellinus in epiſtola ad epiſcopos per Orientales prouincias. Idem, poſtquam ex Paulinis locis probauit, non licere Chriſtianis litigare, ſeu ſibi inuicem detrahere: tandem ſubijcit in eadem epiſtola, Non licet ergo Imperatori, uel cuiquam pietatem cuſtodienti, aliquid contra mandata diuina præſumere, &c. Et Marcellus in epiſtola ad Antiochenos inquit: Sæpe dicendum & agendum eſt, quia mala pullulantia fraterna charitate oportet reſecari, ut bona creſcēdi & augmentandi ampliſsimum locum inueniant. Nolite ergo (ut Iacobus apoſtolus ait) plures fieri magiſtri, fratres mei, &c. Hic allegatorum caput Iacobi tertium de lingua, quæ eſt optimum & peſsimum membrum. Idem in epiſtola ad Maxentium tyrannum, poſtquā allegauit decretū ſuperiorū epiſcoporū Romanorū, de nō inferenda perſecutione, ſubijcit: In hoc ergo quod epiſcopi & reliqui ſerui

ſerui Dei perſecutionẽ patiuntur, non tantũ ipſi perſecutionem patiuntur, quantum ille cuius uice funguntur. Sicut ſcriptũ eſt, Qui uos tangit, &c. Hiſce poſtea alia ſubijcit, quæ minus cum ſuperioribus cohærent: Synodum ergo abſq; huius ſedis ſanctæ autoritate epiſcoporum, non poteſtis regulariter facere, &c. Euſebius in epiſtola ad Ægyptios, citato loco ex cap. quarto epiſtolæ ad Epheſios, Ipſe dedit quoſdam apoſtolos, &c. ut iam non fluctuantes circumferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuẽtionem erroris: ſubijcit, De occultis enim cordis alieni temerè iudicare, iniquũ eſt. Idem in epiſtola ad epiſcopos Tuſciæ: In ſede apoſtolica extra maculã ſemper eſt Catholica ſeruata religio. Ideo chariſſimi, & uos iuxta ſanctam ſcripturã diſcite benefacere, &c. Meltiades in epiſtola ad epiſcopos Hiſpanię: Ait ipſe Saluator, quòd expediat ſcandalizanti unum de puſillis, in maris, &c. Ergo iſta perpendentes, nullus alteri noceat, &c. Idem, poſtquam in eadem epiſtola de Spiritus ſancti operibus diſputauit, ſubijcit: Ieiunium ergo Dominici diei, &c. nemo celebrare debet. Si laicis abſtinẽtia imperatur, ut poſsint deprecantes audiri, quanto magis ſacerdos utiq; omni momẽto paratus eſſe debet, mundicię puritate ſecurus, ne aut ſacrificiũ offerat, aut baptizare cogatur. Syricius in epiſtola ad epiſcopos Africanos.

In pleriſq; ſcripturæ teſtimonia coaceruantur ſine iudicio, nonnunquam etiam deprauatè citantur, interdum uerò ineptiſsimę ratiocinationes ex ijs cõficiuntur. Nam Marcellus in epiſtola ad Antiochenos multa coaceruat teſtimonia, nihil ad inſtitutũ & propoſitum epiſtolæ facientia. Et in epiſtola ad Maxentiũ, ex illo dicto Pſalmi, Dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes, probat ſacerdotes laicis eſſe excelſiores. Euſebius etiam in ſuis epiſtolis paſsim ſine iudicio teſtimonia ſcripturæ congerit, præter morem epiſtolarum. Et in epiſtola ad Ægyptios ineptè colligit, Deus ſuo iudicio uoluit reſeruari epiſcopos: Ergo laici non debent infamare nec accuſare epiſcopos. Item ipſe per ſe ipſum, & non per alium negociantes eiecit è templo. Et, Deus ſtetit in ſynagoga deorũ, in medio autem Deos diſcernit: ergo epiſcopi non ſunt accuſandi à laicis. &, Dei ordinationem accuſat, qui epiſcopos accuſat uel condẽnat, dum minus ſpiritualia quàm terrena ſectatur. Meltiades reſponſionem, quam Ioannes Baptiſta dedit militibus, ſciſcitantibus quid facere debeant, Domino adſcribit, in epiſtola ad Hiſpanos epiſcopos. Et quidem in eadẽ epiſtola poſtquam præcepit quando ieiunandum, ſubijcit ſine iudicio multa dicta, & integrum caput ad Coloſſenſes ſecundum & tertium: item ſecundæ ad Theſſalonicenſes tertium, & ad Romanos decimumquintum. Iulius etiam in epiſtola ad Orientales, congerit multa dicta ineptè. & quidem totum ferè quartum caput prioris epiſtolæ Ioannis recitat, & inſulſe ratiocinatur: Maledictus qui transfert terminos proximi ſui, & dicet omnis populus Amen: ergo non debet Romanæ ſedi præripi ſuum ius. Et in epiſtola ſecunda ad Orientales: Sicut maior non poteſt à minori iudicari, ita nec colligari: quia rarum eſt omne quod magnum eſt. Et Fœlix in epiſtola ad Ægyptios: Spiritualis iudicat omnia, ipſe uerò à nemine iudicatur: ergo clerici non ſunt à Laicis accuſandi. Liberius in ſecunda epiſtola ad omnes epiſcopos, multa dicta cumulat ad inſtitutum parum facientia. Et Damaſus in epiſtola ad Stephanum, dictum Chriſti, Tu es Petrus, non rectè accommodat ad primatum Romanæ eccleſiæ: & multa alia dicta ad eam detorquet ibidem. Idem in epiſtola ad Proſperum Numidiæ epiſcopum, ſanè ſubtiliter argumentatur: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, prẽter id quod poſitum eſt: ergo duo tantum in eccleſia ſunt poſita fundamenta ſeu ordines, ſcilicet epiſcoporum & presbyterorum.

Deinde ab analogia hiſtoriarum, quæ à probatis autoribus commemorantur, quædam adeò recedũt, ut manifeſti mendacij argui poſsint. Nam quòd Marcellinus in epiſtola ad Orientales nugatur, eos ad Eccleſiæ corpus & unitatem reuocatos eſſe, fictitium eſt. Nondum enim ſchiſma inter Orientales & Occidentales fuerat ortum: & Petrum eſſe caput totius eccleſiæ: & eius ſedem, quæ primum Antiochiæ fuerit, Domino iubente Romam eſſe translatam: & Apoſtolos appellationem ad ſedem Romanam præcepiſſe, ut Marcellus in epiſtola ad Antiochenos epiſcopos narrat, mendacium eſt. Clementem definijſſe, ne Laici aut ſuſpecti epiſcopos accuſent, falſum eſſe ſuprà demonſtrauimus, ubi epiſtolæ eius ſunt refutatæ. Euſebius in epiſtola ad epiſcopos Tuſciæ fabulatur, ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus conſtitutum eſſe, criminationes aduerſus doctores non debere ſuſcipi: & in ſede Apoſtolica, hoc eſt, Romana eccleſia, extra maculam ſemper eſſe catholicam ſeruatam religionem. Idem etiam Marcus in epiſtola ad epiſcopos Ægypti affirmat. Sed id commenticium eſſe, tum ex ſuperiori ſeculo, in quo Nouatiani & alij hæretici Romæ uirus ſuum propagarunt, tum ex Marcellini abnegatione certum eſt. Meltiades in epiſtola ad Hiſpanos, fabulatur de primatu Romanæ eccleſiæ. Marcus in epiſtola ad Ægyptios, Romanam eccleſiam

appellat matrem omnium ecclesiarũ: quòd est falsum. nam ex Hierosolyma prodijt Euangelium, & non ex Roma. Vtræq; epistolæ Iulij ad Orientales episcopos, & Fœlicis ad Ægyptios, & Liberij & Damasi ad Stephanum & ad Prosperum, crassis mendacijs primatum Romanæ ecclesiæ asserunt, quod à Christo & sanctis Apostolis, eorumq; successoribus, ac etiam à patribus synodi Nicænæ, id priuilegium concessum & corroboratum sit, quòd Romana sedes sit primas omnium aliarum, & sola habeat ius generalium conciliorum conuocandorum: & quòd ad eam debeant deferri omnes causæ ecclesiasticæ, & sine eius sententia nihil geri. Nam canones Nicæni synodi contrarium testantur: & Romanos episcopos ad hoc priuilegium obtinendum falsasse canonem sextum Nicæni concilij, libro sequenti in synodo Carthaginensi prolixè commemorabitur. Decretum etiam quod Iuo libro tertio de consecrandis episcopis Damaso adscribit, quo præcipitur, ut metropolitani Romano episcopo fidem suam exponant, & usum pallij à se expetant & percipiant, commenticium est. nam hoc totum seculum eam consuetudinem ignorat. Pallio enim ex candida lana confecto, solos Imperatores hoc seculo usos esse, ex eo constat, quòd seculo sequenti primùm Valentinianus Ioannem Rauennatem eo uti iussit: ut refert Blondus libro secundo decadis primæ, ex Agnello: & Bonfinius libro septimo decadis primæ rerum Vngaricarum.

Quædam nullas uerisimiles rationes aut circumstantias habent. Nam Marcellinum ad omnes episcopos Orientalium prouinciarum scripsisse, eosq; hortatum esse, ut desinant persequi fratres, & abstineant à contentionibus, uero non consonat: si quis cogitet, Marcellinum decimo anno Diocletiani Romæ episcopum egisse, quo tempore gentiles ubiq; persequebantur Christianos: nec tantum ocij habebãt Christiani, ut inter sese concertarent. Et Marcellum ad Maxentium tyrãnum & hominem ethnicum, persequutorem Ecclesię, scripsisse, eumq; à persequutione, eo maximè argumento quod à Clemente apostolorum discipulo sit statutum, ne laici aut suspecti episcopos accusent, & quòd non liceat synodum absq; sedis Romanæ autoritate congregare, aut episcopos ad eam appellantes damnare, ante eius definitiuam sententiam, auocare tentasse, quis sibi persuadeat? Quid enim uel Apostolos, uel Clementem, uel sedis Romanæ autoritatem curaret Maxentius? Eusebius in prima epistola, infamiæ notam inurit impugnatoribus & inuasoribus patrũ. Sed id genus pœnæ hoc seculo ab Ecclesia non est usurpatum. Syricius in epistola ad Himerium, & ad orthodoxos per diuersas prouincias, fabulatur, sibi esse commissam omnium ecclesiarum curam: nec id probat uel unica syllabula.

Abhorrent etiam pleraq; à forma gubernationis Ecclesię, qualem suprà ostendimus hoc seculo fuisse. Nam ea quæ de primatu Romanæ ecclesiæ confirmato per synodum Nicænam, & de appellationibus ad Romanam ecclesiam, & de iure conuocandi generalia concilia, in epistolis ferè omnibus horũ pontificum, maximè uerò Iulij ad Orientales, referuntur, à tota harmonia gubernationis Ecclesiasticæ dissident. Quin & tempus, quo epistolæ illæ datæ finguntur, coarguit, eas à mendaci parùm memori compositas esse. Nam quorũ cõsulatu scriptæ dicuntur, ij aut nõ unà consulatũ gesserũt, aut alio tempore uixerũt: ut patet ex Mariano Scoto & alijs, & quidem ex Annotationibus in romo Conciliorum epistolis illis subiectis.

¶ Sunt etiam in ijs manifesta mysterij iniquitatis insignia, quæ hoc seculo adeò in apertũ erupisse non est credibile, qualia sunt Distinctio laicorum & clericorũ propter sanctitatem. nam Eusebius in epistola ad Galliæ episcopos, laicos uocat carnales, clericos uerò spirituales. De nõ arguẽdis & accusandis, iudicandis & damnandis clericis & episcopis, Marcellinus in epistola ad orientales: Eusebius in prima epistola ad Galliæ episcopos, & in epistola ad Aegyptios, episcopos non esse accusandos, ineptis rationibus probat, & Damasus in epistola ad Stephanum. De primatu Romanæ ecclesiæ. De eo enim fermè omnes, ut ineptissimè, ita tædiosissimè impudenterq; mentiuntur: & quidẽ nec ipsi inter se planè in eo cõmento consentiũt. alij enim affirmant, ex consuetudine fieri, ut omnes causæ ad Romanam sedem perferantur: ut Meltiades in epistola ad Hispaniæ episcopos. inquit enim: Si uiderit se quisquã uestrũm prægrauari, hanc sedem appellet, huc accurrat, ut semper instituta fuit consuetudo, quia & uoluntariè eis compatiemur. Et Damasus in epistola ad Prosperũ inquit: Non possumus uestram solertiam circa instituta maiorum mirari, ut cuncta quæ possint aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput, ut semper fuit consuetudo, deferre non definatis. Alij uerò, à Christo & beato Petro apostolo, & successoribus Apostolorũ, statutis patrum & canonibus Nicæni cõcilij, Romanam ecclesiam accepisse priuilegium de primatu: ut Marcellus in epistola ad episcopos Antiochenos & ad Maxentium, Eusebius in epistola tertia ad episcopos Tuscię, Iulius in epistolis duabus ad Orientales: Liberius in prima epistola, & in secundal

cunda: & Damasus in epistola ad Stephanũ, & Fœlix in epistola ad Aegyptios.

De traditionum humanarum necessaria obligatione. Sic enim Damasus ad Prosperũ scribit: Omnia hæc decretalia, & cunctorũ prædecessorum nostrorum constituta, quæ de ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita à uobis & omnibus episcopis, ac cunctis generaliter sacerdotibus custodiri debere mandamus: & si quis in illa cõmiserit, ueniam sibi deinceps nouerit denegari: quoniã corrueret ueritas, si falsitas displiceret.

Idololatria & cultus Deorum alienorum. Nam Marcus in epistola ad episcopos Ægypti Petro adscribit, quod Dei est. inquit enim: Sancta Romana ecclesia semper immaculata manst, & Domino prouidente, & beato Petro apostolo opem ferente. Et in secunda epistola Iulij ad Orientales hæc extant: Portemus onera omnium qui grauantur, quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, cuius uice fungimur legatione, & cuius regula informamur, quatenus eius fulti auxilio, ab omnibus nunc & in perpetuum tueamur aduersis. Eadem uerba Syricij etiam epistola ad Himerium Tarraconensem episcopũ habet. Et Felix in epistola ad Ægyptios inquit: Incipiamus igitur adiuuante Deo, & sancto Petro apostolo.

Contaminatio Sacramentorum. Nam Eusebius in epistola ad episcopos Tusciæ, & Meltiades in epistola ad episcopos Hispaniæ, impositionem manuum seu confirmationis præferunt baptismo: cum tamen à Christo non sit instituta, nec habeat additam promissionem gratiæ, ut baptismus.

De cœna Domini minus reuerenter loquuntur, utentes phrasi illa, Sacerdotes proprio ore corpus Christi conficiunt: in epistolis Liberij & Damasi. De potestate clauium etiam minus commodè, in epistola secunda Iulij ad Orientales dicitur: Quòd Petrus, & per eum pontifex Romanus, habeat potestatem, singulari priuilegio concessam, aperire & claudere ianuas regni cœlestis, quibus uoluerit. Nam ut pœnitentium peccata ligare, ita nec impœnitentium soluere, licet uelit, neq; Petrus, neq; alius quispiam sacerdos potest. Prohibitio coniugij, in Syricij epistola ad episcopos per Aphricam: Sacerdotes & Leuitæ cum uxorib. suis non coeant. quia ad Corinthios sic Paulus scribit: Abstinete uos, ut uacetis orationi. Item: Qua conscientia, quo merito hic exaudiri se credit, qui est contaminatus carnali concupiscentia? cum dictum sit ad Titum, Omnia munda mundis.

Postremò etiam hæ epistolę destituuntur testimonio Eusebij, Hieronymi & Damasi, & aliorum antiquorum autorum. Socrates quidem libro secundo, capite decimoquinto narrat, Iulium, postquã cognouisset causam Athanasij & Pauli & Asclepæ, & Marcelli & Lucij, scripsisse ad Orientem, ac suum cuiq; locum restituisse, illosq; reprehendisse qui eos per temeritatem deposuissent. Sed exemplum illius epistolæ esse eam quæ hodie sub nomine Iulij ad Orientales extat, in tomo primo Conciliorum, quis credat, cum ea plurimis mendacijs de Nicæna synodo, & priuilegio Romanæ ecclesiæ scateat: & adeò generalis sit, ut nec Athanasij, nec aliorum, quos restitui iussisse dicitur, meminerit? Testatur etiam Socrates libro secundo, capite decimoseptimo, cum Orientales Iulio superbè rescripsissent, eumq; accusassent, quòd Athanasio & alijs ab ipsis depositis cõmunicasset, Iulium per literas respondisse, sibi ipsorũ literas molestas fuisse, eosq; præter canones egisse, quòd se non ad synodum uocassent, & quòd fidem clãculum deprauassent. Sed quis est tam fatuus, ut credat earum literarum exemplum esse, quod extat in primo tomo Conciliorum? Quod ut pius Lector penitius consideret, & fraudẽ Romanistarum in conficiendis suppositijs scriptis agnoscat, conferat eam epistolã quæ in tomo primo Conciliorum extat, scripta à Iulio ad Eusebium, & Theogoniũ, & Theodorum & cæteros: & illam, quam Athanasius suæ Apologiæ secundæ inseruit, & ad Eusebium & Theodorum & cæteros Iuliũ scripsisse affirmat. Vna & eadem epistola esse debebat: sed non tantum uerbis, uerùm etiam rebus, toto cœlo distãt. nam ea quam Athanasius annotat, nihil admodum de primatu Romanæ ecclesiæ, à Christo & apostolis & patribus Nicænæ synodi confirmato, habet: at illa mendacijs eiusmodi, & decretis ficticijs plena est. Hinc æstimandi copiã Lector sumat, quantum alijs epistolis decretalibus fidei haberi tutò possit.

Petrus Grabbe, qui tomos Conciliorum compilauit, etiam epistolas quasdam, quasi ab alijs ad Romanos episcopos huius seculi scriptas, inseruit: ut sunt, epistola Athanasij & episcoporum Ægypti ad Marcum, ad Liberium, ad Felicem: & Stephani archiepiscopi, & trium Conciliorum Aphricæ, ad Damasum, de priuilegio Romanæ sedis. Verùm etiam has suppositicias esse, pius lector facile agnouerit, si characterem dictionis, & res in ijs contentas, ad rationem & historias huius seculi comparauerit.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE SCHISMATIBVS.

EVIT quidem præcipua quædã Eccleſiæ ſeculi huius felicitas ac ornamentũ, agmẽ illud multorum illuſtrium & præſtãtiſſimorum Doctorũ, quorũ opera & ſtudijs puritas doctrinę, quantũ in ipſis fuit, multis in locis conſeruata & propagata eſt. Sed tamẽ ea fœlicitas nõ parũ obſcurata & deformata eſt partim à numeroſiſsima hæreticorũ colluuie, partim ab infinita multitudine hominũ factioſorũ, quorũ inſania & improbitate diabolus uſus, tranquillitatẽ eccleſiarũ cõuellere & pturbare nunquã deſtitit. Nec ulla ferè poſt Apoſtolorũ tempora ætas fuit, in qua cõtentionibus, diſsidijs, pugnis, cõuulſionib. & lacerationib. grauius ac uiolentius Eccleſia uexata ſit, q̃ hæc, quæ annũ Chriſti trecenteſimũ, ad quadringenteſimũ uſq;, ſecuta eſt. Extat ea de re querela & deploratio apud Baſiliũ, in procœmio quodã, de iudicio Dei, inter Aſcetica, quã adſcribimus.

¶ Cum in uirũ, inquit, euaſiſſem, & peregrinationib. ſæpenumero uſus, in moleſtias, ut par erat, incidiſſem, in alijs quidẽ artib. & ſciẽtijs multũ cõcordiæ inter eos deprehẽdi, qui ſingulas artes exactè exercẽt: in ſola uerò Eccleſia DEI, pro qua Chriſtus eſt mortuꝰ, & in quã Spiritũ ſanctũ abundè & opulenter effudit, maximũ diſsidium, & uehementem multorũ cùm inter ipſos, tum contra diuinã ſcripturã diſſenſionẽ obſeruaui: & quod horrendiſsimũ eſt, ipſos eccleſiæ præſides in tanto et animi et opinionũ inter ſe diſsidio cõſtitutos, tantaq; cõtrarietate mandatis Domini noſtri IESV Chriſti repugnãtes, Eccleſiam Dei crudeliter diſsipare, et gregẽ ipſius abſq; ulla cõmiſeratione perturbare, ut & in ipſis nunc, ſi unquam, prodeuntibus & florentibus iniquis, impleatur illud Apoſtoli: Ex uobis ipſis exurgent uiri loquentes peruerſa, ut abſtrahant poſt ſe diſcipulos.

Sed & de cauſis eius mali ſubijcit: Cũ iſta conſimilia cernerem, & hærerẽ quæ nam & unde eſſet tanti mali cauſa: primùm quidem uelut in denſis quibuſdam tenebris agebã: et quaſi in libra cõſtitutus, nũc hac, nunc illac uergebã, alio me ad ſe ipſum propter prolixã hominũ cõſuetudinẽ trahente, alio uerò repellente propter ueritatẽ in diuinis ſcripturis agnitã. Vbi aũt hoc aliquandiu & ſæpius accidiſſet, cauſam mali huius, ut dixi, inueſtiganti in mentẽ uenit eius libri, qui Iudicũ hiſtorias narrat: ubi ſcriptũ eſt, quod quiſq; tũc fecerit quod in oculis ipſius uideretur rectũ. ſimulq; cauſa huius declarata eſt, in eo quod prẽmiſſum eſt: quòd in diebus illis nõ fuerit rex in Iſrael. Horũ itaq; recordatus, cogitabam & de præſentibus diſsidijs illud, quod dictu quidem terribile forſan, & paradoxũ, ſi cõſideretur uerò et expẽdatur, ueriſsimũ eſt: ne forſan & nũc, propter unius, magni, ueri, ac ſolius omniũ regnũ cõtemptũ, tãta ſit diſſenſio & pugna eorũ q ſunt in Eccleſia CHRISTI, dum quiſq; & à doctrina Domini noſtri IESV Chriſti deſciſſet, & cogitationes ac deſignationes proprias ſua ipſius autoritate ſibi uendicat: & cõtra Dominũ imperare, quàm Domino ſubeſſe, & ab illo regi mauult. Hoc cum apud me reputarẽ, & ad enormem hanc impietatẽ ſtuperem, & adhuc amplius inuehementerẽ ſtigarẽ, nihilo ſecius & ex rebus huius uitæ perſuadebar, ueram eſſe prædictam cauſam.

SCHISMA DONATISTARVM *in Africa.*

DE initio, autoribus, & progreſſu, & tota narratione ſchiſmatis in Africa moti à Donatiſtis traditoribus, contra Cæciliãnum epiſcopum Carthaginenſem, ab Euſebio nihil annotatum eſt: præter exemplã duarum epiſtolarum Conſtãtini, quibus ad iudicium Eccleſiaſticum cauſæ eius cognitionem tranſtulit, ut poſtea dicemus. Cæteri uerò ſcriptores, ut Socrates, Theodoretus, de ea prorſus tacuere. Ex Optato igitur Afro, epiſcopo Mileuitano, & Auguſtino, quantũ de eo negocio haberi poteſt, breuiter indicabimus.

Durante adhuc ea quam Diocletianus exercuit perſecutione, Felix quidã diaconus Autramitanus, ab Imperatore tyranno citatus, apud Menſuriũ tunc temporis epiſcopũ Carthaginenſem ſeſe abdiderat. Re prodita, Menſurius poſtulatur, ut Felicẽ reddat: aut ad palatiũ Imperatoris ueniat, ipſe quoq; ſeu tentiã experturus. Magno ibi dolore affectus Menſurius, in regiã Imperatoris abire nõ recuſat: ſed aurea & argentea eccleſię ornamenta, quæ nec defodere, nec ſecũ auferre poſſet, apud ſeniores quoſdam, quos fideles iudicabat, deponit: & cartham teſtimonij, quid & quantũ dediſſet ornamentorum, apud anicã quandã relinquit: addẽs, ut ſi nõ uenderẽtur, chartã eã traderet epiſcopo, quicunq; ſuũ locũ poſt ſe obtenturus eſſet. Interea ad Imperatorem proficiſcitur, cauſam dicit, redire Carthaginem iubetur: ſed ſeu morbo, quem conſecuta mors ſit, ſeu alio quocunq; impeditus caſu, eò non rediit. Interim finem perſecutio accepit, libertate Chriſtianis à Maxentio reſtituta.

Adſunt ambitores epiſcopãtus Carthaginenſis, Botrus quidã, & Celeſtius: ſed quibus repudiatis, Cecilianus populi ſuffragijs ordinatur, manus ei imponẽte Felice illo quẽ diximus. Ordinato igitur Ceciliano, charta ipſa, de ornamẽtis eccleſiæ ſenioribus tradita, quẽadmodũ Menſurius iuſſerat, offertur, uocantur

uocantur seniores, & accepta ecclesię nomine repetuntur. Sed auaritia sua inducti, quæ acceperant, non reddunt, & à communione cum Ceciliano pedem retrahunt. cũ his unà petitores Botrus & Celestius, ac Lucilla diuites ac factiosa fœmina, quę à Ceciliano olim diacono, ob superstitionem quandam obiurgata, odiũ in eum ad illud usq; tempus aluerat, atq; ulciscendi sui occasionem separationem illam tum arripuit. Scribit Augustinus epistola centesima sexagesimasecũda, fœminam eam pecunijs suis aduersus Cecilianũ multos coëmisse & incitasse: sic ut schisma illud tribus nocentissimis rebus conflatũ, ambitione nimirũ, auaritia, & odio atq; improbitate mulieris, inde uires sumpserit.

Coniuncti igitur illi, cum alijs etiam quibusdam suæ factionis, & quidẽ illis maximè qui paulo antè in conuentu quodam Numidiæ, à traditionis crimine mutuò sese absoluerãt, Donato scilicet Masculitano, Victore Ruficcadiense, Marino ab aquis Tibilitanis, Donato altero Calamẽsi, & Paupurio Limacẽsi, ordinationem primùm Ceciliani calumniantur, iniustã eam esse, & illegitimã uocitãtes: quia à Felice, quẽ traditionis falso accusabãt, impositione manuũ cõsecutus fuisset.

Mox uerò Maiorinũ quendã, qui in Ceciliani diaconatu lectoris fuerat munere functus, Lucillæ domesticũ, eadẽ urgentẽ, cõtra Cecilianũ ordinatiõe illicita episcopũ creãt, atq; altare cõtra altare extruũt: & per literas quaquauersum missas, ordinationẽ Ceciliani & Felicis uitam publicè uituperant.

Inde aucta multiplici ecclesiarũ per Africã perturbatione, ij qui erãt à partibus Donati, ut Lucianus, Dignus, Hassutius, Capianus, Fidentius, nonnulliq; alij, per literas ab Imperatore Constantino petunt, ut iudices causæ & dissidij inter episcopos Afros, ex Gallia sibi concedat. Exemplum literarum hoc est:

¶Rogamus te, ô Constantine optime Imperator, quoniã de genere iusto es, cuius pater inter cæteros Imperatores persecutionẽ nõ exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia: nam in Africa inter nos & cęteros episcopos cõtentiones sunt: petimus, ut de Gallia nobis iudices dari præcipiat pietas tua. Datæ à Luciano, Digno, Hassutio, Capiano, Fidentio, & cæteris episcopis partis Donati.

Irritatus hac epistola nõ mediocriter Constantinus, pacis & cõcordiæ in ecclesia amantissimus, indignabundus rescripsit: Petitis à me in seculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectẽ. Non tamen ausus iudicare, et se causis episcoporũ interponere, discutiendas eas iudicijs Ecclesiasticis delegauit: & ad Miltiadem episcopũ Romanum ex Gallia episcopos cõuenire iubet, Maternum Agrippinẽsem episcopũ, Rheticiũ Augustoduni, & Marinum Arelatensem, ab ijsq; causas Africanorũ episcoporũ cognosci. Extat ea de re exemplum epistolæ Imperatoris ad Miltiadem & Marcum, apud Eusebium lib. decimo cap. 5, his uerbis.

¶ Constãtinus Augustus Miltiadi episcopo Romano & Marco. Quoniam plures huiusmodi literę ab Anilio, illustrissimo Aphricæ proconsule ad me missæ sunt, in quibus Cecilianum Carthaginis episcopum à nonnullis collegis suis in Aphrica constitutis, multis in reb. reprehendi fertur, & hoc mihi uehementer graue uidetur, etiam in ijsdem prouincijs, quas deuotioni meæ diuina prouidentia peculiariter cõmendauit, magnam populi multitudinem ad peiora procliuem, ac dissidẽtem, interq; episcopos discernentẽ reperiri: placuit mihi, ut ipse Cecilianus unà cum episcopis decẽ qui ipsum reprehendere uidentur, & decem alijs quos ipse causæ suæ putauerit accommodos, Romã nauigio ueniat, ut illic uobis præsentibus, unà cũ Rheticio & Materno & Marino, collegis uestris, quos ob hanc causam Romã properare iussi, audiri possit, quo quæ religiosissimę legi cõuenitunt cognoscatis. Vt autem & de his omnibus plenissimam cognitionẽ habere possitis, exẽpla literarũ quas ad me misit Anilius, literis meis subiecta, dictis uestris collegis misi: quibus lectis, integritas uestra probet, quomodo dicta iam causa quã accuratissimè discerni, & ad æquitatis normam terminari queat. Non enim latet uestrã diligentiã, tantum me reuerentiæ ecclesiæ Catholicæ tribuere, ut uelim uos nullum prorsus schisma uel dissidium aliquo in loco ferre. Diuinitas magni Dei multis uos annis custodiat.

Congregatur igitur synodus Romæ nouemdecim episcoporũ, quorũ nomina alibi exponemus: qui causa Ceciliani præsentis cognita, eum absoluunt: & contra Donatũ, autorem schismatis in Africa, sentẽtiam cõdemnationis ferunt. Sed huic iudicio Donatus cum suis nõ acquiescens, ad Imperatorẽ rursus prouocat, alios iudices postulans. Quos etsi homini factioso, & in iudicio legitimo cõdemnato, iure optimo denegare Constantinus poterat: tamen pro sua in causis Ecclesiasticis iuuãdis beneuolentia & moderatione, dat alios iudices, episcopũ Arelatẽsem & Syracusanũ. quemadmodũ eius mandatum scriptum ad Chrestũ Syracusiorũ episcopum ostẽdit, cuius exemplum Eusebius adducit loco paulo antè memorato, his uerbis:

¶ Constãtinus Augustus, Chresto episcopo Syracusiorũ. Iam antea quidem, quando malè & peruersè quidã à religione sanctæ & cœlestis uirtutis, ac hæresi catholica separari cœperũt, uolens ut huiusmodi illorum cõtentiones amputarentur, ita scripsi, & constitui,

ſtitui, ut quibuſdam epiſcopis ex Gallia miſſis, deinde ex Africa uocatis illis qui ex altera parte inter ſe cõtentioſe ac pertinaciter dimicant, præſente etiam Romano epiſcopo, quicquid hoc diſsidij obortum uideretur, in ipſorũ ptæſentia ſumma cum diligentia dicernẽdi corrigi queat. Verùm quoniã, ſicuti euenit, nonnulli eorum & proprię ſalutis, & reuerẽtiæ quæ ſanctiſsimæ hæreſi debetur, obliti, etiamnum inimicitias ſuas prorogare nõ ceſſant, nolentes latæ iam ſententię conſentire: nec conſiderant, quòd etiamſi pauci quidam ſententias ſuas protulerũt, non tamẽ citius quàm cuncta quæ debebãt inquiri exactè excuterẽtur, ad iudicandũ admodum uelociter ac feſtinanter proruperunt. Ex his autem omnibus hæc euenerũt, quòd & ipſi, quorũ erat fraternã & unanimẽ ſeruare concordiam, turpiter, imò flagitioſe à ſe inuicẽ diſſentiunt, & hominibus à ſanctiſsima religione mente abalienatis ludibrij occaſionẽ præbent. Quapropter curandũ mihi eſt, ut quod poſt latum iam iudiciũ ultro quieſcere debebat, uel nunc tandem multis præſentibus terminetur. Quoniã igitur quamplurimos epiſcopos ex uarijs & innumeris locis ad ciuitatẽ Arelatenſem calendis Auguſti conuenire iuſsimus, etiam tibi ſcribendũ eſſe iudicauimus, ut accepto ab illuſtriſsimo Latroniano Sicilię præfecto publico uehiculo, ac unà cum duob. quibuſdã ex ijs qui ſecũdi ordinis ſunt, quos tu ipſe ſeligẽdos putaueris, quin & cũ trib. ſeruis, qui uobis in itinere ſeruire ualeãt, intra eundẽ diem ad locum iam dictũ accurras: ut & per tuam integritatẽ, ac reliquorũ qui cõuenturi ſunt concordem & unanimẽ prudentiam, etiam hoc diſsidium quod hactenus turpi quadã recalcitratione durauit, auditis cunctis quę dicenda ſunt à diſsidentibus (quos ſimiliter adeſſe iuſsimus) ad debitam religionem & fidem fraternam q; concordiam uel ſerò tandem reditus fieri queat. Sanum te Deus omnipotẽs multos annos cuſtodiat.

Meminit utriuſq; exempli, & actionũ in utroq; loco, Auguſtinus Epiſtola centeſima ſexageſimaſexta.

Sed quemadmodum Miltiades, ita etiam ſynodus Arelatenſis Cecilianum innocẽtem iudicauit: eosq; qui cum Donato erant, ut calumniatores condemnauit.

Petit poſt illud iudiciũ Donatus ab Imperatore, ut Carthaginem ſibi reuerti liceat. Intercedit pro eo Filuminus, ſuffragator eius: atq; impetrat, ut pauliſper conciliandæ pacis ſtudio Cecilianus Brixiã ſecedere iubeatur. Quod poſtea Donatiani ſceleratè mendaces, exiliũ ei & condemnationẽ, ut Auguſtinus ſcripſit, interpretati ſunt. Interea in Africã ab Imperatore mittũtur duo epiſcopi, Eunomius & Olympius, ut utrius partis, aut Ceciliani aut Donatianorum, catholica eſſet Eccleſia inueſtigarẽt, & pronũciarẽt. Agunt in Africa illi per dies quadraginta, ac contra Donatianos Eccleſiã catholicã eam eſſe pronunciãt, quę per totũ terrarũ orbẽ diffuſa ſit. De Ceciliani uerò cauſa, acquieſcendũ eſſe aiunt ſententiæ latę epiſcoporũ nouẽdecim in ſynodo Nicæna. ac ſic poſt cõmunionẽ cum clero Ceciliani, ad Eccleſias ſuas redeunt. Poſt hæc Carthaginẽ Donatus ultrò uenit. Quod cum Cecilianus cõperiſſet, Brixia relicta, & ipſe ad plebem ſuam feſtinãter redijt. Hoc de Ceciliani receſsiõe, & epiſcopis miſſis, Optatus ſolus retulit: Auguſtinus uerò eius nõ meminit. Sed tamẽ is hoc etiam habet, quod & Optatus omiſit, Donatũ ſcilicet nihil moratũ, quod à tot iudicijs cõtra innocentem Cecilianũ condemnatus eſſet, Conſtantinũ iterũ appellaſſe: qui cõuocatis partibus Ceciliani & Donati apud Mediolanum, Ceciliani cauſam cognouerit, eumq; innocẽtem pronũciarit: Donati uerò factionẽ, utimprobiſsimam, execratus ſit: miſsis literis ad Romalium uicariũ Africæ, quibus teſtatus ſit, quòd remotis omnibus arbitris, Cecilianum innocentem, illos uerò calumnioſiſsimos cognouerit. Auguſtinus in collatione tertij diei cum Donatiſtis: & libro poſt collationem cõtra Donatiſtas. cap. decimoſexto: & epiſtola centeſima ſexageſimaſecunda.

Nec ſic tamen cum ſuis Donatus quieſcere potuit, ſed Ceciliani toties teſtata innocẽtia ſuperatus, uirus ſuum in Felicem, qui Cecilianũ ordinauerat, euomuit, atq; apud Imperatorem traditionis eum accuſauit: à quo cum ſit Cecilianus ordinatus, epiſcopus eſſe non poſsit. Mandat igitur Imperator Aelia no proconſuli, ut poſthabitis publicis negotijs, de uita Felicis inquirat. Is aſſumptis adſeſſe Magiſtratibus alijs, cauſam Felicis abſentis cognoſcit, eumq; innocentem hac ſententia pronunciat: Felicem ſcilicet religioſum epiſcopum, liberum eſſe ab exuſtione inſtrumentorum deificorũ, manifeſtum eſſe: cum nemo in eũ aliquid probare potuerit, quòd religioſiſsimas ſcripturas tradiderit, uel exuſſerit. Hanc fuiſſe ſententiæ formulam, Optatus indicat: & Auguſtinus lib. tertio contra Creſconium, cap. ſeptuageſimo. Quo in loco & exemplum recitat epiſtolæ Conſtantini ad Probeianum, de cognitione cauſæ Felicis, & abſolutione per Aelianum.

Atq; hanc fuiſſe ſeriem contentionum ex ſchiſmate Donati, per integrũ, eoq; amplius, ut uidetur, quadrienniũ, Optatus et Auguſtinus teſtantur, niſi quòd Auguſtinus uno in loco (libro ſcilicet cõtra Donatiſt. poſt collationem, cap. 33, ubi ſingularũ actionum tempora annotauit) pauliſper ab eo proceſſus ordina

ordine uariarit, cuius uerba adscribimus: Sicut consulum ordo declarat, primò Cecilianus episcopali iudicio Miltiadis est absolutus. Deinde, non post longum tempus Felicem proconsulis iudicio constitit esse innocentem: ac sic postea Cecilianus etiam ab Imperatore inter partes cognoscente, purgatus est. Deinde post annum aduersarij eius ignominiosa illa indulgentia relaxati sunt. Nam Miltiades indicauit, Constantino ter & Licinio iterum consulibus, nonas Octobris. Sed Optatus habet, Constantino quater, & Licinio ter Consulibus (is Christi fuerit annus trecentesimus decimus sextus, Constantini uerò tertius) Helianus Proconsul causam Felicis audiuit Volusiano & Ariano consulib. quintodecimo Calendas Martias: id est, post menses fermè quatuor. Constantinus ad Romalium Vicarium de purgatione Ceciliani scripsit, Sabino & Ruffino cōsulibus, 4 Idus Nouembris: id est, post biennium, & menses propè octo. Et idem Imperator ad Valeriū uicarium de illorum exilio soluto, & eorum furore Deo uindici mittendo, literas dedit, Crispo & Constantino iterum consulibus, tertio nonas Maias: id est, post quartum annum, & mensem fermè sextum. Vnde sine ullis ambagibus liquidissimè constat, nihil postea contra Cecilianum fuisse iudicatum: imò eum iudicijs uictorem aduersariorum & persecutorū suorum postea declaratum. Idem in epistola centesima sexagesimasexta, post hæc omnia ait Constantinum contra partem Donati seueriſsimam legem tulisse: quem secuti filij eius obseruari similiter præceperint.

Hæc de Schismate Africano Optatus Milevitanus, libro primo aduersus Parmenianum. Augustinus epistola centesima, sexagesimasecunda, cētesima sexagesimaquinta, & centesima sexagesimasexta: & libro tertio contra Cresconium Grammaticum, multis in locis, maximè cap. 27. 28. 40, & 70. Et in breuiculo collationum cum Donatistis, collat. primi & tertij diei. Et libro post collationem contra Donatistas, capite decimosexto, uigesimosecundo, trigesimosecundo, trigesimotertio, & sexagesimoprimo commemorant.

DE SCHISMATE *Meletij.*

QVæ extiterint causæ schismatis inter Meletium, quem episcopum ciuitatis cuiusdam in Aegypto, paulò ante insaniā Arij, factum Theodoretus scripsit libro primo, capite octauo: & Petrum Alexandriæ episcopum, qui successor datus Theonæ, anno (iuxta Eusebiū) Domini trecentesimo & quarto, aut altero aut tertio ante persecutionem Diocletiani, in qua tandem martyrio functus est, à scriptoribus non eodem modo explicatur. Nam Socrates tradidit libro primo, capite sexto, Meletium à Petro, propterea quòd in persecutione sacrificasset, episcopatu suo priuatum esse: & eam ignominiam illū indignè adeò tulisse, ut inimicitias quas in Petrum primùm gerere cœpisset, in successores etiam deinde eius Achillam & Alexandrum perpetuos exercuerit. Theodoretus libro 1. cap. 8, Thebaidem totam & Aegyptum tumultu & motibus Meletium cōpleuisse scripsit, sub Alexandro episcopo: aduersus quem tyrannico fastu & furore, arrogasse eum sibi ait autoritatem & potestatem decernendi honores Ecclesiasticos, quibus uellet in ijs locis & Ecclesijs, quæ ad Alexandri præsidentiam pertinerent. Idem etiam ex Synodi Nicenæ epistola colligi potest, apud Socratem, & Theodoretum lib. 1. cap. 9. Sozomenus libro primo, capite uigesimoquarto indicat, Meletium, cum Petrus martyr episcopus Alexandrinus, propter persequutionem fugisset, contrarias illi ordinationes surripuisse: & ob eam temeritatem, & propensionem quoslibet ordinandi, à Synodo Nicæna damnatum esse.

Affirmat & Epiphanius lib. 2. tomo 2. hæresi 68, Meletium relegatum in exilium, nihilominus per regiones singulas episcopos, presbyteros & diaconos constituisse, propriasq; ecclesias ædificasse: sed occasionem discessionis à Petro planè diuersam hoc modo exposuit. Meletium scilicet in cōmuni cum Petro carcere constitutum, in persecutione illa grauissima sub Diocletiano, lapsis qui ad martyres & confessores accessissent, ac se recipi per pœnitentiā petijssent, ueniam dandam esse negasse, ne hæc facilitas alijs quoq; lapsuum præberet occasionem: sed prorogādum illis esse plusculum temporis post finē persecutionis, ac tum demum cōcedendum locum pœnitentiæ, si eius ueros fructus ostendissent. Contra id uerò Petrum commiserationē eorum qui per infirmitatem lapsi erant, sedulò monuisse, ut ad pœnitentiam reciperentur, quemadmodum & maiorum doctrina tradidisset: ne simul à diabolo concussi, si serius reciperentur, penitus aliquando subuerterentur, nec sanarentur. Hinc igitur inter eos qui cum Petro essent, ac Meletio, sectam intercessisse, quæ post Petri etiam martyrium permanserit, illis qui à partibus essent Meletij, martyrum se ecclesiam appellantibus: his uerò qui cum Petro sentirent, ac ueteres ecclesias obtinerent, catholicam se Ecclesiam dicentibus. Hæc de occasione separationis inter Petrum & Meletium Epiphanius. Cuius narratio à Socrate & Theodoreto in eo etiam planè diuersa est, quòd nulla in Alexandrum acerbitate,

aut odio usum Meletium scripsit: adeò ut & in amicitia eum fuisse Alexandri, & Arium Alexandro à Meletio primum indicatum significarit, sicut & alibi retulimus.

Cum tamen proteruitatis, petulantiæ, seditionis & tyrannidis in Alexandri præsidentiam eum epistola patrum, in Synodo Nicæna, planè accuset, nec ulla uenia dignũ iudicet: sed indulgentia & lenitate Synodi, nihil grauius in eum à Synodo statutum esse indicet, quàm ut in urbe sua nudum honoris titulum obtineat: sed in nulla usquam regione potestatem ordinandi, & Ecclesiasticas dignitates conferendi habeat. Cum autem post synodum Nicænam Alexander esset in Ægyptum reuersus, Meletius ei reddidit ecclesias, quas sibi ipsi iniquè subiecerat, & in Lyco commoratus est. Sozomenus lib. 2. capite uigesimo primo.

DE SCHISMATE IN ORIENte super Paschatis obseruatione.

DIsidia ob inæqualem Paschatis obseruationem, apud alios atq; alios, quo tempore, & à quibus autorib. mota sint, suprà suo loco diximus. Cæterùm hic nunc monemus, adeò diuturnã eam fuisse dissensionem, ut in uno atq; altero seculo, nec prius quàm in cõcilio Niceno potuerit cõponi. Maximè aũt in Oriente malum hoc ecclesias exagitauit: quamuis communionem inter se retinerent, qui in Paschatis celebratione à se mutuò discrepabant. Autor Eusebius est libro tertio de uita Constantini, malum illud, ut iam longa uetustate confirmatum, ita tum maximè nocens Ecclesiarum tranquillitati fuisse, ac turbas multas dedisse: contendentibus alijs, Iudaicam obseruandã esse consuetudinẽ, alijs uerò asserentib. accuratum & certũ aliquod tẽporis momentum Paschatis celebrationi quotannis esse præfiniendum: repudiato more pessimæ gentis, & à gratia Euangelica alienæ: ac interea maximam ubiq; Ecclesijs perturbationem adferret hæc diuersitas, dum alij uno & eodem tempore ieiunijs & corporis castigationib. uacarent, alij festum anticipantes, ocio & recreationi operam darent.

Motus igitur non sine dolore ea uarietate Constantinus optimus Imperator, primũ in Orientem Osium misit, celeberrimum Hispaniarum episcopum, ut dissidentes super Paschate conciliaret. Sed cum rebus infectis Osius redijsset, & synodi indicendæ necessitatem Arij uesania Imperatori imposuisset, euenit, ut in synodo Niceæ congregata, secundo loco quæstio de Paschate proposita, & controuersia ea tota composita sit. Socrates libro primo, capite septimo: Sozomenus libro primo, capite decimosexto. Extat de hac compositione testimonium Synodi Nicænæ apud Socratem libro primo, cap. 9: & apud Theodoretum eodem lib. & capite, in epistola ad fratres per Ægyptum, &c. his uerbis. Annunciamus uobis de concordia sacratissimi Paschatis nostri, hanc partẽ quoque uestris precib. obtinuisse profectionem, ita ut omnes Oriẽtales intrepidè, quotquot non fecerunt prius nobiscum, & cum Romanis, ijsq; qui à primis temporibus obseruarunt, de cætero nobiscum celebrent.

SCHISMA NOVATIAnorum.

SChisma illud quod superiori seculo Novatus cum suis fecit, etiã hac ætate multis in locis durasse, nec Synodo Nicæna sanari potuisse, constat ex historia quam narrant Socrates libro primo, capite decimo: & Sozomenus libro primo, capite uigesimoprimo. Fuerat Acundo & tertio, in hunc modum. Fuerat Acesius Nouatianæ religionis apud Constantinopolitanos episcopus, à Constantino, ut qui omnium Christianorum saluti & concordiæ prospectum maximè uellet, ad Synodum Nicænam uocatus. Is interrogatus ab Imperatore, cum iam trãsacta essent, propter quę in synodum conuentum fuerat, omnia, ecquid sibi probarentur quæ acta essent? Respondit, probari quidem sibi omnia, quę patres de fide & Paschatis obseruatione constituissent: uerùm se tamen illis cõmunicare nõ posse. Rursus diligentius ab Imperatore rogatus, quid id esset igitur, quamobrem le separaret? Dissidium illud caulabatur, quod inter Nouatum & Cornelium sub Decio accidisset: sentiens communicatione mysteriorum indignos esse, qui sese post baptismum peccatis mortalibus reos fecissent. Quos ad pœnitentiam admitti quidem posse, uideri sibi ait: remissionis tamen spem à solo Deo expectandam. Cui Imperator iratus: Appositis ergo in cœlum, inquit, scalis ô Acesie, solus alcende. Qua uoce reprehensum & derisum sine dubio uoluit, & Acesij ipsius, & omnium Nouatianorum stultum & periculosum fastum, quòd homines cum essent, à peccatis sibi tamẽ alieni & immunes uideretur.

SCHISMA AEGYPTIORVM, ET inter Eustathium & Eusebium Pamphili.

IN narratione de synodo Nicæna Eusebius li. 3. de uita Constantini, pacatis omnibus ubiq; gentibus post synodum, solos Aegyptios inter se contendisse ait: quamobrẽ & synodum Imperator reuocarit, & dissidia illa composita sint. Verùm non exponit, qui bus in rebus Aegyptij inter se dissidere cœperint. Quare Socrates libro primo, capite 23. eum hanc ob rem reprehendit, & bilinguem uocat, eo quòd causas dissidiorũ nõ diserte explicarit. Cõmemorat autem ipse, se ex

ex uarijs epistolis quas episcopi sibi inuicem scripsissent, animaduertisse, uocem ὁμοούσιος coessentialis disidijs illis causam prębuisse. Alios enim id dextrè, alios siniſtrè accepisse, atq; ita quasi nocturnam pugnam etiam inter rectè sentientes excitatam esse. Nam eam uocem auersantes, uisos esse alijs, Sabellii & Montani errori consentire, & blasphemare, ac filij Dei substantiam tollere. Econtrà uerò eam uocem recipientes, uisos esse ad gentilisimum inclinare, & plures Deos asserere. Cæterùm neq; Socrates in loco citato, neq; Sozomenus (qui idem refert libro secundo, cap. decimooctauo) nomina episcoporum Aegyptiorum, qui in hac re dissenserint à se inuicem, annotant: sed alios duos qui non sunt Ægyptij nominant, Eusebium & Eustathium. inquit enim Socrates: Eustathius Antiochenus episcopus, Eusebiũ Pamphili proscindit, quasi Nicænam fidem deprauet: Eusebius contrà, Nicænam se fidem non transgredi dicit: sed Eustathium reprehendere, quòd dogma Sabellij introducat. Quapropter singuli, tanquam contra aduersarios, sententias suas cõscripserunt: & cum utriq; & filium Dei substantialem, & essentialem, & unum Deum in tribus personis esse confiteantur, nescio tamẽ quo modo factum sit, ut inter sese consentire nequiuerint, nec ullo pacto quiescere sustinuerint.

SCHISMA ANTIOCHIAE
ob exilium Eustathij.

Siue igitur hoc prætextu, quòd Sabellianismum defendere falsò putabatur: siue ob alias sycophantias, quarum unam Theodoretus retulit, ab Arianis paulo pòst in exilium Eustathius pulsus est. Magnam autem perturbationẽ hęc iniuria Eustathio facta attulit, & in duas partes populũ omnem diuisit. Maius uerò incendium deinde alterius episcopi excitauit electio, cum alij Eusebiũ Pamphili Cæsarea Antiochiam transferendum contenderent: alij restitui Eustathium flagitarent. Quæ res fecit, ut annis continuis octo Antiochenorum ecclesia episcopo caruerit. Plurimi uerò cùm ex plebe, tum ex sacerdotibus, Eustathio pulso, Ecclesiasticos conuentus deseruêre, & separati priuatim sine episcopo cõuenerunt, seq; Eustathianos nominarunt: nec redijsse quidem ad Ecclesiæ concordiam, ante obitum Theodosij Imperatoris, leguntur. Socrates libro primo, capite uigesimoquarto: Theodoretus libro primo, capite uigesimoprimo: Sozomenus libro octauo, capite terrio.

SCHISMA CONSTANTINOPOLITANUM
propter Arij restitutionem.

NOn ita diu ante obitum Constantini, imperij scilicet eius anno trigesimo, cum ex Imperatoris iussu Constantinopolim Arius Alexandria relicta ueniisset, ciuitatem omnem perturbatione repleuit: adeò ut à sese mutuò populus dissidens, in duas partes scissus sit: quarum altera pro Nicæna fide depugnans, nequaquam committendũ esse clamauit, ut maculam ei aliquam ex ueneno suo Arius affricaret: altera uerò respuisse Arium & rationabilia docere contendit. Venit tum in magnum periculum Alexander Constantinopoleos episcopus, maximè cum Eusebij Nicomediensis, Arii patroni, minæ de ejectione accessissent, nisi Arium & socios eius in communionem recepisset. Sed Arij paulo pòst prodigiosus exitus remediũ his malis attulit, & tranquillitati Ecclesiã Constantinopolitanam restituit. Hæc diu post Synodum Nicęnam cum Ario acta esse, compleo scilicet anno trigesimo Imperij Constantini, Socrates lib. 1. cap. trigesimoseptimo indicat. Sunt tamen, qui ea ante Synodum, & condemnationem Arij, sic accidisse putant: & probabiliter, & explicatius quidem ita narrari posse, ut ante Synodũ Nicænam facta esse intelligatur, neq; nos negamus: sed Socratis ordinem in recitanda historia sequi maluimus, cui etiam Theodoretus & Sozomenus assentiuntur.

SCHISMA ALEXANDRIAE.

POst Arii mortem Ecclesia Alexandrię in duas partes diuisa fuit, propter Athanasii exilium, quem synodus in Tyro iniustè damnauerat. Erat enim ab eadem synodo in Meletii locum constitutus Ioãnes quidam, ex Meletii familiaribus: quem sectabantur & extollebant illi, qui ab Athanasio alieni erant. Seditionem autem molestè ferens Imperator, Ioannẽ eum, ut qui autor esset multitudini ad dissidia & seditiones, in exilium eiecit. Sozomenus libro secundo, capite trigesimoprimo.

DE SCHISMATIBVS
sub Constantio.

SCHISMA CONSTANTINOPOLI.

NOn ita multo post Constantini mortem, Alexander quoque Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopus uita functus est. Quo tempore, cum inter se primùm diuisi essent Homousiani & Ariani, maiores tamen inter eos contentiones ob electionem ortæ sunt: Arianis hoc agentibus, ut mortuo Alexandro Macedonius successor surrogaretur:

garetur:illis uerò obtinere conãtib.ut Paulo episcopatus committeretur,quod & factum est:sed breui tempore pòst pulsus Paulus est, & in locum eius Macedonius ordinatus. Quæ res crebras & periculosas per ciuitatem perturbatiões excitauit, & seditiones bellis non dissimiles.Plebs enim in se ipsam utrin que impetum fecit, multorum cum interitu:cum & Hermogenes præfectus,qui Paulum expelli curauerat, ædibus prius suis incensis interfectus, & humi alligatus per ciuitatem tractus est. Sozomenus libro tertio, capite 4. & 7.

SCHISMA INTER ACAcium Cæsarienſem,& Cyrillum Hieroſolymitanum epiſcopos.

ORdinatus post Maximum, Ecclesiæ Hierosolymitanę episcopus, Cyrillus in contentionem uenit cum Acacio Cæsariensi,de primatu,quòd se Apostolicæ sedis episcopatum tenere Cyrillus diceret, quod ius & Acacius sibi arrogabat. Sectabatur autem Acacius Arianos:sed Cyrillus illis adhærebat qui homousion filium patri profitebantur. Ortis igitur inter utrumq; maximis inimicitijs,quibus plurimum malorum suæ unusquisque parti conciliauit,factum est,ut in synodo Seleuciana Acacius cum factione sua secessione facta,Cyrillum exautorarit, & Hierosolymis expulerit.Socrates lib. 2. cap. 39, & 43. Theodoretus lib. 2. cap. 25. Sozomenus lib.4. cap.25.

SCHISMA ANTIOCHIAE.

PRomiscui Eudoxianorum & Eustathianorum cœtus Antiochiæ,in ipsis Psalmorum cantionibus inter se dissentiebant, cum ad suam quisq; sententiam quod psallebatur, accommodaret. Tum uerò maximæ contentiones & seditiones tam cleri quàm populi ortæ sunt:cum Eudoxius sede Antiochena relicta Constantinopolitanam occupasset,ac dissidentium inter se quisq; quem suæ sententiæ esse sibi persuaderet,successorem Eudoxio dandum iudicaret. Sozomenus lib.4.cap.26.

Aliud ibidem,propter exilium Meletij.

Meleti⁹ aũt Antiochiã Sebastia translatus, cum præter Arianorum expectationem rectè de fide Nicæna sentiret ac doceret, & cum frustra ab Archidiacono in cœtu os eius manu obstructum esset, & ipse tribus digitis expansis, & in unum reductis, trinitatem demonstrasset,& uoce hortatus esset decretis synodi Nicænæ consentirent: ab ijsdem autoritate Imperatoris cui id persuaserant, exilio afficitur, atq; in eius locum Euzoius manifestus impietatis Arianæ patronus substituitur. Qua re offensa sanior populi pars Nicænæ consentiens,ab Arianis se seiunxit, & separatos conuentus habere cœpit. Theodoretus libro secundo,capite trigesimoprimo, & libro tertio, capite 4.

Aliud ibidem,Homousianorum & Meletianorum.

Aliud rursus confestim schisma ortum est inter eos qui hinc ab initio filiũ patri coessentialem esse rectè sentirãt, & Meletianos, qui in dogmate ab Homousianis non dissentirent:sed quibus illi communicare nolebant, propterea quòd Meletius ipse ab Arianis fuisset episcopus ordinatus, quiq; illi adhærebant,ab Arianis essent sacerdotibus baptizati.Sozomenus lib.4, cap.28.

SCHISMA MAGNVM ORIENTAlium & Occidentalium.

DIuisi à se mutuò in synodo ipsa Sardicensi Orientales & Occidentales episcopi,super Pauli & Athanasij causa,quos sedibus suis Synodus restituerat,in schisma atrox & diuturnum,quod ante Gratianũ certè & Theodosium non desijt, postea separati sunt: sic,ut non amplius communione inter se coniungerentur, sed diuulsus prorsus ab Occidente esset Oriens, constituto discremptæ inter Orientales & Occidentales communionis termino Tusce monte,inter Thraciam & Illyriam sito.Intra quem monté indifferenter communicabant, etiãsi in fide uariarent: ultra eum uerò communione inter se,ut antea fecerant etiam in dissensionibus circa dogmata, non utebantur. Socrates libro 2.capite uigesimosecundo: Sozomenus libro 3,cap.13.

MOTVS ROMAE PROPTER Liberium relegatum.

LIberium Romæ episcopum Constantius, propterea quòd Arianis consentire nollet,in exilium eiecerat. Quamobrem populus Romanus episcopi sui amans, seditionem ingentem illius nomine mouit, & ad cædes processit. Sozomenus libro quarto, capite undecimo,& decimoquinto. Quin & Felicem in Liberij locum substitutum tumultuosè expulit, & occasionem Liberio ie dẽ suã recipiendi prębuit.Socrat.li.2.cap.37.

SCHISMA MONACHORVM.

SVb Constantio,ut uidetur, licentiam sibi uiendi & impunitatẽ impij regis patrocinio nacta hæresis Ariana, cum ab Ecclesijs pij passim pastores pellerentur, quidam autem uel metu perculsi, uel simplicitate decepti,uel blanditijs & pecunijs expugnati, ad Arianorum communionem accederent, euenit ut & Nazianzeni pater simplicitate lapsus, Arianam religionem amplecteretur, idque chirographo suo Arianis dato testatus sit. Statim autem regionis eius circa Nazianzum monachi, certiores tam grauis

grauis lapsus facti, à communione eius se subtraxerunt: eosq; secuta est non parua populi pars, Gregorio (nam & sic uocabatur Gregorij Naziãzeni pater) indignata, & monachorum fidem ut rectiorem admirata. Magnum ex eo tum patris lapsu, tum plebis scandalo & diuisione, & incredibilem dolorem filius concepit: nec quietus esse potuit, priusquam & patrem suæ saluti reddidisset, & Ecclesiæ reconciliasset. Precatur cum lachrymis dies integras, noctesque: ac deinde patrem hortatur, ut ueniam lapsus sui ab Ecclesia petat, & ad ueritatis puram & synceram confessionem redeat. In quo cùm filio pater paruisset, ab Ecclesia receptus, & pristinæ dignitati restitutus est: ut ex uita Gregorij Nazianzeni constat.

SCHISMA CAESARIENSIVM.

MEminit prolixa narratione Nazianzenus in oratione de funere patris, motij tempore, ut uidetur, apud Cæsarienses, super electione episcopi: in qua inter se plebs diuisa, alios atq; alios, suo quisq; iudicio eligendos proposuerit. Tandem uerò communibus suffragijs quendam elegerit, præstantem quidem uirtutibus uirum, sed nondum baptizatum. Quem ui magis inuitum quàm uolentem rapuerit: coegeritq; episcopos, ut initiatum & expurgatum lauacro baptismatis quem legissent ipsi, episcopũ declararent. Quod & factum tum sit. Venisse autem in magnum periculum ciuitatem narrat, cum & præfectus simul ciuitatis & Imperator ipse electionem illam molestè tulissent: Imperatoris uerò etiam nomine, ac seu mãdato seu prætextu, electores tanquam accusati in iudicium uocati essent. Sed quibus, Imperatori scilicet, & præfecto, Nazianzeni pater plena ingentis animi epistola responderit: quæ tum Imperatoris ipsius, tum præfecti animum placauerit, & ciuitatem periculis omnibus liberarit.

Aliud ibidem.

Mortuum autem illum, posteaquam breui tempore episcopum egisset, narrat ibidẽ, nouæ seditioni occasionem dedisse, inter populum & sacerdotes: quam rursus Nazianzeni pater, tum scribendo, admonendo, exhortando, obtestando: tum longanimitate & tolerantia, cum electionem senis cuiusdã presbyteri improuisam damnarent illi, atq; autoriti ordinationis (patri scilicet Nazianzeni) conuiciarentur, ac maledicerent, sedarit.

DE SCHISMATIBVS sub Iuliano.

SCHISMA ANTIOCHIAE INTER *Meletianos & Eustathianos.*

ANtiochiæ separati ab Arianis utrique tum Meletiani tum Eustathiani, inter se tamen quoq; dissidebant adhuc, tametsi utriq; Nicænam fidem tueri & propugnare profiterentur. Schisma id quando, ac quibus de causis cœperit, suprà diximus. Hic illud adijcimus, neq; Eustathio mortuo adduci Eustathianos potuisse, ut cum Homousianis, qui post Meletij exilium, ordinationemq; Euzoij, separatos conuentus instituerant, se coniungerent. Atq; ut maximè Eusebius, & Lucifer rationem inuenire conciliandæ inter utrosque gratiæ & concordiæ conarentur, nihil tamen profecerunt: imò Lucifer, quòd absente Eusebio Paulinum Eustathianis episcopũ ordinasset, intempestiuo quasi quodam remedio dissidium illud & auxit, & diuturnum magis reddidit: adeò ut intra annos octogintaquinq;, ab anno scilicet Christi (ut uidetur) trecentesimo sexagesimosexto, ad annũ usq; quadringẽtesimum & quinquagesimũ, non sit sedatum: donec ijs temporibus laudatissimus Alexander episcopatum Antiochenum sortitus, factionem illam Eustathij, quod ante se nemo præstare potuerat, ad concordiam cum reliquo Ecclesiæ corpore reduxit. Theodoret. lib. 3. capite 4. & quinto: & libro quinto, cap. trigesimoquinto.

SCHISMA INTER LVCIFERVM *& Eusebium.*

ORdinauerat Lucifer, interea dum Eusebius Alexandriæ cum Athanasio de restituendo statu Ecclesiæ, quo cum de communi concordiæ efficiendæ studio & labore pactus fuerat, Paulinum, uti diximus, Eustathianorum episcopũ: quo duce factionis & antesignano antea usi fuerant, qui Eustathij se sectam esse perhibebant. Cum aũt Antiochiam Eusebius redijsset, & dissidentem adhuc populũ offendisset, facilè animaduertẽs quantum ad illud malũ augendũ & protrahendum Lucifer ordinatione Paulini addidisset, molestè illud sanè tulit: ac Lucifero succensus, naui illico conscensa in Occidentem redijt: eam tamen adhibens modestiam, ut de offensa illa nihil manifestè quereretur, neq; Luciferum accusaret, neq; illam ei infamiam conciliaret: sed synodi alicuius opportunitatem, qua remediũ malo huic idoneũ excogitari posset, expectaret. At Lucifer modestiã etiã eã Eusebij, cõtumeliã sui interpretatus, gratuiter illi uicissim succensuit: ac cũ sua parte cõmunicare detrectãs, irrita reddere conabatur, quæ in synodo Alexandriæ de Ecclesiæ concordia decreta fuerant. Attamẽ

quia ad Synodum eam diaconum suum miserat, significans per illum, amplexurum se quæcunque in Ecclesiæ utilitatem synodus statuisset, mouere nihil poterat. Consentiens igitur cum Ecclesia, in Sardiniam ad sedem suã reuersus est. Sed qui primùm eum eo offensi fuerant, post illum etiam ab Ecclesia seipsos separabant. Socrates lib. 3. cap. 9: Theodoretus libro tertio, capite quarto & quinto: Sozomenus libro quinto, cap. 13.

SCHISMA SEV PERTVRbatio Ecclesiæ sub Iouiniano.

MOs est hominum, ut foris oppugnati, domi in seipsos furere desinant: externis uerò malis liberati, minus sibi negotium facessant. Sic etiã à pugnis circa dogmata Ecclesiarum præsides quieti erant, cum à Iuliano Christianismo totus oppugnaretur. Eo uerò extincto, cum in Imperiũ princeps bonus ac pius succesisset, ad quæstiones & disputationes de fide redierunt. Basilius enim Ancyranus, Syluanus Tarsensis, & Sophronius Põpeiopolitanus, episcopi, ὁμοιούσιον pro ὁμοούσιον cõcionãtes, Imperatorẽ in sententiam suã, misso ad eum de fide libello, adducere conabãtur: sed id frustra fuit. Synodus enim interea Antiochiæ collecta sub anno Domini, iuxa Hieronymum, 367, Nicænam fidem cõfirmabat, missis ea de re literis ad Imperatorẽ. Ad quem Athanasius, seu spõte, seu accersitus, uenit: siue epistolam saltem misit, quæ inter opera Athanasij recensetur, sub titul. Epist. ad Iouinianum de fide: ac de necessarijs in religionis causa instruxit. Quãuis aũt nec sine insidijs id ageret, utpote Lucio & Euzoio Arianis apud Imperatorẽ eum deferẽtibus: uicit tamẽ, atq; ut primas hoc tẽpore fides Nicæna obtineret, tũ ipse, tũ synodus Antiochena effecerũt. Deferentib. enim & calũniãtib. Arianis, nec loci nec fidei quicq; Imperator reliquit. Sozom. li. 6. cap. 4. & 5.

DE SCHISMATIBVS SVB Valentiniano & Valente.

DVRATIO SCHISMATIS INter Homousianos Antiochiæ.

MEletium à Cõstantio in exilium actũ, sicut suprà ostẽdimus, Iulianus reuocauerat. Quãobrẽ & hoc adhuc tẽpore Homousiani, in dogmate concordes alioqui, inter se tamen gubernatorum causa dissidebant, quòd alijs Meletius, alijs Paulinus præsideret. Socrates lib. 4. cap. 1.

SCHISMA CIZYCI.

CVm autoritate Imperatoris Valentis, & episcopi Cõstantinopolitani Eudoxij, in sedem episcopalem Cyzici Eunomius cõstitutus, atq; inde Eleusius pulsus esset, ij qui Eleusio adhærebant, oratoriũ peculiare cõstruxerunt, ac seorsim conuentus Ecclesiasticos habuerũt. Ac paulo pòst Cyziceni uerborũ Eunomij fastũ nõ ferentes, tumultu facto, urbe eum expulerunt. Soc. lib. 4. cap. 7.

SCHISMA ARIANORVM Constantinopoli.

EVnomij præceptor Arius fuerat: quem ut Eudoxius reciperet, ab Eunomio sæpe rogatus erat. Id uerò cum Eudoxius facturum se recusasset, ab eo se Eunomius seiunxit, & conuentus seorsim fecit. Socrates lib. 4. capite 13.

SCHISMA ET TVMVLTVS Romæ ob electionem Damasi.

DAmasi post Liberiũ in episcopatũ successionem, perturbationem & seditionem Ecclesiæ Romanæ hac attulit occasione. Vrsinus quidã (ut eum Socrates, Sozom. uerò Vrsatiũ uocat) eiusdem Ecclesiæ diaconus, & ipse suffragia quorundã in electione habuerat. Cum aũt pluribus suffragijs episcopatus Damaso obtigisset, dolẽs ille se tam turpiter spe sua deijci, separatos conuentus extra Ecclesiam instituit: & simplicib. ac obscuris nõ nullis persuasit, ut episcopum se facerent. Ordinatus igitur in occulto basilicæ cuiusdam loco, episcopi nomen & autoritatem præ se fert. Quæ res continuò factioni & seditioni occasionẽ præbuit, populo inter se disceptanti, utri episcopatus administratio committenda esset. Venitur ex ea cõtentione ad manus & ad arma, multiq; trucidantur. plures tum laici, tum clerici à Maximino præfecto ad supplicia rapiũtur: & à conatu suo tandem Vrsinus depulsus, eos qui sequi se uelent, compescere coactus est. Socrat. lib. quarto, capite uigesimonono: Sozomenus libro 6. capite uigesimotertio.

SCHISMA MEDIOLANENSE.

IIsdem temporibus Auxentio Mediolanensiũ episcopo mortuo, cũ à se seductos multos reliquisset, nec pauci etiã qui rectè de fide sentirent Mediolani ciues essent, grauis perturbatio & dissensio inter utrosq; de alterius episcopi electione orta est: cum qui Auxentij sententiæ essent, suffragia illis ferrẽt quos suæ esse opinionis nossent: cæteri uerò ab Auxentij ueneno & factione alieni, suæ fidei cõsortes eligendos offerrent. Cõmittitur hæc cõcertatio frequẽtiæ populi in ecclesia: quã metuẽs Ambrosius prouinciæ præfectus ne in periculũ aliquod erũperet, properè ad ecclesiam adcurrit, sedandi tumultus gratia. Vbi cum pro re multa grauiter utiliterq; in cœtu dixisset, acquiescens ei populus eum, episcopum sibi dari expetit, & impetrat. Socrat. libro 4. cap. 30. Theodoretus lib. 4. cap. 6.

Aliud apud eosdem.

Sub Valentis Imperio, Basilius Cæsariensium electus episcopus, in periculum uenit, propter Eusebij ante ipsum ibidem episcopi insidias: qui populum ab eo alienũ fecit, &

& ab ecclesia repellere tentabat, cum factione sua quadam, quæ Basilium tanquam non legitimè, sed tyrannicè ad episcopatum euectum, criminabatur. Sed Eusebij conatus, ij qui Nazaræi & Ascetæ uocabãtur, quorumque prę ses & magister antea Basilius fuerat, non probabant. Sed grauiter ferentes, Eusebio laico posthaberi Basilij episcopatum, dissidium in populo excitare constituebant. Quod & tribus de causis perfacile illis erat: primùm, quòd in maxima apud omnes auctoritate & ueneratione iamdudum Basilius erat: deinde, quòd de Eusebio multi non recte sentiebant, nec eum prius, sed per tumultum ad episcopatum tractum esse sciebant: tertiò, quòd iam Cæsaream Roma uenerant Lucifer & Eusebius, qui contentiones illas inter Eusebiũ & Basilium ortas dirimerent. Sed Basilius tranquillitati ecclesię cõsulens, nec disceptare cum altero de præsulatu, nec autor ecclesię prius afflictę per Arianos, schismatis alicuius & perturbationis esse uoluit: sed in Pontum ad monasteria, Gregorij suasu, secessit. Maximè cum & populus ab Eusebio, ut cuius causa optim⁹ & laudatissim⁹ episcopus è medio cõcedere coactus fuisset, deficere, ac seorsim conuenire uoluisset.

Peruenit huius dissidij fama ad Valentem: qui Nicomedia relicta, Antiochiam profecturus, per Capadociam trãsijt, ut more suo, rectè ibi sentientes adfligeret, ecclesias q; Arianis traderet. Ad quod efficiendũ facilius, occasionem sibi sperabat fore dissidiũ, quod inter Basilium & Eusebiũ intercesserat. Sed spe sua frustabatur. Mox enim ut nunciatũ Basilio fuit, aduentare cum episcopis Arianis Imperatorem in Cappadociã, Ponto relicto Cęsariam Basilius redijt: & concordia atque beneuolentia cum Eusebio iuncta, ne quid in stabiliendo Arianismo Imperator posset, effecit. Sozom. lib. 6. cap. 15. Nazianzenus oratione funebri in Basilij laudem, & in Monodia de Basilij uita.

MOTVS ET SCHISMA IN *Armenia.*

BAsilius in epistola quinquagesimaoctaua ad Meletium, meminit turbæ & seditionis cuiusdam per Armeniam natæ, ex ordinatione Fausti cuiusdã episcopi: quem Anthimus neglectis iustis suffragijs alterius episcopi Cyri, cuius ad eam ordinationẽ auctoritas accedere debuerat, ad ecclesię gubernacula collocauerat.

PVGNA HIERONYMI ADVERSVS *Vigilantium.*

VIgilantius Bartilonensis ecclesię in Hispania presbyter, scripserat quædã parum reuerenter, ut Hieronymus exagitat, de martyrum reliquijs non colendis, & incontinentiã religiosorum, ut mox dicemus. Quod immoderatissimè homo natura acer & uehemens Hieronymus ferens, duobus eum breuibus scriptis adortus est: sed conuicijs magis et importunitate, quàm argumentis & rationibus pugnauit. quod & Gregorio uisum est, qui de scripto Hieronymi contra Vigilantium ita censuit: In Vigilantium ita conuicijs debacchatur Hieronymus, ut plusculum in eo modestiæ cogar desiderare. Vtinã argumentis duntaxat egisset, & à conuicijs temperasset. Sed Vigilantij ueras sententias, quas ut errores Hieronymus oppugnat, ex eodem commemoramus.

Ais Vigilantium (inquit ad Riparium) os fœtidum rursus aperire, & putorem spurcissimum contra sanctorum Martyrũ proferre reliquias: & nos, qui eas suspicimus, appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum hominum ossa ueneremur. Et in peculiari scripto aduersus Vigilantij librum: Exortus est Vigilantius, qui immũdo spiritu contra Christi spiritũ, Martyrũ negat sepulchra uenerãda, damnãdas dicit esse uigilias.

Et ex Vigilantij libro: Inter cætera uerba blasphemię ista quoq; dicit: Quid necesse est, te tanto honore, non solum honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico uasculo transferendo colis? Quid puluerem linteamine circundatum adorando oscularis? Propè ritum gentilium uidemus sub prætextu religionis introductum: in ecclesia, sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi: & ubicunque puluisculum nescio quod, in modico uasculo precioso linteamine circumdatum, osculantes adorant.

Et dicis in libello tuo, Quòd dũ uiuimus, mutuò pro nobis orare possumus: postquã autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: præsertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiuerint. Qua in re proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ à te & similibus tui legitur: ubi scriptum est, quòd pòst nullus pro alijs audeat deprecari.

Et posthæc de barathro pectoris tui cœnosam spurciciem euomens, audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ martyrum, & circumuolant eos, semperq; præsentes sunt, ne fortè si aliquis peccator aduenerit, absentes audire nõ possint. Et in epist. ad Ripariũ, conatur contra sanctorũ ieiunia proclamare.

Hæc omnia quę de martyrũ superstitioso cultu & ueneratione bene & piè Vigilãtius fortè scripserat, impetit: sed rationibus, ut diximus, parum firmis, primùm in epistola ad Riparium presbyterum, qui Vigilantium sic sentire Hieronymo prodiderat: & in scripto aduersus Vigilantium, quod biennio post epistolã scriptã Ripario editũ est, quem-

admodum ipse Hieronymus indicat. Deinde & hæc à Vigilantio hæreticè dicta adijcit: nempe, nunquam nisi in Pascha Alleluia cantandum esse: Continentiam hæresin, & pudicitiam libidinis seminarium esse. Et proh nefas, episcopos sui sceleris dicitur habere censores, qui non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam: & nisi prægnantes uiderint uxores clericorum, infantesq; de ulnis matrum uagientes, Christi sacramenta non tribuunt.

Præterea ijsdem ad me relatum est epistolis, quòd contra autoritatem apostoli Pauli, imò Petri, Ioannis & Iacobi, qui dextras dederũt Paulo & Barnabæ communicationis, & præceperunt eis ut pauperum memores essent, tu prohibeas Hierosolymam in usus sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi. Et asseris eos melius facere, qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarũ pauperibus diuidunt: quàm illos, qui possessionibus uenundatis, semel omnia largiantur. Et: A' suo studio monachos deterres lingua uiperea, de quibus argumentaris & dicis: Si omnes se clauserint, & fuerint in solitudine, quis celebrabit ecclesias? quis seculares homines lucrifaciet: quis peccantes ad uirtutes poterit cohortari?

Pugna eiusdem aduersus Ioannem Hierosolymitanum.

Erat in suspicione Ioannes Hierosolymorum episcopus, quòd Origenis & Arianorum dogmatibus esset infectus: proinde ab huius communione Hieronymus abstinebat. Congregato autem super hac re, sub Epiphanio, monachorum & presbyterorũ concilio apud Antiochiam, efflagitatus est Ioannes, ut se purgaret de suspicione & infamia hæreseos. Is diu tergiuersatus, tandem misso quodam, sed sine literis, magis auxit suspicionem malæ conscientiæ. Hunc igitur in epistola ad Pammachium magna libertate prouocat, ut apertè aut hæresin suam profiteatur, aut Christianum se esse declaret.

Dissidium uehemens inter Ruffinum & Hieronymum.

Cuiusmodi fuerit prima inter Hieronymum & Ruffinum simultas, animaduerti ex Hieronymi scriptis non potest: sedatam tamen fuisse, sed postea recruduisse, & in iurgia ac scurrilitatem propemodum, uel histrionibus indignam desijsse, ex utriusq; scriptis intelligitur. Certè Ruffinum interitum Hieronymo comminatum fuisse, ex Hieronymi apologia constat. Extant duo libri inuectiuarum Ruffini ac Hieronymi inter opuscula Hieronymi, tomo secundo, maledicentiæ & dicacitatis plenissimi: quibus, tribus libris inscriptis titulo Apologiæ, Hieronymus respondit: ex quibus criminationes & uirulentias eas, qui uolent, petant.

Videtur autem, ob nimias Origenis laudes, Ruffinus eum hæreseos Origenicæ insimulasse. Sic enim in principio apologiæ primæ Hieronymus: Rogo quis est iste (Ruffine) dolor? quid æstuant? quid insaniunt? Quòd præconem repuli figurarum? quòd nolui me subdolo ore laudari? quòd sub amici nomine, inimici insidias reprehendi? Frater & collega in præfatiuncula uocor: & satis apertè exponuntur crimina mea, quòd scripserim, quibus in cœlum Origenem laudibus leuauerim, &c. Ac paulo pòst: Quia renui laudatorem, & uerso stylo docui meno esse, quod meus necessarius prædicauit, dicitur furere, & tres contra me libros uenustate Attica texuisse, eadem accusans quę antè laudauerat, & obijciens mihi in translatione Origenis nefaria dogmata.

Deinde & à sectatoribus Ruffini obiectum sibi fuisse narrat, quòd Origenis libros περὶ ἀρχῶν noxios, & fidei Ecclesiasticę repugnantes, in latinum sermonem trãstulisset. Quod se fecisse adductum literis Pammachij, aliorumq;, Hieronymus respondet, ac se hæreticum à Ruffino àppellatum indicat. Postea ad illa transit, quæ in scriptis suis Ruffinus reprehenderat: ut uersionẽ illam in psalmo secundo, pro Apprehendite disciplinam, aut Deosculamini, Adorate purè. Et quæ in cõmentarijs in epistolam ad Ephesios carpserat, ex quib. sex adducit locos à Ruffino reprehensos, quos excusat.

Inde quædam ex apologia Ruffini, quam ad Anastasium Romanum episcopum scripserat, Hieronymus exagitat, & acerbissimè refutat: ut quòd de origine animæ parum recte scripserit: quòd Origenem uiciose transtulerit: quòd scelerato & impudenti mendacio in frequenti fratrum cœtu iactauerit, se sex millia Origenis librorum euoluisse, cum in indicibus librorum Origenis uix tertia pars eius summæ reperiatur.

Obiter & ad illa respondet, quòd hominem se Ruffinus maledicum, omnium detractatorem, & præceptorum suggillatorem dixerat: pro quibus conuicijs Ruffinum uicissim imperitum criminatur, qui triginta annis in Oriẽte uersatus, in literis nihil profecerit: scriptorem illiteratum, qui procacitatem & maledicentiam in omnes, signum æstimet bonæ conscientiæ.

Postremò regerit in Ruffinũ, idem quod antè ipse Ruffinus uitio uerterat: quòd uidelicet Origenis libros de principijs & blasphemijs eius in totũ orbem euulgarit: ac Eusebij primũ librũ defensionis Origenis, sub nomine Pamphili martyris falsò ediderit. Hieronymº in præfatione aduersus Pelagianos.

Odium

Odium autem illud uirulentum inter utrunq; in multas regiones fuisse peruulgatum ex Hieronymi Apologia apparet, ubi: Vnde, inquit, librorum meorum ad te fama peruenit? Quis eos Romę? quis in Italia? quis in Dalmatia disseminauit? Vtrum uerò disidium illud cessarit, & rursus in amicitiã coierint ambo, literis non est proditum.

DE SCHISMATIBVS SVB Gratiano & Theodosio.

SCHISMA ANTIOCHIAE PROPTER *Meletium.*

POst reuocationem episcoporum exulãtium à Iuliano cõcessam, Meletius quidem redijt: sed paulo pòst à Valente iterum iectus, à Gratiano tandẽ reuocatus est. Cum igitur Antiochiam redijsset, ubi Paulinus senio iam confectus, & lassus Ecclesię præerat, omnes qui partium eius erant, hoc agere incipiebãt, ut eum in ecclesiastica gubernatione Paulino socium adiungerent. Negat Paulinus, per canonem, eum qui ab Arianis ordinatus sit, sociũ Episcopatus recipi posse. Vrget econtrà populus uehementer, & Meletium in ecclesia quadã extramurana episcopum creat. Id autem factum in multas contentiones abijt. Sed tamen post graues disceptationes, populus dissidens ad cõcordiam tandem hoc modo reducitur. Lectos communibus suffragijs ad episcopatum, si Paulinus decessisset, sex, inter quos & Flauianus fuit, iuramentis obstringũt, ne uno ex duobus, Paulino scilicet et Meletio, simul episcopatũ administrantibus, mortuo, aliquis eorum successionem adfectet, sed alterũ superstitem adhuc sedem retinere sinant. Quibus interpositis iuramentis ad concordiã populus rediit, nec amplius dissensioni studuit: exceptis paucis Luciferianis, qui ob id adhuc dissidebant, quòd ab Arianis, quemadmodum dictũ est, ordinatus esset Meletius, Socrat. lib. 5. cap. 5. Sozom. lib. 7. cap. 3.

ALIVD IBIDEM INTER PAVLINVM, *Meletium, Apollinarem & Flauianum.*

POtitus uniuerso Romanorum Imperio Gratianus, exigi ecclesijs Arianos præcipit: eos uerò restitui, ijsq; tradi ecclesias, qui Damaso Romano episcopo communicarent, iussit. eius legis executionem mandat duci Sapori. Antiochiæ autem tum, ut diximus, inter se dissidebant, ac separatos cõuentus habebant Paulinus & Meletius. Intea uerò & tertia quędam eruperat factio, Apollinaris nimirum Laodiceni, qui rectè sentire ab omnibus existimatus, absurda tamen de Dei natura, & anima humana non sanauanda nugabatur: alia item, de quibus suo loco suprà dictum est. Venit igitur eò Saporres: ac conuocatis Paulino, Apollinare, Meletio & Flauiano, sapientissimo presbytero, Imperatoris legem proponit, interrogãs singulos, utrum Damaso communicarent? Respondit ibi primùm Paulinus, esse se partiũ Damasi: quod & Apollinaris, maliciã suam obducens, affirmabat. Conuersus uerò ad Paulinum Flauianus: Si Damaso, inquit, cõmunicare te dicis, age proba nobis, te in doctrina idem cum Damaso sentire, qui unius essentię tres hypostases confitetur, tu contrà substantiarum tollis trinitatem. Apollinari deinde dixit, eius se demirari impudentẽ orationem, quòd se de communitate Damasi esse respondisset: cum nihil minus faceret, quàm eadem cum Damaso doceret. Etenim Damasus, inquit, ita semper docuit, integrã naturam nostrã assumpsisse filium Dei: quibus tu contraria perpetuò doces, & animam nostram salute priuas. Atq; hoc modo utriusq; simulationem Flauianus coarguebat. Sed & Meletius, placidè compellato Paulino: Inter oues, inquit, nostras cùm sit communitas, nos de gubernationis iure contendimus. Age igitur, Pauline, iungamus caulas nostras, & deponamus contentionẽ magisterij. Quod si ego prior te discessero, esto tu solus ouium pastor: Sin te priorem Dominus euocauerit, suscipiam ego gregis nostri curam pro uirili mea. Quæ oratio cùm Paulino non probaretur, dux ecclesias commendauit Meletio: Paulinus uerò suum cœtum, cum quo sese iam olim à Meletio seiunxerat, retinuit: Apollinaris uerò præsulatu suo priuatus est. Theodoret. lib. 5. cap. 3 & 4.

SCHISMA VITALII, PRESBYTERI *Antiocheni.*

INterea uerò ad Apollinarem, relicta communione Meletij, de cuius grege primùm fuit, Vitalis Antiochenus presbyter defecit: eumq; in confirmando dogmate, quod non amplius dissimulanter, sed apertè profiteri & tueri Apollinaris cœperat, adiuuit. Defectionis autem eius causa fuisse creditur sic satis friuola: offensa scilicet & simultas quædam inter Vitalem ipsum & Flauianũ, quæ inter eos, cum presbyterio uterq; fungeretur, intercesserit, quòd Vitalem pro consuetudine episcopum quendã inuisere cupientem, Flauianus prohibuerat. Quod ignominiæ & contemptus sui loco ducens Vitalis, Flauiano indignatus, ad Apollinarium transijt, illiq; & cõmunione & amicitia sese adiũxit, & præsidẽ se factioni eius cõstituit, quæ Vitaliana Antiochiæ postea appellata fuit. Ex quo loco in alias etiã ciuitates factio illa scelerata deinceps se effudit, et separatim sub proprijs episcopis ecclesias collegit, usa ritibus à Catholica Ecclesia alienis: interq; eas, mensuratis quibusdã, & ab ipso Apollinario inuen-

inuentis cantiunculis. Damnata autem tota hæc est hæresis tandem à synodo Romæ, à Damaso & Petro Alexandrino celebrata. Sozomenus libro sexto, cap. uigesimoquinto.

SCHISMA ALIVD IBIDEM, EX *eoq; rursus aliud deriuatum in Orientales, Aegyptios & Romanos.*

MOrtuo autē Meletio, Flauianus propter multa præclara in ecclesiam merita, in locum eius eligitur. Quod cum contra iusiurandum datum, de quo suprà diximus, fieri uideretur (Paulinus enim in uiuis adhuc erat) perturbationem ecclesiæ Antiochenæ attulit, ut multi se à cōmunione Flauiani subtraherent, & cum Paulino coniungerent. Atq; hæc quidem distractio tum accidit Antiochiæ. Inde uerò ad Aegyptios, Arabes & Romanos sese extendit: inter quos, & Orientales, propter eam ipsam Flauiani ordinationem uehementes & diuturnæ intercesserunt inimicitiæ, per annos decem & septem continuos. Neq; enim post Paulini etiam obitum extinctæ sunt, etiamsi illegitima ordinatione ei successisset Euagrius. Crebris igitur querelis & accusationibus in Flauianum, Imperatoris aures obtundentes Romani & Aegyptij, effecere primùm, ut Constantinopolim uenire Flauianum, inde uerò Romam, ad dicendam causam suam, iuberet. Venit Constantinopolim Flauianus, ad Imperatorem: Romam ire se posse, cum hyems sit, negat: attamen se primo uere imperata facturum pollicetur. Antiochiam igitur tum reuertitur. Interea pluribus annis Damasus, eumq; secuti Siricius & Anastasius, pium Imperatoris animum uehementius tentantes, obiurgant eum, Quòd cum tyrannos resistentes sibi quacunq; posset occasione ulcisci soleat: iniusta tamen & flagitiosa contra Christi leges machinatos, impunitos relinquat. Tum igitur Romam adire Imperator Flauianum coegit. Venit eò, & causam suam coram Imperatore consueta dicit libertate, hoc modo: Si quibus aut fides mea, aut uita, ut episcopo indigna, suspecta est, & culpanda uidetur, feram ipsorum de utraque re iudicium, & sententiæ eorum acquiescam. Sin de præsidentia certamen est, ac sunt fortasse qui sedem meam expectant, nihil repugno, quin tu Imperator, cuicunq; uoles, eam tradas. Hanc eius libertatem admiratus Gratianus, ad ecclesiam suam eum redire iubet.

Cæterum episcopi Flauiano infensi, multo pòst querelas iterum ad Imperatorem deferunt, indignum esse obijcientes, Flauiani tyrannidem ferri. Sed Imperator ait, se patronum esse causæ Flauiani: dicerent ergo sibi, quod nam tyrannidis genus Flauianus exerceret? Negant illi, licere sibi, aut posse etiam, cum Imperatore contendere. Quo responso cum satis testarentur, malam sese urgere causam, nec habere quod in Flauiano meritò reprehenderent, graui eos Imperator oratione ad concordiam exhortabatur: utq; contentiones nō necessarias missas facerent, ac ecclesiarum concordiæ studerent, admonebat. Paulinum enim, cuius gratia turbas mouerent, iamdudū mortuū: Euagrium autem, parum honesta & cōpetenti ratione in eius locum substitutum esse. Præterea & illud uiderent, omnes ecclesias Orientales, Ponticas, Illyricas, Flauiani præsulatum approbare: cumq; eo facere Syros, Palæstinos, Phœnices, Armenios, Cappadoces, & Galatas. Hac deliniti oratione Occidentales, redituros se cum Flauiano in gratiam pollicentur, inimicitiasq; deposituros, si tamen legationem ad eos Flauianus misisset. Flauianū certiorem eius responsi Imperator facit. Qui nō cunctatus, episcopos, presbyteros, ac diaconos probatos, inter quos primus Acacius fuit, Berrhœę in Syria episcop⁹, Romā misit: ubi schisma hoc post annos decē & septem compositū est, quo tempore Romanæ ecclesiæ præerat Innocentius. Aegyptij uerò, postquā Romanos cum Orientalibus cōiunctos esse cognouissent, et ipsi odijs depositis, Flauiano consenserunt. Socrat. lib. 5. cap. 9. Theodoret. lib. 5. cap. 23. Sozom. lib. 7. cap. 11.

Aliud ibidem.

Socrates libro eodem, cap. 15. post Euagrij obitum dissidiū Antiochenæ plebis quoddam exortum narrat: cum id ageret Flauianus, ut eam populi partē cui Euagrius præfuerat, sibi subijceret: illi autem qui sub Euagrio fuerant, Flauiani periurium detestati, seorsim conuenirent.

SCHISMA CONSTANTINOPOLITANUM.

PRopter translationem Gregorij Nazianzeni ad episcopatū Constantinopolitanum, episcopi Aegyptij secessionem fecere. Postquā uerò Meletius, qui Nazianzeni episcopatū Constantinopoli cōfirmauerat, mortuus esset, Timotheus episcopus Alexandrinus in locū Gregorij Maximū quendā Cynicum Apollinaristā substituit. Quo factū est, ut diuersorū locorū plurimi episcopi ab Aegyptijs separati, cum Nazianzeno solennes cōuentus celebrarint. Ad quos usus tandē Gregorius cōposita ad pacē cōciliandā placidissima oratione, effecit, ut in ipsius locū Nectarius eligeretur, Maximus uerò abdicaretur. Theodoretus lib. 5. cap. 8.

Aliud ibidem Arianorum.

Constantinopoli Ariani ecclesias, quas annis quadraginta obtinuerant, Consulatu Gratiani quinto, & Theodosij primo, Imperij Theodosij à Gratiano in regni cōsortium asciti

asciti anno secundo, Christi uerò trecentesimo octuagesimoquarto, deseruerunt: & cõcaſione. Venerat eò Theodoſius, pacem & concordiam eccleſijs conciliaturus. Præerat autem tum Arianorũ eccleſijs Demophilus. Eum ad ſe accerſitũ Imperator rogat, utrum poſsit ac uelit, concordię ſtabiliendæ gratia, Nicenam fidem & ipſe amplecti. Neganti autem reſpondit: Si pacem ergo & cõcordiam fugis, ut eccleſias etiam deſeras ac fugias tibi impero. Tum Demophilus reputans ſecum, quòd omnino periculo non careret, ſi potentiori quis ſe opponeret, Arianorũ cœtum cõuocat, & ad eum in hanc ſententiam concionatur: Scitis ſcriptum eſſe in Euangelio fratres: Si uos perſecuti fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliã. Sed iam Imperator nos ciuitate & eccleſijs expellit, craſtino igitur die conueniendũ uobis eſſe extra ciuitatem ſcitote. Atq; ſic egreſſus poſtero die eſt, cum Lucio, qui pridem Alexandria eiectus Conſtantinopolim perfugerat. Socrat. lib. 5. ca. 7.

CAPVT IX.

DE SYNODIS.

DE SYNODIS SVB DIOcletiano.

SINVESSANA.

MEMINERVNT autor tomorum Conciliorum, & alij quidam ſcriptores, Synodi Sinueſſanę, congregatæ octauo Diocletiani anno, circiter Chriſti uerò annum trecenteſimum decimumſeptimũ. Cuius tamen neq; Euſebius, neq; probatiorum ſcriptorum quiſquam mentionem ullam fecit. Sed nec illi ipſi qui ſynodum Sinueſſanam annotarũt, cauſam ullam aliam, propter quam congregata fuerit, adiecerũt, quàm quòd Marcellinum epiſcopũ Romanũ, quòd in perſecutione à Diocletiano coactus ſacrificauerat, damnatũ eſſe prodiderũt.

Conueniſſe autem in eam ſynodum epiſcopos trecentos, presbyteros triginta, diaconos tres, liber Conciliorum teſtatur: qui primùm presbyteros tres, & diaconos duos, qui cum Marcellino ſacrificauerant, teſtibus in medium adductis, condemnarint: Marcellinum autem, à teſtibus quatuordecim accuſatum, ſeipſum ſeſe condemnare iuſſerint. Qui primũ negarit quidem: productis uerò deinde teſtibus conuictus, lapſum confeſſus ſit, & condemnatus, primusq; manu propria anathemati ſuo ſubſcripſerit.

Atq; hæc ferè ſumma eſt eorum quæ de ea ſynodo liber ille indicauit. Cęterùm eos qui aut perſonarũ nomina, aut ordinem totius actionis, prolixè et confuſe narratam deſiderant, ad eum librũ & autorem remittimus. Hoc uerò interim monemus, Bergomẽſem, & Sabellicũ Ennead. 7. lib. 8, ab ea narratione quæ in tomo primo Conciliorum extat, plurimũ diſcrepare. Nam lib. 8, indicat, hunc Marcellinum poſt ſacrificationem pœnitentia ductum, Sinueſſam omni cunctatione abiecta properaſſe, ibiq; concilium centum et decem & octo epiſcoporum indixiſſe, & coram ipſis lapſum ſuum pœnitentia correxiſſe. Idem et de actionis proceſſu adhunc modum ſcribit: Marcellinus ſqualidus et cilicijs indutus ueniens, peccatum ſuum omnibus aſtantibus cum lachrymis confitens, pro ea inconſtantia debitam pœnam ſibi tribui expoſtulauit. Sed illi renuentes dixerũt: Et Petrum apoſtolum ea ratione peccaſſe, ſed flendo peccati maculã eluiſſe. Tu ergo, inquiũt, te ipſum iudica. At ille: Adiudico, ait, meipſum deponendum. & ex nunc anathemati zo, quicunque poſt mortem meam corpus meum ſepulturę tradiderit: affirmans, ob negatam Chriſti fidem, nequaquã ſe ſepulturam mereri. His dictis, & concilio ſoluto; Romam iratus Marcellinus rediens, Diocletianum adijt, eumq; increpauit, quòd dijs ſe ſacrificare impuliſſet. atq; ita Chriſtianum ſe eſſe animo cõſtanti confeſſus, capitis damnatus eſt. Sed hæc narratio, cum ea quæ in libro Conciliorum extat, prorſus non conuenit. Ibi enim dicitur, Marcellinũ bis negaſſe, & tertio demum actu teſtibus conuictum, crimen & abnegationem confeſſum eſſe.

DE SYNODIS CIRCA IMperium Conſtantini.

ANCYRANA.

AVtor libri Conciliorum ait, celebratam fuiſſe ſynodum Ancyranam circa annum trecenteſimum octauum, nõ diu ante Nicęnam ſynodum, ut uulgò putatur: idque ex ſubſcriptionibus quorundam, qui utriq;, & Ancyranæ uidelicet & Nicęnæ, ſynodo interfuerunt liquere. Sed qua occaſione aut neceſsitate coacta fuerit, expreſſe non eſt proditum memoriæ. Decem & octo ad eam conueniſſe epiſcopos, autor libri Conciliorum aſsignat, ſubiectis eorũ nominibus: ut ſunt, Vitalis Antiochenus Syriæcœles, Agricolaus Cæſareæ Palæſtinę, Marcellus Ancyræ Galatiæ primæ, Lupus Tarſenſis Ciliciæ, Baſilius Amaſenꝰ Helleſpõti, Philadelphius Iuliopolis Galatię primę, Euſtolus Nicomedię Bithynię, Heraclius Zelẽſis Armenię maioris, Petrus Leoniẽſis Lycaonię, Nunechius Laodiceę Phrygię Pacatianę, Sergianus Antiochię Piſidię ſiue Carię, Epidaurus Piſidẽſis Pamphyliæ, Narciſſus Neroniadis Ciliciæ, Leõtius Cæſariẽſis Cappadocię primæ, Longinus Neoceſareẽſis Põti Polemoniaci, Amphion Epiphaniæ Ciliciæ ſecũdæ, Sala-

Salamenus Germanicię Cœles Syrię, Germanus Neapolis Palæstinæ.

Canones autem ab illis institutos uiginti quatuor profert, eorumque autorem fuisse Vitalem Antiochenum affirmat. Canones ijdem græcè extant, hoc ordine & numero.

1. Presbyteros, qui immolauerũt, & postea certamen iterum inierunt, si hoc ipsum ex fide, & non aliquo argumento sibimet præparantes egerunt, ut iterum teneri uiderentur, aut tormentis subijci putarentur, tanquã inuiti: si ex fide ergo luctati sunt, & non ex cõpacto, ad ostentationem, ut caperentur, ipsi fecerunt: hos, placuit, honorem quidẽ sedis propriæ retinere: offerre aũt illis, & sermonẽ ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officijs fungi, non liceat.

2. Diaconos similiter, qui immolauerunt, postea autem iterum reluctati sunt, illũ quidem honorẽ habere oportet: cessare uerò debere ab omni sacro ministerio, ita ut nec panem, nec calicem offerant, nec pronuncient: nisi fortè aliqui episcoporum conscij sint laboris eorum, & humilitatis, & mansuetudinis, & uoluerint eis aliquid amplius tribuere, uel adimere. Penes ipsos ergo erit de his potestas.

3. Qui fugientes timore persecutionis, cõprehensi sunt, uel à familiaribus, seu à domesticis traditi, uel bona propria amiserunt, uel sustinuerunt tormenta, uel etiam carceribus inclusi sunt, & tamẽ proclamauerunt se esse Christianos: quinetiam perseuerante uiolentia ad id usq; perducti sunt, ut manus eorum apprehensas, & uiolenter attractas, super sacrificia imponerent: illis licet perseuerantibus in fide, & Christianos se esse uociferantibus: hoc ergo quod eis inuitis, & alijs cogentibus, contigit, si luctu & mœrore animi acerbè se ferre demonstrent, ipsique humili per bonam conuersationem habitu inceden tes, dolere se quod inuiti coacti sunt, doceant: hos tanquam inculpatos, à communione non uetari. Si autem iam prohibiti sunt ab aliquibus à communione, maioris diligentiæ & inquisitionis causa, aut per aliquorum ignorantiam, statim recipi oportet. Hoc autem obseruari oportet & de clericis, & de laicis omnibus. Laicos sanè, qui in similes necessitatis causas inciderunt, tanquã si nihil peccauerint, maximè si eos probabilis uita commendet, ad ordinationem recipi placuit.

4. De his qui sacrificare coacti sunt, & insuper in templis idolorum cœnauerunt, si qui eorum cum habitu cultiore ad templa producti sunt, atque ibi precioſiori ueste adhuc mutata, cœnæ participes facti sunt idolorũ, indifferenter sumentes omnia quæ fuerunt apposita: placuit, eos inter audientes uno anno constitui, tribus autem alijs annis agere pœnitentiam: sed ex ipso triennio per biennium tantummodo orationi communicare, tertio autem anno reconciliari sacramentis.

5. Quotquot autem ascenderunt templa cum ueste lugubri, & recumbentes interalios manducauerũt, flentes, si compleuerint pœnitentiã triennij temporis, sine oblatione susciptiantur ad communionem: id est, ut ipsi oblationẽ nõ offerant. Si autem perducti ad templa, non manducauerunt, biennio maneant in pœnitentia: tertio uerò anno cõmunicent, sed sine oblatione, ut dictum est. In quarto autem anno perfectionẽ suam recipiant. Episcopũ autem hanc habere licentiam oportet, ut perspecta singulorũ cõuersatione, normam regulamq; conuersationis atribuat: id est, ut humanius agens, secundũ uitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breuius, aut etiam prolixius, quod correctioni necessarium uiderit, assignet. Discutiatur autem omnium horum & præcedens uita, & posterior: & ita circa eos sacerdotalis se humanitas moderetur.

6. De his qui minis tantum cesserunt, aut bonorũ ablatione, aut transportationis pœna deterriti sacrificauerunt, & nunc usq; nõ pœnituerunt, neq; conuersi sunt: modò autem, id est, tempore huius synodi se obtulerunt, conuersionis suæ consilium capientes: placuit, eos usq; ad magnum diem interaudientes suscipi, ac pœnitentiam agere triennio, & post duos alios annos sine oblatione communicare: & ita demum sex annis completis, ad perfectũ uenire. Quod si aliquante hoc conciliũ susceptí sint ad pœnitentiã, ex illo tempore imputabitur eis initium sexennij cõstituti. Quod si alicui horũ quodlibet mortis periculum, aut ex ægritudine, aut ex aliqua causa acciderit, his communio propter uiaticum suum non negabitur.

7. De his qui in festis diebus paganorum, in remotis eorum locis, conuiuijs interfuerunt, & suas nihilominus epulas illuc portauerunt, & comederunt: placuit, ut post biennij pœnitentiam susciptiantur: ita tamen, ut utrum aut cum oblatione recipiendi sint, an ad solam communionem admitti debeant, unusquisque episcoporum examinet uitam eorum, & præterita ac præsentia debita consideratione perpendat.

8. Hi autem qui secundò uel tertiò sacrificauerunt, ui coacti, quatuor annis sese ad pœnitentiam submittant, duobus autem alijs sine oblatione communicent, septimo anno perfectionem recepturi communionis.

9. Quotquot autem non solũ à fide Domini deuiarunt, sed etiam insurrexerunt in alios, & fratribus persuaserunt, & rei facti sunt

sunt persuasionis, hi per triennium quidem inter Catechumenos habeantur, per aliud autem sexennium pœnitentiæ recipiant locum: alio uerò anno, id est, decimo, communionem sine oblatione recipiant, ut completo decennio, perfectione fruantur. In eo autem ipso tempore, etiam uita eorum & conuersatio consideranda est.

10 Diaconi quicunq;, cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes uelle se habere uxores, nec posse se continere, hi postea si ad nuptias uenerint, maneant in ministerio, propterea quòd his episcopus licentiam dederit. Quicunq; sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionē, professi continentiam, si postea ad nuptias uenerint, à ministerio cessare debebunt.

11 Desponsatas puellas, & postea ab alijs corruptas, placuit erui, & his reddi quibus fuerant antea desponsatæ: etiam si à raptoribus florem pudoris sui amisisse constiterit.

12 Eos qui ante baptismum sacrificauerūt, & postea baptismum consequuti sunt, placuit ad ordinem promoueri, tanquam ab omni crimine lauacri salutaris sanctificatione purgatos.

13 Vicarijs episcoporū quos Græci Chorepiscopos uocant, non licere uel presbyteros uel diaconos ordinare: sed nec presbyteris ciuitatis, sine episcopi præcepto, amplius aliquid imperare, nec sine autoritate literarum eius in unaquaq; parochia aliquid agere.

14 De his qui in clero sunt presbyteri uel diaconi, & abstinent à carnibus, hoc placuit statui, ut non eas tanquam immundas contemnant, sed contingant. At quibus quidem qui se abstinere uolunt, habeant potestatem: ita tamen, ut si quando cum oleribus coquuntur, eadem tanquam carnibus polluta non iudicent, sed ex his cibū assumant, quamuis à carnibus se abstineant. Quod si in tantum eas immundas & abominabiles iudicauerint, ut nec olera quæ cum carnibus coquuntur æstiment comedenda, tanquam non consentientes huic regulæ, cessare eos oportet à ministerio & ordine suo. Si quis autem huius regulæ monitis non obedierit, sed carnes, ut dictum est, immundas & abominandas existimauerit, cessare debet ab ordine suo.

15 Si qua de rebus Ecclesię, cum episcopus non est, presbyteri uendiderint: placuit rescisso contractu, ad ius Ecclesiasticum reuocari. In iudicio autem erit episcopi, si constitutum preciū debeat recipi, nec ne: propter quod sæpe contingit, distractarum rerum reditus ampliorem summam pro accepto precio reddi.

16 Quotquot igitur ante uigesimum ætatis suę annum tale crimen admiserint, quindecim annis in pœnitentia peractis, orationi tantum incipiant communicare: & quinquennium alterum in communione orationis solius perdurantes, post uigesimum cum oblatione ad communionem suscipiantur. Discutiatur autem & uita eorum, qualis fuerit tempore pœnitentiæ: & iuxta hanc, humanitatem consequantur. Quod si quis perseuerantius abusus fuerit hoc crimine, hic prolixius tempus, uiginti annorum pœnitentiam suscipiat. Qui uerò exacta uiginti annorū ætate, & uxores habentes, in hoc crimen inciderunt: post uiginti & quinq; annos pœnitentia acta, ad communionem orationum admittantur. in qua communione orationum altero quinquennio perdurantes, plenā cōmunionē cū oblatione recipiāt. Quod si aliqui & uxores habentes, & excedentes quinquagesimum ætatis suæ annū, in hoc prolapsi sunt scelere, ad exitum tantū uitæ communionem mereantur.

17 Hos eosdem sanè, non solum leprosos crimine huiusmodi factos, sed & alios isto suo morbo replentes, placuerit inter eos orare, qui tempestate iactantur, qui à nobis energumeni intelliguntur.

18 Si qui episcopi suscepti nō sunt à sua diœcesi, in qua fuerant denominati, compellantur ad eandem iudicis edicto redire. Quod si uoluerint alias ecclesias occupare, & uim facere alijs episcopis, quos ibi inuenerint, sedi tiones excitando aduersus eos, hos segregari oportet. Quòd si uolunt in presbyterio in ecclesia, ubi prius fuerant, tanquam presbyteri residere, non repellantur à propria dignitate. Quod si etiam ibi seditiones concitare probantur episcopis ibidem constitutis, segregari eos necesse est, & nihilominus presbyterij dignitate priuari.

19 Quotquot uirginitatem pollicitā præuaricati sunt, professione contempta inter digamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt. Virgines autē puellas, quæ tanquam sorores cum nonnullis uiris habitare uolunt, ab eorum consortio prohibemus.

20 Si quis adulterium commiserit, septem annis in pœnitentia completis, perfectioni reddatur secundum pristinos gradus.

21 De mulieribus quæ fornicantur, & partus suos necant, sed & de his quæ agunt secū ut utero conceptus excutiātur, antiqua quidem definitio est, usq; ad exitū uitę eas ab Ecclesia remoueri. Humanius autē nunc definimus: ut eis decē annorū tempus tribuatur.

22 Qui uoluntariè homicidium fecerint, ad pœnitentiam quidem iugiter se submittant: circa autem exitum uitæ communione digni habeātur. Eos uerò qui nō uoluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidem

regula post septem annorum pœnitentiam communioni sociauit, secundũ gradus constitutos: hæc uerò humanior definitio, quinquennij tempus tribuit.

23 Qui auguria uel auspicia, siue somnia uel diuinationes quaslibet, secundum morem gentiliũ obseruant, & in domos suas huiusmodi homines introducunt, in exquirendis aliquibus arte malefica, aut ut domos suas lustrent, cõfessi, quinquennio pœnitentiam agãt, secundũ antiquitus cõstitutas regulas.

24 Si quis sponsam habens, sorori eius forsitan intulerit uitium, eiq; inhæserit tanquã suę: hac autem decepta, postea uxorẽ duxerit desponsatam: illa uerò quæ uitium passa est, si fortè necẽ sibi intulerit, omnes hi qui facti huius sunt conscij, decem annis in pœnitentiam redigãtur, secundũ canones cõstitutos.

In hac Synodo etiã generali decreto damnatur incantandi ars, & sortilegium, ut à diabolo inuentum, & perniciosum: & iubentur ecclesiarũ administri, id genus mali ex ecclesijs eradicare penitus. Damnari etiam præcipitur illa ueneficarum opinio, qua mulieres dæmonũ illusionibus seductæ, putarent sese noctu cum Diana equitare, in bestijs quibusdam, & multa terrarum spacia peruolitare: cum tamen nihil earum rerũ uerè fiat, & tantum præstigijs diabolorum decipiantur.

NEOCÆSARIENSIS.

SYnodum Neocæsariensem post Ancyranam celebratã, ex Gratiani distinctione decimasexta, autor libri Cõciliorum refert: ad eamq; cõuenisse episcopos septemdecim, Vitalem scilicet rursus Antiochenum, ut credibile est, quanquam Gratianus Vitalem nominet Salomitanum: Germanum Neapolis Palęstinæ: Gregorium Cinnensem, seu Cinonensem Galatiæ primæ: Alphium Apameæ Cœlosyriæ: Heraclium Zelonensem, seu Zelensem Armeniæ maioris: Basilium Amasiæ Hellesponti, uel Armeniæ maioris: Leontiũ Cæsarię Cappadocię primæ: Amphiona Epiphaniæ Ciliciæ secundæ: Stephanũ chorepiscopum Cappadocię: Eratium Placianẽsem, seu Histrium Timoniacensem Galatiæ primæ, seu Cappadociæ Polemoniacensis: Lupum Tarsensem Ciliciæ primæ: Gerontium Larissæ Cœlesyriæ: Narcissum Neroniadis Ciliciæ secundæ: Longinũ Neocæsariensem Põti Polemoniaci: Salaminum Germaniciæ Cœles Syriæ: Rudum, seu Radum, seu Rodonem chorepiscopũ Cappadociæ: Dicasium, seu Decasiũ Tauiensem, seu Tabiensem Galatiæ: Valentinum & Leontium.

Constituisse & adprobasse hos Canones quatuordecim idem refert, sed Gratianus uigintiquatuor nominat. Quatuordecim autẽ, qui in Gręco sunt quindecim, penultimo scilicet uno in duos distincto, hi sunt:

Primus.

Presbyter si uxorẽ duxerit, ab ordine suo illum deponi debere. Quod si fornicatus fuerit, uel adulteriũ cõmiserit, extra ecclesiã abijci, & ad pœnitentiam inter laicos redigi.

Secundus.

Mulier si duobus nupserit fratribus, abijciatur usq; in diem mortis. Sed propter humanitatem, in extremis suis, sacramentis reconciliari oportet: ita tamen, ut si fortè sanitatem recuperauerit, matrimonio soluto, ad pœnitentiam admittatur.

Tertius.

De his qui frequenter uxores ducũt, & de his quæ sæpius nubũt, tempus quidem pœnitentiæ his cõstitutum manifestum est: sed conuersatio & fides eorũ tempus abbreuiat.

Quartus.

Si quis concupita muliere, etiamsi concubitus eius desiderium habet, nõ autem subsequatur effectus: manifestum est, hunc fuisse per diuinam gratiam liberatum.

Quintus.

Catechumenus, id est audiens, qui ingreditur in Ecclesiam, & stat cum catechumenis, si peccare fuerit uisus, figens genua, audiat uerbum, ut se abstineat ab illo peccato quod fecit: quod si in eo perdurat, abijci omnino debere.

Sextus.

De prægnantibus, quòd oportet eas baptizari quãdo uolunt. Nihil enim in hoc sacramento cõmune est parituræ, & illi qui de eius utero fuerit editus: quia uniuscuiusq; in illa confessione libertas arbitrij declaratur.

Septimus.

Presbyterum conuiuio secundarum nuptiarum interesse non debere: maximè cum præcipiatur, secundis nuptijs pœnitentiam tribuere. Quis ergo erit presbyter, qui propter conuiuium illis consentiat nuptijs?

Octauus.

Si cuius uxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, fuerit comprobatum, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest. Quod si in clericatu, iam constituto eo, adulterauit: dato repudio, dimittere eam debet. Si uerò retinere eius corsortiũ uelit, non potest suscepto ministerio perfrui.

Nonus.

Qui admiserit corporale peccatum, & hic postea presbyter ordinatus est, si confessus fuerit, quòd ante ordinationem suam peccauerit, non quidem offerat: maneat tamen in alijs officijs, propter eius studij utilitatem. Nam cætera peccata, censuerunt plurimi, etiam ordinatione priuari. Quòd si de his non fuerit confessus, nec ab aliquibus potest manifestè conuinci, huic ipsi de se potestas est committenda.

Deci-

Decimus.

Similiter et Diaconus, si in eodē culpæ genere fuerit inuolutus, sese à ministerio cohibebit.

Vndecimus.

Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamuis sit probabilis uitæ: sed obseruet usque ad præfinitum tempus. Dominus enim trigesimo anno baptisatus est, & tunc prædicauit.

Duodecimus.

Si quis in ægritudine cōstitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari nō debet. Nō enim fides illius uoluntaria, sed ex necessitate est: nisi fortè postea ipsius studiū & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.

Decimustertius.

Presbyteri qui conregionales sunt, in ecclesia præsentibus episcopis, uel presbyteris ciuitatis, offerre nō possunt, nec dare panem sanctificatū, nec calicem porrigere. Quod si absentes sint ciuitatis sacerdotes, & fuerint inuitati ad dandam orationē, soli debebunt dare. Vicarij autem episcoporū, quos Græci Chorepiscopos uocant, cōstituti quidē sunt ad exemplū septuaginta seniorū: sed tanquā cōsacerdotes propter solicitudinē & studiū, quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur.

Decimus quartus.

Diaconi septem esse debent, secundum regulam, quamuis magna sit ciuitas. Regulæ autem autoritas ista est, quòd & liber Actuū apostolorum insinuat.

NICAENA.

COnuocata fuit synodus Oecumenica, probatiorum omnium scriptorum (ut Eusebij, Socratis, Theodoreti, & aliorū) testimonio, apud Nicæam Bithyniæ urbē, à Constantino Imperatore: nō à Syluestro Romano episcopo, quēadmodū Regino, et alij aulę pontificiæ assectæ & Gnatones prodiderūt: anno circiter trecentesimo post primā illam synodum Apostolicā Hierosolymis: Christi uerò anno, iuxta Eusebij annotationem, trecentesimo & uigesimo, Constantini Imperatoris decimoseptimo, cum à regno Alexandri Magni Macedonū regis elapsi essent (ut Socrates testatur lib. 1, cap. 13) anni sexcenti triginta sex, consulibus Paulino & Iuliano, die uicesima mensis Maij: pro quo Marianus Scotus, & Beda, & Massæus, decimūseptimū habēt Calendarū Iulij diē. Et formula quę in synodo Chalcedonēsi, habita sub Martiano & Valentiniano, recitata est, habet diē decimumtertiū Calendarū Iulij: sed fortè librariorū incuria, Iulij pro Iunij exaratum est.

Conuenerunt autē ad uniuersalē celebertimam eam synodum, omniū ecclesiarū, per Asiam omnem, Africā & Europā lectissima lumina. Ac uidere ibi erat, quemadmodū Eusebius narrat de uita Constantini libro tertio, Syros, Cilices, Phœnices, Arabes, Palæstinos, Thebanos, Lybicos, Mesopotamios, Persas, Scythas, Ponticos, Galatas, Pamphylios, Cappadoces, Asianos, Phrygios, Thraces, Macedones, Achæos, Epirotas, illisq; ulteriores, & Hispanos, non minori numero quàm eorū quondam fuerat, qui in Pentecoste Hierosolymis conuenerant.

Imposuerat autē necessitatē congregandę synodi, ad pacē & tranquillitatem Ecclesiæ nato optimo Imperatori Constantino, dissidium ortū in clarissima ecclesia Alexandrię; inter Arium presbyterum, & Alexandrum ecclesię eius episcopū: quod iam in una urbe & ecclesia natū, in finitimas omnes per uniuersam Aegyptū sese diffuderat: & medicinā præparatam, malum cōfirmatum, uiribusq; auctum iam efflagitabat. Sed dissidij eius occasio prima exponenda nobis est.

Disputauerat in conuentu quodam aliquando Alexander paulo acutius, seu exactius potius, & accuratius, de diuina essentia, cuius unitatem esse in trinitate dixerat. Vbi continuò Arius, dialecticus magis quàm theologus, arbitratus episcopū suū Sabellij dogma, de tribus in unā atq; eandē redeuntibus personā, inducere, illis quæ ab episcopo suo dicta erāt, animo acerbo occurrit, afferēs in mediū ratiocinationē, rationis humanæ magis quàm sciētię aut fidei. Si pater, inquit, genuit filiū, initiū certè essentiæ suæ habebit filius: ac constabit fuisse aliquando tēpus, in quo filius nondū extiterit. Ex hoc uerò rursus sequetur, habere illū hypostasim ex non existentibus. Hanc aūt disputationē, quasi quę sese ultro obtulisset occasionē, magis autē exoptatā malitiæ prodendæ opportunitatē, ambabus (quod dicitur) manibus Arius amplexus, uelut incendiū ex scintilla natū, in Aegyptum omnem, Libyam, Thebaida, & prouincias uicinas euulgauit. Socrates libro primo, capite quinto & sexto.

Narrat Epiphanius lib. 2, tom. 2, hęresi sexagesimanona, Ariū à Meletio episcopo ciuitatis cuiusdā in Thebaide, in errore primùm deprehensum, & Alexandro episcopo proditū fuisse. A' quo diligentius postea obseruatus, & in synodo interrogatus de fide, posteaquam confidentius affirmasset, se ita docere, cùm magna secū sentientiū, septingentarum scilicet uirginū castitatē profitentiū, presbyterorumq; & diaconorū multitudine: sed quos, ut ita sentirent, ueneno suo pri⁹ infecerat: ab ecclesia expulsus sit, ordine & officio suo priuatus. Post aliquod uerò tēpus, in frequēti centū episcoporū synodo, etiā urbe expulsum esse, eaq; de re Alexandrū uicinis ecclesijs scripsisse, Socrates testatur, & exēplū literarū Alexādri eiusmodi recitat.

Literæ Alexandri.

¶ Dilectis & uenerandiſsimis cõminiſtris ubilibet per eccleſias cõſtitutis. Cum in diuinis ſcripturis mandatum ſit, ut uinculum concordiæ & pacis conſeruemus, conſentaneum eſt, ut quæ apud ſingulos accidunt, alij alijs ſcribant, & mutuò exponant: ut ſiue patiatur, ſiue lætetur unum ex membris, inuicem & ipſi uel compatiamur, uel collætemur. E noſtra itaque parœcia progreſsi iam ſunt uiri iniqui, & hoſtes Chriſti, apoſtaſiam docentes, quam rectè quis Antichriſti præcurſum eſſe putauerit, & dixerit. Volebã autem huiuſmodi malũ ſilẽtio tradere, ut in ſolis apoſtatis cõſumeretur, & non alijs quoq; locis ſimplicium aures inficeret. Quoniã uerò Euſebius, qui iam Nicomedię epiſcopatũ tenet, res eccleſiæ ſibi incumbere ratus, eo quòd relicta Berytana eccleſia ad Nicomediã reſpexit, malũ hoc à ſe nõ excuſsit: ſed et apoſtatis iſtis patrocinatur, et ad quoſuis ſcribere conatus, ita eos cõmendat, ut imperitos aliquos in extremã & Chriſto hoſtilem hæreſim abducat: neceſsitate impulſus ſum, ſciẽs quid ſcriptũ ſit in lege, ut non ſileã amplius, ſed cauſam hanc omnibus uobis ſignificẽ, ut & defectores, & infœlicia hæreſis eorũ uerba cognoſcatis: & ſi Euſebius ſcribat, non attendatis. Inueteratam enim illam maleuolentiã ſuam, ad tempus ſilẽtio preſſam, per hos iam renouare uolẽs, ſimulat ſe quaſi pro illis ſcribere: cùm id reuera, res ſuas agẽs, faciat. Sunt autem qui defecerũt, iſti: Arius, Achillas, Aithalus, Carponus, alter Arius, Sarmatus, Euzoius, Lucius, Iulianus, Menas, Helladius, Caius, & cum his Secũdus & Theonas olim epiſcopi dicti. Quæ uerò præter ſcripturas excogitarunt & loquuntur, hæc ſunt: Deus nõ ſemper pater fuit, ſed fuit aliquando tempus quo Deus non erat pater. Verbum Dei non ſemper fuit, ſed factum eſt ex nõ exiſtentibus. Deus enim exiſtens, eum qui nõ erat, ex non exiſtente fecit. Quapropter fuit aliquando tempus, quando non erat. eſt enim filius creatura & factura. Neq; autem ſecundum eſſentiam patri conſimilis, neq; uerum & ſecũdum naturam patris uerbum, nec uera illius ſapientia, ſed abuſiuè uerbum & ſapientia eſt, factus & ipſe per proprium Dei uerbum & ſapientiam quæ in Deo eſt, per quam Deus & omnia & ipſum fecit. Ob quã cauſam & mutabile & alterabile ſecundum naturam, ſicut & omnia rationalia, peregrinumq; & alienum & ſeparatum eſt uerbum à ſapientia Dei. Et pater filio abſconditus & inenarrabilis eſt. Neq; enim patrẽ filius perfectè & exactè cognoſcit, nec illum perfectè uidere poteſt. Nam nec ſuam ipſius eſſentiã, ſicuti eſt, nouit filius. Propter nos enim factus eſt, ut nos Deus per ipſum tanquã organum cõderet: nec extitiſſet, niſi nos Deus facere uoluiſſet. Rogati ſunt igitur, an poſsit uerbum Dei mutari, ſicuti mutatus eſt diabolus: nec ueriti ſunt dicere, Etiam poteſt: eſt enim genitus mutabilis naturæ, & mutabilis etiam exiſtit. Hæc itaq; dicentes eos qui cum Aio faciũt, & his impudẽter adhærentes, unà cum aſſectatorib. ipſorũ, nos quidem cum epiſcopis per Aegyptũ & Libyam propè centũ numero exiſtẽtibus, in unum congregatis, anathemate percuſsimus. Qui uerò cũ Euſebio ſunt, eos receperunt, hoc agẽtes, ut ueritatẽ mẽdacio & pietatẽ impietate mi ſceant & corrumpãt: uerùm nõ poterũt. Vincit enim ueritas, nec ulla eſt communicatio luci cum tenebris, nec conſenſus Chriſto cum Belial. Quis enim unquã talia perceperit? aut quis nunc demum audiens, non tanquam rem inſolentem ſtupeat, auresq; obturet, ne ſordibus horum uerborum ipſe polluatur auditus? Quis Ioannẽ dicentem audiens, In principio erat uerbum, non cõdemnat hoſce dicentes, Erat aliquando tempus quando non erat? Aut quis nam in Euangelio Chriſtum unigenitum eſſe filium, & per illum omnia eſſe facta audiens, iſtos non reprehendat, cum filium unum ex creaturis eſſe dicũt? Etenim quomodo par illis eſſe poteſt, quæ per ipſum facta ſunt? Aut quomodo unigenitus eſt, ſi omnib. eſt reliquis, ſicuti illi uolunt, cõnumeratus? Quomodo autem eſſe poterit ex non exiſtentibus, cum pater dicat: Eructauit cor meũ uerbum bonum? &: Ex utero ante luciferũ genui te? Vel, quomodo patri ſecundum eſſentiam ſimilis nõ eſt, cum ſit perfecta imago & ſplendor patris? & dicat: Qui me uidet, uidet & patrem meum? Quomodo uerò, ſi uerbum & ſapientia Dei eſt filius, aliquando tempus fuit, quando non fuerit? Perinde nanq; eſt, ac ſi Deum aliquando irrationalem & inſipientem fuiſſe dicant. Quomodo mutabilis aut alterabilis eſt, cum per ſeipſum dicat: Ego in patre, & pater in me eſt? Et: Ego & pater unum ſumus? Per Prophetam autem dicit: Videte me quòd ego ſum, & nõ mutor. Nam licet hoc dictum etiam ad patrem referri poſsit, conuenientius tamen fuerit ut de uerbo iam dictum intelligamus, quòd homo factum mutatum non ſit: ſed ſicut Apoſtolus dicit, IESVS Chriſtus heri & hodie, idem ipſe & in ſecula. Quid igitur illis dicere perſuaſit, quòd propter nos ſit factus: cum tamen Paulus dicat, Propter quem ſunt omnia, & per quem omnia? De blaſphemia uerò illa qua dicunt, quòd patrem filius perfectè non cognouerit, admirandum non eſt. Semel enim CHRISTVM impugnare propoſuerunt: ideoque & uoces eius non audiunt, quibus dicit, Sicut nouit me pater,

ita

ita & ego cognoſco patrem. Quod ſi pater filium ex parte tantum nouit, manifeſtũ eſt, quòd & filius patrem uiciſsim ex parte tantum cognoſcat. Si uerò nefas eſt hoc dicere, ſed filium pater perfectè nouit: perſpicuum eſt, quòd ſicut pater uerbum ſuum nouit, ita nouit & uerbum patrem ſuum, cuius uerbum exiſtit. Cum hæc diceremus, ac ſcripturas diuinas explicaremus, ſæpenumero eos proſtrauimus. Verùm illi denuò perinde ac chameleontes ſeſe mutarunt, illudq; ſibi ipſis appropriare contenderunt, quod ſcriptum eſt: Impius cum uenerit in profundũ malorum, cõtemnit. Fuerunt ante eos multæ hæreſes, quæ plura quàm decebat auſæ, in dementiam inciderunt: hi uerò omnibus ſuis ſermonibus huc incumbentes, ut uerbi diuinitatem tollant, priores hæreſes ſui collatione tanquam Antichriſto uiciniores facti iuſtificarunt. Quapropter etiam abdicati ſunt ab Eccleſia, & anathemate percuſsi. Dolemus quidem propter eorũ perditionem, præſertim quòd, cum & ipſi olim Eccleſiæ fidem didicerint, iam reſilierunt. Verùm non admiramur. Accidit enim & hoc Hymenęo, & Philito: & ante illos Iudæ, primùm diſcipulo, poſtea uerò proditori Seruatoris, & apoſtatæ. Et de his ipſis non manſimus hactenus ignari, ſed ipſe Dominus de illis prędixit: Videte, inquit, ne quis uos ſeducat. Venient enim multi in nomine meo, dicentes, Ego ſum: & tempus appropinquauit, & ſeducẽt multos: Nolite poſt eos abire. Et Paulus de ijſdem, à Seruatore inſtructus, ſcripſit, dicens: Poſterioribus temporibus deficient quidam à fide ſana, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, ueritatem auerſantiũ. Cum ergo ſeruator noſter CHRISTVS IESVS, cùm per ſeipſum iſta prænunciauerit, tũ per Apoſtolũ de illis ſignificauerit, cõpetenter nos qui hanc eorũ impietatẽ coràm audiuimus, eos qui huiuſmodi ſunt, ſicuti prædiximus, anathemate percuſsim⁹: ut declaremus, eos eſſe ab Eccleſia & fide catholica alienos. Significauimus aũt hoc etiam ueſtrę pietati, dilecti ac uenerandiſsimi cõminiſtri, ut neq; aliquos ex illis, ſi etiã ad uos uſque uenire præſumpſerint, recipiatis: neq; Euſebio, uel alij cuipiã pro illis ſcribenti, fidem adhibeatis. Decet enim nos, tanquã Chriſtianos, omnes eos qui cõtra Chriſtum quid uel loquuntur, uel ſentiũt, tanq̃ hoſtes Dei & animorũ corruptores, auerſari: & illis qui huiuſmodi ſunt, nec Aue dicere: ne quo pacto fiat, ut peccatis eorũ cõmunicemus, ſicut beatus Ioannes denũciauit. Salutate fratres quotquot ſecũ ſunt. Vos, q mecũ ſunt, ſalutãt.

Epiphanius expulſum Arium in Palæſtinam poſtea ueniſſe, & ſuæ ſentẽtiæ ſuffragia corrogaſſe narrat. ac ſuſceptũ quidem eum ab alijs tum fuiſſe, ab alijs uerò repudiatum. Cuius rei Alexander certior factus, epiſtolas encyclicas ſeptuaginta ad epiſcopos ſingulos ſcripſerit: ut ad Euſebiũ Cæſarienſem epiſcopum, Macariũ Hieroſolymitanũ, Aeſculapium Cretenſem, Longinũ in Aſcalone, Macrinum in Iamnia, Zenonem in Phœnice: ad epiſcopos etiam in Tyro, et Syria caua. easq; epiſtolas à ſtudioſis ſuo tempore adſeruatas adhuc fuiſſe indicat. Extat & apud Theodoretum epiſtola prolixa, eiuſdem ad Alexandrum Conſtantinopolitanũ, lib. 1. cap. 3. ſed quam de numero encyclicarum earum, quarum Epiphanius meminit, fuiſſe incertũ eſt.

Poſt eas epiſtolas, quib. illorũ qui Arium pulſum non recepiſſent, ſtudiũ Alexander, ſicut idẽ Epiphanius refert, laudauerat, eos uerò qui recepiſſent reprehenderat, Arius à nemine deinceps ſuſceptus amplius eſt, prętерquam à ſocjs ſuis, & patrono ſuo Euſebio Nicomedienſi. Ad quem priuſquam ipſe ueniſſet, literas miſit in eam ſententiã: ut Theodoretus lib. 1. cap. 4. & 5, & Epiphanius lib. 2. tomo 2. hæreſi ſexageſimanona teſtantur.

Literæ Arij ad Euſebium.

¶ Domino dilectiſsimo, homini Dei, fideli, orthodoxo Euſebio, Arius fugatus ab Alexandro papa iniuſtè, propter ueritatem omnia uincẽtem, cuius & tu protector es, in Domino gaudium. Patre meo Ammonio in Nicomediam proficiſcente, operæpreciũ duxi, quod & debetur tibi, ut te per ipſum alloquerer: ſimulq; cõmonefacerem, inſitam tibi dilectionem ac affectionem, quam ad fratres habes propter Deum, ac Chriſtum eius. Nam maximè nos infeſtat ac perſequitur, & omne malum contra nos mouet epiſcopus, ut fugarit nos ex urbe, uelut homines impios, quoniam non conſentimus ipſi publicè dicenti: Semper Deus, ſemper filius, ſimul pater, ſimul filius, coexiſtit filius ingenito cum Deo, ſemper genitus ingenito genitus, neq; cogitatione, neq; mometo quodã præeminet Deus filio, ſemper Deus, ſemper filius, ex ipſo Deo filius. Et quando quidẽ Euſebius frater tuus in Cæſarea, & Theodoſius & Paulinus, & Athanaſius, & Gregorius & Aëtius, & omnes in Oriẽte dicũt, quòd præexiſtit Deus filio ſine principio, anathema ſancti ſunt, & excõmunicati: excepto Philogonio, & Hellanico, & Macario, hominib. hęreticis, in fidei doctrina non inſtructis, qui filiũ dicũt partim ructũ, partim emiſsionẽ ingenitam. Et hos impios neq; audire poſſumus, etiamſi infinitas mortes nobis hęretici minentur. Nos aũt quid dicimus ac ſentimus, & docuimus & docem⁹? Quòd filius nõ eſt ingenitus, neq; pars ingeniti, iuxta ullũ aliquẽ modũ, imò neq; ex ſubiecto quodã: ſed q, uolũtate et cõſilio ſubſiſtit ante tempora, et ante ſęcula;

cula,plenus Deus unigenitus, inalterabilis: & priusquã genitus est,aut creat⁹, aut decretus,aut fundatus, nõ erat: ingenit⁹ enim nõ erat. Persecutionẽ aũt patimur, quòd diximus,principium habet filius,Deus uerò sine principio est. propter hoc fugamur. & quòd dicim⁹,Ex nihilo est. Sic aũt dicim⁹,eo quòd neq; pars Dei est,neq; ex subiecto quodã: ꝓpter hoc fugamur. Reliqua tu nosti. Opto te ualere in Domino, memorẽ tribulationũ nostrarum,cum Lucianista reuera ἀνσεβεῖ.

Coniunctus itaq; cum Eusebio, cuius familiaritate lõgè antè usus fuerat,ut Epiphanius narrat: literas alias, suo sociorũq; suorũ nomine,ad Alexandrũ, Alexãdriam remisit, de fide sua,suorũq;,quarũ hoc est exemplum.

Literæ Arij ad Alexandrum.

¶ Beato papæ & episcopo nostro Alexandro, presbyteri ac diaconi in Domino gaudium. Fides nostra ex maioribus ac progenitoribus nostris, quam etiã à te didicimus, beate Papa,hæc est. Nouimus unũ Deum solum ingenitũ,solum sempiternũ,solum sine principio, solũ bonũ, solum immortalitatẽ habentẽ,solum sapientẽ,solum Dominũ, solum iudicẽ, omniũ gubernatorẽ, œconomũ, immutabilẽ & inalterabilem, iustũ & bonũ, legis & Prophetarũ ac noui Testamẽti. Hũc Deum genuisse filiũ unigenitũ ante tempora ęterna, per quem & secula & reliqua fecit: genuisse aũt non in apparentia, sed ueritate: substituisse uerò propria uoluntate immutabilem & inalterabilem,creaturam Dei perfectam,sed non uelut unam ex creaturis:fœturam,sed non uelut unam ex fœturis siue genituris:neq; uelut Valentinus emissionem, fœturam siue genituram patris asseruit:neq; sicut Manichęus patrem coessentialẽ patris, fœturã introduxit: neq; sicut Sabellius, qui unitatem diuidens,Filium patrem dixit:neque uelut Hierax, lucernam à lucerna,aut faciem in duas: neq; prius existentem, postea genitum aut creatum esse in filium:quemadmodũ etiam tu ipse beate Papa in media ecclesia ac confessu, sæpe eos qui talia introduxerũt,refutasti: Sed sicut dicimus, uoluntate Dei ante tempora & ante secula creatũ esse, & uiuere ac esse à patre accepisse, ita ut pater simul substituerit ipsi glorias. Non enim pater,data ipsi omnium hæreditate,priuauit se ipsum, ut ne ingenito modo habeat in seipso:fons enim est omnium. Quare tres sunt substantiæ, Pater, filius, & spiritus sanctus. Et Deus quidem causa omnium existens,est sine principio, solus. Filius autem sine tempore genitus à patre, & ante secula creatus ac fundatus,non erat antequam gigneretur: sed sine tempore ante omnia genitus, solus à solo patre subsistitit. Neq; enim est sempiternus,aut cõsempiternus,aut coingenitus patri: neq; simul cum patre ipsum esse habet, uelut quidã de his quæ ad aliquid appellantur dicunt,duo ingenita principia introducentes: sed sicut unitas & principium omnium,ita Deus prę omnibus est: quapropter & ante Christum est,uelut à te didicimus,in media ecclesia prædicante. In quantum igitur à Deo ipsum esse habet, ac uiuere, qui & glorias & omnia ipsi exhibuit: iuxta hoc, principium ipsius est Deus. Principiũ enim ipsius est,uelut Deⁱ ipsius:& qui ante ipsum est,eo quòd ex ipso est. Et si illud, EX VTERO, & hoc, EX PATRE EXIVI, ET VENIO, uelut pars coessentialis,& uelut emissio,à quibusdam intelligitur,compositus erit pater,& diuisibilis, & mutabilis, & corpus secundum ipsos, & quæ ad corpus consequuntur, patiens incorporeus Deus, quantum sanè in ipsis est. Opto te ualere in Domino beate Papa. Arius, Æthales, Achilles, Carpones, Sarmatas,presbyteri: Euzoius,Lucius,Iulius, Menas,Helladius,Gaius, diaconi: episcopi, Secundus Pentapolis, Theonas Libs fidelis, quem constituerunt in Alexandria Ariani. Epiphanius libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimanona.

Tulit autem Alexandri tum factum, tum scriptum,ægerrimè Eusebius, perpetuus Arianæ insaniæ patronus, qui id temporis Nicomediæ in magna autoritate erat, eo quòd ibi Imperator esset. Quam ob rem & obsequentes sibi habebat multos episcopos. In summam autem non perturbationem modò,uerùm etiam contemptum res Ecclesiæ tum adducebantur,adeò ut & in theatris publicè risu & sannis Christiana uniuersa religio eluderetur.

Quę res uerò pio Imperatori,qui se totum semel conseruandæ dignitati Christianæ religionis dedicauerat, dolorem ingentem & solicitudinẽ attulit: Quare ad quærenda ido nea malo cõualescenti remedia animũ adiunxit:ac cum literis suis uirum pietate, nomine,eruditione atq; autoritate celebrem, Hosium Cordubæ in Hispania episcopum, Alexandriam misit,ut quibus posset rationibus incendiũ,in tot iam terras euentilatũ,restingueret,& tranquillitati Ecclesiæ consuleret. Exemplum epistolæ Imperatoris missæ per Hosiũ ad Alexandrũ & Arium, recitat Eusebius lib. 2 de uita Constantini. Recitat & partem eius Socrates lib. primo,capite septimo. Ex Eusebio describimus.

¶ Victor Constantinus, Maximus, Augustus, Alexandro & Ario. Geminã mihi fuille occasionẽ eorum, quorũ negocium ipso ope re executus sum, ipsum, ut par est, conatuũ meorum adiutorem ac seruatorẽ Deum omnium testem cõstituo. Primum quidẽ, ut omnium gentium uoluntatẽ ad unam assuetu-

dinis

dinis conciliationẽ coadunarẽ. Alterũ, ut cõmunis orbis corpus à graui quodã malo, sicuti cupiebam, liberarẽ. Vtrunq; spectans, alterum arcano mẽtis oculo cõcludebam, alterum uerò potestate bellicæ manus perficere conabar: sciens hoc, si communem omnibus Dei seruis pro meo uoto consensionẽ constituerẽ, publicarũ etiã rerũ negotia unà cũ pijs omnium mentibus concordẽ relatura mutationem. Cum enim uniuersam Aphricã intolerabilis quædam uesania propter eos corripuisset, qui populorũ religionẽ inconsulta leuitate in uarias hæreses scindere non dubitarunt: eum ego morbũ reprimere uolens, nullam aliam parem huic negocio medelam reperiebam, quàm ut communi orbis hoste reiecto, qui sacris nostris synodis infandam suam sentẽtiam opponebat, quosdã uestrûm adhoc mitterem, ut eorum opera dissidentes inter se ad concordiam redigerẽtur. Quoniã enim lucis uirtus, & sacræ religionis lex, beneficio Dei quasi è sinu Oriẽtis profecta, cunctum simul orbem sacro iubare illustrauit: non abs re uos, quos tanquã duces quosdã salutis gentium futuros credebã, pariter & animi nutu & oculorũ energia quærere tentabã. Volebã enim hoc primùm unà cum magna illa uictoria ac uero hostiũ triumpho exquirere, quod mihi & primum & omnium pretiosissimum existere iudicabam. Sed ô præstantissimam ac diuinam prouidentiã, quàm lætalis rumor aures meas, imò magis cor ipsum tetigit, multo inter uos grauius quàm istic ortum esse dissidiũ significans? ita ut iã partes uestræ maiore cura opus habeant, undè alijs remedium futurum sperabam. Reputanti mihi horum cùm initium, tum causam, uisus est mihi leuis admodũ, & haudquaquam tanta contentione dignus prætextus. Quapropter ad epistolæ huius necessitatem adactus, & ad concordem uestram indu striam scribens, diuinamq; prouidentiã, adiutricem ad hanc causam aduocans, medium meipse in concertationem hanc uestrã, quasi pacis dispensatorẽ, non immeritò ingero. Cũ enim Deo opitulãte, etiamsi maior quædam esset dissidendi causa, haud difficile fuerit sanctis audientium animis, sermonem hunc proponendo unumquenq; ad utiliora conuertere: quomodo iã, cũ modica & admodũ uilis sit causa, quæ toti negocio obstat, non procliuiorem ac multo faciliorẽ mihi causæ huius emendationem conciliaret? Cognouitaque hinc facta esse præsentis quæstionis primordia, quando tu Alexander à presbyteris quæsisti, quid'nam quisque illorum de loco quodam in lege scripto, imò magis uana quæstionis cuiusdam particula, sentiret: & tu Arie incircumspectè hoc in medium attulisti, quod uel initio non cogitandum, uel cogitatione conceptum, silentio conuenienter tradendum erat. Vnde factum est, ut dissidio inter uos excitato, & irritata sit Synodus, & sanctissimus populus in utriusq; uestrûm partes scissus, ab harmonia communis corporis secesserit. Ostendat itaq; uterq; uestrûm, quàm alter alteri ex æquo ignoscatis: ad quod uos cõseruus uester iustè hortatur. Quid autem hoc rei est? Neque quæstionem de talibus initio mouere, neq; interrogatum respondere decebat. Etenim huiusmodi quæstiones, quas non legis alicuius necessitas inquirendas præcipit, sed inutilis ocij contentio proponit, etiamsi id naturalis cuiusdam exercitij gratia fiat, intus tamen in animo conclusas retinere, & non facile ad publicas synodos proferre, neq; populatibus auribus incircumspectè concredere debemus. Quotus enim quisq; est, qui rerum tam sublimiũ & admodum difficilium uirtutem, uel accuratè considerare, uel pro dignitate exponere queat? Et si quis illud expeditè etiã præstare putaretur, quotæ populi portioni, ut non periculosè labatur, sufficiat? Est itaq; in talibus cohibendum multiloquium, ne quo pacto naturæ nostræ imbecillitas, qua fit, ut quod primarium est exponere nequeamus: uel tardus intellectus auditorũ, ad accuratã eius quod dicitur cõprehensionẽ uenire nõ ualentiũ, ex utrolibet horũ efficiat, ut populus uel in blasphemiæ uel schismatis necessitatẽ incidat. Quapropter et incauta interrogatio, & improuida responsio, mutuam ac parem inter se in utroq; uestrûm ueniam prẽstet. Neque enim uobis de primario præceptorum legalium capite ista est cõtentionis nata occasio, neq; noua quædã uobis cõtra religionẽ Dei introducta hæresis: sed unã & eandẽ habetis sententiã, sicut & communicationis tesseram. Dum enim modicis ac ualde minutis de causis inter uos contenditis, non conuenit ut tantum Dei populum, propterea quòd dissidetis, pro uestro arbitrio gubernetis: sed hoc neque decorum, neque ullo pacto fas esse creditur. Vt autem prudentiam uestram minuto aliquo paradigmate commonefaciam, scitis sanè, philosophos ipsos, quomodo cũ uno aliquo dogmate cuncti consentiant, sæpenumero tamen in parte aliqua sententiarum dissentiant: & licet in uirtute scientiæ separantur, unitate tamen dogmatis rursus inter se conspirent. Si hoc illi faciunt: quomodo non multo est æquius, ut uos magni Dei serui existentes, in tali religionis proposito concordes inuicem sitis? Consideremus causam hanc amplius, ac pleniore cum intellectu expendamus, num æquum sit, ut propter modicas quasdam ac uanas uerborum inter nos contentiones, frater fratri aduersetur, &

ueneranda Synodus impio per nos diſsidio ſeparetur, qui tam exilibus & nullo modo neceſſarijs de cauſis inter nos dimicamus. Sunt hæc uulgaria, ac puerilibus ineptijs magis quàm ſacerdotum ac cordatorum uirorũ prudentiæ conuenientia. Abſtineamus ipſi uolentes à diabolicis iſtis tentationibus. Magnus noſter Deus, ſeruator omnium, publicam cunctis lucẽ produxit, ſub cuius prouidẽtia hanc mihi ſeruo Dei curam ad finem uſq; perferre cõcedite, ut populos eius, compellatione mea, miniſterio & admonitionis inſtantia ad ſynodi communionem reducã. Quoniam enim, ſicut memini, una quædam uobis fides, & unus ſectæ noſtræ intellectus eſt: ac mandatũ legis, partibus ſuis in unum animi propoſitum totum corpus concludit: illud quod modicam inter uos contentionẽ excitauit, quoniam ad totius uirtutem non exurgit, nullo pacto ſeparationem ac ſeditionem inter uos efficiat. Et hæc dico non tanquam cogens uos, ut in quæſtione hac ignaua, qualis nam ea ſit, conſpiretis. Poteſt enim uobis ueneranda ſynodus illæſa ſeruari, unaq; & eadem per omnia communicatio retineri, etiamſi maximè in parte aliqua de re leuicula inter uos diſsideatis. Neq; enim in omnibus omnes idem uolumus, neque una quædam in nobis uel natura uel animi ſententia obtinet. Itaq; de diuina prouidentia, una quædam in uobis ſit fides, unus intellectus, unũ cum Deo fœdus. Ea uerò quæ de minimis iſtis quęſtiunculis inter uos tanta cura exquiritis, etiam ſi non ad unam ea ſententiam conferatis, intus in cogitationibus & arcano mentis abdito ſeruata manere conuenit. Eximia illa communis amicitia, ueritatis q; fides, ac honos erga Deum ac legis religionem, apud uos immotè permaneat. Redite ad mutuam amicitiam & gratiam. Reſtituite uniuerſo populo ſuos cõplexus: ac uos ipſi tanquam animis repurgati, alius alium rurſus mutuò agnoſcite. Redditur enim ſæpenumero amicitia iucundior, quando poſt inimicitiæ controuerſiam ad reconciliationem reducitur. Reddite itaq; mihi ſerenos dies, ac noctes à curis liberas, ut & mihi puræ lucis iucũditas, ac uitæ poſthac tranquillæ læticia ſeruetur. Alioqui neceſſe erit ingemiſcere, ac lachrymis per omnia ſuffundi, ac ne æuum quidem uitæ huius placidè tranſigere. Cum enim populi Dei, hoc eſt, cõ ſerui mei, tam iniqua ac noxia inter ſe cõtentione ſeparãtur, quomodo fieri poteſt, ut animi deinceps ſententia conſiſtam? Vt autem mœſtitię huius uehementiam ſentiatis, cum ad Nicomedæorum ciuitatem nuper appropiaſſem, confeſtim animo ad Orientẽ properabam. Acceleranti mihi ad uos, ac pro maiori parte uobiſcũ exiſtenti, literarum iſtarũ rumor animi mei cogitationẽ denuò cohibuit, ne uidelicet ipſis oculis uidere cogar, quę ne auribus quidẽ admitti poſſe puto. Aperite mihi poſthac, per mutuũ ueſtrũ cõſenſum, uiam Oriẽtis, quam inteſtinis ueſtris cõtentionibus occluſiſtis: & cõcedite, ut & uos & reliquos populos omnes properè cũ gaudio uideã: ac debitã Deo p cõmuni omniũ cõcordia ac libertate gratiarum actionẽ, cum celebribus uerborum ſymbolis reddamus.

His Imperatoris literis inſtructus Hoſius, in Ægyptũ profectus eſt: ſed re infecta, cum nihil minus efficere, quàm in gratiã & cõſenſum reducere Alexandrũ & Ariũ potuiſſet: quòd hic à propoſito erroris abduci ſe nõ pateretur, ille uerò manifeſtã inſaniã argueret, & ueritatẽ dogmatũ tueretur. Maiori igitur dolore affectus Imperator, cum malũ quotidie latius ſerpẽs graſſaretur, ſynodũ frequentiſsimam immenſis ſumptibus indixit apud Nicæã: cum & alioquin res moleſtiſsima eccleſias iamdudũ affligeret ac perturbaret, diuerſitas nimirũ rituũ in obſeruatione Paſchatis, ut Athanaſius teſtatur in epiſtola de ſynodis Arimini & Seleuciæ, de cuius conformatione & antè Imperator ſedulò cogitauerat, & in ſynodo cõfici eam rem poſſe ſibi perſuadebat. Itaq; his duabus de cauſis potiſsimũ ſynodus Nicæna cõgregata eſt, ob Arianã ni mirũ hæreſin, quæ iam manifeſtos habebat propugnatores, ſibiq; cõtradicentiũ inſidiatores Euſebianos, & diuerſitatẽ in Paſchate celebrãdo. Solicitaſſe aũt Alexandrũ, & à Conſtantino hoc cõtendiſſe, ut ſynodũ indiceret, Epiphanius lib. 2, tom. 2, hæreſi ſexageſimaoctaua indicat: idq; etiã eũ cõſultis epiſcopis qbuſdã feciſſe, Ruffin. narrat li. 1. cap. 1.

Sunt qui hæc Synodũ ipſam præcelſiſſe tradant. Cum prohiberi nimirũ, ne quàm latiſsimè ſerperet Arij impietas, nequaquã poſſet, neq; admonitionibus etiam ſuis Imperator obtinere quicquã potuiſſet, factũ ab Alexandro Imperatorem de tota cauſa certiorẽ. Quo conuocata tunc aliquot epiſcoporũ ſynodo, Arium accerſiuerit, ac de ijs quorũ tum Alexander epiſcopus accuſaſſet, accuratè quæſierit. ubi uerò Arius tergiuerſando, inficiando, ſimulando ita ſeſe uerterit, ut deprehendi ab Imperatore nequierit, edita confeſſione, in ſpeciem ita compoſita, ut à ſimplicioribus, & ingenij ac flexibilitatis Arij ignaris, pro hæretica agnoſci minimè poſſet. Quam cum legiſſet Imperator, reſponderit: Si nihil eſſet aliud quamobrẽ accuſaretur Arius, iniuriam ei fieri, quòd cõmunione eccleſiaſtica excluderetur. Itaq; tunc dimiſſum fuiſſe Arium. Sed hoc diu poſt ſynodum Nicænã factum, cum & reuocatus Arius fuit, Socrates, Theodoretus, & Sozomenus retulerũt, ut ſuo poſtea loco indicabimus.

Cõſ-

Contrarium certè huic ſententiæ Epiphanius annotauit: poſt literas ſcilicet Arij ad Alexandrũ, cũ maiores in dies turbas Arius daret, Alexandrum rem totam Arij, ut ſe haberet, ad Conſtantinum per literas retuliſſe: qui Arium, congregata aliquot epiſcoporũ Synodo, ad ſe accerſierit. Vbi de hęreſi interrogatus Arius, negarit & abiurarit ſe quicquam hæreticè ſentire. Ei uerò in ſynodo Imperator reſponderit: Si iuſtè iuras, fidem reperiat tuum iuſiurandum, & inſons eas: ſi uerò doloſe & fraudulenter, is contra quem iuraſti, de te ultionem ſumat. Iterũ igitur tum Ariũ negaſſe, proq; eo interceſsiſſe multos, quos iam ſibi parauerat, ſui defenſores. At Imperatorem nihilominus epiſtolã prolixam ad Romaniam magnam, cõtra Arium eiusq; hæreticam fidem, ſcripſiſſe, cuius hoc fuerit initium: Conſtantinus, Maximus, Augustus: Arius & Ariani, malus interpres, & ut ita dicam, imago & ſtatua eſt diaboli. Et poſt multa contra ipſum ex ſcripturis diuinis producta teſtimonia, inſertus fuerit Homeri in Martẽ uerſiculus: Age ſanè urge Ari, ſcutis opus eſt, ne tu hoc facias rogamus, cohibeat autem te ſaltem Veneris conuerſatio. Et poſtea cum Arius Conſtantinopoli fœda morte interijſſet, precibus contra eum Alexãdri eius loci epiſcopi à Deo exauditis: tum demum Imperatorem ad ſynodum colligendam, & doctrinam eius damnandam, animũ adieciſſe, narrat Epiphanius libro 2, tomo ſecundo, hæreſi ſexageſimaoctaua & nona.

Hęc ut ueriſimiliter quidẽ ita narrari poſſint, tamen quomodo ab aliorũ narrationib. uarient, poſtea monebimus. Ad Synodum nunc redimus. In quam conueniſſe ex omnium propemodum gentium terris epiſcopos numero ducentos quinquaginta, pręter infinitã presbyterorum, diaconorum, acolythorum, aliorumq; multitudinẽ, Euſebius ſcripſit in tertio de uita Conſtantini libro: & Socrates libro primo, cap. octauo. Theodoretus lib. 1, cap. 7, numerum fuiſſe tradidit trecentorum ac decem & octo: qui ferè numerus apud cæteros habetur, ut Epiphanium, Hilarium contra Conſtantium, & Ambroſium lib. primo de fide ad Gratianum Augusthij quodã ſcripto hæc retulit: Synodus fuit maxima, congregatis epiſcopis ducentis, ut ſeptuaginta qui ſuprà fuerint taceam. Et Athanaſius in epiſtola ad epiſcopos Afros, & ad ſolitariam uitam agentes, hæreſin Arianam ab epiſcopis plus minus trecentis condemnatã dicit: Et Synodus, inquit, œcumenica Nicææ celebrata fuit à trecentis & ſeptendecim epiſcopis.

Videre igitur erat in numeroſo & uenerando eo cœtu, uiros omni uirtutum genere ornatos, lumina ſcilicet Eccleſiæ totius orbis, ut Marius Victorinus ait cõtra Arium libro primo. aliquos ſapientia atq; eloquentia celebres, nonnullos Apoſtolicis donis pręſtantes, alios uitæ grauitate & patientia in rebus aduerſis & perſecutionibus admirandos. Quoſdã item qui in corpore ſuo inuſtas circumferebãt notas, & ſtigmata Domini. Alij inter utroſq; diligentia officij, & honeſtate uitæ ac morũ cõmendabantur. alij rurſus canicie ueneranda & prouecta ætate conſpicui erãt, nõnulli uerò iuuẽtute animiq; uigore, quorum quidã miniſterio nuper fungi cœperant. Euſebius lib. tertio de uita Conſtãtini: Theodoretus lib. primo, capite ſeptimo.

Inter præcipuos uerò & maximè præ cæteris admirabiles erant, Paphnutius ciuitatis cuiuſdam in Thebaide ſuperiori epiſcopus & confeſſor, in perſecutione à Maximino dextro orbatus oculo, & poplite ſiniſtro mutilatus: & Spiridion, celebris ille Trimithuntis Cypri epiſcopus: Hoſius epiſcopus Cordubæ, Ægypti Alexander: Athanaſius eccleſiæ Alexãdrinę diaconus, qui Alexandrũ epiſcopum ſenẽ cõſilijs ſuis plurimũ ibi adiuuabat, & in ipſa Synodo magna cum libertate cõtra hæreſin Arianã diſputabat: Euſtathius epiſcopus Antiochiæ magnæ, quẽ toti præſediſſe ſynodo apparet: Macarius Hieroſolymitanus, Harpocration, Cynon, & alij, quorum nomina Socrates in ſynodico quodam Athanaſij epiſcopi Alexãdrini exactè cõmemorata refert. Socrates lib. 1, capite 11. & 12: & Athanaſius apologia ſecunda.

Addit his Theodoretus lib. primo, cap. 7, Iacobũ quendã epiſcopũ Antiochiæ in Mydonia, quæ Syris & Aſſyrijs Niſibis ſit, uirũ miraculis & reſuſcitatione mortuorum celebrem: & Paulum epiſcopum Neocæſariæ ad ripam Euphratis, qui ex rabie Licinij debilitatas gerebat ambas manus, contractas candenti ferro, corruptis enectisq; articulorum mobilibus neruis. Sozomenus Euſebium Pamphili habet, cuius in tota de ſynodo hac hiſtoria ſubinde mentio fit, & Alexandrum epiſcopum eccleſiæ ad lacum Mariam: libro primo, capite decimoſeptimo & decimonono. De Marcello etiam Ancyrano Iulius epiſcopus Romanus in epiſtola ſua apud Athanaſium, apologia ſecunda ait: Marcelli fides, confeſsioque ſpectata eſt Nicææ, cum Arianis contradiceret. Iulius autem ipſe (cuius tempore ſynodus Nicæna fuit, & non Sylueſtri, quemadmodum ex Athanaſij apologijs clarum eſt) non intererat: ſed presbyteros ſuos in ſynodum nomine ſuo miſit, Vitum (alij Vitalem uocant) & Vincentium. Socrates libro primo, capite decimotertio: Sozomenus libro primo, cap. decimoſeptimo. Epiphanius his omnibus

epiſcopos

episcopos adiecit quindecim ex circúcisione: lib. 2, tomo 2, hæresi sexagesimanona.

Eusebius libro tertio de uita Constantini, omnibus illis qui ad synodum cõuenerant, exhibitum quotidie fuisse scribit commeatum & uictum ab ipso Imperatore, honesta & liberali mensura. Theodoretus uerò ait, Imperatorem præcipuos propriæ adhibuisse mensæ.

Inter eos porrò qui tum de Arij factione aderant, Eusebius fuit Nicomedienſis, qui unus omnium pertinacissimè Arij partes tutabatur, & princeps erat totius sectæ. Post eum, Theognis Nicænus, Maris Chalcedonensis, Theonas Marmaricensis, & Secundus Ptolemaidis episcopus, Menophantus item Ephesius, Patrophilus Scythopolitanus, Narcissus Neroniadis seu Irenopolis in Cilicia altera episcopus: & qui primi omniũ Arij dogma amplexi fuerant, atq; unà cum eo ab Alexãdro damnati, Achilles, Euzoius, Aithales, Lucius Sarmata, Iulius, Menas, Arius secundus, & Helladius. nam Sozomenus indicat, decem & septem pro Arij sententia certantes, repertos: qui, postea quam de dogmate synodus cõueniſſet, non statim subscripserint. Socrates lib. primo, capite octauo: Theodoretus libro primo, capite quarto & septimo: Sozomenus lib. 1, cap. uigesimo & uigesimoprimo.

Cum autem in eo totus esset laudatissimus Imperator, ut ad consensum & concordiam fidei, omnes homines quoquo modo in religione inter se dissidentes, quantum in ipso esset, reduceret: etiam Acesiũ Nouatianorum episcopũ Constantinopoli in synodum euocauit: qui etiam cõparuit, &, ut uidetur, tractationi rerũ interfuit. Socrat. lib. 1, cap. 10. Sozom. lib. 1, cap. 22.

Narrat idem uterque, confluxisse tum Nicæam, synodi fama excitos, plurimos dialecticis disputationibus, seu rixationibus potius, et logomachijs exercitatos homines, atque ita paratos, ut utriusq; causæ patrocinari non dubitarẽt. Venisse autem eò alios quidem desiderio cognoscẽdi religionem Christianam: alios uerò odio Christianorũ, propter abolitam gentilium superstitionem, ut haberẽt in quos illuderẽt. Adfuisse & laicos aduenas: ex quibus senex quidam simplex ac nihil minus quàm uerborum præstigias edoctus, cum ostentabundo quodam illusore in certamen publicè se cõmiserit. qui facta copia illusori philosopho primùm, ut quæ uellet aut haberet, in medium adferret, postea respondit: In nomine ISV Christi, philosophe audi: Vnus est Deus, cœli & terræ, omniumq; uisibilium & inuisibilium opifex, qui hæc omnia uerbi sui uirtute condidit, & sancti spiritus sui sanctificatione cõfirmauit: Verbum hoc, inquit, quod nos filiũ Dei adpellamus, humani generis, quod in tam profundos demersum erat errores, & uitam agebat brutorum simile, misertus, à muliere nasci, cumque mortalibus conuersari, ac pro ipsis mori uoluit: rediturus est autem ad iudicandum ea, quæ quisque in uita sua commisit. Quæ ita se habere credimus, neq; in ullam partem curiosè inquirimus. Ne te igitur frustra defatiges, uanilo quę fide apprehendantur: nec de modo, quo ista uel possibilia sint, uel impossibilia, scrupulosè cogitans te maceres. Neq; enim dialecticas argutias, & uanas illas quas tu profiteris deceptiones, Christus nobis & Apostoli tradiderũt: sed sententiã nudam, quam fide tueri, ac bonis operibus custodiri oportet. Si credis igitur, interrogãti mihi respondo, inquit. ac uictum se confessus, eandem senis sententiam probauit: cæterisque quæ suæ professionis erant, ut secum simul crederent, hortator fuit. Socrates libro primo, capite octauo: Sozomenus libro primo, capite decimooctauo.

Vtrum uerò seu coràm, seu absens, seu mortuus, seu superstes synodi huius tempore Arius fuerit, non ita facilè explicare est. Monens quædam de libello pœnitentiæ Eusebij & Theogonij post synodi condemnationem Socrates lib. primo, capite decimoquarto, colligit, Arium reuocatum fuisse de exilio à synodo. Theodoretus autem libro primo, capite decimoquarto, indicat eum post synodum, aliquandiu adhuc Alexandriæ commoratum. tandem, quòd causam suam neque Alexandro, neque successori suo Athanasio probare potuisset, ab Eusebio Constantinopolim fuisse deductũ, ibidemque interijsse. Indicat & clarissimè Sozomenus libro primo, capite decimonono, episcopos ad synodum conuocatos, antequam Imperator interijsset, assiduè cõuenisse, ac cum Ario coràm multo sæpe negocio disputasse. Et extat inter Athanasij libros disputatio cũ Ario in synodo Nicæna: sed quòd Arius sit autor & princeps sectæ non fuerit, sed uel alter ille Arius iam olim ab Alexandro cum Ario hæretico damnatus, uel Arianus quispiam alius, ex eodem scripto facilè intelligitur. Etiam Ruffinus libro primo, capite primo, & sequentibus, Arium in synodo præsentem coram synodo sese humiliasse, & in omnia quæ contra se synodus statuisset, dato iuramento concessisse: ideoq; & à Constantino reditum ei ad Ecclesiam esse permissum.

Epipha-

Epiphanius contrà, in confutatione hęreseos Meletianorum libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimaoctaua disertè testatur, Arij hæresin post ipsius mortem damnatam fuisse. Et in confutatione hęreseos Arionitarum, libro & tomo eodem, hæresi sexagesimanona, Arij historiã omnino ita narrat, ut synodum Nicænam ab Imperatore Constantino indictam fuisse tum demum significet, cum infami & turpissima morte apud Constantinopolim Arius perijsset. Huc accedit, quòd in epistola Synodica, cuius exemplum recitatur à Socrate libro primo, capite nono, ad hunc modum de Ario scriptum est: Quem autem finem consecuta sint, quæ contra illum (Arium) sunt acta, omnino uel audiuistis, uel audituri estis: ne insultare uideamur uiro, qui proprio peccato digna præmia retulit. Quæ uerba de exitu ipsius ante synodum dicta esse quibusdam uidentur, cum in uiuis eum adhuc fuisse inde magis colligi posse uideatur: & de fulmine excommunicationis, magno scilicet & intolerabili supplicio, accipienda esse uerba illa non obscurum sit. maximè cum & hæc subijciantur: Tantum potuit ipsius impietas, ut & Theonam Marmaricum, & Secundum à Ptolemaide secum perdiderit. Nam & hos duos ab uniuersa synodo simul condemnatos esse, cum in Arij depositionem subscribere noluissent: ut postea dicetur.

Scribit Euagrius libro quarto, cap. trigesimo octauo, in synodo quadam Constantinopolitana, cõgregata sub Imperatore Iustiniano, cum de quorundam cõdemnatione, qui post obitum hæretici deprehensi essent, ageretur, propositam fuisse quæstionẽ, pium ne ac honestum esset, in mortuos anathemate animaduertere? Tũ Eutychiũ Cõstantinopolitanum episcopum respondisse: Equidem damnandos esse, & excludendos ab Ecclesia, etiam post mortem hæreticos deprehensos: quòd Iosias rex non uiuos solum dæmonũ sacerdotes occidisse, uerùm etiam urnas eorum qui diu fuissent antea mortui effudisse legeretur. Qua tam longè petita probatione Eutychius sine dubio non fuisset usus, si synodum Nicænam Arium mortuum anathemate percussisse pro certo habuisset. Vixisse igitur Arium Nicæni concilij tempore, quod plerique sentiunt, eorum autoritate statuimus.

Locus in quem synodus coijt, in domo fuit Imperatoria, amplus & spaciosus, extructus ita, ut utrumque latus graduum haberet plurimorum & subselliorum ordines, qui considentibus episcopis sufficerent. Sedes autem Imperatoris collocata erat circà ordinum primordia, parua scilicet sella ex auri materia facta. Eusebius libro tertio de uita Constantini: Theodoretus libro primo, capite septimo.

Retulimus autem suprà ex Sozomeno, priuatas intercessisse disputationes episcoporũ plurimas ante eum diem, quo in synodum in Palatio regio congregatam Imperator ipse uenit. Ac sine dubio congressus alij, & deliberationes episcoporũ frequentes fuêre, si synodi tempus triennij ferè, ut uidetur, fuit: ut postea dicemus. Sed ad determinatũ quendam diem, qui decimustertius erat, iuxta Eusebium, Calendas Iunij, anni Imperij Constantini uigesimi, quo & Imperator in synodũ uenit, et uno eodẽq; illo die, sed non eiusdem anni, controuersiæ iudicatæ & decisę sunt. Quę quidẽ ad hũc modũ gesta sunt.

Posteaquam synodus conueniisset, ac locũ sibi competentem quisq; adsessor accepisset, præmissis paucis aliquot non stipatoribus armatis, aut militibus, sed ex amicis, Imperator ipse ingressus est, summa cum præsentis pulcherrimi cœtus reuerentia & ueneratione, adeò ut nec consederit, priusquam ab episcopis inuitatus fit. Theodoretus narrat, eum, priusquam assideret, ueniam et concessionem ab episcopis modestè petijsse.

Cum iam cõsedisset, attentè omnes & grauitatem decentem, & ad religionem compositum Imperatoris uultũ inspexerunt. quibus Imperator, posteaquam alacri uultu ad omnes ordines respexisset, ad hunc modum placidissima uoce dicere cœpit.

Hæc summa fuit, charissimi, uotorũ meorum, ut frui possem conuentus uestri societate. Quod cum mihi contigerit, gratiam me Regi uniuersitatis huius debere confiteor, qui copiam mihi præter alia cuncta benignè dedit, id bonum contuendi, quod pluris est quàm alia omnia: Vos, inquam, in hoc cœtu uniuersos, & communem atque concordem sententiam uestram ut aspicere atq; cognoscere mihi cõcedatur. Ne quis igitur inuidus hostis contaminet bona nostra: neu post sublatam de medio, potentia Dei, aduersantem numini ipsius uiolentiam tyrannorum, alio iam pacto malis gaudens Dæmon, cœlestem doctrinã calumnijs infamet, meo quidem certè iudicio Ecclesiæ Dei intestina seditio, quocunque bello & omni dimicatione horribilior & grauior est: & quicquid externum est, id tantam molestiam habere nõ potest. Postquam igitur uictorijs potitus, superaui nutu & auxilio Dei hostes: nihil aliud restare arbitratus, q̃ Deo quidẽ agere gratias: gratulari aũt alijs, qui nostra opera ipsius causa in libertatẽ adserti essent: certior factus, prętер omnẽ opinionẽ & spẽ meã, dissensiones inter uos esse ortas: hoc indicium neutiquam neglexi: neq; quicquã prius aut potius

potius in uotis habui, quàm ut huic morbo, meo ministerio remediũ adferretur. Ideoq; uniuersos uos accersiui. Ac lætor quidẽ me uidere hunc cœtũ. Tum uerò statuam non fuisse frustratam spem meam, cum animis uidero quasi coaluisse uniuersos, & unam ac communẽ inter uos celebrari pacificam concordiam: quam par scilicet fuerit, ut per uos sibi contingere omnes alij sentiant, concilia tam à sacerdotibus Dei æterni. Quapropter omni cunctatione depositа, ô Dei ministri, cõmunisq; omnium nostrũm Domini & Saluatoris præclari famuli, agite iam nunc causis dissensionũ prolatis, omnes nodos discordiæ & cõtentionũ pacifico iure dissoluite. Hoc altissimo Deo à uobis gratissimũ, & mihi conseruo uestro iucundissimũ est futurum. Eusebius lib. 3 de uita Constantini.

Ad hanc Imperatoris orationem, Eustathius Antiochenus episcopus omnium consensu responsum quædam iussus, surrexit: ac gratias primùm Deo Imperatoris nomine egit, deinde & studium ipsius erga res diuinas & religionem commendauit, proque ea pietate gratias egit. Theodoretus lib. primo, capite septimo.

Postea rursus Imperator uerba faciens, ad concordiam omnes exhortatus est: atque ut postpositis priuatis contentionibus & causis, ad id intentus quisq; esset, propter quod tantis laboribus synodus coacta foret, ab ijs petijt. Occasione autem sumpta, quòd libellos accusatorios, & querelarum de priuatis iniurijs & offensis, multi episcopi pridie ei exhibuerant, cognitionem Imperatoris & iudicium expetentes (sed quos comburi Imperator tum præcepit) ad condonationem mutuam omnes familiariter exhortatus est: quòd CHRISTVS præcepisset, ut fratri is remitteret, qui & ipse ueniam & condonationem à Deo impetrare cuperet. Etiam hoc addens: Suum non esse, eiusmodi causarum cognitionem & iudicium sibi sumere: sed pertinere id ad eum iudicem, qui de omnibus in extremo suo iudicio sententiam iustam laturus esset. Socrates lib. primo, cap. octauo: Sozomenus lib. primo, cap. decimoseptimo.

Inde igitur ad ipsam rem accesserunt. Et hic iterum Imperator in mentem omnibus reuocabat superiorum temporum sub tyrannis crudelibus asperitatem: pacisq; uias ostendebat, qua sui beneficio Imperij nunc, si uelint, frui possent. subinde hoc addens, Nihil indignius esse, quàm hostibus deuictis externis, ipsos inter se doctores digladiari, ac uoluptatem & risum conciliare inimicis, præsertim in disputationibus de rebus diuinis. Communi igitur studerent consensui: & in dijudicatione dogmatum cœlestium, cum in promptu haberent Euangelicos, Apostolicos & Propheticos libros, inde censuræ formulas peterent. Theodoretus libro primo, capite septimo.

Facta deinde potestate utrique parti, quæ quisq; de fide haberet dicendi, ac respondendi, primùm omnium Eusebij Nicomedienses, Arij patroni, libellus blasphemiæ plenus prolatus est: quemadmodũ ex Eustathij cõmemoratione Theodoretus tefert libro primo, capite octauo. in quo sine dubio summa hæc Arianæ fuit insaniæ & blasphemiæ: Nõ semper Deus erat pater, non semper filius. Nam cum omnia sint ex nihilo, etiam Dei filius ex nihilo emersit: & cum omnia sint conditа, ipse quoq; conditum quiddam & opus haberi debet. Et cum omnia prius nõ essent, sed postea extiterint: fuit profectò cum uerbum non erat. Et quia non erat antequá fieret, principium existendi habuit. Tum enim extitit, cum Deus eum conditum uoluit. Nam inter omnia opera eius, ipse quoq; connumerãdus est: qui & natura mutabilis fuit, sed libero arbitrio bonus remansit. & quia pro uoluntate sua uerti mutarique potuit, ut reliqua omnia: ideo Deus, cum præcognoscceret illum bonum fore, maturauit ut illi hanc gloriam daret, quam postea ex uirtute meriturus fuisset, ut qui de opere suo, quale futurum esset, præscientiam haberet. Item: Non Deum uerum Christum esse, sed participatu deitatis Deum factum, eadem ratione qua cætera quoque numina appellantur. Etiam hoc: Eum non natura ingenitum existere, nec proprium esse eius substantiæ uerbum, nec propriam sapientiam in qua mundum istum creauit: sed aliud esse impatre proprium & peculiare uerbum, aliamque item propriam sapientiam, in qua sapientia istud uerbum fecit. Atque adeò ipsum Dominum Christum respectu rationalium quæ uerbis utuntur, uerbũ esse nuncupatum: & respectu comparationeque sapientum, sapientiam dictum. Quinimò ut omnia aliena diuersaq; sunt à patris substantia, ita ipsum quoque per omnia diuersum alienumq; esse à patris substantia: sed exgenitis conditisq; ipsum proprium & unicum patri filium & sapientiam esse: eumq; & creaturam esse, & opus Dei. Et coessentiale id esse, quod in aliquo esset, uel secundum partitionem, uel secundum fluxum, uel secundum progerminationem. Secundum progerminationem quidem, sicut germen est è radice: secundum fluxum, sicut filij paterni: secundum partitionẽ, sicut duo uel tria auri malleo fusa. Athanasius oratione prima contra Arianos: Theodoretus lib. primo, cap. 8.

Lectus autem libellus iste, cùm ingẽti dolore ad eiusmodi blasphemias infremuissent omnes, ut qui fidei formã nec germanã nec sinceram

ſinceram proponeret, in medio omnium diſcerptus eſt, autore eius coram omnibus cõfuſo. Et ſecuta deinceps utriuſq; partis acerrima eſt contentio. Omnes autem clementer Imperator audijt: & ſuccurrendi utrique parti ſtudio, placidè alios qui contentioſius diſputabant conciliabat, alios bene diſſerentes laudabat, ſermone alios manſueto flexit: in toto eo negocio unum illud ſpectans, ut ad conſenſum mutuum omnes qui tum ibi aderant, reduceret. Euſebius ibidem: Socrates libro primo, capite octauo: Theodoretus libro primo, capite ſeptimo.

Pudore autem confuſi Euſebius & gregales ſui, metu exilij Arianum dogma ab omnibus tum reprobatum, ipſi quoq;, ſed per ſimulationẽ, ut euentus poſtea docuit, anathemate damnauerũt, & communi patrum conſenſui de filio Dei ſubſcripſerunt: duobus ſaltẽ exceptis, Secundo & Theone: quẽadmodum Athanaſius in decretis ſynodi Nicænæ contra hæreſim Arianam, quod adſcribimus, refert. In Nicęna, inquit, ſynodo cum Euſebio eiusq; gregalibus actum ita eſt, cum principio in hæreſi ſua contumaces in Deum bella pugnasq; meditarentur. Nam quæ ab illis proferebantur, hæreſis impietatẽ ſcatebant. Epiſcopi contrà qui conuenerant (erant autem illi plus minus trecenti) placidè & humaniter poſtulabant, ut ſuorũ dictorum rationes redderent, ſeq; non impios eſſe demonſtrarent. Illi autem uix incœperant hiſcere, cum iam & improbarentur, & ipſi quoque inter ſe depugnarent, ignitaq; ſuę hęreſeos perplexitate, muti prorſus reddebantur, ipſoq; ſilentio ſuæ opinionis uitia flagitiaq; prodebant. Epiſcopi igitur ſublatis Euſebianorum uocabulis, formulam ſanæ fidei conceperunt: omnibusq; ſubſcribentibus, ſubſcripſerunt & ipſi Euſebiani, ſubſtantiam & conſubſtantialitatem approbantes: Deiq; filium nullo modo factũram aut creaturam eſſe, ſed fœtum uerbumq; ex patris ſubſtantia. Quodq; maioris admirationis eſt, Euſebius ex Cæſaria Palæſtines, quum pridie abnegaſſet, in eandem ſententiam tamen poſtridie ſubſcripſit: quam etiam Eccleſiæ legendam miſit, dicẽs eam eſſe Eccleſiæ fidem, & patrum traditionem. omnibusq; manifeſtò apparuit, eum prius & temerè erraſſe, & fruſtra contra ueritatem pugnaſſe. Nam tametſi eum puduit ſcriptis errorem fateri, & ut potuit, ſe Eccleſiæ excuſarit: in epiſtola tamen in qua Dei filium conſubſtantialem & ex ſubſtantia patris exiſtere non inficiatur, clarè ſe in errore fuiſſe demonſtrat: miſerq; prorſus in eo fuit, quòd ut ſe purgaret, coactus ſit Arianos accuſare, quòd illi ſcriptum reliquiſſent, nõ fuiſſe filium antequam gigneretur: indeq; ratiocinari uellent, eum ne ante carnis quidem natiuitatem extitiſſe. Et in epiſtola ad epiſcopos per Africam: Congregatis, inquit, epiſcopis, uolentibusq; uoces impietatis ab Arianis intentas è medio tollere, illud ſcilicet quòd aiunt, Ex non entibus, & quòd aiunt, Facturam & creaturam eſſe filium, &, Erat quando non erat, & quòd eſt commutabilis naturæ, & literarum ſacrarum uoces certas & confeſſas ſcripto complecti, nimirum ex Deo eſſe filium, & natura unigenitum eſſe uerbum, eumq; ſolum uirtutem & ſapientiam eſſe patris, & uerum Deum eſſe, ut Ioannes dixit, & ſplendorem gloriæ, formam ſubſtantiæ patris, ut Paulus ſcripſit. Hic Euſebiani prauas ſuas opiniones ſequentes, inter ſeſe muſitare: Imus quoque & nos, inquientes, in ueſtram ſententiam. Nam & nos quoque ex Deo ſumus: unus ſiquidem Deus, ex quo omnia. Et uetera præterierunt, ecce noua facta ſunt omnia, omnia uerò ex Deo. Et allegabant id quod in Paſtore ſcriptum eſt: Ante omnia crede unum Deum eſſe, qui cõdidit omnia, inſtaurauit & fecit, ut ex non exiſtentibus exiſterent. Epiſcopi uerò intellecta eorum uafricie, & dolis aduerſus pietatem, clarius expreſſerunt hanc ſententiam, Ex Deo ſcilicẽt eſſe: & ſcripſerunt pro ijs, Ex ſubſtantia Dei eſſe filiũ. Ne uerò creaturæ ſua ſponte & ſine autore uiderentur eſſe conditæ, ſed principium cauſamq; initialem haberent: dictum eſt, eas ex Deo eſſe: filium contrà, ſolum eſſe proprium ſubſtantiæ patris. id enim proprium unigeniti & ueri uerbi cum patre: ac proinde de eo ſolo ſcriptum eſſe, quòd ſit ex ſubſtantia patris. Atq; iſta fuit cauſa iſtius complexionis uerborum. Epiſcopis uerò denuò interrogantibus paucos iſtos, An ne agnoſcerent, filium non creaturam eſſe, ſed uirtutem & unicam ſapientiam patris, & per omnia imaginem indemutabilem patris, & uerum Deum? deprehenſum eſt, Euſebianos inter ſe conſuſurrare & annuere, nimirum quaſi iſta etiam ad ipſos pertinerent. Nam & nos, inquientes, imago & gloria Dei appellamur, & de nobis quoque id dictum eſſe: quum & omnes qui uiuimus, aliæq; res complures, uirtutes appellentur. Siquidem egreſſa eſt omnis uirtus Domini ex Aegypto, erucam quoque & locuſtã uirtutem magnam nominari. Et Dominus uirtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob: & nos eſſe Deo ſuos ac proprios, quippe qui etiam fratres dicamur. Quod ſi etiam Deum uerum filium nuncupent, id & nos quoque non malè habet: quoniam uerus Deus factus eſt. Hæc Arianorum corrupta & peruerſa mens. Cæterùm epiſcopi intellecta eorum fraude, collegerunt

runt in unũ has uoces ex ſacris literis, Splendorem, fontem, & fluuium, & formam cum ſubſtantia: & illud item, Et in lumine tuo uidebimus lumen: & illud quoque, Ego & pater unum ſumus. & pro maiori elucidatione ſcripſerunt, Filium patri eſſe conſubſtantialem. Nam quum ſuperiora omnia hunc intellectum afferant, atque ita illorum obmurmuratio, quòd hæ uoces in ſacris literis non reperiantur, uana eſſe deprehenditur, quum ipſi ex uerbis in ſcriptura ſacra non receptis, impietatem ſuam inſtruant: ſcriptum ſiquidem nuſquam eſt illud eorum, Ex non entibus: & rurſus illud eorum, Erat quando non erat: ſed ipſi interim mirè incuſant, quòd per uoces non in ſcriptura ſolennes, ſed tamen piè inuentas, condemnati ſunt: quum ipſi tanquam è ſtercoribus exorti, uerè de terra loquantur: epiſcopi contrà, non has uoces ipſi excogitarint, ſed eas à patribus conteſtatas acceperint, & ſcriptis ſuis inſeruerint. Siquidem Priſci epiſcopi abhinc annis propè centum & triginta, tum qui Romæ, tum qui in noſtra ciuitate pontificatum geſsêre, accuſauerunt eos qui Filium creaturam dicerent, aut qui negarent eum conſubſtantialem patri. Neque eius rei ignarus erat Euſebius epiſcopus Cæſarienſis, qui cum prius ſuffragaretur Arianicæ ſectæ, poſtea tamen Nicæni concilij decretis ſubſcripſit, & apud ſuos idipſum proprijs literis affirmauit, cuius hæc uerba ſunt: Nouimus quoſdá ex Priſcis eruditos & pręclaros antiſtites, aliosq; ſcriptores, quum de patris & filij deitate loquerentur, uoce conſubſtantialitatis uſos eſſe.

De cuius ſubſcriptione hæc etiam in decretis contra hæreſin Arianam ad hunc modum Athanaſius retulit: Quod maioris, ait, admirationis eſt, Euſebius ex Cæſarea Palæſtinus, cum pridie abnegaſſet, in eandem tamen ſentẽtiam poſtridie ſubſcripſit: quam etiam Eccleſiæ legendam miſit, dicens eam eſſe Eccleſiæ ſedem, & patriam traditionem. Ac Sozomenus quidem libro primo, capite uigeſimoprimo retulit, Euſebium, cum ſubſcribendum eſſet, reſtitiſſe pauliſper, expendentem quaſi accuratius ſcriptam à Synodo formulam fidei: ac poſtea approbaſſe. hoc nimirum indicans, eum non ſat rectè uoces declarationis cauſa à Synodo adiectas intellexiſſe prius, ſed explicationem eorum poſtulaſſe: ſicut in epiſtola ſua ipſe indicat apud Socratem libro primo, capite octauo: Theodoretum libro primo, capite duodecimo, ex quo partem eius adſcribimus.

¶ Hac deſcriptione (fidei) ab ipſis ſubiecta non relinquẽtibus nobis inexquiſitum, quòd dictum erat, Ex patris eſſentia, & Coeſſentialem patri: rurſus quæſtiones & reſponſiones mouebantur, examinabaturq; ratio ſignificationis dictorum. Ibi illud, Ex eſſentia, fatebantur demonſtrare, eſſe ex patre quidem, ſed ut non patrem patris. Hactenus igitur & nobis rectum eſſe uiſum eſt, aſſentiri ſententiæ doctrinæ pietatis, quæ ſubijceret, ex patre eſſe filium, non tamen ut partem eſſentiæ illius. Itaque & huic ſententiæ ipſi quoque acceſsimus, & dictionem admiſimus, cum nobis ob oculos uerſaretur pacis propoſitum, & in recta ſententia perſeueratio. Similiter & illud, Genitum, ſuſcepimus. Aiebant enim, quod factum dicitur conuenire reliquis communiter creaturis conditis per filium, cum quibus filius conferri nõ poſsit: proinde ipſum non facturam eſſe ſimilem ijs quæ ipſe ſeciſſet, ſed præſtantioris eſſentiæ quàm ut creaturæ ulli apponi deberet, quam genitam ex patre docent diuina oracula, modò ineffabili & incomprehenſibili ab omni genita creatura. Ita & in hoc, Coeſſentialem eſſe patris filium, excuſsis rationibus, conuênit, non corporali ſanè, neq; mortalium animantium modo: quippe neque per diuiſionem, nec reciſionem eſſentiæ, imò ne affectionem quidem aliquam, aut mutationem narrationem ue potentiæ paternæ. ab his enim omnibus aliena ingeniti patris natura: ſed hoc ſibi uelle, Coeſſentialem eſſe patri, nullam penitus habere cum natis creaturis filium Dei ſimilitudinem, eſſeque tantum omnibus modis ſimilem patri, à quo genitus ſit, non ex alia ulla ſubſtantia eſſentia'ue niſi paterna: cui & ipſe accedere cum tali interpretatione rectum eſſe cenſuimus. Nam priſcos quoſdam doctores & celebres epiſcopos ſcriptoresq; ſcimus, in diſputatione deitatis patris ac filij, inter alia etiam hanc dictionem Coeſſentialis uſurpaſſe.

Secundum autem à Ptolemaide, quem Theodoretus ſubſcripſiſſe negat, Sozomenus ibidem conſenſiſſe ſcribit. Et addit: Euſebium, Theogonium, & Secundum approbaſſe quidem formulam fidei à Synodo compoſitam, ſed in depoſitionem Arij nequaquá conſenſiſſe. Cuius rei & Socrates meminit libro primo, capite decimoquarto. Quamobrem & exilio unà cum Ario ab Imperatore multati ſint. De quibus uerò, quemadmodũ & Ario, ab exilio reuocatis, quædam, ut dixi mus, Socrates cõmemorat loco indicato: ſed quæ tum ab alijs diuerſa ſunt, tum explicari ferè minimè poſſunt.

Addit Theodoretus libro quarto, capite uigeſimoſecundo, ex Petri Alexandrini autoritate, Euzoium quoque Alexandrinæ eccleſiæ Diaconum, à ſynodo fuiſſe depoſi-

depositum. Et Athanasius, unà cum Secundo etiam Carponem reiectum ait, in apologia secunda: quos cum alijs aliquot, ut suprà dictum est, in Synodo sua etiam Alexander excommunicauerat. Socrates libro primo, capite sexto.

Sed & librum Arij Thaliam inscriptum, quem conuiualium seu crapularum librum aliquoties Athanasius nominat, à Synodo condemnatũ, Sozomenus autor est libro primo, capite uigesimoprimo. Meminit eiusdem libri Athanasius in oratione prima & secunda contra Arianos, & in decretis contra hæresim Arianam, ubi & quædam ex eo Arij figmẽta refert: nõnulla etiam, & multa quidem, in epistola de synodis Arimini & Seleuciæ. Socrates libro primo, capite nono: & Sozomenus libro primo, capite uigesimoprimo, librũ eum sermonis genere molli ac dissoluto, similiq; canticis Sotadicis cõscriptũ fuisse indicant.

Nunc quo consilio & occasione patres in Synodo ea cõgregati, fidei formulæ inseruerint uoces Essentiæ et Homousij seu coessentialis, obiter cõmemoramus. Theodoretus libro secundo, capite uigesimooctauo, ad expugnandas fraudes & calumnias Arianorũ, de industria excogitatas, & in Synodo expressas eas uoces fuisse scripsit. Et extat eiusmodi declaratio quædam in epistola synodi Antiochenę apud Sozomenum libro sexto, cap. quarto, in eam sententiam: quandoquidem nomen Homousion, quod à Nicæna synodo perlatum, nonnullis peregrinum uidetur, certam à patribus expositionẽ consecutum est, qua significatur, ex substantia patris genitum esse filium, & quòd secundum substantiam patri sit similis: nõ quòd circa hanc ineffabilem generationẽ passio quædam cogitetur, aut secundum ethnicum aliquem usum nomen hoc substantiæ usurpetur, sed ut temeritas Arij subuertatur. Similis explicatio apud Athanasium pluribus in locis traditur, ut in decretis synodi Nicænæ contra hæresim Arianam: Cum synodus, inquit, in hoc esset, ut Arianorum impia uocabula tolleret, & uoces adhibere uellet quæ sine controuersia sacrarum literarũ essent, nimirum eum esse filium, & nequaquam ex non entibus esse, sed ex Deo: eumq; & uerbum esse et sapientiam, & nequaquam creaturam aut factura, sed germen proprium sui patris: Eusebiani pro inueterata sua & praua opinione uolebant illud Ex Deo esse, commune esse, & ad homines quoq; pertinere: neque quicquam Christum eo nomine à nobis differre, eo quòd scriptũ esset, Vnus Deus ex quo omnia: & rursum, Vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia: omnia uerò ex Deo esse. Ibi patres animaduersa eorum fraude, & impietatis uafricie, coacti sunt clarioribus uerbis exponere, quid sit Ex Deo esse: & scribere, Filium ex substantia Dei esse: ne Ex Deo esse, & cõmune, & æquè ad filium & creaturas pertinere existimaretur. Cætera igitur omnia creaturas dixêre, excepto uerbo, quod solum ex patre genitum esse crediderunt: & cętera quoque ex Deo esse, uerùm non eadem ratione qua filius. Creaturæ enim ideo ex Deo esse prædicantur, ne temerè & sponte extitisse uideantur, aut fortuitam habuisse generationẽ, secundum illos qui ex atomorum & similarium partium connexu rerum procreationem constituunt: aut ne creaturarum author alius quàm Deus, secundum quosdam hæreticos, putaretur: aut angeli, secundum alios, creatores rerum existimarentur: sed ut Deus omnia per uerbum, quum prius non essent, ad essentiam produxisse intelligeretur. Verbum autẽ cum creatura non sit, uerè ex Deo & est, & esse prædicandum est. Istius rei intellectus ijs uocibus concipitur, quibus dicitur, eum ex substantia patris esse: id enim nulli creaturarum datum. Certè quum Paulus omnia dixisset ex Deo esse, statim subintulit: Et unus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia: ut omnibus ostenderet, filium esse alium à cæteris rebus à Deo creatis. Quę enim à Deo facta sunt, per Filium facta sunt. nec alia de causa ita locutus est, quàm ut Deum creationis authorem esse demonstraret: non quòd intelligi uellet, ita omnia ex Deo esse, ut filius ex patre. Neque enim omnia talia, qualis filius: neque uerbum est ex uulgo omnium, quum sit omnium & Dominus & conditor. Ideo enim sacrosancta Synodus liquidius dixit, eum ex substantia patris esse, ut alius à natura rerum conditarum crederetur, quum solus sit reuera ex Deo: & ut nulla deinceps occasio hominibus impijs ad fraudem relinqueretur. Hæc igitur ratio est, cur filium ex substantia patris scriptum esse uoluerint. Episcopis rursum affirmantibus, & hoc quoque scribi debere, eum ueram esse potẽtiam & imaginem patris, & similem patri, & indemutabilem per omnia, & inconuertibilem, & æternum, & indiuisum in patre subsistere: nunquam enim non erat, sed semper erat, subsistebatq; perpetuò apud patrem, ut splendor lucis: ista quidem eatenus sustinebant Eusebiani, nihil ausi contrà dicere, ob probrum quod in dictis suis refutatis passi erant: sed ita tamẽ, ut deprehenderentur inter sese musitare, nutus conferre, oculisque sibi inuicem applaudere, quasi illud Simile esse, & in eo esse, & eius potentiam esse, communia filio nobiscum essent: neque obstare quicquam, quo minus nobis ea ipsa quoque adoptarentur, eo quòd de similitudine nostra

ſtra cum Deo ſcriptum habeatur, hominem eſſe & imaginem & gloriam Dei. Quòd uerò ſpectaret ad hanc particulam Semper, in Scripturis reperiri has uoces de hominibus: Nos ſemper, qui uiuimus, ſumus. Iam quod ad dictum pertineret, quo filius in eo, hoc eſt in Deo eſſe dicitur: ſcriptum eſſe, quòd & nos in eo & uiuimus & mouemur. Itidem quoque, quòd inconuertibilis dicatur, ne id quidem ab hominibus alienum eſſe: quum ſcriptū reperiatur, Nihil nos ſeparabit à charitate Dei. Porrò quòd Potentia Dei appelletur, & id quoque commune eſſe, quum eruca & bruchus etiam potentiæ Dei appellentur: & quod plus eſt, magnæ potētiæ. Quin & de populo ſæpe ſcriptum eſt, egreſſam eſſe omnem potentiam Domini ex Aegypto: atque adeò etiam quaſdam cœleſtes potentias uirtutesq; exiſtere. Dominus enim, inquit, uirtutū nobiſcū, ereptor noſter Deus Iacob. Talia enim Aſterius, ab ipſis ſophiſta nominatus, ſcripſit: talia quoque ante eum Arius, ut iam diximus. Cæterùm epiſcopi, cōſiderata illorum hypocriſi & uafricie, prout Scriptura dicit, Dolus in cordibus architectantium mala: ipſi quoque neceſsitate coacti ſunt ſententiam earum rerum ex Scripturis colligere, & quæ prius dixerant, apertioribus uerbis repetere, & ſcribere Filium conſubſtantialem eſſe Patri: ut non ſolum ſimilem ſimilitudine, ſed eundē ea uoce qua ex patre eſſe dicitur, ſignificarent: atque aliam eſſe filij ſimilitudinem & inconuertibilitatem declararent, diuerſamq; ab ea quæ in nobis eſt imitationem, quam ex uirtute per obſeruationē mandatorū conſequimur. Siquidem corpora interim ſimilia diſtare poſſunt, & longè à ſe inuicem diſiungi, quales ſunt liberi qui ſimilitudine parentes referūt: quemadmodum ſcriptum eſt de Adamo, & ex eo genito Seth, quòd fuerit illi ſpecie ſimilis. Cæterùm quandoquidem illa ex patre filij generatio, alia eſt à natura hominū, filiusq; non ſolùm ſimilis, ſed indiſſeparabilis eſt à patris ſubſtantia: & quia ambo unum ſint, ut ab ipſo dictum eſt, ſemperq; in patre eſt, & pater in eo: & quia ſplendor eſt reſpectu lucis (hoc enim uox illa ſignificat) ideo Synodus re perpēſa, rectè eum conſubſtantialem eſſe tradidit, ut & hæreticorum ſubuerteret maliciam, & oſtēderet eum alium eſſe à rebus creatis. quippe quę ſtatim poſt decretum, illud quoque addidit: Illos autem qui dicunt, Filium Dei ex non entibus extitiſſe, aut creatum eſſe, aut uertibilem eſſe, aut opus eſſe aliquod conditum, aut ex alia ſubſtantia prodijſſe, eos anathemate percutit ſancta & catholica Eccleſia. In his uerbis, Ex patre eſſe, & Conſubſtātialem eſſe, uim peremptoriam patres uoluē-

re contineri: ad elidendas has argutiolas, Filium creatum, aut factum, aut mutabilem eſſe, aut non fuiſſe antequam naſceretur. Qui enim ita ſentit, contradicit Synodo: contrà, qui cum Ario non ſapit, debet neceſſariò ea quæ ſunt Synodi ſapere, & cogitare (modò rectè, quomodo ſe habeat lux ad ſplendorem, intueatur) atque ita inde ueritatis imaginem concipere. Quapropter ſi iſti hæc uocabula exotica cauillantur, reſpiciant ſenſum, iuxta quem Synodus ea in decretis ſuis adhiberi uoluit: & pro anathemate habeāt, quæ Synodus pro anathemate haberi uoluit: & tum demum, ſi poſsint, uoces culpent. Et aliquanto pòſt idem ait: Patribus in ea Synodo ſingulari conſilio uiſum eſſe, fidem totius Eccleſiæ concipiendam ac muniendam eſſe his uerbis, ſubſtantiæ ſcilicet & conſubſtantialis. Et in epiſtola de ſynodo Arimini & Seleuciæ: Ex Deo, inquit, aliter de operibus, aliter de filio intelligas. Hæc cum Synodus intueretur, ſciretq́ eiuſdem uocabuli diuerſas ſignificatiōes, ne quis ſuſpicetur has uoces, Ex Deo, ita de filio accipi, ut de creaturis accipiūtur, clarius rem expreſsit, ſcribens filium ex ſubſtantia Dei eſſe. Et rurſus aliquanto pòſt clarius explicans, quod Euſebius Caſarienſis de uocabulis ijſdem ſcripſit, priſcos ſcilicet & celebres aliquos Doctores in diſputationibus de patris et filij deitate, dictione Coeſſentialis uſos eſſe: Nicæenſes, ait, non quaſi nouum aliquid ſapientes, neque fiducia ſui, uoces in ſcriptura non ſolennes defendunt: ſed à patribus incitati, eorum uocabulis uti uoluerunt. Duo enim Dionyſij, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ pręſul erat, iſtis uocabulis uſi ſunt, nempe Subſtantia & Conſubſtantiali. Idem aliquanto pòſt: Illi qui Arianam hæreſin anathemate notarunt, cognoſcētes non creaturam, ſed genitum quiddam ex ſubſtantia patris eſſe filium: & ſubſtantiam patris, originem, radicem & fontem eſſe filij, & uenam undecunque eſſe ſimilitudinem geniti cum genitore: & neq́ua quam eum, ut nos, diuerſæ naturæ eſſe, ac proinde ſeparari à patre, ſed ipſius eum eſſe filium, necab eo diuidi poſſe, ut nec ſplendor à luce: & pro ſe habentes Dionyſij exempla, fontem ſcilicet, & conſubſtantialis aſſertionem: & præterea unitricem Saluatoris uocem, Ego & pater unum ſumus: &, Qui uidit me, uidit & patrem meum: his de cauſis meritò inducti ſunt, ut filium conſubſtantialem dicerent. & quemadmodum nunquam quiſquam, ut ſuperius dixi, Apoſtolum culpauerit, quòd de lege ad iſtum modū Romanis, ad illum uerò Hebræis ſcribat: ita neotericiſ priſcos homines nunq́ culpauerint, ſi uideāt

eorum

eorum mentem & interpretationem: neque rursus prisci neotericos reprehenderint, si conspiciant, quo animo, et in quem usum de Domino scribant. nam utraq; Synodus iustam habet & rationabilem causam, cur illa ad illum, ista uerò ad istum modũ uerba sua temperauerit. Quandoquidem enim & Samosatensis sentiebat, filiũ ante Mariam nõ fuisse, sed ab ea initiũ suæ essentiæ accepisse: ideo episcopi tunc congregati, hominem hæreseos condemnatum abdicarunt, & de filij diuinitate simplicius scribentes, non exquisitam diligentiã in tractatu huius uocis Consubstantialis adhibuerunt, sed ut acceperant de consubstantiali, ita locuti sunt. In eo enim omnem curam habebant, ut quod Samosatensis excogitarat, tollerent: & docerent, ante omnia filium fuisse: eumque non ex homine Deum esse factum, sed quũ Deus esset, induisse serui speciem: & quum uerbum esset, carnem esse factum, quemadmodum locutus est Ioannes. atque ita aduersus Pauli blasphemias actum fuit. Verùm quia Eusebius & Arius, ante tempora quidem filium fuisse dicerẽt, sed tamen factum esse, & unum ex creaturis esse docere conarentur: & dictum illud, ex Deo, non ita interpretarentur, ut filium genuinum ex patre uero natum crederẽt: sed eum ita ex Deo esse, ut cætera creata, affirmarent, & similitudinis unitatem filij cum patre negarent, essentia aut natura constare, ut solidè filius patri suo similis haberi posset: sed consensu dogmatum, rationeque doctrinæ, eam similitudinẽm conflatam esse. & quia intersepiebant, & omnibus modis abalienabant essentiam filij à patre, aliud ei initium existendi affingentes, ad creaturarum censum eum detrahebant: ideo Niceæ congregati episcopi, conspicati eorum hominum qui ita sentiebant uafriciem, collectis in unum quæ ex sacris literis ad sententiam suam tuendam facerent, liquidius rem exponentes, filium consubstantialem esse asseuerarunt, ut ingenuitas & uera natura filij inde significaretur, nihilque cum eo res creatas commune habere edocerent. Vocis enim istius exquisita ratio, eorum simulationem, quum dicunt eum ex Deo esse, patefecit: & omnes eorum argutias, quibus simpliciores fallunt, excludit.

Ait & Ambrosius libro tertio de fide, capite septimo. Autor ipsorum Eusebius Nicomediensis epistola sua prodidit dicens: Si uerum Dei filium, & increatum dicimus, homousion cum patre incipimus cõfiteri. Hæc cum lecta esset epistola in concilio Nicæno, hoc uerbum Homousion in tractatu fidei posuerunt Patres, quòd uiderẽt aduersarijs esse formidini: ut tanquam euaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ hæresis caput amputarent.

Sed nunc fidei formulæ à Synodo publicatæ exempla subijcimus, quæ apud Socratem habentur libro primo, cap. octauo: quorum prius quidem est Synodi ipsius, trecentorum scilicet & decem & octo episcoporũ, quod his uerbis expressit. Credimus in unũ Deum omnipotentẽ, uisibiliũ omniũ & inuisibiliũ factorem. Et in unum Dominum nostrum IESVM Christum, filium Dei, natũ ex patre, unigenitum: hoc est, ex substantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum uerũ ex Deo uero, natum, nõ factum, coessentialem patri, per quem omnia facta sunt quæ in cœlo sunt & quę in terra. Qui propter nos homines, & propter nostrã salutem descendit de cœlis, & incarnat⁹, & homo factus est, & passus, tertia die resurrexit, & ascendit in cœlos, & uenturus est ad iudicandũ uiuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Extat eadem formula & apud Athanasiũ in epistola ad Iouinianũ de Fide, & Hilariũ in lib. de Synodis contra Arianos. apud Basiliũ item epistola sexagesima ad ecclesiã Antiochenã, & apud Gregoriũ Nazianzenũ initio libri de fide. Alterum Eusebij Cæsariẽsis, ad prioris formam cõpositum, sic se habet: Credimus in unũ Deum, patrẽ omnipotẽtem, uisibiliũ omniũ & inuisibiliũ factorẽ. Et in unum Dominum IESVM Christum, Dei uerbũ, Deum ex Deo, lumen è lumine, uitam è uita, filium unigenitum, primogenitũ omnis creaturæ, ante omnia secula ex Deo patre genitũ, per quem etiam cuncta facta sunt: qui salutis nostræ gratia incarnatus, & inter homines conuersatus, & passus est: & tertia die resurrexit, & ad patrem ascendit, uenturusq; est denuò ad iudcandum uiuos & mortuos. Credimus autem & in unũ Spiritum sanctũ. Tertium, quod ad accõmodationẽ dictionis Homousij ab alijs cõscriptũ indicat, eiusmodi est: Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, uisibiliũ omniũ & inuisibiliũ factorem. Et in unum Dominũ IESVM Christũ, filium Dei, genitũ ex patre unigenitũ, hoc est substantia patris, Deum ex Deo, lumen è lumine, Deum uerum ex Deo uero: genitum, non factum, consubstantialẽ patri, per quem omnia facta sunt, cùm quę in cœlo, tum quę in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit, & incarnatus, & homo factus ac passus est: & resurrexit tertia die, & ascendit ad cœlos, ac uenturus est ad iudicandum uiuos ac mortuos. Et in Spiritum sanctum. Quæ exempla omnia etiam à Theodoreto recitata sunt, libro primo, capite duodecimo.

Eandem formulam paulo prolixius & explicatius retulit Athanasius in epistola ad

Epictetum episcopũ Corinthiorum, quam & ipsam adscribimus: Credimus in unũ ingenitum Deum patrem omnipotentem, omnium creatorem, uisibilium pariter & inuisibilium, qui ex se habet quod est. Et in unum unigenitum uerbum, Sapientiam, filium ex patre ininitialiter & perpetuò genitum. Verbum porrò non elocutione pronunciatum, aut cogitatione in animo conceptũ, non deriuatum à perfecto, neq; item segmentũ aut partem impatibilis illius naturæ, neq; quod inde productum sit, aut emanauerit: sed filiũ perfectum, uiuentem, ui agendi præditum, ueram imaginem patris, ut quemadmodum uenerantur patrem, ita quoq; uenerentur & filium: Deum uerum, ex Deo uero prosatũ, ut inquit in sua catholica Ioannes: Et sumus in uerò Filio eius IESV Christo. Hic est uerus Deus, & uita æterna, omnipotens ex omnipotẽte. Omnib. enim quibus imperat & dominatur pater, imperat & dominatur quoq; filius, & totus ex toto similis patri, ut & Dominus testatur: Qui uidet me, uidet & patrẽ meum. Genitus autem est ineffabiliter & incomprehẽsibiliter. generationem enim eius quis enarrabit? quod idem est ac si diceret, Nullus. Qui in consummatione seculorum descendens è sinu patris, ex impolluta Maria uirgine nostrum assumpsit hominem IESVM Christum, quem pro nobis passioni tradidit, sponte ac sua ipsius uoluntate, ut ait Dominus: Nemo tollet animam meam à me: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo sumendi illam ipsam. In eo igitur homine cruci affixo, et mortuo pro nobis, resurrexit à mortuis, assumptusq; est in cœlum. Idemq; nobis, ubi creatus esset, initium uiarum extitit: & cum in terris uersaretur, ex tenebris lucẽ, ex errore salutẽ, ex mortuis uitam, ingressumq; in paradisum confecit, ex qua Adam eiectus fuit: in quã rursus Adam intrauit per latronẽ, ut inquit Dominus, Hodie mecũ eris in paradiso. in quã ipse quoq; Paulus ingressus fuit, ascẽsumq; Deus in cœlos muniuit: quò præcursor homo, qui in eo fuit, pro nobis introijt, in quo homine iudicaturus est uiuos & mortuos. Credimus itidem in Spiritum sanctum, omnia operantẽ: excommunicãtes omnes qui contra hæc dogmata sentiunt. Idem rursus eandẽ formulam breuius ac succinctius cõprehensam recitat in disputatione contra Arium, in concilio Nicæno, ad eum modũ: Credo in unum Deum, patrem omnipotentẽ, Deum semper patrem: & in Deum uerbum, unigenitũ filiũ Dei, eumq; unà cum patre suo coexistere, & ex substantia patris esse, & æqualẽ suo patri esse, & eiusdem dignitatis, & cum patre suo per deitatem ubiq; adesse, & omnia continere sua essentia, & à nemine contineri, quemadmodum & Deus pater ipsius. Credoq; in Spiritum sanctũ, eum esse patris substantiæ, & coæternũ cum patre & filio: uerbũ quoq; dico in carne fuisse. Postremo etiam Epiphanij formulã, quam Nicẽnę esse synodi Ancorato suo retulit, ideo quòd plures habet partes, & cum symbolo quod in templis hodie etiamnũ sub nomine Nicænæ synodi canitur, conuenit, adijcimus. Credimus in unum Deum patrem omnipotẽtem, omnium uisibilium & inuisibilium creatorem. & in unum Dominum IESVM Christũ, filiũ Dei, genitum ex Deo patre unigenitum, hoc est ex essentia patris Deum de Deo, lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero, genitum non factum, coessentialem patri, per quẽ omnia facta sunt quæ in cœlis sunt & in terra, uisibilia & inuisibilia. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descẽdit, & incarnatus est: hoc est, genitus est perfectè ex sancta Maria semper uirgine, per spiritũ sanctum, & homo factus est: hoc est, perfectum hominem suscepit, animã & corpus ac mentem, & omnia quicquid est homo, præter peccatum: non ex semine uiri, neq; in homine, sed in seipsum carnem efformauit, in unam sanctam unitatem: non quemadmodũ in prophetis, inspirauit & loquutus est aco-peratus, sed perfectè homo factus. Verbum enim caro factum est, non mutationem passum, neq; transmutata deitate in humanitatem, sed ita ut conuenerit suam sanctam perfectionem ac deitatẽ in unam: Vnus enim est Dominus IESVS Christus, & non duo: idem Deus, idem Dominus, idem rex. Idem passus est in carne, & resurrexit, & ascẽdit in cœlos in ipso corpore, gloriose sedens in dextra patris, uenturus in ipso corpore in gloria, ad iudicandum uiuos & mortuos. cuius regni nõ erit finis. Et in Spiritum sanctum credimus, q loquutus est in lege, & prædicauit in prophetis, & descẽdit in Iordanem, & loquitur in Apostolis, atq; habitat in sanctis. Sicutẽ credimus in ipsum, quòd Spiritus sanctus, spiritus Dei, spiritus perfectus, spiritus paracletus, increatus, ex patre procedẽs, & à filio accipiens, ac fidem reperiens. Credimus in unam catholicam & apostolicam ecclesiam. Et in unum baptisma pœnitẽtiæ, & in resurrectionem mortuorum, & iudicium iustum animarum ac corporum. Et in regnũ cœlorum, & in uitam æternam.

Mouerat autẽ posterioribus temporibus quosdam, quòd de Spiritu sancto nimis breuem ea synodus confessionem edidisset, nec diserte pronũciasset, eiusdẽ & eum esse cum patre & filio substantiæ. Sed ad id in epistola ad Clidonium Naziãzenus respondet, ideo intermissam fuisse eam partẽ à synodo, quòd nemo articulum de Spiritus sancti deitate in contro-

controuersiã tum uocasset, sicut ipse inquit: De spiritu sancto non plenè dictũ est, quoniã quæstio illa nequaquã tum mota fuit: quòd scire oporteat, unius deitatis esse patrem & filium & spiritum sanctũ. Quod & Basilius facit epistola sexagesima: Doctrina, inquit, de spiritu sancto indefinita est, propterea quòd tum nondum cõparerent Pneumatomachi. Et epistola septuagesimaoctaua ait: An contemnandi sint, qui spiritum sanctum creatæ ac seruilis esse naturę dicunt, in ea synodo nulla est facta mentio. Atq; hæc de illis quæ in refutanda Ariana impietate, & explicanda atq; asserẽda uera sententia de filio Dei, in ea synodo primùm acta sunt, dicta sufficiant: quibus epistolas duas Imperatoris, scriptas de hac parte actionis, & accurata de fide inquisitione, adijcimus: ex exemplis apud Socratem libro primo, capite nono.

¶ Constantinus Augustus catholicæ Alexandrinorum ecclesiæ. Gaudete fratres dilecti. Perfectam gratiam à prouidentia diuina accepimus, ut ab omni errore liberati, unam & eandem fidẽ cognoscamus. Nec diabolo quid cõtra nos reliquũ est: sed quicquid contra nos malicios machinis molitus est, funditus est sublatũ. Diſsidia, schismata, tumultuationes illas, & mortifera (ut ita dicã) dissensionum pharmaca, splendor ueritatis secundũ Christi iussionẽ deuicit. Vnum utiq; cuncti & nomine adoramus, & esse credim⁹. Vt aũt illud admonitione diuina fiat, cõuocati ad ciuitatẽ Nicæã cõplures episcoporum, cum quibus ego unus ex uobis, & uehementer gaudens uester esse cõseruus, unà & ipse ueritatis inquisitionem suscepi. Sunt igitur omnia & dicta & diligenter examinata, quæ propter amphibologiã uel dissensionẽ prętextũ generare uidebantur. Et parcat diuina maiestas, q̃ tanta tamq; grauia quidã de magno Seruatore, deq; spe ac uita nostra indecenter blasphemarũt: q & diuinis scripturis & sanctæ fidei cõtraria loquuti, seq; credere etiã cõfessi sunt. Quũ enim trecẽti ac plures episcopi, animi integritate et industria clari, unã & eandẽ fidẽ, quæ secundũ diuinæ legis ueritatem & perfectionem firma esse solet, cõfirmarent: solus Arius diabolica operatione uictus apparuit: & malũ hoc principio quidẽ apud uos, postea uerò apud alios impia mente disseminauit. Recipiamus igitur sententiam, quam Omnipotens exhibuit. Redeamus ad dilectos nostros fratres, à quibus nos impudens diaboli minister separauit. Ad commune corpus, & germana nostra membra omni studio reuertamur. Hoc enim & inducstriæ, & fidei, & sanctitati uestræ conuenit, ut reprehenso illius errore, quem certum est esse ueritatis hostem, ad diuinam gratiam reuertamini: præsertim cum spiritus sanctus talium ac tantorum uirorum mentibus insidens, diuinam uoluntatem illustrauerit. Quapropter nemo hæsitet, nemo moras nectat: sed alacri mente cuncti ad ueriſsimam uiam redite, ut quandocunque ad uos uenero, debitas omnium inspectori Deo gratias uobiscum reddã, quòd syncera fide ostensa, optatam uobis dilectionem reddidit. Deus uos custodiat, fratres dilecti.

¶ Victor Constantinus, Maximus, Augustus, episcopis & plebibus. Quoniam malos & impios imitatus est Arius, æquum est ut eandem etiam cum illis ignominiam sustineat. Quemadmodũ igitur Porphyrius, pietatis hostis iniquus, uoluminibus contra religionem nostram compositis dignam mercedem ac talem reperit, ut & ipse posterioribus tẽporibus probrosissimus habeatur, & plurima effusus sit infamia, & delata sint impia ipsius uolumina: ita & nũc placuit, & Ariũ ipsum & illi cõsentientes uocare Porphyrianos, ut cui⁹ imitati sunt igeniũ & mores, huius etiã cognominationẽ ferãt. Et prætera, si cubi scriptũ aliquod ab Ario cõpositũ fuerit inuentũ, igni tradatur: ut nõ solũ praua eius doctrina deleatur, sed & ne monumentũ quidẽ illius prorsus ullũ relinquatur. Hoc igitur futurũ prædico ac minitor, quod si quis scriptum ab Ario compositum celasse deprehensus fuerit, nec cõfestim protulerit, igniq; combusserit, morte punietur. Confestim enim atq; deprehensus in hoc facinore fuerit, capitis supplicium subibit. Deus uos custodiat.

Nunc de a tera occasione synodi huius, breuiter dicemus. Vetus illa de Paschatis celebratione dissensio, plurimas adhuc ecclesias perturbabat. quæ res Imperatori pio, maximo erat dolori: qui & de ratione instituendi æqualitatem quandam Paschatis celebrandi, sæpe quàm maximè solicitè cogitauerat. Ea autem diuersitas sic sese habebat. Qui in Syria, Cilicia & Mesopotamia Christiani erant, à cæteris ecclesijs, maximè uerò Occidentalibus, in celebrãda Paschatis festiuitate discedebant, & eodem quo Iudæis pascha celebrare mos est tempore, & etiam ipsi agebãt: ut Athanasius indicat epistola ad episcopos Africæ. Epiphanius lib. secundo, tomo 2, hæresi sexagesima nona, discrepantiam illam breuius, sed obscurius cõplexus est: Diuersimodè, inquit, apud quosdã seruabatur. alij enim præoccupabãt, alij mediũ tenebant, alij uerò postea perficiebant. Euseb. libro tertio de uita Constantini: Alij Iudaicam, inquit, consuetudinem sequendam: alij conuenientius esse dicebant, ut accuratum temporis momentum seruaretur, nulla usurpata imitatione gentis Iudaicę. Et: Fuit circa

unum & idem Paschatis festum maximum diſsidiũ, alijs ieiunijs & castigationibus seſe exercentibus, alijs ocio & recreationi uacantibus. Quæ diſsimilitudo, cum à nullo unquam homine emendari potuisset, ab ea synodo ad æqualitatem reducta est, constituto perpetuo decreto, ut uno atq; eodem tempore, die Dominico Paschæ festiuitas, in omnibus omniũ ubiq; terrarũ eccleſijs celebraretur. Extat ea de re exemplum epiſtolæ prolixæ Constantini, quam ad omnes eccleſias & prouincias miſit, apud Socratem lib. primo, cap. nono: & apud Theodoretũ lib. primo, cap. decimo, quod adſcribimus.

¶ Constantinus Augustus eccleſijs. Quoniam ex proſperitate rerumpublicarũ reipſa comperi, quanta ſoleat esse diuinæ potentię gratia: hũc mihi debere ante omnia ſcopum iudicaui, ut apud beatiſsimas catholicæ Eccleſiæ multitudines fides una, ſinceraq; charitas, ac concors erga cunctipotẽtem Deum pietas conſeruetur. Verùm quoniam fieri nõ potuit, ut ea res immotum ac firmum ſtatũ reciperet, niſi in unum ſimul cunctis, uel ſaltem plurib. ex epiſcopis cõuenientibus, ſingula ſanctiſsimæ religioni competentia dijudicarentur: ob eam cauſam plurimis cõgregatis, ipſe quaſi unus ueſtrûm præſens comparui. Non enim negarim hoc, de quo maximè gaudeo, fuiſſe me uidelicet conſeruum, quoad cuncta cõpetenter eſſent exquiſita, ac donec ſentẽtia omniũ gubernatori Deo placita ad unitatis conſenſionẽ in lucẽ produceretur, nec quicquã amplius ad diſſenſionem aut fidei cõtrouerſiam ſupereſſet. Vbi etiã de ſanctiſsimo Paſchatis die orta quæſtione, cõmuni ſentẽtiæ æquũ uiſum eſt, ut hunc cuncti uno ubiq; die celebrẽt. Quid enim nobis conducibilius, quid honeſtius eſſe poterit, quàm ſi feſtũ hoc, à quo ſpẽ immortalitatis accepimus, uno ordine manifeſtaq; doctrina ab omnibus illibatè ſeruetur? Et primùm indignũ uidebatur, ſanctiſsimũ hoc feſtum ex imitatione Iudaicæ cõſuetudinis celebrare, quũ Iudæi manus infando ſcelere cõſperſi, meritoq; ſceleſti, animis ſint obcęcatis? Licet enim nobis reiecto illorũ genere, ueriori ordine, quem inde à primo paſsionis die ad præſens uſq; tempus cuſtodiuimus, etiã ad futura ſecula obſeruãtiæ huius adimpletionem extendere. Sit itaq; uobis nihil cum inimiciſsima Iudæorum turba cõmune. Aliam namq; à Seruatore uiam accepimus. Curſus ſanctiſsimæ religioni noſtræ propoſitus eſt legitimus ac cõueniens. Huic cõcorditer adhęrentes, à turpi illa cõſcientia noſipſos auellamus, fratres honorandiſsimi. Fuerit enim reuera abſurdiſsimũ, ſi illi glorientur, quaſi ſine ipſorũ doctrina iſta ſeruare nequeamus. Quid aũt recti poterunt illi ſentire, qui poſt Dominicã cædẽ ac parricidiũ mẽte moti, nõ ratione aliqua, ſed impetu infreni, quò inſita ipſis inſania impulerit, aguntur? Hinc igitur illi etiã in hac cauſa ueritatẽ non uident, ita ut plurimũ à competenti emendatione aberrantes, uno anno alterum Paſcha celebrent. Quã igitur ob cauſam eos imitaremur, quos graui errore laborare confeſſum eſt? Etenim nõ feremus, ut bis Paſcha anno uno celebremus unquam. Imò, etiamſi iſta nõ liqueret, oportebat tamẽ induſtriam ueſtrã hoc perpetuo quodã diligentiæ precumq; ſtudio agere, ne uſpiam animi ueſtri puritas cum pelſimorũ hominũ moribus cõmunicare uideatur. Præterea & hoc conſiderandũ uenit, faſ nõ eſſe, ut in re tanta, taliq; religionis noſtræ feſto, diſſenſio obtineat. Vnicũ enim nobis feſtũ, liberatiõis uidelicet noſtræ, hoc eſt ſanctiſsimæ paſsionis diem, Seruator noſter tradidit: unicamq; catholicã ſuã Eccleſiã eſſe uoluit, quæ licet maximè ſit multis ac uarijs locis in partes diuiſa, nihilominꝰ tamẽ in ſpiritu, hoc eſt diuino conſilio fouetur. Cogitet itaq; ueſtræ ſanctitatis induſtria, q̃ graue ſit, & indecorũ, q, ijſdẽ die b. alij ieiunijs uacant, alij cõuiuia celebrant: & poſt Paſchatis diẽs, alios in feriis ac refocillationib. reperiri, alios determinatis addictos eſſe ieiunijs. Vult itaque diuina ꝓuidentia, ut malũ hoc cõperenti ratione corrigatur, & ad unã quandã cõlitutionẽ ducatur: id quod ego quidẽ cunctos ſentire arbitror. Quapropter quoniã cauſam hanc ita moderari cõuenit, ut nihil nobis cũ gente parricidarũ illorũ, & eorũ qui Dominũ occiderũt, cõmune ſit reliquũ: cõueniens q; ordo eſt, quẽ cũctæ Occidẽtis, Meridiei ac Septentrionis partiũ orbis Eccleſię, & nõnullæ etiã Oriẽtis loca retinẽt: ob eã cauſam in prę ſenti cõueniẽs futurũ cũcti iudicarũt, & ipſe noſtræ placere induſtriæ fateor, ut quodin urbe Roma, & Aphrica, totaq; Italia, Ægypto, Hiſpania, Gallijs, Britãnijs, Libyis, rota Hellade, Aſianaq; diœceſi, ac Pontica, & Cilicia, una & cõcordi ſentẽtia ſeruatur, illud & ueſtra prudẽtia cupidè recipiat: hoc reputãs, nõ ſolùm maiorẽ eſſe prædictorũ locorũ eccleſiarũ numerũ: ſed & iuſtiſsimũ eſſe, id maximè uelle cũctos, quod & accurata ratio apetere, & cũ Iudæorũ ꝓfidia nihil cõſortij habere uidetur. Vt aũt in ſumma & breuiter dicã, cõmuniter omniũ placuit iudicio, ſanctiſſimũ Paſchatis feſtũ uno & eodẽ celebrandũ eſſe die. Indecorũ enim eſt, aliquã eſſe in tãta ſanctitate differentiã: & honeſtius, eidẽ adhę rere ſentẽtiæ. Cũ hæc itaq; ad iſtũ ſint cõparata modũ, gratiã Dei ac reuera diuinũ mãdatũ cupidè recipite. Quicquid enim in ſanctis epiſcoporũ cõſeſsib. inſtituitur, ad diuinam refertur uoluntatẽ. Quapropter cunctis dilectis noſtris fratrib. quę ſint pacta ſignificãtes, &

& antè dicta, sanctissimi diei obseruantiã recipere ac disponere debetis: ut cũ aliquando ad status uestri iã olim mihi desideratũ aspectũ uenero, uno & eodẽ die sanctũ uobiscũ festũ celebrare queã, & cunctorũ gratia unà uobiscũ exhilarer, diabolicãq; illã atrocitatẽ per uestra studia diuina uirtute sublatã, ac uestrã ubiq; fidẽ, pacẽ & cõcordiã in flore cõstitutã uideam. Deus uos custodiat, fratres dilecti.

Cum autem fidei definitio à Synodo conscriberetur, ac subscriberetur, interrogauit Acesiũ Imperator, an & ipse in fidem hãc, & Paschatis definitionem consentiret? Qui respondit: Nihil noui, ô Imperator, determinauit hæc Synodus. Sic enim iam olim inde ab initio, ab ipsis Apostolorũ temporibus, & fidei definitionẽ & Paschatis tempus percepi. Rursum interrogãti Imperatori: Quare ergo se à cõmunione separaret? ea adferebat, quæ sub Decio gesta fuerãt: & de persequutione quẽdam, & Canonis austeritate retinẽda regerebat, quòd scilicet communicatione diuinorũ mysteriorũ digni haberi nõ debeãt, qui post baptisma peccatũ, quod diuinæ scriptu ræ peccatũ ad mortẽ uocãt, peccassent: sed ad pœnitentiã quidẽ admoueri, spẽ uerò remissionis nõ à sacerdotibus, sed ab ipso Deo expectare, qui & possit & potestatẽ habeat remittere peccata. Cum hæc Acesius dixisset, subiũxit Imperator: Pone scalam, ô Acesi, & solus ascende in cœlum. Socrat. lib. 1, cap. 10.

Transactis igitur & cõpositis duabus illis cõtrouersijs, quod ad Arium quidẽ, & dissentionẽ in Paschatis festiuitate attinebat, synodus Meletij etiã, qui ciuitatis cuiusdã in Thebaide, Lyci nomine, episcopus erat, causam cognouit. Is aũt olim per dissensionẽ (ut Epiphanius indicat lib. 2, tom. 2, hæresi sexagesimaoctaua) à Petro Alexandrino episcopo discesserat, eo quòd hic lapsos in persecutione, si ad Ecclesiã per cõfessionẽ lapsus & ueniæ petitionẽ redijssent, à cõmunione nõ suspendendos esse cẽsuisset: Meletius uerò interponendã esse morã aliquã, donec nimirũ persecutio desijsset, ne alij facilitate illa aut offenderẽtur, aut ad peccandũ inuitarẽtur, contendisset. Hãc enim fuisse schismatis, quẽadmodum & suprà ostẽdimus, inter Petrũ & Meletiũ, occasionẽ Epiphanius retulit: sed quæ ab aliorũ historicorũ narrationib. uariat. Socrates enim eius nihil meminit: sed Meletiũ ait à Petro Alexãdrino, tum ob alias multas causas, tũ uerò quòd in persecutiõe sacrificassет, depositũ fuisse. Quã ignominiã indignè Meletius ferẽs, in Petrũ primùm, deinde in successores suos Achillã & Alexandrũ sæuierit: Ario etiã cõiunctus, eidem cõtra Alexandrũ insurgẽti opem tulerit. Socrates lib. 1, cap. 6. Quod & Theodoretus affirmat lib. 1, cap. 8: Meletiũ scilicet à Petro depositum, emendationem sui animo iniquo tulisse, & inuidia Alexandri præsidentiæ, motibus ac tumultu Thebaida atq; Ægyptum compleuisse.

Sed quęcunq; tandẽ causa secessionis Meletij fuerit, cum eo à Synodo ita actum est, ut cum iustã causam officio eum suo priuãdi ipsa habuerit, in loco tamen suo ille relict⁹ est, ac dignitatis nomen retinuit: adempto solo iure administrationis & ordinationis in ecclesijs alijs. Ex quà re in crimen & accusationem Meletius uenisse uidetur, quòd à Petro iam olim depositus, licentiã tamen ordinandi petulanter usurpauerat.

Confecto & hoc de Meletio negotio, reliquum erat, ut quid in eos quos ad honores & functiones Ecclesiasticas Meletius promouerat, statuendum esset, synodus consilium caperet. Verùm cum his clemẽtius ipsa egit: ita nimirum, ut illi qui gradũ aliquem dignitatis Ecclesiasticæ, & ordinem à Meletio obtinuissent, posteriores haberentur omnibus aliarum ecclesiarum gubernatoribus: atq; episcopi Alexandrini, ut consuetudo uetus esset, diœcesi subijcerẽtur. Quod actũ ita fuisse, ex scriptis synodi huius perspicuũ est: Quorum primum, summã omnium actionũ expeditè complectens, apud Socratem extat lib. primo, cap. nono: & Theodoretum libro & cap. eodem, ad hunc modum.

¶ Per sanctam Dei gratiã, magnæ Alexandrinorum ecclesiæ, & his qui per Ægyptum sunt, & Libyã, & Pentapolim dilectis fratribus, episcopi Nicææ cõgregati, ac magnã & sanctã synodum cõstituentes, in Domino salutem. Quoniam per gratiã Dei, & pientissimũ Imperatorẽ Constantinũ, qui nos ex uarijs ciuitatibus & prouincijs cõgregauit, magna ac sancta synodus Niceæ collecta est: omnino necessariũ uisum est, ut ad uos quoq; à sacra synodo darentur literæ, quo cognoscere possitis, cùm quæ mota & examinata, tũ probata sint & obtenta. Primùm igitur & ante omnia facta est inquisitio, in ea quę Arij & reliquorũ cum eo faciẽtium impietatẽ & iniquitatẽ cõcernunt, idq; in præsentia pientissimi Imperatoris Constãtini: uisumq;, impiã illius opinionẽ ac blasphema uerba et nomina anathematizare, quib. filiũ Dei ex nõ existentib. esse, ac fuisse aliquãdo tẽpus cũ nõ fuerit, atq; per liberũ arbitriũ maliciæ simul ac uirtutis capacẽ esse filiũ Dei, adhæc creaturam & facturã nominat: quę omnia sancta Synod⁹ anathemate dãnauit, impiã opinionẽ, imò dementiã blasphemaq; uerba ne audire quidẽ dignata. Quẽ aũt finem cõsequuta sint quæ cõtra illũ sunt acta, omnino uel audiuistis, uel audietis: ne insultare uideamur uiro, qui ꝓprio peccato digna p̃mia retulit. Tãtũ aũt potuit ipsi⁹ impietas, ut & Theonẽ Marmaricũ, & Secundũ à Ptolemaide, secũ perdiderit,

derit. Eandē enim & illi cōdemnationis ſententiā retulerūt. Verùm quoniā Dei nos gratia, peruerſa illa opinione, & impietate, & blaſphemia, ſimulq; perſonis illis quæ populi hactenus pacati ſeditionē ac diuiſionē auſæ ſunt inducere, liberauit: Meletij uerò, & eorū qui ab illo ſunt ordinati, reliqua adhuc eſt cōtumacia: etiā quæ hac de cauſa ſynodo uiſa ſunt, uobis, dilecti fratres, ſignificamus. Placuit igitur ſynodo, clementius hic ac benignius motę, (ſecundū exactā enim rationē nulla prorſus uenia dignus erat) ut Meletius in ciuitate ſua maneat, nec ullam prorſus habeat ſiue ordinandi ſiue deligendi poteſtatē: & ut nec in regione, nec in alia quapiā ciuitate hac occaſione cōpareat, ſed nudū honoris nomen retineat. Eos uerò qui ab ipſo ſunt ordinati, placuit ſecretiore ordinatione conſtitutos in hiſce communicare, ut & ipſi honorem & miniſterium poſsideant: uerùm ita, ut omnino poſteriores ſint omnibus illis, qui in ſingulis ſunt paræcijs & eccleſijs probati, & à uenerandiſsimo cōminiſtro noſtro Alexādro deſignati: & ut præterea nullā omnino poteſtatē habeāt eos eligendi qui ipſis placeant, aut nomina eligendorū edendi, ac ſuffragādo excellendi, uel omnino quicquā ſine ſentētia catholicæ Eccleſiæ epiſcopi Alexandri, & eorū qui ſub illo ſunt, agendi. Eos aūt q gratia Dei, ac noſtris precibus in nullo ſunt ſchiſmate reperti, ſed immaculati in Eccleſia catholica exiſtunt, poteſtatē habere cōſtituit & eligēdi, & nomina eorū q digni ſint clero deſignādi, ac omnino cuncta ſecūdū legem ac ritus Eccleſię faciendi. Si uerò nōnullos in eccleſia obdormire cōtigerit: tunc eos in loca defunctorū ſuccedere ſtatuit, q nuper aſſumpti ſunt, modò digni appareant, & populus eligat, ac epiſcopus Alexādrię unà adſtipuletur & cōfirmet. Hoc aūt omnib. quidē alijs permiſſum eſt. quod uerò Meletij pſonā attinet, nō eſt idē cōſtitutū, propter priorem illius cōfuſionē, & animi prēſumptionē ac proteruitatē: ne qua poteſtas uel autoritas homini detur, qua tumultuationem ſuā denuò inducere poſsit. Pertinēt iſta ad Ægyptū ſingulariter ac prēcipuè, & ad ſanctā Alexandrinā eccleſiā. Si uerò aliud quicq, præſente domino uenerādiſsimo ac cōminiſtro & fratre noſtro Alexandro conſtitutū aut decretū fuerit, ipſe corā uobis exactius referet, tanq & autor & cōſors geſtorū exiſtēs. Nunciam aūt uobis & de cōcordia ſanctiſsimi Paſchatis, q precibus ueſtris etiā hæc cauſa correcta eſt ut poſthac cuncti in Oriente fratres, q antea cū Iudæis Paſcha celebrārūt, iterū cū Romanis celebrent, q ab antiquo & nobiſcū & cū uobis omnib. Paſcha cuſtodiūt. Itaq; cum gaudio ꝓpter impetratas correctiones & pacis cōcordiā, & propter exciſam cunctā hæreſim, maiore cū honore & ampliore dilectione, cōminiſtrū noſtrū, ueſtrū uerò epiſcopū Alexādrū recipite, qui nos præſentia ſua exhilarauit: & in hac ætate cōſtitutus, tantū laboris, ut & uos in pace agatis, ſuſtinuit. Orate pro nobis omnibus, ut quæ bene ſunt cōſtituta, firma permaneāt, ꝑ Deū cunctipotentē, & Dominū noſtrū IESVM Chriſtū, unā cū ſancto ſpiritu: cui gloria ſit in ſecula, Amen.

Sed nunc de canonibus Eccleſiaſticis à ſynodo cōſtitutis quædā adijcienda ſunt. Narrat aūt expreſſe Theodoret. lib. 1, cap. 13: poſt inſtitutā in dogmate de filio Dei, ac feſtiuitate Paſchatis cōcordiā, ſynodū ab Imperatore ipſo dimiſſam eſſe, facta cuiq; ad ſua redeundi poteſtate. Aliquanto tamē antè, cap. ſcilicet eiuſdē libri octauo, indicat, patres (ablente, ut uidetur, Imperatore) in cōciliū redijſſe, ac cōſcripſiſſe Eccleſiaſticę gubernationis leges uiginti, quarū nullā poſuit, niſi quòd lib. 5, cap. 9 exemplū epiſtolę ſynodi Cōſtantinopolitanæ referens, hunc ex eis canonēm citat. De cura adminiſtrationis ſingularū eccleſiarū ſcitis ueterē ſanctionē ac definitionē patrū Nicænorū ſemper ualuiſſe, ut in unaquaq; prouincia, illius cultores, aſſumptis etiā, ſi uideatur, finitimis, cōferant Eccleſiaſticos honores ijs, quos utiliter geſturos eſſe cōfidant. Meminit & canonū de rerū Eccleſiaſticarū adminiſtratione à ſynodo prēſcriptorū, Sozom. lib. 1, cap. 23: quorū nec ipſe aliquē an notat, niſi quòd eius canonis quē Paphnutius cōfeſſor prę cęteris ſolus obtinuit, de uſu ſcilicet cōiugij ſacerdotū, meminit: qui tamen inter canones cōcilij Nicæni, quos ita Ruffinus uocat & recenſet lib. 1. cap. 6, non habetur. Sed Sozomeni uerba adſcribimus. Synodus, inquit, eorū qui in eccleſijs cōuerſarentur uitā corrigere ſatagēs, leges poſuit, quas canones nominant. Cū aūt ea de re conſulta retur, alijs quidem leges introducendæ uidebantur, quibus epiſcopis & presbyteris, diaconis & hypodiaconis præciperetur, ne uxoribus dormirent, quas antequā cōcum ſecrarētur duxiſſent. Paphnutius uerò cōſurgens cōtradixit, nuptias honorabiles uocans, & cōcubitū cum propria uxore caſtitatē eſſe dicens: ſynodo q; cōſuluit, ne huiuſmodi legem poneret, quòd res iſta toleratu difficilis, & cauſam fortè nō caſtè uiuendi & ipſis & uxoribus illorū datura eſſet. Secundū antiquæ uerò eccleſiæ traditionē inconiugatis in ſacerdotij dignitate cōſtitutis præciperent, ne poſthac amplius nuberēt: cōiugatis uerò, ne ab uxoribus, quas haberēt, poſt nuptias ſepararētur. Et hæc quidē Paphnutius, quāuis nuptiarū expers, ꝓpoſuit: ſynodus uerò ſentētiā illius approbauit, eaq; de re nihil ſtatuit, ſed eā in uniuſcuiuſq; arbitriū, nō neceſsitatē reiecit. de alijs uerò, ſicut ipſi rectū uidebat

uidebatur, leges ꝑscripsit, secũdũ quas res Ecclesiasticas administrare cõueniret. Sed ista, si cui placeat, apud multos alios legere licebit.

Ruffinus uiginti duos alios canones, cum Theodoretus uiginti tantũ meminerit, reçenset: quos, ut Lectori auido satisfaciamus, eodem & nos ordine ac numero subijcimus.

1 Statuunt præterea, obseruandũ esse in Ecclesijs, ne quis ex his qui semetipsos impatientia libidinis exciderunt, ueniret ad clerũ.

2 Et ne quis nuper assumptus è uita uel cõuersatione gentili, accepto baptismo, antequam cautius examinetur, clericus fiat.

3 Et ne quis episcoporũ, cæterorumq; cleri corũ, cum extraneis mulieribus habitet, præterquã cũ matre, uel sorore, uel θέᾳ, uel si quę sunt huiusmodi necessitudinum personæ.

4 Et ut episcopus (si fieri potest) à totius prouinciæ episcopis ordinetur. Si hoc difficile est, certè non minus quàm à tribus: ita tamen, ut metropolitani episcopi maximè uel præsentia uel authoritas habeatur. absq; quo ordinationem irritam esse uoluerunt.

5 Et ne, quem alius episcopus de Ecclesia expulerit, siue clericum, siue laicũ, suscipiat alius. Sanè ne hoc aut iracundia aliqua, aut contentione (ut fieri solet) iniustè factũ remedium non haberet, decernunt, per singulos annos, in singulis quibusq; prouincijs, secundò ab omnib. episcopis prouincialib. cõcilia agi debere, & de huiusmodi negocijs iudicari, ut si fortè ab uno iniquè aliquid gestũ est, à cæteris emendetur. Si rectè, ut ab omnibus confirmetur.

6 Et ut apud Alexandriam, & in urbe Roma, uetusta consuetudo seruetur, ut uel ille Aegypti, uel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.

7 Et ut, si fortè in ordinãdo episcopo, duo uel tres pro aliqua contentione dissentiant, reliquorum autoritas, & præcipuè metropolitani cum cæteris, firmior habeatur.

8 Et ut episcopo Hierosolymorum antiquitùs tradita honoris prærogatiua seruetur, manente nihilominus & metropolitani ipsius prouinciæ dignitate.

9 Et Catharos (qui apud nos Nouatiani sunt) si fortè pœnitentes ad Ecclesiam conuertatur, cõfessos Ecclesiastica dogmata, clericos in ordine quidem suo suscipi debere: sed ordinatione data: sanè si Episcopus ipsorum ueniat ad episcopum nostrum, debere eum in presbyterorum loco sedere. Episcopi uerò nomen manere apud illum solum, qui catholicam semper tenuit fidem, nisi sua uoluntate ipse eum tali nomine honorare uoluerit: uel si placuerit, ut quærat ei episcopi locum uacantem, hoc fit in ipsius potestate.

10 Et ne in una ciuitate duo sint episcopi.

11 Et si qui fortè indiscretè ad sacerdotium proiecti, postmodum uel ipsi aliquid de se criminosum cõfessi sunt, uel ab alijs reuicti, ut abijciãtur: sed & qui ex his qui lapsi sunt, & per ignorantiam fortè ordinati, recogniti fuerint, ut abijciantur.

12 Et si qui absq; tormentis in persequutionibus lapsi sunt, & ex corde agunt pœnitentiam, quinq; annos inter catechumenos faciant, & duobus annis post hoc fidelibus tantũ in oratione iungantur, & ita postmodum suscipiantur.

13 Qui uerò propter confessionem, militiã abiecerant, & rursum ad hanc abierunt, hos tredecim annis pœnitẽtiam agere, & postea suscipi, si tamen ex corde pœnitentiã gerant. Esse tamen in potestate episcopi, moderandi facultatem, si eorum fructuosam & attẽtam pœnitentiam uiderit.

14 De his uerò qui uitã excedunt, pœnitentibus, decernunt, uacuum nullum debere dimitti. Si quis sanè accepta communione superuixerit, debere eum tempora statuta cõplere: uel certè, prout moderari episcopus uoluerit.

15 De catechumenis, qui prolapsi sunt, statuerunt, tribus annis eos à Catechumenorũ oratione separatos, postea recipi debere.

16 Et ne de ciuitate inferiori ad maiorem ecclesiã transire quis ambiat, siue episcopus, siue etiam alius clericus.

17 Et ne quis clericus, qui derelicta ecclesia sua, nulla existente causa probabili uagatur & oberrat per alias ecclesias, suscipiatur in communionem.

18 Et ut nemo eum qui ad alium pertinet, subripiens, in sua ecclesia ordinet clericum, absq; consensu illius ad quem pertinet.

19 Et nẽ quis clericus aut usuras accipiat, aut frumenti uel uini ampliationẽ, quod solet in nouo datum, uel sesquiplum, uel etiam duplum recipi: quòd si faciat, tanquã turpis lucri reum abijciendum.

20 Et ne diaconi presbyteris præferantur, neue sedeant in consessu presbyterorum, aut illis præsentibus eucharistiam diuidant: sed illis agentibus solum ministrent. Si uerò presbyter nullus sit in præsenti, tunc demũ etiam ipsis licere diuidere: aliter uerò agentes, abijci iubent.

21 Et ut Paulianistæ, qui sunt Photiniani, rebaptizentur.

22 Sed & diaconissas, quoniam quidem manus impositionem non accipiunt, etiam ipsas inter laicos esse debere. Igitur quum de his, prout diuinarum legum reuerentia poposcerat, decreuissent: sed & de obseruatione Paschę antiquum canonem, per quem nulla de reliquo uarietas oriretur, ecclesijs tradidissent: omnibus ritè dispositis, ecclesiarum pax & fides in Orientis atque Occidentis

cidentis partibus una atq; eadē seruabatur.

Habētur & in 1.tomo Conciliorū canones xx,prolixi quidē, atq; (ut uidentur) ex Græco canonū libro descripti: sed qui & ordine, & rebus etiā interdū,à Ruffini canonibus uariāt. quos & ipsos adijcere nō grauabimur.

CANONES TRECENTORVM OCTODECIM *sanctorum Patrum, qui Nicææ conuenerunt, Consulibus clariß. Paulino & Iuliano, anno ab Alexandro sexcentesimo trigesimosexto, mensis Iunij die decimo nono: hoc est, decimotertio Calendarum Iulij.*

1 Si quis in ægritudine uel à medicis sectus est, uel à Barbaris castratus, placuit, ut iste permaneat in clero. Si quis autem sanus se ipsum abscidit, hic, etiamsi est in clero, cessare debet: & ex hoc, nullum talem oportet ordinari. Sicut autē de his qui uel affectauerint hæc, uel ausi sunt seipsos abscindere, hæc quę diximus statuta sunt: ita, si qui uel à Barbaris, uel à dominis suis eunuchi facti sunt, & probabilis uitæ sunt, tales hos suscipit ecclesiastica regula in clerum.

2 Quoniam multa, siue per necessitatem, siue ex quacunq; causa, contra regulam gesta sunt, ita ut homines ex uita gentili, nuper adhuc catechizati, uel instructi, statim cum ad spiritualē baptismū uenissent, & cōtinuò cum baptizati sunt, etiā ad episcopatū uel ad presbyteriū prouecti sunt: rectè igitur uisum est, decęterò nihil tale debere fieri. Nā & tempore opus est, ut sit catechumenus, & post baptismum multa probatione indiget. Euidens namq; est Apostolicum præceptum, dicens: Non neophytum, ne fortè elatus, in iudicium incidat, et laqueum diaboli. Si uerò procedente tempore aliquod peccatum admiserit, & conuictus duobus uel tribus testibus fuerit, cesset à clero, qui huiusmodi est. Si quis uerò præter hæc facit, tanquam cōtraria statutis sancti Concilij gerēs, ipse periclitabitur de statu sui cleri.

3 Omnib. modis interdixit sancta synodus, neq; episcopo, neq; presbytero, neq; diacono, neq; ulli clericorum omnino licere, habere secum mulierē extraneam: nisi fortè mater, aut soror, aut auia, aut amita, uel matertera sit. In his nanq; solis personis, & harum similibus, omnis quæ ex mulieribus est suspicio declinatur. Qui autē præter hæc agit, periclitatur de clero.

4 Episcopum oportet ab omnibus, si fieri potest, qui sunt in prouincia eius, ordinari. Si uerò hoc difficile fuerit, uel aliqua urgente necessitate, uel itineris longitudine, certè tres episcopi debent in unum esse congregati, ita ut etiam cæterorum qui absentes sunt, consensum literis teneant, & ita faciant ordinationem. Potestas sanè uel confirmatio pertinebit per singulas prouincias ad metropolitanum episcopum.

5 Seruetur & ista sententia, ut hi qui ab alijs excommunicantur, ab alijs ad cōmunionem non recipiantur. Requiratur sanè, si fortè aliqua indignatione, aut contentione, aut qualibet commotione episcopi sui, excommunicati sint. Vt ergo digna hęc possint examinatione perquiri, rectè uisum est, per singulos annos in singulis prouincijs, bis in anno episcoporū cōciliū fieri, ut simul in unū cōuenientes ex cōmuni prouincia, huiusmodi examinent quęstiones: ut ita demū hi qui ob culpas suas episcoporū suorū offensas meritò cōtraxerunt, dignè etiā à cæteris excōmunicati similiter habeantur, quousq; in cōmuni uel ipsi episcopo suo uisum fuerit, humaniorē circa eos ferre sententiā. Habeatur aūt semel cōciliū ante dies quadragesimę, ut omnibus, si quæ sunt, simultatibus amputatis, mundū & solenne Deo munus possit offerri. Secūdū uerò agatur circa tēpus autumni.

6 Mos antiquus perdurat in Aegypto, Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horū omniū habeat potestatē: quoniam quidē episcopo Romano parilis mos est. Similiter aūt & apud Antiochiā, cæterasq; prouincias, honor suus unicuiq; seruetur Ecclesię. Per omnia aūt manifestū est, q, si quis præter uoluntatē & cōscientiā metropolitani episcopi fuerit ordinat⁹, hūc cōciliū magnū & sanctū censuit, nō debere esse episcopū. Sanè si cōmuni omniū cōsensu rationabiliter probato, secundū ecclesiasticā regulam, duo uel tres animositate ducti, per cōtentionē cōtradicāt, obtineat plurimorū sententia sacerdotū.

7 Quoniam mos antiquus obtinuit, & uetusta traditio, ut Aeliæ (id est, Hierosolymæ) episcopo honor deferatur: habeat consequenter honorem, manente tamen metropolitanæ ciuitatis propria dignitate.

8 Si qui uoluerint uenire ad Ecclesiam catholicā ex Nouatianis, placuit sancto cōcilio ut ordinētur, et sic maneāt in clero. Ante omnia aūt hāc habeāt ab eis cōfessionē, quā per scripturā exigi oportet, ut fateantur se cum omni cōsensu Ecclesiæ catholicę statuta obseruaturos: id est, cōmunicaturos se & his q fortè secundas nuptias experti sunt, uel his qui persequutionis tēpore lapsi sunt: quibus tamē lapsis pœnitentiæ mod⁹ & tēpus adscriptū est, ut in omnibus sequātur ea quę in Ecclesia catholica obseruātur. Et sicubi ijdē ipsi fuerint inuēti, siue in uicis, seu in urbib⁹, clerici ordinati à catholicis, sic etiā in clero perfistāt: unusquisq; tamē in suo ordine. Si uerò episcop⁹ uel presbyter Ecclesię catholicę fuerit, ad quē aliq ex his accedunt: certū est, q, episcopus quidē catholicus suā habeat dignitatē. Similiter aūt presbyteri & diaconi habeant. Hi uerò q ab istis ueniūt, si fortè episcop⁹ fuerit,

fuerit, habeat ſacerdotij dignitatem: niſi forte placeat catholico epiſcopo, cõcedere ei etiam epiſcopalis nominis honorem. Si uerò non placuerit, inueniat ei locum, ut ſit in parochia Chorepiſcopus, aut in clero presbyter: ut in ciuitate una non uideãtur duo eſſe epiſcopi, & ille omnimodè in clero permanere uideatur.

9 Si qui ſine examinatione promoti, preſbyteri ſunt, & poſtea examinati, cõfeſsi ſunt peccata ſua: & cum confeſsi fuiſſent contra regulam uenientes homines, manus eis temerè impoſuerunt, hos Eccleſiaſticus ordo non recipit. In omnibus enim quod irreprehenſibile eſt, defendit Eccleſia ſancta.

10 Quicũq; ex lapſis per ignorantiã ſunt ordinati, uel contẽptu eorũ q eos ordinauerũt, hoc non præiudicat regulæ Eccleſiaſticæ. Cum enim compertum fuerit, deponantur.

11 De his qui prẽter neceſsitatem præuaricati ſunt, aut propter ablationẽ facultatũ, aut præter periculũ, aut aliqd huiuſmodi, quod factũ eſt ſub tyrannide Licinij: placuit ſanctę ſynodo, licet indigni ſint miſericordia, tamẽ aliqd circa eos humanitatis ostẽdi. Si quos ergo ex animo pœnitet trib. annis inter pœnitentes habeantur. Si tamẽ fideles ſunt, ſeptẽ annis alijs inter pœnitẽtes ſint. Duob. aũt annis ijdẽ ſine oblatione, in oratione ſola participent populo. Si qui uerò per Dei gratiã uocati, primò quidẽ oſtenderunt fidẽ ſuã, deposito militiæ cingulo: poſt hæc aũt ad propriũ nomitũ reuerſi ſunt, ut & pecunias darẽt, & ambirent redire rurſum ad militiã: iſti X annis ſint inter pœnitẽtes, poſt primũ triẽniũ, quo fuerint inter audiẽtes. Ab omnib. uerò illud præcipuè obſeruetur, ut animus eorũ & fructus pœnitẽtiæ obſeruetur. Quicunq; enim cum omni timore & lachrymis perſeuerantib. & operib. bonis, conuerſationẽ ſuã non uerbis ſolis, ſed opere & ueritate demõſtrant, quũ tempus ſtatutũ etiã ab his fuerit impletũ, & orationib. iam cœperint cõmuni care: licebit etiã epiſcopo, humanius circa eos aliquid cogitare. Qui uerò indifferẽter habuerint lapſum, & ſufficere ſibi, quòd Eccleſiam introierunt, arbitrantur: iſti omni modo tempora ſtatuta complebunt.

12 De his uerò qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula obſeruabitur etiã nũc, ita ut ſi forte quis recedat ex corpore, neceſſario uiatico nõ defraudetur. Quod ſi deſperatus aliquis, recepta cõmunione ſuperuixerit, ſit inter eos qui ſola oratione communicant. De omnibus tamen his qui à corpore recedunt, in tradendo eis communionem, & cura & probatio ſit epiſcopi.

13 Placuit hoc ſancto & magno Cõcilio de catechumenis, qui lapſi ſunt, ut tribus annis inter audientes uerbũ ſint tantũmodo: poſt hæc uerò orent cum catechumenis.

14 Peruenit ad ſanctum Concilium, q̃ in locis quibuſdã & ciuitatibus, presbyteris ſacramẽta diaconi porrigant. Hoc neq; regula, neq; cõſuetudo tradidit, ut hi qui offerendi ſacrificij nõ habent poteſtatẽ, his qui offerũt corpus Chriſti porrigant. Sed & illud innotuit, quòd quidam diacones, etiã ante epiſcopos ſacramẽta ſumunt. Hæc ergo omnia amputentur, & accipiant ſecundũ ordinem poſt presbyteros ab epiſcopo, uel à presbytero ſacram cõmunionem. Quod ſi non fuerit in præſenti uel epiſcopus, uel presbyter, tũc ipſi proferant, & edant. Sed nec ſedere quidem licet in medio presbyterorũ diacones. Si quis autem non uult his ſufficiẽs eſſe poſt hanc definitionem, ceſſet eſſe diaconus.

15 Propter multas perturbationes, & frequẽtes tumultus ſeditionũ quæ fieri ſolent, placuit omni modo iſtã abſcindi conſuetudinẽ quæ contra regulã eſt, ſicubi tamẽ ſit: id eſt, ne de ciuitate ad ciuitatẽ tranſeat uel epiſcopus, uel presbyter, ſiue diaconus. Si quis uerò poſt hæc ſtatuta ſancti huius Concilij, tale aliquid agere tentauerit, infringatur omni genere huiuſcemodi conatus: & reſtituatur propriæ Eccleſiæ, in qua ordinatus eſt.

16 Si qui uerò timorẽ Dei ante oculos non habentes, neq; eccleſiaſtica ſtatuta cuſtodiẽtes, receſſerint ab Eccleſia ſua, ſiue presbyter ſiue diaconus, uel in quocũq; eccleſiaſtico ordine poſiti fuerint, nõ debent ſuſcipi in alia Eccleſia, ſed cum omni neceſsitate cogãtur ut redeant ab Eccleſiam ſuam. Quod ſi permanſerint, excommunicare eos oportet.

17 Si quis auſus fuerit aliquẽ, qui ad alterũ pertinet, ordinare in ſua Eccleſia, quũ nõ habeat conſenſum epiſcopi ipſius à quo receſſit clericus, irrita erit huiuſmodi ordinatio.

18 Quoniam multi clerici auaritiæ cauſa turpia lucra ſectantes, obliti ſunt diuini præcepti, quo dictum eſt, Qui pecuniam ſuã nõ dedit ad uſurã, fœnerãtes, cẽteſimas exigũt: ſtatuit hoc ſanctum Conciliũ· Si quis inuentus fuerit, poſt hanc definitionẽ, uſuras accipere, uel ex quolibet tali negotio turpia lucra ſectari, uel etiam ſpecies frumentorum ad ſeptuplũ dare: omnis qui tale aliquid conatus fuerit ad quæſtum, deijciatur à clero, & alienus ab eccleſiaſtico habeatur gradu.

19 Si quis confugit ad Eccleſiam catholicam (de Paulianiſtis & Cataphrygis) ſtatutũ eſt, rebaptizari eos debere. Si qui uerò clerici erant apud eos, ſi quidẽ inculpati fuerint & irreprehenſibiles, rurſus etiã ordinentur ab epiſcopo Eccleſię catholicæ. Si uerò examinati minus fuerint apti deprehẽſi, deponi eos oportet. Similiter autem & circa diacones, & de omnib. qui in eodem clero inueniuntur, eadẽ forma ſeruabitur. Commemora-

uimus autem diaconiſſas, quę in hoc ordine inuentæ ſunt, quæ nec manus impoſitionē aliquam habeant, & omni modo inter laicas habeantur. Similiter aũt diaconiſſæ, quæ in catholico canone non habentur, ſimili loco: id eſt, laicæ, & tanquam non conſecratæ deputentur.

20 Quoniã ſunt in Dominica die quidã ad orationem genua flectentes, & in dieb. Pẽtecoſtes: propterea utiq; ſtatutũ eſt à ſancta Synodo, quoniam conſona & conueniens per omnes eccleſias cuſtodiẽda cõſuetudo eſt, ut ſtantes ad orationẽ uota Domino reddam⁹.

Extat in quarto operũ D. Athanaſij tomo, epiſtola ſub Athanaſij nomine ad Marcũ papam Romanũ, quam falſò Athanaſio adſcribi ſuo loco diximus: in qua LXX Canonũ ſeu capitulorũ mentio fit, ad eum modũ: Pręſentibus nobis 80 capitula (quo nomine Canones conciliorũ nuſquam uocant aut Euſebius, aut Ruffinus, aut Theodoretus, aut alij) in Synodo tractata ſunt ſemel, & 40 à Græcis græca dicta lingua, & 40 à Latinis ſimiliter dicta latina lingua. Sed uiſum eſt trecentis & octodecim patribus, ſancto ſpiritu repletis, in prędicto concilio congregatis, & maximè iam dicto Alexandro, & Victori & Vincentio, Apoſtolicæ ſedis apocriſarijs (mirum ſi Athanaſius in uitam reuerſus, hanc ſuam eſſe locutionem, & ſedis Apoſtolicæ reuerentiam, teſtaturus ſit) ut decem capitula adunarentur alijs, atq; congruis in locis inſererentur, & ad formam ſeptuaginta diſcipulorum, uel totius orbis terræ linguarũ (neceſſaria ſanè conformatio) ſeptuaginta tanti & tam excellentis concilij ferrent capitula, quæ omnem Chriſtianorũ informarent orbem: & omnes ſub ſacerdotali nomine, & Chriſtiano degentes, una fides, & una ſacerdotalis regeret norma, &c. Subſequitur Athanaſij epiſtolã, Marci ipſius, eadẽ elegantia reſponſio, qua ſignificat, inuenta Romæ 70 Synodi Nicænæ capitula à ſe mitti. Id enim Athanaſius petierat, indicans Marco, eadem capitula penes ſe aliquãdo fuiſſe, ſed ab Arianis eſſe concremata. Meminit utriuſq; epiſtolę, (quaſi fur, quod dicitur, furem agnoſcens) autor libri Conciliorum, in narratione de Synodo Nicæna. Allegat & Ambroſius lib. 10. Epiſtolarũ, epiſtola 82, cõſtitutionem ſub autoritate Synodi Nicęnæ, de clericis digamis hoc modo: Patres in cõcilio Nicęno tractatus addidere, neq; clericum quenquam debere eſſe qui ſecunda cõiugia ſortitus ſit. De Canonibus hactenus.

Indicat porrò Sozom. lib. 2. cap. 21. conſtitutum fuiſſe ab ipſo Imperatore quendam, qui ſcripta concilij Nicæni adſeruaret. Sed cuiuſmodi ea fuerint ſcripta, non explicat. Formulam uerò fuiſſe compoſitæ fidei ac ſynodi ſubſcriptiones, hiſtoria ſequens de Euſebio & Theogonio apud eundem teſtatur.

Exitus deniq; Synodi eius incidiſſe uidetur in annum Imperatoris Conſtantini uigeſimum, cum trienniũ propemodum, ut Nicephorus ait, duraſſet. Quod tamẽ apud probatum teſtem nullũ alium reperitur: nec portuiſſe quidẽ tamdiu durare, Synodi ipſius hiſtoria declarat. Tranſactis igitur reb. omnib. propter quas conuocata ea Synodus fuerat, Imperator res bene ac feliciter geſtas ſibi gratulatus, Synodũ uniuerſam regali & ſtiuo accepit conuiuio, ac munerib. ſingulos affecit. Cum aũt digreſſuri illi iam eſſent, placida oratione omnes admonuit, pacis inter ſe & concordiæ cõſeruandæ curã haberent, contentiones miſſas facerẽt: neq; ſi qui cæteris potiores, aut pręſtãtiores eſſet, inferiores inuiderent. mediocres rurſus, potiores inſuper ne contẽnerent: ſed operã darent, ne eos, cũ omni ex parte beatũ ac perfectũ nihil eſſet, qui infirmitate humana uicti, lapſi aliquibi eſſent, abijcerent, ſed mutuò condonarẽt: ne ſi ſeuerius in leues quoſcũq; lapſus inſe animaduerterẽt, diſsidijs occaſiones præberent, ijsq; qui ad blaſphemandum paruiſſent, feneſtram patefacerent. Quæ & ſimilia Imperator locutus, poſtremò adiecit, ut pro ſe ſuoq; imperio Deum precarentur: poteſtatemq; ſingulis ad ſua redeundi fecit. Euſebius lib. 3. de uita Conſtantini: Sozomenus libro primo, cap. 25.

Tantum de hiſtoria Nicænæ Synodi ex probatis autoribus monere breuiter uoluimus. Quæ tametſi fulmen fuerit Arianæ hæreſeos, quo tota ea contuſa eſſe uideatur: attamen ita repreſſa non eſt, ut exerere ſeſe, & emergere deinceps non potuerit. Imò nunquam maioribus ſæuijt uiribus, & grallata eſt in Eccleſia, ſcelerata hæreſis uiolentius, quàm poſt obitũ Conſtantini: cũ nacta eſſet, ex Imperatoribus etiam, patronos perpetuos ac defenſores, ut Conſtantium & Valentem. Sed quàm miſerè malum hoc inexringuibile Eccleſias omnibus deinceps temporibus turbarit, & adflixerit, ſuo loco exponetur. Nunc patrum approbationes & teſtimonia de autoritate eius Synodi aliquot, maximè uerò commendationes formulæ fidei, ſub finem adijcimus.

Narrat Theodoretus libro 4, capite ſecundo: rogatum ab Imperatore Iouiniano Athanaſiũ, ut ſe de orthodoxa fide certiorem faceret, Imperatori reſcripſiſſe: ſeruandam eſſe fidem Nicææ expoſitam, ut conſentaneam dogmatis Apoſtolicis. Et apud eundem libro 5. cap. nono: Synodus Conſtantinopolitana, coacta ſub Theodoſio fidẽ Nicææ confirmatã uocat Euangelicam. Extat & egregia commẽdatio in epiſtola Synodi Ariminenſis

Ariminensis ad Cõstantium, apud Sozomenum lib. 4. cap. 18, his uerbis: Absurdum & illicitum uisum est, aliquid de illis mutare, quæ rectè & iustè determinata. & Nicææ cõmuniter unà cum glorioſissimo Constantino patre tuo considerata sunt: quorum doctrina & sententia peruenit & prædicata est ad omnes mortalium & aures & mentes, & sola Arianæ hæresis aduersaria ac destructix extitit: per quam non solum illa, sed & omnes reliquæ hæreses destructæ sunt.

Rursus Athanasius in epistola ad Epictetum Corinthi episcopum: Quæ in Synodo, inquit, à patribus secundum sanctas scripturas exposita fides est, sufficiés est ad omnem destructionem totius impietatis, & ad confirmationem piæ in Christo fidei. Et ibidem: Nullam in catholica Ecclesia Synodũ nominari uoluerunt, nisi solã quæ in Nicæa facta est, quę est trophæũ aduersus omnes hęreses. Idem iterum in epistola ad episcopos Africę: Sufficiunt quę in Nicæa cõfessa sunt, & abundant ad destructionẽ hæresis impiæ, & ad cautelam utilitatemq́; doctrinæ Ecclesiasticæ. Et in eadem, ad eosdem, de fide Nicæna: Plena, inquit, hæc fides pietate est, hæc omnium terrarum orbem impleuit: hãc agnouerunt & Iudæi, & quicunq; apud alios barbaros Christiani sunt. Verbum Domini quod per uniuersale concilium in Nicæa factum est, manet in æternum. Et rursus in eadem: Extra omnes Synodos sola firma sit apud uos fides, quæ Nicææ prius est confessa: in qua etiam patres omnes, & qui nunc impugnant eam, subscripserunt. Hæc enim in Nicæna synodo uerè scripta regula, contra omnem est impijssimã hæresim: hæc etiam blasphemantes in Spiritum sanctum, & dicentes eum creaturam, destruit. Idem in epistola ad Antiochenos: Nefas est quicquam ultra Nicænum concilium requirere, aut contentiosas sententias recipere. Idem de Synodis Arimini & Seleuciæ: Qui Niceæ conuenerunt patres, ita accuratè scripserũt, ut qui syncriter eorum scripta legat, facilè reminiscatur eius in Christũ religionis, quę à sacris literis annunciatur. Et in oratione ad Maximum philosophũ: Vincãt & robur suum habeant, quæ Nicææ patrum cõfessionibus constituta sunt. Recta enim fides est, & quæ sufficiat exterrere omnes impias hæreses, & præcipuè Arianam.

Basiljus epistola septuagesimaoctaua: In hac fide (Nicæna) reliqua quidem satis diligenter determinata sunt, alia ad correctionem noxiorum, alia ad præmunitionem cõtra ea quæ in futuro suboriri possunt. Gregorius Nazianzenus epist. 2. ad Clidonium: Nihil æquè, ait, ac fidem Nicænam à sanctis patribus, qui illic ob Arianæ hæreseos purgationem conuenerant, honoramus, aut honorare ualemus, sed eiusdem fidei sumus, & Deo dante erimus. Idem in oratione funebri in Athanasium: In Synodo Nicæna prudentium numerum Spiritus sanctus in unum collegit.

Ambrosius lib. 5 Epistolarum, epistola 32 ad Valentinianum Imperatorem: Sequar, inquit, tractatum concilij Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare. Idem in prologo libri primi de fide: De concilijs id potissimum sequar, quod trecenti decem & octo sacerdotes, tãquam Abrahæ lecti iudicio, consona fidei uirtute, uelut trophęũ toto orbe subactis perfidis extulerunt: ut mihi uideatur hoc esse diuinum, quod eodem numero in concilijs fidei habemus oraculũ, quo in historia pietatis exemplum. Epistolas duas in tomo 1 Conciliorum alteram scilicet synodi ipsius ad Syluestrum Romanũ episcopum, alteram eiusdem ad synodum uicisim, ut falsas & adulterinas reijcim⁹: ideo quòd Iulij, non Syluestri tempore, conciliũ Nicææ celebratum fuisse, ex Athanasio, probatissimo teste, suprà demonstrauimus.

Confirmata est autoritas Nicænæ Synodi in cõcilio 1 Toletano, in quo & hoc de ea dixit Patronus episcopus præses: Mihi placet, constituta primitùs Niceni concilij perpetuò esse seruanda, nec ab his esse recedendum. Vniuersi episcopi dixerunt: Hoc nobis placet, ita ut si quis cognitis gestis Nicæni cõcilij, aliud quàm statutũ est, facere præsumpserit, & non in eo perseuerandum putauerit, hic excommunicatus habeatur.

In sexta Synodo Carthaginensi Alipius episcopus Tagastensis, legatus prouinciæ Numidiæ dixit: Id nos seruaturos profitemur, quod in Nicæno concilio constitutum est. De eadem uniuersum illud concilium dixit: Omnia quæ in Nicæno concilio statuta sunt, nobis omnibus placent.

Constituit & synodus Ephesina, congregata contra Nestorium, ut nemini liceat aliam fidem uel proferre, uel conscribere, uel componere, quàm eam quæ præstituta ac præscripta est à sanctis patribus qui in Nicænorum urbe cum auxilio Spiritus sancti coacti fuerunt. In eadem Synodo Cyrillus dixit: Symbolum Nicænum in omnibus Ecclesijs autoritatem obtinere. Idem in apologetico, ex exemplari relationis Orientalium ad reges, dixit: Vtendum est canone & regula, qua olim à patribus in Nicæa fides exposita est, quæ etiam nihil diminutum uel superfluum continens, compendiariam salutem concedit, uerbis paucis comprehendens omnia quæcunque diuinæ scripturæ tradiderunt, & eliminans seductorum

ductorum & nouam nobis tradere uolentiũ opiniones. Et: Sufficit paucorum illorum uerborum rectæ fidei confeſsio, ad redarguendum omnem hæreticum ſermonem. Idem rurſus in epiſtola ad Ioannem Antiochenum, quæ extat in actionibus Synodi Chalcedonenſis: Nullo modo, inquit, moueri ab aliquibus patimur fidem, aut ipſum fidei Symbolum, quod à ſanctis patribus noſtris in Nicæa conuenientibus, illo tempore definitum eſt. Sed neque permittimus nobiſmetipſis, aut alijs, uel uerbum mutare dictorum ibidem poſitorum, uel unam ſaltem ſyllabam præterire. Neque enim ipſi erant qui loquebantur, ſed Spiritus Dei & patris, qui procedit quidẽ ex ipſo.

Recitata & confirmata eſt Nicænæ Synodi formula in cõcilio Chalcedonenſi, contra Eutychen.

In eadem Synodo Iulianus epiſcopus Coenſis, de autoritatem Synodi Nicænæ dixit: Nullus ſapientum contraire poteſt expoſitæ fidei à ſanctis patribus, qui in Nicæa congregati fuerunt.

In eadem rurſus Synodo Theſſalius epiſcopus Cæſariæ Cappadociæ dixit: Trecentorum decem & octo patrum in editione fidei laudem illis temporibus diuina gratia demonſtrauit, cui illi accommodantes linguas prædicauerunt. Confirmauit uerò maximè, & quæ in hac ſplendida metropoli conuenit ſanctorum concordia, quam tenere omnino eſt neceſſarium, ſine aliquo additamento aut detrimento: quia hæc ſimiliter nocere ſolent regulæ pietatis, ſancitę à ſanctis patribus, qui in Nicæa congregati ſunt, &c.

Et rurſus in eadem Synodo, Vranius epiſcopus Himerorum prouinciæ Oſroënæ, dixit: Quotquot auſi ſunt præuaricari ſententiam ſanctorum patrum qui in Nicęa conuenerunt, hi non ſolum ab Eccleſiaſtica dignitate debent expelli, uerùm etiam gladio ſubmitti.

Dixit in eadem Synodo & Muſonius, epiſcopus Zanenſis: Non aduerſantur hominibus, ſed Deo, qui quæ à trecentis decem & octo ſanctis patribus in Nicæa à ſancto ſpiritu congregatis ſancita ſunt, exiſtunt contraria:

SYNODVS IN TYRO METROPOLI PHŒNICIÆ.

NArrat Euſebius libro tertio de uita Conſtantini, rebus omnibus in Synodo Nicæna traductis in tranquillum, ſolos Ægyptios ad diſſenſiões redijſſe. Quare motum Imperatorem Conſtantinum, frequentem rurſus Synodum conuocaſſe. Sed ubi conuenerit, aut quæ ratio aut actiones Synodi eius fuerint, quid actum & tranſactum ſit, eorum nihil explicat. Eadem autem quaſi repetens libro quarto de uita Conſtantini, ait: Anno trigeſimo Conſtantini, quo tempore magnificentiſsimum Hieroſolymis extructum templum, à frequenti epiſcoporum Synodo conſecrandum eſſet, diabolum nugamentis ſuis Eccleſias per Ægyptum perturbaſſe. Quamobrem Imperator plurimorum epiſcoporum ex omni Ægypto, Libyaque, Aſia & Europa Synodum conuocarit, cui ad hunc modum per epiſtolam ſcripſerit.

¶ Victor, Conſtantinus, Maximus, Augustus, ſanctæ Synodo Tyri cõgregatæ. Conſentaneum quidem erat, & conueniens poſtiſsimùm temporũ opportunitati, tranquillam eſſe catholicam Eccleſiã, & ab omni iniurgio liberos iam Dei ſeruos. quoniã uerò nõ nulli inſano cõtentionis œſtro perciti (haud enim dixerim cõdignè, ut ipſos decebat, uidentes) cuncta miſcere conati ſunt, quod mihi quamuis excedere calamitaté uideturob eam cauſam uos hortor, ut mox uiſis hiſce literis, ſine aliqua dilatione in unũ concurratis, ſynodum compleatis, opem illis qui auxilio egẽt feratis, fratres periclitantes ſeruetis, diuiſa à ſe inuicem membra ad concordiam reducatis, quæ delicta ſunt corrigatis, dum tempus permiſerit, ut tot ac tãtis prouinciis cõpetentem concordiã reſtituatis: quã, proh rem abſurdam, pauciſsimorũ hominũ faſtus perdidit. Quòd autẽ hoc & Domino omnipotenti Deo placeat, & nobis quocũq; uoto ſit potiri: ac uobis etiã ipſis, ſiquidem pacé reuocaueritis, haud uulgaris gloriæ cauſam laturũ, uniuerſos ſimul mortales fateri putamus. Nolite ergo iam moras nectere, ſed illinc alacriter profecti, ad conſtitutos terminos competẽti tempore contendere ſatagite: ut non ad gratiam, ſed ſecundũ Eccleſiaſticum & Apoſtolicum canonẽ, his quæ delicta ſunt, ſiue per errorẽ acciderunt, conueniens remediũ exco gitetis, & ut Eccleſiã omnis generis blaſphemia liberetis, & curas meas releuetis: ac pacis gratiã ijs qui iam diſsident reddẽtes, maximam uobis ipſis gloriam concilietis. Deus uos cuſtodiat, fratres dilecti.

Aliud præterea nihil de ſynodo ea refertur. Quod in eo acerrimè Socrates reprehendit libro primo, capite uigeſimotertio. Eiuſdem uerò libri capite uigeſimoſeptimo indicat, occaſionem ei ſynodo præbuiſſe Arianorum & Euſebianorum in Athanaſiũ, qui Alexandro Alexandriæ epiſcopo mortuo ſucceſſerat, inſidias & machinationes. Qua de re, ut perſpicua fiat hiſtoria, aliquanos quædam oportet repetere.

Sicut in ipſa tum Synodo Nicæa, fidei fraudulenter, metu ſcilicet adacti, ſubſcri-

subscripserant illi, qui unà cum Eusebio Nicomediensi Arij partes tuebantur: ita aliud se sensisse, quàm ore & manu professi essent, ac nihil minus se quàm impietatē Arianā animis eiecisse, postea statim reipsa testati sunt. Obid enim per fraudem & malitiam, extortis Synodi scriptis ab eo, apud quem Imperator ipse, ueluti diximus, adseruanda deposuerat, scriptiones suas delerunt: ut Sozomenus narrat lib. 2. cap. 21.

Primùm autem per presbyterum suæ factionis, qui Constantiæ Imperatoris sorori familiaris erat, id efficiunt, ut persuasa Constantia à sacerdote, iniuriam scilicet Ario in concilio Nicæno factam, cuius tamen fides ab illa quam synodus promulgasset, nunquā diuersa fuisset: paulo pòst graui & letali correpta morbo, Cōstantino ad se uocato, de Arij innocentia testata sit. Nec multo pòst Cōstantia defuncta, presbyter idem in amicitiā Imperatoris Cōstantiæ beneficio morientis insinuatus, idē Imperatori etiā ipsi persuasit, Ariū nimirū aliter nō sentire, quàm ut synodo uisum fuisset, atq; præter ius & æquū calumnijs eū opprimi. Ad quod Imperator respondisse fertur, se Arium, si Synodo consentiret, in cōspectum suum admissurū: eumq;, si innocentē se cōprobasset, Alexandriā honestè remissurum. Erat aūt Imperator tum Cōstantinopoli, quò Arium ad se euocauit literis ad hunc modum scriptis.

¶ Victor, Constantinus, Maximus, Augustus. Iam olim soliditati tuæ significatū est, ut in castra mea uenires, quo cōspectu nostro frui posses. Vehemēter uerò admiramur, quòd id non confestim feceris. Quapropter iam ascenso publico uehiculo, ad castra nostra properè uenias: ut clementia ac prouidē tia nostra potitus, ad patriam reuerti queas. Deus te custodiat, frater. 6 Calend. Decemb. Socrates lib. 1. cap. 25.

Acceptis his literis, Arius nihil cunctatus, assumpto secum Euzoio, quem diaconum unà cum Ario, & cæteris eius gregalibus, Alexander deposuerat, Constantinopolim uenit: ubi uterq; in conspectū Imperatoris admissus, an fidei Nicææ dictatæ consentirent interrogatur. Consentire igitur se per omnia respōdentibus, mandat ut fidem suā scripto comprehensam sibi offerant. Quam ad hunc modum comparatam illi mox exhibent.

¶ Religiosissimo & pientissimo Domino nostro Imperatori Constantino, Arius & Euzoius. Sicut chara Deo pietas tua, Domine Imperator, præcepit, fidem nostrā exponi mus, & scripto hoc cōfitemur: quòd de Deo & ipsi & qui nobiscū sunt, sicuti subiectū est, credamus. Credimus in unū Deum patrem omnipotentē. Et in Dominū IESVM Christū filium eius, ex eo ante omnia secula genitū, Deum uerbum, per quem omnia facta sunt, cùm quæ in cœlis, tum quæ in terris: qui descendit, & incarnatus, & passus est: & resurrexit, & ascēdit ad cœlos, & denuò uēturus est ad iudicandū uiuos & mortuos. Et in sanctum spiritū, & in carnis resurrectionem, & in uitam uenturi seculi, & in regnū cœlorū: & in unam catholicam Dei Ecclesiā, à finib. orbis ad fines usq; protensam. Et hanc fidē ex sacris Euangelijs accepimus, Domino discipulis suis dicente: Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & spiritus sancti: sicut uniuersa catholica Ecclesia & scripturæ docent, quib. per omnia credimus. Iudex noster Deus est, & nūc, & in futuro iudicio. Quapropter pietatē tuam, Deo dilectissime Imperator, obsecramus, ut nos, cum ecclesiastici uiri simus, & fidem & sensum Ecclesiæ, sensumq; sanctarum scripturarum habeamus, per pacificam & religiosam pietatem tuam diréptis quęstionib. & perissologijs, matri nostræ Ecclesiæ uidelicet, unias: ut & nos & Ecclesia in pace degentes, consuetas inter nos preces pro pacato Imperio, omniq; genere tuo communiter cuncti fundamus.

Et addit ex Athanasio Theod. lib. 1. cap. 14: Interrogatum post eam confessionē Arium ab Imperatore, Nihil ne aliud in animo haberet, ac uere ne atq; ex animo quod profiteretur sentiret: iureiurando respondisse, Se nihil habere præter ea quæ scripto edidisset, neq; dixisse aliter, neq; cogitasse. Ad quæ Imperator: Si recta, inquit, est fides tua, probè iurasti. sin impia est fides tua, & iurasti: scias Dominum periurij tui uindicem futurū, & iudicium de te facturum de cœlo. Athanasius oratione prima contra Arianos. Quæ omnia etiam Epiphanius retulit in cōfutatione hæreseos Ariomanitarum: sed ante Synodum, & non decennio pòst accidisse, perspicuè indicat, quemadmodum suprà diximus.

Sic igitur ab Imperatore absolutus Arius, spe potiendi amissa sua administratione, Alexandriam profectus est: quo tempore episcopatum ibi tenebat magnus Athanasius, instructus literis eorum qui Eusebio adsentiebātur, ut reciperetur. Sed Athanasius nullo modo se Arium cum suis recipere aut posse aut debere, respondit: ut quem perinde atq; scelus detestaretur. Eam igitur Athanasij recusationem Eusebiani ad Imperatorem referunt, qui pro Arij receptione Athanasio minaces literas scripsit.

¶ Quum uoluntatis meæ noticiam habeas, omnibus ad Ecclesiam accedere uolentibus liberū præbe accessum. Si nanq; cognouero, quòd aliquos eorum qui Ecclesiæ student prohibueris, aut ab accessu Ecclesię excluseris, mittam euestigiò qui te meo iussu

deponat, ac locum tuum transferat. Ad quæ Athanasius respõdit: fieri minimè posse, ut qui fidem semel reprobarint, & anathemate damnati sint, postliminio quasi reuersi denuò recipiantur.

Imperatoris igitur indignationem, opportunitatem suam ultro sibi oblatam Eusebiani arbitrati, quo pacto bellum Athanasio inferrent meditantur. Persuasum enim habebãt, si loco & episcopatu suo Athanasius priuatus fuisset, facilem progressum hęresin suã habituram. Ita quasi confœderati, ad calumnias Athanasio intendendas sese cõiungunt: Eusebius, signifer factionis, episcopus Nicomediæ: Maris Chalcedoniæ, Vrsatius Singidonæ superioris Pannoniæ, & Valens Mursorum eiusdem Pannoniæ episcopi: ac per quosdam conductos ex factione Melitiana criminationes Athanasio apud Imperatorẽ intentant, quasi exactionib. Aegyptum premat, & pecunias collectas cuidam (Philumeno) insidias & res nouas in Imperatorẽ molienti mittat. His manifestis calumnijs, captatis dolose aurib. atq; animo Imperatoris, id efficiunt, ut Constantinopolim Athanasius ab Imperatore euocetur. Quò & uenit ille, & de obiectis sibi falsis criminibus facilè sese purgat: atq; ita quidem, ut honorificè Alexandriam cum literis Imperatoris remittatur. Exemplar literarum subijcimus.

¶ Non potuit improbitas istorum, credite mihi fratres, nõ potuit nocere episcopo uestro. Nihil aliud studuere, q̃ ut nostris temporib. consumptis, nullum haberent in uita pœnitentiæ spacium: Quare uobis ipsis auxilio sitis moneo, uestrum amorificum studiũ urgete, omnibus uiribus exagitate eos qui cupiunt abolere gratiam concordiæ uestræ: & respicientes ad Deum, mutuò amore uos complectimini. Ego uestrum episcopum Athanasium libẽter uidi: ficq; sum allocutus, ut quem uirum Dei esse crederem. Theodoretus libro primo, capite uigesimosexto.

Alia igitur factiosi illi, Eusebius, Theogonius & Theodorus Perinthius, rem aggressi uia, nouam in Athanasium texunt criminationum & mendaciorum telam, & ad Imperatorem referunt: Athanasium multorũ criminum, quorum explicationem nullæ possent sustinere humanæ aures, esse reũ. Theodoretus libro primo, capite uigesimoquinto, & uigesimoseptimo. Socrates libro primo, capite uigesimoseptimo, ea crimina hoc recitat ordine, ex Athanasio, ut uidetur: In Mareote regione Alexãdriæ, in cuius multis pagis populosis pręclarę erant Ecclesiæ, subditæ gubernatiõi episcopi Alexãdrini, Ischyras quidã (Athanasius Ischyronẽ uocat) cum presbyteri sibi nomen & officiũ sumere ausus fuisset, in facinore deprehẽsus, inde profugerat, & Nicomediã uenerat: ubi cum Eusebij factione cõiunctus, cum ei dignitatem episcopalem Eusebiani pollicerentur, operã suam contra Athanasium, & accusationem illis locat. Ac primùm quidem ab illis instructus, comminiscitur, Athanasium manũ Arsenio cuidam Melitianorum episcopo, à le interfecto, resectam habuisse, eademq; ad ue neficia & incantationes usum fuisse. Manum enim de cadauere quodã resectã, Eusebiani penes se habebant, ac reconditam in lignea arcula, per fora ac cõsessus Magistratuũ circumferebãt. Arsenium uerò seu ipsi occultarant in monasterio: seu propter admissum facinus, pœnę metu ipse sese, quemadmodũ Sozomenus narrat, abdiderat. Atq; hęc quidem in Athanasium sycophanta ille conductus fingebat: post quẽ & de Macario Alexãdrinæ ecclesię presbytero mentiebatur, se ab eo in ecclesia sua grauia multa perpessum esse. Macarium enim per irruptionẽ ad altare prosilijsse, mensam sacram subuertisse, calicem mysticum confregisse, & sacros libros combusisse. Nec etiam deerant, qui Athanasium in primis, de alijs criminibus, ut in tali negocio fieri solet, accusarent. Athanasius apologia secunda: Socrates libro primo, capite uigesimoseptimo: Theodoretus libro primo, capite uigesimooctauo: Sozomenus lib. 2. capite 23.

Motus igitur Imperator tum accusatorũ Athanasij multitudine, tum criminum grauitate, Synodum indicit Cæsareæ Palęstinę. Is enim locus, quòd aduersariorum Athanasij refertus esset, opportunus Eusebianis uidebatur. Sed Athanasius iudicij, in quo & falsa sæpenumero uincunt, iniquitatem & uiolentiam ueritus, eò nõ uenit. Interea uerò amicos mittit, qui Arsenium inuestigent. Quam tergiuersationẽ pro se facere ratus illi, prioribus in Athanasium falsò confictis improbis, manifestissimis sceleribus, etiam hoc adijciunt, ut tyrannidis eum, & audaciæ denuò accusarent. Nec difficile quidem, irato Imperatori, quicquid collibuisset, persuadere fuit. Suspicatus igitur is, Athanasium Cæsaream ingere, seu propter episcopum, seu propter Eusebij Nicomedienses, eiusq; factionis malitiam, Synodum nationalem indicit apud Tyrum: ibiq; ut se sistat Athanasius, literis plenis indignatione ei denunciat. Socrates libro primo, cap. uigesimooctauo: Theodoretus libro primo, capite uigesimoseptimo: Sozomenus libro primo, cap. 25: Athanasius apologia secunda.

Veniunt ad eam Synodum episcopi sexaginta, maximè Orientales, ut Sozomenus narrat: in quibus fuit & Paphnutius cõfessor: Maximꝰ episcopus Hierosolymitanus, & Asclepas Gazensis. Adducitur & Macarius

Macarius presbyter cathenis uinctus. Venit etiam Athanasius, seriò ab Imperatore accersitus, cum presbyterorum & diaconorũ numeroso collegio: quorum nomina recensetur in apologia secũda. Socrates & Sozomenus ibidem: Athanasius apologia secunda. ubi inserta synodi Alexandrinæ cuiusdam epistola, Arianorum, Eusebianorum, & Meletianorum conuentum hunc fuisse ait, non synodum, sed synodi ostentatam speciem, ac negotium prorsus Imperatorium: uerba ipsa adscribimus. Quis ibi conuentus episcoporum, aut consessus ueri studiosus? Quis non ex plerisq; noster inimic⁹? Nonne Eusebius, Eusebianiq; studio Arianismi ad id concilium perrexerunt, reliquis eiusdem secum sententiæ adductis? Et: Qua fronte talem conuentum Synodum appellare audent, cui Comes præsedit? & ubi spiculator apparebat? & cõmentariensis, siue carcerarius pro diaconis Ecclesiæ, aduentantes introducebat? ubi Comes uerba faciebat: cæteri præsentes in silentio erant, uel potius obsequium suum accõmodabant? &c. Comes is Dionysius quidã fuit, quem tanquam iudicem aut præsidem Imperator in synodum eam miserat: sicut in epistola sua Imperator ad eos qui Tyri cõuenerant, testatur. ubi inter alia inquit: Quod ad nos attinet, nihil patiemur desiderari bonitatis nostræ: omnia de quibus literis uestris significatum est, sumus exequuti. Scripsi episcopis, quibus uoluistis, ut suam curã in hoc concilio ad uestram adiungerent. Misi huc Dionysium, uirum consularem, qui quos uobiscum in conciliũ ire oporteret admonendo, & ea quę gererentur, in primisq; ordinẽ animaduertendo, præesset cõuentui. Si quis enim, quod usuenturũ nõ puto, uestrã iussionẽ nunc quoq; paruipendens adesse noluerit, aderit hinc à nobis, qui Imperatorio mandato illũ in exiliũ agat, doceatq; non oportere aduersari præscriptioni regiæ, propositæ de ueritate. Quod restat, uestræ est sanctitatis opus, unanimi iudicio conuenientẽ curationẽ circumspicere, tam ijs qui uoluntate sua, quàm qui errore deliquerũt: qua in re neq; odio, neq; gratia moueri, sed ecclesiasticã & apostolicã sequi regulã debetis, simul ut omni maledicentia liberetis ecclesiã, simul ut curas nostras alleuetis: simul etiã, ut pacis gratia restituta dissidentibus, maximã gloriam uobis ipsis cõcilietis. Deus uos conseruet, fratres dilecti. Theodoretus libro primo, capite uicesimo octauo.

Venerat aũt eò, Deo sic prospiciente, et Arsenius ipse: quẽ materiã impiæ suæ totius fabulę, Athanasij aduersarij futurũ sperauerãt, occasione eiusmodi. Miserat, ut diximus, Athanasius familiares suos, cumq; illis & diaconũ quendã suũ, ut Sozomenus refert, ad inuestigandũ Arseniũ: qui hominẽ inuentum, Tyrum secũ unà abduxerunt, & in hospitium ductũ, in latebris abdiderunt. Theodoret. lib. 1. cap. 29. Tametsi Socrat. lib. 1. cap. 27 & 29, Arsenium abditum in Aegypto, ab illis quos ad quærendum eum Athanasius miserat, comprehendi non potuisse scripserit, eo quòd mutatis locis hinc inde transferretur. Extat de occultatione Arsenij epistola Paphnutij monachi apud Athanasium, apologia secunda. Prouidentia autem Dei Tyrum compulsum, atq; hac occasione Athanasio ibidem proditũ esse. Cum cupiditate uidendi quæ in synodo contra Athanasium agerentur, clam ibi adstat Arsenius: fortè Archelai consularis famuli in taberna audiunt, Arsenium, qui occisus fingeretur, in domo quadam clam esse. Quod cum Archelao illi nunciassent, confestim quærit Arsenium Archelaus, atq; inuentum cautè custodit: Athanasioq; significat, bonum haberet animum, adesse namq; Arseniũ uiuentem: qui tamen comprehensus, Arsenium se esse negauerat: sed à Paulo Tyri episcopo, qui & olim eum nouerat, agnitus erat. Hæc igitur ad immi nentem de Athanasio actionem, diuina fuit præparatio.

Paulo pòst in synodum accersitus Athanasius, uenit. ubi spurco & impudenti cõmento fabulam suam contra Athanasium Eusebiani auspicati, primùm omnium mulierem infamis uitæ in medium sistunt, quæ se uirginitatem professam, ab Athanasio hospite noctu uim passam esse uociferatur. Sed quod commentum, ut erat uanissimum, per se ipsum statim destructũ est, hoc modo. Venerat in synodum Athanasius, comitatus presbytero suo Timotheo. Iussus autem accusationi mulierculæ respondere, tacuit, quasi Athanasius non esset. Timotheus Athanasij consilium animaduertens, conuersus ad mulierem: Mihi ne, inquit, tecum res fuit unquam, aut hospitio tuo usus sum? Tum illa, impudẽtiore quàm antea uociferatione, Timotheum digito cõmonstrans: Tu, inquit, uim mihi & uitiũ obtulisti. Ita igitur mendacio & figmento per se prodito, cum infamia summa fabulæ uanissimæ autorum, iudicibus quotquot cõscij erant, atq; inter Timotheum et Athanasiũ discernere poterant, muliercula dimissa est, Athanasio repugnante: qui indicari prius ab ea cõtendebat, à quibus fuisset subornata.

Contrà uerò, accusatores alia se habere multa atrociora crimina exclamant, quibus non auditus, sed aspectus patrocinentur, quæq; nulla ratione dilui ab eo possint. Interea arculam illam proferunt, & conditam exhibent manum, quam Arsenij esse iactitauerant. Ortus ibi ingens strepitus ac

tumultus est conclamantiũ omnium, tum qui uerum esse credebãt, tum quibus falsum constabat, scelus esse indignum. Sed Arseniũ, quem bene abstrusum esse confidebant, adesse nesciebant. Dato igitur mediocri silentio, quærit Athanasius, num alicui eorum Arsenius notus esset? Cumq; permulti ex eo confessũ responderent, Equidem nouisse se Arsenium: producitur Arsenius in medium. Et rursum interrogat Athanasius, Sitne is Arsenius, quem interfecisse, cuiusq; corpori manũ resecuisse Athanasius diceretur. Confitentur omnes, esse Arseniũ. Ibi igitur pallio retecto, ambas ostendens manus: Tertiã, inquit, nemo quærat. Singulis enim hominibus dextra tantũ manus & siniſtra, à conditore Deo collatæ sunt. Ad hunc modum refutato falsissimo commento, accusatores tumultu & seditione concitata, synodũ perturbarunt. Theodoretus libro primo, capite uigesimonono. Ex illis uerò Achab, seu Ioãnes unus, à tribunali se subducens, in ipso tumultu diffugit. Socrates libro primo, capite trigesimo.

Sozomenus libro secundo, capite uigesimoquinto, etiam his de rebus Athanasium à synodo accusatum scribit: Accusabant, inquit, eum ex parte Ioannis, Callinicus episcopus, & quidam Ischyriõ, quòd mysticum poculum (opera fortasis Macarij presbyteri, sicut suprà dictum est) contriuisset, & sedem episcopalẽ destruxisset: Ischyrionemq; eum, cùm presbyter esset, carceri frequenter inclusisset, & calumnia apud Hyginum Aegypti hyparchum grauasset: ac, quasi Imperatoris imagines lapidasset, in carcerem trudi curasset. Callinicum uerò, cum in Pelusio catholicę Ecclesię episcopus esset, cum Alexandro sentiens, ob eã causam deposuisset, quòd communionem ipsius tantisper detrectasset, donec sibi de suspicione confracti poculi mystici satisfeciſſet: Marco autẽ cuidam à presbyterio depositio, Pelusianam ecclesiam commendasset. Deniq; ipsum Callinicum militari custodiæ flagris cædendum, & tribunalibus examinandum tradidisse. Euplus uerò, & Pachonius, & Isaac, & Achilles & Hermæus, ex episcopis qui cum Ioanne erant, etiam quasi propter illata uerbera eum accusabant. In communi autem accusabant eum omnes, quòd quorundã periurijs ad episcopatum peruenisset: affirmantes & cõtendentes, non esse ordinandum quenquã, nisi purgatum prius à criminibus, de quibus accusaretur: & ob eam causam hactenus deceptos, ab ipsius abstinere communione.

Meminit huius accusationis etiam synodus Alexandrina, apud Athanasium apologia secunda. Constitutionem, inquit, episcopatus Athanasij, tanquam non legitimè celebratam, arrodũt Eusebiani. Aiunt enim, post obitum episcopi Alexandri, cum paucissimi essent qui Athanasij mentionem faceret, sex aut septem episcopos clanculum, & in loco obscuro, eum in præsulem elegisse. Hæc eadem illi, quibus nullum mendaciorũ genus reformidandũ uidetur, Imperatoribus scripsere. Hactenus Athanasius.

Præterea, sicut in huiusmodi magno studio quæsitis insidijs fieri solet, præter expectationem, etiam ex illis qui amici putabantur, accusatores prodibant: legebaturq; scriptum quoddam publicarum uociferationũ, quasi laicorum Alexandrinorũ, quos ab ingressu ecclesiæ remouisset. Sozomenus ibidem. Quibus omnibus semel simulq; Athanasius obrutus, quomodo de singulis sepurgare potuit? Pro Macario tamẽ eum respondisse, Socrates indicat: & protestatũ esse, iniquum esse Macarium in uinculis detineri, accusatoremq; cum iudicibus inimicis conuiungi. Deinde & contra eos qui cum Eusebio essent, excepisse: illicitum scilicet esse, ab aduersarijs suis causam suam iudicari: probariq; iussisse, an Ischyras accusator uerè presbyterij dignitate præditus esset. Additit item, sed clarius, epistola synodi Alexandrinæ apud Athanasium: Ischyram calumniatorem, eorum nihil, quæ contra Athanasiũ struxit, probare potuisse. Placuisse igitur Eusebianis, ut in speciem iudiciũ suspenderetur, tantisper, dum ad Mareotẽ ex suis quidam probationes collecturi mitterentur. Ita igitur missos fuisse eos ipsos, cõtra quos, ut Socrates retulit, Athanasius exceperat: Theognidem nimirum (seu Diognium, ut Athanasius habet) Marem, Theodorum, Macedonium, Vrsatium, & Valentem: homines, ut Athanasius ait, ab ultimis illis Pannoniæ finibus ad impietatis patrocinium, Tyrum usq; profectos.

Quos exploratores, ut contra quos excepisset, mitti ægrè ferens Athanasius: cum uideret per tumultuationes insidiatorum, circa tribunal totis uiribus uociferantium, abripiendum esse è medio Athanasium, ut sacrilegum illum scinatorem uiolentum, & sacerdotio indignum: nec alicuius causæ suæ partis, necinocentiæ haberi rationem: propriæ etiam saluti metuens, posteaquam synodum cõmunem, ipsumq; Dionysium contestatus esset, clanculum discessit. Socrates libro primo, capite trigesimoprimo. Id uerò Theodoretus libro primo, capite uigesimonono: & Sozomenus libro secundo, capite uigesimoquinto, ita retulerunt: In ea nimirum tumultuatione præfectos (quibus Imperator mandauerat, ut diligenter cauerent, ne quid turbulentè in synodo ageretur, ne ue ad manus & arma res deueniret) Athanasium clam à tribunali

bunali ſubduxiſſe: ac monuiſſe, ut nauigio celeriter diſcederet.

Ita igitur ad Imperatorem Conſtantinopolim Athanaſius cõfugit, demonſtraturus eidem, quibus in ſe inſidijs & iniurijs ſynodus egiſſet. Socrates libro primo, capite trigeſimoſecundo. Ac receſsiſſe ſe à Synodo, tanquam è concilio iniuſtorum, qui quod libuiſſet fecerint, atq; in tenebris cõſilia conflantes ſua, contraria ſibi ipſis finxerint: teſtatur ipſe Athanaſius in apologia ſecunda.

Poſt Athanaſij uerò diſceſſum, Synodus eum prætextu eorum criminum, de quibus ſuprà diximus, abſentem condemnat, ac deponit: perſcriptis ad Imperatorem confictis in eum mendacijs, ac criminibus. Quam uiolentiam exhorreſcens Paphnutius cõfeſſor, apprehenſo Maximo Hieroſolymitano epiſcopo, è cõcilio abijt: Maximũ monens, non licere ſibi cum tam flagitioſorum hominum conuenticulo aliquid habere commune. Sozomenus lib. ſecundo, cap. uigeſimoquinto.

Extat de hac Athanaſij condemnatione quiddã in dialogiſmo Conſtantij Imperatoris & Liberij epiſcopi Romani, apud Theodoretum lib. ſecundo, capite decimoſexto: in quo affirmanti Conſtantio, Athanaſium coràm in ſynodo Tyria, ab epiſcopis omnibus totius terrarũ orbis condemnatũ fuiſſe: Liberius reſpondet, condemnationem illam nullã factam eſſe ratione, eo quòd de iudicio Athanaſius receſſerit: ijq; qui in Mareoten miſsi fuerint, ac falſa inde teſtimonia retulerint, in ſynodo poſtea Sardicenſi libellos pœnitentiæ obtulerint: ac confeſsi ſint, ſe per calumniam ſcripturas in Athanaſium apud Mareoten confeciſſe.

Cum igitur Conſtantinopolim Athanaſius ueniſſet, iniurias ſibi à ſynodo factas Imperatori expoſuit. Cui neceſſariũ uiſum eſt, Athanaſij cauſam coràm cognoſci: quòd & fieri Athanaſius ipſe poſtularet. Literis itaq; in ſynodum Tyri miſsis, epiſcopos ibi congregatos Conſtantinopolim euocauit, ad reddendam rationem ſuæ ſententiæ in Athanaſium prolatæ. Exemplum literarum paulo pòſt cũ Athanaſij narratione ſubijciemus.

Illis autem non mediocriter perturbati, qui adhuc cum Euſebio, Theogne, Mari, Patrophilo, Vrſatio & Valente erant, Conſtantinopolim proficiſcuntur, accuſationibusq; prioribus in Athanaſium omiſsis, noui eum facinoris inſimulant: minatum ſcilicet fuiſſe, impediturum ſe, ne frumentum quod ex Alexandria Conſtantinopolim deuehi conſueuiſſet, poſthac unquam mitteretur. Socrates libro primo, cap. 35. Theodoretus libro primo, capite trigeſimo. Narrat tamẽ Sozomenus libro ſecundo, capite uigeſimooctauo, Euſebiũ, Theognem, & cæteros pertinaciter apud Imperatorẽ affirmaſſe, uera omnino eſſe quæ in Athanaſium decreuiſſent: adductis in medium teſtibus illis, quos explorandę ueritatis ſpecie in Mareoten miſerant: qui uerum eſſe quod de poculo myſtico confracto, alijsq; facinoribus in Athanaſium dictum fuiſſet, teſtati ſint.

Athanaſio igitur iratus Imperator, in Gallias eum exulatum deportari iuſsit, ad Treuirenſium ciuitatem. Quod nõ tam propter accuſationes aduerſariorum eius Imperatorem feciſſe nonnulli dixerunt, quàm ſtudio reducendi ad concordiam eccleſias diſsidentes: quòd cõmunionem eorum qui Arij dogma profitebãtur, Athanaſius omnino auerſaretur. Exilium autem illud ingentem populo Alexandrino luctum & dolorem attuliſſe, eumq; cõtinuis apud Imperatorem ſupplicationibus pro reditu Athanaſij inſtitiſſe, Sozomenus narrat libro ſecundo, capite trigeſimoprimo. Interceſsiſſe etiam pro eo reuocando Antonium, magnum illum et clariſsimum monachum: ſed nihil obtinuiſſe. Imperatorem uerò magis irritatum, populum Alexandrinum quaſi dementem & ſeditioſum obiurgaſſe. Clericis etiam ac ſacris uirginibus Athanaſij reſtitutionem flagitantibus, ſilentium præcepiſſe: ſimulq; affirmaſſe, nec ſententiam ſe mutaturum, nec Athanaſium, ut ſeditioſum & iudicio Eccleſiaſtico condemnatum, reuocaturum. Quin & Antonio reſpondiſſe, non poſſe ſe Synodi decretum labefactare. Nam etiamſi pauci inimicitias inter ſeſe mutuas exercentes, ad gratiam iudicaſſent: ueriſimile tamen non eſſe, reliquam eximiorum & bonorum epiſcoporum magnam multitudinem eodem fuiſſe animo affectam. Athanaſium uerò & conuiciatorem eſſe, & arrogantem, diſsidiorumq; & ſeditionum autorem: quibus illum nominibus aduerſarij Imperatori præcipuè ſuſpectũ fecerant. Attamen anno ac paucis menſibus elapſis, in graui morbo, antequam moreretur Conſtantinus, ut Alexandriam redire Athanaſius iuberetur, decreto, tametſi Euſebio Nicomediẽſi acriter reluctante, ſanxit: quod & per iuniorem Conſtantinum poſtea factum eſt. Socrates libro ſecundo, capite ſecundo: Theodoretus libro primo, capite trigeſimoprimo. Literas ad poſtremum ex apologia altera Athanaſij, res geſtas in ea ſynodo complectentes, adijcimus.

Epiſcopis Tyri congregatis, Dominis precioſiſſimis, ij qui cum Athanaſio ex Aegypto ad Concilium uenêre, in Domino

S. P. D.

¶ Non arbitrabamur, ulterius Euſebij, Theognij, Maris, Narciſsi, Theophili & Patrophili cõſpirationẽ incertã dubiamq; habe ri. Principiò quidẽ omnes reclamabam⁹ per commi-

comminiſtrum noſtrum in ſacris Athanaſium, ne illis, quũ adeſſent, cauſæ cognitio permitteretur: ut non ignari, uel unius inimici præſentia, nedum plurium, iudicia turbari & lædi poſſe. Neq; uobis in occulto eſt odium eorum non ſolum in nos, ſed in omnes orthodoxos: & quàm Arianicę rei furioſo & immani ſtudio, & zelo impiæ eius doctrinæ omnibus immineant, & aduerſus omnes cõſpirent. Hic tamen nos ueritate freti, ubi Meletianorum calumnias refellere cuperemus, neſcio quibus artib. Euſebiani noſtros conatus interturbare ſtuduerunt: magnamq; operam impendêre, ut noſtra dicta reijcerentur, nunc ſynceriter iudicantibus interminantes, nunc etiam nonnullis contumeliam inferentes, non alio ſcopo, quàm ut id quod contra nos molirentur, progreſſum haberet. Fortaſſe diuina ueſtra religio, Domini honoratiſsimi, per id temporis ignorabat eorum cõſpirationem: quam nunc putamus uobis manifeſtò apparere, quum ſeſe, quales eſſent, tam clarè oſtenderint. Quotquot enim ex toto grege ſuſpectiſsimi erant, Mareoten ablegarũt: ut per noſtram abſentiam, quibus hic hærendum eſt, populos perturbent, & ſtudia ſua perficiant. Ecce enim Arianos, Colluthanos, & Meletianos, hoſtes catholicæ Eccleſiæ, ideo potiſsimùm emittere ſtuduerunt, ut per præſentiam hoſtium noſtrorum, ſutelas quas uellent, aduerſus nos facerent. Certè Meletiani, qui hic Tyri apud nos ſunt, ante quatriduũ, quaſi certi eſſent hoc in concilio decretum iri, quoſdã ex ſuos ueſperi per ueredarios ablegarunt, qui Meletianos etiam ex reliqua Aegypto Mareoten, quum ibi nulli eſſent, cõuocarent, eodemq; Colluthanos & Arianos ex alijs locis cõtraherent, ut eos inſtruerent, quid contra nos dictum uellent. Memores enim eſtis, ipſum Iſchyram confeſſum eſſe coram uobis, non plures ſe habere quàm ſeptem communicãtes. Cæterùm quia poſt ſutelas ſuas, ſubmiſſosque ſuſpectiſsimos homines, audiuimus eos ſingulos ueſtrûm ambientes, poſtulare ueſtram ſubſcriptionẽ, ut omnium ueſtrûm conſilio id actum uideri poſsit: ideo nos & iſta ſcribim⁹, & pro teſtimonio dicimus, proteſtantes coniurationes inſidiasq;, quas & ab illis & per illos patimur: oramusq;, ut ſuſcepto Dei timore, indignantesq; ſine ueſtra autoritate illos miſſos eſſe, quos ipſi uoluerunt, abſtineatis à ſubſcriptione: ne quas ipſi per ſe ſutelas conſuunt, eas tanquam uobis autoribus factas iactitent: quum deceat homines in Chriſto non humana reſpicere, ſed ueritatem omnibus anteponere: neq; minas eorum aut conſpirationem in omnes, ſed potius Deum metuere. Æquum certè erat, ſiquidem legati Mareoten mittendi fuerant, nos quoque unà cum illis ibi præſto eſſe, ad hoſtes Eccleſiæ indicandos, peregrinosq; eliminandos, ut purum iſtius rei ſcrutinium haberi poſsit. Scitis enim Euſebianos ſuis ſuis curauiſſe epiſtolã reddi, quaſi à Colluthanis, Meletianis et Arianis contra nos ſcriptã. neq; ignota res eſt, hoſtes catholicæ eccleſiæ nihil ueri de nobis, ſed omnia infeſta loquuturos. Lex autem Dei inimicum neque reſtem neq; iudicem eſſe uult. Reliquum eſt igitur, ut, tanquam in die iudicij rationes reddituri, accepta hac noſtra proteſtatione, certiq; fraudis aduerſus nos inſtitutæ, noſtrisq; precibus maturè admoniti, caueatis quicquam contra nos facere, aut Euſebianorum conſilium adiuuare. Scitis enim, quemadmodum ſuperius dixi, eos noſtros inimicos eſſe: & cur ita pridem Euſebius Cæſariẽſis odium in nos ſuſceperit. Valere uos optamus, Domini deſideratiſsimi. Adamantius epiſcopus has literas dedi: Iſchyras, Ammẽ, Petrus Ammonianus, Tyránus, Taurinus, Serapammon, Ælurion, Harpocration, Moſes, Optatus, Anubion, Saprió, Apollonius, Arbæthion, Potamon, Paphnutius, Theon, Nonnus, Ariſton, Theodorus, Agathammõ, Cinus, Piſtus, Aethas, Nicõ, Pelagius, Theõ Pammithius, Irenæus, Blaſtammon, Philippus, Apollo, Dioſcurus, Timotheus Diopolitanus, Macarius, Heraclammon, Cronius, Muis, Iacobus, Ariſton, Artemidorus, Phinees, Pſais, Heraclides.

Rurſus ijdem Aegyptij epiſcopi, qui Tyri conuenerunt ex parte catholicæ Eccleſiæ, Flauio Dionyſio Comiti illuſtriſsimo.

¶ Quum multas uideremus calumniarũ conſarcinationes, & ex conſarcinationibus inſidias Euſebij, Narciſci, Flacilli, Theognij, Maris, Theodori, & Patrophili, aduerſus nos, quos quia principiò detrectantes reijcere non licuit, neceſſariò ad hanc proteſtationem decurrimus: præſertim quum animaduertamus multa ad gratiam Meletianorum, multa rurſus ad inſidias catholicæ Eccleſiæ ſub noſtri criminibus agitari. neceſſariò ob id quoq; libellũ hunc tibi porrigimus, cum multis obſecrationibus, ut Dei metu in animo ſeruato, qui Imperium auguſtiſsimi & pientiſsimi Imperatoris Conſtãtini tuetur, cognitionem cauſarum noſtrarum ipſi auguſtiſsimo Imperatori reſerues. Æquum enim eſt, te ab Imperatore miſſum, negocium hoc integrum Imperatori retinere. Quandoquidem tolerare nõ poſſumus compoſitas iſtas calumnias, quibus inſidioſe ab Euſebianis premimur: ideoq; poſtulamus cauſam iſtam pientiſsimo & religioſiſsimo Imperatori reſeruari, apud quem licebit & iura Eccleſiæ, & noſtra proponere. Planè enim cõfidimus, eius pietatem, cognitis noſtris rationibus, ne-

quaquam nos condemnaturã esse. Quapropter denũò te obtestamur, & adiuramus per omnipotentem Deum, ita pientissimus Imperator per multos annorum recursus cum liberis suæ pietatis ualeat, ut nihil in hoc negocio deinceps facias, neq; tibi indulgeas, ut quicquã contra nos in synodo commoueas, sed reserues rei cognitionem eius pietati. De isdem rebus etiam dominis nostris episcopis orthodoxis significauimus, quibus certior factus Alexander episcopus Thessalonicensis, scripsit ad Dionysium comitem in hæc uerba.

Domino suo Dionysio Alexander episcopus.

¶ Clarè uideo, Athanasio calumniã strui: omnes enim quos recusauit, nescio quo modo, illi emittere uoluerunt, nullo nobis eius rei indicio facto. Erat enim decretum, ut cõsultatio haberetur, quos nam eò amandare oporteret. Consule igitur illis, ne quid temere faciant. Venerũt enim ad me turbidi cum his uerbis, belluas inhorruisse, & in proximo esse ut exiliãt, eo quòd sonitu strepituq; consternatæ sint, audierintq; Ioannem non ita ut uelint, sutelas faciant. Nosti porrò, Colluthianos, unà cum Arianis & Meletianis, hostes Ecclesiæ esse. Isti nunc inter se animo calculisq; consociati, ingentia mala patrare possunt. Vide igitur quid utile sit, ne quid triste emergat: ne subijciamur obtrectationi, quasi qui nequaquam iustè iudicauerimus. Ea autem potissimum de illis suspicio est, ne peragratis ecclesijs, quarũ episcopi hic sunt, per metum & uim totam Aegyptum pertur bent, ut ita Meletianis ecclesiæ tradantur, quod quidem agitari iampridem animaduersum est.

Ad hæc Comes Dionysius Eusebianis scripsit ad hunc modum.

¶ Hæc ipsa erant, quæ dicebam Domino meo Flacillo. Athanasius insurget, dicetq;, quos ipse reiecerat, eos ad istud negociũ submitti: seq; iniuria tractari et circumueniri uociferabitur. Hæc quoq; eadem illa sunt, quę dominus animæ meæ Alexander suis epistolis mihi significauit. Verùm ut sciretis ratione constare, quæ mihi ab illius humanitate perscripta sunt: ipsius epistolam, ut à uobis quoq; legeretur, subieci. Memores autem estis eorum quæ prius scripsi, quum admonerem uestram bonitatem, legatos communi iudicio & suffragio deligendos esse. Videte igitur, ne res ista culpæ obnoxia sit, ne ue iustam obtrectandi nostri occasionem crimina toribus præbeamus. Vt enim accusantium partem grauari non oportet, ita neque reorum. Arbitror porrò nõ minimam nostri obtrectandi materiam datum iri, si dominus meus Alexander actis nostris non uideatur suffragari.

Narratio, quomodo è Tyro abierit in Aegyptum Papa Athanasius.

Quum res ita ageretur, ab ijs tanquam è concilio iniuriosorum recessimus: quod enim libuit, fecêre. Sed tamen ea quæ inaudita altera parte fiunt, nihil habere roboris, nemo omnium mortalium ignorauerit. Hoc enim & lex diuina præcipit: hoc quoq;, quũ insidias pateretur beatus Apostolus, & reus esset, postulabat. Oportebat, inquiẽs, Iudęos ex Asia corã te adesse, & accusare, si quid habent. quo tempore & Festus, conantibus Iudæis easdem contra Paulum insidias, quales ego nunc patior, ita loquutus est: Nõ est moris Romani, gratiæ aduersariorum donare hominem reum, qui nondum accusatores ante oculos suos habuit, aut respondendi locum de crimine adeptus est. Eusebiani autem & legem mutare ausi sunt, & illis ipsis iniustissimis Iudęis iniustiores sese exhibuerunt. Non enim statim à principio ista seorsum sine reliquis agere tentauerunt: sed tum demum, quum coràm à me in præsentia refutati succubuissent. Ex eo namq; tempore, quemadmodum Iudæi, consilium seorsum & soli inierunt, ut & nos perderent, & hæresim introducerent: & quemadmodum illi Barrabam postulauerunt, ita quoque & ipsi omnia ob hæresim se facere profitentur. Et hæc quidem abunde sufficiunt ad defensionem meam: sed tamẽ ut eorum scelera & ueritatis libertas magis appareat, nihil uetat, quo minus denuò earum rerum mentio fiat, ut pateat ipsos sibimet contraria egisse: & in tenebris consilia sua conflantes, in semetipsos impegisse: & studio nos occidendi, seipsos, uti insani solent, uulneraſſe. Nam de mysterijs inquirentes, Iudæos interrogarũt, & catechumenos examinauerunt, Vbi nam (inquientes) eratis, quum Macarius accessit, & mensam subuertit? illiq; responderũt, Nos intus fuimus. Iam si id uerum est, ergo eo tempore oblatio celebrari non potuit, siquidem catechumeni intus erant. Æquè tamen passim scriptitarunt, stante presbytero, & sacrum faciente, Macarium ingressum subuertisse omnia. Et quum interrogarent quos uellent, ita percunctati sunt: Quo in loco erat Ischyras, quum Macarius superueniret? illiq; rursum responderunt, In cubiculo ægrotus decumbebat. Ergo in sacro non stabat, qui per morbũ decumbebat: neq; oblationẽ facere poterat, qui in cellula sua ægrotus iacebat. Insuper dicẽte Ischyra, cõbustos esse libros à Macario: subornati ad eam rem testes, nihil tale factum esse, & mentiri Ischyram assueuerauerunt. Iam quod admireris,

quum

quum literis ſuis famam eam ſpargant, ubique terrarum à nobis ſublatos eſſe, qui conſcij teſtimoniũ ferre poſſent: eoſdem tamen, quum iam apparerent, percunctati ſunt, nullo interim pudore tacti, quũ ſe uiderent undecunq; quadruplatores declarari. Sed tamen quanquam ſeorſum ſine aliorũ authoritate ita pro libidine agerent, nutibusq; teſtes admonerent, præfectus minas iactaret, militesq; tela ac uulnera intentarent: nihilominus tamẽ Dominus ueritatẽ patefecit, eosq; ſycophantiæ coarguit. Illi ergo actorum monumenta, quæ habebant, ſuppreſſerunt: & notarijs iniunxêre, ut ea amolirentur, neq; ulla exemplaria uulgari ſinerent. Sed fruſtra hæc omnia. Nam qui ea ſcripſit Rufus eſt, qui nunc in Auguſtalliana ſpiculatorem agit, & teſtis eius rei citari poteſt. Atque adeò ipſi Euſebiani ea per ſuos Romam miſerunt, eademq; illa ab Iulio epiſcopo ad me tranſmiſſa ſunt. Inſaniunt igitur, ſua arcana in manibus noſtris haberi, & à nobis recitari. His et iſtiuſmodi facinorib. patratis, cauſam cur ea facerent, manifeſtam reddidêre. Nam & in digreſſu ſuo Arianos ſecũ Hieroſolymam adductos, in communionem receperũt, ſcriptis eiuſmodi ſuper ea re literis, quarum principium & pars hæc eſt.

Epiſtola Catholici, Flauius Himerius exarcho Mareotæ S. P. D.

¶ Ad preces Iſchyrę presbyteri, pietati dominorum meorũ Auguſtorum & Cæſarum ſupplicantis, ut ſibi in loco pacis Secontaururi eccleſia ædificaretur, decreuit diuinitas illorum, ut id quamprimum fieret. Cura igitur, exemplaribus diuini iſtius diplomatis, quod primo loco poſitum eſt, noſtræq; ſanctitatis monumentis perlectis, breuiterque perluſtratis, ut in negocio procedatur: & quæ diuinitus conſtituta ſunt, ad effectum perduci queant. Illi igitur eo modo captationes inſtituebant, doloſq; & fraudes moliebantur. Nos autem adito principe, qui ſynodum indixerat, in qua ipſius Comes præſederat, Euſebianorum ſcelera patefecimus. quibus ille auditis, grauiter commotus, in hæc uerba ſcripſit.

Victor Conſtantinus, Magnus, Auguſtus.

¶ Ego ignoro quid ſibi uelint iſta, quæ à ueſtra ſynodo per tumultũ & tempeſtatem iudicata ſunt. Mihi ſanè uidetur, neſcio quo pacto, ueritas per immodeſtiã opprimi, dum per ueſtram contentionem, quam inuictam cupitis, ea quæ Deo placent, non conſideratis. Sed erit diuinæ prouidentiæ officium, & explorare ſcelera iſtius contentioſitatis, & explorata diſsipare: uobisq; clarè oſtendere, quantam in ueſtro cõgreſſu ueritatis curam habueritis, & an ueſtra iudicia citra gratiam & odium calculũ ſuum prompſerint. Quocirca feſtinanter ad meam pietatem accurrite, ut rerum iſtarum excuſſam, exactamq; fidem coram me in præſentia ipſi præſentes doceatis. Quare autem iſta ſcribere uoluerim, & quapropter uos literis meis accerſendos putauerim, ex ſequentibus cognoſcetis. Ingredienti mihi cognominem & fœlicem patriam meam Conſtantinopolim (eram autem in equo) ſubitò Athanaſius epiſcopus in media uia, cum nonnullis alijs quos circum ſe habebat, ita inexpectatus occurrit, ut non leuem mihi cauſam admirationis præberet. Teſtis mihi Deus, omniũ ſpeculator, me, quiſquis eſſet, primo aſpectu agnoſcere nequiuiſſe: niſi noſtrorũ quidam, quis nam ille, & quam nam iniuriam paſſus eſſet, iam antea auditam, ut fieri ſolet, mihi indicaſſet. Ego igitur per illud temporis uerba cum illo non habui, neq; colloquiũ miſcui. Quum autem ille ſe audiri poſtularet, & hoc ſecuſ rem, & propemodum eum ſummouerí iuberem, magna libertate nihil aliud poſtulauit, quàm ut uos huc euocari iuberem, quo uobis præſentibus, quæ per uim paſſus eſſet, conqueri poſſet: quod quum mihi æquum, & temporibus meis congruum uideretur, ſcripto uobis denunciatum uolui, ut quot quot ſynodum Tyri abſoluiſtis, ſine omni tergiuerſatione ad prætoriũ noſtræ elementiæ conueniatis: re ipſa, quantum ſyncerita-tis integritatisq; ſit in ueſtris ſententijs, coram me ipſo ſyncero famulo Dei (quod ne ipſi quidem abnegaueritis) declaraturi. Cæterè per meum erga Deum cultum, obſeruantiamq;, ubiq; iam terrarum pax eſt: & barbaris ipſis nomẽ Dei ſynceriter benedicitur, qui hactenus ueritatem ignorabant. Nihil dubij autem eſt, eum qui ueritatem ignorat, etiam Deum ignorare. Sed tamen, ut antea dixi, Barbari per me ſyncerum Dei famulũ Deum agnouerunt, & iam metuere didicerunt: ideo quod illum mihi protectorem eſſe, meiq; curam gerere, re ipſa experti ſint: atque ita in noſtris rebus Deum agnitum, noſtri formidine Barbari reuerentur. Nos contrà, qui myſteria clementiæ eius oſtentare & præferre uidemur (nõ enim dixerim tueri) nos inquam nihil facimus, niſi ea quæ diſcordiam & odium pertinent: & ut ſemel dicam, quę ad humani generis perniciem referuntur. Quapropter uos meo prętorio ſiſtite, quemadmodum dixi, & feſtinate huc quàm celerrimè: certiq; ſitis, me omni opere, ſtudioq; anniſurũ, ut ea quæ ſunt legis Dei, quàm maximè inoffenſa illabefactaq; ſeruẽtur, quibus nullum nec probrũ nec infamia allini poſsit: profligatis ſcilicet & contritis ſemel inimicis legis, qui ſub ſpecie ſanctimoniæ, multiplices & diuerſas blaſphemias adferunt.

Quibus

Quibus cognitis, conſcij ſuorum facinorum, cæteris epiſcopis à profectione retẽtis, ſoli Euſebius, Theognius, Patrophilus, & alter Euſebius, Vrſatius & Valens, principem adierunt, abſq; omni mentione calicis aut Arſenij: deerat enim illis eius rei fiducia. Sed aliud crimen commenticium detulerunt: Athanaſium ſcilicet minatum eſſe, ſe impediturum quo minus frumentum ex Alexandria in patriã Cæſaris deueheretur: idq; epiſcopos Adamantium, Ambium, Agathamonem, Arbethinonem, Petrũ, præſentes ex eo audiuiſſe. Emicuit ibi Cæſaris ira, adeò ut poſt tot atroces minas, & tantopere dãnatas Euſebianorũ iniurias, inaudita cauſa, eueſtigiò efferbuerit: & omiſſo iudicio, quod in expectatione erat, nos in Gallias relegarit. Quę relegatio eorũ ſcelera magnopere oſtendit. Certè beatus Conſtantinus minor, memor ſcriptorum patris ſui, dum nos patriæ reſtitueret, in hæc uerba epiſtolam miſit.

Conſtantinus Cæſar populo catholicæ Eccleſiæ Alexandrinæ.

¶ Neq; ueſtram ſacram mentem latêre arbitror, ideo Athanaſiũ adorandæ legis interpretẽ in Gallias miſſum eſſe, ne quo tempore ſanguinolentorũ hoſtium feritas ſacro eius capiti quàm maximè immineret, impliciturq; malorum collimitio aliquid intolerandũ, & cui remediũ nullum eſſet, paretur. Ad hanc igitur feritatẽ eludendã, tot fucibus inhiantiũ ſubtractus, ut ſub me ageret, iuſſus eſt: atq; ita in hac urbe cõmoratus eſt, ut omnib. reb. neceſſarijs abundaret: tametſi eius reuerenda uirtus, diuina ope fretus, onera aſperioris fortunæ uilipenderet. Iam quũ in primis ueſtræ in Deũ pietati, ſuisq; ſedib. hunc epiſcopũ Dominus noſter & pater Cõſtantinus reſtituere uellet, & humana ſorte præuentus, anteq̃ hoc uotum impleret, requieuerit: ego mihi cõuenire puto, ut ſuſcepta uoluntate ſacræ memoriæ Imperatoris, idipſum adimpleam, quod ille non potuit. Quũ igitur Athanaſius ad ueſtrum conſpectũ penetrauerit, tum demum intelligetis, quantæ apud nos reuerẽtiæ fuerit. Neq; id mirum uideri debet, ſi quid huiuſmodi in eius gratiã fecerim. Ad hoc enim faciendũ meam mentem, & ueſtri deſiderij imago, & ſpecies tanti uiri inſtigauit. Diuina prouidẽtia uos ſeruet, dilecti fratres. Datum Treuiris, 15 Calendas Iulias.

Quum igitur ex hac cauſa in Gallias amãdati ſimus, quis non ſimul uidet & Imperatoris mentem, & Euſebianorum ſanguinarios animos: & principem id propterea feciſſe, ne grauiore calumnia ab illis opprimeremur? Simplici enim animo in audiendo fuit. Iſtiuſmodi igitur Euſebianorum acta, atque hæc illorum uafricies in conſuendis dolis fuit. Quis igitur iſtis animaduerſis, nõ fateatur, in mea cauſa nihil per gratiam actum eſſe, ſed omnia bono iure & meritò cõſtituta fuiſſe, quũ tanta multitudo epiſcoporum publicè priuatimq́; noſtræ cauſæ ſcriptis patrocinetur, & ſycophantias inimicorum uituperet? Quis iſtis conſpectis, non pronunciauerit, Valentem & Vrſatium meritò ſemetipſos improbaſſe? & ex pœnitentia culpam ſuam ſcriptis confeſſos eſſe? maluiſſeq́; aliquantiſper pudefieri, quàm in æternum ſycophantiarum pœnas luere? Rectè igitur & eccleſiaſticè fecere beati in ſacris comminiſtri noſtri, quòd quum nonnulli ambigua de nobis loqui, & quæ pro nobis iudicata eſſent, irrita facere conarentur, omnia pati, & exiliũ ſuſtinere maluerint, quàm ut abrogarent tot ac tantorum epiſcoporum iudicia. Si igitur ueri & legitimi prę ſules uerbis duntaxat noſtris aduerſarijs repugnaſſent, aut ſi ipſi uulgares homines fuiſſent, ac non potius eximiarum urbium epiſcopi, & capita tantarum Eccleſiarum: ſuſpicio oboriri poſſet, per gratiam iſta ab illis facta eſſe. Iam quum & uerbis mihi patrocinati ſint, & exilia ſuſtinuerint: in quorum numero eſt & Liberius Romanus præſul, qui quanquam non uſque ad finem exilij mala perpeſſus eſt, biennium tamen in ea tranſmigratione perdurauit, nõ ignarus ſycophantiarũ quas patiebamur: nec non & Hoſius ille magnus: Itali item, Galli, Hiſpani & Aphricani epiſcopi, & quotquot ſunt Pentapoleos.

Nã tametſi Hoſius minis Conſtantij conteritus, non uidebatur Euſebianis contradicere, uis tamen illa & tyrannica Conſtantij poteſtas, multæq́; contumeliæ & interminationes ſatis oſtendũt, minimè eum in noſtri condemnationem conſenſiſſe, ſed ſenij imbecillitate imparem uerberibus ad tempus ceſsiſſe. Quapropter æquum, ut omnes in re minimè dubia tãto impenſius oderint & auerſentur uim iniuſtitiamq́; quas paſsi ſumus, uel ſaltem ea de cauſa, quòd ſatis cõſtet illas non ob aliud nobis, quàm ob Arianam impietatem illatas eſſe. Si quis igitur, qualis ſit noſtra cauſa, & quales ſint Euſebianorum ſycophantiæ, ſcire uelit, legat ſcripta noſtræ defenſionis, ſumatq́; teſtes, non unum quidem aut alterum, aut tres, ſed tantam epiſcoporum multitudinem, & inter eos Liberium & Hoſium cum ſuis. Hi enim cum uiderent ea quæ contra nos agerentur, omnia pati maluerũt, quàm aut ueritatem, aut cauſam noſtram prodere. Idque bono & ſancto conſilio fecerunt. Præterea uis illa quam tanti uiri paſsi ſunt, indicio eſt, quid alij tolerauerint. Cætera omnia illa nihil aliud ſunt, quàm monumenta & trophæa de Ariana hæreſi & ſcelere ſycophantarum

tarum erecta: & exemplar posteris inscriptũ, ut ad mortem pro ueritate depugnent, & auersentur Arianam hæresim, Christo inimicam, Antichristiq; anteambulatricem: &, ut nihil fidei habeant nostris criminatoribus. Testimonia enim tot ac talium episcoporum digna sunt fide, & abunde sufficiunt ad nostram innocentiam ostendendam.

SYNODVS HIEROSOlymitana.

AIt in quarto de uita Constantini libro Eusebius, synodum frequentissimam apud Tyrum Phœniciæ, ab Imperatore ipso euocatam fuisse Hierosolyma, in ipso trigesimo imperij Constantini anno. Causam autem, propter quam coacta fuerit, aliam nullam explicat, quàm consecrationem martyrij Saluatoris, quod regali magnificentia Imperator Hierosolymis ædificauerat. Conueniisse autem narrat eò, cuiusuis prouinciæ illustres episcopos: ut Macedoniæ, Pannoniæ, Mysiæ, Persiæ, Bithyniæ, Thraciæ, Ciliciæ, Cappadociæ, Syriæ, Mesopotamiæ, Phœniciæ, Arabiæ, Palæstinæ, Aegypti, Libyæ, & Thebaidis. Nec doctores solùm & episcopos adfuisse, uerumetiam frequentẽ cœtum populorum ex omnibus undiq; prouincijs: præsto quoq; fuisse cum præstantibus aulicis suis Imperatorem ipsum dixit. Meminit eiusdem Synodi Athanasius quoque in Apologia secũda, & in epistola de synodis Arimini & Seleuciæ: sed Eusebianos consueta fraude ad diuersas inde prouincias scripsisse testatur, Arij fidem synceram & rectam ab Imperatore esse cognitam, & probatam. Proinde ut ab omnib ecclesijs, qui cum Ario sentirent, cum gratulatione reciperentur, Imperatori placere. Exemplum literarum ex Athanasij de Synodis Arimini & Seleuciæ epistola huc adscribimus.

SANCTA SYNODVS HIEROSOlymis coacta, Ecclesiæ Dei quæ est Alexandriæ, & per Aegyptum, Thebaida, Libyam, Pentapolim, reliquisq; per orbem episcopis, presbyteris & diaconis in Domino Salutem.

¶ Omnibus nobis ex diuersis prouincijs in unum congregatis, ad panegyrim celebrandam pro dedicatione martyrij Saluatoris, quod religiosissimus Imperator Deo omnium regi & Christo eius ædificauit, maiorem nobis animorum lætitiam, Dei gratia, literæ eiusdẽ religiosissimi Imperatoris præbuerunt, quibus nos ad ea quæ oportuit instigans, omnem inuidiam ab Ecclesia Dei expellit, & omne odium procul abigit, per quæ Christi membra iampridem disidebãt: authorq; fuit, ut simplici & placido animo reciperemus Arianos, quos aliquandiu improba inuidentia extra Ecclesiam detinuit: & uiris istis de rectitudine fidei in literis suis testimonium præbet, quam quum antea fama audiuerat, ipse eãdem ex uiua eorum uoce cognouit, cognitamq; approbauit, eamq; rem nobis manifestam reddidit, eo quòd literis suis orthodoxas eorum uirorum opiniones scripto comprehẽsas subiunxerit, quas omnes agnouimus sanas & Ecclesiasticas esse. Quapropter iure admonuit, ut uiri isti reciperentur, & coadunirentur cum Ecclesia Dei: ut uos ex epistolæ illius exemplaribus cognoscetis, quæ nos ad pietatẽ uestrã misimus. Credimusq; uobis ipsis, ueluti propria mẽbra uestri corporis recuperantib. magnũ ex eare gaudium lætitiamq; oboriturã, dum ipsi uiscera uestra, fratres scilicet & patres agnoscitis, & recipitis: non solũ presbyteris Arianis, sed uniuerso populo cum omni multitudine uobis restituto, quæ ob causam istorum uirorum longo iampridem tempore à uobis disidebat. Decetq; uos, cognitis quæ hic acta sunt, quodq; isti uiri nobiscum communicauerunt, & à tanta Synodo recepti sunt, quàm promptissimè eos, ut membra Ecclesiæ coeant & in pace sint, consalutare. maximè quòd promulgata, & publicè edita eorum fides, indubitatam, & apud omnes approbatam Apostolicam traditionem & doctrinam complectatur.

SYNODVS ANTIOCHENA.

ANtiochena Synodus ab Arianis, quorum præcipui fuere Eusebius Nicomedienſis, Theogonius Nicænus, Eusebius Cæsarienſis, Patrophilus Scythopolita, Aetius Lyddæ, Theodotus Laodiceæ episcopus, alijq; contra Eustathium, fraude & insidijs coacta est, circa finẽ (ut uidetur) Constantini. In ea enim Eustathius, landatissimus Antiochenæ ecclesiæ episcopus, Nicænæ fidei defensor, depositus, ob eam solam causam quòd Nicænam fidem approbaret: eos uerò qui Eusebium, Paulinum Tyri episcopum, & Patrophilum Scythopolitanum, quorum opinioni per Orientem adhærebant, tanquam Arianos auersaretur, & palàm reprehenderet. Quæ causa alio etiam prætextu ab Ariana Synodo acta est, nimirum quòd factis parum honestis Eusthius sacerdotiũ commaculasse deprehensus fuisset. Conduxerant enim illi, quorũ opera maximè hanc extitisse Synodum diximus, mulierculam prostitutæ pudicitiæ, quæ intromissa in Synodum, magno & impudenti clamore, puerum quem secum gestabat, ab Eustathio susceptum genitumque esse diceret. Eustathius autẽ animaduertens quorum studio ac insidijs tam manifesta contra se calumnia conficta esset, postulabat, ut ipsa testẽ mulier ei⁹ rei haberet, produceretur. Quæ

Quæ cum teſtem ſibi eſſe aliquem negaret, iuſiurandum dare à Synodo flagitioſa iuſſa eſt, neglecta lege, quæ tum demum accuſationes ualere dicit, ſi duorum trium ue teſtium approbatione confirmatæ ſint. Cum igitur iureiurando eam fraudem muliercula miſera confirmaſſet, in Euſtathium, ut adulterum, ſententia lata eſt. Refragantibus aũt alijs epiſcopis, quorum multi ibi aderant, ac manifeſtè contradicentibus, iniuſtam eſſe ſententiam, in qua nihil eorum obſeruetur quod Paulus conſtituiſſet: (accuſationem contra presbyterum, niſi crimine duorum confirmato teſtimonio, non admittendam eſſe) Euſtathiuḿque monentibus, ne iniquæ inſidiatorum contra ſe ſententiæ acquieſceret, ad Imperatorem illi abierunt, eoque perſuaſo coràm fuiſſe contra Euſtathium & iuſtam ſententiam latam, exilium ei confecere. Imperator enim tumultus in depoſitione Euſtathij exortos, quibus tota ciuitas periclitata fuerat, Euſtathio ut autori imputabat. Theodoretus libro primo, capite uigeſimo: Sozomenus libro ſecundo, capite decimonono.

DE SYNODIS EIVSdem temporis.

EX TOMO PRIMO CONciliorum.

Commemorat Synodos aliquot ſub tempore concilij Nicæni, Conſtantini & Syluſtri, autor libri Conciliorum, de quib. in probatis ſcriptoribus nihil reperitur. Ac mirum ſanè eſt, cum Romanæ quoq; Eccleſiæ hiſtoriam ſcripſerint Socrates, Theodoretus, & Sozomenus, illas narrationes de eiuſmodi Synodis tam prorſus fuiſſe præteritas. Nõ nulla autem de his ex libro Conciliorum annotare uiſum nobis eſt: non eò ut eis autoritatem & uetuſtatem attribuamus: ſed ne curioſo lectori non ſatisfacere uelle uideamur.

ROMANA.

COnuocaſſe aliquot Synodos Romæ poſt Nicænam, Sylueſtrum, in quib. tum Nicenę Synodi decreta cõfirmata, tum noua conſtituta ſint, autor idem prodidit. Sed eas omnes pro incertis haberi oportet, ob hoc, quod non Syluestri, ſed Iulij tempore apud Nicęnam Synodus uniuerſalis congregata fuit. In prima ait Romana, cui Cõſtantinus interfuerit, primum omnium ſanctiones Nicæas cõfirmatas, & alias aliquot conſtitutiones adiectas eſſe, quos hoc modo enumerat.

Syluester epiſcopus ſanctæ & apoſtolicæ ſedis præſul urbis Romę dixit: Quicquid in Nicæa Bithyniæ conſtitutum eſt, adorabur ſanctæ matris Eccleſiæ catholicæ & apoſtolicæ, à ſanctis ſacerdotibus trecentis decem & octo, noſtro ore conformiter confirmamus. Omnes qui auſi fuerint diſſolue re diffinitionem ſancti & magni concilij, quod apud Nicæam congregatum eſt, ſub præſentia pijſsimi & uenerãdi principis Cõſtantini Auguſti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet.

De Paſchæ ſolennitate.

Omnibus epiſcopis & presbyteris præceptum eſt, Paſchæ obſeruantiam cuſtodire à luna 14 uſq; ad 21, ita ut Dominicus dies coruſcet. Et dixerunt epiſcopi: Placet.

De Concilijs ter in anno celebrandis.

Syluester epiſcopus dixit: Robuſtius duximus conſilium, ſi placet, ut omnis epiſcopus, qui conuenit ad Cõcilium, fidem ſuam chirographo confirmet: ut deinceps rediens ad parochiam ſuam, compaginem noſtræ ſalutationis plebi ſuæ innoteſcat: ut fide concilij declarata, intemeratus ordo ſeruetur. Et dixerunt epiſcopi: Placet.

Nulli clerico licere, cauſam in publico examinare.

Syluester epiſcopus dixit: Nulli omnino clerico licere, cauſam quamlibet in publico examinare, nec ullum clericum ante iudicem laicum ſtare. Et dixerunt epiſcopi: Placet.

De præficiendis in ordinibus, & proficiendis.

Si quis clericatum promereri deſiderat, hoc iuſtum eſt, ut ſit oſtiarius annum unum, lector annos uiginti, exorciſta annos decem, acolythus annos quinque, ſubdiaconus annos quinque, diaconus annos quinque. Et ſi ad honorem presbyterij accedat, & faciens in eo ordine annos ſex, ſi fuerit omnium uotiua gratia, non præmio, non inuaſione cupiditatis, nulli prorumpens gradum, ſic ab omni Eccleſia eligatur conſecrandus epiſcopus, nullo de mèmbris Eccleſiæ intercidente, & omni Eccleſia conueniente. Et dixerunt epiſcopi: Placet.

Vt nulli epiſcopo liceat ſine cuncta Eccleſia, à nouiſsimo gradu uſque ad primum, ordinare neophytum. Et dixerunt epiſcopi: Placet.

Syluester epiſcopus dixit: A nobis incipientes moderamine lenitatis indicare, commonemus, ut nulli epiſcopo liceat, quemlibet gradum clerici ordinare, aut conſecrare, niſi cum omni adunata eccleſia: Si placet? Et dixerunt epiſcopi: Placet.

ROMANA ALIA.

ALiam rurſus ipſo Nicæni concilij tempore, Romæ de conſilio Conſtantini cõuocatam narrat à Syluestro, in quam conuenerint epiſcopi ducenti ſexaginta ſeptem.

Damnati autem & in ea sint hæretici, quos Nicęna Synodus damnauerat: Arius scilicet, Photinus, & Sabellius, quibus hæc Synodus adiecerit & Calliſtum. Postea autē constitutum esse indicat, ut presbyterum Arianismū resipiscentē nemo susciperet, nisi episcopus eiusdem loci eum reconciliaret: & sacrosancto chrismate, per episcopalis manus impositionem, sancti spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret. In qua & consensu & subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre. Et ut presbyter non aduersus episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolythus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acolythum, non lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur præsul, nisi in septuagintaduobus testibus. Neque præsul summus à quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: Non est discipulus supra magistrum. Presbyter autem cardinalis, nisi quadragintaquatuor testibus non damnabitur. Diaconus cardinarius constitutus urbis Romæ, nisi in uigintifex non damnabitur. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi (sicut scriptum est) in septem testibus non damnabitur. Testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia, uxores & filios habentes, & omnino Christum prędicantes. Testimonium laici aduersus clericum nemo recipiat. Nemo enim clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia. Nemo enim clericus, uel diaconus, aut presbyter, propter quālibet causam intret in curiam, nec ante iudicem cinctum causam dicere præsumat: quoniam omnis curia à cruore dicitur, & immolatione simulacrorum. Et si quis clericus, accusans clericum, in curiam introiuerit, anathema suscipiat. Hic inter cætera prædicta omnium consultu constituit in synodo, ut sacrificium altaris non in serico panno aut tincto quisquam celebrare præsumeret, sed in puro lineo ab episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atq; contexto, sicut corpus Domini nostri IESV Christi in sindone mūda sepultum fuit. Et si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere: ut esset prius ostiarius, deinde lector, & postea exorcista, per tempora quæ episcopus constituerit: deinde acolythus annis quinque, subdiaconus quinque annis, custos martyrum annis quinque, diaconus annis quinque, presbyter annis tribus, probatus ex omni parte in tantum, ut etiam ab his qui foris sunt, testimonium habeat bonum: unius uidelicet uxoris uir, quæ tamen à sacerdote sit benedicta. Et si probatus fuerit dignus, & uota populi & cleri concurrerint, canonicè episcopus consecretur. quem postea nec clericus, nec populus perturbare debet: quia episcopi, qui throni Dei uocantur, non sunt lacerandi, sed magis portandi & uenerandi. De quibus ait beatus Paulus apostolus: Seniorem ne increpaueris, sed ut patrem obsecra. Legimus namq; ipso Domino dicente, Non esse discipulum super magistrum: hoc est, non sibi debere quenquam ad iniuriam doctorum, uindicare doctrinam: nec aliqua machinatione Domini discipulis, id est, Apostolorum successoribus detrahere, aut eos infamare: quia iniuria doctorum ad Christum pertinet, cuius uice legationefunguntur. Qualiter enim Dominum contristent, qui hoc agere præsumunt, Dominus in Euangelio testatur. ait enim ipse Saluator, quòd expediat scandalizanti unum de pusillis istis, in maris profunda demergi, & molam asinariam collo eius suspendi. Si talis ergo pœna, Domini discipulos scandalizantibus hic promittitur, quid in futuro eis prouenire debeat, summopere pensandum est: quoniam non parum periculi illis manere poterit ante Deum, qui hæc detrectant suis exhibere ministris. Quod ita demum probari poterit, si Deum timeant, qui talia exercere minimè formidant: si impositio sibi improbo silentio, à talibus se deinceps custodiant. quia nihil prodest homini, reliqua bona agere, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Vnde ait propheta: Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum. Nemo enim bonum faciens, alteri uerbo, aut facto nocere uult. Et reliqua. Hic in memorata Synodo constituit, omnium cum consensu, ut nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab episcopo locis, qui sui particeps decæteroluerit esse sacerdotij. Et pietatis affectu hic sanctissimus Papa sub gesta synodica reuocauit Apostolica autoritate, multos, ab alijs episcopis excommunicatos, & à tyrannis eiectos, ad communionem: & restituit eos in ecclesijs, quibus fuerant olim instituti sub satisfactione belli, atque purgatos eos recepit, dans exempla futuris eruendi sacerdotes de perquentium manibus. Constituit etiam, nulla ratione transmarinum hominem penes nos in clericatus gradu susciпi, nisi quinque episcoporum designatus sit chirographis.

Sed obiter monemus, in initio Epilogi istius

istius concilij scriptum haberi, Nicænam synodum Sylueſtri uocatione congregatam fuisse: quod certè apud alium nullum fide dignum teſtem legitur.

ALIA ROMANA SYnodus.

IDem post baptizatum Constantinum (quod quàm sit nugatorium, probatione non opus habet) aliam rursus iussu Constantini & matris ipsius, ab eodem Synodum Romæ in thermis Traianis conuocatam asserit, episcoporum ducentorũ octoginta quatuor: quibus Imperator uehicula publica & cõmeatum præbuerit: aliorum item episcoporũ partis Rhinocerotis (quod quis intelligat?) quinquagintaseptem, presbyterorũ uerò urbis Romæ sexaginta duorum, exorcistarum XXII, lectorum XC, notariorum XIIII. cum Calfurnio Rom. præfecto. In prima autem sessione damnatos denuò esse, Calistum, Sabellianum, Victorinum, qui fallaces pronunciassent cyclos Paschæ: Iobinianum, quòd dixisset Pascha non recurrere die suo, nec mẽsem eum: & Hyppolitum, quòd Valentinianus esset. Secundò constitutum esse, ne quis presbyter aduersus episcopum, aut diaconus aduersus presbyterum, &c. ordines scilicet inferiores aduersus superiores accusatione uterentur: cum scriptum esset, Non esse discipulum supra magistrum. Tertiò, reditus Ecclesiæ in quatuor partes distribuendos esse, quorum una detur Ecclesiæ ad reparationem templorum, altera Pontifici cum fratribus: tertia presbyteris, diaconis & toti clero: quarta pauperibus, infirmis ac peregrinis. Quartò: presbytero non licere chrismatis confectionem. Quintò: uisitationes per parœcias fieri debere nõ à pluribus quàm duobus diaconis, & cardinalib. urbis Ro. septẽ. Sextò: ut ordines inferiores superioribus subditi essent, à subdiacono scilicet usq; ad lectorem, diacono cardinalis, põtifici uerò presbyter, presbytero diaconus, &c. Septimò: nulli subdiaconorum licere nuptias frequentare. Octauò: ne quis lector uel ostiarius uasa sacrata contingeret. Nonò: ne quis episcopus sacratam uirginem intra septuagintaduo seruatæ pudicitiæ annos, matrimonium expetere permittat.

In secunda sessione seu actione ait, Sylueſtrum primùm regiones diaconis distribuisse, & ordinationem quibusdam usque ad consecrationem quæ in basilica accipiebatur contulisse. Deinde constituisse, non esse creandum laicum episcopum, nisi lectoris munus prius sustinuisset per annos triginta, exorcistæ uerò die una, acolythi annos decem, subdiaconi quinq;, diaconi tantisper dum pro eo intercederent presbyteri triginta, ac ut diaconus cardinalis esset impetrarent. Ante ordinem autem presbyteri ab omni clero Romano probaretur annis septem, probatus uerò presbyteri dignitatem capesseret: quam posteaquam triennium obtinuisset, episcopus demũ fieret. Terriò: ne quis baptismum nisi quadraginta annorum petenti tribueret, exceptis infirmis. Baptismi autem tempus obseruandum esse, Pascha & Pentecosten. Quartò: ut nemo nisi initiatus prius à sacerdote, ad clericatus dignitatem accedat. Quintò: ne quis testimonium clerici aduersus laicum reciperet. Sextò: ne quis clericus, & seu subdiaconus seu diaconus, uel presbyter uel episcop⁹, curiam intret ob quamcunq; suam causam: quia curia à cruore dicta sit. Octauò: ne quis clericum peccantem interficeret. Nonò: ne quis diaconus aduersus presbyterum adferat crimen turpitudinis. Decimò: ne quis presbyter coniunx fiat, aut duodecim annis honore suo priuetur. Vltimò: non esse iudicandam à quoquam primam sedem, neq; ab Imperatoribus, neq; à regibus, neq; à clero, neque à populo. His decretis ait subscripsisse omnes: Imperatorem etiam ipsum, & matrem Helenam. Sed uana fictaq; hæc esse, constat ex Canone sexto Nicæni concilij, in quo Romano episcopo nihil iuris præ alijs conceditur.

CONVENTVS IVDAEORVM *Christianorum Romæ.*

COnstantino & Licinio quartò Consulibus (quod esset anno Christi trecentesimo decimooctauo, Constantini nono) Iudæi Romam congregati sunt ad disputationem cum Christianis, hac occasione, quòd Helena Constantini mater Imperatorem reprehenderat, quòd Nazaræorum, ac non potius Iudæorum religionem amplexus esset. Periculum igitur facturus Imperator, utra religio firmioribus niteretur fundamentis, Romam conuocauit Iudæorum sacerdotes centum & triginta, accersitis etiã Christianorum episcopis 24, quibus præsedit Sylueſter. Facta disputatione utriusque partis, Iudæi tandem uicti sunt: & Sylueſtrũ disputandi de sua religione artificijs superiorem profesi, miraculum postularunt. Sylueſter taurum adductum in medium (digna sanè res, in qua miracula designentur) insusuratione in aurem interficit, ac mortuum in uitam reuocat. Quo miraculo Iudæi omnes conuertuntur. Ridiculas eiusmodi nugas & aniles recitat in libro Conciliorum Marianus Scotus: & Nicephorus libro septimo, capite trigesimosexto. Nec Zonaram Monachum eadem referre puduit, tomo tertio.

ELI-

ELIBERINA.

CONueniſſe in Eliberide Hiſpaniæ ciuitate, circa Miltiadis Romani epiſcopi, uel Syluestri, & concilij Nicæni tempora, ſynodum epiſcoporum nouemdecim, presbyterorum triginta ſex, diaconorũ incerto numero, & parte aliqua plebis, autor ille indicat: atq; in ea conſtitutos eſſe canones octoginta unum, ex quibus unum Gratianus annotauit diſtinctione 50, ſi qua fœmina. Canonum numerus & ordo in lib. Conciliorum eiuſmodi eſt.

1 Placuit, ut quicunq; poſt fidem baptiſmi ſalutaris, adulta ætate ad templum idoli idololatraturus acceſſerit, & fecerit quod eſt crimẽ capitale, nec in fine eum ad communionem ſuſcipere.

2 Flamines, qui poſt fidem lauacri & regenerationis ſacrificauerint, eo quòd geminauerint ſcelera, accedente homicidio, uel triplicauerint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.

3 Item: Flamines qui nondum immolauerunt, ſed munus tantum dederunt, eo quòd ſe à funeſtis abſtinuerunt ſacrificijs, placuit, in fine eis præſtare communionem, acta tamen legitima pœnitentia. Item: Ipſi, ſi poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit, ulterius eis non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione uideantur.

4 Item: Flamines, ſi fuerint catechumeni, & ſe à ſacrificijs abſtinuerunt, poſt triennij tempora, placuit, ad baptiſmum admitti debere.

5 Si qua fœmina, furore zeli accenſa, flagellis uerberauerit ancillam ſuam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quòd incertum ſit, uoluntate an caſu occiderit: ſi uoluntate, poſt ſeptem annos: ſi caſu, per quinque annorum tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quòd ſi infra tempora conſtituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

6 Si quis uerò maleficio interficiat alterum, eo quòd ſine idololatria perficere ſcelus non potuit, nec in fine impertiendã eſſe illi communionem.

7 Si quis fortè fidelis, poſt lapſum mœchię, poſt tempora conſtituta acta pœnitentia, denuò fuerit fornicatus, placuit, eum nec in fine habere communionem.

8 Item. Fœminæ, quæ nulla præcedente cauſa reliquerunt uiros ſuos, & alteris ſe copulauerunt, nec in fine accipiant communionem.

9 Item: Fidelis fœmina quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionẽ, quàm is quem reliquit, de ſeculo exierit: niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit.

10 Si ea quam catechumenus reliquit, duxerit maritum, poteſt ad fontem lauacri admitti. Hoc & circa fœminas catechumenas erit obſeruandum. Quòd ſi fuerit fidelis, quę ducitur ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, & concluſerit illum ab uxore, quam ſine cauſa reliquit: placuit, huiuſmodi in fine dari communionem.

11 Intra quinquennij autem tempora catechumena, ſi grauiter fuerit infirmata, danda ei baptiſmum, placuit, non denegari.

12 Mater, uel parentes, uel quæliber fidelis, ſi lenocinium exercuerit, eo quod alienum uendiderit corpus, uel potius ſuum, placuit, eam nec in fine accipere communionem.

13 Virgines quæ ſe Deo dedicauerunt, ſi pactum perdiderint uirginitatis, atq; eidem libidini ſeruierint, non intelligentes quid admiſerint, placuit, nec in fine dandam eis eſſe communionem. Quòd ſi ſemetipſas pœnituerint, quòd infirmitate corporis lapſæ fuerint, & toto tempore uitæ ſuæ huiuſmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abſtinuerint ſe à coitu, eo quòd lapſæ potius uideantur: placuit, eas in fine communionem accipere debere.

14 Virgines, quæ uirginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem qui eas uiolauerunt, duxerint, & tenuerint maritos, eo quòd ſollas nuptias uiolauerint, poſt annum fine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel ſi alios cognouerint uiros, eo quòd mœchatæ ſint, placuit, per quinquennij tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem.

15 Propter copiam puellarum, gentilibus minimè in matrimonium dandæ ſunt uirgines Chriſtianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio reſoluatur animæ.

16 Hæreticis, qui errant ab Eccleſia catholica, nec ipſis catholicas dandas puellas, ſed neque Iudæis, neque hæreticis dari placuit: eo quòd nulla poſsit eſſe ſocietas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abſtinere per quinquennium placet.

17 Si qui fortè ſacerdotibus idolorum filias ſuas iunxerint, placuit, nec in fine dandam eis communionem.

18 Epiſcopi, presbyteri, diacones, ſi in miniſterio poſiti, detecti fuerint quòd ſint mœchati, placuit, & propter ſcandalum, & propter nefandum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.

19 Epi-

19 Episcopi, presbyteri, & diaconi, de locis suis negociandi causa non discedant: nec circumeuntes prouincias, quæstuosas nundinas sectentur. Sanè, ad uictum sibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittat: & si uoluerint negociari, intra prouinciam negocientur.

20 Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit, degradari & abstinere. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras, & promiserit correptus, se iam cessaturũ, nec ulterius exacturum: placet, ei ueniam tribui: Si uerò in ea iniquitate durauerit, ab Ecclesia sciat se esse proijciendum.

21 Si quis in ciuitate positus, per tres Dominicas ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse uideatur.

22 Si quis de catholica Ecclesia ad hæresim transitum fecerit, rursusq; ad ecclesiam recurrerit, placuit, huic pœnitentiam non esse denegandam, eo quòd cognouerit peccatum suum: qui etiã decem annis agat pœnitentiam, cui post decem annos præstari cõmunio debet. Si uerò infantes fuerint transducti, quòd nõ suo uitio peccauerint, incunctanter recipi debent.

23 Ieiunia seu abstinentias per singulos menses placuit celebrari: exceptis dieb. duorum mensiũ, Iulij & Augusti, ob eorundem infirmitatem.

24 Omnes qui peregrè fuerint baptizati, eo quòd eorum minimè cognita sit uita, placuit, ad clerum non esse promouendos in alienis prouincijs.

25 Omnis qui attulerit literas confessorias, sublato nomine confessoris, eo quòd sub hac nominis gloria partim concutiant simplices, communicatoriæ ei dandæ sunt literæ.

26 Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die ieiuniorum superpositionem celebremus.

27 Episcopus, uel quilibet clericus alius, aut sororem, aut filiam uirginem dicatã Deo, tantum secum habeat: extraneam uerò nequaquam secum habeat.

28 Episcopum, placuit, ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.

29 Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomen neq; ad altare cum oblatione esse recitandum: neq; permittendum, ut sua manu in ecclesia ministret.

30 Subdiaconum eum ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerit mœchatus, eo quòd postmodum per subreptionem ad altiorem gradum non sit promouendus. Si autem aliqui sunt in præteritum ordinati, amoueantur.

31 Adolescentes, qui post fidem lauacri salutaris fuerint mœchati, cum duxerint uxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti debere.

32 Si quis graui lapsu in ruinã mortis inciderit, placuit, agere pœnitentiam non debere sine episcopi consultu: sed potius apud episcopum agat, cogente tamen infirmitate. Non est presbyterorum aut diaconorum, communionem talibus præstare debere, nisi eis iusserit episcopus.

33 Placuit, in totum prohibere episcopis, presbyteris, diaconibus & subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. Quod quicunq; fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

34 Cereos per diem placuit in cœmiterio non incendi. Inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui hæc non obseruauerint, arceantur ab Ecclesiæ communione.

35 Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmiterio peruigilent: eo quòd sæpe sub obtentu orationis, scelera latenter committant.

36 Placuit, picturas in ecclesia esse non debere: ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.

37 Eos qui à spiritibus immundis uexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet. Si uerò fideles fuerint, dandam eis esse communionem. Prohibendum etiam, ne lucernas publicè accendant. Si facere contra interdictum uoluerint, abstineant à communione.

38 Peregrè nauigãtes, aut si ecclesia in proximo nõ fuerit, posse fidelem (qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare, in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut, si superuixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.

39 Gentiles, si in infirmitate desiderauerint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta uita, placuit, eis manum imponi, & fieri Christianos.

40 Placuit prohiberi, ut cum rationes suas accipiunt possessores, quicquid ad idolũ datum fuerit, acceptum non inferant. Si uerò post interdictum fecerint, per quinquennij spacia temporis à communione esse arcendos.

41 Admonere placuit fideles, ut quantum possunt prohibeãt, ne idola in domibus suis habeant. Si uerò uim metuunt seruorũ, uel seipsos puros conseruent. Si non fecerint, alieni ab Ecclesia habeantur.

42 Eos qui ad primam credulitatis fidem accedunt, si bonę fuerint conuersationis, intra biennium temporis, placuit, ad baptismi gratiam admitti debere: nisi infirmitate compellente, coegerit ratio, uel socio sub-

uenire periclitanti, uel gratiam postulanti.

43 Prauam institutionem emendari placuit iuxta autoritatem scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes celebremus. Quod qui non fecerit, quasi nouam hæresim induxisse notetur.

44 Meretrix quæ aliquando fuerit, & postea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem uenerit, incunctanter placuit esse recipiendam.

45 Qui aliquando fuerit catechumenus per infinita tempora, & nunquam ad ecclesiam accesserit, si eum de clero quisquam agnouerit, uoluisse esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit, baptismum ei non negari, eo quòd in uetere homine deliquisse uideatur.

46 Si quis fidelis apostata, per infinita tempora ad ecclesiam non accesserit, si tamen aliquãdo fuerit reuersus, nec fuerit idololatra, post decem annos, placuit, eum communionem accipere.

47 Si quis fidelis habens uxorem, non semel, sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conueniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei cõmunio. Si resuscitatus, rursus fuerit mœchatus, placuit, ulterius eum non edere de communione pacis.

48 Emendari placuit, ut hi qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant: ne sacerdos, quod gratis accepit, precio distrahere uideatur. Neq; pedes eorũ lauãdi sunt à sacerdotibus, uel clericis.

49 Admoneri placuit possessores, ut non patiantur fructus suos, quos à Deo percipiũt cum gratiarum actione, à Iudæis benedici, ne nostram irritam & infirmam faciant benedictionem. Si quis post interdictum facere usurpauerit, penit⁹ ab Ecclesia abijciatur.

50 Si uerò aliquis clericus siue fidelis fuerit, qui cum Iudæis cibum sumpserit, placuit, eum à communione abstinere, ut debeat emendari.

51 Ex omni hæresi, qui ad nos fidelis uenerit, minimè est ad clerum promouendus. Vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponentur.

52 Si qui inuenti fuerint libellos famosos in ecclesia ponere, anathematizentur.

53 Placuit cunctis, ut ab eo episcopo quis recipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit. Quod si aliquis episcopus prę sumpserit eum admittere, illo adhuc minimè sciente uel cõsciente, à quo fuerat communione priuatus, sciat se huiusmodi causas, inter fratres, esse cum status sui periculo præstaturum.

54 Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennij tempore abstineant se à cõmunione. Si tamen ijdem, sponsus uel sponsa, in illo graui crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes. Si uerò in eodẽ fuerint uitio, & polluerint se consentiendo, superior sententia seruetur.

55 Sacerdotes, qui tantum sacrificantium coronam portant, nec de suis sumptibus aliquid idolis præstant, placuit, post biennium accipere communionem.

56 Magistratũ uerò, anno quo agit duumuiratum, prohibere placet, ut se ab ecclesia cohibeat.

57 Matronæ, uel earum mariti, uestimenta sua ad ornandum secullariter pompam non dent. Et si fecerint, triennij tempore abstineant.

58 Placuit, ubicunq;, & maximè in eo loco in quo primæ cathedræ constitutus est episcopus, ut interrogentur hi qui communicatorias literas tradunt, an omnia rectè habeant, & suo testimonio comprobent.

59 Prohibendum, ne quis Christianus, aut gentilis, ad idolum Capitolij, sacrificãdi causa ascendat & uideat. Quod si fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, post decem annos acta pœnitentia recipiatur.

60 Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Euangelio non est scriptum, neque inuenitur ab Apostolis unquam factum: placuit, in numerum eum non recipi martyrum.

61 Si quis post obitũ uxoris suæ, sororem eius duxerit, & ipsa sit fidelis, quinquennio à communione placuit abstinere: nisi forte uelocius dari pacem, necessitas coegerit infirmitatis.

62 Si augur aut pantomimi credere uoluerint, placuit, ut prius artibus suis renuncient: & tunc demum suscipiantur, ita ut ulterius non reuertantur. Quod si facere contra interdictũ tentauerint, proijciãtur ab ecclesia.

63 Si qua mulier per adulterium absente marito conceperit, idq; post facinus occiderit, placuit, ei nec in fine dandam esse communionem, eo quòd geminauerit scelus.

64 Si qua mulier usq; ad finẽ mortis suæ, cum alieno uiro fuerit mœchata, placuit, nec in fine dandam ei esse communionem. Si uerò eum reliquerit, post decem annos recipiat ad cõmunionem, acta legitima pœnitentia.

65 Si cuius clerici uxor fuerit mœchata, & sciat eam maritus suus mœchari, & eam nõ statim proiecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his qui exemplum bonæ conuersationis esse debent, uideantur magisteria scelerum procedere.

66 Si quis priuignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit, nec in fine dandam esse ei communionem.

67 Prohibendum, ne qua fidelis uel catechumena, aut comicos, aut uiros scenicos habeat.

beat: quæcunque hoc fecerit, à communione arceatur.

68 Catechumena si per adulterium concepit, & conceptum necauerit, placuit, eam in fine baptizari.

69 Si quis fortè, habens uxorẽ, semel fuerit lapsus, placuit, eum quinquennio agere debere pœnitentiam, & sic reconciliari: nisi necessitas infirmitatis coëgerit, ante tempus dare communionem. Hoc & circa fœminas obseruandum.

70 Si, conscio marito, fuerit mœchata uxor, placuit, nec in fine dandam ei esse communionem. Si uerò eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem, si eam, cum scierit adulteram, aliquo tempore in domo sua retinuit.

71 Stupratoribus puerorũ, nec in fine dandam esse communionem.

72 Si qua uidua fuerit mœchata, & eundem postea habuerit maritũ, post quinquennij tempus acta legitima pœnitentia placuit, eam communione reconciliari. Si alium duxerit, relicto illo, nec in fine dandam ei esse cõmunionem. Vel si fuerit ille fidelis, quem acceperit, communionem non accipiat, nisi post decem annos, acta legitima pœnitentia, nisi infirmitas coegerit uelocius dare communionem.

73 Delator, si quis extiterit fidelis, & per delationem eius aliquis fuerit proscriptus uel interfectus, placuit, eum nec in fine accipere communionem. Si leuior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit cõmunionem. Si catechumenus fuerit, post quinquennij tempora admittatur ad baptismum.

74 Falsus testis, prout crimen est, abstinebit: si tamen non fuerit mortis, quod obiecit. Et si probauerit, quòd diu tacuerit, biennij tempore abstinebit. Si autem non probauerit in conuentu clericorum, placuit, per quinquennium abstinere.

75 Si quis autem episcopum, presbyterũ, uel diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.

76 Si quis diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit in crimine detectꝰ mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit, eum acta legitima pœnitentia, post triennium accipere communionem. Quod si alius detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere.

77 Si quis diaconus, regens plebem sine episcopo uel presbytero, aliquos baptizauerit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si antè de seculo recesserit, sub fide, qua quis crediderit, poterit esse iustus.

78 Si quis fidelis habens uxorem, cum Iudæa uel gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium, acta legitima pœnitentia, poterit Dominicæ sociari communioni.

79 Si quis fidelis alea, id est, tabula luserit, placuit, eum abstinere. Et si emendatus cessauerit, post annum poterit cõmunione reconciliari.

80 Prohibendum est, ut liberti, quorum patroni in seculo fuerint, ad clerum nõ proue hantur.

81 Ne fœminæ suo potius, absque maritorum nominibus, laicis scribere audeant, qui fideles sunt: uel literas alicuius pacificas, ad suum solùm nomen scriptas, accipiant.

ARELATENSIS PRIMA.

DE synodo Arelatensi, quam Constantinus indixit, ad componendum dissidium inter Cecilianum episcopum Carthaginensem, & episcopos Africæ traditores, supra in capite de schismatibus dictum est. Gratianus distinctione 16, annotatione prima, &c. aliquot Arelatenses synodos commemorat, in quibus canones tantum constitutos fuisse ait, quemadmodum & autor libri Conciliorum.

Capitulum primum. De obseruatione Paschæ Domini, ut uno die & tempore per omnem orbem obseruetur, & iuxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.

2 De his qui in quibuscunq; locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseuerent.

3 De his qui arma proiiciunt in pace, placuit, abstinere eos à communione,

4 De agitatoribus, qui fideles sunt, placuit, eos, quàm diu agitant, à communione separari.

5 De theatricis, & ipsos placuit, quam diu agunt, à communione separari.

6 De his qui infirmitate credere uolunt, placuit, debere his manum imponi.

7 De præsidibus, qui fideles ad præsidatũ impetu prosiliunt, ita placuit, ut cum promoti fuerint, literas accipiant Ecclesiasticas communicatorias: ita tamen, ut in quibuscunq; locis gesserint, ab episcopo eiusdem loci cura de illis agatur, ut cum cœperint contra disciplinam publicam agere, tunc demum à communione excludantur. Similiter & de his fiat, qui Rempublicam agere uolunt.

8 De Arianis, qui propria lege sua utuntur, ut rebaptizentur, placuit: si ad ecclesiam aliqui de hac hæresi uenerint, interrogent eos nostræ fidei sacerdotes symbolum. Et si peruiderint, in patre & filio & spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, ut accipiant spiritum sanctum. Quod si interrogati, non respon-

respondérint hãc Trinitatem, baptizentur.

9 De his qui confessorum literas offerunt, placuit, ut sublatis eis literis, alias accipiant communicatorias.

10 De his qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, & ijdem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere: placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne, uiuentibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.

11 De puellis fidelibus, quæ gentilibus iunguntur, placuit, ut aliquanto tempore à communione separentur.

12 De ministris qui fœnerãtur, placuit, eos iuxta formam diuinitus datam à communione abstinere.

13 De his qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, uel uasa Dominica, uel nomina fratrum suorum, placuit nobis, ut quicunque eorum in actis publicis fuerit detectus, uel uerbis nudis, ab ordine cleri amoueatur. Nã si ijdem aliquos ordinasse fuerint deprehensi, etsi in his qui ordinauerũt, ratio subsistit, nõ tamen illis subsistat ordinatio. quoniam multi sunt qui contra Ecclesiasticam regulam pugnare uidentur, & per testes redemptos putant se ad accusationem admitti debere: qui omnino non admittantur, nisi (ut suprà diximus) actis publicis docuerint, omni se suspicione carere.

14 De his qui falso accusant fratres suos, placuit, eos usq; ad exitum non communicare: sed falsum testem, iuxta Scripturam, impunitum non licere esse.

15 De diaconibus, quos cognouimus multis locis offerre, placuit, minimè fieri debere.

16 De his qui pro delicto suo à communione separantur, ita placuit, ut quibuscunque locis fuerant excluſi, eodem loco communionem consequantur.

17 Vt nullus episcoporum alium episcopum conculcet.

18 De diaconibus urbicis, ut non aliquid præ se præsumant, sed honor presbyteris reseruetur.

19 Vt presbyteri sine conscientia episcoporum nihil faciant.

20 Vt peregrino episcopo locus sacrificandi detur.

21 De his qui usurpant sibi, quod soli debeant episcopum ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum alijs septem episcopis. Si tamen non potuerint septem, sine tribus fratribus non audeant ordinare.

22 De presbyteris aut diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, & ad alia loca se transtulerunt, placuit, ut his locis ministrent, quibus præfixi sunt. Qui relictis locis suis ad alium locum se deferre uoluerint, deponantur.

23 De his qui apostatant, & antequam se ad ecclesiam repræsentent, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea in infirmitate arrepti, petunt communionem, placuit, eis non dandam communionem, nisi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.

ARELATENSIS SECVNDA.

Secunda synodus apud Arelatũ celebrata est, Constantini Imperatoris & Syluestri tempore, circa annũ Domini trecentesimũ uigesimum sextum, Volusiano & Anniano consulibus: sicut autor Conciliorum habet. Qui frequentem eam synodũ fuisse indicat, annotatis plurimorũ ex diuersis prouincijs episcoporũ nominibus. Canones autẽ ab ea cõstitutos triginta septẽ exponit, hoc modo.

1 Ordinari ad diaconatus uel sacerdotij officium, neophytum non debere.

2 Assumi aliquẽ ad sacerdotium non posse in uinculo coniugij constitutum, nisi fuerit promissa conuersio, non oportet.

3 Si quis de clericis à gradu diaconatus, in solatio suo mulierem, præter auiam, matrẽ, sororem, filiam, neptem, uel conuersam sectã uxorem, habere præsumpserit, à cõmunione alienus habeatur. Pari quoq; & mulier (si se separare noluerit) pœna percellat.

4 Nullus diaconus, uel presbyter, uel episcopus, ad cellarij secretum intromittat puellam, uel ingenuam, uel ancillam.

5 Nullus episcop⁹ sine metropolitani permissu, nec episcopus metropolitanus sine ceteris episcopis comprouincialibus, præsumat episcopum ordinare, ita ut alij comprouinciales epistolis admoneantur, ut se suo sponso consensisse significent. Quod si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, maiori numero metropolitanus in electione consentiat.

6 Illud autem ante omnia clareat, eum qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit episcopus, iuxta magnam synodum esse episcopum non debere.

7 Si qui se, carnali uitio repugnare nescientes, abscindunt, ad clerum peruenire non possunt.

8 Si quis excommunicatum alterius, siue clericum, siue secularem, recipere post interdictum præsumpserit, nouerit se reum fraternitatis factum, causam in cõcilio redditurũ.

9 Nouatianum in communionem recipi non debere, nisi, suscepta pœnitentia incredulitatis, præteritum damnet errorem.

10 De his qui in persequutione præuaricati sunt, si uoluntariè fidem negauerint, hoc de eis Nicæna synodus statuit, ut quinq; annos inter catechumenos exigãt, & duos inter discommunicantes, ita ut cõmunionem inter

inter pœnitentes non præsumant. In potestate tamen uel arbitrio erit episcopi, si eos ex animo errorem deflere & agere pœnitentiam uiderit, ad communionem pro ecclesiastica humanitate suscipere.

11 Si qui uerò dolore uicti, & pondere persequutionis, negare & sacrificare compulsi sunt: duob. annis inter catechumenos, triennio inter pœnitentes habeantur, à communione suspensi.

12 De his qui in pœnitentia positi, uitam excesserunt, placuit, nullum communione uacuum debere dimitti: sed pro eo quod honorauit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.

13 Nullus cuiusq; ordinis clericus, nõ diaconus, non presbyter, non episcopus, quacunq; occasione faciente, propriã relinquat ecclesiam: sed omnimodè aut excommunicetur, aut redire cogatur. Quod si aliquis, cõmorationis tempore, inuito episcopo suo, in aliena ecclesia habitans, ab episcopo loci clericus fuerit ordinatus, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.

14 Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienæ rei uoluerit esse, aut turpis lucri gratia aliquod genus negociationis exercuerit, depositus à clero, à communione alienus habeatur.

15 In secretario diaconos inter presbyteros sedere, nõ liceat: uel corpus Christi, præsente presbytero, tradere nõ præsumant. Quod si fecerint, ab officio diaconatus abscedant.

16 Photinianos, siue Paulianistas, secundũ patrum statuta, baptizari oportet.

17 Bonosiacos autem, ex eodem errore uenientes (quos, sicut Arianos, baptizari in Trinitate manifestum est) dum interrogati, fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.

18 Ad Arelatensis episcopi arbitrium synodum congregandam, (ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub sancti Martini tempore legimus celebratum fuisse concilium, atq; conuentum) si quis commonitus, infirmitatis causa defuerit, personam uice sua dirigat.

19 Si quis autem adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam dissoluatur concilium, crediderit deserendum, alienum à fratrum communione cognoscat: nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.

20 De agitatoribus siue theatricis, qui fideles sunt, placuit, eos quàm diu agunt, à communione separari.

21 Pœnitentes, quæ defuncto uiro, alijs nubere præsumpserint, uel suspecta uel interdicta familiaritate se cũ extraneo iunxerint, cum eodem ab ecclesię liminibus arceantur. Hoc etiam de uiro in pœnitentia posito, placuit obseruari.

22 Pœnitentiã coniugatis non nisi ex consensu dandam.

23 Si in alicuius presbyterio infideles aut faculas accenderint, aut arbores, fontes, uel saxa uenerentur, si hæc eruere neglexerit, sacrilegij se esse reum cognoscat. Dominus autem uel ordinator rei ipsius, si admonitus emendare noluerit, communione priuetur.

24 Eos qui falsa fratribus capitula obiecis se conuicti fuerint, placuit, usque ad exitum non communicare, (sic ut magna Synodus antè constituit) nisi digna satisfactione pœnituerint.

25 Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad seculum redeunt, et postmodum pœnitentiæ remedia nõ requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant: quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicunque ille sit, post pœnitentiam, secularem habitum non præsumat. Quod si præsumpserit, ab Ecclesia alienus habeatur.

26 De his quos clericatui ipsa uitæ gratia suggesit, si fortè interrupta et duplicata matrimonia inciderint, non ultra sub diaconatum Ecclesiasticũ capiant dignitates. Quod si facti forsitan sunt, ab Ecclesiastico remoueantur officio.

27 Professas uiduas, si in * cohibenda perstiterint, cum raptoribus esse damnandas. *Fortè continentia.*

28 Secundum constitutionem synodi Vasensis, qui oblationem fidelium suppresserit aut negauerit, ab ecclesia, cui fraudem fecit, excludatur.

29 Si quis episcopus suæ sententiæ nõ acquiescit, synodi legibus audiendum.

30 Secundum instituta seniorum, si à communione, sacerdotali fuerit authoritate suspensus episcopus: hunc non solum à clericorum, sed etiam à totius populi colloquio atq; conuiuio placuit excludi, donec resipiscens, ad sanitatem redire festinet.

31 Hi qui publicis inter se odijs exardescunt, ab Ecclesiasticis conuentibus sunt remouendi, donec ad pacem recurrant.

32 Si expositus ante ecclesiam, cuiuscunq; fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam. Et si is qui collectus est, intra decem dies quæsitus agnitusq; nõ fuerit, securus abeat qui collegit. Sanè qui post prędictum tempus calumniator extiterit, ut homicida, ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit authoritas.

33 De puellis quæ se uouerũt Deo, & præclari nominis decore floruerũt, si post uiginti et quinq; annos ętatis ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decreui-

creuimus, ut cum his, cum quibus se obliga uerint, communione priuentur: ita ut eis postulantibus, pœnitẽtia nõ negetur, cuius pœnitentiæ cõmunio multo tẽpore differatur.

34 Si quis famulorum, cuiuslibet conditionis aut generis, quasi ad exacerbandam domini discretionem, se diabolico repletus furore percusserit, ipse tantum sanguinis sui reus erit, neq; ad dominum sceleris alieni inuidia pertinebit.

35 Placuit, in ordinatione episcopi hunc ordinem custodiri, ut primo loco uenalitate uel ambitione submota, ab episcopis nec nominentur, de quibus clerici uel laici ciues erga unum eligendi habeant potestatem.

36 Si quis secularium, amore religionis, se ad quemcunq; sacerdotum crediderit conferendum, ipse sibi eum quem erudiendi gratia susceperit, uindicabit.

37 Hoc etiã placuit custodiri, ut nihil contra magnam synodum metropolitani existiment uindicandum.

CARTHAGINENSIS PRIMA.

DE Carthaginensi synodo prima uera, in qua Cecilianum episcopum Carthaginensem Donatistæ cõdemnarunt, quæ scripserit Augustinus, suprà ostẽdimus. Eorum autem, liber Conciliorum nihil meminit: sed Carthaginensem primam synodum, autoritate Constantini congregatam narrat à Grato episcopo Carthaginensi, post schismatum finem, in qua constituta sint ad ecclesiæ disciplinam pertinentia. Primùm, baptizatos in nomine Trinitatis semel, non esse iterum rebaptizandos. Secundò: nec martyrum, nec mortuorum quorumcunq; corpora esse ignominia adficienda. Tertiò: ne uiri castitatem professi, cum eiusdem professionis mulieribus, in una & eadem domo cohabitent, ut occasiones peccatorũ uitentur. Quartò: ne quis clericus alienus, si sine literis episcopi sui ueniat, suscipiatur. Cuius decreti fundamentum sumitur ex constitutionibus concilij Sardicensis: magno certè argumento, non esse hoc tempore, sed inferiori, synodum hanc primam Carthaginensem celebratam. Quintò: ne clerici administrationibus seu procurationibus sese politicis immisceant. Sextò: ne quis uel clericus, uel laicus, sine literis episcopi sui in aliena ecclesia communicet. Septimò: Licere procuratores & actores probatæ uitæ ac famæ postulatos cleri honore ornari, si tamen negocijs politicis prius exoluti fuerint. Quibus non abiectis, si dimissi à clero, nec ordinati fuerint, tamen clero gratias agant, nec iniuria deinceps aliqua molesti sint. Octauò: ne quis collegæ suo iniuriam faciat, aut in sua transcendendo, aut aliena quęcunq; pro suis usurpando. Nonò: Vt clericus natu minor, in senem contumeliosus reprehendatur, diaconus scilicet contumeliosus ab episcopis tribus, presbyter à sex, episcopus à duodecim consacerdotibus. Decimò: ne quis clericus usurpet usuras. Postremò: ut si Laicus quispiam constitutiones eas uiolarit, communione: si clericus, dignitate sua priuetur. Quibus ab omnibus subscriptum est.

DE SYNODIS SUB CONSTANTIO.

COnstantino uita defuncto, inter multas Eusebianorum turbas, Imperatoris mortem, opportunitatem suam, hæresin Arianam disseminandi interpretantiũ, Constantinus iunior Athanasiũ reuocauit: quod sic fieri Constãtinus pater, cum adhuc in uiuis esset, mandauerat: eumq; literis iniustrectum & communitum suis, Alexandriam remisit. Ea uerò res asperrima & intoleranda Eusebianis accidit. Qui non cunctati, ad nouas in Athanasium machinationes animum ilicò intenderũt, eumq; apud Imperatorem Constantinum detulerunt: quòd sine cõsensu episcoporũ, proprio arbitrio in ecclesiam irruisset. Eusebius uerò tantum mox effecit, ut synodus Antiochiæ Syriæ haberetur, hoc prętextu, quasi ædem recens extructam, quã Constantinus senior inchoauerat, Constantius uerò supremam ei manum, annis elapsis ab eo tempore, quo extrui cœpta fuerat, septemdecim imposuerat, à synodo frequenti dedicari necesse esset. hoc unũ interea spectans, ut eiusmodi aliqua à synodo oblata occasione, homousianæ fidei corruptelæ afferri possent.

Conueniunt igitur, post exactos annos ab obitu Constantini quinque, ut Sozomenus indicat, Marcellino & Probino consulibus, indictione decimaquarta, iuxta Athanasium in epistola de synodo Arimini & Seleuciæ, (anno circiter Christi trecentesimo quadragesimoquarto) ab Imperatore cõuocati ex diuersis ciuitatibus episcopi nonaginta: seu, iuxta Sozomenum, & Hilarium de synodis, nonagintaseptẽ: inter quos fuere Eusebius olim Nicomediensis, iam uerò Constãtinopolitanus episcopus, Acacius Cæsariensis, Patrophilus Scythopolitanus, Theodorus Heracliæ, Eudoxius Germaniciæ, Gregorius Dianius Cæsariæ Cappadocum episcopus, Georgius Laodiceæ Syriæ, & Eusebius Emissenus: quibus & Imperator ipse affuit. Maximus uerò Hierosolymorũ eodem tempore episcopus, Eusebij fraudes & technas in Athanasium animaduertens, ac metuens ne fortè in sententiam etiam contra Athanasium, ab improbo ac frequenti Eusebianorũ cœtu abriperetur, non uenit. Nec Iulius episcopus Romanus, eadem fortasse de causa, com-

comparuit. Quin nec Italorum, nec eorum qui ultra Romanos habitant, quisquam.

Cõfestim ibi igitur Eusebiani, cuius rei gratia Synodũ ab Imperatore ad omnia sequaci extorsissent, prodiderunt. Prima enim omnium consultatio eorum fuit de eijciendo Athanasio: quem hoc nomine accusabant, quòd præter Canonem, quem ipsi sibi ad insidias & calumnias eas confirmauerant, epi-scopatum sine consensu episcoporum recepisset. Deinde, quòd reditus eius Alexandrinis tumultus attulisset, in quibus multi perijssent, nonnulli quoque ab Athanasio pulsati essent, alijs ad tribunalia pertractis. Deniq;, quòd quæ in Synodo Tyri contra eum decreta fuissent, rescindenda non essent. Socrates libro 2. capite octauo: Sozomenus lib. tertio, cap. 5. & 6. Atq; hæc quidem contra Athanasium tum ab ea Synodo agebantur. Sed ne non apertè testarentur Eusebiani, bel-lũ sibi esse non tam contra Athanasiũ, quàm fidem Homousianam, cœperunt ibi primùm formam fidei Nicænæ compositam conuellere, alijsq; circumloqui uerbis, amphibolis sensibus ita implicatã, ut neq; Arianis, neq; ijs qui fidem Nicænam profitebantur, contraria uideretur. Id autem ea egerunt impostura & uafricie, quemadmodũ Sozomenus tradidit, ut nihil se in Synodi Nicænæ decretis reprehendere apertè dicerent: & ad episcopos per ciuitatem, qui non aderant, scriberent, se, utpote episcopos, nunquam secutos fuisse Arium presbyterum, sed fidem duntaxat eius examinasse. Exemplum fidei ab Eusebio & Synodo mutatæ hoc est.

¶ Didicimus ab initio credere in unum omnium Deum, omnium spiritualium & sensibilium opificem ac moderatorem. Et in unum filium Dei unigenitũ, ante omnia seculæ existentem, & unà cum genitore suo patre manentem: per quem etiam omnia facta sunt, tam uisibilia quàm inuisibilia: qui extremis dieb. secundum patris placitum descendit, & carnem ex sancta uirgine accepit, ac uniuersam patris uoluntatẽ compleuit, passus est, & resurrexit, & ad cœlos ascendit, & à dextris patris sedet, uenturusq; est ad iudicandum uiuos & mortuos, ac permanet rex & Deus in secula. Credimus etiam in sanctum spiritum. Et si addendum est, credimus etiam de carnis resurrectione, & uita sempiterna. Hæc in prima quidem epistola conscripta, ijs qui per ciuitates erant, miserunt. Sozomenus post eam scripturam, aliam quandam, cum prioris quasi pœnituisset, ab illis editam scribit, in multis quidem Nicænæ formulæ consonam, nisi quòd homousij uocabulum in ea fuisset omissum: pro quo filium inconuertibilem & inalterabilem diuinitate, essentiæq; & uoluntatis & potentiæ & gloriæ prorsus conformem imaginem, ac primogenitum omnis creaturæ pronunciarint. Formulã illam Athanasius in epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ ad hunc modum retulit.

¶ Credimus congruenter pro Euangelica & Apostolica traditione, in unum Deum patrem omnipotentem, uniuersitatis conditorem, & opificem & procuratorem, ex quo omnia. Et in unum Dominum Iesum Christum, filium eius unigenitum Deum, per quem omnia: eumq; natum esse ante secula ex patre, Deum ex Deo, totum ex toto, solũ ex solo, perfectũ ex perfecto, regem ex rege, Dominũ ex Domino, Verbum uiuum, sapiẽtiam uiuam, lumen uerum, uiam, ueritatem, resurrectionem, pastorem, ianuam, immutabilem & inalterabilẽ Deitatis, substantię, uoluntatis, potentiæ & gloriæ patris sine omni dissimilitudine imaginem, primogenitũ omnis creaturæ: eundemq; in principio apud Deũ uerbum esse, quemadmodũ in Euangelio dictũ est, Et Deus erat Verbum: per quem omnia facta sunt, & in quo omnia subsistũt: qui sub extremos dies è supernis descendit, & ex uirgine natus est secundum scripturas: eumq; hominem factum mediatorem Dei & hominum, & Apostolum fidei nostræ & principem uitæ esse credimus. quemadmodum dicit: Ego descendi è cœlo, non ut facerem uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me: eundemq; pro nobis passum esse, & resurrexisse tertia die, & ascendisse in cœlos, & sedere ad dextram, & iterum uenturum cum gloria & potestate ad iudicandum uiuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum, ad consolationem & sanctificationem & consummationem credentibus datum: quemadmodum Dominus noster discipulis præcepit dicens: Abite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: Patris inquam uerè patris, Filij uerè filij, Spiritus sancti uerè spiritus sancti: non ut hæc simpliciter uocabula habeantur absq; rebus, sed ut singulorum propria persona, ordo & gloria intelligantur, adeò ut terni sint ratione personarum, unus tamen per concordiam. Hanc igitur fidem retinentes, imò ab initio usq; ad finem eam possidentes coram Deo & Christo eius, omnes hæreticorum prauas opiniones anathemate detestamur. & si quis præter rectam sacrarum literarum fidem docet, tempus aut momentum aut seculum esse, aut fuisse, priusquam filius gigneretur, anathema esto. aut si quis filium creaturam pro ratione cæterarum creaturarum dicit, & non, ut sacræ scripturæ tradiderunt, alterum ex altero existere: aut si quis quippiam præci-

pit,aut euangelizat, præter ea quæ accepimus,anathema sit.Nos enim omnibus per sacras literas proditis,& à prophetis & ab Apostolis traditis, uerè & reuerenter credimus & sequimur. Eandem formulam & Socrates lib.2.cap.10 habet.

Sed & tertiam formulam à Theophronio episcopo Tyanensi ibidem promulgatam fuisse indicat, cuius exemplum posuit hoc modo.

¶ Nouit Dominus, quem testem aduersus animam meam inuoco,quòd credo in unum Deum,patrem omnipotentem,uniuersitatis conditorem & authorem, ex quo omnia.Et in filium eius unigenitum, Deũ uerbum,potentiã,& sapientiam,Dominum nostrum IESVM Christũ, per quẽ omnia: eumq; genitũ esse ex patre ante secula,Deũ perfectũ ex Deo perfecto:& apud patrẽ existere in sua persona:& ultimis dieb.descẽdisse,genitũq; ex uirgine esse secundum scripturas:& postq̃ homo factus esset, passũ esse,& resurrexisse è mortuis,& in cœlos ascendisse, & sedere ad dextrã patris sui,eundemq; iterum uenturũ esse cum gloria & potentia, ad iudicandum uiuos & mortuos, eundemq; permanere in secula.Et in spiritum sanctum consolatorẽ, spiritum ueritatis, quem etiam per prophetam promisit Deus se effusurũ super seruos suos: & quem Dominus discipulis suis pollicitus est, & secundũ pollicitationem misit, ut Acta Apostolorum testantur. Si quis igitur præter hanc fidem docet, aut diuersa in animo retinet,anathema esto:aut quæ Marcelli Angerensis,Sabellij aut Pauli Samosatensis sunt,sapiat, & ille quoq; anathema esto,& quicunq; cum eo communicant.

Gratianus distinctione decimasexta indicat,ab ea Synodo constitutos canones fuisse 35,à patribus 30,quorum nomina annotata sunt in tomo primo Conciliorum:à quo numero Athanasius tamen & Hilarius uariant. Canones extant Græcè,& latinè legun tur cum Synodi promulgatione in 1 tomo Conciliorum,hoc modo.

¶ Sancta & pacatissima Synodus in unum congregata, his qui per singulas prouincias sunt, unanimibus sanctis & consacerdotibus, in Domino salutem. Gratia & ueritas IESV Christi, Domini & saluatoris nostri, sanctam Antiochenam Ecclesiam uisitans, & in unum connectens per concordiam pacatissimi spiritus,multa quidem & alia perfecit: in omnibus autem sugerente sancto & pacifico spiritu,etiam hoc perfecit, ut quæ uisa sunt rectè constitui, cum plurima consideratione & iudicio, unà cum omnibus nobis Antiochiam ex diuersis prouincijs in unum collectis episcopis,in uestram notitiam deferantur. Credimus autem gratiæ Domini & spiritui sancto pacis,quòd & ipsi conspirabitis nobis, tanquam in unam fuissetis uirtutem nobiscum & orationib.adnitentes,magis autem muniti,& in spiritu sancto præsentes ijsdem ipsis quæ definita sunt consentientes, & ea quæ uisa sunt recta roborantes,cum consensu sancti spiritus consignabitis. Sunt autem præfiniti Canones Ecclesiastici hi,qui infrà sunt scripti, quos subter inserti promulgauere episcopi.

Prouinciæ Palæstinæ,
Eusebius Gadarensis.
Prouinciæ Phœniciæ,
Anatolius Emisenus
Æneas Ptolemaidis
Magnus Damascenus.
Prouinciæ Arabiæ Petreæ,
Nicomachus Bostrorum
Cyrion Philadelphiæ.
Prouinciæ Mesopotamiæ,
Æthereus Edissenus
Antiochus Resinatis
Iacobus Nisibensis.
Prouinciæ Syriæ Cœles,
Archelaus Dolichenus
Alphius Apameæ
Bassus Zeugmatis
Mauricius Epiphaniæ
Petrus Gindarensis
Paulus Neocæsarienſis
Piperius Samosatenus
Theodorus Laodiceæ
Syricius Cyrreticensis.
Prouinciæ Ciliciæ,
Macedonius Mopsuestienſis
Hesychius Alexandriæ minoris
Moyses Castabalæ
Nicetas Flauiadis
Narcissus Irenopolis
Tarcondimantus Ægerates.
Prouinciæ Isauriæ,
Agapius Seleuciæ
Theodorus Vasadensis
Eustathius
Patricius.

Alexander, & cæteri ex prouincijs Palæstinæ,Phœniciæ,Syriæ Cœles,Arabiæ,Mesopotamiæ,Ciliciæ,Isauriæ,& hæc constituerunt,quæ infrà scripta sunt.

Canon primus. Omnes qui audent dissoluere regulam sancti & magni concilij Nicæni, quod celebratum est in præsentia Dei, & amantissimi Constantini Imperatoris, de sancta & salutari festiuitate Paschali Saluatoris nostri, excommunicatos & abiectos esse debere ab Ecclesia: maximè si perseuerent studio contentionis, ad subuertenda ea quæ optimè constituta sunt. Et hæc quidem dicta sunt de laicis.

de laicis. Si autem de propositis Ecclesiæ aliquis, id est, uel episcopus uel presbyter, uel diaconus, post hanc diffinitionem & hunc terminum, ausus fuerit, in subuersionē populorum & perturbationem ecclesiarum, seorsim colligere, & cum Iudæis Pascha uoluerit celebrare: hunc sancta Synodus iam alienum ab Ecclesia esse iudicauit, tanquam eum qui non solum proprij peccati reus sit, sed aliorum corruptæ mentis & conuersationis supplantator extiterit. Et non solum huiusmodi deponi à sacerdotio & ministerio iubet, sed & eos qui ausi fuerint his communicare post damnationem. Depositos autem, etiam honore qui extrinsecus est, priuari oportet, quem sanctus Canon & Dei sacerdotium promeruit.

2 Omnes qui ingrediuntur Ecclesiā Dei, & sacras scripturas audiunt, non autem cum populo in oratione communicant, auertantur autem sanctam assumptionem Dominici sacramenti, secundum aliquam propriam disciplinam: hos ab Ecclesia abijci oportet, donec confitentes, fructum pœnitentiæ demonstrent, & deprecati fuerint, ut data uenia suscipi mereantur. Non autem licet cōmunicare excommunicatis: neque cum his per domos ingredi, & cum eis orare, qui Ecclesiæ non participant in oratione: nec in alteram Ecclesiam recipi, qui ab alia excommunicantur. Quod si quis episcoporum, uel diaconorum, uel etiam qui in canone detinē tur, excommunicatis cōmunicare deprehensus fuerit, & hunc oportet communione priuari, tanquā Ecclesiæ regulas confundentē.

3 Si quis presbyter, uel diaconus, uel quilibet clericus, deserta sua Ecclesia, ad aliā transeundum esse crediderit, & ibi paulatim tenet, quò migrauit, perpetuò manere, ulteriusq; ministrare non debet: præsertim si ab episcopo suo ad reuertēdum fuerit exhortatus. Quod si post euocationem sui episcopi non obedierit, sed inobediens perseuerauerit, omnimodè ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere. Si uerò propter hanc culpam depositum, alius episcopus susceperit, & ipse à communi synodo pœnam merebitur increpationis, tanquam ecclesiastica iura dissoluens.

4 Si quis episcopus à Synodo fuerit depositus, uel presbyter, uel diaconus, à proprio episcopo condemnatus, & præsumpserit sacerdotij seu sacri mysterij quippiam, non ei amplius liceat, neq; in alia Synodo spem restitutionis habere, neq; assertionis alicuius locum: sed & cōmunicantes ei abijci omnes ab Ecclesia, maximè si postquam cognouerunt sententiam aduersus eum fuisse prolatam, contumaciter communicauerint.

5 Si quis presbyter, uel diaconus, contempto episcopo, seipsum ab ecclesia segregauerit, & priuatim apud se, collectis populis, altare erigere ausus fuerit: & nihilominus episcopo suo exhortante, & semel & iterum reuocante, inobediēs extiterit: hunc modis omnibus deponendum, nec aliquando consequi curationem, aut propriū honorem recipere speret. Quòd si etiā perseuerauerit, perturbans cunctā Ecclesiam quæ foris est, tanquam seditiosum corripi oportet.

6 Si quis à proprio episcopo excōmunicatus est, nō eum prius ab alijs debere suscipi, nisi aut à suo fuerit receptus episcopo, aut cōcilio facto episcopis occurrat, & respondeat: & si Synodo satisfecerit, statuimus sub alia sententia eum recipi. Quod etiam circa laicos, & presbyteros, & diaconos, & omnes qui in clero sunt, conuenit obseruari.

7 Nullum absq; formata (quod Græci epistolam dicunt) peregrinorum clericorū suscipi oportet.

8 Neq; presbyter ad regiones lōginquas, formatas (id est, Canonicas) epistolas, & nisi ad finitimos episcopos, simplices epistolas mittere præsumat. Vicarijs uerò episcopis, qui à Grecis Chorepiscopi uocantur, formatas facere liceat.

9 Per singulas prouincias episcopos singulos scire oportet, episcopum metropolitanū, qui præest, curā & solicitudinē totius prouinciæ suscepisse. Propter quod ad metropolitanam ciuitatē, ab his qui causas habent, concurratur. Quapropter placuit, eum & honore præcellere, & nihil ultra sine ipso reliquos episcopos agere, secundū antiquū patrū nostrorū canonē, nisi hoc tantū, quod unicuiq; ecclesiæ p̄ suā diœcesim cōpetit. Vnūquenq; enim episcopū oportet habere suæ diœcesis potestatē, ut regat & gubernet secundū competentē singulis reuerentiā: & prouidētiam gerat omnis regionis, quæ sub ipsius est ciuitate: ita ut etiā ordinare & presbyteros & diaconos probabili iudicio liceat, & de singulis illius regionis causis, moderatione & ponderе disceptare. Vltra autē nihil agere permittitur citra metropolitani episcopi conscientiam, nec metropolitanus sine cæterorum aliquid gerat consilio sacerdotum.

10 Chorepiscopi, qui manus impositionē ab episcopis susceperunt, & ut episcopi sunt consecrati, tamē placuit sanctæ Synodo, eos modū propriū retinere, & gubernare adiacentes sibi ciuitates, & esse cōtentos propria solicitudine & gubernatione, quam susceperūt. Constituere aūt his permittitur, lectores & subdiaconos, atq; exorcistas, quib. sufficiat istorū tantū graduū licentiā accepisse. Non aūt presbyterū, nō diaconū audeant ordinare, præter conscientiā episcopi ciuitatis uel ecclesiæ, cui adiacens inuenitur seu ipse, seu

regio, in qua præesse dignoscitur. Quod si quis præuaricari ausus fuerit cõstituta, depo ni eum, & dignitate, qua præditus est, debere priuari. Chorepiscopus aũt ab episcopo ci uitatis uel loci, cui idẽ adiacet, ordinãd⁹ est.

11 Si quis episcop⁹, uel presbyter, uel omnis omnino qui est sub ecclesiastica regula cõsti tutus, ꝓter consiliũ uel literas eorũ episcopo rũ qui sunt intra ꝓuinciã, & maximè metropolitani, ad Imperatorẽ perrexerit, hũe abdi cari, & eijci non solũ de cõmunione, sed etiã propria dignitate priuari, tanq̃ molestũ & im portunũ imperialib. auribus, cõtra ecclesiastica cõstituta. Si aũt necessitas cogit ad Imperatorẽ excurrere, propter aliquã actionẽ, cũ deliberatione & cõsilio metropolitani ipsius prouincię episcopi, & cæterorũ cõscientia episcoporũ, qui in eadem prouincia sunt, atq; cum literis eorum, ire debebit.

12 Si quis à proprio episcopo depositus presbyter, uel diaconus, aut etiã si à synodo quilibet episcopus fuerit exauctoratus, molestiã Imperialib. aurib. inferre non præsumat, sed ad maiorẽ episcoporum synodũ sese conuertat: & quæ se putat habere iusta, in eorũ concilio alleget, atq; ab his de se expectet, quę fuerit deprõpta sentẽtia. Quod si deficiẽs pusillanimitate, hoc noluerit facere, sed Imperatori fuerit importunus: huiusmodi nullã ueniam habeat, neq; locũ ullius assertiõis suæ, nec spem recipiẽdi gradus habeat in futurũ.

13 Nullum episcopũ audere debere ex alia prouincia ad aliam transitũ facere, & ordinare aliquos in ecclesijs, aut prę̃ferre ad sacrum ministeriũ: nec alios illucattrahat episcopos, nisi fortè per literas rogatus abierit: nõ solũ autẽ à metropolitano, sed & ab his qui cum eo sunt, omnib. ipsius prouinciæ episcopis. Quod si nullo inuitãte, inordinatè superueniat, & aliquos uel ordinare præsumpserit, uel quoslibet actus illi Ecclesię cõpetentes, quę ad se minimè ꝓtinent, usurpare tentauerit, uacua quidẽ & inania erunt omnia quæ gesserit: ipse uerò huius indisciplinati ausus & irrationabilis cœpti dignas causas expendat, tanquã depositus à Synodo sancta, & ꝓpter huiusmodi p̃sumptionẽ iã prædãnatus.

14 Si quis episcopus de aliquibus causis criminalib. in iudicio episcoporũ fuerit accusatus, cõtingat aũt de ipsis, episcopos prouincię, qui cõuenerunt, diuersas habere sentẽtias, & alios quidẽ innocentẽ eũ pronunciare, alios reum: propter huiuscemodi itaq; cõtrouersiam amputandã, placuit sanctæ synodo, metropolitanũ episcopũ alterius uicinæ ꝓuinciæ aduocari, & aliquantos cum eo episcopos alios. Qui pariter residẽtes, quęcũq; fuerint, dirimant quæstiones: propter hoc, ut firmum sit iudicium, quod ab unius prouinciæ episcopis fuerit promulgatum.

15 Si quis episcopus criminaliter accusatus ab omnibus qui sunt intra prouinciam episcopis, acceperit unam consonamq; sententiam, ab alijs ulterius iudicari non potest: sed manere circa eam oportet, tanquam conuenientem, quę ab omnibus prolata est, firmam ratamq; sententiam.

16 Si quis episcopus uacans, in Ecclesiam uacantem superuenerit, & hanc obripiẽter, præter plenariam Synodum, occupandã esse crediderit: hunc abijci oportet, quamuis eum plebs, quam diripuerit, uelit sibi episcopum retinere. Illa autem dicitur Synodus plenaria, in qua etiam episcopus metropolitanus affuerit.

17 Si quis episcopus, susceptа manus impositione, & deputatus populis præesse, non fuscipiat ministerium sacerdotij, nec consentiat habere ecclesiam, in qua fuerat ordinatus: hunc incommunicabilem esse debere, donec coactus consentiat plebem suscipere sibimet deputatam, aut prouinciæ plenaria synodus episcoporum de eo aliquid statuat.

18 Si quis episcopus ordinatus, non abierit in parochiam cui ordinatus est, si non suo uitio, sed plebis forsitan contradictione, hic honorem susceptum retinere debebit, & sacerdotio fungi, ita ut nihil molestiæ afferat Ecclesiæ illi in qua fuerat constitutus. Expectare aũt eũ oportet prouinciæ plenariã Synodũ, donec de eo, quod cõpetit, statuatur.

19 Episcopum non ordinandum sine consilio & præsentia metropolitani episcopi: cui melius erit, si ex omni prouincia congregetur episcopi. Quod si fieri non potest, hi qui adesse non possunt, proprijs literis consensum suum de ipso designent: & tunc demũ, post plurimorũ siue per præsentiam, siue per literas consensum, sententia consona ordinetur. Quod si aliter quàm statutum est fiat, nihil ualere huiusmodi ordinationem. Si uerò etiam secundum definitas regulas ordinatio celebretur, contradicant autem aliqui, propter proprias & domesticas simultates, his contemptis sententia de eo obtineat plurimorum.

20 Propter ecclesiasticas causas, &, quæ existunt, controuersias dissoluendas, sufficere uisum est, bis in anno per singulas prouincias episcoporum concilium fieri. Semel quidem, post tertiam hebdomadam Paschalis festiuitatis: ita ut in quarta hebdomada quæ consequitur, id est, media Pentecoste, compleatur. Admoneant autem prouinciales episcopos hi qui in ciuitatibus, id est, in metropolitanis ciuitatibus degunt. Secundum uerò concilium Idibus Octobris habeatur, qui dies apud Græcos hyperberetæi mensis decimus inuenitur. In ipsis autem concilijs & presbyteros & diaconos præsentes

præsentes esse oportet, & omnes quotquot se læsos existimant, & synodicam expectare sententiam. Nec liceat aliquibus, apud semetipsos concilia sine metropolitanorum episcoporum conscientia facere, quib. de omnib. causis cõstat permissum esse iudiciũ.

21 Episcopum de diœcesi ad diœcesim alteram non debere trãsire, neq; si seipsum ingesserit, neq; si à populis fuerit uiolenter attractus, neq; si etiam hoc ei ab episcopis suadeatur. Manere autẽ eum debere in Ecclesia Dei, quam ab initio sortitus est, & non ab ea alibi demigrare, secundum regulam super hoc olim à patribus constitutam.

22 Episcopum non debere in alienam irruere prouinciam, quæ illi probatur non esse subiecta: neq; in regionem, quæ ad eius curã minimè noscitur pertinete, ad aliquid ordinandum: neque presbyteros, neque diaconos constituere ad alios episcopos pertinentes, nisi fortè cum uoluntate & testimonio propriæ regionis episcopi. Quod si quispiam horum tale facere uoluerit, irrita quidem erit huiusmodi ordinatio: & quæ male usurpauerit, à Synodo arguãtur. Nam si ordinare non potuerit, nullatenus alterius parochianum iudicare præsumat.

23 Episcopum non debere, tanquam successorem sibi futurum, constituere alterum, quamuis circa uicinia mortis habeatur. Quòd si tale aliquid factum fuerit, irrita erit huiusmodi ordinatio. Custodire autem debet ecclesiastica constituta, quæ se ita continent, non posse aliter episcopum fieri nisi cum consilio & consensu episcoporum, eorum duntaxat, qui post obitũ eius qui præcessit, habuerint potestatẽ eum qui dignus fuerit prouehendi.

24 Quæcunq; res Ecclesiæ sunt, conuenit cum omni diligentia & bona fide, quæ Deo debetur, qui omnia prouidet atq; iudicat, gubernari, & dispensari cum iudicio & potestate episcopi, cui totius plebis animæ uidentur esse commissæ. Manifesta autem esse oportet, quæ Ecclesiæ competunt, cum notitia eorum presbyterorum & diaconorum, qui circa ipsum sunt, ut ipsi non ignorent, nec eos aliquid lateat eorum quæ sunt propria Ecclesiæ. Vt si contigerit episcopũ de hac uita migrare, manifestæ sint & notæ res ecclesiasticæ, ne intercidant atq; depereant. Sed nec res propriæ episcopi, tanquam obnoxiæ, rerum ecclesiasticarum occasione, ullius pulsentur iniuria: quia iustum & acceptum est apud Deum & homines, quæ propria sunt episcopi, quibus ipse iudicauerit derelinqui, & quæ Ecclesię, ipsi reseruari. Irã enim fit, ut nec Ecclesia damno aliquo affligatur, nec episcopus occasione rerum ecclesiasticarum proscribatur: neq; pertinẽtes ad eum, causas incurrant, quòd post mortẽ memoria eius maledictis aliquibus oneretur.

25 Episcopum habere oportet rerum ecclesiasticarum potestatem, ad dispensandum omnibus indigentibus, cum omni timore & reuerentia Dei. Ipsum quoq; ex eis percipere, atq; uti debere, quibus indiget: si tamen indiget uel ad suas necessarias expensas, uel fratrum qui apud eum hospitalitatis gratia morantur, ut nulla ex parte per inopiam defraudentur. secundum Apostolum dicentẽ: Habẽtes uictũ quotidianum, & tegumentũ corporis, his contenti sumus. Quod si his minimè contentus atq; sufficiens, transferat in necessitates suas ecclesiasticas res, uel commoda quælibet Ecclesiæ, aut agrorum ecclesiasticorum fructus sine conscientia presbyterorum apud se redigat, & domesticis suis, uel etiam affinibus, aut fratribus, aut filijs earum rerum tribuat potestatem, ut per eorum secretam diligentiam ecclesiastici lædi uideantur: reatum hunc, qui huiusmodi est, apud metropolitanum prouinciæ præstare debebit. Quod si aliter reprehendatur episcopus, uel hi qui cum ipso sunt presbyteri, quo dicantur hæc quæ ad ecclesiam pertinent, siue de agris, siue de alijs quibuscunq; ecclesiasticis causis, eos sibimet usurpare, pauperes uerò necessitate & penuria opprimi: atq; ex hoc ipso non solum ecclesiasticæ rationi, uerùm etiam dispensatoribus eius maledicta reprehensio augetur: hunc enim correctionem oportet mereri, id quoq; condecet, sancta Synodo cognoscente. Eusebius omnibus quæ constituta sunt, prẹsens subscripsit: Theodorus, Nicetas, Macedonius, Anatolius, Tarcodunantus, Aethereus, Narcissus, Eustathius, Hesychius, Mauricius, Paulus, & cæteri quorum nomina in Græco iam superius continentur. Consenserunt & subscripserunt 30 episcopi, in initio huius concilij adnotati.

Indicarunt Socrates nominato loco, & Eusebius in Chronico, sub anno Christi trecentesimo quadragesimoquarto, Cõstantij quarto: secutos eam Synodum fuisse per Orientem, & maximè Antiochiæ, terræmotus uehementes, per annum integrum urbem concutientes.

ANTIOCHENA ALIA.

POst eam de qua nunc diximus Synodũ, Imperator Eusebianis patrocinatus, Antiochenam ecclesiam à Gregorio, homine peregrino, externo & ignoto, quem ad hoc Eusebiani, numero triginta sex (ut Iulius Rom. episcopus in epistola sua indicat, apud Athanasiũ apologia secunda) elegerant, occupari curat, mittens eum eò cum Syriano duce & exercitu: sed ex cuius manu Athanasius diuino adiutus beneficio saluus euasit. Moritur

paulo pòst, anno Christi scilicet 344, ut Hieronymus in Chronico annotauit. Eusebius Constantinopoli: in cuius locum populus Constantinopolitanus Paulum substituit. Ariani autem Macedoniũ obtruserunt, cum maximis ciuitatis motib. & seditione. Paulum igitur Imperator eijci iubet, & ad id curandum Hermogenem prætorẽ mittit, qui in tumultu à populo occiditur. Meminit tum Synodi, tum eorum quæ post eam cum Gregorio gesta sunt, Iulius episcopus Romanus in epistola quadam apud Athanasium, Apologia secunda.

Interea uero cum Paulo eo cõiunctus Athanasius, Romam ad Iulium proficiscitur: cui uterq; causam suam exponit, & innocentiam declarat. Iulius, quòd nõnulla tum esset Ecclesię Romanæ autoritas, causis cognitis, dat eis literas ad Orientales Ecclesias, in quibus, Arianorum temeritatem duriter reprehendit: ac Athanasiũ Alexandrinã, Paulũ Constantinopolitanam ecclesiam recipere iubet: & insimulat eos, quòd haud rectè contra hosce uiros iudicassent, & Ecclesias à decretis Niceni concilij deficiendo turbassent. ac simul paucos aliquot ex omnibus ad certum diem adesse iussit, qui probarent quod iustè aduersus eos pronunciassent. Denique in posterum se nõ laturum minatus est, nisi à studio nouandi desisterent. Hãc summam fuisse epistolarum Iulij ad Orientales, indicant Socrates lib. 2. cap. 15. & Sozom. lib. 3. cap. 8. Integrum earum literarum exemplũ compilator Cõciliorum profert: sed id cum argumento hoc non congruit, neque Athanasij aut Pauli aut restitutionis eorum mentionem facit, ut facilè appareat suppositiciũ esse. Quod ut lector melius agnoscat, & iudicet, adscribere non grauabimur.

Epistola falsò adscripta Iulio, in primo tomo Conciliorum.

¶ Venerabilibus fratribus, uniuersis Orientalibus episcopis, Iulius. Decuerat uos, fratres, alios ecclesiasticis instruere disciplinis, et non talib. arguere machinamentis, dicente Ioanne Baptista: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & reliqua. De qua re & apostolus Paulus nos instruit, dicens: Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris: & reliqua. Et alibi Petrus apostolus ait: Omnes unanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, uel maledictum pro maledicto, sed econtrariò benedicentes: quia in hoc uocati est, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim uult uitam diligere, & uidere dies bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam: quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: uultus autem Domini super facientes mala. Quid peius est, fratres, quàm ut sacerdotes Domini, qui ab omni mala coinquinatione, & à nocumento omniũ Christianorũ, quanto magis à fratrum & coepiscoporum, alieni debent existere, quos tueri & subleuare ab insidijs debẽt, & quos fouere & diligere sum moperè oportet, persequũtur eos, & cõmunione priuare decertãt? Nec recordamini Sapientiam, quæ ait: Peruersæ enim cogitationes separant homines à Deo. Si peruersę cogitationes separãt homines à Deo, quãto magis opera iniqua? Quid enim iniquius est, quàm illos, de quib. Dominus ait, Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei, quisquam auertere, persequi, destruere nitatur? Probata autem uirtus portat, protegit & consolatur oppressos, & docet insipientes. Est enim Deus testis cordis hominis, scrutatorq; uerus singularũ conscientiarũ, & linguarũ singularũ auditor. quoniã spiritus Domini repleuit orbem terrarũ: & hoc quod cõtinet omnia, scientiã habet uocis. Et aliàs idẽ ipse ait: Deꝰ charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniã filiũ suũ unigenitũ misit Deus in mundũ, ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deũ, sed quoniã ipse prior dilexit nos, & misit filiũ suũ ꝓpitiationẽ pro peccatis nostris. Charissimi, si Deus dilexit nos, & nos debemus inuicẽ diligere. Deũ nemo uidit unq̃. Si diligamus inuicẽ, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis pfecta est. In hoc intelligimus, quoniã in eo manemus, & ipse in nobis, quoniã de spiritu suo dedit nobis. Et nos uidimus & testificamur, quoniã pater misit filiũ suũ, saluatorẽ mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniã IESVS est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo: & nos cognouimus, & credidimus charitati, quã habet Deus in nobis. Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc pfecta est charitas nobiscũ, ut fiduciã habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor nõ est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniã pœnã timor habet. Qui aũt timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniã Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniã diligo Deũ, & fratrem suũ oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, Deũm, quem non uidet, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deũ, diligat & fratrem suum.

Nam

Nam & ipſa Sapientia ait: Lingua ſapientiũ ornat ſcientiam, os fatuorum ebullit ſtultitiam. In omni loco, oculi Domini contemplantur bonos & malos. Lingua placabilis, lignũ uitæ: quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum. Domus iuſti, plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio. Labia ſapientium diſſeminabũt ſcientiam, cor ſtultorum diſſimile erit. Victimæ impiorũ abominabiles erunt Domino, uota iuſtorũ placabilia. Qui ſequitur iuſticiam, diligitur à Domino. Item alibi: Labia iuſti conſiderãt placita, os impiorum peruerſa. Simplicitas iuſtorum dirigit eos, & ſupplantatio peruerſorum uaſtabit eos. Iuſticia rectorum liberabit eos, & in inſidijs ſuis capiẽtur iniqui. Iuſtus de anguſtia liberabitur, & tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicũ ſuum, iuſti autem liberabuntur ſcientia. In bonis iuſtorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio. Benedictione iuſtorum exaltabitur ciuitas. Nec conſiderate, qui fratres perſequi non ceſſatis, qualia Iob patientiſsimus inter cætera exorſus loquitur: Auris audiens beatificabat me, & oculus uidens teſtimonium reddebat mihi, quòd liberaſſem pauperem uociferantem, et pupillum cui non eſſet adiutor: benedictio pereuntis ſuper me ueniebat, & cor uiduæ cõfolatus ſum: iuſticia indutus ſum, & ueſtiui me, ſicut ueſtimento & diademate, iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum: & cauſam, quam neſciebã, diligentiſsimè inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebã prædam. Et paulo pòſt: Si negaui, inquit, quod uolebant, pauperibus, et oculos uiduę expectare feci: ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de utero egreſſa eſt mecũ. Nam ſi quis hæc recto omnia cõſiderauerit oculo, nequaquam fratres nocere, ſed liberare feſtinabit: quia nihil deterius eſt, quàm ciues ciuibus inuidere, & fratres fratrib. inſidiari, aut calumnias facere. Talibus enim refragari uolentes inſidijs patres ſancti, ſynodum congregauerunt generalem in Nicæa, uitam corrigere hominum cupientes in eccleſia commorantium: licet dudum inſtituta ſanctorum multa patrum eſſent cõſcripta, poſuerunt leges, quas ſacros Canones appellamus, quibus multa pernecẽſſaria ad ſtatum eccleſiæ ſanctæ Dei, & ſupplementum columnarũ eius, id eſt epiſcoporũ, qui eam proprijs humeris geſtant, ſunt decreta, & nocumenta eorũ prohibita, ita ut qui talia agere tentauerint, aut eis nocere preſumpſerint, ſiquidem clerici fuerint, à proprio gradu decidant: ſi uerò monachi aut laici fuerint, anathematizentur. Quibus armati exemplis, oportere arbitratĩ ſumus, ab omnipotenti Deo inſpirati, ut hanc accenſam diſcordiæ flammã extinguere Apoſtolica debemus authoritate, ita non concedere, eam ulterius animas depaſci humanas. Quapropter unà cum omnibus Apoſtoliçæ ſubiectis regulæ ſancimus, ne quiſquam deinceps Chriſtianorũ talia perpetrare, aut epiſcopis temerè nocere præſumat. cum & doctor gentiũ idipſum prohibeat, dicẽs: Seniorẽ ne increpaueris, ſed obſecra ut patrem: & reliqua. Bonũ eſt nanq; proculdubio, & omnibus timentibus Deũ deſiderabile, cohibere diſſenſiones & altercatiões, fratribus q́; ſubuenire: & inuicẽ non inuidere, ſed adiuuare. Audite, inquã, iam factã in Nicæna ciuitate ſynodũ, cui & ego ipſe conſcientiæ meæ cultum decenter exhibui, nihil aliud uolens q̃ concordiã omnibus fabricare, & præ cunctis arguere & remouere hanc inſidiantiũ altercationem: quas præuidentes ſancti patres inſidias & illicitas altercationes, unanimiter in prædicta Nicęna ſtatuerũt ſynodo, ut nullus epiſcopus, niſi in legitima ſynodo, & ſuo tempore Apoſtolica authoritate conuocata, ſuper quibuſdã criminationib. pulſatus audiatur, id eſt, iudicetur uel damnetur. Sin alĩ ter præſumptũ à quibuſdã fuerit, in uanum deducatur quod egerint, nec inter eccleſiaſtica ullo modo reputabitur. Ipſi uerò primæ ſedis eccleſiæ cõuocandarũ generaliũ ſynodorũ iura & iudicia epiſcoporũ, ſingulari prĩuilegio, Euangelicis & Apoſtolicis atq; canonicis conceſſa ſunt inſtitutis: quia ſemper maiores cauſæ ad ſedẽ Apoſtolicã multis authoritatibus referri præceptæ ſunt. Nec ullo modo poteſt maior à minore iudicari. Ipſa nanque omnibus maior & prælata eſt eccleſijs, quæ non ſolummodo canonũ & ſanctorum patrum decretis, ſed Domini ſaluatoris noſtri uoce ſingularem obtinuit principatũ: Tu es (inquit) Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo eccleſiã meam: & reliqua. Et quęcunq; ligaueris ſuper terram, & ſolueris, erunt ligata & ſoluta in cœlo & in terra. Porrò dudum à ſanctis Apoſtolis, ſucceſſoribusque eorum in præfatis antiquis decretũ fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta & uniuerſalis apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiã Romani pontificis concilia celebrari, nec epiſcopum damnari: quoniam ſanctam Romanam eccleſiam primatem omnium eccleſiarum eſſe uoluerunt. Et ſicut beatus Petrus apoſtolus primus fuit omnium apoſtolorum: ita & hæc eccleſia ipſius nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima & caput ſit cæterarum: & ad eam, quaſi ad matrem atque apicem, omnes maiores Eccleſiæ cauſæ, & iudicia epiſcoporum recurrant, eiusq́ue iuſta ſententia terminum.

minum ſumant: nec extra Romanum quicquam ex his debere decerni pontificē, quatenus non ita proteruè, & pro libitu cuiuſpiā, ſuo proprio arbitrio, quibuſq; metropolitanis, ſicut agere ſolebāt, liceat, inconſulto Romano pontifice, aut maiores Eccleſiæ cauſas deturbare, aut epiſcopos damnare: ſed communi ſanctæ Romanæ ſedis epiſcopi concilio, & concordi actione, quæque ſunt Chriſti zelo agenda, diſponant unanimiter, rectēq; ſentiant: & ea quæ ſenſerint, non ſibimet diſcrepando, ſed Deo placita perficiant. Eſt etiam in iam fata Nicæna cōcorditer ſtatutum ſynodo, accuſatores & accuſationes, quas ſeculi leges non admittunt, à ſacerdotali funditus auerti nocumento. Ecce (inquit propheta) quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in unum. Illi uerò non in unum habitant, qui à fratrum ſe ſolatio ſubtrahunt, aut fratribus inſidias præparant. Non alieno uos, fratres, patiamini peccato grauari: quia quod neceſſe eſt, nos dicere ueremur: id eſt, ne cuius religio diſſipatur, indignatio prouocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reuerēter aſpicite beati Petri gloriam, & cum ipſo communes omnium Apoſtolorum coronas, cunctorumq; martyrum palmas, qui pro fratrum non deſtructione, ſed confirmatione & ueritate in Chriſto paſsi ſunt. Nos ergo, qui Domini diſcipuli & dici & eſſe uolumus, portare crucem Chriſti, & compati fratribus debemus, & nō perſequi. Subtrahite (rogamus) actus cogitationesq; à talibus nocumentis, ſi non uultis ipſam in uos ſuſcipere ultionē: quoniam talionem meretur, qui fratri foueam præparat. Et nos ſcitote hunc typum deinceps non eſſe paſſuros, ut ea quæ ad hanc ſpecialiter ſanctam pertinent ſedem, ſicut iudicia epiſcoporum, & maiores eccleſiæ cauſæ, ut paulò ſuperius prælibatum eſt, uos patiamur nobis inconſultis inuadere, abſq; ueſtri ſtatus periculo. Sed ſi quis ab hodierna die & deinceps, epiſcopum ptæter huius ſanctæ ſedis ſententiam damnare, aut propria pelle re ſede præſumpſerit, ſciat, ſe irrecuperabiliter eſſe damnatum, & proprio carere perpetim honore: eosq;, qui abſq; huius ſedis ſunt eiecti ſententia, uel damnati huius ſanctę ſedis autoritate ſcitote, priſtinam recipere cōmunionem, & in proprijs reſtitui ſedibus: quoniam & prius, à tempore ſcilicet Apoſtolorum, hæc huic ſedi ſanctæ conceſſa ſunt: et poſteà in memorata Nicęna ſynodo, propter prauorum hominum infeſtationes, atq; hæreticorum perſequutiones, & inſidiantium molimina fratrum, ſunt concorditer ab omnibus corroborata, ut magis ſinguli prouideant, ne talia audeant perpetrare: & caueāt, ſi non propter Deum & amorem fratrum, tamen propter opprobrium hominum, rubo-
rem ſuum atq; canonicam ultionem, ſaltem hæc timore & uerecundia compreſſa, ſilentioq; cōprimantur, amputato ſcilicet totius uſurpationis exceſſu: quia nullus debet prę-
ſumere, quæ ſibi non uidentur eſſe conceſſa. Quam culpam nullo modo potuiſſetis incidere, ſi unde conſecrationem honoris accipitis, inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis: & beati apoſtoli Petri ſedes, quæ uobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Vnde, ſicut multum nos ea quæ à uobis piè rectēq; ſunt acta, lætificant: ita nimium ea quę ſunt perperam geſta, contriſtant. quoniam neceſſe eſt, poſt multarum talium experimenta cauſarū, hæc in poſterum ſolicitiùs proſpici, & diligētius præcaueri, quatenus ea quæ ſunt ab Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus ſtatuta, nulla delidia negligātur, nulla diſſenſione uiolentur, nulla concertatione turbentur. Nam ſicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autē alter alterius membra. Connexio totius corporis unā ſanitatem, unam pulchritudinem facit. & hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requiris, ſed præcipuè exigit cōcordiam ſacerdotum: quibus etſi dignitas communis non eſt, tamen ordo generalis eſt. quoniā & inter beatiſsimos Apoſtolos, in ſimilitudine honoris, fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret. De qua forma epiſcoporū quædam orta eſt diſtinctio, & magna ordinatione prouiſum, ne omnes ſibi omnia uindicarent: ſed eſſent in ſingulis prouincijs ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: & rurſum quidā in maioribus urbibus conſtituti, ſolicitudinem ius ſuſciperēt ampliorem, per quos ad unam beati Petri ſedem uniuerſalis eccleſiæ cura confluēret, & nihil uſquam à ſuo capite diſſideret. Qui ergo ſcit ſe quibuſdam præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe prælatum: ſed obedientiam, quam exigit, etiam ipſe dependat. Nolite itaq; errare, fratres mei dilectiſsimi. Doctrinis uarijs & extraneis nolite abduci. En inſtituta Apoſtolorum & Apoſtolicorum uirorum, canonesq; habetis: his fruimini, hic circundamini, his delectamini, his armamini: ut his freti, circundati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum iacula perſiſtere ualeatis. Satis enim indignum eſt, quenquam uel pontificum uel ordinum ſubſequentium, hanc regulam refutare, quam beati Petri ſedem & ſequi uideat, & docere. Multum enim cōuenit, ut totum corpus eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concor-

concordet, quæ inde authoritatem habet, ubi Dominus Ecclesię totius posuit principatum, dicente scriptura: Ordinate in me charitatem. Et item: Omnia cum ordine fiant. Iterumq; psalmista prædicante: Circundate Sion, & cõplectimini eam, narrate in turribus eius. Ponite corda uestra in uirtute eius, ut enarretis in progenies alteras: quoniã hic est Deus Dominus noster in æternũ, & ipse regget nos in secula. Officij enim nostri considerationem, non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ religionis zelus incumbit, ne per taciturnitatẽ aut fauere, aut consentire uideamur fratrum nocumentis. Data Calendis Octobris, Feliciano & Maximiano uiris clarissimis consulibus.

Literarũ Iulij Paulus & Athanasius præsidio muniti, redierunt ad suas ecclesias, easq; per orientem miserunt. Orientales autem ijs acceptis, Antiochiam conueniunt, & Iulio per epistolam grauissimè respondent: cuius argumentum Socrates libro secundo, capite decimoquinto: & Sozomenus libro tertio, capite octauo, recitant ad hunc modum.

Confitebantur quidem in illis literis, Romanam ecclesiam liberalem ferri erga quosuis, tanquam phrontisterion Apostolorum, & pietatis metropolim inde ab initio factã, licet Christiani dogmatis authores ex Orientẽ ad illam uenissent: eam tamen ob causam nõ debere se posteriores ferre, quòd nec amplitudine nec multitudine ecclesiæ abundarent, quum uirtute & proposito uincerent. Iulium uerò accusabant, quòd eos qui cum Athanasio erant, ad communionem admisisset: molesteq; ferebant, quòd synodum ipsorum contumelia affecisset, & sententiam illius abrogasset, quod factum quasi iniquũ & ab ecclesiastica lege dissonum arguebant. Prętetea cum ad hunc modum conquesti essent, & se grauiter lęsos affirmassent, Iulio pacem & communionem pollicebantur, si depositionem eorum qui ad ipsum uenerant, & constitutionem illorum qui in loca eorum ordinati erant, approbaret: si uerò decretis ipsorum resisteret, contraria minabantur. Affirmabant etiam, præcessores ipsorum Orientales sacerdotes nihil contradixisse, quum Nouatianus Romana ecclesia pulsus esset. De his uerò qui circa Nicæni concilij decreta acta ab ipsis fuerant, nihil ipsi rescripserunt: sed multas se causas habere significarunt, ob quas quæ illic gesta essent, necessariò recusarent. in præsenti uerò rationem de illis reddere superfluum fore duxerunt, propterea quòd suspecti essent, quasi simul in omnibus iniquè agerent.

Compilator Conciliorum, pro exemplo earum literarum, uenditat scriptum quod subijcimus: sed an id sit genuinum, penes lectorem esto iudicium.

Rescriptum Orientalium ad Iulium Papam primum.

¶ Domino beatissimo & honorabili patri Iulio, Apostolicæ sedis uenerabili episcopo, Eusebius, Theogonius, Theodorus, & Berinthus, unà cum reliquis fratribus & coepiscopis nostris in Antiochia congregatis. Licet circa omnes Romanã ecclesiam sciamus esse munificam, & Apostolicam habere curam, & semper matrem existere, quanquã ab Oriente ad eam prædicatores pietatis aduenissent: tamen optaremus uos nobiscũ concordare: et quos à cõmunione suspendimus, à uobis esse suspensos: & quos in ordine confirmamus episcoporum, à uobis esse confirmandos: nec nos secundo loco habendos, cum ex his partibus ad uos usque dogmatizantes Apostoli peruenerint. Nec enim nos uestris resultauimus, quamuis hoc agere potuissemus, quando Nouatianus à Romana pulsus est ecclesia: quoniam (ut iuxta uulgarem consuetudinẽ loquamur) inimicitias quærit omnis, qui uult recedere ab amico. Nec crimine carere potest qui alterius excõmunicatũ, absq; eius licentia, à quo communione est priuatus, in cõmunionem susceperit: canonibus scilicet iubentibus, ut excommunicatus ab alijs, ab alijs nõ suscipiatur, uĩ uentibus illis, à quib. cõmunione priuatus esse dinoscitur. Nec solum in his nobis contumeliã irrogatis: sed etiã in his, quòd cõcilia nostra dissoluitis, neq; ea rata finitis esse. Sunt nanq; à nobis, & maximè à totius Orientis episcopis, damnati, Athanasius Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyræ, Asclepius Gazæ, Lucianusq; Adrianopolites, pro certis criminib⁹, quib. aduersarij sunt apud nos inscripti: quę per præsentes huius epistolæ lãtores: omnia sub certa relatione, uestræ innotescere nõ omittimus sanctitati. Quibus agnitis, si nostris placitis magis quàm eorũ machinationib. assentire, & ordinatos episcopos in damnatorũ loco firmare eligitis, pacẽ uobiscũ & communionem habere uolumus. Si uerò aliter egeritis, & eis amplius quàm nobis assentire iudicaueritis, cõtraria celebrabimus, & uobiscũ deinceps nec congregari, nec uobis obedire, nec uobis uestris q; fauere uolum⁹: sed per nos, quicquid melius elegerimus, agere conabimur. Nam nullus est in hac parte terrarũ, ætatẽ habens, qui ignoret prædictorum molimina seductorũ. Propter eos enim multa sunt mala peracta, multa cõcilia diuersis & asperis temporib. celebrata, multæ seditiones, multæ machinationes, multa nobis oppropria illata, & alia multa, quæ enumerare perlongũ est. Nã si his consentire eligi-

eligitis, tunc liquet, quòd nos perdere uultis: & non, ut pater filios, fouere. Dicunt enim & affirmant tam ciues istorum, quàm etiam sacerdotes eorũ, hos fouere uos uelle homicidas, sacrorum templorum euersores, uirginum stupratores, sacrorum librorum incensores, sacrorumq; uasorum ac cæterorum sacrorum ministeriorum fraudatores, officiorum neglectores, Imperatorũ infidos, gentis & patriæ proditores, & inter sacerdotes maximã generantes discordiam: eo quòd consubstantialitatis uocem, quę scripta non inuenitur, in fidei doctrina posuissent. Quid plura enumerare necesse est, cum propter eos, nobis & cunctis huius regionis habitatoribus scientibus, tanta cædes hominum sit perpetrata, ut amplius quàm mille homines sint prostrati? Talibus autem fauere, quid aliud est, quàm sceleribus eorum consentire? quum sacra scriptura hæc prohibeat, dicens: Non solum qui faciunt, culpabiles existunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Talibus enim uos obsistere totis uiribus oportet, ne inuoluamini peccatis eorũ, & excommunicationem eorum ne suscipiatis. Tales enim à uobis procul abijcite, ne propter animositatem talium hominũ, infirmæ animæ & ignari populi, sacrilega dissensione dispereant. Itaq; oportet uos, improbis probè resistere. Quapropter si neglexeritis deturbare peruersos, liquet, quòd eorum protegatis errorem. Nec uerò caret scrupulo societatis occultæ, qui manifestè facinoribus desinit obuiare. Decet enim uos, ad arguendã proteruiam illorum, linguam uestram exacuere, & uelut uenenosos à uobis repellere, ne eorum ueneno uos uestriq; in aliquo sauciemini. Igitur sufficiunt nobis querimonię cõtra eos delatæ, quoniam derelinquet nos tempus, secundũ quod ait Apostolus, si uoluerimus omnium obloquentium oblatas contra eos producere querelas: maximè cum hęc nobis sufficiant, quæ superius dicta sunt. Nec nobis necesse est, iterum eorum diuulgare mala, cum ipsa per se prodeant: & maximè omnes Orientales, testes super eorum malis existant. In ore enim (iuxta quod scriptum est) duorum uel trium testium, stabit omne uerbum: quanto magis in multitudine tantorum sacerdotum & populorum, abbatũ uel monachorum, in scripto & sine scripto contra horum prauitatem nos quotidie uox acclamantium? Nos uerò diu expectauimus eos per multam patientiam, ut crearent uuas: sed illi econtrariò fecerunt labruscas. Vos ergò non oportet decæterò negligere & differre tales, ne (quod absit) memoratis criminibus eorum submittamini, irrationabiliter eos episcopos ponentes. Ipsi enim, nisi citò corrigantur, (iuxta quod beatus Apostolus protestatur) secundum duritiam eorum & cor impœnitens, thesaurizãt sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundum opera eius. Qui corrigendi sunt, ne per temporalem delectationem, & per mendacia atq; figmenta sua, uobis assensum præbentibus, æterna perdant præmia, quæ per ueram pœnitentiam consequi potuerunt. Nec hæc quæ prædicta sunt, solummodo Athanasio & sequacibus eius sic rogamus: sed etiam quòd contra regulam egerit, quam nos decreueramus, quia non decreto communis concilij episcoporum recepit sacerdotium, sed sibimet arrogando ecclesiã fuisset ingressus, & in sede resedisset: cum dudum decretum fuisset, nullum à pauciore numero restitui debere, quàm depositũ fuisse constaret. Deinde quoniam eius aduentu sit turba generata, plurimiq; seditione finis mortui: & non solũ hæc per eum & propter eum sunt peracta, sed etiã quidã à iam dicto Athanasio cæsi, iudicibus dicuntur esse contraditi. Hęc & alia innumerabilia sunt ab eo suisq; sequacib. impudẽter perpetrata: quos excõmunicatos, cõmunioni (ut audiuimus) contra regulã in contumeliã omniũ orientalium sociastis. Prędicto itaq; debitę salutationis officio propter beati Petri honorem impenso, postulamus, ut deinceps, ad uestras hinc ueniẽtes aures, nõ tam facile admittatis: neq; à nobis excõmunicatos, ultra uelitis excipere, ne canonũ transgressores inueniamini: sed magis salua fraterna charitate, erga hoc in posterum minimè patiamini. Ad has literas Iulius postea absoluta synodo Romana prolixè respondit, ut infrà dicetur.

AGRIPPINENSIS SEV COLONIENSIS.

INter synodos sub Iulio, cõpilator libri Ciliorũ etiã Agrippinensem quandã collocat, celebratã anno (iuxta Marianũ) octauo Imperij Constãtij, Christi 347. iuxta Haloandrum, post consulatũ Amantij & Albini, occasione epistolæ plebis Agrippinensiũ, cõtra episcopũ Euphratẽ, Christũ Deum negantẽ: ob quod ab ea synodo, Christi diuinitatem propugnante, ex testimonijs scripturæ, condemnatus est. Actio sequitur hoc modo.

¶ Post consulatũ Amantij & Albini, quarto Idus Maias, quum cõsedissent episcopi in Agrippinensiũ ciuitate, id est, Maximus Treuirorũ, Valentinus ab Arelato, Donatianus Cabellonorũ, Seuerinus Senonũ, Optatianus Tricassiũ, Tessis Nemetũ, Victor Vangionum, Valerianus Antissiodorensiũ, Simplicius Augustudunensiũ, Amandus Argentinensiũ, Iustinianus Rauricorũ, Eulogius Ambianorũ, Seruatius Tungrorũ, Discolius Remorũ: consentientibus et mandantibus Martino episcopo Moguntiacensiũ, Victore Me-

diomatricorum, Desiderio Lingonicæ, Panchario Visocensium, Sanctino Articlauo, Victorino Parrhisiorum, Superiore Neruiorũ, Mercurio Suessionum, Diopeto Aurelianorum, Eusebio Rotomagensium.

Quumq; recitata fuisset epistola plebis Agrippinensium, sed & omnium castrorũ Germaniæ secundæ, de nomine Euphratæ, qui Christum Deum negauit, Maximinus episcopus dixit: Quia uolũtas Dei patris & Domini nostri IESV Christi uoluit nos, iuxta postulatum fratrum, ad hoc Agrippinense oppidum cõuenire, propter perditum & blasphemum Euphratam, quẽ omnis mundus iam ore Domini cognouit esse damnatum, qui in spiritum sanctum eatenus blasphemauit, quòd Christum negat: hanc mediocritas mea sententiam fert, sicut Dei et Domini nostri saluatoris ore prolata est, dicentis: Omnia peccata & blasphemiæ remittuntur hominibus: qui autem blasphemauerit spiritũ sanctum, non remittetur ei, neq; hic, neq; in futuro, sed reus erit æterno iudicio. Ideo episcopum eum, manifestum est, esse non posse.

Valentinus episcopus dixit: Quia Euphrata Christum Deum negat, consentio eum episcopum esse non posse, qui nec laicam debet communionem accipere.

Donatianus episcopus dixit: In pace negauit Christum Deum, & ideo constat Euphratam non esse catholicum.

Seuerinus episcopus dixit: Quum constet Euphratam, subscriptionem fratrum plurimorum, in spiritum sanctum blasphemasse, negando Deum Christum: & ego consentio, eundem iuxta Euangelica præcepta iurè ab episcopatu esse deiectum.

Optatianus episcopus dixit: Et ego sentio, Euphratam in episcopatu permanere nõ posse: qui in spiritũ sanctum blasphemauit, negando Christum Deum.

Tesis episcopus dixit: Non solum epistolis omnium ecclesiarum, qui audierunt Euphratam negare Deum Christum, sed quod ego ipse auribus meis audiui, sub præsentia Martini consenioris nostri, & Metropij presbyteri, & Quentini presbyteri, & Victoris diaconi, ideo consensi illum iure esse depositum.

Victor episcopus dixit: Quoniam palàm factum est, & probatum, Euphratam immemorem sacramenti cœlestis, blasphemasse in spiritum sanctum, negãdo Christum Deum Dei filium, et multis criminibus coarguitur, quod episcopum nullo modo decet, consentio eum esse depositum.

Valerianus episcopus dixit: Etsi non omnes consentiores hic apud Agrippinam Dei uoluntate, qui sumus adunati, conuenisse-mus, sufficerat, à quinq; episcopis Euphratam blaphemũ, quia Christũ Deũ negat, pro meritis suis sententiari, eodem iure esse depositũ. Nunc aũt in præsenti maiora cognouimus, multorũ etiam clarorũ laicorum subscriptione manifestũ est, quia primordialem Dominum & Deum nostrum negat, quum per uniuersos prophetas manifestetur, illum ante mundi constitutionem fuisse cum Deo patre omnipotente: & quia omnes cecinerunt illum uenturũ, & pati pro totius mundi salute, sicut ipse cõpleuit. Quapropter Euphratas falsus doctor, qui nudum tantũ hominem asserit Christum, rectè omnium consacerdotum uoce damnatus est. Ideo consentio, ut si quis epistolas ipsius per catholicam Ecclesiam attulerit, communione priuetur: eundemq; censeo iustè esse depositum.

Simplicius episcopus dixit: Esse episcopum non posse Euphratam consentio, quia Christum Deum negat.

Amandus episcopus dixit: Siquidem in præsenti, quãdo Euphrata à quinq; episcopis sententiam accepit, me inter ipsos fateor esse consentaneum, qui epistolis meis ad eundem deponendum consensi: secundũ falsam doctrinã ipsius, qui Christũ dominũ Deum negat, meritò in ipsum sententiam collatam esse cõstat, ad cuius damnationẽ consentio.

Iustinianus episcopus dixit: Exemplo clericorum Agrippinensiũ, nec non & fratrum per singula castra constitutorum, quorum epistolæ & subscriptiones tenentur, cognouimus Euphratam esse blasphemum, qui Christum saluatorem Dominum nostrũ, Deum esse negat: quapropter & ego consentio, illum ab Ecclesia catholica esse damnatum.

Eulogius episcopus dixit: Diabolus, qui ab initio fuit, qui perijt primus, & cæteros perdidit, ipse hodie in Euphrata persistit. Nã & idem multos secum trahẽdo decepit. qui tantum meminisse debuerat, Apostolũ prædicasse, qui ait: Et si angelus descenderit de cœlo, & uobis aliter prædicauerit, quàm uobis est prædicatum, anathema sit. Quare Euphrata falsus doctor, legisq; subuersor, meritò omnium episcoporum sententia damnatus est, qui benedictum Dominum & saluatorem nostrum, authorem lucis & uitæ, IESVM Christum, Deum negare ausus est. Et ideo pusillitatis meæ consensu, ut meretur, damnatione percussus est.

Seruatius episcopus dixit: Quid fecerit, quid´ue docuerit Euphrata pseudoepiscopus, non opinione, sed ueritate cognoui, profinitimi loci cõiuncta ciuitate: cuiq; publicè & domesticè obstiti sæpè, cum ille Christum Deum negaret, audiẽte Athanasio episcopo Alexãdriæ, & presbyteris & diaconib. plurimis. & idcirco cẽseo, Christianis episcopũ eũ esse non posse, quia Deum Christũ sacrilega

uoce

uoce negauit: neque illum Christianum esse iudicandum, qui eiusdem confinitimus fuerit inuentus.

Dyscolius episcopus dixit: Qui Christum Deum negat, in ecclesia non potest permanere, dicente Domino nostro Christo: Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum corã patre meo qui est in cœlis. Et ideo Euphratam, inter cæteros fratres meos arbitror, & rectissimè censeo, esse episcopum non permitti.

Item ex epistola Diopeti episcopi Aureliano rum: Inter omnium uoces Euphratas damnationi tradatur atq; puniatur, qui Christum negat esse filium Dei, cuius falsa machinatio multis innocentibus attulit prauitatem. sed necesse est, ut ipse ueterator, qui tantum molit⁹ est scelus, cœlesti plaga feriatur.

SYNODVS ALIA IN Oriente.

TRiennio pòst, cum interea pulsus denuò Athanasius, Alexandriam literis Constantis communitus, ut Hieronymus in Chronico sub anno Domini trecentesimo quadragesimo octauo annotat, redijsset, Orientales episcopi synodum iterum (Antiochiæ, aut ubi tandem, incertum) conuocarunt, ac fidei formulam prolixam, diuersamq; à prioribus omnibus formulis composuerunt: eamq; Italiæ episcopis per Eudoxium Germaniciæ episcopum, Martyrium & Macedonium miserunt: sed quam illi, ut qui synodi Nicænæ formam sufficere dicerent, non receperunt. Socrates libro secundo, capite decimonono: Athanasius in epistola Arimini & Seleuciæ.

Fides autem illa prolixè composita hæc est. Credimus in unum Deum, patrem omnipotentem, creatorem & factorem omniũ, ex quo omnis paternitas tam in cœlis quàm in terra nominatur. Et in filium eius unigenitum IESVM Christũ, Dominum nostrum, ante omnia secula ex patre genitum, Deum ex Deo, lumen de lumine, per quem omnia facta sunt quæ in cœlis & quæ in terra, tam uisibilia quàm inuisibilia, existentẽ uerbum & sapientiam & potentiã & uitam & lumen uerũ: qui postremis temporibus homo propter nos factus, & ex sancta uirgine natus, & crucifixus, & mortuus & sepultus est: & tertia die resurrexit ex mortuis, assumptusq; in cœlũ sedet à dextris patris, uenturus in consummatione seculorum ad iudicandum uiuos & mortuos, & redditurus unicuiq; secundum facta sua, cuius regnum indesinens in secula manet infinita. Sedet enim ad dexteram patris non in hoc modò seculo, sed & in futuro. Credimus autem & in spiritũ sanctum, hoc est in paracletum, quem Apostolis pollicitus post ascensum in cœlum, ad docendum & admonendum eos de omnibus, misit: per quem etiam animæ sincerè in ipsum credentium sanctificantur. Eos uerò qui filium ex nõ existentibus, uel ex alia hypostasi, & non ex Deo esse, & tempus olim uel seculum fuisse dicunt, in quo ille nõ fuerit, pro alienis habet sancta catholica Ecclesia. Consimiliter & eos qui tres esse Deos dicunt, uel Christum nõ esse Deum ante secula, nec Christũ esse filium Dei, uel patrem & filium & spiritum sanctum, & filium increatum, uel quòd nec consilio nec uoluntate pater filium genuerit, anathemate damnat sancta catholica Ecclesia. Neq; enim certum ac firmum est, ex non existentibus esse filium, eo quòd nusquã de eo in diuinis hoc scripturis traditur: neq; eum ex alia hypostasi, quæ ptæter patrem ante ipsum fuerit, sed ex solo Deo germanè natum esse docemus. Vnum enim ingenitum & principio carentem Christi patrem, diuina doctrina tradit. Neq; cum illud, Erat aliquando cum non erat, ex agraphis periculosè dicitur, temporis cogitandum est præcessisse spacium, sed solum quòd Deus ipsum sine tempore genuerit. Tempora quippe & secula per ipsum facta sunt. Neq; uerò quispiam pater uel filius propriè simul sine principio, uel simul ingenitus dicetur: sed solùm patrem sine principio & incomprehensibilem existentem, incomprehensibiliter, & ita ut à nemine queat intelligi genuisse filium, filium uerò ante secula genitum, & non perinde atq; patrem ingenitum esse, sed principium, nempe patrem qui genuit, habere nouimus. Caput enim Christi Deus. Neq; cum tres cõfitemur tres, & tres personas, patris & filij & spiritus sancti, secundũ scripturas, tres propterea Deos cõstituimus. Etenim in se perfectum, & sine principio, & inuisibilẽ Deum unũ duntaxat nouimus, Deũ & patrẽ unigeniti, qui solus ex seipso existit, & solus reliquis omnibus ut sint abunde præstat. Neq; interea, cũ patrem Domini IESV Christi unũ Deũ ac solũ ingenitũ esse dicimus, Christum propterea Deum ante secula esse negamus: quod faciũt qui Paulũ Samosatenũ sequũtur, qui eũ tandem post incarnationẽ ex profectu quodã diuinitatẽ cõsequutũ esse dicũt, eo q; naturanu dus sit homo factus. Scimus enim eum, etiã si patri ac Deo sit subditus, nihilo tamen minus secundũ naturã ex Deo perfectũ, ac uerum Deũ esse genitũ: & non postea ex hominibus factum Deum, sed ex Deo hominem propter nos factum, nec unquã Deum esse desiuisse. Execramur autẽ præterea & anathemate damnamus eos, qui illum solũ quidem Dei uerbũ, sed nudũ ac nulla subsistentia præditũ fictè uocãtes, quod in alio essentiam habeat, & nunc tanquã enunciatiuum, nunc

nunc tanquam internum à quibusdam fit dictum: Christum uerò ipsum & Dominum, ac filium Dei & mediatorẽ & imaginem Dei ante secula nõ fuisse, sed ex eo Christũ ipsum & filiũ Dei factũ esse uolentes, ex quo carnẽ nostrã ante quadringentos annos ex uirgine accepit. Ab eo nanq; tempore Christũ regni uolunt consecutũ esse principiũ, finemq; regni sui habiturũ post cõsummationẽ & iudicium. Tales autẽ sunt sectatores Marcelli & Photini Ancyrogalatarũ, q sempiternã Christi essentiã ac diuinitatem ac pariter regni illius perpetuitatem reprobant, ut monarchiã constituere uideantur. nouimus enim eum nos nõ simpliciter enunciatiũ uel internũ Dei uerbũ, sed uiuentem Deum, & in se ipso existentem: & filium Dei & Christũ, & non præscienter patri suo coexistentẽ, & unà cũ illo ante secula commorantem, & ad uniuersum opificiũ, tam inuisibiliũ quàm uisibiliũ ministrantẽ, sed subsistẽs esse patris uerbũ ac Deũ ex Deo. Ipse enim est ad quem dixit pater: Faciamus hominẽ secũdũ imaginẽ & similitudinẽ nostrã. qui et patribus in propria persona legẽ dando uisus, & per pphetas locutus est: ac tandẽ homo factus patrẽ suũ mortalibus omnibus manifestauit, & in perpetua secula regnat. Nullã enim recentẽ dignitatẽ accepit Christus, sed perfectũ eũ inde è supernis, patriq; per omnia similẽ esse credimus. Et eos quoq; qui eundẽ dicunt esse patrẽ & filiũ & spiritũ sanctũ, una de re & persona tria nomina impiè intelligẽtes, meritò ab Ecclesia abdicemus, eo q; incomprehensibilẽ & impassibilẽ patrẽ, simul & cõprehensibilẽ & passibilẽ per incarnationẽ factũ esse putãt. Tales enim sunt, qui apud Romanos Patripassiani, apud nos uerò Sabelliani dicuntur. Nouimus quippe patrẽ, q filiũ misit, in proprio suo mansisse diuinitatis habitu, missum uerò Christũ incarnationis adimplesse dispẽsationẽ. Similiter & eos qui Christũ nec cõsilio nec uoluntate genitũ esse irreligiose dixerũt, necessariò deprehensos et cõuictos, quòd incõsultã & inuoluntariã generationẽ Deo, quasi filiũ inuitus genuerit, tribuerũt: & ob id impijssimos & alienos esse à ueritate cognouimus, quòd talia cùm præter cõmunes de Deo sententias, tũ pręter diuinę scripturę mentẽ ausi sunt determinare. Nos enim Deũ et omnipotentẽ esse, et suũ ipsius habere arbitriũ scientes, uoluntariè ac sponte sua genuisse filiũ piè sentimus. Ad hæc religiose credentes & illud de eo dictũ, Dominus creauit me initio uiarũ suarũ, ad opera sua: nõ sentimus eũ perinde factũ esse, atq; creaturas & facturas, quæ per ipsum sunt factę. Est enim impiũ, & alienũ à fide Ecclesiastica, cõditorẽ cõditis per ipsum opificijs cõferre, & eundẽ cũ illis quę aliena sunt ab ipso generationis habere modũ existimare. Solũ enim ac tantum unigenitũ filiũ germanè ac uerè genitũ esse, diuinæ nos scripturæ docent. Præterea cũ filiũ perinde atq; patrẽ in seipso esse, uiuere ac subsistere dicimus, nõ ob eã illũ causam à patre separamus, nec locos & interstitia inter illorũ cõiunctionẽ corporaliter excogitamus. Credimus enim, eos absq; ullo intermedio & spacio cõiunctos, à se inuicem separari nõ posse, ita ut totus pater filiũ ueluti pectore foueat, ac totus filius à patre pendeat, illiq; indiuulse ac cõtinuè adhæreat. Credimus igitur in perfectissimã ac sanctissimã triadẽ, & patrẽ dicentes Deũ & filiũ, nõ duos deos, sed unũ cõfitemur, secundũ diuinitatis maiestatem, & unã exactã regni coniunctionẽ: patre principatũ in uniuersum super omnia, etiã filiũ ipsum, obtinẽte: filio uerò patri subiecto, & pręter ipsum omnia à se facta gubernante, & spiritus sancti gratiã iuxta patris uoluntatem sanctis copiosè largiente. Ad hunc enim modũ monarchiæ quę in Christo est rationẽ cõsistere, sacra nobis eloquia tradiderũt. Hęc post fidem in epitome expositã fusius sumus explicare coacti, nõ ut inaniter cõtendamus, sed ut cunctã à nostra sententia alienã suspicionẽ apud eos diluamus, qui sententiã nostrã ignorant: & Occidentales omnes, simul & impudentiã sycophanticam aliter docentium, & ecclesiarũ Orientaliũ sensum diuinarum scripturarũ apud ipsos cõtortarũ, testimonio haud coacto corroboratũ cognoscãt.

ROMANA SYNODVS.

IMperantibus Constantio & Cõstante, Iulius Romanus episcopus Romæ synodũ coẽgit, solicitatus per literas rixis & odio in Athanasiũ, quẽadmodũ ipse testatur, plenas, ab Eusebianis, incitatis in Athanasiũ, & rabiosorũ instar furentibus. Quos & ipsos ad eã synodũ uocauit, eiusq; rei autores habuit, q ab Eusebianis uiri graues ac fide digni habebantur. Misit aũt omniũ Italorũ episcoporũ cõsilio Iulius ad eos cum literis presbyteros suos, Elpidiũ & Philoxenẽ, certũ illis synodi diẽ denuncians, quo aut adessent: aut si minꝰ cõpareret, se modis omnib. suspectos haberi cogitarent. At illi cũ adesse Athnanasiũ, q nõ accersitus sponte sua, cõscientiæ incolumitate fretus accesserat, cõperissent: atq; Ecclesiasticũ tantũ futurũ cõsessum, sine Comite & satellitibus præ foribus excubantibus, sineq; Cæsaris præscriptis, quibus antea episcopos rationibus uicerant: metu & horrore perculsi nõ uenerunt, turpẽ ac friuolã prætexentes excusationẽ, impediri se scilicet bello, quod contra Persas Imperator tũ susceperat.

Interea presbyter Vrtõ plures alios q̃ quinquaginta episcopos in cõciliũ adduxit. Adfuerũt et ex Oriẽte episcopi nõnulli, ex Thracia itẽ aliqui, ex Syria caua, Phœnicia, & Palę

ſtina: presbyteri itē ex Alexādria, alijq; aliun de nō pauci. Trecentos etiam ac ſedecim cō ueniſſe in ſynodū, liber Conciliorū indicat.

Primùm autem ſynodus anathemate affecit omnes cum Ario ſentientes: cōfirmatisq; Nicęnę ſynodi decretis, ſolā eam quę tum cōgregata fuit, ſynodi appellatione dignā iudicauit. Poſtea criminibus plenas Euſebij ſuorumq; ſectatorum in Athanaſium literas legit. ac falſis atq; ementitis omnibus quæ de Athanaſio finxerant deprehenſis, Athanaſiū abſoluit, et in cōmunionē recepit. Admiſit et Marcellū, cū ea quæ de ſe Euſebiani ſcripſerant, falſa eſſe probaſſet, ac ueram de fide ſententiā profeſſus eſſet. Athanaſius in epiſtola ad ſolitariā uitā agentes, & in epiſtola ad epiſcopos Africæ, & ad Epictetū epiſcopū Corinth. Epiſtolā quā ſcripſit de ſententia ſynodi Iulius ad Euſebium & alios, quia fraudes & flagitia Euſebianorū multiplicia in Athanaſiū, & cōmendationē cauſæ Athanaſij, deniq; & ſynodi geſta cōtinet, adſcribimus. Extat aūt apud Athanaſiū in Apologia ſecunda.

Iulius Diacono Flacillo, Narciſſo, Euſebio, Mari, Macedonio, Theodoro, cæteriſq; eorum qui nobis dilectiſsimis in Chriſto fratribus ex Antiochia ſcripſerunt, S A-

LVTEM.

¶ Legi epiſtolā ueſtrā, quā mihi mei preſbyteri, Elpidius & Philoxenus, attulerunt: miratusq; ſum, quū à nobis ex uera dilectione et bona cōſcientia ſcriptū eſſet, cōtentioſe à uobis, & nō ut decuit reſcriptū eſſe. Faſtus enim & arrogantia ſcribentiū in epiſtola apparebat. Atqui aliena ſunt iſta à fide in Chriſtū. decuit enim eum qui cum dilectione ad uos ſcriberet, eandē uiciſsim dilectionē, non autē contentionē referre. Quid? an non dilectionis indiciū erat, nos presbyteros miſiſſe, qui cōpaterentur patientibus, & incitarent eos qui iudiciū ſcriptis poſtulauerāt? ut prę-ſto eſſe uellent, quo primū omnia cōponerentur: & emendationē acciperēt, ne diutius aut fratres noſtri iniurias, aut uos calumnias pateremini? Nec ſcio cur uobis ita rem agere placuit, ut nos in hanc opinionē redigatis, ut arbitremur nos ſub ſpecie reuerentiæ pro ludibrio eſſe habitos: dictaq; ueſtra irridentiū fuiſſe, quum & presbyteros noſtros ad uos miſſos, quos cum gaudio remiſſos oportuit, cum luctu remiſeritis, ob ea quæ iſtic geri conſpiciebant. Ego certè cùm literas ueſtras euoluerē, poſt uarias ultro citroq; cogitationes, eas ſupprimēdas putaui, ea ſpe, quòd credere ſaltē aliquos ex ueſtris aduenturos: nec opus fore iſtiuſmodi epiſtolis, ne ſi illę in publicum promerentur, multos hic dolore afficerēt. Cæterùm ubi nullus ueſtrūm ſuperuenerat, neceſſum fuit ut eas proferrē. Credite mihi, omnes admiratione pleni uix induci poterāt, ut crederent iſtiuſmodi literas à uobis profectas eſſe, in quibus rixandi potius quàm charitatis affectus eminebat. Quod ſi ambitione eloquentiæ oſtentandæ, ita exceptæ ſunt à dictatore, id certè ſtudiū ad alios ſpectat. In rebus enim Eccleſiaſticis, non ſpecimen eloquentiæ, ſed canones Apoſtolici requirūtur: operaq; dari ſolet, ne quis expauis in Eccleſia ſcandalizetur. Expedit enim, ſecundum Eccleſiaſticum uerbum, molarē aſinariam ſuſpendi à collo, atq; ita demergi, quàm unū ex puſillis ſcandalizare. Quod ſi aliquib⁹ in alios ob puſillanimitatē offenſis (nō enim omniū talē mentē fuiſſe arbitror) iſtiuſmodi epiſtolā ſcribi placuit: primùm decuit neminē offendi, neq; ſolē occidere ſuper huiuſmodi offenſis: certè eò res deduci nō oportuit, ut offenſiones ſuas ſcriptis proderent. Quid enim actū eſt dignū offenſa? aut qua in re uobis, quib. ſcripſi, cauſam ſuccenſionis præbui? an quia adhortati uos ſumus, ut ad ſynodū occurreretis? Atqui illud potiùs cum gaudio excipi oportuit. Qui enim bene ſentiūt de ijs quę egerūt, & in quibus ipſi (ut aiunt) iudices fuēre, nō indignanter ferre ſolent, ſi quod ab ipſis iudicatū eſt, ab alijs excutiatur: quippe qui ſecuri ſint, ea quę ipſi iuſta iudicauerūt, iniuſta nunquam fieri poſſe. Quocirca epiſcopi in magna ſynodo Nicæa congregati, non ſine Dei conſilio permiſerunt, prioris ſynodi acta in alia ſynodo examinari: ut & illi qui iudices erant, præoccupatis haberent: & illi qui ſententiam accepe-rant, certò agnoſcerent, ſe non per ſimultatem priorum iudicum, ſed iure & meritò cōdemnatos eſſe. Quod ſi iſtiuſmodi conſuetudo olim fuit, eiusq; memoria renouata eſt, & ſcripto prodita in magna Synodo, eamq; apud uos ualere non finitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim, qui ſemel in Eccleſia obtinuit, & à ſynodo cōfirmatus eſt, iniquū eſt à paucis abrogari. Quin ne hoc quidē cōceſſo, quicquā ęqui haberet uſtra offenſio. Siquidē ueſtri legati, Macarius presbyter, & Heſychius diaconus, nullo modo, quū huc ueniſſent, pares presbyteris ab Athanaſio miſsis, ac ſemper ab illis conuicti, refutatiq;, concilium indici poſtularunt: literasq; & ad Euſebianos & Athanaſium Alexandriam, quibus conuocarentur, mitti, ut coram omnibus iuſto iudicio de cauſa cognoſci poſſet. tum enim ſe de Athanaſio probaturos eſſe, quod iam nequirent. Publicè enim coram nobis Martyrius & Heſychius refellebantur, Athanaſij presbyteris bona cū fiducia alacriter reſiſtentibus. Martyrius uerò cum ſuis, ſi uera dicenda ſunt, ubiq; profligabatur: ac proinde concilium generale poſtulauit. Si igitur Martyrio & Heſychio nullam ſynodum poſtulantibus adhortator

tor fuissem, ut ad synodum, qui ad me scripsissent, conuocarentur: idq; in gratiam fratrum, qui se iniuriam pati conquerebantur, etiam uel ita æqua & iusta fuisset nostra cohortatio, quum ea sit & Ecclesiastica, & Deo grata: iam ubi ijdem illi qui à uobis pro gratuibus uiris & fide dignis habiti fuêre, authores mihi fuerint, ut uos conuocarem: certè id à uobis ægrè ferri non debuit, sed potius alacriter ad citationem occurrere. Quapropter indignatio eorum qui hac citatione offenduntur, temeraria: & tergiuersatione sistendi se in iudicio, inhonesta & suspicioſa uidetur. An quispiam stomachari debet, si quæ ipse fecit, ab alijs fieri uideat? Si enim, ut scribitis, inconcussam habet autoritatem quælibet Synodus: & contumelioſe agitur cum iudice, cuius iudicium ab alijs examinatur: considerate quæso dilectissimi, qui nam sunt qui Synodũ improbant, & qui aliorũ iudicata rescindunt, ne singula excutiendo certos homines graué. Certè id quod postremò gestum, quum sit horrendum auditu, sufficit ad cætera quæ à me omittuntur, comprobanda. Ariani à beatæ memoriæ Alexandro, quondam Alexandriæ episcopo, ob impietatem ad causam dicendam citati, non solum in eo iudicio à singulis ciuitatibus reijciebantur: sed ab omnibus simul, qui ad Nicænum conciliũ coierant, anathemate feriebantur. Nihil enim erat in illorum delicto uulgare: neq; in hominem peccauerant, sed in ipsum IESVM Christum Dominum nostrum, filium Dei uiuentis. Ijdem tamen ita ab uniuerso orbe reiecti, & per omnem Ecclesiam famosissimè notati, nunc denuò in Ecclesias (quod quidem triste uestris animis arbitramur) recipi perhibentur. Qui nam igitur sunt qui synodum uituperant, & trecentorum episcoporum calculos pro nihilo habent, & impietatẽ pietati anteponunt, nisi Ariomanitæ, ab omnibus ubiq; episcopis cõdemnati & abdicati? Athanasius cõtrà & Marcellus episcopi plurimos habẽt, querbis scriptisq; suis eorũ innocentiã tuentur. Marcelli enim fides cõfessioq; Niceæ spectata est, quũ Arianis contradiceret: ibidem quoq; Athanasij synceritas in tuẽda fide spectata fuit: qui nec Tyri condemnatus est, nec Mareotæ præsens fuit, ubi cõtra eũ absentẽ in lite processum est. Scitis aũt dilectissimi, monumenta actorũ, ubi una duntaxat pars adfuerit, nullatũ uirium esse, & suspecta haberi. Nos tamen, quanquam ita actum esset, pro re certius cognoscenda, neq; uobis qui cõtra eũ, neq; illis qui pro eo literas misere, præiudiciũ facientes, cohortati sumus omnes quotquot scripserãt, ut præsentes se iudicio sisterẽt, quo omnia ad amussim, quia quamplurimi pro utroq; scribũt, in synodo examinari possent, ne uel innocens cõdemnetur: aut qui rei sunt, puri habeantur. Non igitur à nobis uilipenditur synodus, sed ab illis qui quouis modo & temerè Arianos ab omnibus condemnatos, contra sententiam eorũ qui causam iudicauerunt, recipiunt: quorũ pleriq; soluti iam à corpore, cum Christo uiuunt: alij adhuc in uita manentes, indignè ferunt, sua iudicia ita à quibusdã rescindi. Hæc ita esse, ex ijs quæ Alexandrię acta sunt deprehendimus. Nam Carpones quidam ab Alexandro ob Arianã hęresin cum quibusdã alijs eiusdem criminis reis olim citatus, huc ad nos uenit, missus à Gregorio. Idipsum quoque ex Macario presbytero, & Martyrio & Hesychio diaconis didicimus: qui, antequam iudicio se sisterent Athanasij presbyteri, autores nobis fuêre, ut scriberemus Alexandriam cuidam Pisto, quo tempore etiamdum Athanasius episcopus Alexandriæ uersabatur. Hunc autem Pistum, Athanasij presbyteri superuenientes docuerunt Arianum esse: & eo nomine, & ab Alexandro & synodo Nicæna reum factum: gradusque ordinis sui à quodam Secundo, quẽ magna synodus ut Arianum reiecerat, accepisse. Videtis igitur uel ex hac causa, qui potius in culpa habendi sunt: nos ne, qui persuaderi non potuimus, ut Ariano Pisto literas scriberemus: an illi, qui mihi consilium dedere, ut contempto magno concilio, ad impios hęreticos, ueluti ad pios homines literas daré. Certè Macarius presbyter, cum legatus ab Eusebio uenerat, ubi audiuit Athanasij presbyteros Pisto obsistere, nosq; eius prẽsentiã nõ admittere, unà cũ Martyrio & Hesychio, quamuis graui ualetudine, de nocte profectus est: ut nõ inconcinnè diuinaremus, eũ impatientia refutati Pisti fugã arripuisse. Impossibile enim est Secundi ordinationẽ, utpote Ariani, uim ullã in catholica Ecclesia habere: id enim uerè ad synodi, & ad episcoporum qui in synodo fuêre, contumeliam uergeret, si quæ illi tanto studio & cura, ueluti Deo præsente egissent, à nobis ut uana futiliaq; abrogarentur. Quod si igitur (quemadmodum scribitis) pro exemplis in Nouatum & Paulum Samosatensem editis, decreta synodorum obseruari oportet: certè minimè oportuit calculos trecentorũ episcoporum irritos haberi, aut catholicam synodum à paucis contemni. Æquè enim, ut illi Ariani, hæretici sunt: & calculi contra istos dati, paris sunt momenti cum calculis quibus illi damnati sunt. Tali igitur commissa audacia, quí nam dicendi sunt flammã discordiæ accendisse? siquidem id nobis in uestris literis obijcitis. Nos scilicet discordiã induximus, qui compatimur cum patientibus fratribus, & omnia secundũ canonẽ facimus?

cimus? an qui cõtentioſe uiolato canone tre centorum decreta præuaricantur, & per omnia ſynodũ contemptui habent? Quum non ſolum Arianos recipiant, ſed iam in uſu habeant, de loco in locum ad epiſcopatus capiẽdos tranſilire. Si igitur uerè parem eundemq; honorem in omnibus epiſcopatibus cenſetis eſſe, neq; ex magnitudine ciuitatũ (ut uos ſcribitis) honorẽ eius rei creſcere arbitramini, oportuit eum cui concredita eſt parua ciuitas, in ea quæ credita eſt permanere: & nequaquã reiecta cõcredita, ad eam quę cõcredita non eſt, tranſuolare: ne eam quæ à Deo data eſt aſpernari, illam uerò quæ hominum ambitu conceſſa eſt magnifacere uideatur. Oportuit igitur uos, dilectiſsimi, huc accedere, & nequaquam tergiuerſari, ut res ad finem deducatur: id enim ratio requirit. Sed fortaſſe dies cõſtituti temporis breuior, quàm par erat impedimento fuit: (nam huiuſmodi in literis ueſtris querimoniã facitis) atq; illud, dilectiſsimi, pro mera cauillatione putandũ eſt. Si enim aliquos in itinere dies oppreſsiſſet, arctitudo breuitasq; temporis accuſari potuiſſet. Iam quum illi qui nec ipſi uenire uoluerũt, & presbyteros ſuos uſq; ad menſem Ianuarij, ne uenirent, detinuerũt, liquidè apparet iſtam cauſificationẽ eorum hominum eſſe, qui ſibi nõ ſatis cõfidunt: ueniſſent enim, ut dixi, ſi de ſua cauſa bene ſperaſſent, non reſpectantes ad interuallũ itineris, aut temporis conſtituti ſpacium, ſed ex iure ſuo & rationibus fiduciam collegiſſent. Eſto ut tempus in cauſa fuerit, cur non uenerint: id enim quoq; in ſcriptis ueſtris ſignificatis, quum dicitis, æquum ſcilicet fuiſſe, ut reſpectu tantorum temporũ, quæ uenientibus ex Oriente neceſſaria eſſent, ueniendi citationẽ omitteremus. Si igitur, quia dies breuior fuit, iter omiſſum eſt, nequaquã oportuit ijs ipſis temporib uos præbere authores ſchiſmatis, luctus & lachrymarũ in Eccleſia. Iam qui talia agunt, oſtendũt non tempora ipſorum profectioni, ſed cõſcientiam obſtitiſſe. Admiror quoq; eam partem epiſtolæ, & neſcio quomodo hoc ſcribere potuiſtis, id uobis ægrè eſſe, quod Euſebio cum ſuis duntaxat et non itidem omnibus uobis literas ſcripſerim: citius in hac expoſtulatione moroſitatem promptiſsimã, quàm ueri quid deprehendas. Ego enim, cum nõ aliunde literas cõtra Athanaſiũ accepiſſem, quàm à Martyrio & Heſychio, neceſſariò illis reſpõdi, qui ſcripſerant cõtra Athanaſiũ. Oportuit igitur nõ ſolum Euſebianos abſq; uobis ſcribere, aut uos quibus non ſcripſi, non moleſtè ferre, ſi reſcripſerim illis qui mihi ſcripſerant: nam ſi par erat ad uos omnes literas dari, par quoq; erat & uos unà cũ illis literas mittere. Nunc autem quod cõſentaneũ erat reſpiciẽtes, illis ſcripſimus, qui nos certiores reddiderãt, et literas miſere. Quòd ſi id uos cõmouet, quod illis ſcripſerim: cõſequens eſt, ut indignemini quoq;, quod illi ſoli mihi ſoli ſcripſerint. Verùm in hoc ipſa iuſta & rationabilis cauſa eſt, dilectiſsimi, quã uobis intimandã puto. Nam tametſi ſolus ſim qui ſcripſi, nõ meam tamẽ ſolius ſententiã, ſed omniũ Italorũ, & omniũ in his regionib. epiſcoporũ ſcripſi. Ego autem omnes nolui ſcribere, ne à multis onerarẽtur: certè ad cõſtitutũ tempus conuenêre epiſcopi, & eius ſententiæ fuere quam uobis iterum ſignifico. quapropter dilectiſsimi, etiamſi ſolus ſcribo, ſcribere me tamen cõmunem omniũ ſententiã uos ſcire uolo. Hæc quidem à nobis aduerſus nõ æquas ueſtrorũ hominũ, ſed iniuſtas & ſuſpectas cauſificationes dicta ſunto. Quod autem nõ rectè, aut iniuſtè ſuſceperim in cõmunionẽ coepiſcopos noſtros, Athanaſiũ & Marcellũ, etiam ſi prius dicta ſufficiãt, breuib. tamẽ recenſere prius Euſebius cum ſuis cõtra Athanaſium, ſcripſiſtis & uos in præſentiarũ, ſcripſere etiam plurimi ex Aegypto, & ex alijs prouincijs epiſcopi pro Athanaſio. Nam quod ante omnia obſeruari oportet, literæ ueſtræ aduerſus Athanaſiũ inter ſe pugnant, & primæ cum ſecundis nullum concentũ habent: ſed in pleriſq; primæ à ſecundis deſtruũtur, & ſecundæ à primis redduntur ſuſpectæ: ex diſcrepantibus autem literis nulla certitudo conſtitui poteſt. Quod ſi ueſtris literis fidem dari poſtulatis, æquum eſt, & literis eorum qui pro eo ſcribunt, fidem non abnegare: & maximè, quod uobis à patria eius longè diſtantibus, illi qui in ijſdem locis cum Athanaſio degunt, ut de homine noto, rebuſque ibi geſtis certiores, probum teſtimoniũ de uitæ eius innocentia perhibent, affirmantes eum non niſi confictis criminibus oppreſſum. Quin & Arſenius aliquando dictus ab Athanaſio interfectus, quẽ iam cognouimus in uita eſſe, & cum Athanaſio amicitiam ſeruare, is ipſe affirmat, ea quæ acta ſunt Mareotæ, in abſentia alterius partis acta fuiſſe: neque enim ibi adfuiſſe Macarium presbyterum, qui reatum ſuſtinebat: neque epiſcopum eius Athanaſium. & hoc non ſolum ex uerbis eius, ſed ex monumentis actorum per Martyrium & Heſychium allatis cognouimus: ea enim perlegentes, inuenimus accuſatorem Iſchyram ibi præſto fuiſſe: Macarium autem & Athanaſium nequaquam adfuiſſe: neque Athanaſij presbyteros, quanquam hoc ipſum magnopere ſolicitantes, admiſſos eſſe. Oportebat autem dilectiſsimi, ſiquidem ſynceriter illud iudiciũ agebatur, non ſolum accuſatorem, ſed & reum præſentem ſiſti. Et ut Tyri Macarius aderat reus, &

& Ischyras accusator, ubi nihil criminũ dicere potuit: ita quoq; in Mareoten non solum oportuit accusatorẽ, sed & reum quoq; unà proficisci, ut uel præsens cõuinceretur: uel si uictus nõ esset, appareret eum calũnijs petitũ fuisse. Iam cum hoc factum nõ sit, sed solum ibi accusator steterit, cum ijs quos ut suspectos Athanasius reijciebat, actorũ illorum monumẽta suspicione carere non possunt. Addebat præterea in sua querela, eos qui Mareoten profecti sunt, se inuito eò profectos esse: misère enim eò (ut ipse dicebat) Theogniũ, Marium, Theodorũ, Vrsaciũ, Valentẽ & Macedoniũ, homines suspectos: neque hoc ita esse solum modo uerbis suis, sed literis quoq; Alexãdri Thessalonicensiũ episcopi demõstrabat. Protulit enim epistolã illius scriptã ad Dionysiũ, qui in ea synodo Comes erat, quibus episcopus ille liquidò declarat, Athanasiũ calumnijs, & ipsius quoq; accusatoris Ischyræ cõiurationib. opprimi. ueram manum & authenticã protulit, in qua ille testatur, Deum omnipotentẽ inuocãs, neque calicis confractionẽ, neq; mensæ subuersionem ullã fuisse: sed se subornatũ esse à certis hominibus, ut hoc crimẽ confingeret. deinde cum huc excurrissent Mareotæ presbyteri, affirmarũt, neq; Ischyram esse catholicæ Ecclesiæ presbyterũ: neq; tale quid cõmisisse Macarium, quale illi imputabat. Quinimò presbyteri & diaconi quũ huc uenissent, nõ tenuiter, sed prolixè testimonia dixêre pro Athanasio: affirmãtes nihil eorũ quæ illi obijcerẽtur, uerũ esse, eumq; cõiurationib. premi. quin & episcopi ex Aegypto & Africa in suis scriptis affirmarũt, cõstitutionẽ Athanasij in suscipiẽdo episcopatu, legitimã & ecclesiasticam fuisse, neq; cædem cõmissam, neq; quenquã per illum sublatum esse, neq; poculum ullum confractũ, sed omnia esse cõficta. Et ex ipsis iudicijs in Mareota per absentiã alterius partis habitis, ostendebat Athanasius, unum catechumenũ in examinatione sui dixisse, se intus cum Ischyra fuisse, quo tempore Macarius presbyter Athanasij eò, ut aiunt, se in eũ locũ immisisset. Alios item examinatos pro testimonio dixisse, Ischyrã in cellula parua latuisse: alios, post ostium ærotũ eodem tempore decubuisse, quo Macarius superueniebat. Ex istis rationib. Athanasij facilè colligebamus, fieri non potuisse, ut qui morbo post ostiũ decũbebat, in sacris constiterit, & oblationẽ confecerit: nec oblationẽ proponi potuisse, cum intus catechumeni uersarẽtur: quib. intus adhuc agẽtibus, tempus oblationis nondũ esse potuit. Hęc, ut iam exposui, pro se dicebat Athanasius, et rem ita esse ex actis declarabat, idem affirmãtibus cæteris qui cum eo erant, prorsus nunquam Ischyrã Ecclesię presbyterũ fuisse, aut ut presbyterũ synaxim cum alijs feciſſe. Neque enim quo tempore Alexander ex humanitate magni concilij, eos qui erant ex schismate Meletij recipiebat, hunc à Meletio tanquam suum nominatum fuisse affirmabant: quod ipsum maximũ signũ est, non fuisse illum ex numero Meletianorũ. nam si Meletianus fuisset, omnib. modis illum in eorũ classe recẽsuissent. Quin & alibi falsa dixisse Ischyrã, ex ipsis actis cõprobatũ est ab Athanasio: quippe qui in crimine de cõbustis libris falsi cõuictus sit ab ijs, quos in testes adduxerat. Quum igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam iusta pro se adferret, quid quæso nos oportuit facere? an nõ, quod Ecclesiastici canonis est? hominemq; proinde nõ condẽnaremus, sed potius reciperemus? eumq; pro episcopo, quẽadmodũ est, haberemus? Præter hæc omnia, annũ totũ & integros sex menses apud nos hæsit, uestrã præsentiã expectãs, aut quotquot cõparere auderẽt, suaq; præsentia pudefecit omnes. nõ enim iudicio stetisset, nisi sui fiduciã habuisset: neq; sponte, sed literis nostris ad iudicium uocatus cõparuisset, quẽadmodũ uos per literas citauimus: & tamen post tanta argumẽta nos, ueluti insolitum quiddã agẽtes, reprehẽditis. Qui igitur sunt, qui cõtra canones agũt? Nos ne, qui cũ tantis rerum documẽtis uirũ recipimus? an qui solum ad 36 suffragia eorum qui Antiochiæ fuêre, externũ hominẽ episcopũ salutarunt? eumq; militari manu Alexandriã deduxerunt? quod ne tunc quidẽ factũ est, quum Athanasius in Galliã relegabatur: quod tum hauddubiè factũ fuisset, si pro uerè damnato habitus fuisset. Certè quum inde ab exilio rediret, etiam tum suam ecclesiam à qua recipiebatur, uacantẽ inuenit. Prorsus ignoro quã nam ratione facta sunt, quæ facta sunt. Primùm enim (si uerum dicendum est) non decebat, quum nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, aliquos præoccupare iudicium Synodi. Deinde non decuit, nouos istos modos cõtra Ecclesiam induci. Vbi enim est istiusmodi Ecclesiasticus canon, aut istiusmodi traditio Apostolica, ut in pace agente Ecclesia, & episcopis concordibus cum episcopo Alexandrię Athanasio, immittere Gregorium peregrinũ & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitũ, neq; postulatũ à presbyteris: eumq; Antiochiæ creare episcopum, atq; inde deducere Alexandriam, non cum presbyteris aut diaconis ciuitatis, non cum episcopis Aegypti, sed cum militibus? Hæc enim dixêre & conquesti sunt, qui huc uenerunt. Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, nõ tamen oportuit creationem noui episcopi ita illegali-

ter & præter canonem Ecclesiasticũ fieri: sed in ipsa ecclesia, & ex ipso sacerdotali ordine, & ex ipso clero eius prouinciæ episcopos cõstitui, & nequaquam ex illis qui nunc Apostolorũ canones uiolant. Age si in quenquã uestrũm id commissum esset, non ne uociferaturi essetis? non ne uindictam, quasi uiolatis canonibus, postulaturi fuissetis? Dilecti credite, tanquam Deo præsente, cum ueritate loquimur, quod loquimur: Non est istud piè factũ, non ex iure, nõ ecclesiasticè. Quinimò quæ feruntur acta in introitu Gregorij, ostendunt qualis fuerit ordo in eius ordinatione. temporibus enim ita pacatis, prout renunciant qui inde ueniunt, & quemadmodum episcopi scribunt, ipsa Ecclesia incendium passa est: uirgines denudatæ, monachi cõculcati, presbyteri & multi ex populo indignè habiti & uiolati, episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati: sacra mysteria, de quibus incusabãt Macarium presbyterũ, ab ethnicis direpta, & in terram abiecta sunt, ut ui cogerent nõnullos, ad constitutionẽ Gregorij approbandã. Hæc & istiusmodi ostendũt, qui nam sint canonum præuaricatores. Nam etsi legitima fuisset eius cõstitutio, nõ tamen cum præuaricatione legum coegisset eos sibi obtemperare, qui ei legitimè obaudiebant. Et tamen cum talia scelera designata sint, scribitis magnificam pacem Alexandriæ & per Ægyptum fuisse, quasi res officium q; pacis in cõtrariam iam significationẽ abierit. Illud quoq; necessariũ existimaui, quod uobis indicaretur, Athanasiũ affirmasse, Macarium sub custodia militum habitum esse, & solum accusatorem unà cum illis qui Mareoten proficiscebantur abijsse: & presbyteris rogantibus, ut in quæstione adesse liceret, pernegatũ: & quæstionem habitã fuisse de calice & mensa in præsentia præfecti & eius cohortis, assistẽtibus tum Ethnicis, tum Iudæis. Id principiò nobis incredibile uidebatur, nisi ex ipsis actorum monumentis demonstratum fuisset. Certè nobis magnæ admirationi fuit, ut etiamnũ uobis esse puto. Atqui ne presbyteris quidem adesse permittitur in mysterijs, quum tamen ipsi quoq; sacrorum administri sint. Iam quis nõ execretur, sub externo iudice, præsentibus catechumenis & quod peius est, Ethnicis & Iudæis Christianismum blasphemantibus, quæstionem de sanguine & corpore Christi haberi? Nam si omnino delictum aliquod perpetratũ fuisset, oportebat de eo in Ecclesia inquiri, sub legitimis clericis. De Marcello autẽ, postquã de illo quoq;, ut impio in Christũ, perscripsistis, uobis studui significare, eum cum huc uenisset, affirmasse falsa esse quæ de se in literis uestris scripta essent: sed tamẽ cũ à uobis postularetur, ut de fide diceret, tanta cũ fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet, eum nihil à ueritate profiteri alienũ, sed eadẽ cum pietate qua Ecclesia de Domino ac Saluatore nostro sentire: neq; iam tantũmodo, sed etiã olim huius sententiæ se fuisse confirmabat, uti & nostri presbyteri, qui tunc in Niceno cõcilio aderãt, de ipsius recta fide cõtestabantur. Nam & eum tunc quoq; in sententijs dicẽdis dimicasse cum Ariana hæresi, testes suẽre. cuius quoq; uos admonitos uelim, ne quis talẽ hæresin approbet, sed abominetur ut alienã à sana doctrina. De uiro igitur quem reiectæ opinionis & sinceræ religionis esse, testimonijs approbatũ est, quid quæso nos facere oportuit? an ne ut eum pro episcopo haberemus, quemadmodum habemus? an potius à cõmunione repelleremus? Hæc quidẽ ego nõ tanquã eorũ causam agẽs scribo, sed ut & uobis fidẽ facerẽ, uiros istos iustos & canonicè à nobis receptos esse, & uos minimè habere causam litigandi. par autem est, ut studiũ adhibeatis, & omnibus modis elaboretis, ut quæ contra canonem acta sunt, emendationẽ accipiãt, & Ecclesiæ pacẽ habeant: ut Christi pax nobis data permaneat, & nõ scindatur Ecclesia, ne uos eam culpam ueluti schismatis authores sustineatis. Dico enim, & planè protestor, ea quę à uobis acta sunt, nõ esse pacis, sed schismatis. Nonnim solũ Athanasius & Marcellus, episcopi, cũ querimonijs de illatis iniurijs, sed & plurimi alij episcopi ex Thracia, Cœlosyria, Phœnicia, Palæstina huc cõuenêre: presbyteri itẽ nõ pauci, partim ex Alexãdria, partim aliunde huc ad conciliũ occurrerũt, & corã omnibus episcopis ibi cõgregatis, inter reliqua dicta conquesti sunt, uim & iniuriã Ecclesijs illatas esse, suas q; ecclesias eadem quæ Alexandrinam passas esse, & in alijs ecclesijs similia designata. Ex Ægypto aũt & Alexãdria quũ denuò superuenissent presbyteri, literas secum attulêre, quibus plurimorũ episcoporũ & presbyterorũ querimonia cõtinebatur, se quum huc ad cõcilium pergerent, detentos fuisse, atq; etiamnũ detineri. Et quemadmodum post Athanasij exiliũ cõtigit, episcopos homines cõfessores flagris cõlcindi, alios in carceribus haberi, præsules q; longissimi in suo episcopatu tẽporis publicis ministerijs mancipari, et ferè omnes clericos & populos Ecclesiæ catholicæ insidijs appeti, & persecutionẽ pati: quosdã itẽ episcopos & fratres finibus suis electos esse, nulla alia de causa, nisi ut inuiti cogerẽtur cõmunicare cũ Georgio & Arianis: & Ancyræ quæ in Galatia est, nõ pauca aut parua designata esse, sed prorsus eadem cũ factis Alexãdrinis. Audiuim⁹ etiã ista ab alijs, & Marcell⁹ quoq; episcop⁹ ré ita esse suo testimonio cõfirmabat. Hęc & huiusmodi crimina cõtra quosdã ex uestris (ut nomi-

na corũ omittam) hi qui huc uenerũt, detulêre, quæ ego ascribere subterfugi: & fortasse ea ex alijs, quæ nam sint, resciueritis. Et hæc potissima mihi scribẽdi causa fuit, ut huc ueniretis, quo uobis præsentibus omnia corrigi & sanari possent. ac propterea alacrius à uobis & sine recusatione occurrendum fuit, ne qui hactenus infamia istorũ scelerũ laborant, contumacia non cõparendi in iudicio, libellos cõtra se datos uideantur refellere nõ potuisse. Quũ igitur talia rumoribus famaq; circumferãtur, tantasq; iniurias Ecclesiæ patiantur, & istiusmodi iniurijs uexẽtur, uti affirmauêre qui hæc renunciabant: qui nam quæso sunt, qui flammam discordiæ accendunt? nos ne, qui ista dolemus, & patientibus fratribus compatimur: an illi, qui hæc scelera designant? Miror aũt, cum tantæ ac tales turbationes sint singulis Ecclesijs, ut non alia de causa iter susceperint, qui ad concilium uenêre: uos interim scribere, concordiam in Ecclesijs fuisse, quum istiusmodi facta non ad ædificationẽ Ecclesiæ, sed ad subuersionem fieri soleant: & qui istiusmodi rebus oblectantur, non sint pacis filij, sed perturbationis. Deus aũt noster, nõ est perturbationis, sed pacis Deus. Quapropter, quemadmodum conscius est Deus pater Domini nostri IESV Christi, hæc putaui necessaria esse quæ uobis scriberentur, tũ ut parcerẽ uestræ existimationi: tum quia optarem Ecclesias non in perturbatione esse, sed secundũ canones Apostolorum regi: & ut nunc tandẽ pudeat uos facere illos, qui ob mutuũ inter ipsos odium ita Ecclesias uexant. Audio paucos esse istorũ malorũ authores: quapropter operã date, ut habentes uiscera misericordiæ, corrigatis ea, quæ (ut dixi) contra canonem facta sunt: ut si quid uitij anteuertit, id uestro studio emendetur: & ne mihi scribatis, quòd Marcelli & Athanasij cõmunionem potius, quàm uestram præoptauerim. nam hæc non pacis, sed contentionis & odij fraterni argumenta sunt. Atq; ideo superiora scripsi, quo certiores facti, eos non iniustè receptos esse, desisteretis ab huiusmodi iurgio: qui si à uobis, hic cum cæteris congregatis, in iudicio cõuicti fuissent, neq; probas rationes pro sui defensione habuissent, rectè nobiscũ in scriptis uestris expostulassetis. Postquam autẽ, ut dixi, canonicè & non iniustè cum ijs fuerimus communionem, obsecro uos per IESVM Christum, ne sinatis discindi membra Christi, neque præoccupationibus fidem habere: sed Domini pacẽ anteponatis. non enim ius aut fas est, ob paucorum degeneres animos, eos abijci qui condemnati nõ sunt, aut spiritum Domini contristari. Quod si creditis posse quædã illis obiecta ostendi, & coràm in facie redargui: ueniãt qui uolũt, nam & se paratos esse, & probaturos dicunt, quæ denunciauerunt. Certiores igitur nos dilectissimi de ea re facite, quo & illis scribamus, & cæteris itẽ episcopis qui huc debent cõuenire, ut coram omnibus qui culpæ obnoxij sunt, cõdemnentur: & ne ulterius perturbatio in Ecclesia fiat. sufficiunt enim quę facta sunt: sufficit quoq; in præsentia episcorũ, episcopos in exiliũ actos esse. De qua re nõ est prolixior sermo habendus: ne grauari uideantur, qui tum adfuêre. Nam si uerum est dicendum, minimè decuit eò usque procedere, aut eò usq; euadere istas animorũ degeneres pusillanimitates. Esto ut sint Athanasius et Marcellus (ut scribitis) translati è suis sedibus: sed quid de alijs dicas, qui ex diuersis locis tum episcopi, tum presbyteri, quemadmodum dixi, huc uenêre? Nam & isti se denuò abreptos, et istiusmodi passos esse dixerunt. O dilecti, non iam ulterius Ecclesiæ iudicia secundum Euangeliũ, sed uel ad exiliũ, uel ad mortẽ instituuntur. Nam si, ut dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit secundũ canonẽ, & nõ isto modo iudiciũ fieri: oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod iustũ esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & non uulgares Ecclesiæ, qui ista patiebãtur: sed quã ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur & in primis de Alexãdrina ciuitate nihil nobis scribere uoluistis? an ignari estis hanc consuetudinẽ esse, ut primũ nobis scribatur, ut hinc quod iustũ est definiri posset? Quapropter si isthic huiusmodi suspicio in episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc aũt nos, quos certiores minimè fecerunt, postquã iam egerint quod libuit, suffragatores suę damnationis, cui non interfuimus, esse uolunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, non ita patres docuerunt: sed fastus iste & nouum studium est. Obsecro uos cum alacritate audite: pro publico bono ista scribo. Quæ enim accepimus à beato Petro apostolo, ea uobis significo: nõ scripturus alioqui, quæ nota apud uos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent. Episcopi abripiuntur, & suis è sedibus propelluntur: alij uerò aliundè in eorum loca reponuntur, alij uerò insidijs appetuntur, ut subditi & de abreptis doleant, & à summissis uim patiantur: ut quos optant, frustra requirant: quos nolunt, inuiti recipiant. Obsecro ne ista ulterius fiant: uel potius contra illos scribite, qui talia moliuntur, ne deinceps has iniurias Ecclesię patiantur, aut episcopus aut presbyter istiusmodi cõtumelias sentiat: aut prẽter animi sententiam, ea quæ nolint, ut nobis indicarunt, cogantur facere, ne apud ethnicos ridiculi efficiamur: aut, quod præ omnibus

grauissimũ est, Deum exacerbemus. Vnusquisq; enim nostrũm, eorũ quę hic turbauit, rationẽ reddet in die iudicij. Optoq; ut omnes secundum Deum sentiant, quo Ecclesiæ suis episcopis receptis perpetuò gaudeãt in Christo IESV Domino nostro, per quem gloria patri in secula seculorũ, Amen. Valere uos in Christo opto, desideratissimi fratres.

Narratio de hac Synodo, in libro Conciliorũ, eorũ nihil habet, quæ in ea inter Eusebianos & Athanasium gesta sunt. Tantũ indicat, confirmatam denuò in ea fuisse fidem Nicænam, & damnatum Arianismũ. Habet autem illa narratio bonam partem descriptã ex epistola Synodica concilij Nicæni, quæ apud Socratem extat lib. 1, cap. 9.

SARDICENSIS.

VNdecimo post obitũ Constãtini anno, Christi uerò, ut uidetur, trecentesimo quinquagesimoprimo, Consulibus Romæ Ruffino & Eusebio, congregata est Synodus in Sardica ciuitate Illyriæ, Dacorum gentis metropoli (Socrat. lib. 2, cap. 20: Theodoret. lib. 2, cap. 4: Sozom. lib. 3, cap. duodecimo) ea occasione, quòd nec post Romanã synodũ Eusebiani quiescerẽt, sed turbis & seditionibus omnia ubiq;, atq; in primis Alexãdriæ, multaq; scelerate & uioleter aduersus orthodoxos conarẽtur. Quod intelligens Imperator Constãs, qui imperiũ in Occidẽte tuebatur, ad fratrẽ Constantiũ Orientis regẽ scripsit. Atq; sic cõmuni duorũ Imperatorũ consilio Synodus indicitur. Athanasius ad solitariam uitã agentes, & in Apologia secunda.

Socrates scripsit, cũ Constantis literæ pro restitutione Pauli & Athanasij nihil effecissent, & cõtinuæ grassarẽtur in plebe seditiones, eos qui cum Paulo & Athanasio erãt, synodum petijsse, quò tum ipsorum, tum fidei causæ in Synodo uniuersali cognoscerẽtur. Vidisse enim se, depositiones eorũ, in fidei ue ræ ruinam & subuersionẽ esse institutas. Socrates ibidem: & Sozom. lib. 3, cap. 11. Indicat & epistola eius synodi apud Athanasiũ apologia secunda, precibus eorum qui aggrauarentur & affligerentur, ab Arianis nimirũ & Eusebianis, synodum eam ab Imperatorib. impetratam esse.

Et Athanasius in epistola ad solitariã uitã agentes, Synodũ eam ex pluribus quàm trigintaquinq; prouincijs coactã fuisse, autor est. Et in Apologia secunda, prouincias eas ex quibus plures quàm trecenti episcopi cõuenerint recensẽt, Ægyptũ scilicet, Libyam, Pentapolim, Palæstinã, Arabiam, Isauriã, Cyprum, Pamphiliã, Lyciã, Galatiã, Daciã, Mysiam, Thraciã, Dardaniã, Macedoniã, Epirũ, Thessaliam, Achaiam, Cretam, Dalmatiam, Siscium, Pãnonias, Noricũ, Italiam, Picenũ, Thusciam, Campaniam, Calabriã, Apuliam, Brutium, Siciliam, Aphricam, Sardiniã, Hispanias, Gallias, & Britannias. In eadẽ item epistola cõueniisse ait ex Oriente & Occidente in urbem Sardicam, plus minus centũ episcopos, & cum Occidentalibus uenisse Osiũ Cordubẽsem. Orientales uerò adduxisse pædagogos & aduocatos, Musonianũ Comitẽ, & Hesychiũ, & Castritium. Recitat & episcoporum, aliorumq; qui subscripsere catalogũ numerosum, trecentorum quadragintaquatuor, in Apologia secũda: ubi & testes pro se in iudiciũ adduxisse ait episcopos octoginta. Atq; ex eodẽ Socrates etiã, circiter trecentos episcopos in eam Synodũ conuenisse ex partibus Occidentalibus scripsit. Sed ex Sabino retulit, quòd & Sozomenus indicauit lib. 3, cap. 2, ex Orientalib. tantũ septuaginta sepẽ cõparuisse, cæteris causantibus aut corporis ualetudinem aduersam, aut temporis angustiam: culpã eius rei in Iuliũ Romanũ episcopum cõferentes, sed minus cõmodè. is enim anno integro & sex mensib. antè, quèadmodum ipse in epistola sua ad Eusebiũ scripsit, diem Synodo cõstituerat. Theodoret. deniq; lib. 2, cap. 7, ex antiquis prodidit narrationibus, Sardicã ad Synodũ cõuenisse episcopos ducẽtos quinquaginta. Narrat Athanasius in Apologia secũda, Eusebianos, cum eò uenissent, à tota Synodo in iudiciũ sæpissimè prouocatos: sed conscios eos flagitiorũ suorũ, accusatoribus conspectis, iudiciũ magnopere exhorruisse. Adduxisse enim secum ex Oriente Comites Musonianũ, Hesychiũ & Castritiũ, ea gratia, ut illorũ autoritate & potestate quicquid collibuisset perficerent. Postquam autem cognouissent, Synodũ haberi sine Comitibus & militari apparatu, cõscientijs suis ictos, uehementer fuisse cõsternatos, cum nõ eo quo ipsi exoptarẽt modo, sed pro ratione ueritatis iudiciũ exercẽdum animaduerterent. Dictum & à multis cum fuisse, ideo se ex Oriente ad conciliũ uenisse, quòd eõdem uenturũ Athanasium minimè arbitrati fuissent. Eo igitur conspecto, causæ suę diffisos, iudicio sese cõmittere ausos non fuisse. Verba ipsa Synodi, quibus ad iudiciũ eos prouocauit, ex Athanasio adscribimus: Veniſtis ad iudicium: cur igitur, postquam ueniſtis, uos subducitis? Atqui oportuit uos uel non uenire: uel postquã ueniſtis, laribus non quærere. Id enim ipsum uobis adfert summam condemnationem. En adest Athanasius cum suis, quos absentes culpauiſtis. Quapropter si quid habere uos putatis, conuincite eos præsentes. Quod si id à uobis fieri nequit, neq; ullam speciẽ criminis obtenditis: profectò Sycophantæ pronunciandi eſtis, neq; aliam sententiam Synodus in eos pronunciabit. Sed ea quomodo tum accepta ab illis fuerint, ac quid postea egerint, ex epistola

epistola synodi clarum erit, quam sub finem narrationis huius subijciemus. Interim locũ de eadem re ex epistola ad solitariam uitam agentes adscribimus.

Conueniunt ab Oriente & Occidente in urbem Sardicam numero plus minus centũ episcopi. Occidentales unum duntaxat Hosium secum habuere. Orientales contrà sucincti pædagogis & aduocatis Musoniano Comite, & Hesychio Castrẽsi, aduenêre: eorumq; fiducia nixi, audacter sese præsentes obtulerũt, sperãtes eorũ uiribus iterũ omnia cõfici posse. Horũ enim opera se, quibus uolebant, terribiles ostendebãt: & insidias, quibus libitum erat, innectebant. Cæterùm ubi iam re ipsa experiebãtur Ecclesiasticum morem tantũmodo obseruari, & ex singulis ecclesijs ciuitatibusque accusatores ibi præsto esse, & documenta rerumq; probationes adesse, se in promptu esse: conspicatiq; ibidẽ Arium et Asteriũ uenerabiles episcopos, unà quidẽ secum ex Oriente profectos, sed diuerso itinere ingressos, nobisq; in ueniendo comites factos: eosdemq; memorantes uafriciẽ ipsorũ, & quantopere res suas suspectas haberent, iudiciũq; metuerent, ne à nobis quidem sycophantiæ, ab accusatoribus uerò ab ipsis subornatis omnia per dolum fecisse cõcinerentur: Hæc inquam illi cõspicati, etsi alacriter aduenerant, arbitrati nos metu conterritos minimè occursuros: tamen quũ animaduerterent nostram fiduciam, intra Palatium se recluserũt, quo in loco domicilium habebant. Atq; ibi ita inter se consusurrarũt: Ad alia uenimus, & alia cõspicimus. accessimus cum Comitibus, & sine Comitibus res agitur: prorsus futurũ est ut condemnemur. Nostis qualia sint decreta, ordinationesque: Athanasio in manu sunt monumẽta omniũ Mareotæ actorum, quibus ille quidem purgatur, nos autem confundimur. Quid igitur hæsitamus? quid moramur? fingamus aliquam causificationem, & discedamus: ne si manserimus, condemnemur. Melius est de fuga erubescere, quàm conuictos de sycophantia condemnari. Si fugerimus, poterimus aliquo modo hæresin ppugnare. Quod si nos fugientes condemnauerint, habemus Cæsarem propugnatorẽ, qui nõ permissurus est, ut à populis de Ecclesijs eijciamur. Ad istum modũ ipsi inter se disceptabãt. Hosius autem, cæteriq; episcopi crebrò illis Athanasij fiduciã renunciabant, & quàm promptus ad causam dicendam esset, & quantopere iactaret se eos sycophantiæ cõuicturũ. & inter cætera dicebat: Si timetis iudicium, cur huc uenistis? oportebat autẽ huc non uenire, aut huc profectos iudicium non subterfugere. Illi cum hęc audirent, & magis magisq; perturbarentur, absurdiore quàm Antiochię caussificatione usi sunt: & sub eo prætextu, quasi Imperator ipsis triumphalia de Persis per literas scripsisset, fugam adornarũt, & sine omni pudore hãc cauillationem pro excusatione per Eustathium presbyterum Sardicensis ecclesiæ renunciarunt.

Socrates retulit, Orientales in cõspectum Occidẽtalium prodire noluisse: & negasse ad colloquium se uenturos, nisi eos qui cum Athanasio & Paulo essent, è conuentu exigerent. Sed cum id se facturos Protogenes Sardicensis episcopus, & Osius Cordubæ, principes & patroni eius Synodi (ut eos Athanasius ibidem, & Theodoretus lib. 2. cap. decimoquinto, ac Sozomenus lib. 3. cap. 12 appellant) pernegassent, confestim eos discessisse, ac Philippopoli Thraciæ ciuitate synodum separatim habuisse.

Ita igitur per metum ac pudorem Arianis dilapsis synodus scripsit, ut aut redirent, ac de suis in alios criminibus, aliorumque in ipsos uicissim, in iudicio responderent: aut scirent, se pro reis à Synodo condemnatum iri: Athanasium contrà cum suis, ut innocentes ac puros, ab omni crimine absolutum iri. Magis autem etiam his literis illi perterrefacti, redire in Synodum non sunt ausi. Fecit igitur copiam synodus Athanasio dicendi liberè causam suam, cùm de calamitatibus, tum de calumnijs quas passus esset. Qui explicatis suis rationibus, causam suam ita dixit & probauit, ut cum suis, ut innocens, & iniuriam passus, à Synodo tota pronunciaretur: adeò ut & communionem eius Synodus amplecteretur, ac de innocentia eius suorumq; literas ad cuiusq; eorũ diœcesim, maximè uerò in Ægyptum & Libyam destinaret. Postea autem eos qui de factione Ariana & Eusebiana erant, deposuit: Stephanum scilicet, Miophantum seu Menophãtum (sic enim hoc nomen legitur in apologia secunda) Acacium, Georgium qui Laodiceæ pro episcopo fuit, Vrsacium, Valentem, Theodorum, Narcissum, & Georgium qui Alexandriam missus erat: Basilium item qui in Ancyranam, & Quincianum qui in Gazensem ecclesiam inuaserat. Ac Georgium quidem ita condemnarunt, ut ne Christianum quidem, nedum episcopum appellandum esse decernerent. Athanasius in epistola ad solitariam uitam agentes: & in Apologia altera, in epistola Synodi, ubi, Decreuimus (inquit) eos non modò episcopos non esse, sed ne dignos quidem fidelium communione. Imò quia separant filium à patre, & uerbum à suo patre abalienant, æquum est eos ab Ecclesia catholica separari, & alienos indignosq; haberi Christiano nomine.

Idem in oratione prima contra Arianos, his etiam Patrophilum addit. Et in apologia

gia secunda ait, adduxisse se in iudicium octoginta testes. Ibidem, secum à Synodo absolutos scribit, Aphthoniũ, Athanasium Capitonis filium, Plautum, & Plutionem: quorum alij in exilium fuerant eiecti, alij metu mortisq; interminationibus perculsi ultrò profugerant.

Sed & literas Theogonij, in fraudem Athanasij, Marcelli, & Asclepæ, ut Imperatores scilicet in eos concitarentur, adulteratas, à Synodo lectas, narrat ibidem. Et in epistola Synodi ad Aegyptios & Africanos episcopos, ubi, Recitata sunt (inquit) scripta Marcelli, deprehensa est Eusebij uafricies. Quæ enim Marcellus per modum quæstionis tractauerat, ea tanquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata quoq; sunt in his quæstionibus, quæ intercederent & subsequerẽtur, & inuenta est bona & recta fides istius uiri. Non enim ex Maria, ut ipsi adseuerabant, uerbo Dei initium attribuit, neq; finem eius regno constituit: sed regnum eius initio ac fine carere, scriptis prodidit.

Sozomenus libro tertio, capite duodecimo, etiam Lucium quendam à Synodo restitutum narrat, ideo quòd accusatores eius fugissent. Cætera uerò, de cõdemnata profuga factione Eusebij, ac priuatis sua dignitate Athanasij accusatoribus, absolutisq; & restitutis illis qui suæ partis fuere, etiam Socrates habet libro secundo, capite uigesimo. Atque extant in Apologia secunda apud Athanasiũ & Theodoretum libro secundo, capite octauo, exemplaria literarum eius Synodi, quæ uniuersam actionũ omnium seriem & rationem continent, quas adscribimus.

Sancta Synodus per gratiam Dei Sardicæ congregata, è Roma, Hispanijs, Gallijs, Campania, &c.

¶Etiam antequam acciperemus literas uestræ religionis, non ignotum id nobis, sed prorsus compertum fuit, antesignanos infelicium Arianorũ multa & grauia, sed tamen magis in exitium suarum animarum, quàm in Ecclesiam, molitos esse. Ea enim eorum ars & uafricies fuit, semperq; huius pestiferi propositi fuere, ut omnes ubiq; orthodoxæ fidei homines, & catholicæ Ecclesiæ doctrinam à patribus traditam seruantes, exagitarent, & persequerentur, Quorum nonnullos falsis criminibus circumuenerũt, alios extra fines suos relegarunt, alios in ipsis supplicijs absumpserũt: certè fratris nostri & coepiscopi Athanasij innocẽtiam, ui & tyrannide circumuenire & opprimere conati sunt, nulla in eius iudicio neque sedulitate, neque fide, neque iusticia adhibita. Iam ergo diffisi suis fabulis et uanis rumoribus, ac coràm intuentes quàm non possent de ijs rebus iusta documenta adferre, quum essent in urbe Sardica, non ausi sunt in concilio sanctorum episcoporum apparere. Qua ex re æquitas iudicij fratris & coepiscopi nostri Iulij liquidissimè apparuit, qui non temerario consilio, sed cum matura deliberatione sentẽtiam tulit, adeò ut nihil relinquatur dubij de communione fratris nostri Athanasij, adducentis octoginta episcopos ueros testes pro se in iudiciũ: atq; eo potiore iure nitẽtis, quòd per dilectos fratres nostros, presbyteros suos, & per literas, Eusebianos non iure, sed ui grassantes sapienter eluserit. Quapropter omnes undique episcopi, uiri communionem ob eius innocentiam confirmarunt. Illud quoque uestra charitas conspiciat, post Athanasij ad sacram synodum Sardicæ congregatam aduẽtum, Orientales literis mandatisq; citatos fuisse, ut se iudicio sisterent: uerùm illos sua conscientia prædamnatos, inhonestis causificationibus tergiuersari incepisse: poscentes interim, ut innocentem quasi nocentem à nostra communione summoueremus, nihil spectantes quàm indecentia uel potius impossibilia postularent. Atque adeò commentaria actaq; Mareotæ non nisi à sceleratis & perditissimis quibusdam nouitijs, quibus ne uulgarem quidem gradum clericatus committas, per absentiam alterius partis confecta esse. Neque enim frater noster Athanasius episcopus, & Macarius presbyter, quem accusabant, præsentes adesse uoluerunt: quanquam alioqui illorum inquisitio, seu potius insidiatio, nullo non probro scaturiebat, quum nunc ethnici, nunc catechumeni interrogarentur, non ut quæ scirent dicerent, sed quæ ab illis didicerãt mentirentur. Nulla enim nostri ratio habita est, qui presbyteri sumus Athanasij, & curam eius absentiæ susceperamus, cupientes interesse quæstioni, & ueritatem ostendere, & falsa redarguere. tantũ autem abest ut nos præsentes esse uoluerint, ut etiam contumeliose eiecerint. Ex istis rebus quanquam sycophantiam esse clarissimè constaret: tamen dum euoluimus acta, deprehẽdimus ipsum sceleratum Ischyram titulo episcopi in mercedem calumniæ remuneratum, suam sycophantiã suis uerbis prodere. Ipse enim Ischyras in monumentis actorum disertè testatus est, se ea ipsa hora qua Macarius in suam cellam uenerat, ægrotum iacuisse: Eusebianis contrà scribentibus, eum tum stetisse, & oblationes fecisse, quum Macarius superueniret. Quin & illa calumnia qua postmodum usi sunt, manifesta apparuit: quum uociferarentur & miserè deplangerent, cædem Athanasium fecisse, & Arsenium Meletianum episcopum eius opera è medio sublatum. quam rem ficticio gemitu et falsis lachrymis, ut uera uideretur, deplorabant: iusseruntq; eius qui

qui uiueret, quasi qui extinctus esset, cadauer exhiberi. Sed figmenta eorum non latuerunt. notum enim erat omnibus, hominem incolumem esse, & inter uiuos recenseri. Verùm ne sic quidem, quum uidissent figmenta sua renudari, ipso Arsenio se uiuum, & minimè interfectum aut mortuum exhibente, quiescere potuerunt: sed nouas sycophãtias ueteribus accumulãtes, omnibus machinis id egere, ut hominẽ calumnijs inuoluerent. Quid igitur dilecti? ne hic quidem frater noster Athanasius animum despondit, sed magnacum fiducia eos etiam in hac causa ad iudicium prouocauit. Quod & nobis in uoto fuit: ac perinde eos citauimus, ut iudicio se sisterent: & si possent, reatum certis documentis peragerent. Sed ô magnam improbitatem, ô grauem superbiam: ac rem ita esse, nulli non clarissimè innotuit. Quocirca dilectissimi fratres, cõmonitos uos cupimus, & diligenter adhortamur, ut præ omnibus fidẽ catholicæ Ecclesiæ retineatis. Multa cruciatè & grauia & acerba perpessi estis, multas uicissim iniurias & contumelias sustinuit catholica Ecclesia: sed qui in finem sustinuerit, saluus erit. Quapropter si denuò ausint aliquid facere contra nos, tribulatio illa nobis pro gaudio esto. Nam istiusmodi passiones, pars aliqua martyrij haberi debent: & istiusmodi uestræ confessiones & tormenta non carebunt sua mercede, quum præmia à Deo recepturi sitis. Quapropter in primis decertate pro sana fide, & pro innocentia Athanasij episcopi, & in sacris comministri nostri. Nam neq; silentio suppressimus aut neglexim us ea quæ ad uestram securitatem pertinebant, sed eius rei curam præcipuam habuimus, eaq; egimus quæ dilectionis ratio postulabat. Compatimur enim fratribus nostris patientibus: & eorum passiones, nostras proprias arbitramur: & nostras lachrymas cum uestris cõmiscuimus. Neq; uos soli duntaxat passi estis: sed eadem alij cõplures cõministri nostri, quũ huc uenissent, deplorarunt. Quãobrẽ preces nostras ad religiosissimos & amantissimos Dei Imperatores retulimus, ut illorũ humanitas, eos qui adhuc grauãtur aut affliguntur, solui iubeat: constituatq;, ne quis iudiciũ, quorũ munus est publica curare, de clericis sententiã ferat, aut ulla ratione in posterũ sub prætextu ecclesiarũ quippiã contra fratres moliatur: sed ut quisque citra persecutionẽ, aut uim, aut auaritiã, prout optat & cupit, uitam instituat, & cum quiete & pace catholicã & Apostolicã fidem sequatur. Georgiũ igitur illegitimè ab hæreticis episcopũ cõstitutũ, & in nostrã ciuitatẽ ab illis deductũ, ab uniuersa sacra Synodo, ab episcopatu, tametsi reuera nunq; episcopus fuerit, depositũ esse, uestrã unanimitatẽ scire uolumus. Valete igitur, & recipite uestrũ episcopũ Athanasiũ: quem ob idipsum cum pace dimisimus. Vnde admonemus omnes, qui uel per metum, uel per dolum circumuenti, cum Georgio communicarunt, ut nec nostra admonitione resipiscentes, deinceps ab illius nefaria communione abstineant, & sese Ecclesiæ catholicæ adglutinent. Cæterum quia cognouimus & Aphthonium, & Athanasium Capitonis filium, & Plautum & Plutionem, compresbyteros nostros, eandem fraudem ab Eusebianis perpessos esse, & quosdam eorum in exilium electos, quosdam metu mortis q; interminationibus profugos esse: scire uos cupimus, etiam istos à nobis receptos esse, & ut innocentes crimine liberatos: quum non ignari sitis, omnia ab Eusebianis contra orthodoxos per fraudẽ & libidinem acta esse. Aequum ergo fuerat, ipsum Athanasium uos de istis rebus, ut suis ac proprijs, certiores facere. Sed tamen quia sacram Synodum ea potius uobis ad certius testimoniũ scribere uoluit, ideo nos quoq; nõ supersedẽdũ putauimus, sed statim significare studuimus: ut quẽadmodũ nos, ita uos quoq; hos uiros recipiatis. qui & ipsi quoq; laudẽ merentur, quòd ob pietatẽ in Christũ digni habiti sint, qui ab hæreticis cõtumeliã paterẽtur. Quæ aũt decreta sunt à sancta Synodo in Theodorũ, Narcissum, Stephanum, Acaciũ, Demophantẽ, Vrsaciũ, Valentem & Georgiũ, antesignanos Arianæ hęreseos, qui & in uos & in Ecclesiam peccauerunt, ex ijs quę subiuncta sunt cognoscetis. quæ ideo ad uos misimus, ut uestra in Deum pia religio suffragetur sentẽtijs à nobis latis: simul intelligat, Ecclesiam catholicam nequaquam dissimulanter cũ ijs agere, qui ipsam offendunt.

Epistola secunda Synodi ad Aegyptios & Aphricanos episcopos, per omnia sine ulla mutatione descripta.

¶ Sępe multum q; in seruos Dei, rectę fidei cultores, audaciã suã exercuẽrũt Ariomanitæ, dum spuriã doctrinã subijciunt, & toti in hoc sunt ut orthodoxos eijciãt: tanta autẽ ui iam contra fidẽ insurrexerũt, ut id ne pietatẽ quidẽ religiosorũ Imperatorũ latuerit. Quapropter cooperãte Dei gratia, religiosissimi principes nos ex diuersis prouincijs & ciuitatibus in unum conuocauerunt, cupientes ut sancta Synodus in Sardorũ ciuitatem conueniret, quò omnis controuersia præcideretur: & electo quicquid prauæ fidei esset, sola in Christum pietas ab omnibus retineretur. Venerunt quoque ex Oriente episcopi, ad id instigati à religiosissimis Imperatoribus, & potissimùm ob ea quæ subinde iactauerant de dilectis fratribus nostris & comministris, Athanasio episcopo Alexandrię, & Marcello Angiro Galatiæ episcopo. Forsitan & ad uos quoq;

quoq; eorum calumniæ penetrarunt, & ueſtras aures cõcutere admoliti ſunt, ut ipſorũ de innocentib. calumniã ueram putaretis, & ſub hoc prætextu flagitioſam hæreſeos opinionẽ diſsimularẽt. Atqui nõ in longũ id ijs facere licuit. Eſt enim qui Eccleſijs præſidet Deus, qui pro illis & pro nobis omnib. mortem ſubijt, & in aſcendendo omnibus nobis aſcenſum in cœlos donauit. Quũ igitur iampridẽ literas ſuas accuſatrices de Athanaſio & Marcello Aſclepa cõminiſtris noſtris, Euſebiani ad Iuliũ Romanæ Eccleſiæ epiſcopũ miſiſſent, cõtigit ut etiã alij ex alijs locis epiſcopi ad eundẽ Iuliũ literas ſuas mitterẽt, q̃bus & Athanaſij innocentiã & Euſebianorũ ſycophantiã conteſtabãtur. atq; id ita eſſe ex eo pręcipuè apparuit, q̃ accerſiti à dilecto noſtro cõminiſtro Iulio, iudicio nõ ſteterũt: ſtetiſſent enim, ſi ſui actorumq; ſuorũ in cõminiſtros noſtros fiduciã habuiſſent. Fraudem tamẽ ſuam per ea quæ in ſacratiſsima Synodo geſſere, longè manifeſti⁹ declararũt. Nam cum ad Sardorũ ciuitatẽ acceſsiſſent, conſpectis ibi Athanaſio, Marcello, Aſclepa, alijsq; nõnullis, ueriti ſunt in iudicium prodire: & quum nõ ſemel aut bis, ſed iterũ atq; iterũ citati eſſent, citationib. non ob temperauerũt: tametſi omnes epiſcopi ſimul congregati eſſent, & in primis grauiſsima ætate Hoſius, homo & ob æui longitudinẽ, & cõfeſsionẽ ſuam, & ob tantos ſuos labores omni reuerẽtia dignus. Expectauimus igitur eos, & cohortati ſumus ut in iudicium prodirẽt, & ea quę rumorib. & literis de cõminiſtris noſtris abſentib. iactitauerãt, pręſentes iuſtis rationibus cõprobarẽt. Verùm illi, quãtumcunq; citati, ꝓdire noluerũt: qua tergiuerſatione (ut diximus) ſuam ſycophantiã manifeſtiſsimã reddiderũt, & propemodũ ea ipſa recuſatiõe accipiẽdi iudicij, inſidias ſuas cõſpirationesque quaſi clamorib. confeſsi ſunt. Qui enim dictis ſuis cõfidũt, ij nõ uerẽtur ea in præſentia defendere. Poſtquam aũt iudicio nõ ſtetẽrunt, arbitramur neminẽ ignorare, etiãſi denuò malitioſe agere uelint, nihil eos habere aduerſus cõminiſtros noſtros, quod probẽt: quũ eos abſentes criminẽtur, & pręſentes refugiant. Fugerũt aũt nõ eo ſolum q̃ ſycophãtiam ſuã agnoſcerẽt, ſed q̃ pręſto uiderẽt, qui ipſos de uarijs criminib. inceſſerẽt: qui uincula & ferrũ promebãt, quę ſecũ ab exilio extulerãt. Cognati aũt eorũ qui illic adhuc uincti aſſeruantur, ibi quoq; præſentes eorũ oculis apparebant, unaq; cũ ijs amici eorũ quos ipſi trucidauerãt. Et quod maximũ eſt, aderãt epiſcopi, quorũ aliqui ferrũ & catenas ſibi ab ipſis inditas circũferebant, aliqui mortes eorũ calũnijs illatas deteſtabãtur. Eò enim furoris proceſſerãt, ut etiã epiſcopos interficere conarẽtur. & interfeciſſent, niſi eorũ manib. erepti fuiſſent. Certè cõminiſter noſter beatus Theodulus, per calumniã eorũ iuſſus interfici, fuga ſalutẽ ſibi quæſiuit: alij ictus gladiorũ oſtentabãt, alij famẽ toleratã conquerebantur. neq; harũ rerum uulgares homines, ſed integræ Eccleſiæ teſtes erant: quarũ nomine legati qui huc uenerãt, de militũm gladijs, turbarũ fuſtigationibus, iudicũ minis, adulterijs, et ſubornatis falſis literis, certa documenta adferebãt. Lectæ enim ſunt literæ, quas Theogni⁹ in fraudẽ Athanaſij, Marcelli & Aſclepæ adulterauerat, ut Imperatores in hos uiros concitaret. & hoc ita eſſe, ij qui Theognio per id temporis diaconi fuêre, cõmonſtrarũt. Vt interim omittamus uirginũ denudationes, eccleſiarũ incendia, carceres eorũ qui in ſacris miniſtri erant. Quæ ſcelera nulla alia de cauſa, q̃ ob infauſtã abominandamq; Arianorũ hæreſim cõmiſerũt. Omnia enim iſta mala coacti ſunt experiri, qui eorũ cõmunionẽ recuſabãt. His igitur cõſpectis, in arctũ cogebãtur eorũ cõſilia, quũ & facta perpuderet cõfiteri, nec diſsimuladi ſpes eſſet. Venerant illi quidẽ in Sardorũ ciuitatẽ, ut aduentu ſuo exiſtimationẽ, quaſi nõ peccaſſent, excitarẽt. Cæterùm quũ eos accuſatores ſuos futuros eſſe cõſpicerent, quos uel calũnijs uel calamitatib. afflixerãt, & in ocłis hærerent, & ſub cõſpectu eſſent rerũ quæ obijcerẽtur documẽta, noluerũt ad citationẽ in iudicio cõparere, quãuis magna fiducia & libertate à comminiſtris noſtris Athanaſio, Marcello & Aſclepa inceſſerentur, querelas ſuas ꝓponẽtibus, ac nulla nõ ratiõe prouocãtibus: quũ denũciarẽt ſe paratos eſſe nõ ſolũ calumnias eorũ refellere, ſed oſtẽdere quoq; quæ cõtra Eccleſiã publicè deliquiſſent. Ita tanto metu correpti ſunt, ut ſe fugę mandarint, et fugiẽdo calũnias ſuas patefecerint. & quanq̃ eorũ prauitas nõ modò ex ſuperioribus, ſed & iſtis quoq; innoteſceret: tamẽ de fuga ſua nouũ aliquod ſcel⁹ mutuarẽtur, decretũ fuit, ut ſecundũ ueritatis rationẽ illorum fictę fabulæ examinarẽtur. Quũ ergo in hoc ꝓpoſito eſſemus, deprehẽdim⁹ ex actis, eos meros ſycophãtas eſſe, et inſidias noſtris coepiſcopis ſtruxiſſe. Arſenius enim, quẽ necatũ aiebant ab Athanaſio, uiuit etiamnũ, & inter uiuos ſpectatur. Cæteraq; quæ fama uulgauerat, uana eſſe apparẽt. De poculo aũt à Macario presbytero Athanaſij, uti ipſi aiebant, cõfracto: illi qui Alexãdria & Mareota, locisq; cõtiguis huc uenêre, teſtantur nihil omniũ factũ eſſe: & epiſcoporũ Aegyptiorũ literis ad cõminiſtrũ noſtrũ Iuliũ abũdè confirmatũ eſt, ne ſuſpicionẽ quidem ibi eiũs rei fuiſſe. Porrò monumẽta actorũ quæ aduerſus eos ſe habere aiũt, ſatis cõſtat, altera parte inaudita, cõfecta fuiſſe: & tamen in iſtis ipſis monumen-

monumentis, ethnici & catechumeni pro testimonio interrogati fuêre: ex quib. unus dicebat, cũ ex eo quęreretur, Ischyrã ab ipsis tonties iactitatũ, ęgrotũ p id tẽporis in cellula decubuisse. ut ex eo appareat, nihil omnino mysteriorũ actũ fuisse, eo quòd catechumeni intus essent, & Ischyras nõ adesset, sed ęgrotus decũberet. Quin & ipse sceleratissimus Ischyras, q mentitus erat, Athanasiũ nescio quẽ sacrorũ librorũ cõbussisse, & de eo crimine cõuictũ esse: postmodũ cõfessus est, se per id tẽpus ęgrotasse & decubuisse, quũ Macarius superueniret: ut uel inde facile eũ colligas sycophantã esse. certe huius sycophantiæ gratia, ei, q ne presbyter quidẽ erat, titulũ episcopi indulsêre. Duo enim quondã Meletij presbyteri, postea à beato Alexandro episcopo Alexandrię recepti, ijdemq; nunc Athanasij presbyteri, testimonia deposuere, nunq Ischyrã Meletij presbyterũ fuisse, imò ne habuisse quidem Meletiũ Mareotę ullã ecclesiã, aut ministrũ in sacris. Nihilominus tamẽ eũ q presbyter nõ erat, ut episcopũ in testẽ produxerũt, ut magnificentia nominis per sycophãtiam auditores percellerent. Recitata quoq; sunt scripta collegæ nostri in sacris Marcelli, & deprehensa est Eusebij dolosa uafricies. Quæ enim Marcellus p modũ quæstionis tractaue rat, ea tanq ita esse, pfiteretur, calũniati sunt. Recitata quoq; sunt in his quęstionibus, quę intercederẽt & subsequerẽtur: & inuenta est bona et recta fides istius uiri. Nõ enim ex Maria, ut ipsi asseuerabãt, uerbo Dei initiũ attribuit, neq; finẽ eius regno cõstituit, sed regnũ eius initio & fine carere scriptis prodidit. Asclepas aũt cõminister noster in sacris, prolatis actorũ monumẽtis Antiochiæ cõfectis docuit, quũ ibi simul & accusatores & ipse Eusebius Cæsariensis adessent, iudicijs episcoporũ qui huic causæ pręsidebant, se innocentẽ pronunciatũ esse. Nõ igitur sine causa est, dilectissimi, quod sæpius citati nõ obtemperauerint, sed fugere maluerint: & cõscientia ad fugã propulsi, crimen suæ sycophantię cõfirmauerint: & causam dederint, ut quę eorũ accusatores pręsentes obijcerẽt et demonstrarent, pro ueris haberẽtur. Imò præter hæc omnia, depositos olim & eiectos ob Arianã hęresim nõ solũ receperint, sed ad maiores gradus euexerint, ex diaconis presbyteros, ex presbyteris episcopos faciẽtes, nõ in aliũ ullum, q ut impietatẽ dissemināret, latius q; diffunderẽt, & piã fidẽ corrũperẽt. Quo in negocio post Eusebiũ facile principes sunt, Theodorus ab Heraclia, Narcissus à Neroniade Cilicię, Stephan⁹ ab Antiochia, Georgius à Laodicæa, Acacius à Cæsarea Palæstines, Menophantes ex Epheso quę est Asię, Vrsaci⁹ à Syngidono Misiæ, Valens à Mursis Pannonicis. Nã & isti eos q secũ ab Oriente descendebãt, nõ pmiserũt ad sacrosanctã synodũ introire, autullo modo ad Ecclesiã Dei appellere: et in itinere Sardicẽsi certis in locis cõciliabula in morẽ synodi p se habuerũt, et fœdera cũ interminationibus cõflauerũt. Quapropter cũ Sardicã pueniissent, minimè omniũ iudicio stetere runt, aut in eundẽ locũ cũ sacra synodo cõuenire uoluerũt: sed mox ubi eò peruenissent, & p perfunctoria specie purgationis aduẽtũ suũ ostentassent, raptim inde aufugerũt. Rẽ ita actã esse, p cõministros nostros Macariũ Palæstinũ, & Asteriũ Arabẽ, q unà cũ ijs in iti nere fuerũt, et ab eorũ infidelitate recesserũt, rescisscere licuit: q quũ ad sacrã synodũ uenissent, simul & de ui quã passi essent, cõquesti sunt: & quãta prauitate in reb. agendis usi essent Eusebiani, indicarunt. Id quoq; ab illis additũ, esse illic multos rectæ fidei cultores, quos isti prohibuerũt ne huc uenirẽt: periculo minas q;, si quis ab ipsis recederet, denunciantes. Ac titulũ quispiã ab illis seorsum agere posset. Sed quia eorũ sycophãtię, uincula, cædes, uerbera, falsæ epistolę, cõtumelię, uirginũ denudationes, exterminationes, euastationes, incendia Ecclesiarũ, transultusq; à minoribus ciuitatibus ad maiores parœcias, & quod grauissimũ est, denuò p eosdẽ excitata cõtra rectã fidẽ infœliciss ima Arianorũ hæresis reticenda nõ sit: ideo nos, dilectos fratres & cõministros nostros Athanasiũ, Marcellũ, Asclepã, & cũ cæteris cõministris nostris innocẽtes & puros pronũciamus, literis ad singulas parœcias missis, ut populi cuiusq; Ecclesię cognoscãt sui episcopi synceritatẽ, eũq; p episcopo & habeant & expectent: istos aũt more luporũ in horum Ecclesias inuadentes, Georgiũ inq in Alexãdriã, Basiliũ in Ancyrã, Quintianũ in Gazã, eos neq; episcopos appellent, neq; ullã cũ eis cõmunionẽ habeãt, aut eorum literas recipiãt, aut uicissim mittant. Theodorũ aũt, Narcisũ, Achaciũ, Stephanũ, Vrsaciũ, Valentẽ, Menophantẽ, & Georgiũ, p metũ huc ab Oriẽte nõ audentẽ uenire, sed tamẽ à beato Alexãdro depositũ, tũ quia iste & cæteri illi sectatores sunt Arianicæ rabiei, tũ ob reatũ criminũ, omnes sacrosancta synodus cõmuni calculo exauctoratos omnino ab officio episcopatus summouet. Decreuimusq;, eos non modò episcopos nõ esse, sed ne dignos quidẽ fideliũ cõmuniõe. Imò quia separãt filiũ à patre, & uerbũ à suo patre abalienãt: æquũ esse, eos ab Ecclesia catholica seperari, & alienos indignosq; haberi Christiano nomine. Sint uobis igitur anathemata, eo quòd uerbũ ueritatis adulterauerunt. Præceptum siquidem Apostolicũ est: Si quis euangelizauerit uobis præter id quod accepistis, anathema esto: cum his ne quis cõmunionẽ habeat, pręcipite. Nihil cõmune luci cũ tenebris. hos procul à uobis arcete, quũ nulla sit

concordia Christo cum Belial. Cauete interim dilecti, ne uel scribatis ad eos, uel eorum scripta recipiatis. Quin & uos quoq; studete fratres & cõministri nostri in sacris obeũdis, ut spiritu præsentes in nostra synodo, idem suffragium cõferatis per uestras subscriptiones, quo ab omnib. ubiq; sacrorũ mĩnistris cõcordia seruetur. Diuina prouidentia sanctos & lætos uos cõseruet, dilecti fratres. Osius episcopus subscripsit: quod & cæteri fecêre.

Theodoretus lib. 2. cap. 8. explicationẽ accuratã articuli de filio Dei à Synodo adiectã narrat, quam sub ea epistola cõplexus simul est hoc modo: Abdicamus, eijcimusq; Ecclesia eos, qui affirmãt, Deũ esse quidẽ Christum, sed nõ Deũ uerũ: filiũ, sed nõ uerè filiũ: genitũ esse, simulq; ingenitũ. Ita se intelligere genitũ fatentur, sic ut dixerint, quod sit genitum, illud esse. Christo etiã qui ante secula est, tribuũt finẽ & initiũ, quod nõ quidẽ momẽto temporis, sed ante omnia tempora habeat. Et paulo quidẽ antè aspis Ariana uiperas edidit duas, Valentem & Vrsaciũ: qui gloriãtur, absq; omni dubio profitẽtes Christianos sese esse, dicuntq; quod & uerbũ & spiritus, & crucẽ, & cædẽ, & mortẽ tulerit, & resurrexerit: & quod cõtendit cœtus hęreticorum, diuersas esse substantias patris & filij & sancti spiritus, easq; esse separatas. Nos uerò accepimus, doctiq; sumus, & hanc tenemus catholicã traditionẽ, fidemq; ac cõfessionẽ, unam esse substantiam (quã hęretici essentiã uocant) patris & filij & sancti spiritus. Et si quęrãt quę sit filij substãtia, cõfitebimur eandem quã & patris esse cõfiteamur. Neq; unquã fuisse absq; filio patrẽ, neq; filiũ absq; patre: neq; posse fieri ut quod uerbũ est, spiritꝰ sit. Est enim absurdissimũ affirmare, fuisse unquã patrẽ absq; filio. Neque posse nominari, neq; esse, testatur ipse filius his uerbis: Ego in patre, & pater in me. Et, Ego ac pater unũ sumus. Nemo negat nostrũm, esse genitum: sed genitũ asserimus ante omnia quæ uisibilia & inuisibilia uocant, factorẽ & opificẽ archangelorũ & angelorũ, & mundi & humani generis. quoniã ita dicit: Sapientia omniũ docuit me, & omnia per ipsum facta sunt. Si enim initiũ haberet, fieri nõ posset ut semper esset. Iam quod semper est uerbũ, initiũ non habet. Deus aũt finẽ nulla ratione admittit. Non dicimus patrẽ esse filiũ, neq; rursum filium patrẽ esse: sed pater est pater, & filius patris filius. Confitemur filiũ esse potentiã patris: cõfitemur uerbum esse Dei patris, prẽter quod nullũ sit. Verbũ uerũ Deum, sapiẽtiam & potentiã docemus esse filium. Sed nõ ideo filium dicimus, ut reliqui appellantur filij, cum illi aut per hunc propter regenerationẽ dij sint, aut per adoptionẽ filij uocentur: non ob unam substantiam, quæ est patris atq; filij. Confitemur unigenitum & primogenitum, sed uerbum unigenitum, quod semper sit ac fuerit in patre, primogenitũ autem ad hominem referimus. Differt autẽ à reliqua creatione, quia etiã ex mortuis primogenitus. Confitemur unam patris & filij diuinitatem. Neq; quisquam dicit maiorẽ esse patrem filio, propter diuersitatem substantiæ, aut discrimen: sed quoniã paternum nomen maius est filij nomine. Illa autem istorũ maledica & perdita interpretatio dixisse eũ contendit, Ego & pater unũ sumus, propter consensum & cõcordiam inter ipsos. Condemnamus autem omnes nos catholici stultã & miserabilem sentẽtiam illorum qui dicũt, ut homines mortales mutuis odijs & offensionibus dissideãt, & postea reconcilientur, ita dissidiũ & reditũ in gratiã inter patrẽ omnipotentẽ & filiũ accidere posse. Quod est absurdissimũ dictu & cogitatu. Nos uerò & credimus & asseueramus, & ita sentimus, sacrã hanc uocẽ, Ego & pater unũ sumus, significare substantiæ unitatem, quę sit unà patris & unà filij. Et hoc credimus, absq; fine & absq; initio regnare hũc cum patre, neq; tempore definiri, neq; deficere regnũ ipsius. Nã quod est semper, neq; esse unquã cœpit, neq; desinere esse poterit, Credimus autẽ, & assumimus paracletũ sanctũ spiritũ, promissum collatũq; nobis à Domino ipso. Et hũc missum credimus. Idẽ excruciatus nõ fuit: sed homo est excruciatus, indutus acceptusq; à Maria uirgine, homo inquã cruciatibus obnoxius. Homo enim mortalis, Deus aũt immortalis est. Credimus resurrexisse tertia die, nõ Deũ in homine, sed hominẽ in Deo: quẽ & donobtulit patri suo, liberatũ à peccato et interitu. Credimus opportuno & prędefinito tẽpore omnes ipsum, & de omnib. iudicaturũ. Tanta est aũt demẽtia istorũ, tamq; crassa caligine animi excęcati sunt, ne lucẽ aspicere possint ueritatis, ut nõ intelligãt, quæ sentẽtia sit huius dicti, Vt & ipsi in nobis unũ sint. Cum sit manifestũ, cur unũ: quia Apostoli Spiritũ sanctũ acceperãt, & tũ ipsi spiritus nõ erãt: neq; quisquã eorũ illa sapientia, illa potentia, ille unigenitus fuit. Sicut ego & tu, inquit, unũ sumus, ita & ipsi in nobis unũ sint. Quinetiã clarè distinxit uox diuina, In nobis (inquit) unũ sint: nõ dixit, sicut nos unũ sumus, ego pater: sed discipuli inter ipsos coniunctã & uniti unũ sunt, fide, cõfessione, gratia, qui & pietate Dei patris & Domini ac saluatoris nostri benignitate ac amore unum esse possint.

De eadem expositione hæc etiã Sozomenus retulit lib. tertio, cap. duodecimo: Expo fuerunt & ipsi tum temporis scripturã fidei, & aliã quidem & fusiorẽ, quàm quæ Nicææ composita fuerat: eundem tamen sensum seruantẽ, & nõ multũ à uerbis illius dissidentẽ.

Osius

Osius etiã & Protogenes Occidẽtalib. præsidẽtes, ueriti ne quibusdã Niceni cõcilij decreta alterare uiderẽtur, Iulio scripserũt, affirmãtq; habere se illa firma & authẽtica: uerùm ꝓpter declarandi necessitatẽ, eandẽ se illorũ sententiã fusiꝰ exposuisse, ne Arianis breuitate scripturæ abutẽtibꝰ, dictionis illiꝰ imperitos in absurdã sententiã pertrahere cõcederetur.

Recitat integrã formã accõmodatã ad symbolũ Nicænũ Hilarius, in lib. de synodis aduersus Arianos, hoc modo: Sancta synodꝰ in Sardica cõgregata ex diuersis prouincijs Orientaliũ partiũ, Thebaide, Ægypto, Palęstina, Arabia, Phœnice, Syria cœle, Mesopotamia, Cilicia, Cappadocia, Ponto, Paphlagonia, Galatia, Bithynia, Hellesponto, Asia, Phrygijs duab. Pisidia, Cycladũ insularũ, Pamphylia, Caria, Lydia, Europe, Thracia, Eminoto, Massilia cũ Mysia, Pannonijs duabꝰ, hãc exposui mus fidẽ. Credimus in unũ Deũ patrẽ omnipotẽtẽ, creatorẽ et factorẽ uniuersorũ, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Credimus & in unigenitũ eius filiũ, Dominũ nostrũ Iesum Christũ, q ante omnia secula ex patre genitus est, Deũ ex Deo, lumẽ ex lumine: ꝑ quẽ facta sunt omnia, & quæ in cœlis & quę in terra, uisibilia & inuisibilia: q est uerbũ, et sapiẽtia, et uirtus, et uita, et lumẽ uerũ: & qui in nouissimis diebus ꝓpter nos incarnatus est, et natus ex sancta uirgine, qui crucifixus et mortuus est, et sepultus: et resurrexit ex mortuis tertia die, & receptus est in cœlo, & sedet in dextera patris, uenturus iudicare uiuos et mortuos, et reddere unicuiq; secũdũ opera eius. cuius regnũ sine cessatione pmanet in immensa secula: sedet enim in dextera patris, nõ solũ in hoc seculo, sed etiã in futuro. Credimus & in spiritũ sanctũ, hoc est, paracletũ: quẽ ꝓmittẽs apostolis post reditũ in cœlos, misit docere eos, ac memorari omnia: ꝑ quẽ & sanctificãtur, sinceriter in eũ credẽtiũ animę. Eos aũt q credũt, de non extãtib. esse filiũ Dei, uel ex alia substãtia, & nõ ex Deo, & quòd erat aliquãdo tẽpus aut seculũ quãdo nõ erat, alienos nouit sancta & catholica Ecclesia. Similiter & eos q dicũt tres esse deos, uel Christum non esse Deum, & ante secula neq; Christũ neq; filiũ eum esse Dei, uel eum ipsum esse patrẽ & filiũ et spiritũ sanctum, uel innascibilem filiũ, uel quòd neq; uoluntate pater genuerit filium, anathematizat sancta & catholica Ecclesia.

Subijcit & explicationẽ & declarationẽ eius formulæ, cũ cõmẽdatione: Breuibus, inquit, expositio fidei huiꝰ, sed absolutissimis ꝓbatã, sed manẽtẽ dedit. Ac ne hæc origo eiꝰ, ex qua natꝰ est manẽs, alia potiꝰ q Dei intelligetur esse substãtia: etiã eos blasphemos ꝓnũciat, qui ex alia aliqua substãtia, & nõ ex Deo filiũ natũ esse loquerentur. atq; ita cũ non ex nihilo subsistit, neq; aliunde q̃ ex Deo quod est extitit, nõ potest ambigi in his natus esse quæ Dei sunt: quia neq; de nõ extãtibꝰ, neq; alia q̃ de innascibili patris & æterna substantia, unigenita filij generatur essentia. Respuit uerò & interualla temporũ ac seculorũ, ut q̃ per naturã nõ differt, nõ possit separabilis esse per tẽpus. Ex omni aũt parte, qua se circũ agere solicitudo potuit, hæreticorũ ingenijs aditus obstruitur, ne qd esse diuersitatis prędicetur in filio. Anathematizat nanq; eos qui tres deos dicũt: quia secũdũ naturæ ueritatẽ, numerũ nuncupationũ substãtia ista nõ recipit, nisi ut hominib. atq; angelis solet, cũ nomẽ tribuitur ex honore meritorũ: naturæ tamẽ inter eos & Deũ differens est substãtia, & idcirco dij plures sunt. Cæterũ in natura Dei Deus unus est, ita tamẽ, ut & filius Deus sit, quia in eo natura nõ differens sit: & cum Deus ex Deo sit, non potest nõ uterq; Deus esse, quorũ ꝑ generis indifferentiã nõ discernatur essentia. Numerus aũt nominis in nuncupatione respuitur, quia non est in naturæ qualitate diuersitas. Cũ igitur anathema sit duos deos dicens, anathema sit filiũ Deũ denegans: absolutè ostenditur, unius ad utrunque nominis unitatẽ de proprietate indifferentis esse substantiæ, cũ in cõfessione innascibilis Dei patris, & unigeniti Dei filij, neutro à se dissimilitudine essentiæ differente dicitur, ut uterq; cũ Deus sit, Deus tamẽ unius & credendus sit, & prędicãdus. Solicita itaq; multũ diligentiq; cautela episcoporũ fides munit naturę genitę & gignẽtis indifferẽtiã, nominis unionẽ cõfirmãs. Tamẽ ne rursum uniꝰ Dei prædicatio, unicã ac sine ꝓgenie sua solitarij Dei uelit affirmare substantiã, statim etiã hãc condẽnat temeritatẽ: quę quia Deus unus est, unũ ac solitariũ Deũ patrẽ, habentẽ in se nomẽ patris & filij cõfitetur, cũ in genẽrãte patre & nascẽte filio Deus unus esset ob indifferentẽ ab inuicẽ naturę substãtiã prædicandus. Innascibilẽ quoq; filiũ sanctorũ fides nescit, quia natura filij nisi ex natiuitate non extat. Natiuitatis autem in eo à Deo perfecta natura est, ut qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio eius ac uoluntate nascatur. Ex uoluntate enim atq; cõsilio, non ex corporalis passione naturæ essentiæ Dei, de essentia Dei, absoluta perfectio est.

¶ Canones postremò eiusdem concilij uiginti unum in tomo primo Conciliorũ numerantur, ac recẽsentur: sed qui à Græcis, ut extãt, numero, ordine, & autoribus uariant.

Canon primus. Osius episcopus dixit: Nõ minus mala cõsuetudo, quã ꝓnicios corruptela, funditus eradicãda est: ne cui liceat episcopo de sua ciuitate ad aliam ciuitatem

transire. Manifesta est enim causa, qua hoc facere tentant: cum nullus in hac re inuentus sit episcopus, qui de maiore ciuitate ad minorem transiret. Vnde apparet, auaritiæ eos ardore inflammari, & ambitioni seruire, & ut dominationem exerceant. Si ergo omnibus placet, huiusmodi pernicies austerius uindicetur: nec laicâ cõmunionẽ habeat, qui talis est. Vniuersi dixerunt: Placet. Osius episcopus dixit: Etiamsi talis aliquis extiterit temerarius, ut forsitâ excusationẽ afferat, quòd populi literas acceperit, cũ manifestũ sit, præmio & mercede paucos qui fidem sincerâ nõ habẽt, potuisse corrumpi, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere uiderentur episcopũ, omnino has fraudes damnãdas esse arbitror, ita ut nec laicâ cõmunionem in fine accipiat talis. Quod si uobis omnib. placet, statuite. Vniuersi dixerunt: Placet.

Secundus. Osius episcopus dixit: Illud quoq; statutũ sit, ut episcopus de sua prouincia ad aliam prouinciã, in qua sunt episcopi, non transeat, nisi fortè à fratribus inuitatus, ne uideamur ianuam charitatis claudere.

Tertius. Osius episcopus dixit: Prouidendum est etiam, ut si in aliqua prouincia fortè aliquis episcopus contra fratrẽ suum episcopum litẽ habuerit, ne unus è duobus, ex alia prouincia aduocet episcopos ad iudicium.

Quartus. Osius episcopus dixit: Quod si aliquis episcopus adiudicat⁹ fuerit in aliqua causa, & putat se bonâ causam habere, ut iterum iudicium renouetur, si uobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur uel ab his qui examinauerunt, uel etiã ab alijs episcopis, qui in propinquo morantur, Romano episcopo. Et si iudicauerit renouandũ esse iudiciũ, renouetur, & det iudices. Si aũt probauerit talẽ causam, ut ea nõ refricẽtur quę acta sunt, quę decreuit Romanus episcop⁹, cõfirmata erũt. Si ergo omnib. placet, statuatur. Synodus respondit: Placet.

Quintus. Gaudẽtius episcopus dixit: Addendum est, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulistis, ut quũ aliquis episcopus depositus fuerit eorũ episcoporũ iudicio, qui in uicinis cõmorantur locis, & proclamauerit agẽdum sibi negociũ in urbe Roma, alter episcopus in eadẽ cathedra (post appellationẽ eius q uidetur esse depositus) omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Romani episcopi determinata.

Sextus. Osius episcopus dixit: Si cõtigerit in una prouincia, in qua fuerint plurimi episcopi, unũ fortè remanere episcopũ, ille uerò per negligentiã noluerit ordinare episcopũ, & populi cõuenerint: episcopi uicinę prouinciæ debẽt illius cõuenire episcopũ, qui in eadem prouincia moratur, & ostendere, q populi petant sibi rectorẽ: & hoc iustũ esse, ut & ipse ueniat, & cum eo ordinent episcopum. Quod si cõuentus literis tacuerit & dilsimulauerit, nihilq; responderit, tunc satisfaciendum esse populis, ut ueniant ex uicinis prouincijs, & ordinent episcopum.

Septimus. Osius episcopus dixit: Placuit aũt, ut si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint cõgregati episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eũ deiecerint, si appellauerit q deiectus est, & cõfugerit ad episcopũ Romanę ecclesię, & uoluerit se audiri, si iustũ putauerit ut renouetur iudiciũ, uel discussionis examẽ, scribere his episcopis dignetur, qui in finitima & ppinqua puincia sunt, ut ipsi diligẽter omnia requirãt, et iuxta fidẽ ueritatis definiãt. Quod si is qui rogat causam suã iterũ audiri, deprecatiõe sua mouerit episcopũ Romanũ, ut è latere suo presbyteros mittat, erit in potestate ipsius episcopi quid uelit, & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse q̃ presentes cũ episcopis iudicẽt, habentes eã authoritatẽ à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si uerò crediderit episcopos cõprouinciales sufficere ut negocio terminũ imponãt, faciet quod sapiẽtis. cõsilio suo iudicauerit.

Octau⁹. Osius episcop⁹ dixit: Importunitates & nimia frequentia, & iniustę petitiones fecerũt, nos nõ tantâ habere uel gratiã, uel ducliã, dũ quidã nõ cessãt ad comitatũ ire episcopi, & maximè Aphri, qui (sicuti cognouimus) sanctissimi fratris & coepiscopi nostri Grati salutaria cõsilia spernũt atq; contẽnũt, ut nõ solũ ad comitatũ multas & diuersas Ecclesię nõ, pfuturas pferãt causas, ut fieri solet, aut oportet, ut aut pauperib⁹, aut uiduis aut pupillis subueniatur: sed & dignitates secularis, & administratiões quibusdã postulãt. Hęc itaq; prauitas olim nõ solũ murmurationes, sed & scãdala excitat. Honestũ est aũt, ut episcopi intercessionẽ his pręstẽt, qui aliquã ui opprimũtur, aut si uidua affligatur, aut pupillus expolietur: si tñ ist̃hæc nomina iustã habeãt causam, aut petitionẽ. Si uobis ergo, fratres charissimi, placet, decernite, ne episcopi ad comitatũ accedant: nisi fortè hi, qui religiosi Imperatoris literis uel inuitati, uel uocati fuerint. Sed quoniã sępe contingit, ut ad misericordiã Ecclesię cõfugiant, q iniuriã patiũtur, aut q peccãtes in exiliũ uel insulas dãnãtur, aut certè quãcunq; sentẽtiã suscipiũt: subueniẽdũ est his, & sine dubitatiõe petẽda indulgẽtia. Hoc ergo decernite, si uobis placet. Vniuersi dixerunt: Placet, & cõstituatur.

Nonus. Osius episcopus dixit: Hoc quoq; prouidentia uestra tractare debet, quia decreuistis, ne episcoporũ improbitas nitatur, ut ad comitatũ pergant. Quicunq; ergo (quales superius memorauimus) preces habuerint uel acceperint, per diaconũ suũ mittant: quia psona ministri inuidiosa nõ est, & quæ impe-

impetrauerit, celerius poterit referre. Et hoc cõsequens esse uidetur, ut de qualibet ꝓuincia episcopi ad eum fratrẽ & coepiscopũ nostrũ preces mittãt, q in metropoli cõsistit, ut ille et diaconũ eius, et supplicatiões destinet: tribuens commẽdaticias literas pari ratione ad fratres & coepiscopos nostros, qui in illo tẽpore in his regionib. & urbib. morantur, in quib. Felix & beatꝰ Augustꝰ rempub. gubernat. Si uerò habeat quis episcopus amicos in palatio, q cupit aliquid (quod tamẽ honestũ est) impetrare, nõ ꝓhibetur per diaconũ suũ rogare, ac significare his quos scit benignam intercessionem sibi absenti posse præstare.

Decimus. Si uerò Romã uenerint, sicut dictum est, sanctissimo fratri & coepiscopo nostro Romanæ ecclesiæ preces, quas habent, tradãt, ut et ipse prius examinet, si honestę et iustę sunt: & præstet diligẽtiã atq; solicitudinẽ, ut ad comitatũ perferãtur. Vniuersi dixerũt, placere sibi, & honestũ esse cõsiliũ. Alyppius episcopus dixit: Si ꝓpter pupillos & uiduas, uel laborãtes, qui causas nõ iniquas habent, susceperint peregrinatiõis incõmoda, habebunt aliquid iustæ rationis: nunc uerò cum ea postulent præcipuè, quę sine inuidia hominũ & sine reprehensione esse non possunt, non necesse est eos ire ad comitatum.

Vndecimꝰ. Gaudẽtius episcopus dixit: Ea quę salubriter præmonuistis, cõuenientia & æstimatiõe omniũ, & Deo placitura & hominibus, tenere hãc firmitatẽ possunt, si metus huic sententię cõiungatur. Scimꝰ enim & ipsi, sæpissimè ꝓpter paucorũ impudentiã, sacrũ ac religiosum secerdotale nomẽ fuisse reprehensum. Si igitur aliquis cõtra omniũ sentẽtiam nisus, uoluerit ambitioni magis placere q Deo, is debet scire, causis redditis, honorẽ dignitatemq; se amissurũ. Quod ita demũ cõpleri poterit, si unusquisq; nostrũm qui in canali cõstitutꝰ est, quũ ꝓgredientẽ episcopũ uiderit, inquirat trãsitũ eiꝰ: causas uideat, quòd tẽdat agnoscat: & siquidẽ eũ inuenerit ire ad Comitatũ, requirat et illud quod superius cõprehẽsum est, ne fortè inuitatꝰ est, ut ei facultas eũdi pmittatur. Si uerò (ut supetiꝰ memorauit sanctitas uestra) ꝓpter desideria & ambitiões ad comitatũ pergat, neq; in literis eius subscribatur, neq; in cõmunionẽ recipiatur. Si uobis placet, omnino sententia cõfirmari debet. Vniuersi dixerũt, hoc honestum esse, & placere sibi hanc constitutionem.

Duodecimus. Osius episcopus dixit: Sed & moderatio necessaria est, dilectissimi fratres, ne adhuc aliqui, nescientes quid decretũ sit in synodo, subitò ueniãt ad ciuitates eas quæ in canali sunt. Debet ergo episcopus ciuitatis ipsius, admonere eum & instruere, ut ex eo loco diaconum suum mittat. Admonitus ipse tamen, redeat in parochiam suam.

Decimustertius. Osius episcopus dixit: Et hoc necessariũ arbitror, ut diligentissimè tractetis, si fortè aut diues, aut scholasticus de foro, aut ex administratore episcopus fuerit postulatus, ut nõ prius ordinetur, nisi ante et lectoris munere, & officio diaconi aut presbyteri fuerit perfunctus: & ita per singulos gradus (si dignus fuerit) ascẽdat ad culmẽ episcopatus. Potest enim ꝑ has ꝓmotiões, quę habebũt utiq; ꝓlixũ tẽpus, ꝓbari, qua fide sit, quá ue modestia, qua grauitate & uerecũdia. Et si dignꝰ fuerit ꝓbatꝰ, diuino sacerdotio illustretur: quia cõueniens nõ est, nec ratio uel disciplina patitur, ut temerè & leuiter ordinetur aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus, q neophytus est: maximè cũ magister gentiũ beatus Apostolus, ne hoc fieret, denũciasse et ꝓhibuisse uideatur: sed hi, quorũ per longũ tempus examinata sit uita, & merita fuerint cõprobata. Vniuersi dixerũt, placere sibi hęc.

Decimusquartus. Osius episcopꝰ dixit: Et hoc quoq; statuere debetis, ut episcopꝰ, si ex alia ciuitate, cũ uenerit ad aliã ciuitatẽ, uel ex ꝓuincia sua ad aliã ꝓuinciã, & ambitioni magis q̃ deuotiõi seruiẽs, uoluerit in aliena ciuitate multo tempore residere (fortè enim euenit, episcopũ loci nõ esse tam instructũ, neq; tam doctũ) is uerò qui aduenit, incipiat cõtinere eũ, et frequẽter facere sermonẽ, ut dehonestet & infirmet illiꝰ ꝑsonã, ita ut ex hac occasiõe nõ dubitet relinquere adsignatã sibi Ecclesiã, & transeat ad alienã. Definite ergo tẽpus. quia & nõ recipi episcopũ, inhumanũ est: & si diutiꝰ resideat, ꝓnicioſum est. hoc ergo ne fiat, ꝓuidendũ est. Memini aũt, superiore cõcilio fratres nostros cõstituisse, ut si qs laicus in ea in qua commoratur ciuitate, tres Dominicos dies, id est, ꝑ tres septimanas, nõ celebrasset cõuentũ, cõmunione priuaretur. Si ergo hæc circa laicos cõstituta sunt, multo magis episcopo nec licet, nec decet, si nulla sit tã grauis necessitas, quæ detineat, ut amplius à suprà scripto tempore absens sit ab Ecclesia sua. Vniuersi dixerunt, placere sibi.

Decimusquintus. Osius episcopus dixit: Quia nihil prætermitti oportet, sunt quidã fratres et coepiscopi nostri, qui nõ eam ciuitatẽ possidẽt, in qua uidẽtur episcopi esse constituti: uel certè q̃, paruã rẽ illic habeãt, alibi aũt idonea prædia habere cognoscuntur: uel affectionẽ ꝓximorũ, quib. indulgeãt: hactenus pmitti eis oportet, ut accedãt ad possessiones suas, & disponãt uel ordinẽt fructũ laboris sui, ut post tres Dominicos, id est, post tres hebdomadas, si morari necesse est, in suis potius fundis morẽtur. Aut si est ꝓxima ciuitas, in qua est presbyter, ne sine Ecclesia uideatur facere diẽ Dominicũ, illuc accedat, ut neq; res eius domesticę ꝑ absentiã eius detrimentũ sustineãt, & nõ frequẽter ueniẽdo ad

ciuitatem, in qua episcopus moratur, suspicionem iactantiæ & ambitionis euadat. Vniuersi dixerunt, placere sibi.

Decimussextus. Osius episcopus dixit: Hoc quoq; omnib. placet, ut siue diaconus, siue presbyter, siue quis clericorũ ab episcopo suo cõmunione fuerit priuatus, & ad alterum perrexerit episcopũ, & scierit ille ad quẽ cõfugit, eũ ab episcopo suo fuisse abiectũ, nõ oportet ut ei cõmunionẽ indulgeat. Quòd si fecerit, sciat se cõuocatis episcopis causas esse dicturũ. Vniuersi dixerunt: Hoc statutum & pacem seruabit, & concordiam custodiet.

Decimusseptimus. Osius episcopus dixit: Quod me adhuc mouet, reticere non debeo. Si episcopus quis fortè iracundus (quod esse non debet) citò & asperè cõmoueatur aduersus presbyterũ, siue diaconũ suũ, & exterminare eum de Ecclesia uoluerit: prouidẽdum est, ne innocens damnetur, aut perdat cõmunionem. Et ideo habeat potestatẽ is qui abiectus est, ut episcopos finitimos interpellet, & causa eius audiatur, ac diligentius tractetur: quia nõ oportet ei negare audiẽtiam roganti. Et ille episcopus, qui aut iustè aut iniustè eum abiecit, patienter accipiat, ut negocium discutiatur: ut uel probetur sententia eius à plurimis, uel emendetur. Tamẽ prius quàm omnia diligẽter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à cõmunione separatus, ante cognitionẽ nullus alius debet præsumere, ut eum communioni societ. Hi uerò qui cõueniunt ad audiendũ, si uiderint clericorũ esse fastidiũ & superbiã, quia iam non decet ut episcopus iniuriã uel contumeliam patiatur, seuerioribus eos uerbis castigent, ut obediãt honesta præcipienti episcopo: quia sicut ille clericis sincerũ exhibere debet amorem charitatis, ita quoq; uicissim ministri infucata debent episcopo suo exhibere obsequia.

Decimusoctauus. Ianuarius episcopus dixit: Illud quoque statuat sanctitas uestra, ut nulli episcopo liceat, alterius episcopi ciuitatis ministrum ecclesiasticum solicitare, & in suis parochijs ordinare. Vniuersi dixerunt: placet, quia ex his contentionibus solet nasci discordia: & ideo prohibet omnium sententia, ne quis hoc facere audeat.

Decimusnonus. Osius episcopus dixit: Et hoc uniuersi cõstituimus, ut quicũq; ex alia parochia uoluerit alieni ministrum, sine consensu episcopi ipsius, & sine uoluntate ordinare, non sit rata ordinatio eius. Quicunq; aũt hoc usurpauerit, à fratribus & coepiscopis nostris & admoneri debet, & corrigi.

Vigesimus. Aëtius episcopus dixit: Non ignoratis quanta & qualis sit Thessalonicensium ciuitas. Sæpe ad eam ueniũt ex alijs regionibus presbyteri & diaconi, & non sunt cõtenti breui tempore morari: & aut residẽt ibi, aut certè uix post longa spacia ad suã redire coguntur. Vniuersi dixerunt: Ea tempora quæ constituta sunt circa episcopos, & circa has personas, obseruari debent.

Vigesimusprimus. Osius episcopus dixit: Suggerẽte fratre & coepiscopo nostro Olympio, etiã hoc placuit: Vt si aliquis uim perpessus est, & iniquè expulsus pro disciplina & catholica cõfessione: uel pro defensione uecritatis, effugiens pericula, innocens & deuotus, ad aliã uenerit ciuitatẽ, nõ prohibeatur immorari, quàm diu aut redire possit, aut iniuria eius remediũ acceperit: quia durũ est, eum qui persequutionem patitur, nõ recipi. Etiam & larga beneuolẽtia & humanitas ei est exhibenda. Omnis Synodus dixit: Vniuersa quæ cõstituta sunt, catholica Ecclesia in uniuerso orbe diffusa custodiat. Et subscripserũt, qui cõuenerãt, omnes episcopi diuersarũ prouinciarũ, numero cẽtum uigintiunus.

Orientales autẽ Philippopolim Thraciæ ciuitatem, quemadmodũ diximus, profecti, in Synodo separatim collecta, Homousion manifestè anathemate damnarũt: & dogma Arianum, filium nimirum patri esse inæqualem, epistolis comprehensum, in labefactationem & euersionem Nicænæ fidei, ubiq; sparserunt. Quæ uerò antea contra Athanasium, Paulum, Marcellum & Asclepá decreuerãt, cõfirmarũt: & Iulium Romanũ episcopum, quòd ijsdẽ primùm cõmunicare cœpisset, deposuerũt: unaq; cum eo Osiũ confessorem, ut qui amicus factus fuisset Paulino & Eustathio, Antiochenæ Ecclesiæ episcopis, Deinde & Maximinũ Treuirẽsem, quòd primùm Paulo cõmunicasset, autorq; illi Constãrinopolim redeũdi fuisset, atq; episcopos Oriẽtales in Galliã profectos excõmunicasset. Sed & Protogenẽ, q, Marcellũ à se prius damnatũ, postea tamẽ defendisset, deposuerũt: & Gaudentiũ, quòd quẽdã contra Cyriacũ, cui successerat, molitus fuisset, & ab ipsis depositos amplexus esset. Atq; de his ab ipsis decretis episcopos omnes certiores fecere, significãtes neq; ad cõmunionẽ eos, quos ipsi damnassent, admittẽdos: neq; literas illis mittendas, nec ab illis missas recipiẽdas esse. Addentes et de dogmate illud, ut de Deo sentirẽt aliter crederẽt ad eum modũ, quẽ in edito scripto promulgassent, Homousion quidẽ nõ usurpandũ: eos tamẽ excommunicãdos esse, qui uel tres Deos, uel Christũ nõ Deũ, uel patrẽ filiũ & spiritũ sanctũ eundẽ, aut filiũ ingenitum, aut tẽpus aliquãdo quo nõ fuisset, dicerent. Socrat. lib. 2, cap. 20: Sozom. lib. 3, cap. 11.

HIEROSOLYMITANA.

POst synodũ Sardicẽsem, iussus ad suas redire Athanasius, literis instructus Constãtij, & Iulij Romani episcopi, p Syriã & Palestinã, Alexãdriã redit. Iter instituit: quo tempore

tempore Hierosolymis episcopatũ tenebat Maximus, cuius autoritate synodũ episcoporum qui ibi aderant, aliorumq; quos è Syria uicina & Palęstina uocauerat, Athanasius cõgregat: in qua decreta synodi Nicenæ confirmantur, ac redditur cõmunio ac dignitas sua Athanasio. De qua re literæ episcopis omnibus per Aegyptũ & Libyã à synodo mittuntur. Socrat. lib. 2, cap. 24 et 26: Athanasi⁹ apologia secũda, ex quo exẽplar epistolę synodi eiusdẽ ad Afros & Aegyptios adscribimus.

Sancta synodus Hierosolymitana, omnibus sacrorum in Africa & Aegypto comministris, presbyteris item Alexandrinis, diaconis, populoq;, dilectißimis fratribus in Christo

SALVTEM.

¶Pro dignitate rerum omniũ Dño gratias agere non sufficim⁹, de miraculis quæ ubiq;, & potissimũ erga uestrã Ecclesiã operatur: quum uobis restituat pastorẽ uestrũ & domi num comministrum Athanasiũ. Quis enim sperauit unquã ea se oculis uisurũ, quę nunc re ipsa experimini? Certè preces uestræ exaudítæ sunt ab omnium rerũ Domino, qui pro tãta Ecclesia curã gerit, uestrasq; lachrymas lamẽtationesq; intuetur, ac proinde uestras obsecrationes ratas uoluit. Eratis tanq; oues abiectæ, dissipatæq; sine pastore: propterea ad uos cœlitus respexit uerus pastor, ouium suarũ mirè solicitus: eumq; uobis restituit, quẽ desiderabatis. Ecce enim nos omnia pro Ecclesiastica pace agentes, & cum uestra dilectione cõspirantes, priores illum amplexi sumus: & cõmunione cum eo inita, has salutationes uobis mittimus, & hæc nostra gratulantia uota, ut cognoscceretis nos copula cõmunionis illi coniunctos esse. Vestrũ aũt est, pro pietate religiosissimorũ Imperatorũ ora re, qui & ipsi in gratiã uestri desiderij, illiusq; innocentiæ, quam iam cognitam habent, eũ cum omni honore restituere uoluerunt. Supinis igitur manibus eum excipientes, preces gratulatorias, ut par est, Deo qui hæc tribuit, offerre studete: ut semper in Deo gaudeatis, & glorificetis Deum in IESV Christo Domino nostro, per quem patri sit gloria in secula seculorum. Horum subscribentium nomina etsi antea significaui, tamẽ nunc iterum ea edenda arbitratus sum. Sunt autem isti: Maximus, Aëtius, Arius, Theodorus, Germanus, Syluanus, Paulus, Patricius, Elpidius, Germanus, Eusebius, Zenobius, Paulus, Macrinus, Petrus, Claudius. His conspectis, de se iam desperantes Vrsacius & Valens Romam profecti, peccata sua cum pœnitentia confessi sunt: gratiamq; facti postularunt, literasq; & ad Iuliũ ueteris Romæ pontificem, & ad nos quoq; in hanc formam misere, quorum exempla mihi transmissa sunt à Paulino episcopo Tyburis.

ALEXANDRINA.

REuersus igitur Alexandriã Athanasius, synodũ ex Aegypto, Thebaide, Libya & Pentapoli cogit, cuius in initio Apologiæ secundæ meminit, ac centũ in ea fuisse episcopos cõmemorat: qui de Athanasij innocentia testimonia confirmata, ad omnes ubiq; Ecclesias, Romam etiam ad Iuliũ perscripserũt. Meminit eiusdem synodi Socrates lib. secundo, capite uigesimosexto: ac consona synodo Sardicensi ac Hierosolymitanæ ab ea decreta fuisse, indicat.

Sancta synodus Alexandriæ congregata ex Aegypto, Thebaide, Libya, Pentapoli, omnibus ubiq; Ecclesiæ catholicæ episcopis, dilectis et desideratißimis fratribus in Christo

SALVTEM.

¶Poteramus quidẽ, dilectissimi fratres, etiã statim ab initio cõflatæ in Athanasiũ criminationis, deinde post eius Alexandriæ ingressum, respondere super fictis criminib. Eusebianorũ, eosq; de iniurijs in cõministrũ nostrũ illatis accusare, simulq; ostendere q̃ nihil nisi meras calũnias obiecissent. Sed quia tempora illa nihil tale permittebãt, ut & ipsi nostis: & qa arbitraremur, post restitutionẽ episcopi Athanasij, eos uultũ submittere, & pudore in tã apertis iniurijs suffundi, putauimus rẽ silentio transmittendã esse: maximè post tantas eius uiri calamitates, profectionesq;, & uitã relicta domo peregrè actã, post tanta pericula, quib. minimo minus perierat, rẽ urgentib. calumniosis hominibus, nisi humanitas Imperatoris obstitisset. Tot malis, quũ nemo nõ hostiũ etiã crudelissimorũ exatiari potuisset: ipsi tamen effrontes insatiabilesq; prmanent, sęquiuntq; denuò & in Ecclesiã & in Athanasiũ, ægrè ferentes illius liberationẽ: ac proinde atrociora molientes, cupidè ad nouas criminationes prosiliunt. nec timent illud quod in sacris literis scriptũ est: Falsus testis impunitus nõ erit: & os quod mentitur, occidit animã. Ideo fit, ut silentiũ diutius retinere nequeamus. Admiramurq; eorum maliciam, & insatiabilem in insidijs struendis perũacaciã. Ecce enim nulla sumpta quiete, rursus Imperatoris aures contra nos irritant: neq; usquam cessant parricidales literas scribere, quo Athanasium, ipsorũ hæresi aduersum, è medio tollant. Siquidem iam denuò accusatrices literas contra Athanasiũ, Imperatorib. porrexêre, iteratis calumnijs homicidia ei obijcientes, quæ nunquã facta sunt: ac denuò illũ cõiurationibus suis opprimere studeant, imputatis cædibus quæ nunq; factæ sunt. & fortasse tunc eũ calũnijs suis interfeciissent, nisi humanũ principẽ nacti fuissemus: eundemq; denuò, ut quod minimum malorum referamus, in exiliũ protrudere satagunt. & ob id calamitates exulũ,

quasi ab eo factas, se deplorare simulãt: quũ reuera ploret, nihil à nobis tale designatũ esse. neq; priores in illũ iniuriæ ipsorũ animis sufficiũt, sed noua & atrociora illis accumulata uolũt: homines scilicet admodũ mansueti & moribus æquis, uel quod uerius est, improbi & perquã acerbi: qui terroribus & minis potius quàm pietate & æquitate, quod episcopos decet, ad pœnas deproperãt. Tot enim cædes, hominumq; mactationes, quas ne prophanus quidẽ homo & curiosus & cõsectator criminũ in calumnijs diceret, ea ipsi effundere minimè ueriti sunt, nõ solũ apud præsidẽ aut aliũ quemuis magnũ uirũ, sed & apud tres Augustos: neq; in eam rem longitudines itinerũ illis graues fuêre, dummodo omnia maiora tribunalia calumnijs implerent. calumnia enim est quam tentant, eaq; grauissima, & maximè omniũ capitalis: idq; in summis omniũ rerũ humanarũ tribunalibus. Quis enim alius istius quæstionis finis, nisi ut mors ecclesiastico tumultu inferatur? Non igitur Athanasij, sed illorum acta, luctũ lamentationemq; merentur, ipsosq; rectius deploratos habueris: in ipsos enim ploratus congruit. Siquidẽ scriptũ est: Ne defleas mortuum, neq; lugeas, sed cõplorante comploratione egredientem, quia nõ amplius reuertetur. Tota enim eorum accusatrix epistola nihil aliud nisi necẽ spectat: aut necem moliuntur, si ipsis liceat, aut saltem exules facere. quod & impetrauerũt ab religiosissimo Cæsarum patre, qui iras suas offensasq;, quũ suppliciũ capitale posceretur, exilio damnatorũ expleuit. Ista opera ethnicorum sunt, & non uel tenuiter Christianorum, & minimè omnium episcoporũ, quos alijs iusticiam commonstrare oportuit: idq; uestrã arbitramur in Christo conscientiam bene & luculenter perspicere. Qui enim alios ab accusando deterrent, illi ipsi accusatores conspectui Imperatoris sese præbuerunt. aut cur, qui alios calamitates miserorum lachrymis prosequi oportere docẽt, ne ab exilio quidẽ nostro se quieti tradũt? Publica enim omnium episcoporũ profligatio ex suis sedibus, exterminatioq; facta est: qui ut nos antea pro exulibus habuerũt, ita nũc cum Athanasio patriæ redditi, pro superiorib. doloribus lachrymisq;, quibus eius uicem miserabamur, maximã uicissim hilaritatẽ & gaudiũ recepimus: quod utinã Dominus, ne ab Eusebianis subuertatur, nobis incolume seruet. Iam si fides in criminibus quæ obiecêre fuisset, hoc ipsum tamen criminosum est, quòd contra statuta Christianorũ, post acerbitatem exiliorũ, aliarumq; calamitatum, denuò inuadunt, cædes hominum, stragesq; obijciẽtes, & huiusmodi criminationibus Imperatorias aures obtundunt. Iam quum omnia mentiantur, nihilq; nisi calumnias adferant, nec in ore, nec in eorum literis quicquã sit ueri, quàm multiplex putas in hoc conatu scelus, & quàm scelerati illi haberi debeant? Rem igitur aggrediemur, eorũq; calumnijs occurremus. Nam hinc quoq; priora illa, quæ uel de synodo uel de iudicio habito iactitant, non recte facta esse, imò falsa esse comprobabuntur, ipsis interim denuò ea de causa cõdemnãdis. Pudet nos certè istius defensionis: uerùm quia temerarij nostri criminatores ad omnia calumnianda se promptos offerunt, & quia post Athanasij ingressum cędes & homicidia obijciũt: necessum est nostri excusationem, tametsi prolixiusculã, quia res ita cogit, cum uenia audiatis. Cędes omnino nulla neq; ab Athanasio, neq; per Athanasium commissa est. quapropter quum ad hanc inexpectatam defensionem aduersariorum iniquitate propellamur, nonnihil indulgendum est necessitati excusationis. Cædes igitur & uincula aliena sunt à nostra Ecclesia: carnifici nemini unquam Athanasius dedidit: neq; carnem unquam Athanasius dedidit: neq; carcerem, quantũ in ipso fuit, uinctis tradendis fatigauit. Sacraq; nostra ut in præsentia, ita etiam semper, pura innocentiaq; fuêre, non nisi Christi sanguine, eiusq; cultu sanctificata: neq; presbyter, neq; diaconus ab Athanasio interfectus est: neq; cædem ulli aut exilio irrogauit. Vtinam illi qui uerã persecutionẽ induxerũt, nihil tale contra eum perpetrassent. Nullus enim opera eius patria excidit, ipse autem ab istis in exiliũ actus est: quem nunc iterum, quia ab ea relegatione liberdimittitur, grauiorib. criminib. repetentes, linguã suã ad omnia falsa & crudelia exacuunt. Quinimo iudicũ acta, & damnatos à præsecto, ut ipsi in suis scriptis fatentur, ad Athanasij culpam transferũt (adeò nihil illos pudet) sæuitiæ Athanasij imputãt, quũ Athanasius per id tempus nondũ Alexãdriam ingressus fuisset, & per Syriam in itinere ab exilio reuerteretur. Quod si longinqua absentia excusationẽ adfert, ne quis reus habeatur, quin præses aut præfectus Ægypti aliquid facit: quid Athanasio remotius à crimine? qui si uel in ipsa Alexãdria fuisset, quid tamen illi quæso cum negocijs præfecti? Atqui in illis locis nõ erat, neq; ad ea quæ acta sunt à præfecto, res Ecclesiasticæ occasionẽ dederunt. sed unde id natum sit, ex monumentis actorum intelligetis: quæ nos, cognitis illorum scriptis, & re perquam diligenter explorata, ad uos transmisimus. Igitur quum & nunc, ea quæ neq; ab eo, neq; per eum facta sint, quasi facta sint, occlament: & tot testibus se certiores factos uideri uelint: optarim mihi indicarẽt, cuius Synodi actis, argumentis ue aut indicijs rem ita se habere didicerunt. Quod si nihil tale pro se habent, temereque

omnia

omnia affirmãt, ueſtris animis cogitandum
t elinquimus, quid & prius factum ſit, et nũc
factum eſſe ab iſtis fingitur. Nihil enim aliud
ueſtris animis apparebit quàm calumnia, &
defendendę impietatis contra pietatẽ rabio-
ſus furor: & ob id unum agi, ut tollantur è
medio orthodoxi, quo iam inde cum ſecu-
ritate prædicent, quicquid libuerit impie-
tatis patronis. Et certè rem ſe ita habuiſſe,
comperietis. Quum enim Arius, unde Ario-
manitarum hæreſis conflata eſt, ab Eccleſia
perbeatum epiſcopum Alexandrum eiectus
eſſet: Euſebiani diſcipuli pariter & ſocij im-
pietatis, ſemetipſos eiectos eſſe arbitrantes,
multis adhortationibus Alexandro ſcripſe-
runt, ne Arium extra Eccleſiam relinque-
ret. Alexandro autem, ob pietatem in Chri-
ſtum, hominem impium non recipiente, in
Athanaſium eius diaconum iras auertunt.
& quia eum aſsiduum eſſe apud Alexandrũ,
& in precio haberi curioſe animaduerterẽt,
& quia iam antea eius pro Chriſto pieta-
tem in Synodo Nicæenſi, ubi cum magna li
bertate contra Arianam hæreſim diſſerue-
rat, experti eſſent, in grauiſsimum odium
exarſerunt. ubi autem Deus eum ad epiſco-
patum prouexerat, ueterem iam olim mali-
tiam refouentes, ueriti illius orthodoxam
mentem, & in reſiſtendo contra impietatem
robur, conſcientia uecordes, omnibus ratio-
nibus cõiurationes in eum coquebant. prin-
cepsque hac in re Euſebius fuit, conſcientiæ
ſuæ furijs agitatus præceps. Cæſarem igitur
contra Athanaſium irritant, & Synodos mi-
nantur. Poſtremò Tyri in concilium coie-
runt, adeò ut ne nunc quidem contra eum
ſcribendi ocium admittant, prorſus impla-
cabiles, & quorum querelis nunquam ſatiſ-
facias: ut qui conſtitutionem epiſcopatus A-
thanaſij, tanquam non legitimè celebratam,
cauillationibus arrodant, nuſquã non homi
nii infeſti, ut ſaltẽ mendacijs eum infamem
reddant: quæ tamen nunc ex priorum men-
daciorum uanitate falſa eſſe deprehendũtur.
Aiunt igitur, poſt obitum epiſcopi Alexan-
dri, quum pauciſsimi eſſent qui Athanaſij
mentionem facerent, ſex aut ſeptem epiſco-
pos clanculũ & in loco obſcuro eum in præ-
ſulem elegiſſe. Hæc eadem illi, quibus nul-
lum mendaciorum genus reformidandum
uidetur, Imperatoribus ſcripſere. Nos autẽ
contrà, cum tota ciuitate & uniuerſa prouin
cia teſtamur, omnem multitudinem popu-
lumq; catholicę Eccleſiæ in unum coactum,
quaſi in ſpeciẽ unius corporis & animæ, cla-
moribus, uociferationibusq; poſtulaſſe, A-
thanaſium Eccleſiæ epiſcopum dari: idq; pu
blicis uotis à Chriſto expetiſſe, nosq; ut face
remus, per multos dies ac noctes iureiuran-
do obteſtatos fuiſſe: cum interea nec ipſi ab
Eccleſia diſcederẽt, neq; nobis diſcedendi fa
cultatem permitterẽt. hoc noſtrum, totius q;
ciuitatis, & uniuerſæ prouincię teſtimoniũ:
nec mali quicquam de eo, quod ab ipſis fit,
pronunciamus. Sed optima quæq; prædica-
mus, bonum illum eſſe, religioſum, Chriſtia
num, deuotarium, & uerè epiſcopũ. Porrò
quòd noſtrũm pleriq; ſub omniũ oculis ac-
clamationibus q; Athanaſiũ epiſcopum crea
uerint, nos ipſos in teſtes offerimus: quibus
aut authoribus creationis, maior quàm iſtis,
qui & tunc aberant, & nunc mentiuntur, fi-
des haberi debet. quanquã nihil ea re impe-
ditus Euſebius, creationẽ uituperat, homo
qui ipſe prorſus epiſcopus creatus nõ eſt: aut
ſi unquã ius epiſcopi habuit, id ipſum reſci-
dit, ut qui principio Beryti pro epiſcopo ege
rit, relicto q; Beryto Nicomediam ſe tranſtu-
lerit, illam quidem cathedram præter leges
deſtituẽs, iſtam uerò nulla lege inuadẽs: pro-
prij gregis ſine ulla charitate deſertor, & alie
ni nulla rationabili cauſa occupator, prioris
epiſcopatus charitatẽ alieni cupidine aſper-
natus eſt, nec tamẽ illum ipſum epiſcopatũ
quem tanta auiditate occupauerat, reſerua-
uit: ecce enim iam denuò inde deſiliens, alie-
num epiſcopatum arripuit, ſemper aliorum
ciuitates oculis per inuidiam adiectis obli-
mat atq; arrodit, perſuaſus in magnitudine
urbium religionem eſſe ſitam: ſortem Dei, ſe
cundum quam conſtitutus ordinatus q; eſt,
pro nihilo ducit: ignarus ſcilicet, Dominum,
ubi duo aut tres in eius nomine congregati
fuerint, in medio eſſe: nec ſecum recogitans
dictum illud Apoſtoli, quo profitetur ſe in
alienis laboribus non gloriaturum: neq; prę
oculis habens illius pręceptum, Alligatus es
uxori, ne quære ſolutionem. Quod ſi hoc de
uxore dictum eſt, quanto magis de Eccleſia,
atq; adeò de epiſcopatu: cui cum quis alliga-
tus eſt, alium quęrere nõ debet, ne adulter in
ſacris literis deprehendatur. Horum ſibimet
ipſe conſcius, auſus eſt tamen creationem A-
thanaſij, omnium eulogijs conteſtatam, ca-
lumniari: nec ueretur ei obijcere eius digni-
tatis exauctorationem, ipſe interim maximè
exauctoratus, ut qui ſuæ exauctorationis te-
ſtimonium et argumentum in ipſa ſui conſti
tutione oſtendat. Quî igitur ipſe & Theogo
nius potuerunt alios deponere, ipſi depoſiti
& exauctorati, & uitio ſuæ creationis famo
ſi? Bene ſiquidem cognitum habetis, Am-
phionem Nicomediæ, Chreſtũ uerò Nicææ,
in eorum locum, ob impietatem, & commu
nionem quam cum Arianis à Nicæno conci
lio reprobatis habuerant, epiſcopos conſtitu
tos eſſe. Hanc igitur ſynodum perditam cu
pientes, ſuum iniuſtum conciliabulum, Sy-
nodũ uideri ſtudent: & Nicæni cõcilij decre
ta irrita, ſua autem rata uolunt: & Synodi

uocabulo

uocabulo uti audent, qui tantæ ſynodo non obtemperãt. Nihil illis ſynodi curæ ſunt, ſed inanem ſpeciem ſynodi prętexunt: ut ſublatis orthodoxis uiris, ea quæ ueræ & magnæ Synodo de Arianis ſtatuta ſunt, demoliãtur. interim tamẽ illi Arianos & ſemper antea, & etiam nunc in præſentia patrocinio ſuo tegẽtes, contra Athanaſiũ epiſcopũ mendacia fingere nõ reformidãt. prorſus enim eiuſdẽ uanitatis ſunt cum ſuperioribus, quæ nunc fingunt: fuiſſe ſcilicet in Athanaſij introitu ſeditiones, luctus, populorumq́; lamentationes, indignè ferentiũ illius creationẽ. Nihil ibi tale cõtigit, ſed potius omnia contraria: gaudia ſcilicet, animarumq́; alacritates, & populorum deſiderio uidendi hominis accurſus, ubique per Eccleſias lætitiæ & gratulationes ad Dominum. Miniſtri autem & clerici ita eum intuebantur, ut & animis gaudiũ conciperent, & illum diem omniũ fauſtiſsimum arbitrarentur. Noſtram autem, qui epiſcopi ſumus, inenarrabilẽ lætitiam, quid opus eſt ſcribere? quũ iam antea teſtati ſimus, quicquid ei acciderit, nobis uideri accidere. Iam cum ipſi in re confeſſa certaq́; contraria dicant, quam fidem merebitur illorũ ſiue concilium ſiue ſynodus, quam pro ſe tantopere iactitant? Qui ita inuadunt inſultantq́; actis, quæ nec uiderunt, nec iudicarunt, nec interfuerunt, tanquam maximè earum rerũ conſcij, idq́; ſcripto proteſtantur, quomodo ipſi in ſuis actis, ob quæ ſe conuentus habuiſſe dicunt, graues ueriq́ue haberi poterunt, ut non credas etiam iſta ab illis, itidem ut illa, per odiũ ſimultatemq́; inſtituta fuiſſe? Quis enim ibi conuentus epiſcoporum, aut confeſſus ueri ſtudioſus? Quis non ex pleriſque noſter inimicus? Nónne Euſebius Euſebianiq́ue, ſtudio Arianiſmi ad id concilium perrexerunt, reliquis eiuſdem ſecum ſententiæ adductis? Nónne & nos contra eoſdem homines, eo nomine quòd Arianicæ opinionis eſſent, ſcripta euulgauimus? Nónne Euſebius Cæſarienſis de immolatione idolorum à noſtris cõfeſſoribus accuſatus fuit? nunquid non de Georgio probatum fuit, eum ab ordine ſui ſacerdotij à beato Alexandro reiectum fuiſſe? Nónne cæteri de alijs atque alijs criminibus notam cenſuramq́ue paſsi ſunt? Quo iure igitur iſti contra nos Synodum ullam conſtituere potuerũt? aut qua fronte talem conuentum Synodum appellare audent, cui Comes præſedit, & ubi ſpiculator apparebat, & commentarienſis ſiue carcerarius pro diaconis Eccleſiæ aduentantes introducebat? ubi Comes uerba faciebat, cæteri præſentes in ſilentio erant, uel potius Comiti obſequium ſuum accommodabant? ubi, quod communiter epiſcopis placuit, ab illo impediebatur? Ille imperio utebatur, nos à militibus ducebamur: uel potius iuſsis Euſebianorum, ſententijsq́; ipſe Comes inſeruiebat? In ſumma, dilectiſsimi, quæ ſpecies ibi Synodi, ubi uel cædes, uel exilium, ſi Cæſari placuiſſet, conſtituebatur? Iam ſi, quid in accuſando ſit actũ, quæras, longè maiori admiratione capieris. Arſenium quendam occiſum ab Athanaſio criminabantur, & poculum myſticum fractum eſſe. At Arſenius iſte in uita ſupereſt, & placet ſibi de ueſtra communione: neq; aliunde teſtimonia expectat, ut uiuus eſſe doceatur, ſed ipſe ſeſe confitetur uiuere: idq́; in literis ſuis ad epiſcopum Athanaſium perſcripſit, quem iſti Arſenij interfectorem aſſeuerabant. Nec puduit impios, hominem tanta intercapedine locorum & itineribus terra mariq́; diſiunctum, ab eo occiſum comminiſci, cuius per illa tempora locus ubi agebat, nemini mortalium cognitus fuit: adeò ille nullodum attactus malo, ab accuſatoribus celabatur: quem quoad licuit in aliam urbem tranſtulerant, occiſuri eum libenter, ut homine uerè extincto, Athanaſium quaſi de certa cæde conuictum occidere poſſent. Sed diuinæ hic prouidentiæ gratiæ agendæ ſunt, quæ nihil iniuſti inualeſcere ſinit: Arſeniumq́; ſub omnium oculos uiuum produxit, dilucidè ſua præſentia calumnias eorum & figmenta retegentem. Qui nos nequaquã ut interfectores ſuos auerſatur, aut ut iniurioſos odit: nihil enim mali à nobis paſſus eſt: ſed noſtræ cõmunionis auidus, in noſtro grege cõuerſari cupit, quod ipſius ſcripta declarant. Sed hoc nihil Athanaſio profuit: qui oppreſſus calumnia, quaſi uerus homicida, ab illis in exilium actus eſt. Non enim parẽs Imperatorum, ſed horum calumniæ illum in exilium exterminauerunt. Animaduertite, quæſo, num ita ſe habeat, ut dicimus. Quum nihil culpæ in comminiſtro noſtro Athanaſio reperirẽt, Comesq́; ſumma ui imminens, plura contra Athanaſium moliretur: epiſcopus Comitis uiolentiam fugiens, ad religioſiſsimum Imperatorem adſcendit, deprecans & iniquitatem hominis & aduerſariorum calumnias, poſtulansq́; ut legitima epiſcoporum Synodus indiceretur, aut ipſe audiret ſuam defenſionem. Imperator rei indignitate motus, ſcriptis ſuis accuſatores citat, ſuamq́ue ipſius audientiam promittens: ſimulq́ue Synodum indici iubet. Euſebiani autem ubi comparuiſſent, nihil inter accuſandum de obiectis Tyri criminibus meminêre: ſed frumentum ab Athanaſio, naueſq́ue detentas calumniati ſunt: eumq́ue gloriatum eſſe dixêre, quòd frumenti deportationem ex Alexandria Conſtantinopolim impedire poſſet. Hæc nonnulli ex noſtris, qui in ſynodo erant, ex Imperatore admiratio-

mirationis pleno audierunt. Hic cum Athanasius ad tantas calumnias ingemiscereret, affirmaretq; eas falsas esse, nec fieri posse ut homo priuatus & pauper tantum uirium haberet: Eusebius ne publicè quidē detrectans calumniatoris munus, deierauit, Athanasium perquàm opulentum esse, & satis uirium & autoritatis ad ista omnia patrāda habere: ut ita uerisimilior calumnia uideretur. Ad istum modum res actæ sunt per sanctos illos & uenerandos sycophantas episcopos. Sed Dei gratia plus in hoc negocio ualuit, quàm illorum scelerata malitia: quæ principis animum religiosum ad clementiā retraxit, ut satis haberet pro morte exilium irrogare. Horum omnium malorum causæ non alibi, quàm in illorum calumnijs constiterunt: quorum dolos, sutelasq; criminū Imperator antea scriptis suis cū execratione improbauit: calūniasq; detestatus, Meletianos nefarios, dirisq; deuouendos, alijsq; grauissimis nominib. in suo diplomate appellauit: ut qui grauissimè ferret, cædē hominis uiui obiecta esse, & de uiuente & incolumi homicidiū fictū esse. Nos autē epistolā, ubi Imperator hæc scribit, isthuc ad uos misimus. At præclari Eusebiani, quò ueritatem scriptaq; sua obliterent, nomen synodi suis actis prætexunt: quū res ipsa negotium Imperatoriū, non synodale haberi debeat: quippe ubi Comes præsideat, & milites episcopos suo satellitio cingant: & Imperatoria edicta, quos ipsi uolunt, coire cōpellant. Iam quæso uel hinc incredibiles eorū insidias animaduertite, & quàm in audēdo uarij sint & uersipelles, modò quacūq; ratione hominē è medio tollant. Si enim ueluti episcopi se se iudices esse uolebant, quid opus erat uel Comite, uel militibus, aut edictis ad coeundum Imperialibus? Quòd si Cęsare indigebāt, & ab eo acta robur accipere uoluerūt, quo iure ipsi iudiciū Cæsaris irritū fecēre? aut qua de causa, quū Cæsar Meletianos & calumniatores & nefarios nō sine detestatione, ob cædē de uiuo hominem suis scriptis pronunciarit: ipsi Meletianos uerum dicere, & Athanasium reum esse definiunt, nulla cum uerecundia hominem uiuum pro occiso imputantes? qui, & quo tempore hoc iudicium Cæsar proferret, & quum ipsi ad sententiam conflandam in unum coirent, nobiscum uiuebat. Hactenus de Arsenio. Poculum autem mysticum, quod, aut quo nam in loco à Macario fractum est? id enim sursum ac deorsum obuolitantes iactitant. Atqui Athanasium, ne accusatores quidem ausi fuissent eius criminis incessere, nisi ab ipsis summissi instructiq; fuissent. Sed tamen illi summam eius criminis in Athanasium referunt, quod ne in Macariū quidē, qui uictus non est, referri debet. Nec pudet eos coram catechumenis, & quod peius est, coram ethnicis, ita de mysterijs tragicari. Quū oporteat, sicut scriptū est, mysteriū regis celare: & ut Dominus præcipit, nō esse sancta porrigenda canibus, neq; proijciēdas margaritas ante porcos. Nō enim fas est mysteria gentibus prodere, ne per imperitiā ea subsannent, aut catechumeni per curiositatem scandalizentur. Sed tamē quod nam poculū, quo in loco, uel apud quos cōminuit? Meletiani scilicet sunt, qui hic se accusatores præbent, homines prorsus fide indigni, ut & schismatici, & hostes Ecclesiæ: neq; ij noui aut recentes, sed uetusti iam olim à temporibus beati Petri, cui insidias posuerunt: & Achillæ eius successoris, quē calumniati sunt: & Alexandri, quem usque ad tribunalia Cæsaris calumnijs persecuti sunt. & postremò ita meditandis criminibus exercitati, Athanasium inuaserunt, nihil alienum à sua malicia faciētes. Vt enim Athanasij antecessores, ita quoq; & ipsum Athanasium calumniantur, quorū calumniæ antea inefficaces, nunc tandem successum habuēre: ex quo Eusebianos in gratiam Arianæ impietatis socios & patronos adepti sunt: pro qua tuenda, ut in multos alios Episcopos, ita quoque in Athanasium conspirationes faciunt. Atqui locus ille, in quo confractum poculum iactitant, ecclesia non erat: nec quisquam presbyterorum ei loco uicinus: nec dies quo id factum à Macario uolunt, Dominica. quū igitur neq; ecclesia ibi esset, neq; sacra fierent, neq; dies hoc ipsum requireret: quale aut quando, aut ubi mysticum illud poculū fractū est? Pocula multa passim in ædibus, atq; adeò in medio foro haberi, nemini est dubiū quę collisa collidentē nō impiāt. Mysticū aūt poculū, quod impium eum reddit qui id ultro frangit, nusquam nisi apud legitimos Ecclesiæ præsides inuenias: hic enim unus usus est calicis, & præter eum alius nullus: eoque solo uos legitimo ritu propinatis populo, eumq; uos pro canone Ecclesiastico accepistis: idemq; duntaxat penes eos habetur, qui Ecclesijs præsunt. Solū enim uestrū est propinare sanguinem Christi, & præterea nullius. Cæterū ut impius est qui hunc mysticū calicē frangit: ita multo magis impius est, q sanguini Christi cōtumeliā facit. cōtumeliā aūt facit, qui præter Ecclesiasticam institutionē calice illo abutitur. Et hæc quidem eò à nobis dicūtur, nō quòd uel schismaticū poculū Macarius fregerit: sed quòd ibi omnino nullum fuerit. Quî enim fieri potuit, cū nec ipse locº Dominicus esset, neq; quispiā ibi Ecclesiasticus, atq; adeò ne tēpus quidē mysteriorum ageretur? Presbyter aūt qui fingitur adfuisse, est ille toties rumoribus iactatus Ischyras,

ras, qui neque ab Ecclesia electus est presbyter: neq; cum à Meletio constitutos presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit, aut ab eo creatus. Quo pacto igitur presbyter Ischyras? aut quo tandé authore cõstitutus? nunquid scilicet à Colytho? id enim restat. atqui Colythum in gradu presbyterij mortuum, omnemq; eius manuum impositionẽ rescissam, omnesq; ab eo cõstitutos in laicorũ ordinem redactos esse, et sub nomine laicorum ad Synaxim admissos, adeò apud omnes constat, ut nemo ea de re dubitandũ putet. Quomodo igitur homo priuat⁹, & priuatas ædes inhabitãs, poculũ mysticũ sibi cõcreditũ habuit? Sed illi hominẽ priuatũ presbyterũ appellant, & in nostram iniuriã hoc nomen illi indiderũt, eidemq; pro mercede calumniarũ ædificãdæ ecclesiæ potestatẽ cõciliarũt. Qui ergo per id tẽpus nullã habuit ecclesiã, nunc ad cõpensationẽ sceleris obsequijq; in accusando præstiti, Ecclesiã accepit, forsitan etiã episcopatu donãdus: id enim passim iactitat, & minis fremit. talia proh dolor prẽmia dein ceps per episcopos accusatorib. & sycophãtis deferũtur. Neq; id immeritò. quẽ enim administrum suę libidinis habuêre, & eum ut rerũ cõsiliorumq; socium, cõsimili episcopatu dignũ censuêre. Obsecro igitur, ut non hactenus tantũ, sed ad sequẽtia quoq; uos attẽtos præbeatis: ut cognoscere possitis, quid deinde ab illis factum sit. Impares ergo ueritati, quanquam se omnibus modis communierant, eo quòd Ischyras Tyri pro calumniatore habitus, nihil probare posset, et ipsa calumnia sua uanitate corrueret, iudiciũ causæ suspensum uoluêre, donec de probationib. constaret. Promittũt igitur se aliquot ex suis Mareoten amãdaturos, qui rem curiosè scrutarẽtur: quos nos, euestigiò multis de causis reijciendos, docuimus: in primis quòd & Ariani essent, & propter Arianismũ nobis propalàm infensi. Verùm illi potẽtia magistratuũ freti, clam emittunt Diogniũ, Marim, Theodorũ, Macedoniũ, annis ingenijsq; putidos & uenales: his addunt Vrsacium & Valentem, homines Pannonios, qui ab ultimis illis finib. Tyrum profecti sunt, ut sententiã in aduersarium dicerẽt: & post tantum itineris, è Tyro Alexandriã contenderũt, nullo cum pudore, quòd se ex iudicib. testes facerent. Quin potius omnib. insidiandi rationib. propalàm susceptis, quosuis labores itineraq; subiêre, ut calumniã semel initã absoluerẽt. Hostes ergo Athanasij, Athanasio peregrè detẽto, Alexandriã in populũ ecclesiamq; debacchaturi cõtendunt. Imò, quod absurdius est, Ischyra accusatore secũ adducto, Macariũ reum custodijs Tyri inclusum nõ permiserũt in comitatu hærere, quem antea sub prætextu eius criminis sursum deorsumq; raptauerãt. Soli igitur Alexandriã cùm accusatore Ischyra ipsorum cõtubernali sodale compotore ingressi, assumpto unà præfecto Ægypti Philagrio, in Mareotam abscedunt: atq; illic soli pro libidine sua cum Philagrio quęstionib. incumbunt: nulla permissa presbyteris adeundi facultate, quanquam id multis precib. requirent. erant aũt illi qui hoc postulabãt, omnes tum Alexãdrinæ ciuitatis, tum uniuersę prouincię presbyteri, petẽtes, ut sibi ostendere liceret, quos nam testes Ischyras subornasset, & quale hoc hominum genus et ciuitates essent. Sacrorũ igitur ministris exclusis, coram ethnicis hominib. quæstiones de Ecclesia, de calice, de mensa Domini, de sanctis sanctorũ habuêre: & quod grauius est, Ethnicos in quæstione de mystico poculo in testes citauerũt: & qui nam illud ab Athanasio rapuissent, Catholici interpellatione definierunt, nec puduit eos, eorũ testimonia corã se, & solo duntaxat Præfecto recipere, qui unde gentium essent, ignorabãt: nec ueriti sunt eos discere ab Athanasio occisos, quorũ testimonijs aduersum Athanasium abusi sunt. Quin imò necẽ Athanasio moliẽtes, nouis mẽdacijs fabulã de emẽtita cæde Arsenij imitãtur: eosq; qui uiui sunt, mortuos fingunt: & ut interfectos, qui adhuc supersunt, & hominũ oculis in suis sedib. apparẽt, apud uos longè inde remotos miserrimè deplorãt: ut cum è longinquo petenda sint rerũ documẽta, nostrũ in iudicris ministerijs collegã Athanasiũ calũniari possint, quasi ui & potẽtia grassantẽ, quum ipsi per uim & potentiã omnia agant. Eadem enim denuò apud Mareotan, quæ Tyri, delignata sunt. Vt enim illic Comes erat cum militari satellitio, nihil quod ipsis displiceret, aut dici aut fieri permittens: ita quoq; & hic præfectus manu militari succinctus, omnes ecclesiasticos terrefaciẽs, nulli permisit ex pectoro testimoniũ dicere: & quod absurdius est, in ipsis ædib. accusatoris & cõmorabãtur, & quæstionib. operã dandã, prout libuit, docebãt: eoq; tã iudices q̃ testes, cæteriq; eiusdem studij, uel quod uerius est, Eusebianę factionis administri cõueniebãt. Quæ porrò Alexandriæ ausi sunt, arbitramur uobis non ignota esse, quũ ea ubiq; gentiũ fama diuulgata sit: strictos scilicet gladios in sanctas uirgines & fratres intẽtatos, flagella preciosis apud Deum corporib. incussa, pedesq; fustigationib. ad claudicationẽ illis mutilatos esse, quę mentẽ in castitate et in omnib. sobrietatis exercebãt: calũnias quoq; ubiq; infestas fuisse: gentiliũ uulg⁹ interim nudare corporã uirginũ, uerberare, libidinari, & uirginibus idolorũ, uictimasq; interminari: adeò ut homo qdã ꝑuerus, ueluti istiusmodi potestas iã deinceps cõcessa esset, in gratiã episcorum,

porum, uirginem manu arreptam, ad altare quod fortè obuium erat, protraxerit, neceſsitatem ſacrificādi & uim perſecutionis repræſentans. inter hæc ſcelera, uirgines fugere, Ethnici Eccleſiæ inſultare: epiſcopis in illis ipſis ædib. ubi iſta ꝓpetrabātur, uerſantibus: in quorū gratiā uirgines miſeræ ſtrictos gladios, omnia genera periculorū, & quamlibet cōtumeliā & debacchationē experiri coactæ ſunt. Et hæc quidē paſsi ſunt ipſo ieiunij die à coepulonib. epiſcoporū, cum quib. conuiuiū agitabant, epiſcopis intus epulantibus. Hæc cum futura ꝓuideremus, nec uulgarē, ſed quaſi ex hoſtili incurſu uaſtitatē, detecta ui (fateor) hoc genꝰ iudicij. Ea res igitur quū Alexandri Theſſalonicenſis epiſcopi animū permouiſſet, ſcripſit ad eos qui Tyri adhuc cōmorabātur, nihil niſi per coniurationē & calumniā cū Athanaſio agi. Quod ſi eum in ſuo grege adnumerent, ſociūq; ſuę factionis iactārēt, eo ipſo uim ſuā in hominē, qua illi ſubſcriptionē expreſſerunt, declarabunt: nec mirū, quū ipſe quoq; omnib. modis ſceleratiſsimus Iſchyras nō ſponte, ſed malo coactꝰ, ꝓuinciā nos reos faciendi ſuſceperit. Pro documento ſunt eius ad coepiſcopū noſtrū Athanaſiū epiſtolę, quib. teſtatur nihil tale ibi actū fuiſſe: ſed ſe ſubornatū eſſe, ut hæc fingeret, ſcripſitq; illa, quū nec pro presbytero ab Athanaſio agnoſceretur, nec per gratiā eum titulū obtinuiſſet, nec ius ædificādę eccleſiæ pro remuneratione impetraſſet, nec epiſcopatū in mercedē expectaret: quæ omnia cōſecutus eſt ab Euſebianis, ob operā ſuā calūnię impenſam. Atq; adeò eius cognati nobiſcū ſemper cōmunioni cōiuncti fuere: nō facturi ſcilicet, ſi uel tātillū iniuriæ à nobis accepiſſet. Hæc nō uerbis, ſed re cōſtare, teſtes ſunt omnes Mareotæ presbyteri, qui comites epiſcopo in obequitationib. & itinerib. fuêre, & qui tum cōtra Iſchyrā ſcripſêre: quibuſq; nec tum quū Tyrū uenirent, permiſsū fuit ueritatem loq: nec cum Mareotę remanerent, cōceſſum fuit ut Iſchyrā calumniatorē refelleret. Exemplaria aūt literarū, tum Alexandri, tum presbyterorū, tum ipſius Iſchyræ, unā miſimus: quib. adiuncta epiſtola patris Imperatorū, in qua non ſolum calūniam de Arſenij morte conuictā deteſtatur magna cum indignatione, ꝙ uiui hominis cędes imputata ſit, uerūm etiā in crimine myſtici poculi ualde admiratur tam uerſipellē & uagā calūniandi inconſtantiā, qua nunc Macariū presbyterū, nunc Athanaſiū epiſcopū de cali ce confracto incuſarint. ac proinde re cognita, Meletianos iterū calumniatores, Athanaſium uerò innocentiſsimū pronunciat. Quî quæſo non pro calumniatorib. Meletiani haberi debeāt, & inter Meletianos pręcipuè Ioannes? qui ubi ipſe ſuā de calice confracto ſycophantiā agnouiſſet, ac proinde in cōmuni onē à nobis receptus eſſet, animaduertēs Euſebianos ſtudijs animisq; cū Meletianis coire, cōmunemq; factionē alere, ita tamen ut illos propalàm adiuuare nollēt, ſed alias ad id perſonas rerumq; ꝓtextus quærerent, obtulit illis ſuā, ueluti in ſcena hiſtrionicā operā, ad eam fabulā agendā: cuius argumentū erat Arianorū agon, primę aūt partis dramatis Arianorū ſucceſſus, aſſutela uerò & appēdix Ioānes cum ſuis gregalib. ut Arianorum ſtudioſi ſub iſtiuſmodi occaſione & ſpecie iudicij, aduerſarios impietatis è medio tollerent, & impietatē in locū pietatis inducerēt, Arianosq; in Eccleſijs locarēt: quo illi qui pietatē exterminatā cuperent, per impietatē rerū potiri poſsēt: & ij qui partes impietatis cōtra Chriſtū ſuſceperant, hoſtes impietatis ſummouerēt. Et iam calicē nobis proferūt confractū, ut uideatur Athanaſius in Chriſtū impius eſſe. At quæ cura myſtici poculi ab illis expectāda eſt? aut unde pietatis in Chriſtum anteſignanꝰ? ulla de myſtico poculo religio? aut unde illi, qui Chriſtū nō cognoſcunt, poculū Chriſti cognitū habēt? aut cur Domini calicē ſe in reuerentia habere ſimulant, qui Chriſtum Dominū cōtumelia afficiunt? aut quo nā pacto calicē deplorant, qui epiſcopū myſteria ſacraq; in eo facientē, occidere ſata gunt: & quantū in ipſis eſt, iam occiderunt? Aut qua nā ratione delamētantur throni epiſcopaliter ſtolati uicē, q epiſcopo in throno ſedenti necē moliūtur? ut thronus epiſcopū deſideret, & populi pia doctrina ſpolientur. Verùm neq; poculū illos, aut cędes, aut ulla deniq; ſcelerū ſpecies, quas ꝓtexunt, ſed ſola Arianorū impietas huc adegit, in cuius ſoliꝰ gratiā, Athanaſio & cæteris epiſcopis inſidias faciūt. Atq; etiā nunc Eccleſiæ bellū infert. Age mihi ergo uideamus, qui nā habendi ſint, q, cædes & exilia faciunt: nonne iſti ipſi? Age qui nā ſeculariū poteſtate ad inſidias epiſcoporū abutūtur? nonne Euſebius cū ſuis? & nequaq̄, ut ipſi ſcribunt, Athanaſius, quē cum alijs multis hoc genere calamitatis afflixerūt: & eodē tempore quatuor presbyteros Alexandrię, quanq̄ Tyrū non uenerāt, è finib. ſuis exterminauerūt. Age, qui nā luctu & lachrymis digna ꝓpetrarunt? nonne iſti q & prima iſta deſignarūt, & ſecūda cū primis cōſerere nō recuſant, omnia calūnijs miſcētes, ut epiſcopū impię ſuę hæreſi nō cedentem, è medio tollāt? Hinc nimirū Euſebius cū ſuis infenſas iras cōcepit, ob hoc Tyri ſpecies Synodi inſtituta eſt, eius rei gratia iudicia ſimulātur. Nō alio ſcopo inaudita cauſa, tanquā in re certa, literę ab illis paſsim circūmiſſæ ſunt: nō alio ſcopo apud patrē Cęſarū, & apud ipſos religioſiſsimos Imperatores calūnias ſuas intētarunt. Verùm qd obtrectationum

tionũ passus sit Athanasius, sacrorũ nobiscũ cõministeꝛ, necessariũ relatu est: ut uel hinc deprehendatis, nihil illos aliud nisi cędẽ uiri quærere. Frumentũ dabatur à patre Imperatorum in alimentũ uiduarũ, partim Libycarum, partim Ægyptiarũ: quod etiamnũ accipiunt, Athanasio nihil inde nisi operã & labore referente. Interim dum & illæ percipereꝛ, nec ulla querela esset de nõ accepto alimẽto, idq; ipsę cõsiterentur: accusatur p calũniã Athanasius, quod uniuersum frumentũ diuẽditũ in suos usus sepositsset. Certè hoc Imperator, istorũ calũnijs inductus, in suis literis conqueritur. Qui igitur calũniatores? nonne illi qui & primas illas calũnias texuerunt, & à secũdis istis nõ abhorrent? Qui deniq; istarũ literarũ Imperatori authores fuêre? nonne Arianorũ fautores? qui nihil quod huic uiro noxã adferre posset, nec in dicẽdo, nec in scribendo subterfugiũt. Quis enim omissis tãtorũ malorũ authoꝛib. in alios istã suspicionem deriuauerit? quũ manifestissimè eorũ calũnia pateat ex studio ipsorũ, quo ab Ecclesia frumentũ abalienare, & transferre ad Arianos satagunt: quæ culpa eos potissimum authores principesq; habere uidetur, qui calũnijs apud Imperatorẽ depositis, nihil recusarũt, quo uiro necẽ molirentur, & à clero Ecclesiæ alimenta auerterẽt, ut ea sine omni dubio hæreticis in prædã cedant. Misimus aũt ad uos testimonia cõministrorum nostrorũ, qui in Lybia, Pentapoli & Ægypto degunt, ut etiã inde cognoscatis illorũ in Athanasiũ sycophantias. Quod ideo faciũt, ut cæteris per metũ, qui pię opiniõis sunt, quiescentibus, impia Arianorũ hæresis introducatur. Nos aũt uestræ prudentię gratias agimus, dilectissimi, quod sæpius anathemate Arianos notastis, neq; illis locũ in Ecclesia dedistis. In proximo aũt iam est, ut ex rerũ documentis appareat, quales Eusebiani sint. Ecce enim post prima eorum de Arianis scripta, quorũ antigrapha ad uos misimus, apertè iam Arianos homines, atq; eo nomine ab uniuersa Ecclesia anathemate cõdẽnatos cõtra Ecclesias irritãt, episcopũq; illis cõstituũt, diuulsis à se inuicẽ per metũ Ecclesijs, quo illis ubiq; suppetant cooperatores suæ impietatis: ac proinde diaconos suos ad Ariomanitas legant, propalàm cum Ariomanitis communione sumpta: literisq; ultro citroq; missitatis, ecclesiã in schisma cõijciunt: eaq; passim scribunt, quæ & hæresim cõmendant, & Ecclesiã conuicijs lacerant, ut ex literis eorũ ad Rom. episcopum, & fortasse ad uos ipsos scriptis deprehẽdere potestis. Quàm igitur ista inulta esse non debeant, etiam uos dilectissimi animaduertitis. Grauia enim sunt, & aliena à Christi doctrina. Hac certe de causa in publico conuentu de cõcilio omnium has literas ad uos dedimus, quibus oramus uestram in Christo prudentiã, ut recipiatis hanc de Athanasio contestationẽ: & cõmercium, cõmunionemq; eius admittatis: & zelũ indignationemq; contra Eusebianos, qui istiusmodi tentãt, induite, ne diutius istiusmodi prauitas & malitia contra Ecclesiã invaleꝛcat. uos certè uindices huius iniusticiæ imploramus, citantes illud Apostolicũ uerbum: Auferte mala ex uobis. mala enim reuera sunt, & indigna cõmunione, quæ ab illis designantur. Ne igitur illis auré prębueritis, si denuò ad uos contra Athanasiũ epistolã scribãt. Quicquid enim ab illis proficiscitur, falsum est, etiãsi nostra Ægyptiorũ episcoporum nomina epistolis suis asscribãt, certũ enim est, nõ nos eos esse, quorũ nomina inscripsêre.

SYNODVS SYRMIENSIS.

PHotinus Ecclesiæ Syrmij episcopus, Christũ initiũ à Maria cæpisse, & nudũ esse hominem, errore Sabellij & Samosateni imbutus, palàm docuerat: quèadmodũ Basil. refert lib. contra Eunomiũ, & Ambrosius in Apologia Dauid: Epiphanius etiam lib. 2. tomo 2, hæresi 71. Quod dogma cum perturbationem Ecclesiæ attulisset, Imperator Constantius Synodum episcoporum ad Syrmiũ conuocauit, anno proximo post consulatum Sergij & Nigriani, ad annum Christi circiter trecentesimum quinquagesimum sexcentum, annis quinq; post Synodum Sardicensem. Socrates libro primo, cap. uigesimo: Sozomenus lib. 4. cap. 6.

Conueniunt autem eò Ariani episcopi, ex Orientalibus Marcus Arethusius, Georgius Alexandrinus, Basilius Ancyranus, Pancratius Pelusianus, & Hypatianus episcopus Heracliæ. Ex Occidentalibus uerò, Valens Mursorum, & Osius Cordubæ, qui infidijs Arianorum paulo antè in exilium expulsus, studio potius seu dolo eorum qui Syrmij conuenerant ab Imperatore accersebatur. Synodus igitur primùm Photinum deprehẽsum in errore Sabellij & Samosateni deposuit, post ea fidei formulas conscripsit inter se diuersas, Græcam unam, Romanam alterã: cuius paulo pòst ipsos etiam authores pœnituit, ideo quòd contraria ipsorum doctrinæ conuenire uideretur. Osius autem, qui inuitus synodo intererat, principio consentire nolens, uerberibus ad assensionẽ & subscriptionem compul-

compulsus est. Socrates libro secundo, capite uigesimosecundo: Sozomenus ibidem. Qui & libro quarto, cap. 12 indicat, Osium in eadem Synodo sententiam hanc approbasse, quòd neq; homousion, neq; homiusion dicendũ sit, ideo quòd nomina ista ignota essent scripturis. atq; eam ob causam Aria nos, Osij aliorumq; catholicorum nomine, literas ementitas Syrmij, ad Oriẽtales dedisse, gloriantes Occidentales tandem in suam sententiam & planam & ueram concesisse.

Videtur & ex eodem libro, eodem cap. 13, Synodum eam constituisse, filium secundum essentiam patri similem dicendum esse. Et adfirmat Hilarius contra Constantium, in ea Synodo Constantium admisisse & probasse substantiæ nomen, Christũ nempe homousion esse: sed per simulationem, ut Occidentalibus imponeret.

Extant duo symbola apud Socratem lib. secundo, capite trigesimo: & Athanasium in epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, ubi sic: Rursus, inquit, Syrmij aduersus Photinum congregati, aliam fidem cõposuerunt, non ita prolixam, neq; tot uerbis abundantem. Nam plerisq; detractis, alia addiderunt, ueluti ea per suggestionẽ ab alijs audiuisset. Sunt autem ista: Credimus in unum Deũ, patrem omnipotentem, creatorem & factorem omniũ, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Et in unigenitũ eius filium, Dominũ nostrum IESVM Christũ, ante omnia secula ex patre genitũ, Deum ex Deo, lumen de lumine, per quem omnia in cœlis & in terra facta sunt, tam inuisibilia q̃ uisibilia: eundemq; uerbum esse, & sapientiam, lucem ueram & uitam: & ultimis diebus hominem factum, natumq; ex sancta uirgine, crucifixũ, & mortuũ & sepultum esse, & resurrexisse è mortuis tertio die, & assũptũ in cœlos esse, sedereq; ad dextrã patris: uenturumq; in cõsummatione seculi ut iudicet uiuos & mortuos, reddatq; unicuiq; secundum opera sua, cuius regnum indesinẽs permanebit in infinitas ætates: sedet enim ad dextrã patris, nõ solum in hoc seculo, sed & in futuro. Et in Spiritum sanctũ, hoc est paracletũ, quẽ promissum Apostolis, post adscensum in cœlos misit, ut doceret eos & cõmonefaceret omniũ: per quem omnes animæ quæ in eum synceriter credunt, sanctificantur. Eos porrò qui dicunt, ex nõ ente, aut ex alia subsistentia, & non ex Deo filium extitisse, aut quòd tẽpus aut ætas fuit quando ille nõ erat, alienos à se censet sancta & catholica Ecclesia. Iterum ergo dicimus: Si quis patrem & filium duos Deos opinetur, anathema esto. Item, si quis dicens Deũ Christum esse, sed eum ante secula filiũ Dei, & administrum patri, ad uniuersitatis creationẽ non fuisse cõfiteatur, anathema esto. Si quis eum qui ingenitus est, aut patrem eius, ex Maria natum ausit dicere, anathema esto. Si quis filium ante Mariam, sed secundũ præcognitionem fuisse dicat, ac non potius ante secula ex Deo genitum, apud Deum fuisse, & per eum omnia facta esse, anathema esto. Si quis substantiã Dei dilatari aut contrahi loquatur, anathema esto. Si quis dilatatã essen tiam, filium efficere dicat: aut dilatationem substantię Dei, filium nominet, anathema esto. Si quis merum hominem ex Maria natũ esse dicat, anathema esto. Si quis hæc uerba, Ego sum Deus primus & ultimus, ego quoq; postea, & præter me nõ est Deus, quæ ad subuersionẽ idolorũ dicta sunt, ad subuersionem unigeniti ante secula Dei Iudaicè accipiat, anathema esto. Si quis hoc dictũ, Verbum caro factũ est, audiens, uerbum in carnẽ mutatũ esse opinetur: aut postq̃ conuersionẽ passum esset, carnem assumpsisse dicat, anathema esto. Si quis unigenitũ filiũ Dei crucifixum audiens, eius deitatem corruptionẽ, passionem, mutationem, diminutionẽ, aut extinctionem sustinuisse dicat, anathema esto. Si quis hoc dictum, Faciamus hominẽ, non patrem ad filium, sed Deum secum loqui affirmet, anathema esto. Si quis Abraham non filium, sed ingenitum Deum aut patrem eius uidisse asseueret, anathema esto. Si quis cum Iacob non filiũ colluctatũ fuisse dicat, sed ingenitum Deum, aut patrẽ eius, anathema esto. Si quis hoc dictũ, Pluit Dominus ignem à Domino, non de patre & filio accipiat, sed ipsum à seipso pluisse dicat, anathema esto. Pluit enim filius Dominus, à Domino patre. Si quis audiens Dominum patrem, Dominum item filium, eo quòd Dominus ex Domino sit, duo numina existimet, anathema esto. Non autem eiusdem ordinis patrem & filium, sed filiũ patri subiectum arbitramur. Neque enim ille Sodomam sine consilio patris descendit, neque à se pluit, quum penes patrem authoritas sit; neque ex se habeat quod sedet ad dextrã patris, sed auscultet patri ita loquenti, Sede à dextris meis. Si quis patrem & filium & spiritum sanctum unam personam esse dicat, anathema esto. Si quis spiritum sanctum paracletum nominans, ingenitum dicat Deum, anathema esto. Si quis, ut docuit Dominus, alium adhuc nominet paracletum, præter filium (dixit enim, Et alium paracletum mittet uobis, quem ego rogabo) anathema esto. Si quis patrem & filium & spiritum sanctum tres deos appellet, anathema esto. Si quis uoluntate Dei, filium Dei ita extitisse dicat, ut aliquid quod conditum est, anathema esto. Si quis nolente patre filium genitum esse dicat, anathe-

ma esto. (non enim pater coactus naturali necessitate, filium, quem noluit, genuit: sed statim ubi uoluit, sine tempore & passione eum ex se genitum edidit) anathema esto. Si quis ingenitum, & sine origine filium nominat eo animo, ut duo ingenita & inoriginata, & duos deos statuere uelit, anathema esto. Caput enim & principium omnium filius est, caput uerò & principium Christi Deus. ita enim ad unum principium uniuersitatis nullo initio inchoatum, per filium piè omnia reducimus. Iterũq; exactè tradentes Christianismi sensum dicimus, si quis Christum Deum, filium Dei ante secula, administrumq; ad uniuersitatis opificium fuisse neget: sed ex quo tempore è Maria genitus est, Christum & filium appellatum fuisse, & principium suæ deitatis tum accepisse dicat, anathema esto.

Istis omnibus, inquit, neglectis, ac ueluti melioribus repertis, aliam fidem decernunt: & Syrmij in scripta referunt, Romano quidem sermone, sed quæ Græcè interpretata hunc sensum habeant. Quoniam de fide placuerat disceptationem fieri, omnia cum sedulitate inquisita & examinata fuêre Syrmij in præsentiâ Valentis, Vrsatij, Germinij, cæterorumq; omnium. Constitit ergo, unũ esse Deum omnipotentẽ, sicuti in uniuerso orbe prædicatur. Et unum eius unigenitũ filium, Dominum nostrũ IESVM Christum, ex eo ante secula genitũ. duos tamen Deos non oportere dici, quũ ipse Dominus de se loquutus sit: Vado ad patrẽ meũ, & patrem uestrũ, Deũ meum, & Deum uestrũ ideoq; omniũ Deus habendus est, quemadmodum Apostolus dixit: An Iudæorũ tantummodo sit Deus, & non etiã gentium? certè & gentium: quoniã unus est Deus, qui iustificabit circumcisionẽ ex fide, & præputiũ per fidem. & reliqua omnia consentiunt, & nullã prorsus habent ambiguitatem. Cæterum quia multos cõmouet uox latinè quidem dicta Substantia, Græcè autem οὐσία, hoc est, ut diligentius cognoscatur, illud quod ὁμοούσιον aut ὁμοιούσιον dicitur: nullam earum uocum mentionem debere fieri, neq; de ea id sermocinandum in Ecclesia censemus, quòd de ijs nihil scriptũ sit in sacris literis, & quòd illa hominũ intellectum & mentem transcendant, & quòd nemo possit generationem filij enarrare. quẽadmodũ scriptum est: Generationẽ eius quis enarrabit? Solum enim patrem scire, quomodo filium suum genuerit, certũ est. Nulli uerò ambiguum, patrem maiorem esse: neq; est quod quisquã dubitet, patrem honore, dignitate, deitate, atq; adeò ipso nomine patrem maiorẽ esse, attestante præsertim ipso filio: Qui misit me pater, maior me est. & hoc ipsum catholicum est. Et nemo ignorat duas esse personas patris & filij, ac proinde patrẽ maiorem, filium uerò patri cum omnib. quæ illi pater subiecit, subiectum esse: patremque initiũ non habere, & inuisibilem & immortalem & liberũ à passionibus esse: filium uerò ex patre genitum esse, Deum ex Deo, lumen de lumine: eiusq; generationem, queamadmodum superius dictum est, neminem scire nisi solum patrem: ipsumq; filium Dominũ nostrum & Deum, carnem siue corpus, hoc est hominem, è Maria uirgine assumpsisse: quemadmodum angelus prænunciauerat, & omnes scripturæ docent, & in primis ipse gentium Apostolus, hominẽ assumpsit Christus ex Maria uirgine, per quem passus est. Summa autem totius fidei & firmamentum est, ut Trinitas semper retineatur: queadmodum legimus in Euangelio, Abite & baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Numerus autem Trinitatis integer & perfectus est. Paracletus porrò, nimirum Spiritus sanctus, per filium missus secundum Euangelium uenit, ut Apostolos & omnes credentes erudiret & sanctificaret.

Recitat utrunq; Symbolum & Hilarius, de Synodis aduersus Arianos. Ac prius quidem, cum prolixissima explicatione. Deposteriori autem sic ait: Meministis, in ea scripta proximè apud Syrmium blasphemia id tentatum ac laboratum fuisse, ut dum pater unus & solus omnium Deus prædicatur, Deus esse filius negaretur: & dum de homousio & ὁμοιουσίῳ taceri decernitur, id decretum esse, ut aut ex nihilo, ut creatura, aut ex alia essentia, ut consequentia creaturarum, & non ex Deo patre, Deus filius natus confirmaretur. Tum porrò in eo quod honore, claritate, dignitate, maiestate pater maior diceretur, id esse quæsitum, ut filius his omnibus quibus pater maior est, indigeret. Postremò dum ignorabilis natiuitas eius asseritur per hoc ignorantiæ decretum, nescire quòd ex Deo sit, iuberemur. Perinde quasi iuberi decerniq; possit, ut quis aut quod ignoratus sit sciat, aut quod scierit ignoret.

His formulis, ut subscriberet Photinus, etiam post depositionem ab episcopis admonitus, & promissione restitutionis erepti episcopatus, iussus est damnare suum dogma. id uerò ille recusabat, & ad disputationem Synodum prouocabat. Dicitur igitur dies ex sententia Imperatoris: conueniunt episcopi, adhibentur Imperatoris consilio senatores non pauci, constituuntur notarij utrinque partis uerba excepturi: & committitur acerrima concertatio, Basilio Synodi nomine Photino contradicente. A quo etiam uictus Photinus, & condemnatus, in fugam se dedit. Socrates libro secundo, capite trigesimo.

SOZO.

SYNODVS IN ORIENTE.

Contra Sirmienſem Synodum, Hilarius ibidem ait congregatos fuiſſe epiſcopos Orientales: quanquam locum non addit. & ſententiarum definitiones duodecim condidiſſe, quas ex eo adſcribimus.

His tot, inquit, & tantis impietatis profeſsionibus editis, has rurſum è contrario Orientales epiſcopi in unum congregati ſententiarum definitiones condiderunt.

1 Si quis audiens imaginem eſſe filium Dei inuiſibilis, idē dicat eſſe imaginem Dei quod & Deum inuiſibilem, quaſi non confitens uerè filium, anathema ſit. Expoſitiones omnes ſi quid habent criminis, intra ſe habent: cæterum non habere in publica facie exiſtimantur. Sed quia ſciré mea ſola Syrmiū eſſe delata, excluſa eſt aſſertio uolentium nominibus tantum patrem & filium prædicare: cum imago omnis, eius ad quē imaginetur, ſpecies indifferens ſit. neque enim ipſe ſibi quiſquam imago eſt: ſed eum cuius imago eſt, neceſſe eſt ut imago demonſtret. Imago itaq; eſt, rei ad rem coæquandæ imaginata & indiſcreta ſimilitudo. Eſt ergo pater, eſt & filius, quia imago patris eſt filius: & qui imago eſt, ut uerè imago ſit, ſpecié neceſſe eſt & naturam & eſſentiam ſecundum quod imago eſt, in ſe habeat autoris.

2 Et ſi quis audiens filium dicentem, ſicut enim pater habet uitam in ſemetipſo, ſic & filio dedit uitam habere in ſemetipſo: eundem dicat, qui acceperit à patre uitam, qui confitetur hoc idem, Ego uiuo propter patrem, quem & illum qui dederit, anathema ſit. Diſcernitur perſona accipientis & dantis, ne ipſe ſit idem unus & ſolus. Cum enim anathema ſit, qui ſolitarium atq; unicum in accipientis & dantis profeſsione crediderit, non poteſt intelligi idem atq; unus à ſe accepiſſe qui dederit. Neq; enim eſt ipſe ſolus qui uiuit, & per quē uiuit: quia alius eſt ſibi uiuens, alius profitens ſe uiuere per autorem: & unum atq; eundem nemo profitebitur, qui uita utatur, & per quem ſit cauſa uiuendi.

3 Et ſi quis audiens unigenitum filium, inuiſibilis Dei ſimilem, non dixerit eſſentia filium, qui eſt imago Dei inuiſibilis, cuius imago & iuxta eſſentiam intelligitur, quaſi non uerè dicens filium, anathema ſit. Infra. Cum enim unigenitus filius, & imago inuiſibilis Dei ſit, neceſſe eſt per ſpeciem atque naturam ſimilis eſſentia ſit. Aut quomodo inter filium atque patrem natura diſcernitur generis indifferentis, cum in his quæ patris ſunt propria, ſubſiſtens filius, per naturam in ſe genitam conſiſtat, glorię ſcilicet, uirtutis, poteſtatis, inuiſibilitatis, eſſentiæ: atq; in his paribus diuinitatis bonis intelligitur, neque ille minor eſſe, cum filius ſit: neque hic præſtare, cum pater ſit: cum patri filius & coimaginatus ad ſpeciem ſit. Nec ſit diſsimilis in genere, quia diuerſitatem ſubſtantiæ geniti ex ſubſtantia patris & filij ſimilitudo non recipit: & omnem in ſe diuinitatis paternę, qualis & quanta eſt, formam inuiſibilis Dei filius & imago complectitur. & hoc uerè eſt eſſe filiū, paternæ ſcilicet formæ ueritatē, coimaginatæ in ſe naturæ perfecta ſimilitudine retuliſſe.

4 Et ſi quis audiens hoc, Quomodo enim pater habet uitam in ſemetipſo, ſic & filio dedit uitam habere in ſemetipſo: ſimilem nō dicat etiam iuxta eſſentiam filium patri, ipſo teſtante quòd ſic habet quemadmodum dixit, anathema ſit. Manifeſtum eſt enim, quod uita in patre hic intelligitur ſubſtantia ſignificata: uita quoque in unigenito, quæ ex patre generata eſt, eſſentia intellecta, ita ſimilitudinem eſſentiæ ad eſſentiam ſignificari connectitur. Tali confeſsione originis ſuæ indiſcretæ naturæ perfecta natiuitas eſt. Quod enim in utroque uita eſt, id in utroque ſignificatur eſſentia, & uita quæ generatur ex uita, id eſt, eſſentia quæ de eſſentia naſcitur, dum non diſsimilis naſcitur ſcilicet, quia uita ex uita eſt, tenet in ſe indiſsimilem naturam originis ſuæ: quia & natæ & gignentis eſſentiæ, id eſt, uitæ quæ habetur & data eſt, ſimilitudo non diſcrepet. Quod enim ex ſe Deus eum ex natura ſuæ ſimilitudine genuit, non deſeruit in eo genitam ſimilitudinem naturalis proprietate ſubſtantiæ. Non enim aliud habet quàm dedit: & ſicut uitam habens, ita habendam dedit uitam. Ac ſic quod de eſſentia tanquam uita ex uita, ſimile ſui ſecundum eſſentiam naſcitur, nullam diuerſitatem ac diſſimilitudinem admittit geniti & gignentis eſſentia.

5 Si quis condidit uel creauit me, & genuit me, ab eodem audiens, hoc genuit me, non tamen ex ſimilitudine eſſentiæ intelligat, ſed idem eſſe dicat Genuit me & Condidit me, quaſi non dicens filium de Deo perfectum, ex duobus nominibus ſignificatum filium, ſed per duo nomina, hoc eſt, Condidit me & Genuit, conditionem tantummodo dicens, & nequaquam filium, ſicut tradidit ſapientia ex duobus pium intellectum, anathema ſit. Dicentibus creaturam uel conditionem eſſe filium Dei, contraitur ratione ſubiecta. Namque impietatis hæreticorum hinc prophana præſumptio eſt, quod legiſſe ſe dicāt: Dominus condidit uel creauit me. Idipſum enim conditio & creatio uidetur intelligi. Sed conſequentem ſententiam ſubtrahentes, ex qua

intelligentiã prior ſumit, ex prima arripiunt impietatis ſuæ autoritatem, ut creaturam dicant, quia ſapientia dixerit ſe creatam. Quę ſi creata eſt, quomodo potuit & naſci? quia omnis natiuitas, quęcunq; eſt, in naturam ſuã ex natura gignente conſiſtit. Creatio autem ſumit exordium de creantis poteſtate: potente ſcilicet creatore ex nihilo condere creaturam. Sapientia itaque quæ ſe dixit creatam, eadem in conſequenti ſe dixit & genitam creaturam, creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ extra humani partus ſpeciem & conſuetudinem, ſine imminutione aliqua ac demutatione ſui creauit ex ſe ipſa quod genuit. Creantis enim opus non habet paſsionem aut permixtionis, aut partus. Eſſe enim aliquando incipit, quod creatur ex nihilo. Et qui creat, efficit pro poteſtate quod condidit: & eſt opus uirtutis creatio, non naturæ ex natura gignẽte natiuitas. At uerò natiuitas, legitimæ originis & genuinæ naturæ profectus eſt. Ex natura enim generante naturam ſumpſit genita natura. Sed quia filius Dei nõ corporalis partitudinis eſt genitus exẽplo, ſed ex perfecto Deo pfect⁹ Deus natus eſt, idcirco ait creatã ſe eſſe ſapiẽtia, iam omnes in generatione ſua corporales paſsiones excludens. At uerò ut oſtenderet, non creationis in ſe, ſed natiuitatis naturam eſſe, ſubiecit & genitam: ut cum creatam ſe & genitam confitetur, abſolutam natiuitatis ſuæ intelligentiam præſtaret: dum & indemutabilem patris naturam in creatione ſignificat, & legitimam ac propriam ex Deo patre genitam naturæ ſuæ oſtendit eſſe ſubſtantiam. Atq; ita perfectæ natiuitatis intelligentiam, creationis & generationis attulit ſermo, cum alterũ ſine demutatione, alterũ in proprietate naturæ eſt. Fitq; utrunq; unũ, & unũ utrunq; perfectum, dum & filius ex Deo, ac ſine demutatione Dei natus eſt, & ex patre naſcitur ut creetur, & indemutabilis ex ſe, ac naturalis filio, pater ſic filiũ condit ut generet. Hæreſis ergo, creaturam eſſe Dei filium profiteri auſa, damnatur: quia impiam creaturæ Dei ex nihilo opinionem, impaſsibili per eam diuinitatis perfectione monſtrata, conſequens profeſsio naturalis generationis extinguat.

6 Et ſi quis in filio patris ſimilitudinem ſecundum eſſentiam quidem, ipſo filio reuelante, per hæc quę dicit, Sicut enim pater habet uitam in ſemetipſo, ſic & filio dedit habere uitam in ſemetipſo: iuxta efficientiam autem, per ea quæ docet, Quæ enim pater facit, eadem & filius ſimiliter facit, ſolam ſecũdum efficaciam ſimilitudinem concedens: iuxta eſſentiam uerò, quod eſt principaliſsimum fidei noſtræ, filium fraudet, quaſi ſemetipſum fraudans cognatione uitæ perpetuæ, quæ eſt in patre & filio, anathema ſit. Concluſi hæretici ſcripturarum autoritatibus, hoc ſolum tribuere ſolent filio, ut patri tantùm uirtute ſimilis ſit: adiũmant autem ei ſimilitudinem naturæ, ſtulti atq; impij, non intelligentes, non niſi ex naturæ ſimilitudine ſimilitudinem eſſe uirtutis. Neque enim aliquando inferior natura, ſuperioris à ſe potioris ſq; naturę uirtutẽ conſequetur. Aut quid hæc aſſerentes, de omnipotente patre Deo profitebuntur, ſi uirtuti ſuæ uirtus naturæ inferioris exæquatur? Non enim poteſt negari, quin filius idem poſsit, cum dixerit: Quæcunque facit pater, eadem & filius facit ſimiliter. Sed ſimilitudini uirtutis, naturæ ſimilitudo ſuccedit, cum dicit: Sicut enim pater habet uitam in ſemetipſo, ita & filio dedit uitam habere in ſemetipſo. In uita, naturæ & eſſentiæ ſignificatio eſt, quæ ſicut habetur, ita data eſſe docetur ad habendum. Tenet ergo uitæ ſimilitudo uirtutis ſimilitudinem. Similitudo enim uirtutis non poteſt eſſe diſsimilis naturæ: atque ita neceſſe eſt, ut eſſentiæ ſimilitudo uirtutis ſimilitudinem conſequatur. Quia ſicut ea quę pater facit, eadem & filius facit: ita ſicut habet uitam pater, ſic habendam filio dedit uitam. Condẽnatur ergo impię profeſsionis temeritas, quę uirtutis ſimilitudinem continens, diſsimilitudinem auſa ſit prædicare naturæ: cum principalis ſpei noſtræ fides ſit, indifferentem in patre & filio diuinitatis ſubſtantiam confiteri.

7 Et ſi quis patrem & filium credere ſe promittens, patrem diſsimilis ſibi eſſentiæ dicat, ſed ſimilis efficaciæ, quaſi prophanas & nouas uoces contra eſſentiã filij loquens, & interimens uerum Dei filium eſſe, anathema ſit. Confuſis permixtis'que uerbis ueritatem frequentiſsimè hæretici eludunt, & incautorum aures communium uocabulorum ſono capiunt, patrem & filium ſolis nominibus, non etiam per ueritatem naturalis & genuinæ eſſentiæ prædicantes: quia omnium creationum ſcidant dici Deum patrem, & ſanctos quoſque nuncupari meminerint Dei filios, quo exemplo patrem & filium ſecundum communia uniuerſitatis nomina confitentur, ut pater & filius dicantur potius quàm ſint. Dicuntur enim, non etiam ſunt, ſi in his differentis eſſentiæ diſcreta natura eſt, cum non poſsit paterni nominis ueritas niſi ex naturæ ſuæ progenie acquiri. Pater itaque non poteſt alienæ à ſe ac diſsimilis ſubſtantiæ pater dici, quia natiuitas perfecta non habet diſsidentem originalis ſubſtantiæ diuerſitatem. Repudiatur

diatur ergo hæc omnis impietas, quæ patrem non ſecundum naturam ſuam, genitiq; ex ſe filij patrem loquatur. Neque enim pater per id dicetur Deus, ſi habeat uirtuti atque efficaciæ ſuæ ſimilem creationem, ſed ſi genuerit non diſſimilis atque alienæ à ſe eſſentiæ naturam: quia diuerſitatem paternæ naturæ natiuitas naturalis non recipit. Atque ob id anathema ſint, qui patrem aſſerant diſſimilis ſibi naturæ patrem eſſe, ut ex Deo aliud quàm Deus natus ſit, & putant eſſentiam patris à ſe in filio degeneraſſe eſt, ipſam illam innaſcibilem patris & indemutabilem eſſentiam: quia auſi ſunt ſe gignendo. Perimunt enim, quantum in unigeniti ſui natiuitatem, diſſimilitudinem degeneratæ eſſentiæ naturalis ingerere.

8 Et ſi quis intelligens ſimilem ſecundum eſſentiam filium, eius cuius & filius intelligitur, eundem dicens filium quem patrem, aut patrem patris, aut per emanationem, aut aliquam paſsionem, quemadmodum corporales filios, ab incorporali patre incorporalem filium ſubſiſtentem, anathema ſit. Cauetur in omnibus aduerſum ſingularum peruerſitatum uitia, neque occaſio fraudis admittitur. Plures enim hæreticorum, idcirco ſimilem ſecundū diuinitatem eſſe patri filium dicunt, ut per ſimilitudinis proprietatem, eundem patrem eſſe quem filium confirment, quia indiſcreta ſimilitudo admittere uideatur unici ac ſingularis occaſionem. Quod enim non diſſentit in genere, id uidetur in unione manere naturæ. Sed natiuitas non admittit hanc fabulam, quia unio non habet natiuitatem: quod enim natum eſt, habet natiuitatis ſuæ patrem. Neq; quia indiſcreta eſt naſcentis à gignente natiuitas, ideo ipſe eſt & generator & genitus, cum nō poſsit niſi alius atque alius eſſe generans & generatus, neque rurſum diſſimilis eſſe poſſit natus & generans. Anathema ergo eſt, qui in patre & filio naturæ ſimilitudinem, ad abolendam filij perſonalem ſignificantiam, perſonabit. Quia cum in nullo differat res à re per mutuam ſimilitudinem: ſimilitudo tamen ipſa non recipiens unionem, patrem & filium per id quod filius indemutabilis ſimilitudo patris eſt, confitetur. Non enim aut pars eſt filius patris, ut unus dici poſsit & natus & generans. Neque emanatio eſt, ut continenti fluxu per corporalem & indiuiduum procurſum, idem ipſe fluxus retentus in origine, ipſum ſibi ſit ſerie atque tractu cohærenti, origo quod fluxus: ſed perfecta natiuitas eſt, & cum naturæ ſimilitudine manens, non conceptu & partu corporali corporaliter inchoata, ſed ſecundum eiuſdem naturæ ſimilitudinem incorporalis filius ex incorporali patre ſubſiſtens.

9 Et ſi quis propterea quòd nunquam pater filius intelligitur, & quòd filius nunquam pater intelligitur, alium dicens filium præter patrem, propterea quòd alius ſit pater, alius ſit filius, ſecundum quod dictum eſt (Alius eſt qui teſtimonium perhibet mihi, qui me miſit pater) propterea hanc piam in Eccleſia intelligendam proprietatem perſonæ patris & filij, timens ne quando idem intelligatur filius & pater, ſimilem non dicat etiam iuxta eſſentiam patri, anathema ſit. Dictum ad Apoſtolos Domini eſt: Eſtote prudentes ut ſunt ſerpentes, & ſimplices ut columbæ. Per quod diſſidentium à ſe animantium ineſſe nobis uoluit naturam, ſed ita, ut ſerpentinam prudentiam columbæ ſimplicitas temperaret, & ſimplicitatem columbæ prudentia ſerpentis inſtrueret: fieretque & ſimplex ſapientia, & ſapiens ſimplicitas: quod præceptum in huius fidei expoſitione ſeruatum eſt. Nam cum ſuperior, de qua locuti ſumus, ſententia id cauiſſet, ne per ſimilitudinem eſſentiæ, perſonalis unio prædicaretur, neque ut naturæ indifferentia perimeret filij natiuitatem, & unus ac ſolitarius nobis eſſet in ſenſu, quia alter ab altero non differret in genere: ſed conſequentī ſententia illi prudentiæ ſerpentis, cui configurari cum columbæ ſimplicitate præcipimur, per ſimplicem atque Apoſtolicam prudentiam rurſum occurſum eſt, ne fortè per id quod perſonalis unio non reciperetur, quia alius ſit pater, alius ſit & filius, prædicatio iterum diſſimilis naturæ poſsit obrepere: ne dum alius eſt qui miſit, & alius qui miſſus eſt, quia non unus eſt miſſus & mittens, diſcretæ ac diſſimilis naturæ exiſtimarentur eſſe miſſus & mittens, cum diuerſæ eſſentiæ eſſe non poſsint natus & generans. Retinetur itaq; in patre & filio naturæ indifferentis ſimilitudo per eſſentiæ natiuitatem. Non tamen damnū perſonæ affert, ut unus ſit miſſus & mittens, ſimilitudo naturæ. Neq; rurſum in perſonæ proprietate, cum nō poſsit ipſe ſibi unus & filius et pater dici, aufertur ſimilitudo naturæ, atq; ita & natiuitatis ueritas ad ſimilitudinem proficit eſſentiæ, & ſimilitudo eſſentiæ nō adimit natiuitatis perſonalē ueritatem. Neq; rurſum profeſsio gignentis & geniti ſimilitudinem excludit eſſentiæ: quia cum gignens & genitus unus eſſe non poſsit, non tamen diuerſæ naturæ ſint natus & generans.

10 Et ſi quis in aliquo tempore patrē Deū unigeniti filij intelligat, & non ſuper tempora, & ſuper omnem humanā exiſtimationē unigenitum filium ſine paſsione extitiſſe,

quasi prætergrediens Euangelicam prædicationem, quæ temporum quidem intercapedinem de patre & filio aspernata est: fideliter autem nos docuit, quod in principio erat uerbum, & uerbũ erat apud Deum, & Deus erat uerbum, anathema sit. Pia professio est, patrem non intra tempora contineri. Omnẽ enim intelligentię sensum excedit intemporalitas, paterni nominis ueritas. Et si ipsa paterni nominis, per quod impassibilis origo nascentis est, religiosa confessio est, non tenetur tamen in tempore: quia non potest æternus & infinitus Deus pater intelligi temporalis. Et secundum Euangelicam prædicationem cognoscitur unigenitus Deus, uerbum magis iam in principio apud Deum esse, quàm nasci.

11 Et si quis seniorem tempore patrem dicat filio ex se unigenito, iuniorem autem filium patre, anathema sit. Similitudo essentiæ configurata in genere, indifferens quoq; docetur in tempore: ne qui imago est Dei, qui uerbum est, qui Deus est apud Deum in principio, qui similis est patri, interiecto inter se ac patrem tempore, non perfectum in se habeat quod & imago est & uerbum est et Deus. Si enim tempore iunior prædicatur, amisit & imaginis & similitudinis ueritatẽ: quia similitudo iam non sit, quæ dissimilis reperiatur in tẽpore. Quia ipsum illud quod Deus pater est, tempus aliquod nõ potest habere ne pater sit. Ex quo nec in filio tempus potest esse, ne filius sit. Atq; ob id nec pater filio senior, nec filius patre iunior esse dicendus est, quia utriusque nominis ueritas non possit esse sine altero.

12 Et si quis intemporalem unigeniti filij de patre substantiam ad innascibilem Dei essentiam referat, quasi filium patrem dicens, anathema sit. Dedisse superior definitio occasionem hæreticis uidebatur, cum tempus natiuitatis filij negaretur: quia nefas esset, si pater esset in tempore. In tempore autem esset, si filius tempori subderetur, ut per hanc opportunitatem temporis abnegati, sub filij nuncupatione pater, qui innascibilis esset, singularis atq; unicus, ipse sibi & pater & filius prędicaretur. Quia ubi nascendi tempus excluditur, illic opinio uidetur innascibilitatis admitti, ut natus non putetur, cuius natiuitas nõ sit in tempore. Idcirco ne per hanc occasionem temporis abnegati hęresis unionis irreperet, & hęc impietas damnatur, quę audeat intemporalem natiuitatem ad unicam ac singularem innascibilis essentię referre substantiam: cum aliud sit intemporalem esse, aliud sit esse non natum: quorum unum habeat, licet extra tempus, natiuitatẽ: aliud ipsum sibi, ad id quod est, solus atq; idem autor æternus sit. Percurrimus charissimi fratres, omnes Orientalium episcoporum editas fidei definitiones, quas aduersum emergentem proximè hæresim, congregati intra synodum condidêre: & nos quantum potuimus, ad intelligentiæ eorum sensum, expositionis nostrę sermonem coaptauimus, famulantes potius eorum dictis, quàm dictorum alienorum autores existimandi: quibus aduersum nouam & prophanam impietatem, hæc conscientiæ suæ, & adeptæ iampridem doctrinæ suæ instituta decernunt, & eos qui hanc apud Syrmium hæresim conscripserãt, uel conscriptam susceperant, ignorationem confitentes, ad subscriptionem decretorum talium coëgerunt. Vbi filius patris imago perfecta est: ubi sub indifferentis imaginis proprietate, per fraudem prophanam filius non aboletur, ut pater sit: ubi imago patris filius prædicatur per similitudinis ueritatẽ, à substantia patris, cuius imago est, substantię diuersitate non differt: ubi per habitam à patre uitam, & acceptam à filio uitam, nihil differens in substantia quæ significatur in uita, habeat pater, quam filius accepit ad habendum. ubi non creatura est filius genitus, sed à natura patris indiscreta substantia est: ubi sicut inter patrem & filium indifferens uirtus est, ita nullam inter se diuersitatem patiatur essentiæ: ubi pater generando filium, nihil ex se in eodem degenerat diuersitate naturæ: ubi quia nihil differat in utroq; naturę proprietas, tamẽ similitudinis personalium nominum respuat unionem, ne subsistens unus sit, qui & pater dicatur & filiꝰ: ubi quia piè dicitur & pater mittens, filius missus, in nullo tamen inter patrem & filium, id est, inter missum atq; mittentẽ discernatur essentia: ubi non intra tempora paterni nominis ueritas continetur: ubi filius patre nõ est posterior in tempore: ubi ultra tempus omne perfecta natiuitas, innascibilitatis in se non admittit errorem. Et hæc quidem, fratres charissimi, omnis quæ edita est fidei doctrina, per paucos iuxta uniuersitatis modum Orientales, sub his ipsis propè diebus, quibus uos ingestam hæresim respuistis, emersit: cuius exponendæ ea fuit ratio, quòd unius substantiæ silentium decernebatur.

MEDIOLANENSIS.

CVm mortuo Constante, Athanasius iterũ sede sua pulsus esset, Ariani Constantio persuaserunt, ut synodum Mediolani indiceret, in hoc, ut quæ olim apud Tyrum decreta essent, confirmarentur: & Athanasio ex Ecclesia eiecto, alia exponeretur fidei formula. Theodoretus lib. 2. cap. 15. Ruffinus uerò libro 1. cap. 19, Imperatorem per se ait synodum eam indixisse, cogendi studio episcopos occidentales per deceptionem, ad consensum hæreseos Arianæ: ob quod & Atha-

Athanasium, ne quid sibi interponeret impedimenti, in exilium abiecerat.

Conuenerunt ad eam, ex Orientalibus episcopis non admodũ multi: ideo quòd plures uel sumptus, uel ualetudo, uel itineris longinquitas accedere prohibebat. Ex Occidentalibus autem plures quàm trecẽtos adfuisse, Socrates tradit libro secundo, capite trigesimosexto. Inter quos & presbyteros Romanos fuisse, Athanasius testatur in epistola de synodis Arimini & Seleuciæ.

Sed qui ex Oriente conuenerant, ante omnia communem contra Athanasium sententiam proferri petebant, ut nullus deinceps ipsi ad Alexandriã aditus patêret. Ob quod synagogam malignantium eam Synodum Hilarius dixit, in epistola ad Constantium. Contra quod Dionysius episcopus Albæ, Eusebius Vercellensis, Paulinus Treuirensis, Rhodanus, & Lucifer Sardiniæ episcopus, fraudem & insidias aduersus ueram doctrinam eo in negotio inesse animaduertentes, surrexerunt: & ad nihil aliud accusationem contra Athanasium ab Orientalibus & Imperatore excogitari, nisi in fidei destructionem, exclamarunt. Ruffinus, Socrates, Sozomenus ibidem. Theodoretus libro eodem, capite decimoquinto, addidit, episcopos palàm Imperatorem præsentem coarguisse impij & iniusti imperij.

Plenius autem illud, et paulo diuersius in hunc modum Hilarius narrat libro ad Constantiũ Augustum: Eusebius Vercellensis episcopus est uir omni uita Deo seruiens. Hic post Arelatensem synodum, cum Paulinus episcopus tantis istorum sceleribus contaminatã iam illic malignantium synagoga, decem diebus ad ecclesiam uetitus est accedere, dum aduersus tam sanctum uirum malitiose peruersa consumit. Separatis deinde cõ filijs omnibus, ubi libitum est, aduocatur. Adest unà cum Romanis clericis, & Lucifero Sardiniæ episcopo: conuentis ut in Athanasium subscriberent, ait, de sacerdotali fide prius oportere cõstare. Compertos sibi quosdam ex his qui adessent, hæretica labe pollutos. Expositam fidem apud Nicæam posuit in medio, spondens omnia se quæ postularent esse facturũ, si pro fidei professione scripsissent. Dionysius Mediolanẽsis episcopus chartam primus accepit, ubi profiteri scribẽdo cœpit, Valens calamum & chartam è manibus eius uiolenter extorsit, clamans non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in cõscientiam plebis est. grauis omnium dolor ortus est, impugnata est à sacerdotibus fides. Verentes igitur illi populi iudicium, è Dominico ad palatium transeunt. Cuiusmodi sententiam in Eusebium, antequam ecclesiam ingrederetur, scripserint, de se loquitur ipsa sententia.

Epistola tamen Ariminensis synodi ad Cõstantium, quæ apud Theodoretum extat, ut pòst dicemus, refert Vrsacium & Valentem communionem orthodoxorum expetijsse, & delictorum suorum pœnitentes ueniam postulasse. Ac recitat exemplum epistolæ Vrsacij & Valentis ad Iulium Romanum episcopum, Sozomenus libro tertio, capite uigesimo tertio, qua significant se in concilio Mediolani Arianam hęresim cum autoribus eius condemnasse. Meminit & Athanasius eius pœnitentiæ in epistola de synodo Arimini & Seleuciæ. Rursus Sozomenus libro quarto, capite undecimo, synodum Mediolanensem re infecta testatur esse solutam: exilio tamen condemnatis illis, quos suprà fortiter Imperatori & Arianorum uoluntati restitisse diximus: cumq; illis unà Hilario Pictauiensi, qui & exilij sui meminit in libro contra Arianos & Auxentiũm.

ANCYRANA.

ANte Ariminensem & Seleucianam indictas ab Imperatore Constantio synodos, Basilius Ancyranus ad consecrationem templi cuiusdam opera sua extructi, multos ex uicinia conuocauit episcopos, inter quos fuere Macedonius, Cecropius, Eugenius, Eustathius Sebastię, Eleusius Cyzici, episcopi, & Leontius presbyter ex Thalamepoli regia. Paulò autem antè inuaserat in episcopatum Antiochenum, cum Leontius episcopus mortuus esset, Eudoxius Aetianꝰ: de cuius uiolentia Georgius Laodicenus synodo literas misit, petens ab ea, ut autoritate sua eum ex Antiochena, quam per uim occupasset, eijceret ecclesia. Communi igitur consilio literas Synodus cum legatis, Basilio ipso, Eustathio, Eleusio, & Leontio presbytero ad Imperatorem mittit, postulans Eudoxium expelli. Sozom. lib. 4. cap. 13. Meminit eiusdem synodi Hilarius libro de synodis contra Arianos, & suspectam in ea promulgatam fuisse fidei formulam innuit: sed quæ fuerit, non exponit.

ARIMINENSIS.

POsteaquam igitur nihil eorum quæ uoluisset Imperator in ea synodo transactũ fuisset, de alia congreganda cogitauit. Et in occidentem quidem accersere episcopos Orientales, in animũ induxit primò: sed cum obstare locorum distantia uideretur, geminum simul eodem in anno conciliũ indixit, Occidentalium quidem Arimini, Orientalium uerò Seleuciæ Isauriæ. Socrates lib. 2. cap. 37. Athanasius in epistola de synodo Arimini & Seleuciæ.

Sozom. lib. quarto, cap. decimosexto tradit,

dit, Vrſacium & Valentem certo fraudum et inſidiarum ſuarum conſilio, apud Imperatorem obtinuiſſe, ut in his duobus locis ſynodi indicerentur: quòd hac ratione multis à paucis perſuaderi, & ad conſenſum utramque ſynodum perduci poſſe uideretur: minus etiam haberet periculi, ab una tantum parte profecta hæreſis ſuæ damnatio.

De alia tamen ratione quædã idem etiam retulit libro 3.cap.19. Conſtantinum ſcilicet poſt defectionem à Nicæna fide, & homouſio Euſebij, Theogonij, aliorumq;, conſiliũ de alia ſynodo cõgreganda inijſſe ſecum: ſed morte præuentum, ſucceſſori filio ſuo Conſtantio mandaſſe, ut operam daret, alijs omnibus relictis, quò concorditer Deus coleretur, ſi Imperium ſuum ſucceſſus fœlices habere cuperet. Ad quam rationem accommodat etiam illud, quod lib.4. cap.16.ait, Conſtantium Baſilij Ancyrani conſilio conuentum epiſcoporum tam Orientalium quàm Occidentalium Nicææ in Bithynia congregari uoluiſſe primùm, ideo quòd in eadem urbe quæſtio de fide agitata olim fuiſſet. Sed id conſilij impediſſe calamitatem eius urbis terræmotu concuſſæ. Ac meminit propoſiti eius Athanaſius etiam initio epiſtolæ de ſynodis Arimini & Seleuciæ.

Ariminenſem igitur ſynodum congregatam Sozomenus ſcripſit li.3. cap.19, anno 22 Imperij Conſtantij, conſulibus Euſebio & Hypatio: quorum conſulum etiam Socrates, Athanaſius & Hieronymus aduerſus Luciferianos meminerunt. Sed ita narrationem ſuam Sozomenus comparauit, ut priorem celebratam ſynodum Ariminenſem, in eamq; conueniſſe Orientales & Occidentales numero quadringentos, retulerit lib. 4. cap.17. Ad quam ſententiam Theodoretus etiam ſcripſit lib. 2.cap.20. perſuaſione Arianorum, ſynodum tam Orientaliũ quàm Occidentalium indictam fuiſſe Arimini. Et Athanaſius de ſynodis Arimini & Seleuciæ, expectaſſe quidem ait omnes, per diplomata Imperatoris euocatos, ut in uno quodã conuentu coniungerentur: ſed ſeparatione facta, alios Seleuciam ſeceſsiſſe, alios (plures quàm quinquaginta) Arimini congregatos fuiſſe: ad quos ex Arianorum parte uenerint Germinius, Auxentius, Valés, Vrſacius, Demophilus, & Gaius. De cæteris dicem⁹ infrà.

Synodo utriq; Arimini & Seleuciæ congregatæ, Imperator ſcripſit, ut controuerſias de fide componerent primùm: deinde cauſas eorum cognoſcerent epiſcoporum, qui iniũſtè depoſiti eſſent, aut de exilio cõquererentur: poſtremò & de criminibus eorum epiſcoporum iudicarent, qui accuſarentur.

Cum igitur ueniſſent in ſynodum Germinius, Auxentius, Valens, & cæteri: & qui alterius partis erant, ex ſacris literis uerba ſua formarent: illi chartulam exhibuerunt, recitatisq; cõſulibus ſub quibus ſcripta erat, poſtulabant, ut ea omnibus ſynodis anteponeretur, omiſſa omni de hæreticis percunctatione, quo eſſent animo, aut ſententia: contenti uerò eſſent ſcriptis quæ in chartula cõtinerentur. Athanaſius de ſynodis Arimini & Seleuciæ.

Sed hoc Sozomenus clarius extulit hoc modo libro quarto, capite decimoſeptimo: Qui Athanaſio infenſi erant, melius iudicabant, ut de illo nihil moueretur. Quæſtione autem propoſita, quomodo credendũ eſſet: in mediũ progreſsi Valens & Vrſacius, quibus opitulabantur & Germinius & Auxentius, & Gaius & Demophilus, petebant, ut ſcripta de fide, quæ paulò antè facta eſſent, ita rita redderentur: illud uerò obtineret, quod ante multum temporis in latina lingua Syrmij compoſitum eſſet: & ſimilem quidem patri filium ſecundum ſcripturas, eſſentiæ uerò in Deo mentionem haud quaquam faciendam eſſe doceret. Eamq; expoſitionẽ Imperatori probari dicebant, debereq; eã à ſynodo quoq; neceſſariò recipi, nec ſententias ſingulorum in poſterum curioſius inueſtigari, ne diſsidia & ſeditiones mouerentur, quas diſputationes & accuratæ inquiſitiones tradi-tionum nominum, dialecticę cõtentioni adfines, inducere ſolent. Innuebant autẽ, imò apertè traducebant Homouſij nomen, tanquam incognitũ ſacris ſcripturis, & multis obſcurum: & pro illo ſimilem per omnia filium patri ſecundum ſcripturas dicendum eſſe uolebant. Quod aduerſus Luciferianos etiam Hieronymus recitat, ut poſtea indicabimus. Et exemplum ponit Athanaſius, & Socrates libro ſecundo, capite trigeſimoſeptimo, ex quo deſcribimus.

Catholica fides Syrmij in præſentia Domini noſtri Conſtantij, conſulatu Flauij, Euſebij & Hypatij illuſtriſsimorum, undecima Calendas Iunij expoſita.

¶ Credimus in unum ſolum ac uerum Deum, patrem omnipotentem, creatorem et opificem omnium. Et in unum unigenitũ Dei filium, ante omnia ſecula, & ante omne principium, & ante omne tempus quod cogitari poteſt, & ante omnem perceptibilem conſiderationem ſine paſsione ex Deo genitum: per quem ſecula perfecta, et cuncta ſunt facta: genitum ſolum unigenitum ex ſolo patre, Deum ex Deo: patri, qui ipſum genuit, ſecundum ſcripturas ſimilem: cuius generationem nemo intelligit, niſi ſolus qui ipſum genuit pater. Hunc ſcimus unigenitũ ipſius filium, nutu paterno cœlitus ad hoc uenisſe, ut peccatum abrogaret: natum q; eſſe ex Maria uirgine, & conuerſatum cum diſcipulis, cunctam

cunctam dispensationem secundũ patris uoluntatem adimplesse: crucifixum, passum & mortuũ esse, & ad inferos descendisse, & quę illic agenda erant dispensasse, quem ianitores inferorũ uidentes tremuerũt: & tertia die resurrexisse, cumq; discipulis conuersatum, post quadraginta dies in cœlos assumptum esse, & à dextris patris consedisse: & in nouissimo die cum gloria patris uenturum, ac unicuiq; secundũ facta sua redditurũ esse. Et in sanctũ spiritũ, quem ipse unigenitus Dei filius IESVS Christus humano se generi paracletum missurũ pollicitus est, secundum illud, Abeo ad patrem meum: &, Rogabo patrem meum, et alium paracletum mittet uobis, spiritũ ueritatis: ille de meo accipiet, & docebit uos, & admonebit de omnibus. Nomen uerò ὁσίας, eo quòd simplicius est à patribus positum, & populis incognitũ, offendiculum parit, cum nec in scripturis contineatur, placuit amputare, & prorsus nullam in posterum ὁσίας mentionem in Deo facere, propterea quòd diuinæ scripturæ nusquam ὁσίας de spiritu & filio meminerunt. Similem autem per omnia patri filium dicimus, sicut etiã sanctæ scripturæ dicunt ac docent.

His recitatis, non longè post ea, cognita est istorum qui scripserant uafricies. Episcopis enim proponentibus, ut cæteræ cum Ariana damnarẽtur hęreses, reliquisq; omnib. in id consentientibus, Vrsacius & Valens cũ socijs suis abnuerunt. Ac cognitum deinde est, eos nõ sincerè, sed ad abolitionem eorum quæ Nicææ acta essent, ita scripsisse, ut insauiam hæresim introducerent. Mirantes igitur dolosa hominum eorum uerba & institutum uafrum, posteaquam consurrexissent, ac hæresim Arianam (quemadmodũ Socrates retulit) manifestè damnari iussissent, dixerunt ad eos: Nos non quia fide indigeremus, huc conuenimus (habemus enim sanam fidem) sed ut eos qui ueritati contradicunt, & noua moliuntur, confundamus. Si igitur uos, quasi nunc incipientes credere, ista scripsistis, non clerici haberi potestis, ut qui nunc rudimenta fidei condiscere incipiatis. Quod si eo animo, quo nos, huc uenistis, fit omnium concordia, & hæreses anathema te execremur, ac quæ patrũ sunt teneamus, ne posthac captatæ Conciliorum occasiones obuersentur, cum semel illi qui Nicææ conuenerunt omnia præoccuparint, & nihil nõ egerint pro catholica fide.

Theodoretus libro secundo, capite uigesimotertio, ex Athanasij ad episcopos Africę epistola narrat, episcopos uerè germanos, & rectè credentes, numero circiter ducentos respondisse: Sufficere fidem Nicææ traditam, nec præter eam quidquam amplius, aut minus sentiendum esse. Quod & Athanasius testatur in epist. de synodis Arimini & Seleuciæ: ubi, Nunc etiã, inquit, episcopi 150, ijsq; plures astipulantur Nicænæ synodo, & uocabulis substantiæ et consubstantialis.

Omnibus igitur episcopis alijs, suffragijs inter se consentientibus, totum concilium calculis suis Nicænam fidem adprobauit, eamq; ad omnia sufficere iudicauit: Vrsaciũ uerò, Valentem, Germinium, Auxentium, Gaium & Demophilum hæreticos pronunciauit: & contra eos submotos ab Ecclesia, ut nõ uerè Christianos, literas Romana lingua scripserunt: ut refert Athanasius in epistola ad episcopos Africæ.

Exemplar epistolæ synodalis ad Augustum Constantium.

¶Dei iussu, tuoq; pio edicto, olim dogmatibus tradita ita esse, ut tradita sunt, credimus. Nam Ariminum ex omnibus ad Occidentem ciuitatibus in unum conuenimus, ut fides catholicæ Ecclesię cognosceretur: & qui alterius opinionis essent, manifesti fierent. ibiq; post longam deliberationem optima uisa est ea fides, quæ hactenus usq; à priscis temporibus perdurauit, quã & Prophetæ & Euangelia & Apostoli per Dominum nostrum IESVM Christum prædicarunt: qui est tui Imperij custos, & tuæ ualetudinis defensor. Statutũ igitur, ut eam retinentes coleremus, & colentes usq; ad finem conseruaremus. Indecens enim & nefarium, aliquid ex rectè & iustè decretis, & ex rebus Nicææ publicè cum illustrissimo principe Constantino patre tuo per accuratã deliberationem constitutis, immutare uelle: in quibus tanta doctrina est & prudentia, ut ea ubiq; deprædicata, ad omnium aures animosq; peruenerit: quæ sola hostis & interfectrix Arianæ hæreseos: & per quam non illa sola, sed & reliquæ hæreses sublatę sunt: in qua certè & addere aliquid temerarium est, & auferre periculosum. Quorum si alterutrum fiat, erit hostibus quidlibet agendi libera facultas. Atq; ea de causa Vrsacius & Valens, iampridem socij & adstipulatores Ariani dogmatis, à nostra communione, sententia data, segregati fuêre: quam ut denuò recuperarent, de peccatis suis, in quibus se conscios agnoscebãt, pœnitentiam ueniamq; postularunt, ut eorum syngraphæ testantur: & ob id illis uenia gratiaq; delictorũ facta est. Hæc aũt p id tempus facta sunt, quũ Mediolani synodus in cõsessum ibat, præsentibus ibidẽ Romanę ecclesię presbyteris: fuitq; pinde nobis persuasissimũ, iniquũ esse, quũ Imperator Constãs ab obitu suo, dignº omni memoria, hãc fidẽ omni cura & diligẽtia cõscriptã pmulgarit, tũ demũ ex quo ille baptizatus ex hominibº, in requiẽ sibi debitã trãslatº est, aliqd noui in ea fide moliri uelle: & tot sanctos cõfessores,

res, martyres, huius placiti scriptores authoresq; contemnere, qui pro ueteri lege rituq; ecclesiæ in ea sententia permansere, quorum fidem Deus per Dominum IESVM Christum in tempora tui Imperij contulit, per quem ita latè regnas, ut etiam nostro orbi imperes. Verùm denuò miseri isti deplorati animi, nefario ausu impiæ sententiæ sese præcones ostendunt, & omnia ueritatis decreta conuellere nituntur. Eo enim tempore quo pro tuo edicto synodus cogebatur, ipsi fraudis suæ consilia denudarunt. Conati enim sunt per uafriciem & tumultum, cum socijs istius factionis Germinio, Auxentio, Gaio, contentiones discordiasq; seminantibus, nouas res facere: quarum doctrina una eademq; omne genus blasphemiarum superat. Vbi autem uiderent, non esse ibi homines eiusdem studij, neq; qui illorum prauis sententijs adstipularentur, in nostrum concilium se transtulerunt, ut uiderentur aliud quippiam scribere: sed ipsi non ita diu postea animum suum ostenderunt. Ne igitur res Ecclesiasticæ in easdem molestias cadant, neue turbatio & tumultus denuò omnia inuoluat & confundat, constanter uisum est, olim decreta pro legitimis inconcussim seruanda esse, & istos à nostra communione submouendos esse. Atque ideo legatos nostros ad tuã æquitatem misimus, qui tibi sententiam synodi ex epistola ostenderent. idq; legatis nostris ante omnia mandatum est, ut ueritatem priscis & iustis rerum allegationibus probarét: & tuæ sanctitati ostenderent, quòd non, quemadmodum Vrsacius & Valens inquiunt, pax futura sit, si aliqua ex rebus iustis subuertantur: nam quomodo pacificè agere poterunt, qui pacem tollunt? sed potius inde contentionem turbationemq; tum reliquis ciuitatibus, tum Romanæ urbi oborituras esse. Quapropter supplicamus tuæ humanitati, ut benignis auribus & sereno uultu nostros legatos intuearis, neq; ad contumeliam mortuorum aliquid noui induci permittas: sed nos sinas in institutis decretisq; maiorũ permanere, quos magno ingenio, prudentia, & spiritu sancto omnia fecisse asseuerauimus. Certè res nouæ, quas isti moliuntur, credentibus incredulitatem, incredulis credulitatem inducunt. Iterum te nostris supplicationibus conuenimus, ut iubeas episcopos peregrè commorantes, quos & grauitas ætatis & paupertas affligit, quàm facillimè in patriam deduci, ne ecclesiæ absentibus episcopis desertæ relinquantur. Id quoq; nostris precibus addimus, quò nihil desit rerum priscarum, nihilq; exuberet, sed omnia firma maneant, usq; à temporibus beati patris tui in hodiernũ diem obseruata: ne nos posthac uexari, & à nostis diœcesibus segregari permittas: sed ut episcopi cum suis populis pace ad preces cultusq; diuinos ocium habeant, orantes pro tuo Imperio, salute, & pace, quæ tibi in perpetuũ diuinitas largiatur. Nostri porrò legati subscriptiones salutationesque episcoporum adferũt, qui tuam sanctitatem de hac causa ex ipsis sacris literis edocebunt.

SENTENTIA SYNODI.

¶ Quamdiu par & possibile erat, fratres charissimi, catholica Synodus et sancta Ecclesia, sua patientia & tolerantia pertulit generosè Vrsacium, Valentem, Gaium, Germinium, & Auxentium: qui aliàs alia sentientium, & Auxentium: qui aliàs alia sentientes, omnes ecclesias perturbarunt: & nunc in præsentia ausi sunt hæreticas sententias orthodoxæ fidei assuere, & Nicænam Synodum hostẽ Arianę hæresis demoliri: suamq; sed peregrinam & alieniſsimam à sanctissima Ecclesia, fidem conscriptam promulgare, quam nos recipere nefarium putauimus. Qui quum iampridem hęretici essent, etiam nunc deprehensi sunt contraria sentire, quos ad communionem nostram accedere prohibuimus: eosq; in præsentia nostris uerbis cõdemnantes, à cœtu fidelium reijcimus. Vos itẽ, quod uidebitur de ijs, statuite, ut uniuscuiusq; cognitio ex sua subscriptione robur habeat. Vnanimiter nos episcopi dicimus, prædicti isti inimici detrahantur ab Ecclesia, ut catholica Ecclesia in pace permaneat. Et hæc quidem Arimini acta, celeriter istiusmodi finem acceperunt. Nemo enim ibi dissensit: sed omnes concorditer sua iudicia cõscripserunt, & Arianos reiecerunt.

Addit Socrates, legatos decem episcopos (ut Sozomenus retulit lib. 4. cap. 23.) cum synodi literis ad Imperatorem missos, Vrsacij & Valentis sectatores anteuertisse, & synodo nodum accusasse, ostensa fidei formula, quã in synodo Ariani legerant. Imperatorem igitur, ut Ariano dogmati fauentem, indignatum, synodi legatos longo tempore responso nullo dignatum fuisse: nec in conspectum suum, ut Theodoretus ait, uenire permisisse. Quin & eos qui in synodo adhuc essent, minis prohibuisse, ne ad sua reuerterentur: tandem uerò per legatos in hunc modum respondisse.

¶ Constantius Victor ac Triumphator Augustus, cunctis episcopis Arimini congregatis. Quòd præcipuam semper diuinæ & adorandæ legis curam habeamus, neq; uestra placiditas ignorat. Verùm uiginti illos episcopos à prudentia uestra missos, qui causam legationis uestræ obeunt, hactenus uidere nequiuimus. Necessariò quippe contra barbaros mouemus: & sicut scitis, decet animum ab omni cura liberum ea uersare, quæ diuinam legem concernunt. Iussimus igitur episcopos Adrianopoli nostrum expectare reditum,

tum, ut postquã publica cuncta bene fuerint dispositа, tum ea quę suggesturi essent audire ac probare queamus. Itaq; ne uideatur cõstantiæ uestræ molestum, reditum eorũ prę stolari: ut ubi nostra uobis responsa ferentes reuersi fuerint, ea positis ad finem perducere, quæ ad utilitatẽ catholicæ factura sint Ecclesiæ. Socrates lib. 2, cap. tricesimoseptimo.

Quibus literis acceptis, synodus Imperatori rescripsit ad hunc modum:

¶ Clementiæ tuę literas accepimus Domine Imperator pientissime, quæ hoc in se continent, quòd publicorum negociorum necessitatẽ legatos nostros hactenus uidere nequiueris: nosq; iubeas reditum istorum prę stolari, donec quæ à nobis cõsona progenitoris, nostris sunt determinata, religio tua per eos cognoscere possit. Verùm etiãnũ hisce literis profitemur et affirmamus, haudquaq; nos à proposito nostro recessuros: quod etiã legatis nostris in mandatis dedimus. Oramus igitur, ut sereno uultu etiã hasce mediocritatis nostræ literas legi iubeas, & ea quæ per legatos nostros mandauimus cupidè suscipias. et illud nobiscũ placiditas tua consideret, quæ nunc sit tristicia & mœsticia, q, infelicissimis hisce tẽporib. tuis, tot Ecclesię episcopis suis sunt destitutæ. Et ob hanc causam iterũ clementiã tuã oramus, Domine Imperator pientissime, ut ante hyemalẽ nos asperitatẽ, siqui dẽ pietati tuæ placuerit, ad Ecclesias nostras redire iubeas, ut omnipotenti Deo, ac Domino & seruatori nostro CHRISTO filio eius unigenito, pro Imperio tuo consuetas cum populo preces destinare ualeamus, sicut & sem per destinauimus, & nũc in uotis habemus.

Hæc cum scripsissent, & paulisper Arimini, qui ex synodo reliqui adhuc ibi erant expectassent, Imperator uerò nihil respõdisset, ad ciuitates suas discesserunt. Quod factũ cõtemptũ sui Imperator interpretatus, Vrsacij & Valentis factionẽ permisit, uioléter cõtra Ecclesias moliri quicquid libuisset. Ex qua re secuta est persecutio ingens, & expulsiones episcoporũ, ut Liberij Romani, Maximi Hierosolymitani, &c. Socrates lib. 2, cap. 37, trigesimoctauo: Sozom. lib. 4, cap. decimonono. Qui ibidem clarius narrat, sed ex relatione, mandasse Imperatorem Valenti, ut Occidentales Ecclesias suo arbitrio dispensaret, ac fidem Arimini lectam publicaret: cui qui subscribere nollent, eos Ecclesijs eijceret, aliosq; in locũ eorũ substitueret. Ex eo igitur potestatẽ cõsecutos eos, Occidẽtales ecclesias adflixisse primùm: postea uerò idẽ de Orientalibus quoq; cogitasse, ac Thracia trãsita Niceã ueniisse, ibiq; coacto cõcilio scripturã Arimini lectã, in græcã linguã transtulisse, ac pro ueteri Niceną fide supposuisse, cũ nominis similitudine simplicioribus facilè imponi posse cõsiderent. Sed elusos eos, & ridiculos factos hac ipsa impostura, Socrat. retulit lib. 2, cap. 37: & Theodoretus lib. 2, cap. 21. Qui paulò pleniꝰ narrat, Arianos in ea synodo apud Nicã Thraciæ alijs simplicioribus imposuisse, alijs territis persuasisse, ut è symbolo uoces Essentiã & coessentialitatem eruerent, proq; ijs supponerent SIMILITVDINEM. Promulgasse etiã formulã impostura ea compositam in hanc sententiam: Credimus in unũ & solum uerum Deum, patrem omnipotentem, ex quo sunt omnia: Et in filium Dei unigenitum, ante omnia secula, & omne principium, genitum ex Deo, per quẽ omnia sunt facta uisibilia & inuisibilia: genitum autem unigenitum solum ex solo patre, Deum ex Deo, similem genitori suo patri iuxta scripturas: cuius generationem nouit nemo, nisi solus genitor pater. Hunc scimus unigenitum Deum filium mittente patre aduenisse de cœlis, sicut est scriptum, ad euertendum peccatum & mortem: & natum ex spiritu sancto, ac Maria uirgine, ut scriptum est, secundum carnem: uersatũ cum Apostolis, & perfecto munere suo iuxta patris uoluntatem affixũ cruci, mortuum & sepultum: descendisse ad inferos, cũ ipsius orci terrore: reuersum à mortuis tertia die, cõuersatũ cum Apostolis diebus quadraginta totos: acceptum in cœlos, sedere à dextris patris: uenturum ultima resurrectionis die cum gloria paterna, redditurum unicuiq; quale ipse fecerit. Et in spiritũ sanctũ, quẽ ipse unigenitꝰ Dei filius IESVS Christus Deus ac Dominus promiserat se missurum humano generi paracletum, ut scriptũ est, spiritum ueritatis: quem & misit, egressus in cœlos, & sedens in dextra patris: inde est uenturus ad iudicium uiuentium & mortuorum. Verùm Essentiæ nomen, quod à patribus simpliciusculè insertum, & uulgo parũ intellectum, offendicula páreret, quia in scriptura nusq; memoraretur, placuit eximi, & de cætero nullam penitus fieri mentionẽ essentiæ: maximè cum diuinæ literæ nusquã meminerint patris ac filij essentię. Neq; adeò necessarium esse, de persona patris & filij & sancti spiritus unam substantiam nominari. Similem autem perhibemus filium esse patri, quẽmadmodũ & diuinę scripturę dicunt & docent. Omnes aũt sectæ, quę aut pridẽ rectæ, aut nuper exortæ, diuersa statuunt ab huius scripturę expositiõe, anathema sunto.

Nunc Hieronymi aduersus Luciferianos de hac synodo narrationẽ, maximè autẽ per impostura ab Arianis compositam formulam, adijcimus. Sub rege Constantio, inquit, Eusebio & Hypatio consulibus, nomine unitatis & fidei infidelitas scripta est, ut nũc agnoscitur. Nam illo tẽpore nihil tã piũ, nihil tam conueniens seruo Dei uidebatur,

quàm unitatem ſequi, & à totius mundi cõmunione non ſcindi. Præſertim cum ſuperficies expoſitionis nihil iam ſacrilegum preferret. Credimus, aiebãt, in unũ uerum Deũ, patrẽ omnipotentẽ. Hoc etiam nos confitemur. Credimus in unigenitũ Dei filiũ, q̃ ante omnia ſecula, & ante omne principium natus eſt ex Deo. Natũ aũt unigenitũ ſolũ ex ſolo patre, Deũ ex Deo, ſimilẽ genitori ſuo patri ſecũdũ ſcripturas: cuius natiuitatẽ nullus nouit, niſi q̃ ſolus eũ genuit, pater. Nunquid hic inſertũ eſt, Erat tẽpus quãdo nõ erat? uel, De nullis extantib. creatura eſt filius Dei? Perfecta fides eſt, Deũ de Deo credere. Et natũ aiebant unigenitũ ſolũ, ex ſolo patre. Quid eſt natũ? Certè nõ factum. Natiuitas ſuſpicionẽ auferebat creaturæ. Addebãt præterea: Qui de cœlo deſcendit, cõceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria uirgine, crucifixus à Pontio Pilato, tertia die reſurrexit, ſedet ad dexterã Dei patris, uenturus iudicare uiuos & mortuos. Sonabãt uerba pietatẽ: & inter tanta illa præconia, nemo uenenũ inſertũ putabat. De uſiæ uerò nomine abijciendo, uerisimilis ratio præbebatur: Quia in ſcripturis (aiebant) non inuenitur, & multos ſimpliciores nouitate ſua ſcandalizat. Placuit auferri. Nõ erat curæ epiſcopis de uocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto. Deniq; ipſo in tẽpore, cũ fraudẽ fuiſſe in expoſitiõe rumor populi uentilarer, Valẽs Murſenſis epiſcopus, q̃ eã cõſcripſerat, præſente Tauro prętorij prętecto, qui ex iuſſu regis ſynodo aderat, ꝓfeſſus eſt ſe Arianũ nõ eſſe, & penitus ab eorũ blaſphemijs abhorrere. Res ſecretè geſta, opinionẽ uulgi nõ extinxerat. Itaq; alia die in Eccleſia, quæ eſt apud Ariminũ, & epiſcoporũ ſimul & laicorũ turbis concurrentib⁹: Muzonius epiſcopus ꝓuinciæ Byzantinæ, cui ꝓpter ętatẽ primæ ab omnibus deferebãtur, ita locutus eſt. Ea quæ ſunt iactata ꝑ publicũ, & ad nos uſq; perlata, aliquẽ è nobis ſanctitati ueſtræ legere præcipimus: ut quæ ſunt mala, & ab auribus & à corde noſtro abhorrere debent, omniũ una uoce dãnẽtur. Reſponſum eſt ab uniuerſis epiſcopis, Placet. Itaq; cũ Claudi⁹ epiſcopus prouincię Piceni, ex pręcepto omniũ blaſphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cœpiſſet: Valens ſuas eſſe negans, exclamauit, ac dixit: Si quis negat Chriſtũ Deũ Dei filiũ ante ſecula ex patre genitũ, anathema ſit. Ab uniuerſis cõſonatũ eſt, Anathema ſit. Si quis negat filiũ ſimilẽ patri ſecundũ ſcripturas, anathema ſit. Omnes reſponderunt, Anathema ſit. Si quis filium Dei non dixerit æternum cum patre, anathema ſit. Ab uniuerſis conclamatum eſt, Anathema ſit. Si quis dixerit creaturam filium Dei, ut ſunt cęteræ creaturæ, anathema ſit. Similiter dictũ eſt, Anathema ſit. Si quis dixerit, De nullis extantibus filium, & nõ de Deo patre, anathema ſit. Omnes cõclamauerũt, Anathema ſit. Si quis dixerit, Erat tempus quando non erat filius, anathema ſit. In hoc uerò cuncti epiſcopi, & tota ſimul Eccleſia plauſit quodam & tripudio Valentis uocem excepe runt. Quod ſi quis à nobis fictum putat, ſcrinia publica ſcrutetur. Plenæ ſunt certè Eccleſiarum arcę, & recens adhuc rei memoria eſt. Superſunt homines, qui illi Synodo interfuerunt. & quod ueritatem firmet: ipſi Arianiſmi hæc ita, ut diximus, geſta non denegant. Cum ergo cuncti Valentem ad cœlum laudibus tollerẽt, & ſuam in eum ſuſpicionẽ cum pœnitentia damnarent: idem Claudius qui ſuprà legere cœperat, ait: Adhuc ſunt aliqua quæ ſubterfugerũt Dominum & fratrẽ meũ Valentem: quę, ſi uobis uidetur, ne quis ſcrupulus remaneat, in commune damnemus. Si quis dixerit, filium Dei eſſe quidem ante omnia ſecula, ſed non ante omne omnino tẽpus, ut ei aliquid anteferat, anathema ſit. Dixerunt cuncti, Anathema ſit. Multaq; alia quæ ſuſpicioſa uidebantur, ad pronunciationem Claudij, Valens condemnauit. Quæ ſi quis plenius diſcere cupit, in Ariminẽſis ſynodi actis reperiet, unde et nos iſta libauimꝰ. His itaq; geſtis, concilium ſoluitur. Læti omnes ad prouincias reuertũtur. Idẽ enim regi & bonis omnibus curæ fuerat, ut Orientatq; Occidens cõmunionis ſibi uinculo necacterentur. Sed diu ſcelera non latent: & cicatrix malè obducta, incocto pure dirumpitur. Cœperũt poſtea Valens & Vrſacius, cæteriq; nequitiæ eorum ſocij, egregij uidelicet Chriſti ſacerdotes, palmas ſuas iactitare: dicentes, ſe filium non creaturam negaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis. Tunc Vſię nomen abolitũ, tunc Nicænę fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt.

ROMANA, SVB *Damaſo.*

REfert breuiter Theodoretus lib. 2, cap. 22, fidei formulã ſeu in Ariminenſi, ſeu Nicana Thraciæ ſynodo ab Arianis dictatã, & ab Occidentalibus condemnatam. Et cõ ctam quidem ſynodum fuiſſe Romæ à Damaſo, nonaginta epiſcoporum ex Gallia & Italia, quorum tamen nomina non adiecit Theodoretus, prolixitatem fugiens. Scripſit uerò ab ea ſynodo epiſtolam de cõdem natione ſynodi Ariminenſis ad Illyricos, in hunc modum ſubiecit.

¶ Epiſcopi Romæ in ſancto cõgregati Cõcilio, Damaſus & Valerianus ac reliqui, dilectis fratribus epiſcopis in Illyrico ſalutem in Deo. Perſuaſum nobis eſt, ſacerdotes Dei, ſanctã fidem noſtram fundatam in doctrina Apoſtolorũ. Eã igitur uos tenere, eãq; tradere populo

re populo, quæ nulla in parte dissentit à patrũ definitionibus, à quibus cæteros instrui æquũ est. Sed relatione Gallicanorum & Venetorum fratrum cognouimus, quosdam studere: quod malum ne existat, nõ solũ prouidere episcopi, sed ad imperitiam & simplicitatem quorundã utentiũ interpretationibus siniſtris, deinceps sese opponere debẽt dissentienti doctrinę: uidereq; quotiescunq; percusserint aures dissensionis tela, ne rursum labantur, sed patrũ potius sentẽtijs inhęreãt. Itaq; Auxentiũ Mediolanensem, perscriptũ est in primis huius rei cõdemnatum esse. Par igitur est, ut uniuersi doctores legis in orbe Romano legitima sentẽtia sint, & ne cõtami nent fidem diuersitate doctinarũ. Etenim cũ primùm hęreticę improbitatis fructus matu rescere, & hos fructus ferre cœpere, qui & nunc de Ariana maledicentia admodum sub uehuntur, patres nostri numero trecenti de cem & octo in Nicæno certamine, hunc mũ rum aduersus diabolica arma præfinierunt, atq; hoc remedio letifera uenena repulerũt. Quare credi debet, patrem & filiũ esse unius essentiæ, unius diuinitatis, unius uirtutis, unius potentiæ, unius characteris: itemq; unius substantiæ, ac essentiæ spiritum sanctum quoque. Quicunque autem aliter sentiunt, alieni à nostra societate iudicãdi sunt. Sed hanc salutarẽ definitionem, & adorandã consolationem, nonulli postea alijs consulta tionibus corrumpere ac uiolare tentauerũt. Quinetiam ab ipso statim initio illi qui Arimini coacti ad nouationes & retractationes fuêre, hactenus rectitudinẽ omnium conseruarunt, ut confiterentur se alio orationis genere subductos: ac non sensisse, quod diuersum esset sententijs patrum concilij Nicæni. Præiudicium certè numeri Ariminensis consentus nullum esse potest: quando ita est habitus, ut neq; Romani episcopi, cuius ante omnia sententiã cognoscere debuerant: neq; Vincentij, qui tam multis annis præsulatus cõseruauit integritatem: neq; aliorum cõsensus illis accesserit. ac maximè cum, ut diximus, per insidias circumuenti ipsi credẽtes, nisi rectiore sententia, sibi illa nõ placere testati sunt. Perspicit igitur uestra sinceritas, hanc solam fidem quæ Nicææ autoritate Apostolica fundata sit, assidua firmitate tenendam esse: ac nobiscum & Orientales qui catholicã Ecclesiã agnoscant, & Occidentales gloriari. Persuasum autem nobis est, eos qui diuersitatis malo laborant, ipso conatu suo non ita multo pòst à cõmunitate nostra disiuncturn, & episcopales honores illis ereptũ iri, ut populus liberatus à seditionibus eorum respirare possit. Nam cum ipsi erroribus sint impliciti, spes esse nequit, ut erroribus populus per ipsos exoluatur. Proinde facite, ne uestræ reuerentiæ iudicium discrepet ab omniũ sacerdotũ Dei iudicio, quo firmos fixosq; stare uos confidimus. Itaq; & nos unà uobiscũ in recta persistere fide debemus. Ob lectare nos uelit dilectio uestra, remissis ad nos literis suis. Valete fratres dilectissimi.

SELEVCIANA.

EOdẽ anno, ijsdemq; Consulibus, in Septembri, edicto Imperator synodũ rursus Orientaliũ, Ponticorũ & Asianorum, ut Athanasius ait, conuocat apud Seleuciã Isauriæ urbem Orientis, eadem de causa qua Ariminiprius indixerat, ob fidei scilicet dijudicationem. Conueniunt eò igitur episcopi numero centum sexaginta, aut (iuxta Athanasium) centum quinquaginta. Quibus ab Imperatore additur ex illustribus aulicis quidam Leonas nomine, in cuius præsentia quæstionẽ de fide excuti Imperator iusserat. Adiungitur illis & Lucius, militum dux per Isauriam, ad hoc, ut si opus esset, episcopis præstò esset, tumultu scilicet aliquo, aut perturbatione quacunq; coorta. Theodoretus libro secundo, capite uigesimosexto, interfuisse huic synodo scripsit Cyrillum, quem Hierosolymis antea Acacius eiecerat, Basilium, Eustathium, Syluanum, eorumq; socios, cum Acacio. Quibus addit Athanasius Patrophilum, Iuniũ è Tyro, Eudoxium, qui in Antiochenam Ecclesiã insiluerat, Leontiũ, Theodotũ, Euagriũ, Theodulum, & Georgium: qui sibi adiunxerant impios, inquit, exautoratos Libycos homines, Stephanum, Syram, Pollucem, Pancratium, Ptolemæum, & Meletianum quendã.

Mandauerat autem huic synodo Constantius, idem quod Ariminensi, ut fidei nimirũ causam prius dijudicarent: deinde uerò causas eorum agerent episcoporum, qui iniustè depositi essent. Sozom: libro quarto, cap. 16. Socrates ait: Mandata Imperatoris, iam hoc, iam illud quæri & agi prȩcipientis, in prima statim sessione contentiones peperisse.

Coit autem synodus primò ad decimumseptimum diem mensis septembris. Adsunt Notarij, quæ ex omnibus partibus dicerentur excipientes. Iubet Leonas præses, ut quisque quid sibi uideatur proponat. Sed qui adsunt moueri negãt ullã quæstionẽ debere, priusquã q desiderarentur aduenissent. Desiderabãtur aũt episcopi, Macedonius Cõstantinopolitan⁹, Basilius Ancyranus, & alij quidã, metuẽtes ne accusarẽtur: quorũ quisque absentię suę causam aliquã synodo renũciari iussit, ut Macedonius morbũ, Patrophilus ophthalmiã. Instat Leonas, nihilominus absentibus illis quæstiones agitandas esse. Quod rursus, qui tũ conuenerant, fieri posse negabant, priusquam in uitã eorum qui accusati antea essent, inquireretur. Dicebatur

id autem propter Cyrillum Hierosolymitanum episcopum, Eustathium Sebastiæ Armeniæ, & alios quosdam.

Orta hinc igitur contentio est, monentibus alijs, ut accusatorum uita examinaretur: alijs contrà negãtibus, ante fidei causam explicatam, quæstionẽ ullam proponi oportere. Atque inter eas cõtentiones in duas partes Synodus scinditur: quarũ uni præsunt Acacius Cæsareæ Palæstinæ, Georgius Alexandriæ, Vranius Tyri, & Eudoxi⁹ Antiochiæ episcopi: quibus alij pauci, nimirũ triginta duo, sed suspecti, ut Athanasius ait, contentiunt. alteram uerò partem ducunt, Georgius Laodicææ Syriæ, Sophronius Pompeiopolis, & Eleusius Cyzici episcopus: quos sequũtur, qui Acacium reliquerant magno numero.

Obtinet utr usque partis sententia, quærendum primùm esse de fide. Ad quod illi primùm qui cum Acacio erant, Nicænam fidem manifestè abrogandam, aliamq; promulgandam esse censent: alterius uerò partis numero plures, omnia quidem reliqua fidei Nicænæ decreta recipiebant, solam uerò Homousij uocem abhorrebãt. Protrahitur ad uesperam usq; contentio, cum Syluanus Tarsensis tandẽ exclamat, noua fidei formula opus nihil esse, cum sit in promptu ea quæ Antiochiæ in Encænijs dictata esset, quam retinendam ipse iudicaret. Ad quam uocẽ, cum suis Acaci⁹ ex Synodo discedit. Altera uerò pars, Antiochenæ fidei perlecta formula, eius diei consessum soluit. Socrates libro secundo, capite uigesimonono: Sozomenus lib. quarto, capite uigesimosecundo. Formulam Antiochenæ fidei, & quæ illam præcesserunt alterius partis iudicia, ex Athanasio, de synodis Arimini & Seleuciæ, describimus.

Isauriæ igitur ista conscripserunt. Non refugimus authenticã in encænijs Antiochiæ editã fidem, sed præferimus eam uel ob id potissimum, quòd patres nostri per illud tempus ad propositam quæstionem accurrerũt. Cæterùm quoniam multos superiorib. temporibus hæ uoces ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον turbarunt, atq; etiamnũ turbant, ac præterea à nõnullis non ita pridẽ noua uox inducta est de inæqualitate filij ad patrẽ, quam κατὰ ὅμοιον uocant, istis de causis ὁμοούσιον et ὁμοιούσιον eliminamus è sacris literis, & uocem illam κατὰ ὅμοιον anathemate execramur: & quotquot uoces istiusmodi sunt, alienas censem⁹ ab Ecclesia. Similitudinẽ uerò filij cũ patre planè confitemur, secundũ Apostolũ dicentẽ: Qui est imago inuisibilis Dei. Confitemur uerò & credimus in unum Deum omnipotentẽ, factorem cœli & terræ, uisibilium omnium & inuisibilium. Credimusq; item in eius filiũ, Dominum nostrũ IESVM Christum, natum ex eo citra passionẽ aliquam ante omnia sæcula, Deum uerbum, Deum ex Deo unigenitum, lumen, uitam, ueritatẽ, sapientiam, potentiam: per quem omnia facta sunt in cœlis & in terra, siue uisibilia, siue inuisibilia, ilumq; credimus in cõsummatione seculorũ ad peccatorũ demolitionẽ carnem ex uirgine assumpsisse, & hominem factum esse, passumq; pro peccatis nostris, resurrexisse, et assumptũ in cœlos, sedere ad dextram patris: eumq; iterum uenturum in gloria, ut iudicet uiuos & mortuos. Credimus quoq; in Spiritum sanctum, quem & Paracletum nominauit Seruator: quem post abitum & policitus erat discipulis suis se missurum esse, et misit: per quem sanctificat eos qui in Ecclesia credunt, & baptizantur in nomine patris & filij & spiritus sancti. Eos porrò qui præter hanc fidem aliud prædicant, alienos à se agnoscit catholica Ecclesia.

Eam formulam sequenti die, ij qui ab Acacio discesserãt, in oratorio Seleuciano (Sozomenus templũ diuæ Theclæ fuisse ait) claũsis ianuis, subscribentes cõfirmarunt. Subscripserunt autem præsentes lectores & diaconi, absentium etiam quorũdam nomine. Quod mirum in modum Acacius uituperare & exagitare: suspecta esse exclamans, quæ in abdito fierent. Ijs autem clamoribus opportunitatem, nouam introducendi formulam sibi aucupabatur, quam paratam iam habebat, & præsidentibus Leonæ & Lauritio prælegerat: hoc unũ pro uiribus agẽs, ut adprobaretur. Præter hæc in secundo consessu actũ amplius nihil est. Socrat. ibid. & cap. 40.

Veniunt interea Macedonius & Basilius, ac se illi parti coniungunt quæ ab Acacio discesserat. Studet utranq; congregare partem Leonas: sed in synodum Arimini se uenturos negant, nisi qui depositi, & in præsentia accusati essent, ex conuentu exigerentur: maximè autẽ Cyrillus, qui iam antea episcopatu suo priuatus fuisset. Oritur inde contentio. obtinetur tamẽ ut accusati secedant, & ingrediantur Acaciani. Quanquã Theodoretus lib. 2, cap. 26, de Cyrillo diuersum narrat: rogatum scilicet eum à Synodo, ut paulisper cederet. habituram enim Synodum, post dogmatum constitutionẽ, etiam suæ causæ rationem: sed cedere noluisse. Exhibuerat autem Leonæ formulã suæ fidei Acaci⁹, quam ille occultans uafro & callido hoc præcexru Synodo insinuabat: libellum sibi ab illis qui Acaciũ sequerentur traditũ esse dicens, sed fidei mentionẽ nullam faciens, quam nec contineri in eo libello pars altera existimabat. Lecta igitur ea fides, sic sese habebat.

¶ Nos qui Seleuciæ Isauriæ secundũ Imperatoris edictum cõuenimus hesterna die, quæ quinta erat calendarum Octobris, omnem huc diligentiã impẽdimus, ut cũ omni

recta moderatione pax cõseruaretur in Ecclesia et de fide, sicuti pietissimus Imperator noster Constantius præcepit, cõstanter secundũ propheticas & euãgelicas uoces tractaretur, nec quicq; præter scripturas in ecclesiasticã fidem introduceretur. Quoniã uerò nõnulli in Synodo alios ex nobis cõuicijs affecerũt, alijs orã obturauerũt, nec loqui permiserũt, quosdã uerò etiã inuitos excluserũt: cum tamen et depositos ex uarijs prouincijs secũ haberẽt, & præter canonẽ ordinatos secũ adduxissent, ita ut undiq; Synodus plena reddere tur tumultuationibus, sicut etiã Lauricius illustrissimus prouinciæ præses ipsis suis oculis uidit: quæ ob eam causam dicimus, ut significemus, nõ fugere nos fidẽ Antiochiæ in Encænijs expositã & confirmatã, sed proferre illam. Quamuis autem & patres nostri maximè illo tempore ad propositã quæstionem tractandã concurrerint, quoniam uerò multos Homousij dictio, sicut & Homœusij, pręteritis temporibus ad hunc usq; diem perturbauit, quin & recẽs à nõnullis insolenter agi dicitur, ita ut filiũ patri dicãt esse dissimilem: ob eam causam utrunq; & Homousion, & Homœusion, tanq; alienas à scripturis uoces reijcimus, & Anomion anathemate damnamus: ac quotquot taliter sentiũt, alienos esse ab Ecclesia iudicamus. Similem (ὁμοιον) aũt patri filiũ manifestè cõfitemur, secundũ Apostolũ de filio sic dicentẽ: Qui est imago Dei inuisibilis. Confitemur aũt & credimus in unum Deum patrẽ omnipotentem, quem factorem cœlorũ ac terræ uisibilium & inuisibiliũ credimus. Credimus etiam in Dominũ nostrum IESVM Christum, filium eius, ex eo genitũ sine passione, ante omnia secula, Deum uerbum, unigenitũ ex Deo, lumen, uitam, ueritatem, sapientiam: per quem omnia facta sunt tam quę in cœlis quàm quæ in terra, siue uisibilia siue inuisibilia. Hunc credimus in consummatione seculorum ad abrogandũ peccatũ, carnem ex sancta uirgine Maria sumpsisse: & hominem factum, passum esse pro peccatis nostris, resurrexisseq;, & in cœlos assumptum sedere à dextris patris, ac iterum uenturum in gloria ad iudicandum uiuos & mortuos. Credimus etiam in Spiritum sanctum, quem & paracletum nominauit Seruator ac Dominus noster, missurũ se illum discipulis, postquam abisset, pollicitus. quem & misit: per quem credentes in Ecclesia, & in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizatos sanctificat. Eos uerò qui aliud quid præter hanc fidem prædicant, alienos esse ab Ecclesia catholica iudicamus. Socrates libro eodem, capite quadragesimo: Sozomenus libro quarto, capite uigesimo secundo: Epiphanius libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesima tertia.

Subscripserant huic formulę Acacius ipse, cum trigintaduobus, quos diximus, secum sentientibus. Epiphanius aũt, episcoporũ qui subscripserãt nomina recẽset quadraginta tria. Sed de Sophronio fertur, Pompeiopolis episcopo, quòd lecta ea fide exclamarit: Si fidem constituere est, singulis diebus nouam proferre sententiã, amittemus tandem ueritatis certitudinẽ. Postea cum eadem de re, & de accusatis, ultrò citroq; plurimæ concertationes essent factæ, discessum est. Socrates & Sozomenus ibidem.

Quarta autem die in Synodum omnes iterum cõueniunt, ac uerbis rursus inter se certant. Et Acacius nihil obstare quidem affirmat, quo minus alia dictetur fides: quandoquidem et Nicæna non semel, sed aliquoties mutata sit. Cui Eleusius: Non conuenisse, inquit, Synodum præsentem, ad discendum ea quę antea cognouisset, aut ad alterã quam antea non habuisset fidem recipiendam, sed confirmandam ac defendendã illam quæ in Antiochena synodo semel esset comprobata, cui ipsi ad mortem adhęsuri essent. Proinde nec curiosius excutiendum esse, rectè ne uel secus fides illa habeat: sed simpliciter retinendam esse eam, omnibus à pietate & Ecclesia alienis iudicatis ijs, qui præter illam, aliam introduxissent.

Veniunt inde ad aliam quoq; quæstionẽ. Quoniam enim, qui cum Acacio erant, in fide lecta filium patri similẽ esse dixerant, quærebant inter se, secundum quid similis patri filius esset? Et Acaciani quidẽ, secundũ uoluntatem tantum, nõ secundum essentiam, similem patri respondebant esse filium. Alij uerò omnes, etiam secundũ essentiam similem pronunciabant: atq; eiusmodi cõtentionibus totum exigebant diem, Acaciũ redarguẽtes, quòd cum in libris à se editis, filium patri per omnia similẽ antea asseruisset, iam secundum essentiam similem eum patri pernegaret. Quibus ille contrà, iniquũ esse respondit, ex commentarijs aliquem iudicare. Cum igitur post multas disputatiões ad nullum consensum rem deduci posse Leonas animaduerteret, surgens Synodum soluit. Socrates, & Sozomenus ibidem.

Die uerò sequenti rogatus, ut iterũ in Synodũ unà cum ipsis cõgrederetur, recusauit: mandatũ se ab Imperatore habere dicens, ut inter se cõsentienti, non dissentienti Synodo interesset. Rixãtibus igitur adesse se nõ posse. Quamobrẽ abirẽt, & in Ecclesia iungerẽtur. Quam occasionẽ cõmodã sibi Ariani arbitrãti, in Synodũ nec ipsi ueniunt. Inuitati autem ab altera parte sæpius, ut ad cognoscendam Cyrilli depositi causam in Synodũ uenirẽt, in recusando perstiterũt. Depositi igitur tum ab ea parte sunt, Acacius ipse,

Georgius Alexãdrinus, Vrſacius Tyri, Theodorus Chæretapũ Phrygiæ, Theodoſius Philadelphiæ Lydiæ, & Eudoxius Antiochiæ, epiſcopi: & Patrophilus. Excõmunicati aũt ſunt Aſterius, Euſebius, Abgarus, Baſilicus, Philius, Philedius, Eutychius, Magnus & Euſtathius. Decretũq; eſt, ita debere eos manere, donec præſtita ſatisfactione, de accuſationibus ſeſe purgaſſent. His peractis, depoſitiones eorũ Eccleſijs ſignificarunt: & in locum Eudoxij Antiocheni Arianum quendam (Sozomenus Adrianum habet) ſubſtituerunt: quem Acaciani cõprehenſum, Leonæ & Lauritio tradiderunt, à quibus in exilium miſſus eſt. At illi proteſtatione contra Acacianos ad Leonam & Lauritiũ uſi, quaſi ſynodi iudiciũ uiolaſſent, ad Imperatorẽ Cõſtantinopolim, ubi tum Imperator ex Oriente reuerſus agebat, profecti ſunt, ut eum de ijs quæ in ſynodo decreuiſſent, inſtruerent. ita enim mandatum illis fuerat. Socrates, Sozomenus ibidem. Athanaſius de ſynodis Arimini & Seleuciæ.

CONSTANTINOPOLITANA *Acacianorum.*

PRęueniunt autẽ eos Acaciani, ac ſynodũ totam Imperatori ſuſpectã faciunt: eiq; perſuadent, ne formulã à Seleuciana ſynodo ſcriptam recipi patiatur. Poſtea ſynodum aliam inſtituunt Conſtantinopoli, cõſulibus Conſtantio decimò & Iuliano quartò, quem admodum ex Socrate uidetur: anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimoquarto, Imperij Cõſtantij uigeſimoquarto. Ad quam epiſcopos Bithyniæ euocant, numero quinquaginta: inter quos Maris fuit Chalcedonenſis, atq; Vlphilas Gotthorũ epiſcopus: cum quibus coniuncti, fidem Arimini lectam, cum adnotatione conſulum, confirmant: nõnullis adiectis, ne uidelicet in poſterum uel eſſentia uel ſubſtantia, de patre, filio, & ſpiritu ſancto diceretur. Quam, quia adiecta aliqua habet, denuò hic ſubijcimus.

Fides Arimini aucta.

¶ Credimus in unum Deum, patrem omnipotentẽ, ex quo omnia. Et in unigenitũ filium Dei, ante omnia ſecula, & ante omnia initia genitũ ex Deo: per quem omnia facta ſunt, tã uiſibilia quàm inuiſibilia: eumq; ſolũ unigenitum ex patre natum eſſe, Deum ex Deo, ſimilem ei qui ipſum genuit patri, ſecundum ſcripturas: cuius generationem nemo ſcit, niſi ſolus qui illũ genuit pater. hunc agnoſcimus unigenitum filiũ Dei, patre mittente adueniſſe è cœlis, ut ſcriptum eſt, ad euaſtationem peccati & mortis: & natum ex ſpiritu ſancto, è Maria uirgine ſecundum carnem, ut ſcriptum eſt: & poſtquam uerſatus eſſet cum diſcipulis, & omnem œconomiã negocium q; datum impleuiſſet ſecundum patris uoluntatem, crucifixũ, & mortuum, et ſepultum eſſe: et ad ſubterranea deſcendiſſe, quem ipſe infernus exhorruit: eumq; reſurrexiſſe tertio die è mortuis. & ubi cõmoratus eſſet cum diſcipulis, impletis iam quadraginta diebus, aſſumptum eſſe in cœlos, & ſedere ad dextrã patris: uenturũq; eſſe extremo die reſurrectiõis, in paterna gloria, unicuiq; ſecũdũ opera ſua. Et in ſpiritum ſanctũ, quẽ ipſe unigenitus Dei filius CHRISTVS Dominus noſter promiſit ſe generi humano miſſurũ in cõſolatorẽ, quẽadmodũ ſcriptum eſt, ſpiritũ ueritatis quẽ eis miſit, poſtq; cœlos aſcendit. Nomẽ porrò ſubſtantię, ſimplicius à patribus editũ, quia ignotũ populis ſcandalũ adfert, & in ſacris literis non cõtinetur, placuit de medio tolli, & omnino nullã eius mentionem debere fieri: quoniam ſacræ literę nuſquã ſubſtantię patris aut filij meminêre. imò ne ὑπόστασις quidẽ ſine ſubſiſtentia de patre, filio, & ſpiritu ſancto nominari debet. Similem autem dicimus patri filiũ, ut loquuntur & docent ſacræ ſcripturæ. Omnes porrò hæreſes ſiue olim damnatæ, ſiue recenter ortæ, contrarię huic promulgatæ ſcripturæ, anthema ſunto. Athanaſius de ſynodis Arimini & Seleuciæ.

Recitat eandem Socrates lib. ſecundo, cap. quadrageſimoprimo. Sozom. libro quarto, capite uigeſimotertio, etiam Imperatori aiunt perſuaſum fuiſſe ab Acacianis, ut eã fidẽ comprobaret, ideo quòd à frequenti Ariminenſi ſynodo compoſita eſſet: nec errare uideretur, quiſquis aut ſimilem, aut coeſſentialẽ patri diceret eſſe filiũ. Quin & Imperatorẽ ipſum, diem & noctem integram cõſumpſiſſe, atq; effeciſſe, ut qui ex Seleucia legati uenerant, iſti formulæ ſubſcriberent.

Theodoretus de Eudoxio etiam & Aetio Arianis quędam in ea ſynodo acta narrat: Eudoxium nimirũ ab illis qui è ſynodo Seleuciæ uenerant, inter quos præcipui fuere Euſtathius Armenius, Baſilius Ancyranꝰ, Syluanus Tarſenſis, & Eleuſius Cyzicenus, accuſatũ blaſphemiarũ, depoſito in mediũ Eudoxij libro talia continente: Quæ diſſimilitudine quapiam proferuntur, ea ſunt re ipſa ſeu iuxtã ſubſtantiam diſſimilia. Vnus eſt Deus pater ex quo omnia, & unus eſt Dominꝰ Ieſus Chriſtus per quẽ omnia: Diſſimilitudo autẽ certe inter hæc eſt, Ex quo, & Per quẽ: Diſſimilitudo igitur & inter deum ac patrẽ & filium. His impijs uocibus Imperatorem commotum, quęſiuiſſe ab Eudoxio, num ſe autorẽ blaſphemi eiuſmodi ſcripti profiteretur? Sed eum, Aetiũ eſſe autorem confeſſum eſſe. Aetiũ igitur accerſitum, cum ſe autorem eſſe ſcriptorum eorũ non negaſſet, exulatũ ab Imperatore in Phrygiam miſſum fuiſſe. Accuſatum poſtea etiam Eudoxium ab Euſtathio, quaſi

quasi eadem cum Aetio sentientem: quia librum Aëtij nemo præter ipsum prodidisset. Interrogatũ igitur ab Imperatore, diuq; tergiuersatũ confessionem Eudoxium, doctrinam tandem propriam negasse.

Eustathium uerò ursisse post illa, ut coessentialitatis nomen anathemate notaretur. Ad quod Syluanũ intulisse, explodi uicissim etiam oportere ab ipsis uoces, De nihilo, & cõdituram, & diuersientialitatem: quæ neq; in Propheticis, neq; Apostolicis scriptis inueniretur. Damnatas igitur tum ab Eustathianis, quantũ uis inuitis, & diu reluctantibus, etiam eas uoces. Sed tum demum uehementius eos institisse, ut coessentialitatis nomen anathemate damnaretur. Syluanũ uerò ipsis, Imperatoriq;, eiusmodi argumento ueritatẽ declarasse: Si de nihilo non est, neq; conditura, neq; de diuersa substantia Deus uerbum: coessentialis certè est genitori Deo, ut Deus ex Deo, lumen ex lumine, & habet eandem cum genitore naturam. Ad hæc clamore ab Acacij & Sidosij societate concitato, Imperatorem indignatũ, Syluano & Eleusio interminatum fuisse, pulsurum se eos Ecclesijs, nisi in abrogationẽ coessentialitatis consentirent. Eos uerò respondisse, penes esse Imperatorẽ, quicquid de ipsis supplicij sumendum statueret: penes sese uerò, inter pietatis & impietatis dogmata discernere. Nunquã autem se facturos, ut à doctrina quam à patribus accepissent, deficerent. Ibi igitur Imperatorem expelli ex Ecclesijs Eleusium ac Syluanum, aliosq; in locum eorum substitui iussisse. Et Synodum de abdicatione Aëtij ad Georgium Alexandrinum in hanc sententiam scripsisse. Theodoretus libro secundo, capite uigesimooctauo.

¶ Sancta Synodus congregata Constantinopoli, Domino reuerendissimo episcopo Alexandriæ Georgio salutem. Condemnato à Synodo Aëtio, propter nefaria & offensionum referta scripta ipsius, fecêre episcopi quod Ecclesiasticis legibus consentaneũ est, ut & honore diaconat⁹ priuaretur, & expelleretur Ecclesia. Nosq; editis monitionibus, legi nefandas epistolas ipsius uetuimus: ac omnes hortati sumus, ut illas tanquam inutiles & infructuosas abijcere uellent. His addimus nũc etiã anathematis aduersum ipsum & assecias sententiã, si in proposito perseuerauerint. Ac par fuerat quidẽ, ut omnes qui cõuenerant in synodo episcopi, auersarentur autorẽ offensionũ, turbarũ, dissidiorum, susurrationũ in toto orbe, seditionũ in Ecclesijs, atq; ab lata aduersus eum sententia nequaquã discrepare: sed præter uota & expectationẽ nostrã, Serras, Stephanus, Heliodorus ac Theophilus, ipsorumq; assecłæ, non accessêre suffragijs nostris, neq; uoluêre subscribere latæ sententiæ: quamuis Serras etiã alia insolẽtia & rabie plenus, promulgata à prędicto Aetio accusaret. Aiebat enim, insultum temeratiæ audaciæ profiteri, sibi à Deo nũc reuelari quæ hactenus uniuersis occulta esse ille uoluisset. Post quę furiosę gloriationis uerba Aetij, quorum ipse testis esset Serras, nõ mouebantur tamẽ ullis precibus, neq; adducebantur illi suprà memorati, ut suos calculos adiungerẽt ad iudiciũ nostrũ. Nos tamen patiẽtia summa longo sanè tempore suffragia de ipsis protraximus, nunc indignãdo, nunc hortãdo, sæpe obiurgãdo, interdum obsecrãdo, ut accederẽt nobis, & cõsona decreta perscriberẽt uniuersæ synodo: ptulimusq; eos diu, si fortè audire nos, siue intelligere, & flecti uellẽt. Sed cum lõgo tempore instantibus nobis, admittere preces nostras & decretũ de Aetio sequi nollent, leges Ecclesiasticas pluris fecimus, quàm amicitiã illorũ: pronunciauimusq; aduersus eos, & à nobis separauimus: relicto illis spacio totius semestris, intra quòd reuersioni & pœnitẽtię locus quoq; eis, si cuperẽt ad unitatẽ & cum Synodo in gratiã redire, cõcessus esset. Decreuimusq;, si intra hoc tempus cõuersi, cõcordiam fratrũ suorũ appetierint, & cõsenserint decretis, in Ecclesiã recipiẽdos, & in conuentibus etiã autoritatẽ charitatemq; apud nos recuperaturos esse: sin obstinati in audacia sua perdurarint, propter humanã obseruantiam, & patui fecerint ecclesiasticas leges: tũ igitur alienos esse ab episcopali dignitate: & si exautorationem expectarint, succedi, ut necessitas postulat, ipsis ab alijs episcopis uolumus, quo legitima inter se Ecclesia debito ordine consentiat, custodientibus omnibus ubiq; episcopis uinculum charitatis, qui omnes eadẽ doceant, concinnati eodem animo & eadem sententia. Vt igitur cõstaret tibi de Synodo decretis, misimus has literas bonitati tuę: quibus parentem optamus te in gratia Christi pacificè & legitimè gubernare subiectas tibi Ecclesias.

Confirmata igitur ab omnibus Ariminẽsi fide, Acaciani Constantinopoli aliquandiu morati, censuras & depositiones exercuerũt in plures, quos à se alienos esse nouissent: ut Macedoniũ, Eleusium, Basilium, &c. quorũ singulis certa crimina intentárunt, quæ omnia prolixo cap. Sozom. recitat lib. 4, cap. 24.

SYNODVS ANTIOCHENA *Acacianorum.*

COnsulibus Tauro & Florentio, Socrates inquit, anno, ut uidetur, Christi trecentesimo sexagesimoquinto, Constãtij Imperatoris uigesimoquinto, Acaciani quietis inimici, & turbationum studiosi, Antiochię conueniunt cum paucis, pœnitentia scilicet ducti, quòd omnino similem filiũ esse patri

dixissent. Venerat tum fortè Imperator Antiochiã, ea occasione, quòd Persas res nouas moliri comperisset. Primùm ibi igitur, quæ antea decreta fuissent, Acaciani exagitãt, & Homousij dictionẽ (quanquã ὁμοίαν, sed non rectè Sozomenus habeat) ex fide Arimini & Cõstãtinopoli promulgata eradendã esse dicunt: ac manifestè pronunciãt, filiũ patri per omnia, nõ solũ secundũ essentiã, sed secundũ etiã uoluntatẽ, dissimilẽ: atq; ex nõ existentibus, sicut Arius dixit, factũ esse. Propugnabant istã opinionẽ tum Antiochiæ, qui cum Aëtio impio sentiebant: quos & Anomios, propter eam ipsam opinionem, dicebãt Homousiani: à quibus interrogati, Quamobrẽ cum filium in expositione fidei suæ Deum ex Deo dixissent prius, nunc dissimilẽ dicerent, & factũ ex nõ existẽtibus: responderũt sophisticãtes, illud Ex Deo, dictũ esse eo modo, quo Paulus omnia ex Deo esse dixisset: filium igitur unum esse ex omnibus quæ sint ex Deo. Fuerat aũt sophismatis illius, quemadmodum diximus, autor Gregorius Laodicenus. Accusati îgitur impietatis, & condemnati, cum nec tueri pro necessitate opinionem & sophismata sua possent, nec probrum pati, fidei isti quam Constatinopoli approbarant, denuò accessere, & synodũ soluerunt. Socrates lib. 2, cap. quadragesimoquinto: Sozomenus lib. quarto, cap. 29.

ANTIOCHENA ALIA.

COnfecto bello Persico, nõ ita multò ante obitũ suum, ut uidetur, Constantius episcoporum conuentum frequentẽ coegit Antiochiæ: à quo ipse, Arianismo planè deditus & imbutus, à cõuocatis episcopis seriò flagitauit, ut dictiones Coessentialitatẽ & diuersi essentialitatẽ abiurarent. Fortè tum pastore uacabat Antiochenorũ ecclesia. Plurimi igitur episcopi ibi tum congregati, consultari de fidei negotio nõ posse, Imperatori respondebant, priusquam Ecclesię uacanti de pastore prospectum fuisset.

Eunt in eam sententiã frequentes omnes partim Ariani, partim rectè de fide sentiẽtes: ac Meletium, qui tum priuatam agebat uitã, mandato Imperiali accersunt, & episcopum Antiochenæ ecclesiæ legunt. Existimauerat enim Ariana factio, consentire eum suo dogmati: Cum quidẽ Apostolicæ doctrinæ studiosi, sanũ eum in fide & rectissimè sentientem nouissent. Spe igitur tum sua frustrati Ariani sunt.

Aderãt simul ibi Eusebius Samosatensis, ueritatis eximius & egregius assertor: cui subscriptiões, p arbitrio, ab omnib. ex æquo notatæ, tanq; depositũ cõmune tradebantur.

Venit igitur Meletius, & honestè & reuerẽter ab uniuerso cœtu excipitur. & hoc modo finem illud quod de constituendo Ecclesiæ uacantis pastore, à Synodo obiectum fuerat, sortitum est. Cumq; iam in disputationem de doctrina descendendũ esset, mandat Imperator, tum Meletio huic, tum alijs qui diserti habebantur, explicationẽ dicti Salomonis: Dominus cõdidit me principio uiarum suarum ad opera sua. Adhibet & notarios, excepturos quicquid ab unoquoq; diceretur. Surgit primus Georgius Laodicenus, atq; dicti huius occasione, Arianũ uirus suũ omne euomuit. Sequitur eum Acacius Cæsarienſis, in explicãdo mediũ affectans: & quantũ facere potest, quàm lõgissimè aperta quidẽ Aëtianorũ blasphemiã declinãs, nõtamen Apostolicã sententiam integrã ubiq; & incorruptã obseruans. Adest tertius Meletius, ad perpendiculũ ueritatis sermonẽ suũ quàm cautissimè formãs, neq; quicquã plus minus ue, quàm oporteret, dicens. Itaq; factum est, ut pleriq; quę dixisset, acclamationẽ cõprobarint. Rogatus aũt, ut quàm posset rotundissimè & breui compendio doctrinæ suæ cõplecteretur summã, tribus erectis digitis, moxq; adductis in uolã duobus, uno relicto erecto, laude dignã eiusmodi uocem edidit: Tria sunt quæ intelliguntur, unum autem quod compellamus. Sozomenus ait lib. quinto, cap. 28, archidiaconum, cum filiũ eiusdem esse cum patre essentiæ Meletius diceret, accurrisse, manuq; loquentis os obstruxisse. Manu igitur clarius quàm uoce, ad hunc modum sententiam suam Meletium demonstrasse.

Sic igitur spe atq; opinione sua Ariani frustrati, grauiter fremere, & calumnias commiscisci, quasi Sabellianũ dogma Meletius asseruisset. Nec mora, Constãtio polypo quouis uersatiliori persuadent, ut in exilium Meletium expellat: atq; in eius locum Euzoium, manifestum impietatis Arianæ patronum, substituat.

Ità tum pars populi sanior, infesta Ariano ab altera parte malo, separatos cõuentus habere cœpit. Eusebius autem non stari conuentis communibus animaduertens, ad suã reuertitur. Metuentes autem postea Ariani scripturæ testimonium, apud Imperatorem obtinent, ut per nuncios depositum subscriptionum de Meletio accersendo ab Eusebio repetat. Mittit igitur Imperator bis ac ter, qui scripturas repetat: sed non impetrat, Eusebio respondente, Minimè sibi licere depositum commune tradere, nisi simul cõgregati omnes qui sibi commisissent, ita iussissent. Constantiam eam Eusebij Imperator admiratus, è Syria discedit, Iulianum res nouas in Europa molientem oppressurus. Sed in itinere, cum Ciliciam attigisset, moritur. Theodoretus libro secundo, cap. trigesimo primo & trigesimosecundo.

CAESA-

CAESARIENSIS PONTI, GANgrensis, Antiochena, Meletinensis.

MEminit aliquot Synodorum breuiter & neglecto tempore quo habitæ sint, Sozom. libro 4, cap. 24, in narratione synodi Acacianorum Constãtinopoli, in qua plures episcopos, aliosq; alijs de causis longe petitis deposuerint: ut Cæsarien sis in Ponto, in qua Eustathius Sebastię Armenię episcopus à patre, prius episcopo Cęsariæ Cappadocię, ob indecentem stolam (quemadmodum Socrates ait libro 2, cap. 43.) excommunicatus, iterum depositus & damnatus sit, ob dispensationes quasdam sibi non cõcreditas. Item Gangrensis, in qua tertiò Eustathius idem damnatus sit, quòd nec rectè sensisset, nec docuisset, nubere prohibuisset, matrimonia cõtracta diuulsisset, mulieres tonderi instituisset, ac multa alia Ecclesiasticis constitutionibus cõtraria ausus fuisset: in Synodo prærerea Antiochena periurus deprehensus, & Meletinẽsis synodi decreta peruertere conatus esset. Ait & Basilius epistola septuagesimaquarta, Eustathium in synodo Meletina depositum fuisse.

DE SYNODIS SVB Iuliano.

ALEXANDRINA.

REuocati initio imperij Iuliani ab exilio Lucifer Catalensis, & Eusebius Vercellensis ecclesiæ episcopi, consiliũ ineunt, quo pacto Ecclesijs Arianorum tumultuationib. sub Constantio quassatis, remedium adhiberi possent. Conueniunt inter se, quemadmodum & suprà in capite de Schismatibus dictum est, ut Antiochiam Eusebius proficiscatur, emendaturus quę ibi collapsa reperisset: Lucifer uerò Alexandriam adeat, cum Athanasio ibidem synodum ad confirmationem dogmatum Ecclesiasticorum celebraturus.

Venit igitur Alexandriam Lucifer, ac Synodum cum Athanasio præsidẽte, plurimorũ ex uarijs ciuitatibus Ægypti, Libyæ, Arabiæ, & Italiæ episcoporũ diligenter colligit, ea (ut uidetur) occasione, quòd diuersitas quædã in speciem inter docentes incidisset. Quorum aliqui tres hypostases, alij unã duntaxat dicerent: eorumq; illi Sabellij, hi Pauli Samosateni dogma profiteri accusarentur. Sed nullam fuisse eam doctrinæ diuersitatẽ, inde postea cognitum est, quòd examinata, & declaratione suę sentẽtię postulata utraq; pars, rectè sentire deprehẽsa est: quemadmodũ ex subscriptione Paulini apparet, hoc modo: Ego Paulin⁹ approbo superiorẽ interpretationem de tribus hypostasibus, & una hypostasi siue essentia: & eos qui ita cẽsent, ueros habeo: cum pium sit sentire & confiteri, trinitatem in una deitate consistere.

In ea uerò Synodo episcopi de multis & necessarijs admodum rebus inter se contulere. Primùm enim Nicænã fidem confirmarunt, quemadmodum Sozomenus ait lib. 5, capite duodecimo.

Deinde cum synodi Sardicensis decreta pro Nicænis quidam uenditassent, aut Nicænis statutis certè prætulissent: cautum ab ea Synodo est, ne quis ea pro ueris haberet. Patet id ex subscriptione Eusebij, hoc modo: Quia fama apud exteros increbuit de tabella Sardiniani Concilij, ne ea ultra Nicænam fidem esse putetur, meo suffragio denuncio.

Tertiò. De οὐσίᾳ uerò & ὑποστάσει decreuerunt, non esse de Deo hasce usurpandas uoces. Etenim οὐσίαν ne nominatam quidem esse in sanctis scripturis: nomine uerò ὑποστάσεως Apostolum necessitate dogmatum esse abusum. Sed alia ratione usurpandas eas esse constituerunt, in confutando nimirũ Sabellij errore, ne angustia dictionum, quod triplici nomine dicitur, rem unam esse putemus: sed unumquodq; horum nominum de triade in propria hypostasi diuinitatis consideratione contineatur.

Quartò. De Christo pronunciarunt, non humanam eum tantum carnem, sed animã assumpsisse: iuxta ueterum doctorum, Clementis, Irenæi, Apollinarij & Serapionis traditionem. Explicat hoc decretum clarius Paulini subscriptio in hunc modum. De incarnatione uerbi patris propter nos facta, ita decerno, quemadmodum scriptũ est secundum Ioánem, Verbum carnem esse factum: non autem secundũ impijssimos homines, mutationẽ sui uerbum passum esse. Sed nostri gratia hominem esse factum, & ex Maria uirgine spiritu sancto genitum esse: & nequaquam inanimatum, aut insensibile, aut sine mente corpus Saluatorem nostrum habuisse: quippe cum impossibile sit, Dominũ propter nos hominem factum, corpus habere sine mente.

Quintò. Venit in disputationem de Spiritu sancto quæstio. Decreuerũt igitur, eiusdem esse spiritum sanctum subsstãtiæ ac deitatis, cuius pater & filius: neq; quicquam in Trinitate aut creatũ, aut prius altero posterius ue dicendum esse.

Sextò. Cum uisum esset alijs, neminem qui se quocunque modo hæreticæ communionis contagio maculasset, ad sacerdotium admittendũ amplius esse: alij melius iudicarunt, autores quidem perfidiæ abijciendos esse: reliquis autẽ sacerdotibus optionẽ dandam, ut si fortè uelint, abiurato errore perfidiæ, ad fidem patrũ, statutaq; cõuerterentur. non enim negandum esse aditum redeuntibus. Recitat hoc decretum Ruffinus libro primo,

primo, capite uigesimo octauo. Et habet simile quiddam Athanasius ad Antiochenses, tomo duodecimo.

Septimo. Communi decreto Asterio cæterisq; qui cum ipso erant Orientalium ecclesiarum iniũxere procurationem, Occidentalium uerò Eusebio.

Postremò, coram eadem Synodo Athanasius Apologeticũ de fuga sua à se antea conscriptum recitauit. Socrates libro tertio, capite sexto, septimo, & octauo: Sozomenus libro quinto, capite duodecimo. Nunc epistolam synodi eius, complectentem omnes actiones, adijcimus, quæ apud Athanasium inscribitur, ad Antiochenses tomus duodecimus.

¶ Charissimis & optatissimis sacrorum cõministris, Eusebio, Lucifero, Asterio, Cymatio & Anatolio: Athanasius cæteriq; episcopi, qui iam Alexandriæ ex Italia, Arabia, Aegypto & Libya hic adsunt, Eusebius, Astetius, Gaius, Agathus, Ammoni⁹, Agathodæmon, Dracõtius, Adelphius, Hermęon, Marcius, Andreas, Paphnutius, Marcus, Zoilus, Mynias, Georgius, Lucius, Macaris, reliquique deinceps in Christo, salutem plurimam. Persuasum habemus, uos, cum sitis ministri Dei, ac boni dispensatores, idoneos aptosq; esse ad Ecclesiæ negotia temperãda. Cæterùm quia ad nos allatũ est, plurimos superiori tempore per cõtentionẽ disgregatos à uobis, pacẽ iam optare: plurimos item à uecordi Arianorũ secta deficiẽtes, uobiscũ communionem affectare: necessariũ uisum est, ut ea quæ à nobis nostrisq; dilectis scripta essent, Eusebio, Asterio, uestræ bonitati insinuare, qui & ipsi estis dilecti, & uerè in nobis desideratissimi sacrorũ comministri: nimirũ lætos quidem nos esse de hac fama, sed tamen magnopere cupere, ut eos qui adhuc in schismate hærẽt, segregati à uobis, quiq; cum Arianis cœtus faciunt, resilire curetis ab istiusmodi insania, ut omnes omnib. in locis prędicent unum Dominũ, unam fidem. Quid enim ita pulchrum, prout Psalmographus inquit, aut quid ita delectabile, quàm habitare fratres in unum? Nam ita quoque fieri arbitramur, ut & Deus nobiscum habitet, cuius hæc uerba sunt: Habitabo in eis, & uersabor inter eos, & coloniam meam ibi habebo, quoniam elegi eam. Ita quoq; quodammodo fit, ubi una fides & religio prędicatur. Vellemus equidem nos Aegyptij, unà cum dilectis fratribus nostris Eusebio & Asterio, multis de causis isthuc uenire: ac in primis eius rei gratia, ut uestros affectus amplectęremur, frueremurq́ue in commune istiusmodi pace & concordia. uerùm quia, ut in alia epistola indicauimus, & ex cõministris nostris intelligere potestis, detinemur magnopere Ecclesiasticis necessitatibus, idq; nõ sine dolore nostro: ideo uoluimus cõministros nostros in rebus sacris, Asterium & Eusebium, in uicem nostri isthuc pergere, ac uos inuisere. Gratiam igitur ago eorum pietati, quòd, cum ipsis liceret properare ad suas diœceses, istam tamen profectionem ad uos, omnibus rebus suis anteposuerũt, idq; in usum urgentis Ecclesiastici negotij. Cum igitur istiusmodi inter nos decretum esset, memetipsum non parum consolatus sum, quasi illis isthic præsentibus, ego quoque unà isthic præsens interessem. Omnes igitur qui uobiscum pacificè agere uolunt, in primis autem illos qui in ueteris Ecclesiæ cõmunione fuerunt, deinde qui ab Arianis redierunt, elicite ad uos, eosq; ut patres assumite, & ut magistri & tutores recipite, cooptantes interim uos dilecto nostro Paulino, eiusq́ue socijs: nihilq; amplius ab illis exigatis, quàm ut execrentur Arianorũ hæresim, cõfiteanturq; sanctorum patrum in Nicæa fidem: execrentur q; item eos qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam, & diuisum: ex substantia Christi. Id enim uerè est resilire à scelerata factione Arianorum, si non diuidas sanctam Trinitatem, nec dicas aliquid eius esse creatũ. Nam qui simulanter sese iactitant de confessione Nicænæ fidei, atque interim audent blasphemias dicere contra Spiritum sanctum, nihil aliud præstant, quàm quòd Arianam hæresim uerbis inficientur, animo sensuq́ue retineant. Anathemate quoque inuratur Sabellij & Pauli Samosatensis impietas, Valentini item & Basilidis insania, & Manichæorum stoliditas: quod si fit, omnis apud omnes suspicio delebitur, & sola catholicæ Ecclesiæ fides pura apparebit. Quod autem hanc fidem tenemus nos, & qui perpetuò nobiscum communionem usurparunt, nec uos nec alium quenquã latẽre arbitramur. Cæterùm quia cum uolentibus uolupe est coniungi, ut quidem libenter cum omnibus, ita uerò in primis ijs qui in ueteri Ecclesia conuentus agebant: & quia potissimum Dominum glorificamus, cùm de omnibus, tum præcipuè de hoc eximio proposito, uisum est nobis uos cohortari, ut subistis conditionibus ineatur concordia, ita ut nihil ulterius quàm prædictum est, uel illi qui ex ueteri Ecclesia sunt, à nobis flagitent, uel illi qui cum Paulino sunt, aliud præterquam quod inter Nicæni concilij decreta reperitur, adijciant: & tabellas quas nonnulli iactant, quasi in Sardinensi synodo de fide conscriptas, ne legi quidem semel, aut profiteri sinatis. Nihil enim tale concilium definiuit. Quamuis enim certi homines, nõnulla quasi quæ deessent Nicæno concilio ascribere uellent, idq́ue acriter contendenti

rent: sancta tamen synodus quæ Sardis conuenit, indignè id tulit: decretoq; sanciuit, ne quid ulterius de Fide scriberetur: & sese contentos esse Nicęna fide declarauerunt, ut cui nihil deesset, & in qua integra & solida pietas contineretur: neque edendam esse aliam professionem fidei, ne illa quæ Nicææ scripta est, suos numeros non habere uideretur: neue illis, quibus libido est semper noua statuere, occasio huiusmodi suppeditaretur, ut iterum atq; iterum de fide definiant. Quapropter si quis hæc aut aliud quippiam cauillabitur, compescite illos, & ad studium pacis inducite: nihil enim in istis agnoscere possimus, nisi solam contentiositatem. Illis enim qui nonnullos incusabant, ut trium hypostaseon affirmatores, quum huiusmodi uoces in scripturis non reperirentur, ac proinde suspectæ uideri possent, authores fuimus, ne amplius in Nicænam confessionem inquirerent. Sed tamen de istis ob peruicaciam rixandi quæstio est habita: interrogatiq; sunt, num pro Arianorum sententia, alienas, peregrinasq;, ac diuersæ à se inuicem substantiæ personas esse uelint, & unamquamque hypostasin per se ac seorsum diuisam esse propter creaturarum cæterarum, eorumque qui ex hominibus nascuntur existiment: an hic intelligant diuersas res, quale est aurum, argentum, æs: an, ut alij hæretici, sub istis uocibus tria principia & tres maximos deos constituant. Cæterum illi affirmabant, se ita nec dixisse, nec sensisse. Percunctantibus autem nobis, qua ratione igitur ista diceret, aut cur omnino istiusmodi uocabulis uterentur? responsum dederunt, Se se in trinitatem credere, non quæ nominetenus trinitas, sed quæ uerè trinitas esset & subsisteret: & patrem, ut qui uerè esset & subsisteret: & filium, ut inexistentem & subsistentem: & spiritum sanctum, ut subsistentem & existentem agnoscere. non tamen se dicturos quidem, si quis tale quippiam aut dicat, aut sentiat: sed se scire esse sanctam trinitatem, ut tamen una sit deitas, & unum principium. & filium se agnoscere esse coessentialem suo patri, ut dixerunt patres: & spiritum sanctum non creaturam, neq; alienum, sed proprium & indisgregatum ab essentia patris & filij. Approbata igitur istiusmodi & interpretatione & excusatione, uicissim quoque & eos examinauimus, qui ab istis in culpam deuocabantur, quasi qui dicerent, esse unam hypostasin: sciscitantes ab illis, num pro Sabelliano dogmate ea mente loquerentur, ut sublatos uellent ex Trinitate filium & spiritum sanctum, quasi filius essentia careat, aut spiritus sanctus non subsisteret. Qui & ipsi quoq; affirmarunt, neq; se ita dicere, neq; se ita sensisse unquam: sed ὑπόστασιν eos intelligere idem esse cum οὐσίᾳ. unam autem ideo se se hypostasim intelligere, partim quia filius ex essentia patris sit, partim quia in tribus identitas naturæ. Vnam enim se se deitatem, & unam naturam credere: neque aliam patris, aliam filij, aut spiritus sancti esse naturam. Quinimò & illi qui eo crimine postulati erant, quod tres hypostases inducerent, cum istis in eandem sententiam conuenerunt: uicissimq; illi qui unam hypostasim asseuerant, istorum interpretationi acquieuerunt, & ambæ factiones pariter Arium execratę sunt ut Christi hostem: Sabelliumq; & Paulum Samosatensem, ut impios: Valentinum item & Basilidem, ut alienos à ueritate: Manichæumq;, ut malorum machinatorem: omnes deniq; Dei gratia post istiusmodi uerborum interpretationem, optimam & exactissimã fidem esse, quæ Nicææ patres instituissent, approbarunt, eiusq; synodi uerba sufficere, ac ante omnia in usum esse deducenda constituerunt. Quinimò etiam de negotio dispensationeque carnis nostri Saluatoris, quum super ea re quoq; nonnulli cum alijs contentionem mouerent, & hos & illos examini subiecimus: & quod isti profitebantur, hoc & illi quoque suffragio assensuq; prosequuti sunt: nempe, non ea ratione qua ad prophetas factum est uerbum Domini, factum esse uerbum, & aduenisse in Christum sub finem seculorum: sed ipsum Verbum carnem esse factum: & cum esset in forma Dei, formam serui assumpsisse: & ex Maria, quantum ad carnem attinet, hominem esse genitum, hominum gratia: eoq; modo solidè & integrè humanum genus liberatum à peccatis in ipso, & uiuificatũ à morte, introduci in regnum cœlorũ. Et hoc quoq; itidẽ confitebantur, quòd non corpus inanimatũ, aut cogitationis aut mentis expers, Saluator habuerit: nõ enim possibile erat, ut Domino propter nos homine facto, corpus eius sine mente existeret. Non enim corpori duntaxat, sed & animæ quoq; nostræ per ipsum uerbum salus est conciliata: idemq; cum uerè esset filius Dei, filius hominis factus est: & quum esset unigenitus Dei filius, factus est primogenitus in multis fratribus. Quapropter non alius erat ante Abraham, alius post Abraham: neq; alius dum Lazarum excitaret, neque alius cum interrogaret de eo ubi situs esset, sed idẽ ille ipse erat: corporaliter quidem ut homo expuens, diuinitus uerò ut Dei filius oculos aperiens eius qui à natiuitate cæcus fuerat. Et carne quidem patiens, ut Petrus dixit: diuinitùs tamen monumenta adaperiens, & mortuos excitans. Ex quibus omnia quæ in Euangelio sunt,

ita

ita intelligentes, affirmauerunt se idem sentire de incarnatione & humana natura à Dei uerbo assumpta. Cum igitur istiusmodi illorum fuerit confessio, adhortamur uos, ne eos qui ita confitentur, talemq; interpretationem suæ confessioni accommodant, temerè condemnare aut reijcere uelitis: sed potius, admissa illorum excusatione, recipiendos putetis. Eos contrà, qui talem confessionem non edunt, neque tali interpretatione in istis uerbis utũtur, arcere uos uellemus, & auersari ut suspectæ mentis homines. Cæterùm, cum istos tolerandos non censebitis, consuletis illis qui rectè interpretantur & rectè sentiunt, ne ulterior ulla inter uos adhibeatur disquisitio: ne ue uerborum pugnis studeatis ad nullam utilitatem, sed sensus cogitationesq; pietatis exhibete. Nam qui ita affecti non sint, sed tantummodo super istiusmodi uoculis rixantur, & aliud quippiam, præterquam quod Nicææ scriptum est, requirunt: hi profectò nihil aliud agũt, quàm quod proximis suis turbidam subuersionem propinant, ut inimici discordiarum schismatumq; æmulatores. Sed uos, ô boni & fideles serui & dispensatores Domini, eos qui scandala & peregrina inferunt, compescite & arcete: & præ omnibus anteponite istiusmodi pacem quæ sanæ fidei est. Forsitan Dominus misertus nostri, coaptabit quæ sunt hiulca & diuisa, atque unum ouile reformabit, quò unum habeamus ducem Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Hæc quidem nos: tum quia nefas est, quicquã ultra Nicænum concilium requirere, aut contentiosas sententias recipere: tum, uel ob pacem solũ, & ne qui rectè sentiunt, pro reijculis habeantur: ad istum modum censuimus: & eorum confessionẽ, qualis fuerit, nos, qui relicti sumus Alexandriæ, paucis iudicauimus: idq; in commune, unà cum reliquis comministris sacrorũ, Asterio & Eusebio. Nam reliqui ex nostris, quisque in suas prouincias abierunt. Vos rursus in commune, ubi soletis conuentus agere, ista iubebitis promulgari, eoq; omnes euocate. Æquum enim est, ut in loco epistola primùm recitetur: ibidemq; omnes qui pacem amant, inter se concilientur: ac deinde ubi cõciliati fuerint, ubicunq; populis uidebitur, prẹsente quoq; uestra humanitate synaxis celebretur, & Dominus publicè ab omnibus glorificetur. Salutant uos fratres illi qui mecum hic agunt: bene ualete, & nostri memoriam in Domino facite. Ego Athanasius, cæteriq; episcopi, in hoc conuentu præsentes, epistolæ subscripsimus: idemq; ab illis factum est, qui huc legati uenerant: inter quos, à Lucifero Sardiniæ insulæ episcopo, diaconi duo Herennius & Agapetus: à Paulino uerò, Maximus & Calemerus, qui & ipsi diaconi sunt. Aderãt & aliquot monachi episcopi Apollinaris, in hoc ipsum missi. Episcoporum nomina, ad quos epistola conscripta est, sunt hæc Eusebius Birgillelorum ciuitatis Galliæ, Lucifer Sardiniæ insulæ, Asterius Petræ Arabæorum, Cymatius Palti Cœlosyriæ, Anatolius Euboiæ. Cæterùm qui epistolã scripserũt, sunt isti: Papa Athanasius, & qui cum illo Alexãdriæ fuerũt: ipse quoque Eusebius inter eos est: Asterius item, reliqui Gaius ex Paratonio proximo Lybiæ Phragonis, & partis alteri⁹ Elearchiæ Ægypti Ammonius Pachnemune⁹: & exreliqua Elearchia Ægypti Agathodæmon Schediæ, & Menelaiti, episcopus Dracontius parœ Hermopolis, Adelphius Nupheos quæ est Lichnorũ, Hermion Taneos, Marcus Zygrorum proximè ad Lybiam, Theodorus Athrybeos, Andreas Arsenoitæ, Paphnutius Saëos, Marcus Philorum, Zoilus Andromenæ, Antiphron. His etiam Eusebius latinè subscripsit, quorum hæc interpretatio: Ego Eusebius episcopus, secundum exactam uestram utriusque partis confessionem, quain eandem sententiã inuicem cõueniistis, quantum attinet ad hypostases, fateor me quoq; idem statuere: neque in id solum calculum meum addo, sed etiam in incarnationem Saluatoris nostri consentio, eum uidelicet cum filius Dei esset, hominem esse factum: &, excepto peccato, omnia quæ ueteris erant nostræ humanitatis assumpsisse: idque prout habet epistolæ argumentum, meis suffragijs confirmo. Deinde quia fama apud exteros increbuit de tabella Sardiniani concilij, ne ea ultra Nicænam fidem decreta esse putetur, meo suffragio denuncio, quò nihil luxamenti aut noxæ Nicænæ fidei indeoboriatur, neque eam ea de causa proferendam censeo. Valere uos omnes in Christo exopto. Ego Asterius superioribus scriptis adstipulor, & uos in Christo bene ualere precor. Postquam autem uolumen missum erat ex Alexandria, ita à uiris, quorum superius mentio habita est, subscriptum fuit. Postea quoque & ipsi subscripserunt: Ego Paulinus ita sentio, quemadmodum accepi à patribus, Filium esse & subsistere perfectũ: subsistere quoque Spiritum sanctum, eumque perfectum esse. Quapropter approbo superiorem interpretationẽ de tribus hypostasibus, & una hypostasi siue essentia: & eos qui ita censent, ueros habeo: quum pium sit sentire & confiteri, Trinitatẽ in una Deitate consistere. & de incarnatiõe uerbi patris propter nos facta, ita decerno, quemadmodũ scriptũ est secũdum Ioannẽ, Verbum carnem esse factum: non autem secundũ impijssimos homines, mutationẽ sui uerbum passum esse, sed

sed nostri gratia hominem esse factum, & ex Maria uirgine spiritu sancto genitum esse: & nequaquam inanimatum aut insensile, aut sine mente corpus Saluatorem nostrum habuisse: quippe cum impossibile sit Dominũ propter nos hominem factum, corpus habere sine mente. Ideoq; anathemate persequor eos qui confessionem fidei Nicænæ uilipendunt, & qui negant filium ex substantia patris, aut coessentialem patri existere. Execror item eos qui dicunt, spiritum sanctum propter filium creaturam esse factum: prætea Sabellij, Plotini, omnemq; hæresim anathematizo, incedens secundum Nicænam fidem, & secundum omnia superius scripta. Valere uos opto ego Carterius.

SYNODI MACEDONIANORUM, *in uarijs locis.*

EOdem tempore, Macedonio, Eleusio, Eustathio, & Sophronio adhærentes, qui omnes Macedoniani dicebantur, synodos frequentes uarijs in locis cõgregarunt: & cõuocatis è Sicilia, sententiæ suæ adstipulantibus, eos qui alterius erant partis, Acacianos uidelicet, anathemate damnarunt: & Ariminensem fidem reijcientes, eam quæ Seleuciæ lecta fuerat, prius autem Antiochiæ exposita, cõfirmarunt. Socrates libro tertio, capite decimo.

SYNODVS IN PALAESTINA.

GAzæ uicina ad uiginti stadia ciuitas fuit, Maiuma quondã dicta: sed quam ob Christianam religionem Constantinus ueneratus, à filio suo Constantiam appellari iusserat: constituerat q;, ut proprio iure à Gazæis separata uiueret: iniquum arbitratus, ciuitatem religioni Christianæ & pietati dedi tam, à Gazæis paganizantib. gubernari. Eam in lite quadã cum Gazæis, Iulianus religionis Christianæ odio, Gazæis denuò adiudicauit. Ex quo nomẽ Constantiæ tum amisit, & cõmunes principes ferre, eandemq; cum Gazæis rempublicam habere coacta fuit: nisi quòd proprium suum retinuit episcopum, cum & suum separatim haberent Gazenses. Euenit igitur aliquando, ut mortuo eius ciuitatis, quæ seu Maiuma seu Constantia dicebatur, episcopo, Gazensium episcopus utriusq; ecclesiæ administrationem usurparet: illicitum esse dictitans, unam & eandem ciuitatem à duobus regi episcopis. Repugnãt Maiumeni, atq; ab ea gente synodum impetrant. Ea autem proprium ipsis, sicut antea habuerant, ordinauit episcopum: & decreuit, inconueniens esse, ut qui propter pietatem iustorum ciuitatis dignitatem accepissent quondam, nunc per sententiam ethnici Imperatoris aliter instituti, collatis olim sacerdotij & ecclesiasticæ dignitatis honoribus priuarentur. Sozom. lib. 5. cap. 3.

DE SYNODIS SVB Iouiniano.

ANTIOCHENA.

VIxdum ad Imperium Iouinianus princeps pius peruenerat, annum circiter CHRISTI trecentesimum sexagesimumoctauum, cum Acaciani, scientes foro uti, & ad eorum sententias & uoluntates qui rerum potirentur propensi, synodum Antiochiæ congregãt: ac cum Melitio, ideo quòd in gratia eum apud Imperatorem esse perspiceret, de doctrina conferunt, & Homousion cõplectuntur. Communi etiam sententia, Nicænã à se confirmatam fidem Imperatori offerũt: cuius libelli, quem in collectione rerum synodalium à Sabino conscripta, repertum Socrates tradidit libro tertio, capite uigesimoquinto, sensus is fuit.

Pientißimo ac Deo dilectißimo domino nostro Iouiniano, Victori, Augusto, episcoporum qui ex uarijs prouincijs hic Antiochiæ sunt congregati, Synodus.

¶ Quod Ecclesiasticam pacem & concordiam pietas tua etiã antea cum primis promouere contenderit, clam nobis non est, Imperator pientissime. Neque hoc ignoramus, quòd huiusmodi ciuitatis caput rectæ, ueræ & orthodoxę fidei characterem esse duxeris. Itaq; ne illis coniuncti putemur, qui dogma ueritatis deprauant, reuerentiæ tuæ significamus, recipere nos ac retinere fidẽ eam quę olim in sancta synodo Nicææ congregata, promulgata est: quando & nomen illud Homousion, quod in ea quibusdam haud rectè positum uidetur, rectè est ac cautè à patribus expositum, ita ut filium ex substantia patris genitum, & patri secundum substantiam similem esse significetur: ita tamen, ut nec passio aliqua in generatione hac inenarrabili cogitetur, nec dictio Substantiæ gentili aliquo sensu, sed ad subuersionem eius quòd illud Ex non existentibus, impiè de Christo ab Ario dictum est, à patribus accipiatur: id quod & Anomiani, iam post Arianos exorti, confidentius & audacius etiam ad Ecclesiasticæ concordiæ destructionem impudenter affirmant. Quapropter relationi huic nostræ exemplar fidei Nicææ ab episcopis illic congregatis expositæ, quam & amplectimur, coniunximus. Est autem ista: Credimus in unum Deum, patrem omnipotentẽ: & reliqua, eruditionis plena.

Sozomenus libro sexto, capite quarto, significat fuisse eam formulam descriptam ad uerbum ex fide Nicæna. Subscripserunt: Meletius episcopus Antiochiæ præscriptis consentio: Eusebius Samosatenus, Euagrius Siculus, Vranius Apamię, Zoilus Larisenus, Acacius Cæsariæ, Antipater Rosenus, Abramius

mius Vrimenus, Aristonic⁹ Seleucoboleus, Barlamenus Pergami, Vranius Melitinę, Magnus Chalcedonensis, Eutychius Eleutheropolis, Isacoces magnæ Armenię, Titus Bostrenus, Petrus Sipponius, Pelagius Laodicenus, Arabianus Antri, Pison Adanenus per Lamyrionem presbyterũ, Sabinianus Zeugmatenus, Athanasius Anzyrenus per Orphitam & Atetium presbyteros, Irenius Gazæ, Pison Augustę, Patricius Palti per Lamyrionem presbyterũ, Anatolius Beroensis, Theotimus Arbenus, Lucianus Arcenus.

ALEXANDRINA.

IMperator idem totus in restitutionẽ tranquilli ecclesię status, & fidei rectitudinem restaurandam intentus, ab Athanasio per literas petijt, ut eum de necessarijs circa religionem instrueret. Qua occasione synodum episcoporũ ex Aegypto, Thebaide & Libya conuocat, cumq; illis decernit, fidem Nicęnam, ut apostolicis dogmatis cõsentaneam, seruandam esse. eaq; de re synodicam epistolam Imperatori remisit, seu (ut uidetur) ipse ab Imperatore accersitus attulit, cuius exemplum hoc est.

Religiosissimo & clementissimo Victori Augusto Iouiano, Athanasius ac reliqui episcopi, qui uenerunt ex persona omnium, Aegypti, Thebaidos ac Libyarum episcoporum.

¶ Digna est amante Dei Imperatore, cupida uoluntas perdiscendi cœlestia. Ita enim est cor tuum uerè in manu Dei, et Imperium multorum annorum curriculo in pace administrabis. Cum igitur uoluerit pietas tua cognoscere ex nobis fidem catholicæ ecclesiæ, gratijs hanc ob rem actis Domino, uisum est ante omnia subijcere religioni tuę fidem cõfessione patrum Nicææ confirmatam. Hac enim quidam reprobata, nobis quidem multiplices struxêre insidias, quia non accederemus sectæ Arianę: autores uerò in ecclesia catholica fuêre hæreseos & dissidiorum. Vera sanè fides, & pietati cõsona in Dominum nostrum IESVM Christum manifesta est, omnibus nota, lectaq; in diuinis scripturis. nam & hac perfecti sancti testimonium dixêre, & nunc mortui fruuntur Domino. Mansisset autem illa fides integra semper, nisi quorundam hæreticorum improbitas corrumpere fuisset ausa. Nam Arius, & illius factio, euertere hanc, & pro ipsa impietatem introducere tentauerunt: qui dicerent, Dei filium esse de nihilo, & condituram, & creaturã, & mutabilem. quibus non paucis imposuerunt, adeò ut quosdam qui in magna existimatione essent, seduxerint maledicentia sua. His occurrentes sancti patres congregati, ut diximus, Nicææ, anathemate exterminauerunt Arianam hæresim, catholicæque ecclesiæ fidem perscripta confessione confirmarunt, ut hac ubiq; promulgata, incendia hæretico-rum extinguerentur: quæ & ipsa ubiq; in omnibus ecclesijs legebatur & prædicabatur. Sed postquam renouare quidam hæresim cupiunt, alijq; planè audent reprobare confessionem patrum Nicææ confirmatam fidem: alij fingunt se quidem assentiri, sed reuera negant falsa interpretatione coessentialitatis, qui & maledicunt sancto spiritui, quòd dicant condituram esse & creaturã factam per filium: ideo necessitate compulsi, considerata peste quæ de hac blasphemia in populos grassaretur, studuimus transmittere pietati tuæ Nicænæ fidei confessionem, ut intelligeret religio tua, quanta illa perscripta fuerit cura, quantoq; opere fallantur qui sua doctrina ab ipsa discedunt. Hoc uerò scias Auguste Dei amantissime, hanc esse à sectalo prædicatam, quam confirmarit patrum Nicæna synodus confessione sua. Quibus assentiuntur omnes ubique ecclesiæ, in Hispania, Britannia, Gallia, Italia tota, Campania, Dalmatia, Mysia, Macedonia, uniuersa Græcia: omnes in Africa, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphylia, Lycia, Isauria, Aegypto tota, Libya, Ponto, Cappadocia, ac uicinis in locis: nec non omnes Orientales ecclesiæ, præterquam paucæ facientes cum Ario. Nam cunctarum quas memorauimus, sententias usu comperimus, & indices habemus literas: scimusq;, Auguste amantissime Dei, non posse paucos, si qui contradicunt, præiudicare toti orbi terrarum. Illi enim longo tempore Ariano in morbo depositi, contentione maiore aduersantur iam pietati. Vt autem hæc cognoscatur, quam uis prius cognita, à pietate tua, studuimus confessionem Nicænæ fidei, patrum trecentorum decem & octo episcoporum, subiungere. Ea est talis. Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium uisibilium et inuisibilium factorem. Et in unum Dominum IESVM Christũ, filium Dei, genitum ex patre unigenitum, hoc est, de patre tota substantia: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum uerum ex Deo uero: genitum, non factum, coessentialem patri: per quem facta sunt cœlestia & terrestria omnia: qui descendit propter nos homines, & propter salutem nostram, carnem humanitatemq; assumpsit: passus, surrexit tertia die: ascendit in cœlos, uenturus iudicatum uiuos & mortuos. Et in spiritum sanctum. Quia autem dicunt, fuisse quondam cum non esset, & priusquam gigneretur non fuisse, & factum de nihilo, aut ex altera substantia existentia ue: aut conditum, mutabilem, uariabilem filium Dei: eos anathemate exterminat

nat ſancta, catholica, & apoſtolica Eccleſia. Hanc fidem amantiſsime Dei Auguſte tenere neceſſe eſt, tanquam diuinam & apoſtolicam. Neq; quiſquã conuellere debet probabili contentioſo ue ſermone: ſicut ab initio Arianus fecit furor, qui aſſereret de nihilo fium Dei eſſe, & fuiſſe aliquando cum nõ eſſet: & cõditũ, factum mutabilem eſſe. Nam ob hæc & Nicæna ſynodus, ut diximus, anathemate exterminauit hanc hæreſim, confeſſa fidem ueritatis. Non enim ſimpliciter dixêre, ſimilem eſſe filium patris, ne ſimpliciter ſimilis Dei, ſed Deus uerus ex Deo uero crederetur: ſed & coeſſentialitatem perſcripſere, quod proprium eſſet germani & ueri filij ex uero & naturali patre. Neq; ſeparauerunt ſanctum ſpiritum à patre & filio, ſed unà potius cum utroq; glorificarunt in una ſanctæ trinitatis fide, eo quòd & una ſit in ſancta trinitate diuinitas.

His literis lectis, confirmauit Imperator de rebus diuinis ſententiam & affectũ ſuum: tulitq; alteram legem, qua reſtituebatur cõſtitutũ Magni Conſtantini de largiendo frumentum eccleſijs, ſublatum à Iuliano, nimirum qui aduerſum Deum & ſaluatorem noſtrum bellum ſuſcepiſſet. Sed quoniam ingruens de impietate illius fames non patiebatur totam conferri Conſtantini largitionem, trientem Iouianus tum præberi iuſsit: totum pollicitus, cum fames ceſſaſſet. Talibus legibus auſpicia regni exornans, Antiochia ad Boſphorum contendit: Dadaſtanæq; (uicus is ſitus eſt in finibus Bithyniæ & Galatarum) finiuit uitam ſuam, ipſe quidem pulcherrimo inſtructus uiatico ingreſſus iter: ſed magno dolore relicto, expertis Imperatoriam clementiam illius. Mihi autem omnium moderator in pœnam malorum noſtrorum oſtendere tantum nobis bona uidetur, & mox ijſdem ſpoliare: docereq; uelle, quàm facile ſit ei, prębere quæ lubeat: ſimulque & arguere, quàm bonis ſimus indigni: & ad meliorem uitam capeſſendam nos cohortari.

LAODICENA.

SYnodi Laodicenæ Gratianus meminit diſtinctione decimaſexta. Celebrata eſt autem poſt mortem Iouiniani Imperatoris, circa annum Domini trecenteſimum ſexageſimumoctauum: ſecundum alios autem, trecenteſimum ſexageſimumquartũ, ſub finem epiſcopatus Liberij, quemadmodũ autor libri Conciliorũ indicat. De fide, ea ſynodus conſtituiſſe nihil legitur. Canones aũt quinquaginta nouem, qui & græcè habentur, auctore Theodoſio epiſcopo, ut Gratianus refert, ſanxit, ad diſciplinam & politiam Eccleſiaſticam pertinentes, hoc modo.

Sancta Synodus quæ apud Laodiceam Phrygiæ Pacatianæ conuênit ex diuerſis prouincijs Aſiæ, regulas expoſuit Eccleſiaſticas.

1 De eo quòd oportet ſecundum eccleſiaſticum canonem, eos qui liberè & legitimè ſecundis nuptijs iuncti ſunt, nec occultam permixtionem operati ſunt, pauco tempore exempto, uacare orationibus & ieiunijs, & ſecundum ueniam reddi eis cõmunionem.

2 His qui diuerſorum peccatorum lapſus incurrunt, & inſtant orationi, confeſsioni ac pœnitentiæ, malorum ſuorum perfectã conuerſionem demonſtrantes, pro qualitate peccati, pœnitentiæ tempus attribuendum eſt, propter miſericordiam & bonitatem Dei. Qui ergo huiuſmodi ſunt, reuocandi, & ad communionem ſunt applicandi.

3 Non oportet neophytum promoueri ad ordinem ſacerdotalem.

4 Non licere, manus impoſitionem ſuper ordinandos, pręſentibus catechumenis fieri.

5 Non licere fœnerare miniſtris altaris, uel in ſacerdotali ordine conſtitutis: uel uſuras uel lucra, quæ ſextupla dicuntur, accipere.

6 Non concedendum hæreticis ingreſſum domus Dei, in hæreſi permanentibus.

7 Nouatianos, uel etiam Quartodecimanos, quos Græci Teſſaradecatites appellant, id eſt, qui quartadecima luna primi menſis cum Iudæis paſcha celebrant, ſed & catechumenos eorum fideles non recipi, priuſquam condemnent omnem hæreſim, in qua detinebantur. Pleniſsimè autem ante omnia & nunc, qui apud eos fideles dicuntur, ſymbolum fidei doceantur: atque ita, unctos etiam ſancto chriſmate, diuino ſacramento cõmunicare conuenit.

8 Eos qui conuertuntur ab hæreſi quæ dicitur Cataphrygarum, qui ſe in clero conſtitutos exiſtimant, quamuis magni dicantur, huiuſmodi cum omni diligentia catechizari oportet, & baptizari ab Eccleſiæ catholicæ epiſcopis & presbyteris.

9 Non concedendũ, in cœmiteria, uel quæ martyria hæreticorum dicuntur, catholicos orationis gratia & petendę curationis intrare. Sed & qui ierint, ſi ſunt fideles, incommunicabiles factos, ad pœnitentiam uſq; ad aliquod tempus redigi: pœnitentes autem eos, & erraſſe ſe confitentes, ſuſcipi oportere.

10 Eos qui ad eccleſiam pertinent, indifferenter filios proprios hæreticorum nuptijs minimè ſociare debere.

11 Mulieres, quæ apud Græcos presbyterę appellantur, apud nos uiduæ ſeniores, uniuiræ, matricuriæ appellantur, in eccleſia tanquam ordinatas conſtitui non debere.

12 Epiſcopum non oportet, præter iudicium metropolitanorum & finitimorum epiſco-

piſcoporum, conſtituì ad Eccleſiæ principatum. Nec eligantur niſi hi, quos multo antè nota probabilisq; uita commendat. Et nihilominus, ſi in ſermone fidei & recta operatione per ſuã conuerſationẽ fuerint probati.

13 De eo quòd non ſit populis concedendum, electionem facere eorũ qui altaris miniſterio ſunt applicandi.

14 Sanctas oblationes ad uicem eulogiarum, per feſtiuitatem paſchalem ad alias parochias mitti minimè oportere.

15 Non licere, præter canonicos pſaltes, id eſt, qui regulariter cantores exiſtunt, quiq; pulpitum aſcendunt, & de codice legunt, alium quemlibet in eccleſia pſallere.

16 Sabbatis Euangelia cum alijs ſcripturis legenda eſſe cenſemus.

17 In proceſsionibus nõ connectere, id eſt, ex diuerſis uerſibus & ſenſibus libri, unum canticum minimè cõiungere, ſed ſingulorũ pſalmorũ ordinabiliter debere fieri lectionẽ.

18 De eo quòd ſemper eaſdem ſupplicationes orationum, et ad horam nonam & ueſperam, oportet celebrari.

19 Quoniã catechumenorũ orationem ſeparatim, & prius proſtratis eis, epiſcopũ oportet celebrare. Quibus egreſsis, orent etiã hi qui in pœnitentia ſunt conſtituti: & poſt manus impoſitionem his quoq; aſcendentibus, tunc fideles orare debebunt. Quorũ tres orationes fiant: una quidem (id eſt prima) per ſilentium, ſecunda uerò & tertia per uocis pronunciationem: & tunc demum oſculum pacis dari debere. Et poſteaquam preſbyteri epiſcopo pacem dederint, tunc etiam laicos dare: & tunc oblatio offeratur. Solis autem miniſtris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare.

20 Quoniam non oportet diaconum ſedere ante presbyterum, ſed ex iuſsione presbyteri ſedeat. Similiter autem honorificetur & diaconus à miniſtris inferioribus, & omnibus clericis.

21 Quoniam non oportet ſubdiaconos licentiam habere in ſecretarium: ſiue ſacrariũ, quod Græci diaconicon appellant, ingredi, & contingere uaſa Dominica.

22 Miniſtrum non oportet orario uti, nec oſtia derelinquere.

23 Quoniam non oportet lectores aut pſalmiſtas orarijs uti, & ſic legere aut pſallere.

24 Quoniam non oportet clericos ſeruientes, à presbyteris uſq; ad diaconos, & deinceps ordinis eccleſiaſtici omnes, uſq; ad miniſtros, aut lectores, aut pſalmiſtas, aut exorciſtas, aut oſtiarios, aut etiam eos qui in propoſito cõtinentiæ ſunt, tabernas intrare.

25 Non oportet ſubdiaconem panem dare, nec calicem benedicere.

26 Non oportet exorcizare eos qui necdũ ab epiſcopis ſunt prouecti, neq; in eccleſijs, neq; intra domos.

27 Nõ oportet miniſtros altaris, uel quoſlibet clericos ad Agapen uocatos, partes tollere: propter iniuriam, quæ ex hac occaſione eccleſiaſtico ordini poſsit deputari.

28 Non oportet in baſilicis ſeu eccleſijs Agapen facere, & intus manducare, uel accubitus ſternere.

29 Non oportet Chriſtianos iudaizare, & in ſabbato uacare: ſed operari eos in eadem die, Dominicam præponendo eidem diei. Si hoc eis placet, uacent tanquam Chriſtiani. Quod ſi inuenti fuerint iudaizare, anathema ſit.

30 Quoniam non oportet miniſtros altaris, uel etiam clericos quoslibet, aut contemnentes ſe, aut omnem omnino Chriſtianũ, cum mulieribus lauacra habere communia. eſt enim apud Gentiles prima reprehenſio.

31 Quoniam non oportet cum hæreticis commiſcere connubia, & uel filios uel filias dare, ſed potius accipere: ſi tamẽ profiteãtur Chriſtianos ſe futuros eſſe, & catholicos.

32 Non oportet hæreticorum benedictiones accipere: quoniam maledictiones magis ſunt, quàm benedictiones.

33 Non oportet cum hæreticis uel ſchiſmaticis orare.

34 Non oportet omnino, Chriſtianũ, derelictis martyrib. Chriſti, abire ad falſos martyres. Hi enim alieni à Deo ſunt. Quicunq; autem abire uoluerint, anathema ſint.

35 Non oportet Chriſtianos, derelicta eccleſia, abire, & ad angulos idololatriæ abominandæ congregationes facere: quæ omnia interdicta ſunt. Quicunque autem inuentus fuerit occultæ huic idololatriæ uacans, anathema ſit: quoniam derelinquens Dominũ noſtrum IESVM Chriſtum, filium Dei, accedit ad idola.

36 Quoniam non oportet miniſtros altaris aut clericos, magos & incantatores eſſe, aut facere quæ dicũtur Phylacteria, quę ſunt magna obligamenta animarum. Hos autem qui talibus rebus utuntur, proijci ab Eccleſia iuſsimus.

37 Quoniam non oportet à Iudæis uel hæreticis feriatica, quæ mittũtur, accipere: nec cum eis dies agere feriatos.

38 Non oportet à Iudæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum.

39 Non oportet cum paganis feſta celebrare, & impietatis eorum habere ſocietatem.

40 Non oportet uocatos epiſcopos ad ſynodum, contemnere: ſed abire debere, & aut docere, aut doceri, quæ ſunt ad eccleſiæ correctionẽ utilia. Quod ſi contemſerit, ſeipſum uidetur accuſaſſe: niſi forte pro infirmitate ire non poſsit.

41 Non

41 Non oportet ministrum altaris, uel etiã laicum, sine canonicis literis, id est, formata, alicubi proficisci.

42 Non oportet ministrum altaris, uel quemlibet clericum, præter iussionem episcopi, ad peregrinandum proficisci.

43 Non oportet ministros, id est, ostiarios, uel breui tempore ab ostijs deesse, & orationi uacare.

44 Nõ oportet mulieres ingredi ad altare.

45 Nõ oportet post duas hebdomadas quadragesimæ quenquã ad baptismum suscipi.

46 Baptizandos oportet symbolũ fidei discere, & quinta feria ultimæ septimanæ uel episcopo uel presbytero reddere.

47 Qui in ægritudine constituti, baptismum perceperũt, facti sani, fidei symbolum doceantur: ut nouerint, qua donatione digni sunt habiti.

48 Oportet baptizatos, post baptismum, sacratissmum chrisma percipere, & cœlestis regni participes fieri.

49 Non oportet in quadragesima panem offerri, nisi sabbato & Dominica tantum.

50 Non oportet in quadragesimæ quinta feria ultimæ hebdomadæ ieiunium dissolui, & totam quadragesimã inhonorari: sed per totos hos dies ieiunare, & escis abstinentiæ conuenientibus, id est, aridioribus uti.

51 Non oportet in quadragesima martyrũ natalitia celebrari, sed eorũ in sabbato & Dominica tantum memoriam fieri.

52 Non oportet in quadragesima aut nuptias, uel quælibet natalitia celebrare.

53 Non oportet Christianos ad nuptias euntes, uel balare, uel saltare: sed castè cœnare uel prandere, sicut competit Christianis.

54 Nõ oportet ministros altaris, uel quoslibet clericos, spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptijs, aut in scenis exhibentur, interesse: sed antequam thymelici ingrediantur, surgere eos de conuiuio, & abire debere.

55 Nõ oportet ministros altaris, uel quoslibet clericos, uel etiam laicos Christianos, ex symbolis (quæ uulgus commissalia appellat) conuiuia celebrare.

56 Non oportet presbyteros ante ingressum episcopi ingredi ecclesiam, & sedere in tribunalibus, sed cum episcopo ingredi: nisi forte aut ægrotet episcopus, aut in peregrinationis commodo eum abesse constiterit.

57 Non debere in uillis & uicis episcopos ordinari: sed uisitatores, id est, qui circũeant, constitui. His autem qui ante hoc ordinati sunt, nihil agere censemus, sine cõscientia episcopi ciuitatis. Similiter etiam presbyteri nihil sine præcepto & cõsilio episcopi agãt.

58 Non oportet in domibus oblationes ab episcopis siue presbyteris fieri.

59 Non oportet ab idiotis psalmos compositos & uulgares in ecclesijs dici, neq; libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos noui & ueteris Testamenti. Quæ autem oporteat legi, & in authoritatẽ recipi, hæc sunt: Genesis mundi, Exodus Ægypti, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Naue, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Esdræ, Liber Psalmorum numero centum quinquaginta, Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Iob, Hester: duodecim Prophetarum libri, id est, Oseæ, & Amos, Iohel, Abdias, Ionas, Michęas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Noui testamenti: id est, Euangelium secundũ Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem: Actus apostolorũ. canonicæ epistolæ septem: Iacobi unà: Petri duæ, prima & secunda: Ioannis tres, prima, secunda & tertia: Iudæ una. Epistolę Pauli apostoli numero 14, ad Romanos, ad Corinthios 1 & 2, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses una: ad Thessalonicẽses duę, prima & secunda: ad Timotheũ duæ, prima & secunda: ad Titũ, ad Philemonẽ, ad Hebræos.

DE SYNODIS SVB VALENTINIANO & VALENTE.

SYNODVS IN ILLYRICO.

CIrca annũ, ut uidetur, Domini trecentesimum septuagesimũ, cum in Asia & Phrygia dissensiones essent, ex Arianismo, pertinacissima illa peste, sine dubio ortæ, laudatissimus Imperator Valẽtinianus cum fratre Valente, Ariana labe nondũ infecto, synodũ in Illyrico coegit, in qua fides Nicæna denuò cõfirmata est. Ex ea aũt re cõstat, dissidia illa fuisse de persona filij. quod ex epistolis etiã de actis ipsius synodi, tum Imperatorum, tum episcoporũ clarũ est: quas, quia de actis eius synodi narrationẽ expeditã continent, subijciamus. Theodoret. lib. 4. cap. 8.

¶ Imperatores Maximi, Diui, Victores, Augusti, Valentinianus, Valens & Gratianus, episcopis diœcesios Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ, in Domino salutẽ. Synodo ingenti coacta in Illyrico, post longã quæstionẽ de salutari uerbo demonstrarunt beatissimi episcopi, esse trinitatẽ coessentialem, patrẽ & filiũ & spiritũ sanctũ: quã prorsus fungentes debitis muneribus colũt, cultu inquã Magni Regis. Et nostra potentia eandẽ prædicari mandauit: sic tamen, ne qui dicant, huius cultus promulgationẽ esse Imperatoris moderãtis terræ huic, nõ ferentes eius mandata qui salutis nostræ curã gerens illa edixit. Vox enim est Euangelij Dei nostri, quæ adhuc pertinet: Persoluite Cæsari res Cæsaris, & res Dei Deo. Quid uos dici-

tis episcopi & antistites salutaris uerbi? Si ad hunc se modum habent argumenta probationum uestrarum, tum uos mutuo amore complectimini, & abuti Imperatoria dignitate nolite: ne ue persequimini ueros ministros Dei, quorum precibus & bella sedantur in terra, & auertuntur incursus transfugarum angelorum. Qui omnes noxios dæmones student abigere precibus suis, publica secundum leges munia subire sciunt: potentiæ Imperatoris non obloquuntur, sed sincerè et Magni Imperatoris ac Dei mandata custodiũt, & nostris legibus subijciuntur. At uos inobedientes reperti estis. Nos quidem ordine à primo ad ultimum processimus tractatione nostra: ipsi uerò uosmetipsos abalienastis. Volumus tamen à uobis puritatem retinere: ut que Pilatus, in iudicio de IESV Christo, cuius est administratio nostra, cum nollet interimere tantum, & qui ad cruciatus sese confirmasset, conuersus ad Orientalem plagam, aquam iusit affundi manibus suis, & lotis illis, Innocens sum (inquit) ego sanguinis huius iusti: ita & nostra potentia ubique edixit, ne quis persequatur, ne ue exagitet aut irritet operatores in agro Christi, ne ue repellat procuratores Magni Regis: ne hodie quidem sub nostra potentia gloriari uideamini, ac cum illo confirmato ad cruciatus pati testamentum ipsius, quasi in sanguine Zachariæ. Sed quotquot quidem fecêre, cum hoc dirupti sunt, & traditi mortis condemnationi, unà cum adiutore ipsorum noxio dæmone, dum ueniat supernus rex noster IESVS Christus. Hæc mandata nostra habent Amigetius, Ciceronius, Damasus, Dailampo, & Brunduſinus, qui auribus ipsi suis percepêre. Sed & acta ipsa unà uobis misimus, unde quæ in ornata uirtutibus synodo gesta sint, cognoscere possitis.

CONFITEMVR sequentes magnum & orthodoxum Cõcilium, coëssentialem esse filium patri. Neque ita intelligimus coessentialitatem, ut pridem nonnulli interpretati fuêre, qui fallaciter subscripsere: & nunc faciunt quidam, qui patres illos nominant, uim huius uocis euertentes, & sequentes eos qui tradidêre similitudinem coessentialitatẽ innui: quatenus nulli reliquarũ creaturarum per ipsum factarum similis filius sit, sed solo assimiletur patri. Nam qui sic interpretantur eximiam quandã esse creaturam filium Dei, impiè decernunt. Nos uerò in ea sententia sumus, qua & Romana synodus, & Gallica, unam esse ac eandem essentiam patris & filij & sancti spiritus, in tribus personis: hoc est, tribus perfectis substantijs. Confitemur & secundum expositionem Nicænam, carnem induisse filium Dei illum coessentialem, à sancta uirgine Maria: & inter homines habitauisse: compleſse pro nobis omnem ordinem muneris sui, in genitura, passione, resurrectione & ascensione in cœlos: reuersurum q;, & redditurum nobis pro uita uniuscuiusq; in die iudicij, conspicuum in carne: & ostendentem diuinam potentiam suam, Deum qui carnem ferat, & non hominem qui Deum ferat. His diuersa sentientes anathemate exterminamus. Similiter & eos, qui ipsi non sincerè anathema infligunt ei qui dixerit, non fuisse filium priusquam gigneretur: sed scripserit, fuisse in patre potentia antequam re ipsa gigneretur. Hoc enim quadrat in omnes creaturas, quæ cum Deo non semper fuêre: cum filius apud patrem semper sit sempiterna genitus generatione. Hæc summatim tunc Imperator prę scripsit. Quibus literis synodus ad eum modum respondit.

Episcopi Illyrici ecclesijs Dei, & episcopis diœceseos Asianæ: Phrygiæ, Cataphrygiæ, Pacatianæ, salutem in Domino.

¶ Congregati unum in locum, post longam quæstionem de salutari uerbo, demonstrauimus coessentialem esse trinitatem patris & filij & sancti spiritus. Parq; fuit, ut literas ad uos mitteremus, nõ qui argutijs persequeremur cultum trinitatis, sed ad eos qui humilitate animi meriti essent. Has igitur curamus uobis per dilectum fratrem ac collegam nostrum Elpidium presbyterum. Non sanè in scriptis manuum nostrarum, sed in libris Saluatoris nostri IESV Christi legitur: Ego quidem sum Pauli, ego uerò Apollo, ego uerò Cephæ. Nunquid Paulus crucifixus est pro uobis? aut estis baptizati in nomen Pauli? Atque hæc satis fuerant prauitati nostræ, cur omnino nihilli-terarum ad uos daremus, propter metum quem isthinc proclamatis toti prouinciæ ue-stræ, segregantes sanctum spiritum à patre & filio. Sed ob hæc ipsa necessarium duximus mittere ad uos dominum & collegam nostrum Elpidium, à regina Imperij Romani urbe Roma, cum his literis, qui cognosceret, an talis esset prædicatio uestra. Si qui enim non prædicant coessentialitatem trinitatis, anathema sunto. Sed & si quis cum illis se coniunxerit, anathema esto. Prædicantibus autem coessentialem esse trinitatem, paratum est regnum cœlorum. Proinde uos obsecramus fratres, ne diuersam doctrinam, neu aliud dogma sequamini: Sed semper ac assiduò prædicantes coessentialem esse trinitatem, uelitis hæreditatem adire regni Dei. His de rebus scribentes & subijcientes exarauimus has ad uos literas.

teras. Deq; ijs qui episcopi constituuntur, constituti fuêre è collegis nostris, si erunt in hoc ordine, & hac dignitate uisi idonei, ut inde : sin non erunt, ut è presbyterorum numero legantur. Similiter & presbyteri & diaconi creabuntur ex ipso sacerdotali ordine, ut sint undique inculpabiles cùm à iudiciorum, tum militaribus magistratibus. Hæc pluribus persequi non est uisum, quòd miserimus unum ex omnibus, dominum & collegam nostrum Elpidium, qui cognosceret diligenter prædicationem ueſtram, esset ne sicut dictum fuerat à Domino & collega nostro Eustathio. Quod supereſt, quamuis in errorem incideritis, exuto ueteri homine, induite nouum. Et idem frater & collega Elpidius docebit uos prædicationem ueræ fidei: Quòd sancta Trinitas illa coessentialis cum Deo ac patre & sancto spiritu sanctificata sit atque glorificata. Apparuit pater in filio, filius in patre, cum sancto spiritu in secula. Hoc enim manifestato, poterimus manifestè confiteri sanctæ Trinitatis coessentialitatem, secundum olim expositam fidem Nicææ, quam & patres confirmauerunt. Atque cum hac prædicatione fidei poterimus fugitiui illius dæmonis uitare insidias. Nam hoc oppresso dissidio, licebit mutuò inter nos pacificarum literarum in quiete salutationibus utamur. Nunc perscripsimus uobis, ut sciretis, abdicatos à nobis contactos furore Arij, qui non confitentur filium sanctum que spiritum esse ex patris essentia, eorum nomina subiecimus : Polychronius, Telemachus, Faustus, Asclepiades, Amantius, Cleopater. Et quibus actis, sit gloria patri & filio & sancto spiritui in secula seculorum, Amen. Valere uos optamus in patre & filio, Seruatore nostro Christo, cum sancto spiritu, multis annorum curriculis.

LAMPSACENA.

Assumptus in regni consortium à Valentiniano Valens, Arianorum dogmatis fauens, Constantinopolim uenit. ubi cum Macedoniani adeunt, ac ut Synodum ipsis pro fide corrigenda instituere liceat, ab eo petunt. Existimans igitur Imperator, cum Acacio eos, & Eudoxio, Arianis sentire, Synodum ijs pollicetur : quemadmodum Socrates retulit libro quarto, capite secundo.

Variat ab ea narratione Sozomenus libro sexto, capite septimo. Nam episcopos per Hellespontum & Bithyniam, ac quicunque filium patri coessentialem diceret, per legatum Hypatianum Heracliæ Perinthi episcopum, Synodum non à Valente, sed Valentiniano petijsse, cum is Constantinopoli discedens, Romam per Thraciam cum fratre proficisceretur, commemorat. Respondit autem Imperator, se plebeium esse : proinde nec curiosius ista sibi inquirere licere. Conuenirent igitur inter se sacerdotes, quibus ista curæ essent, in quo loco Synodum congregari commodum uideretur.

Conuenerunt ergo in ipso consulatu Valentiniani & Valentis primo anno, septimo à Synodo Seleuciana exacto, episcopi Lampsaci, quæ urbs uetus in angusto Hellesponti sita fuit. Et cum per duos menses inter se consultassent, tandem fidem Antiochiæ & Seleuciæ expositam confirmant : Ariminensem uerò ab orthodoxis antea expositam, anathemate damnant : ea que quæ ab Acacianis & Eudoxianis Constantinopoli facta fuerant, irrita faciunt. Quibus Eudoxius, destitutus Valentis præsidio, quoniam publici belli negotijs occupatus erat, resistere non potuit. Socrates libro secundo, capite quarto. Sozomenus tradidit, uocatos esse à Synodo Eudoxianos : atque optionem datam, ut pœnitentiam agerent, & ad Ecclesiam redirent. Iis uerò detrectantibus, Synodum quæ de illis decreuisset, omnibus Ecclesijs exposuisse. Postea legatos ad Valentem misisse, ueritos ne ab Eudoxio accusarentur : & quæ decreta ab ipsis fuissent, ei significasse. Imperatorem uerò legatos exhortatum esse, ne ab Eudoxio dissiderent. Qua in re cum ei minus obtemperarent, & seductionem Constantinopoli factam & contra Seleucianos & Synodi decreta machinationes Eudoxio adscriberent, Imperatorem indignatum, in exilium eos mitti, eorum que ecclesias Eudoxianis tradi iussisse. Sozomenus libro sexto, capite septimo. Addidit Paulus Diaconus in Valentiniano, Valentem præterea omnia quæ Synodus Lampsaci decreuisset, rescidisse, ac destruxisse.

SYNODVS IN SICILIA.

Post reditum in gratiam Macedonianorum cum Liberio Romano episcopo, & datas atque acceptas utrinque literas, in Siciliam illi qui cum Eustathio, Theophilo & Syluano erant, redeunt, ibi que Synodum episcoporum Siculorum congregant, coram illis Homousij fidem confitentur, Nicænamq; formulam confirmant. Acceptis deinde ab ijsdem episcopis

literis, ad suos, à quibus missi fuerant, reuertuntur. Socrates libro quarto, capite undecimo & duodecimo: Sozomenus libro sexto, capite secundo.

TARSENSIS, ANTIOCHENA *Cariæ.*

MAcedoniani post acceptas à Liberio communionis literas, missa per ciuitates Homousianæ fidei legatione, episcopos hortantur, ut Tarsum Ciliciæ conueniant, ad confirmandam fidem Nicænam: & tollendos è medio, quæ Ecclesias antea exercuissent, cõtentiones. Hæc igitur cum iam congreganda Synodus esset, episcopi circiter trigintaquatuor Cariæ in Asia, inquit Sozomenus (Nicephorus libro undecimo, capite nono, Antiochiæ in Caria habet) congregati, studium quidem concordandi Ecclesias laudabãt: Homousij uerò nomen recusabant: fidemq; Antiochię & Seleuciæ expositam, retinendam esse decreuerunt, ut cuius tum autor Lucianus martyr fuisset, tum maiores eam laboribus pluribus & periculis confirmassent. Imperator etiam Valens, Eudoxio solicitante, Synodum Tarsi indictam impediuit. Socrates libro quarto, capite duodecimo: Sozomenus libro sexto, capite duodecimo.

TYANENSIS.

EOdem tempore, quo in Sicilia Synodus celebrabatur, à Macedonianis, ut diximus, conuersis congregata, conuenerunt Tyanis Cappadociæ, Eusebius Cæsarienſis, Athanasius Ancyranus, Pelagius Laodicenus, Zenon Tyanensis, Paulus Emesenus, Ostreus Melitinensis, & Gregorius Nazianzenus, iuxta Nicephorum: alijq; complures, inter quos in Synodo Antiochena sub Iouiniano de Homousio retinendo conuenerat.

Lectæ in ea Synodo primùm sunt Liberij & Occidentalium episcoporum literæ. Deinde à Synodo aliæ ad omnes Ecclesias scriptæ sunt, ut decreta episcoporum Asiæ, & literas Liberij, Italorum item, Aphrorum, Gallorum Occidentalium, & Siculorum, quorũ numerus eos qui in Ariminensi fuissent Synodo excederet, literas legerent, (eas enim legati Lampsaceni attulerãt) ipsisq; consentirent, & communicarent. Ac si ea essent sententia, per literas declararent: & Tarsum Ciliciæ, ad eum quem ipsis indicassent diem conuenirent. Sozomenus libro sexto, capite duodecimo.

NICOMEDIENSIS *Arianorum.*

POst deuictum Procopium tyrannum, Imperator Valens Nicomediam Bithyniæ uenit, eoq; Eleusium Cyzicenum episcopum Macedonianũ ad se euocat: ac mox indicto Arianorum episcoporum concilio, Eleusium, ut Arianorum fidei subscribat, cogere conatur. Repugnat ille primùm constãter: sed metu uictus, cum exilium & publicationem bonorum Imperator minaretur, Arrianis communicat. Mox uerò Cyzicum reuersus, pœnitentia ductus, episcopatu seipsum abdicat. Socrates libro quarto, capite sexto: Sozomenus libro sexto, capite octauo.

PAZENSIS PHRYGIAE *Nouatianorum.*

SVb eodẽ Imperatore, in uico Pazo Phrygiæ, quem Pazumenum Sozomenus uocat, pauci quidem, & obscuri Nouatiani episcopi Synodum colligunt: ac legem constituunt, Paschatis festũ cum Iudæis celebrandum esse. Huius Synodi quantumuis ignobilis autoritate, postea Sabinus quidã schisma in Nouatianorum ecclesiam intulit, cum eodem modo quo in Pazo constitutum esset, Pascha celebrandum esse urgerer. Sed Synodi eius autoritatem Nouatiani in Angaro congregati minuentes, Pazensem Synodũ iuris nihil habuisse, ut catholico de Paschate canoni præscriberet, pronunciarunt. Socrates libro quarto, capite uigesimooctauo: & libro quinto, capite uigesimoprimo: Sozomenus libro septimo, cap. 18.

ROMANA.

CVm Liberio mortuo Damasus successor datus esset, sub annum Christi (ut Hieronymus indicat) trecẽtesimum septuagesimum, Occidentales omnes & Romani Nicænam fidem obseruabant adhuc, & profitebantur: paucis quibusdam exceptis, qui Auxẽtium episcopum Mediolani Arianum sectabantur. Quem cum Galli quidam & Veneti Arianum esse prodidissent, Romæ Synodus conuenit, ut Theodoretus indicat libro secundo, capite uigesimosecundo, episcoporum nonaginta. Præsidet in ea Damasus. Damnat Synodus Auxentium, cum eius. dem consentientibus, & confirmat fidem Nicææ traditam. Ariminensis uerò decreta Nicænis contraria item damnat, ut quibus nec Romanus episcopus, nec alij consensissent: quæque multis qui tum in Synodo eas fuissent, displicuissent. Atq; hæc sic gesta esse docet eius Synodi epistola ad Illyricos, quæ sic habet apud Sozomenum libro sexto, capite uigesimotertio: & Theodoretum lib. secundo, capite uigesimosecundo. Ex Sozomeno adscribimus.

Episcopi Romæ ad sanctum concilium congregati, Damasus, Valerius, & reliqui, Episcopis apud Illyrios constitutis, dilectis fratribus in Domino salutem.

¶ Credimus, sanctam fidem in doctrina Apostolorum fundatam, retineri à uobis, & populo exponi: quæ à determinatione patrum

trum ne uerbo quidem discrepat. Neque sacerdotibus Dei conuenit aliter sentire, per quos & sapientes instrui debent. Verùm ex relatione fratrum ex Gallia & Venetijs, quosdam hæresi fauere cognouimus: quod malum episcopi non modò cauere, sed & si quem emerserit, expositionibus suis reprimere, & ab illis qui uarias doctrinas commiscuntur in lapsum non dari, sed potius per quorundam imperitiam & simplicitatem patrum nostrorum sententiam retinere debent, quotiescunque uarijs consilijs iactantur. Quapropter Auxentium, Mediolanensem episcopum, præcipuè in hac causa condemnare decretum est. Æquum itaque est, ut cuncti in orbe Romano doctores consentiant, nec fidem uarijs doctrinis conspurcent. Etenim quum initio hæreticorum malitia, sicuti iam quoque (quod absit) potissimùm Arianorum blasphemia uigere cœpisset: patres nostri trecenti decem & octo selecti, facta Nicææ consultatione, murum hunc contra arma diaboli constituerunt, & hoc antidoto mortalia pharmaca repulerunt, ut uidelicet pater & filius unius diuinitatis, unius uirtutis, & unius esse potentiæ credantur. Est autem & Spiritus sanctus eiusdem esse substantiæ credendus. Si quis aliter senserit, hunc alienum esse à communione nostra iudicauimus. Quam quidem salutarem constitutionem & adorandam consideratione nonnulli labefactare uoluerunt: uerùm in ipso principio ab illis talibus qui Arimini contra illam temerare aut inquirere cogebantur, ad hunc usque diem seruata est, ita ut confessi sint, fuisse se alia quadam dictione seductos, quam patrum sententiæ Nicææ traditæ contrariam esse non intellexerint. Haud enim præiudicium aliquod fieri potuit à numero eorum qui Arimini consenserunt, quando neque per Romanum episcopum confirmatus est, cuius sententia præ omnibus expectanda erat: neque per Vincentium, qui tot annos episcopatum inculpatè custodiuit: nec per alios, qui talibus consentiebant, quando maximè, sicuti prædiximus, illi ipsi qui cum illa concinnabantur, à scopo declinare uidebantur: postea meliori sententia potiti, illa sibi sunt displicere confessi. Consideret igitur uestra synceritas, quàm fides hæc sola, quæ Nicææ secundum autoritatem Apostolorum fundata est, indefinenti constantia retinenda sit: ut & Orientales, qui se ad catholicam Ecclesiam pertinere agnoscunt, nobiscum Occidentalibus gaudio fruantur.

Credimus autem breui futurum, ut aliter sentientes, in ipso conatu communionis nostræ episcopi sui nomen à se ipsis sint abalienaturi, ut populus aliquando ab errore liberatus respiret.

Neque enim ulla ratione turbas ab errore corrigere poterunt, quàm diu ipsi errore detinentur. Concordet igitur cum omnibus Dei sacerdotibus etiam dignitatis uestræ sententia, in qua uos sanctos & firmos esse credimus. Quod enim ad hunc modum credamus uobiscum, dilectionis nostræ uicibus declarare debemus.

DE SYNODIS IN *Gallia & Hispanijs.*

ATHanasius in epistolæ initio ad Epictetum Corinthiorum episcopum, ait diuersas Synodos celebratas esse per Galliam, Hispanias, & Romæ, in quibus cum Ario sentientes communi calculo damnati sint: Auxentius nimirum Mediolanensis, Vrsacius, Valens & Gaius.

ROMANA ALIA.

RVrsus Damasus cum Apollinarij hæresin longè late que grassari cognouisset, quam de anima ille Saluatoris errans & furens finxerat, re communicata cum Petro Alexandrino episcopo, Romæ Synodum congregauit, anno Christi (iuxta Hieronymi Chronicon) trecentesimo septuagesimonono, in qua Apollinarij hæresis, ut quæ ab Ecclesia pro blasphema habenda esset, damnata est, hac sententia: ut si quis filium Dei, qui sicut uerè Deus, ita & uerus homo esset, uel humanitatis aliquid, uel deitatis minus diceret habuisse, alienus ab Ecclesia iudicaretur. Sozomenus libro sexto, capite uigesimoquinto. Scripsit de excommunicatione Apollinarij, discipuli que sui Timothei, epistolam Damasus, ad episcopos Orientis: quæ apud Theodoretum extat libro quinto, capite nono, in hunc modum.

¶ Quòd debitam reuerentiam Apostolicæ sedi uestra habet charitas, uobis filij charissimi præstatis ipsi plurimum.

Etsi enim in sancta maximè Ecclesia, ubi sanctus Apostolus sedens docuit, nobis claui, quem tenendum accepimus, officium incumbat: tamen inferiores tanto nos honore esse confitemur. sed ideo quomodocunque possumus, damus operam, ut ad gloriam beatitudinis ipsius peruenire ualeamus. Scitote igitur, prophanum illum Timotheum, discipulum Apollinaris

Apollinaris hęretici, unà cum impio dogmate iamdudum à uobis exautoratum: neque nos credere, reliquias doctrinæ illius de cętero uspiam ualituras esse, sin ille serpens antiquus semel atq; iterum ictus suo quidem malo reuixerit, qui eiectus ex Ecclesia quosdã infideles letiferis uenenis suis seducere conari non cessat. Vos tamen istam tanquam pestilentiam refugite, memores fidei Apostolicæ, illius potissimum quæ Nicææ à patrib. scripto exposita est, & firmo in gradu fortiter & immobiles manete, ne´ue patiamini audiri à clericis aut laicis uestris posthac uaniloquia & exoletas quæstiones. Iam enim semel formam protulimus, ut qui se Christianum profiteatur, seruet ea quæ ab Apostolis tradita sunt, quum dicat sanctus Paulus: Si quis uobis annunciat aliud quàm accepistis, anathema esto. Nam Christus filius Dei, Dominus noster, humano generi per suam passionem absolutissimam contulit salutem, ut hominem totũ à peccato occupatum, à toto peccato liberaret. Hunc si quis aut deitatis, aut humanitatis minus habuisse dixerit, is plenus spiritu diabolico, sese Gehennæ esse filium prodit. Sed à me quæri Timothei exautorationẽ opus est? cum hic, iudicio solij Apostolici præsente, & Petro episcopo Alexandrinæ urbis unà cum magistro Apollinaris exautoratus fuerit, subiturus debita in die iudicij supplicia ac tormenta. Quod si aliquos ille leuiores adducit in sententiam suam, retinetque spem quampiam, uera in Christum spe unà cum confessione mutata, quicunq; cum eo repugnare uoluerit Ecclesiastico Canoni, cum eodẽ quoque interibit. Deus uos incolumes conseruet, filij charissimi.

VALENTINIANA.

EXtat in libro Conciliorum narratio de Synodo quadam triginta episcoporũ, apud Valentiam Gallię urbem, celebrata sub eodem Damaso, Imperatoribus Valentiniano & Gratiano, consulatu Gratiani tertio & Equitij, sub annum Domini trecentesimum septuagesimum octauum. In qua hæc constituta commemorat. Primùm, Digamis ordinationem ad sacerdotium non esse conferendam. Secundò, Puellas quæ post castitatis uotum nuptias expetierint, ante iustam & sufficientem satisfactonem, ad pœnitentiam non esse recipiendas. Tertiò, Illis qui post baptismum se aut prophanis uiolationibus, aut hæreticorum lauacro polluerunt, pœnitentiam ad diem usq; mortis protrahendam esse: ac tum demum spem remissionis faciendam, quàm à Deo expectare debeant. Quartò, ut diaconus, presbyter, & episcopus, si crimen quo se polluerit ultro fateatur, dignitate sua priuetur.

DE SYNODIS SVB Theodosio.

CONSTANTINOPOlitana.

SVccedens in regnum Theodosius, cæteris omnibus posthabitis, in eam solã curam primùm incubuit, ut Ecclesias ad concordiam reduceret. Quamobrem in urbem suam Constantinopolim Synodum conuocauit frequentissimam, consulibus Eucharide & Euagrio, in mense Maio, anno Imperij sui tertio, Christi uerò trecentesimo octuagesimotertio: iuxta Prosperi Chronicon, qui propter Macedonij hæresim Synodum eam congregatam ibidem annotauit.

Conuenerunt eò igitur qui fidem Nicænam profitebantur, episcopi numero cẽtum quinquaginta, inter quos fuerunt Timotheus Alexandrinus, qui Petro successerat, Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, Acholius Thessalonicensis, aliique multi. Socrates libro quinto, capite octauo. Theodoretus hos numerat libro quinto, capite octauo: Helladium scilicet, Basilij Magni successorem: Gregorium ac Petrum, Basilij fratres: Amphilochium Lycaonicum, Optimum Pisidorum, Diodorum Cilicum episcopum, Pelagium Laodicẽsem, Eulogium Edessenum, Acacium, Isidorum, & Gelasium Cæsariensem Palæstinum. Addit his Sozomenus libro septimo, capite nono, Terentium Tomæorum episcopum, Martyrium Marcianopolitanum, Nectarium Constantinopolitanum, & Otrium Melitinensem, episcopos. Plurima & aliorum nomina descripta sunt in 1 tomo Conciliorum.

Macedonianos autem Socrates refert interfuisse numero triginta sex, quibus præfuerit Eleusius Cyzicenus, & Marcianus Lampsacenus. Et Prosperi Chronicon Synodũ hanc Constantinopolitanam congregatam fuisse annotauit ex episcopis octaginta.

Viderat ante hoc rempus Theodosius, dux exercitus aduersus Barbaros recens à Gratiano creatus, oblatam sibi in somnis Meletij Antiocheni episcopi imaginem, paludamentum sibi Imperatorium induere, & coronam capiti imponere. Nec caruit eue tu uisio. etenim bello feliciter contra Barbaros confecto, à Gratiano paulo pòst Imperator designatus est.

Cum ergo in Synodum coijssent episcopi, quos diximus, centum quinquaginta, ipseq; Theodosius, desiderio uisendi frequentem & uenerandum cœtum, in regiam, in qua confederant illi, ingressurus esset, uetuit indicari sibi Meletium: facturus periculum, utrum imagini conspectæ per somnum, uera esset Meletij facies responsura. Ita simul ingressus,

ingressus, ad Meletium confestim agnitum adcurrit, eumq; complectens osculatus est. Ac posteaquam somnium ei exposuisset, cæteris omnibus blandè compellatis, ut de rebus propter quas conuocati essent, tanquam patres pij, quod essent, in medium consulerent, hortatus est. Theodoretus lib. 5. cap. 6 & 7.

Videtur autem & ipsius Synodi, & Imperatoris præcipuum fuisse studium, ut ad professionem Nicænæ fidei omnes dissentientes, quantum eius fieri posset, adducerent. Admonentur igitur Macedoniani tum primùm, ut ad Homousianos accedant, ac memores sint legationis, quæ, qua se in fide eis consentire professi fuerant. Obijcitur & illud, non carere impietate, si quis agnitam semel rectam fidem postea abijciat, & subuertere conetur. Sed illi nec admonitionibus, nec redargutionibus locum relinquentes, apertè profitentur, Ariano se dogmati adhærere malle potius, quàm Homousio accedere. Constantinopoli igitur relicta discedunt, aperè ciuitates, quoscunque factionis suæ inueniunt, hortantur, ne unquam Nicęnam fidem amplecti uelint.

At qui alterius erant partis episcopi, manent, ac de rebus quarum gratia Synodus coacta erat, consultant. Docuerat autem Constantinopoli aliquandiu tum forte Gregorius Nazianzenus, quem dignum eo episcopatu Imperator etiam ipse iudicabat. Et contigisset ei quidem plurimorum episcoporum suffragijs, nisi Ægyptij contradixissent, magis uerò ipse etiam delatam dignitatem ultrò recusasset. Hanc enim in Concilio orationem eum, cum ab Ægyptijs Maximum quendam Cynicum Apollinaristam substitutum intellexisset, habuisse Theodoretus narrat: Ne quæso, patres, admittatis aliquid, quod ad turbandam concordiam faciat: neque unius alicuius iniuriam mutuo uestro cõsensui obstare sinite. Ita enim & ego gratissima atq; ex optatissima quiete fruar, eò uicissim receptus, unde huc ueni: & uos post tristе ac molestissimum bellum, pacem desideratissimam habere poteritis. Nam quid absurdius esse possit, quàm declinatis hostium telis, ad mutuas incursiones & uulnera uos conuerti? Quid uerò etiam inimicis uestris suauius contingere? Dispicite ergo uobis uirum aliquem laude dignum, eaque intelligentia præditum, ut & committi ei tutò multitudo, & ab ipso institui rectè possit, eiq; episcopatum hunc decernite.

Illi igitur Nectarium, uirum consulatem, de nobili genere episcopum eligunt, imò repugnantem magis rapiunt. De cuius ordinatione alio in loco dicendum nobis erit. Cum eo autem tota postea Synodus, Nicænam fidem confirmat: omnibus aduersantibus ei factionibus & hæresibus reiectis, ipso etiam Maximo Apollinaristа depositо.

Decernit deinde, reddendas & committendas esse Ecclesias omnes illis, qui in hypostasib. trium pari potentia & honore personarum, unam & eandem patris, filij & spiritus sancti diuinitatem confiterentur. Post hæc constituit, episcopum Constantinopolitanum eminentiam proximam post Romanum obtinere debere. Constituunt & Patriarchas, quibus prouincias describunt ea lege, ne quis ex alia prouincia in aliam temerè inuadat. id enim antea sub persecutionibus sic euenerat. Et sortitur quidem Nectarius Megalopolim ac Thraciam. Ponticæ uerò diœcesis patriarchatum Helladius, qui post Basilium fuit: Cæsareæ Cappadociæ Gregorius Nyssenus, Basilij frater: & Melitianæ Armeniæ Otrinus accipit. Asianum uerò patriarchatum sortiuntur, Amphilochius quidem Iconensem, & Antiochenum Pisidiæ Optimus, Aegyptiæ uerò Ecclesiæ Timotheo Alexandrino subduntur. Orientalium denique Ecclesiarum diœcesim episcopis illarum commendarunt, Pelagio scilicet Laodiceæ, Diodoro Tarsi: Antiochenæ Ecclesiæ prærogatiuam suam seruantes, quam Meletio tum præsenti tradiderunt. Decreuerunt etiam ac consenserunt, ut si necessitas exposceret, cuiusque prouinciæ negotia in Synodo episcoporum uicinorum transigerentur. Socrates libro quinto, capite octauo: Theodoretus libro quinto, cap. septimo & octauo: Sozomenus libro septimo, capite 7. 8 & 9.

Extat & epistola huius Synodi prolixa, ad Synodum quandam Romæ à Damaso cõgregatam, paulo pòst: apud Theodoretum libro eodem, capite 9, in qua aduersus furores Arij, Aetij, Eunomij, Sabellij, Photini, Marcelli, Pauli Samosateni, Macedonij & Apollinaris, edidisse se hanc confessionem seu formulam testantur.

¶ Docemur, inquiunt, credere in nomen patris & filij & spiritus sancti: Quippe quòd sit deitas, potentia que & essentia una patris & filij & sancti spiritus: item que æqualis dignitas, & regnum coæternum in tribus perfectis substantijs, seu perfectis personis: ut neque Sabellij pesti locus detur, qua substantiæ confundantur, hoc est proprietates tollantur: neque ualere possint blasphemiæ Eunomianorum, Arianorum,

Arianorum, & eorum qui spiritum oppugnant, à quibus essentia naturaq; & deitas scinditur, & introducitur in increatam, coessentialem ac coæternam trinitatem, quædam posterior siue creata seu diuersiessentialis natura. Etiam doctrinam humanitatis Domini indeprauatam seruamus, neque animæ neque mentis expertem, nec imperfectam admittentes carnis officium & curam: cum sciamus Dei uerbum, quod perfectum esset ante secula, in his ultimis diebus, propter salutem nostram, hominem factum esse.

Liber Conciliorum Synodo eidem tribuit epistolam ad Imperatorem Theodosium, & septem constitutiones, quæ etiam Græcè extant, ea sententia & ordine.

Religionis & pietatis obseruantißimo, Deiq; amantißimo Imperatori Theodosio, sanctum concilium episcoporum qui ex diuersis prouincijs præfecturis ue Constantinopoli conuenerunt.

¶ Initio quidem nostri ad tuam pietatem scripti, gratias agimus Deo, qui tuæ pietatis Imperium constituit ad communem pacem Ecclesiarum, & sanæ fidei confirmationem. Agentes autem Deo debitas gratias, necessariò quoque ea quæ acta sunt in sancto Concilio, ad tuã referimus pietatem: nempe quòd ex quo tempore ex mandato tuæ pietatis Constantinopoli cõuenimus, primùm quidem mutuam inter nos concordiam renouauimus. Deinde uerò breues etiam præscripsimus ac pronunciauimus quosdam quasi terminos, regulas ue, quibus & patrum qui Nicææ congregati fuerunt, fidem confirmauimus, comprobauimusq;: & quę aduersus eam obortæ sunt, peruersas hæreses ac prauas opiniones extrema cum execratione ac detestatione reprobauimus. Præterea etiam ad rectè constituendum & ordinandum statum & disciplinam Ecclesiarum, certos Canones statuimus ac præscripsimus, quæ omnia huic nostro scripto subiecimus. Rogamus igitur tuam clementiam, ut per literas tuæ pietatis ratum esse iubeas, confirmesq; concilij decretum. & sicuti literis, quibus nos conuocasti, Ecclesiam honore prosecutus es: ita etiam summã eorũ quæ decreta sunt conclusionẽ sententia atq; sigillo tuo corrobores. Dominus autem Imperiũ tuum in pace & iusticia stabiliat, transmittatq; & producat in multas & finitas usq; ætates & generationes, atq; ad terrenam potẽtiam cœlestis quoque regni gaudium & fructum adijciat. Gratificetur Deus orbi terrarum, ut te qui reuera pietatis studiosissimus, Deique amantissimus Imperatores, ualentem, omnibusq; præclaris rebus florentem & excellentem uideat: id quod sancti etiam abillo precibus ac uotis petunt & orant.

HAEC STATVERVNT AC DECREuerunt *Episcopi, qui gratia Christi ex diuersis prouincijs & præfecturis Constantinopoli conuenerunt, uocati à Theodosio, pietatis ac religionis studiosissimo Imperatore.*

¶ Ne reijcitor reprobatorue fides trecentorum octodecim patrum, qui in Nicæa Bithynię conuenerunt: sed maneto ea firma ac rata. Et extrema execreatione ac detestatione dãnator omnis hęresis peruersa ue & impia opinio, præcipuè Eunomianorum, siue Anomæorum: item Arianorum, siue Eudoxianorũ: item Semiarianorũ, siue Pneutomachorum: item Sabellianorum, Marcellianorum, Photianorum, Apollinariorumq;.

2 Qui ultra quanq; diœcesin sunt episcopi constituti, ne ad ecclesias extra suæ administrationis fines sitas accedunto, neque confundũto ecclesias: sed secundum Canones, Alexandrinus quidem episcopus res Ægypti duntaxat administrato: Orientis autem episcopi, Orientem solum regunto: (reseruatis ecclesiæ Antiochenæ ijs quæ in Canonibus Nicææ editis continentur, dignitatibus, prærogatiuis ue:) Asiaticæ item administrationis episcopi, res Asiaticæ diœceseos duntaxat regunto: item Ponticæ, res Ponticas solas: similiter Thracici episcopi res Thracicæ administrationis administranto. Inuocati autem, neque accersiti episcopi ultra diœcesin ne accedunto, neq; ordinandi, neq; alias ecclesiasticas res administrãdi causa: obseruato uero suprà scripto Canone de diœcesibus. nam hoc clarum ac manifestum est, quod in quaque prouincia, pręfecturá ue ipsius prouinciæ, concilium administrare debebit ea quæ Nicææ decreta atque statuta sunt. Ecclesias autem Dei in Barbaricis nationibus constitutas, administrari oportet secundum eam quæ obtinuit & in usu habetur, consuetudinem patrum.

3 Constantinopolitanus tamen episcopus obtineto præcipuum honorem ac dignitatem, secundum episcopum Romanum: ideo quòd Constantinopolis nouaRoma est.

4 Quòd ad Maximum Cynicum attinet, & ea quæ illius tempore inhonestè, indecenter ac flagitiosè Constantinopoli acciderũt: decreuimus ac censuimus, Maximum neq; episcopum fuisse aut esse: neq; eos qui ab eo in quocunq; gradu cleri ordinati sunt, cleros uel fuisse, uel esse debere: omnib. ijs quæ uel circa ipsum uel ab ipso acta sunt, improbatis atq; rescisis.

5 Quod ad uolumen attinet Occidentalium, etiam eos qui sunt Antiochiæ approbauimus,

uimus, unam confitentes patris & filij & spiritus sancti diuinitatem.

6 Quoniam multi eam quæ in Ecclesia obseruari debet, modestiam & disciplinam decentem'ue ordinem confundere & euertere uolentes, inimico calumniatorioque animo criminationes nonnullas aduersus orthodoxos episcopos Ecclesias regentes confingunt, nihil aliud quàm polluere ac deturpare sacerdotum existimationes, turbasque & tumultus in pace degentium populorum concitare atque conflare conantes: idcirco censuit sanctum Concilium eorum qui Constantinopoli confluxerunt episcoporum, non absque examinatione ac disquisitione admittendos esse accusatores: neque cuiuis permittendum esse, ut instituat accusationes aduersus eos qui administrant Ecclesias, neque tamen omnes esse prohibendos & excludendos ab accusando: sed si quis propriam aliquam, id est priuatam adferat aduersus episcopum querelam, utpote circumuentus defraudatús ue ab eo, aut aliqua alia iniuria affectus: in huiusmodi quidem accusationibus non esse examinandam neque personam accusatoris, neque religionem. Oportet enim omnibus modis & episcopi conscientiam liberam esse, culpa'ue nacare: & ei qui sibi iniuriam fieri queratur, cuiuscunque religionis fuerit, auxilium iuris non degenerari. Sin autem Ecclesiasticum fuerit id quod episcopo crimen intentetur, tunc oportet spectare atque probare personas accusatorum, ut primùm quidem hæreticis haud liceat orthodoxos episcopos de rebus Ecclesiasticis accusare: (hæreticos autē appellamus, partim eos qui iam olim ab Ecclesia excluſi sunt, partim eos qui postea à nobis execratione ac detestatione reiecti atque repulsi sunt: præter hos autem eos quoque, qui simulant quidem se profitari sanam rectam'ue fidem: segregauerunt aūt sese, & conuenticula habent cōtra Canonicos nostros episcopos:) Deinde uerò, etiam si ab Ecclesia ob nonnulla crimina antè condēnati sint, & eiecti uel excōmunicati, siue clerici, sine laici ordinis sint, ne his quidem licitum esto episcopum accusare prius quàm de proprio crimine satisfecerint. Similiter itē, qui antè intentato crimini sunt obnoxij, ne prius tanquā idonei ad accusationē episcopi aliorum'ue clericorum admittuntor, quàm se innocentes ac puros à criminibus in ipsos collatis ostenderint. Quod si aliqui tamen neque hæretici, neque excommunicati, neque condemnati uel antè accusati de quibusdam delictis fuerint, qui dicant se habere aliquam Ecclesiasticam contra episcopum accusationem: hos iubet sanctum Concilium primùm quidem apud omnes illius prouinciæ episcopos instituere accusationes, & apud eos conuincere & probare crimina contra episcopum, quem de quibusdam peccatis arguant. Si acciderit autem, ut prouinciales non sufficiant, nec idonei sint ad correctionem eorum criminum quæ in episcopum conferantur: tunc eos accedere iubet ad maius concilium illius diœceseos episcoporum de hac causa conuocandorum: & non prius instituere accusationem, quàm in scriptis & tabulis profiteantur, se par periculum subire paratos, si in processu ac serie actorum falso accusare calumniari'ue episcopum atque cauillari conuicti fuerint. Quod si quis spretis ijs quæ de prædictis concilium censuit, ausus fuerit uel aures Imperatoris obtundere, uel secularium magistratuum tribunalia, uel generale concilium conturbare, ignominia affectis omnibus diœceseos episcopis: eum censuit Cō cilium prorsus ad accusandum non esse admittendum, ut qui contempserit Canones, & Ecclesiasticam disciplinam, uerecūdiam, conuenientemq; in quibusque rebus ordinem labefactārit.

7 Qui ex hæreticis orthodoxæ Ecclesiæ adiūgi & adhærere, atq; in partes eorum qui seruantur transire cupiunt, eos recipimus & admittimus secundum subiectum ordinem & consuetudinem. Nam Arianos quidem, & Macedonianos, Sabbatianos & Nouatianos, qui dicunt sese Catharos & Aristeros, item Quartodecimanos siue Quaternarios, itemq; Apollinaristas admittimus, si tradant libellos, ac detestētur execrenturq; omnem hæresin quæ non conueniat cum sancta Dei uniuersali & apostolica Ecclesia: ad hæc, ut eorum & frons & oculi, & nares, os & auriculæ signentur siue ungantur primùm sacro unguento: & cum signamus eos, dicimus, SIGNACVLVM doni Spiritus sancti. Eunomianos autem, qui una immersione baptizantur: item Montanistas, qui hic appellantur Phryges: præterea Sabellianos, qui hyiopatorian docent, & alia quædam atrocia agunt: aliasq; sectas (multi enim hic hæretici sunt, maximè qui aduenium à Galatarum regione) ex ijs qui uolunt adiungi orthodoxę Ecclesię, sicuti Græcos gentiles & infideles admittimus. ac primo quidem die designamus eos Christianos: altero catechumenos, id est, elementarios, ac quasi fidei tyrones: deinde tertio die adiuramus eos, ter insufflando in faciem & aures: atq; ita catechizamus siue instituimus & erudimus eos, damusq; operam ut longiori tempore maneāt & uersentur in ecclesia, diligenterque & attentè audiant scripturas: tunc tandem eos baptizamus.

¶ Magna fuit autoritas huius Synodi posterioribus

sterioribus etiam seculis. Chalcedonensis enim Synodus, quæ contra Eutychæ errorẽ congregata fuit, & symbolum editum in illa Synodo retinuit, & reliqua in ea decreta, rata & firma esse constituit.

ROMANA SYNODVS.

PAulo post Synodum Constantinopolitanã, de qua in precedentibus nobis sermo fuit, Theodosius à Romano episcopo solicitatus, indixit Synodũ Romę. Cõuenerũt aũt eò plurimi episcopi Occidentales: unde ea Synodus maxima appellatur à Theodoreto lib. 5. cap. 8. Inter eos uerò præcipui erant Damasus, Ambrosius, Britto, Valerianus, Acholius, Anemius, Basilius: ut apparet ex epistola Synodi Constantinopolitanæ apud Theodoretum libro quinto, capite nono. Ad Synodum eam etiam Orientales episcopi, qui Constantinopolim ob quædam Ecclesiastica negocia concurrerant, literis Imperatoris & patrum in synodo Romana congregatorum inuitabantur. Sed hi re deliberata, cum omnes illuc abire propter longinquitatẽ locorum, & ecclesiarum suarum necessitudinem uideretur incommodũ, ex numero suo selectos Cyriacum, Eusebiũ & Priscianum ablegant cum literis, in quib. absentiæ suæ causas exponunt, & suæ fidei confessionẽ dant, & acta synodi prioris repetũt, ut postea dicetur. Cæterùm ob quam causam potissimùm hęc Synodus collecta sit, & quomodo in ea processum, id annotatũ non est ab autorib. nisi quòd ex epistola Damasi ad Orientales & ad Paulinũ apparet, factum id esse propter confirmationem decretorum Nicænæ Synodi, & damnationẽ plurimarũ hæresium, maximè uerò Apollinarij, Macedonij, Photini. Decreta aũt huius Synodi in duabus epistolis Damasi exponuntur, quarum alteram ad episcopos Orientis, alteram ad Paulinum Thessalonicensium episcopum scripsit. exempla earũ extant apud Theodoretum libro quinto, capite nono & decimo.

Damasi epistola ad Orientales.

¶ Quod debitam reuerentiam Apostolicę sedi uestra habet charitas, uobis filij charissimi præstatis ipsi plurimum. Etsi enim in sancta maximè Ecclesia, ubi sanctus Apostolus sedens docuit, nobis claui, quem tenendum accepimus, officiũ incumbat: tamen inferiores tanto nos honore esse confitemur. sed ideo quomodocunq; possumus, damus operam, ut ad gloriam beatitudinis ipsius peruenire ualeamus. Scitote igitur prophanum illum Timotheum, discipulũ Apollinaris hęretici, unà cum impio dogmate iamdudum à uobis exautoratum: neque nos credere reliquias doctrinæ illius de cætero uspiam ualituras esse, sin ille serpens antiquus semel atque iterum ictus suo quidem malo reuixerit, qui ejectus ex Ecclesia, quosdam infideles letiferis uenenis suis seducere conari nõ cessat. Vos tamen istam tanquam pestilentiam refugite, memores fidei Apostolicæ, illius potissimum quæ Nicææ à patribus scripto exposita est: & firmo in gradu fortiter accommodate manete: né ue patiamini audiri à clericis aut laicis uestris posthac uaniloquia, & exoletas quæstiones. Iam enim semel formam protulimus, ut qui se Christianũ profiteatur, seruet ea quæ ab Apostolis tradita sunt, quum dicat S. Paulus: Si quis uobis annunciat aliud quàm accepistis, anathema esto. Nam Christus filius Dei, Dominus noster, humano generi per suam passionẽ absolutissimã contulit salutem, ut hominem totum à peccato occupatum, à toto peccato liberaret. Hunc si quis aut deitatis, aut humanitatis minus habuisse dixerit, is pleniùs spiritu diabolico, sese Gehennæ esse filium prodit. Sed à me quæri Timothei exautorationem opus est? cum hic iudicio solij Apostolici præsenti & Petro episcopo Alexandrinæ urbis, unà cum magistro Apollinaris exautoratus fuerit, subiturus debita in die iudicij supplicia ac tormenta. Quod si aliquos ille leuiores adduxit in sententiam suam, retinetque spem quampiam, uera in Christum spe unà cum confessione mutata, quicunque cum eo repugnare uoluerit Ecclesiastico Canoni, cum eodem quoque incidet. Deus uos incolumes conseruet, filij charissimi.

Confessio catholicæ fidei, quam papa Damasus misit Paulino episcopo Thessalonicæ in Macedonia.

¶ Quum post Concilium Nicænum hic error natus sit, ut prophano aliqui ore dicere audeant, spiritum sanctum natum esse per filium: exterminamus anathemate eos, qui non liberrimè Spiritum sanctum prædicant esse eiusdem essentiæ ac potentiæ cum patre & filio. Similiter & eos, qui secuti errorem Sabellij, eundem esse patrem & filium asserunt. Anathema infligimus Ario & Eunomio, qui quamuis differente oratione, simili tamen sententia, filium & spiritum sanctum creaturam esse asseuerant. Itemque Macedonianis, qui de Ariana radice propagati, non impietatẽ, sed nomẽ aliud habẽt. Nec nõ Photino, qui renouãs Ebionis hæresim, Dominũ nostrum IESVM Christum ex sola uirgine Maria cõfitetur. Sed & illos anathemate exterminamus, qui asseuerãt duos esse filios, unũ ante secula, & alterũ post assumptã ex uirgine Maria carnem. Et illos, qui asseuerant pro anima rationali uerbum: ipsum enim illud Dei uerbũ, nõ loco rationalis aut intelle-

intellectualis animæ in corpore suo fuit: sed nostram, hoc est rationalem ac intellectualem animam absq; peccato à patre distingui, & substantia illud creare, aut morte obitum esse blasphemantes. Eos uerò qui de ecclesijs ad alias ecclesias transierint, tantisper pro alienis cõmunicationi nostrę habebim⁹, donec in eas urbes redierint, quarum præsulatus primùm accepêre. Sin quis in alterius qui sedem mutauerit, locũ suffectus fuerit, reuersus ille prior in suam urbem, tantisper dignitate pontificali priuatus esto, dum successor ipsius obdormiscat in Domino. Si quis non dixerit esse semper patrem, & semper filiũ, & semper spiritum sanctum, anathema esto. Si quis non dixerit genitum esse filium ex patre, hoc est ex diuina illius essentia, anathema esto. Si quis non dixerit uerũ Deum filiũ Dei, sicut uerum Deum patrem ipsius, & posse omnia, ac scire omnia, ac patri esse æqualem, anathema esto. Si quis dixerit in carne degentem filium Dei, cum in terris esset, in cœlis & cum patre non fuisse, anathema esto. Si quis dixerit, in crucis passione sustinuisse dolorem filium Dei deitate, & nõ carne ac anima rationali, quam assumpserit in forma serui, ut sacra ait scriptura, anathema esto. Si quis non dixerit, excruciatum carne Dei filium, & carne mortem gustasse, fuisseq; primogenitũ ex mortuis, quatenus uita est & uiuificus Deus, anathema esto. Si quis non dixerit in carne, quam assumpsit, sedere ad dextram patris, in qua & uenturus sit, iudicatum uiuentes & mortuos, anathema esto. Si quis non dixerit, spiritum sanctum ex patre esse uerè ac propriè, sicut & filium ex diuina essentia Deum Dei uerbum, anathema esto. Si quis non dixerit omnia posse & omnia scire, & ubique terrarum adesse sanctum spiritum, sicut & filium & patrem, anathema esto. Si quis dixerit spiritum sanctum facturam, aut per filium genitum, anathema esto. Si quis non dixerit per filium, qui carnem assumpsit, & sanctum spiritum patrem fecisse omnia, hoc est uisibilia & inuisibilia, anathema esto. Si quis non dixerit patris & filij & spiritus sancti unam deitatem, potestatem, principatum, unam gloriam, dominationem, uirtutem, unam uoluntatem & ueritatem, anathema esto. Si quis tres personas ueras non dixerit patris & filij & sancti spiritus, semper uiuentes, omnia continentes, uisibilia & inuisibilia, omnipotentes, omnium iudices, omnia uiuificantes, omnia creantes, omnia seruantes, anathema esto. Si quis non dixerit adorandum spiritum sanctum ab omni creatura, sicut & patrem & filium, anathema esto. Si quis de patre & filio rectè sentiat, de spiritu autem sancto rectam sententiam non habeat, is hæreticus est. Nam omnes hæretici de filio Dei & de sancto spiritu peruersè sentientes, in Iudaica ac gentili defectione esse conuincuntur. Quod si quis deitatem diuidit, uocans patrem Deum ex patre, & Deum filium, & Deum spiritum sanctum, asseueretq́ue dici Deos, non Deum, in una deitate & principatu, quam credimus ac nouimus patris & filij & sancti spiritus, cum sit Deus unus in tribus substantijs: uel si quis distrahat filium cum sancto spiritu, ut solum patrem Deum dici, neque unum credendum Deum arbitretur, anathema esto. Nam nomen deorum angelis & sanctis omnibus à Deo concessum est: de patre autem & filio & sancto spiritu, quòd sint una & æquali deitate, non deorum nomina, sed Dei, nobis ostenditur: ut credimus nos baptizari in patrem, filium & spiritum sanctum, & non in angelorum, neque archangelorum nomina: sicut hæretici Iudæi úe aut gentiles delirantes. Hæc igitur salus est Christianorum, ut credentes Trinitati, hoc est, patri & filio & spiritui sancto, & baptizati in eandem unam deitatem, & principatum, & diuinitatem, & essentiã, ita in ipsum credamus.

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA.

tinopolitana.

ORientales à patribus Romæ congregatis, inuitati per literas Imperatoris ad eam Synodum, conuenerunt Constantinopolim, ibiq́; tractarunt de legatis Romam mittendis: & re deliberata, miserunt eò, ut diximus, Cyriacũ, Eusebium, & Priscianum, qui absentiam excusarent, & fidem eorum ac statum ecclesiarum suarum exponerent, & eorum quæ acta essent ab ipsis in Oriente rationem redderent. Scriptæ autem etiam in hanc sententiam sunt literæ ab hac Synodo, quarum exemplum ex Theodoreti libro 5, cap. 9 subijcimus.

¶ Dominis reuerendissimis & pijssimis fratribus ac collegis, Damaso, Ambrosio, Britoni, Valeriano, Acholio, Anemio, Basilio, & cæteris sanctis episcopis in magna urbe Roma coactis, Synodus sancta episcoporum orthodoxorum qui conuenere in magna urbe Constantinopoli, in Domino salutem. Demonstrare pietati uestræ, tanquã ignorantibus, & exponere magnitudinẽ malorũ, quæ ab Ariano furore sustinuimus, superuacuum uidetur. Neq; enim ita parui pietatẽ uestrã pendere arbitramur res nostras, ut quib. misericordia debeatur, eorum nunc primùm cognitionem requiratis: nec cum ijs tempestatibus sumus conflictati, quæ propter paruitatẽ occultę esse possint. Recẽs est & ipsum persecutionis tempus, & memoriæ adhuc obstrepentis, non solũ ijs qui tulere, sed etiã

quos illa propria esse ob charitatẽ ducere oporteat. Nam heri, ut ita loquamur, ac nudi ustertius, aliq uinculis exilij soluti, post mille afflictiones rediere ad Ecclesias suas: aliquorum in exilio mortuorũ relatæ sunt reliquiæ: aliqui etiã decurso spacio exilij, adhuc bullientẽ in furorem hæreticorũ incidẽre, grauioraq; passi domi q̃ foris, lapidib. obruti, ut beatus quondã Stephanus, oppetiere mortẽ: aliqui uarijs lacerati modis, adhuc ferunt stigmata Christi ac uibices in corporib. suis. Pecunię uerò dãna, & ciuitatũ mulctas, tum singulatim publicationes bonorũ, insidias, contumelias, carceres: nemo enim omniũ enumerauit. Cunctę enim certè afflictiones in nos accumulatæ sunt, incõprehensibiles numero, fortasse meritos peccatorũ nostrorũ hãc pœnã, fortasse etiã quos benignus Deus excitare magnitudine malorũ uellet. Deo quidẽ gratias agimus, cũ tãtis in afflictionib. erudiuit seruos suos, nosq; pro magnitudine miserationũ suarũ deduxit ad refrigeriũ. Ad instaurationẽ sanè Ecclesiarũ sedulitate multa lõgoq; tẽpore opus fuit, ut quasi ex diuturno morbo paulatim recrearetur Ecclesiæ corpus cura ac medicatiõe nostra, atq; ita pristinam pietatis sanitatẽ recuperaret. Quãuis enim uehemẽtia maximè psecutionũ liberati esse, & nũc serò tandẽ receptas ab hęreticis ecclesias reficere uideamur: tamẽ p nobis molesti sunt lupi eiecti qdẽ caulis, sed in saltib. diripiẽtes gregẽ, dũ cõtrarios nobis conuentus celebrare audẽt, concitatoq; seditioso uulgo nihil intẽtatũ ad detrimentũ Ecclesiarũ relinquũt. Itaq;, ut diximꝰ, occupari nos in his lõgiore tẽpore necesse habuimus. Postq̃ aũt uos Romanã cogẽtes Dei uolũtate Synodũ, ꝑ fraterna charitate, tanq̃ uestra mẽbra nos q̃q; literis summa pietate Impatoris accersiuistis, ne eũ afflictionũ supplicia nos soli ꝑpessi sumꝰ, hoc in cõsensu Impatorio depietate, sine nobis regnaretis: sed haberetis nos regni, iuxta Apostolicã uocẽ, socios: sanè perq̃ optauimꝰ uniuersi, si fieri posset, ecclesijs derelictis obseq, siue desiderio, seu usui p̃senti. Quis enim nobis det alas uelut colũbę: ut ad uos deuolemꝰ, & uobiscũ acqescamus? Verùm cũ hac re penitus nudarẽtur Ecclesiæ paulo antè renouari cœptę, neq; omnino illa à quibusdã p̃stari ullo modo posset: cõcurreramꝰ enim Cõstãtinopolim ad uestrę reuerẽtię literas, post cõciliũ Aquileiẽse missas Theodosio, summa pietate Imperatori, ad solã ꝑgrinationẽ hãc Cõstantinopolitanã parati, & requisito tãtũmodo huiꝰ Synodi cõsensu ab episcopis, qui in suis ꝓuincijs remãsissent, cũ lõgioris ꝓfectionis neq; suspicaremur futurũ, nec denunciatũ nobis omnino prius esset opus q̃ Cõstantinopolim uenissemꝰ. Cũq; etiã p̃stituti tẽporis angustia nõ modò ad lõgius iter opportunã instructionẽ occluderet, sed ne facere qui dẽ certiores omnes cõmuni cãtes in ꝓuincijs episcopos, & eorũ alsẽsionẽ obtinere pateretur. Hęc igitur & alia huiusmodi cùm pluriũ aduẽtui obstiterit, qd secũdũ fuit, quo rectius negociũ ꝓficeretur, & ustrę charitati studiũ nostrũ ꝓbaret, fecimꝰ ut reuerẽdissimos ac honorabilissimos fratres & collegas nostros episcopos Cyriacũ, Eusebiũ, Priscianũ exorarem⁹, ut ꝓficiscẽdi aduos laborẽ libẽter subire uellẽt: ꝑ quos & declarari uobis nostra pacifica & spectãs unitatẽ uotas, & feruor ꝑ sanitate fidei ostẽdi posset. Nos enim siue psecutiões, seu afflictiões, nec nõ regias minas & crudelitates p̃torias, deniq; quascũq; tẽtatiões ab hęreticis passi sumꝰ, ea omnia ꝑ euãgelica Niceæ in Bithynia à 310 & 8 sanctis, Deoq; plenis patrib. cõfirmata fide sustinuimꝰ. Hęc & uobis, & nobis, & cũctis nõ puertẽtib. uerbũ uerę fidei, equũ est pariter placere: qua uix tandẽ stabilita, antiq̃ssima ipsa & cõsentanea baptismati, docemur credere in nomen patris & filij & sancti spiritꝰ: q̃ppe quòd sit deitas potẽtiaq; & essentia una patris & filij & spiritꝰ sancti: itemq; ꝑqualis dignitas & regnũ coęternũ in trib. ꝑfectis subsistãtijs seu ꝑspectis personis: ut neq; Sabellij pesti locꝰ detur, qua subsistãtię cõfundãtur, hoc est ꝓprietates tollãtur: neq; ualeãt posint blasphemię Eunomianorũ, Arianorũ, & eorũ qui spiritũ oppugnãt, à quib. essentia naturaq; & deitas scinditur, & introducitur in increatã coessentialẽ ac coęternã trinitatẽ quędã posterior siue creata siue diuersitatis natura. Etiã doctrinã humanitatis Domini indeprauatã seruamꝰ, neq; animę neq; mẽtis expertẽ, nec imperfectã admittẽtes carnis officiũ ac curã: cũ sciamꝰ Dei uerbũ, quod perfectũ esset ante secula, in his ultimis diebꝰ propter salutẽ nostrã hominem factum esse. Quæ quidẽ ad fidem attinẽt, quam nos apertè prædicamus, hactenus summatim expossuimus: quæ & ipsa maiore cum gaudio cognoscere poteritis, si inspicere tomũ ab Antiochena Synodo editũ dignati fueritis: itemq; eum quẽ uniuersalis nuper Constantinopolitana Synodus exposuit, ubi copiosius explanauimus confessionẽ fidei nostræ, & anathematis sententiam in recẽtes sectarum nouationes scripto cõprehensam publicauimus. De cura aũt administrationis singularum ecclesiarũ, scitis ueterẽ sanctionẽ & definitionem Nicænorum patrũ semper ualuisse, ut in unaquaq; ꝓuincia, illius ꝓuincię cultores, assumptis etiam (si uideatur) finitimis, cõferãt Ecclesiasticos honores ijs quos utiliter gesturos esse cõfidãt. Secũdũ hęc igitur & reliquas administrari apud nos scitote ecclesias & sacerdotes celeberrimarũ Ecclesiarũ susceptos esse. Vñ Cõstãtinopolitanę re-

centis,ut ſic loquamur,eccleſiæ, quam non diu antè quaſi ex ore leonis hæreticorum blaſphemijs per miſerationes Dei eripuim⁹, reuerendiſsimum & Dei amantiſsimum, Nectarium epiſcopum præpoſuimus in generali noſtro concilio,& præſente amantiſsimo Dei Imperatore Theodoſio, cum omnium clericorum ac totius ciuitatis approbatione. Eccleſiæ antiquiſsimæ & planè apoſtolicæ, Antiochiæ in Syria,ubi primum honorata Chriſtianorum appellatio extitit,canonicè præfecerat conuentus prouincialium & diœceſeos Orientalis, epiſcopum reuerendiſsimum & amantiſsimum Dei Flauianum, aſſentiente tota Eccleſia, & quaſi uno ore celebrãte illũ:quam creationẽ habuit ratam & communem Synodi. Matris autem omnium Eccleſiarum Hieroſolymitanę,reuerendiſsimum & Dei amantiſsimum Cyrillum epiſcopũ eſſe uobis ſignificamus, creatum iam olim canonicè à prouincialibus, & diuerſis in locis multùm cum Arianis conflictatum:quibus à nobis legitimè ac Canonicè perfectis, ueſtram quoque pietatem delectari uolumus, cohiberiq; ſpecialis charitatis & timoris Dominici interceſsione omnem humanam perturbationem:pluriſq; eccleſiarum ædificationẽ putare,quàm ergà aliquem priuatam uoluntatem aut gratiam. Hoc enim modo conſtituta doctrina fidei,& confirmata Chriſtiana charitate internos,deſinemus illa damnata ab Apoſtolis memorare, Ego quidem ſum Pauli, ego uerò Apollo,ego uerò Cephæ:ſed cũcti Chriſti manifeſtè erimus, qui in nobis non ſit diuerſarum partium: & Deo uolente, corpus eccleſiæ indiſcerptum conſeruabimus, ut tandem ad tribunal Domini cum fiducia ſiſtamur.

CONSTANTINOPOLITANA ALIA, *contra Arianos,Eunomianos,& Macedonianos.*

Eodem anno quo Theodoſius filium Arcadium Auguſtum declarauit in Ianuario,menſibus aliquot pòſt, in Iunio ſcilicet, Synodum aliam conuocauit Conſtantinopoli,conſulatu Merobaudæ ſecundo, & Saturnini: Chriſti anno, ſecundũ Proſperum, trecenteſimo octuageſimoſexto, Theodoſij Imperij quinto. Occaſionem prębebant perturbationes in ciuitatibus propter Arianos, qui in nonnullis ciuitatibus Eccleſijs exigebantur,excitatę.quas,paci natus Imperator, pati non poterat.

Veniunt igitur ad eam Synodum ab Imperatore accerſiti, cuiuſuis religionis epiſcopi. Exiſtimabat enim Imperator, factum ad cõcordiam, ſi coràm inter ſe de religione & doctrina conferrent epiſcopi. Quod tum ei conſilium ſat ceſsit feliciter. Primùm autem Imperator è cœtu toto epiſcoporum ad ſe Nectarium euocat, conſultatq; cum illo, qua'nam ratione effici conſenſus mediocris Eccleſiæ poſsit. Nectarius conſilijs & rationibus ſuis diffidens, Agelium Nouatianorum epiſcopum conſulit. At is ei lectorem ſuum Siſinnium dat:cuius conſilio Nectarius inſtructus,ad Imperatorem redit: & quid conſilij habeat,ei indicat. Quod cupidè ille arripit: & in medio quidem collocatus cœtu, eos qui hæreſibus ſingulis præerant, interrogat, Ecquid' nam doctoribus illis,qui hæreſes eorum præceſsiſſent,tribuerent? (ſic enim,quæ ei ab illis Siſinnius intulerat.) Reſpondent illi: Agnoſcere omnino eos,ac uenerari,tanquam præceptores ſuos. Quærit deinde Imperator,Num poſſint eos etiam tanquam fide dignos Chriſtiani dogmatis complecti teſtes? Hæſitant ibi illi, incerti quid facerent: Stupent & Dialectici,quorum turbam ingentem ſecum eò adduxerant. Quin & inter ſe ipſi hæretici diſsidere incipiunt, alijs Imperatoris propoſitum probantibus,alijs improbantibus. Et quia alij aliter de ueterum libris ſentiebant, iam,non ab alijs ſolum religionibus,ſed & à ſe ipſis diſſentiebant. Procedit ad aliud igitur Imperator conſilium,& mandat,ut unaquæq; factio fidei ſuę definitionem declaret. Tum qui apud unamquamque factionem dicendi arte ualebant, fidem ſuam accuratè conſcribunt. Determinata autem die, cuiuſque religionis epiſcopi ad arcem Imperatoris ueniunt: Homouſianæ ſcilicet,Nectarius & Agelius: Arianæ uerò, Demophilus: Eunomianæ, ipſe Eunomius: Macedonianæ, Eleuſius Cyzicenus: ac formulas ſcriptas ſinguli exhibent. Accipit Imperator, & implorato prius auxilio diuino,ut ad diiudicandam ueritatem ſpiritu ſancto ſuo adeſſet,legit. Perlectis omnibus,Arianorum, Eunomianorum, & Homouſianorum formulas unitatis ſeparationem conſtituentes reprehendit, ac dilacerat: ſolam uerò eam quæ Homouſianorum erat, probat, & amplectitur. Pudefacti igitur reliquarum religionum Antiſtites,à ſubditis etiam ſuis condemnabantur: quorum ad Homouſianos plurimi tranſierunt. Perturbati igitur & dolentes diſceſſerunt, ac per literas qui ſuæ factionis eſſent,ſolati ſunt, ne multitudine deficientium ad Homouſianos offenderentur: quia ſcriptum eſſet, Multos uocatos,paucos uerò electos eſſe. Socrates libro quinto,capite decimo:Sozomenus libro ſeptimo,capite duodecimo.

SYNODVS NOVATIANORUM *Angari.*

SVb eodem Imperatore Nouatiani, qui Conſtantinopoli ſeparatas habebant ec-

clesias, Synodum coegerunt Angari, quod emporium fuit Bithyniæ Helenopoli uicinum, huiusmodi de causa. Post mortem Agelij, qui à temporib. Constantini ad Theodosium usque per annos quadraginta Nouatianorum præfuerat ecclesijs, Sabatius quidam ex Iudæo Christianus factus, presbyter autem à Marciano Agelij successore ordinatus, episcopatus affectatione Paschatis festum secundum Iudæorum obseruationem celebrandum esse contendebat: ad confirmationem opinionis suæ, autoritate utens ignobilis istius Nouatianorum, de quo suprà diximus, Synodi in Pazo, quæ Pascha ad eum modum agendum constituissent. Primùm autem Ecclesiæ se Sabatius subducit, fingens offendi se quorundam communione, quos administratione mysteriorum indignos iudicaret. Deinde etiam separatos cogere cœtus studet. Quod deprehendens Martianus, Synodum episcoporum Nouatianorum congregat, ad quam Sabatium accersit. Is cum uenisset, à Synodo iubetur exponere offensæ suæ causas. Respondet ille, offensum se esse dissonantia festi Paschatis: ideo quòd conformiter cum Iudæis, quemadmodum Synodus Pazi constituisset, celebrandum duceret. Suspicata ibi Synodus, Sabatium eiusmodi prætextu episcopatum captare, priusquam ad illud quod de dissimilitudine celebrationis Paschatis obiecerat, responderet, iuramento eum obstringit, ne unquam affectare episcopatum uelit Postea Canonem de Paschatis festo, quem indifferentem nominant, proferunt: affirmantes, tanti eam dissonantiam non esse momenti, ut ea motus quisquam, propterea ab Ecclesia sese separare debeat. Neque eos qui Pazi congregati fuissent, catholico Canoni præscribere potuisse. Allegant deinde superiorum temporum exempla, ueteres scilicet qui Apostolis uicinis fuissent, inter se nonnunquam in Paschatis celebratione etiam uariasse, sed à mutua communicatione nunq̃ abstinuisse. Nouatianos prꝛterea qui Romæ fuissent, Iudæos in celebráda Paschatis festiuitate nunquam secutos esse, sed Pascha perpetuò post æquinoctium celebrasse: nec se à consentientibus in fide sibi unquam seiunxisse. Quibus, & similibus multis prolatis, Canonem indifferentem constituerunt, permittentem cuiq; consuetudine sua Pascha celebrare: atque in eo uariantes inter se, ac discrepantes, nihilominus in Ecclesiæ consensu manere. Socrates libro quinto, capite uigesimoprimo.

AQVILEIENSIS.

SYnodus Cõstantinopolitana apud Theodoretum lib. quinto, cap. nono, in literis suis ad Occidentales episcopos meminit Synodi Aquileiensis: sed de actis eius nihil adijcit. Extat longa narratio de ea Synodo in libro Conciliorum, quæ indicat celebratam eam Synodum fuisse sub Imperatorib. Valentiniano, Gratiano & Theodosio, Consulibus Siagrio & Eucherio: quod est anno Christi 383, Theodosij in regnum à Gratiano assumpti anno tertio.

Occasio fuit Arianismus Palladij & Secundiani: qui ubi seu episcopi seu presbyteri fuerint, non exprimitur. Fuit autem exigua Synodus, triginta duorum tantum aut paulo plurium episcoporũ ex Gallia & Italia, quorum nomina recensentur ante actionem: Valerianus episcopus Aquileiensis, Ambrosius episcopus Mediolanensis, Eusebius episcopus Bononiensis, Limenius episcopus Vercellensis, Amenius episcopus Syrmiensis Illyrici, Sabinus episcopus Placentinus, Abundantius episcopus Tridentinus, Philaster episcopus Brixianus, Constantius episcopus Arausicus, Theodorus episcopus Octodorẽsis, Domninus episcopus Gratianopolitan⁹, Amantius episcopus Nicienſis, Maximus episcopus Emonensis, Basilianus episcopus Laudensis, Proculus episcopus Massilienſis, Heliodorus episcopus Altinensis, Felix episcopus Iadrensis, Euentius episcopus Citinienſis, Exuperantius episcopus Dertonensis, Diogenes episcopus Genuensis, Cõstantius episcopus Sciscianensis. Legatus Gallorum, Iustus legatus Gallorum, Felix legatus Aphrorum, Numidius legatus Aphrorum, Euagrius presbyter & legatus: Artemius, Almachius, Ianuarius, Iouinus, Macedonius, Casian⁹, Marcellus, Eustathius, Maximus, Cromatius presbyter.

Quem numerum ut exiguum aspernatus, Palladius, cum ab ijs de dogmate interrogaretur, respondere sæpe noluit: sed ad episcopos Orientales, quos esse suæ partis affirmauit, & concilium quoddam uniuersale prouocauit.

Est autem uniuersæ eius actionis summa, quòd Palladius & Secundianus Arianissimi accusantur: quanquam Arium se nosse, quis unquam fuerit, inficiantur. & interrogari de Christo, uerum eum Deum ac Dominum dicere recusant: uerum autem Dei filium, unigenitum, potentiam Dei, &c. dicunt.

In Synodum igitur primùm ad disputationem uocatur Palladius, qui Arium eodem nare detrectat. & interrogatus ex Arij epistola, an ut Arius, Christum creaturam, & qui initiũ habuerit, dicat: aut ut Christian⁹, Christum uerum Deum ex Deo confiteatur, interdum respondere recusat. Coactus aũt respondere, astutè conatur elabi, ne Deum & Dominũ Christũ dicat. Post longam igitur concertationem, à tota Synodo Palladius commu-

communi consensu condemnatur. Incipitur deinde disputatio non dissimilis cum Secundiano quoq;, qui & ipse Arianam impietatem sapiens, Christum Deum uerum dicere tergiuersatur. De condemnatione eius nihil additur: actio enim non uidetur esse integra. Obiter & Attalum quendam, qui decretis synodi Nicenę olim subscripsit, in medium synodus accersit: atq; utrum se subscripsisse fateatur, interrogat. Sed testimonijs eriam præsentium episcoporum conuictus, nihil tamen respondit.

CARTHAGINENSIS SECVNDA.

AVtor libri Conciliorum celebratam synodum Carthagini scribit circa tempora Syricij Papæ. Inscriptio autem istius synodi sub consulibus Valentiniano Augusto & Theodosio, quod est anno Christi trecentesimo nonagesimoquarto, iuxta Funccium: secundum Prosperum, trecentesimo octuagesimoquarto: regni uerò Theodosij, duodecimo.

Episcopi ex diuersis prouincijs interfuisse memorantur: Genedius, Aurelius, Fortunatus, Felix episcopus Selemselitanus, Numidius Massylitanus, Epigonius Bullensis, Alipius episcopus Targastensis, legatus prouinciæ Numidiæ, Valentinus primæ sedis prouinciæ Numidiæ episcopus, Victor episcopus Abderitanus, & alius Victor Puppuanensis. Ex quibus præsediſse uidentur Genedius & Aurelius.

Conuenisse autem se, præses ait, propter fidem confirmandam, & ordinem Ecclesiasticum instituendum. De fide statuunt, Trinitatem in unitate, citra differentiam credendam & docendam. De ordine seu disciplina Ecclesiastica canones cõstituunt duodecim: quorum primus est, ut episcopi, presbyteri, diaconi, leuitæ, & qui Sacramenta administrant, continentes sint, adeò ut ab uxoribus etiam proprijs abstineant.

2 Vt presbyteri nec chrisma conficiant, nec puellas consecrent, nec pœnitentes reconcilient.

3 Vt liceat presbytero, episcopo absente, pœnitentem in periculo constitutum, potestate sibi ab episcopo facta reconciliare.

4 Vt diœcesis, quæ episcopum nunquam habuit, nõ habeat: & quæ aliquando habuit, habeat proprium. Si tamen alicubi multiplicetur ecclesia, uoluntate eius in cuius potestate diœcesis illa est, episcopum proprium habeat.

5 Ne criminibus & sceleribus obnoxijs liceat clericos accusare.

6 Vt si qui episcopi, presbyteri aut clerici excommunicatum propter flagitia in communionem susceperint, excommunicationi & ipsi obnoxij sint.

7 Vt presbyter ab episcopo suo excommunicatus, uel correctus, apud uicinos episcopos conqueratur, ut ab ipsis causa eius audiatur, ac per eos episcopo suo reconcilietur. Si uerò superbia inflatus, ab episcopo suo recesserit, & cum alijs rem diuinam fecerit, anathema sit, & locum amittat.

8 Vt presbyter quisquis episcopo suo inconsulto agenda celebrarit, honore priuetur.

9 Vt causa episcopi peccantis à duodecim episcopis, sex presbyteris, tribus diaconis, & proprio episcopo cognoscatur.

10 Ne quis in alienam ecclesiam aut diœcesin inuadat, iuxta legem diuinam, Ne alienа concupiscas: &, Ne alienos limites transgrediaris.

11 Vt nemo inconsulto primate cuiuscunque prouincię etiamsi multos habeat secum facientes episcopos, ordinationẽ in aliquo loco instituat. In casu uerò necessitatis, tres episcopi in quocunq; sint loco cum primatis consensu ordinent.

12 Vt qui aliquid istorum decretorum uiolarit, in concilio deponatur.

Hæc cum proposita à singulis, essent, ab omnibus simul statim approbata sunt, & subscriptionibus confirmata.

CARTHAGINENSIS TERTIA, *ex eodem.*

EXtat in titulo huius Synodi, in libro Conciliorum, celebratam scilicet eam esse, quemadmodum primam, circa Syricij tempora. Sed ipsius synodi inscriptio habet: Cæsario & Attico uiris clarissimis consulibus, calendis Septembris, Carthagine, in secretario Basilicæ, &c. Quorum consulatui Prosper annum nuncupauit trecentesimum nonagesimumnonum.

Ex illis qui interfuerunt, in ea narratione pauci nominantur: ut Aurelius episcopus Carthaginensis, qui præfuisse uidetur: Honoratus, Vrbanus, episcopi legati prouinciæ Mauritaniæ Sitifensis: Epigonius episcopus Bullensis Regiensis, Numidius episcopus, Posthumianus episcopus, Augustinus episcopus Hipponensis: episcopi omnes numero quadragintaquatuor.

Constituerunt primùm, ut omnes Aphricanarum prouinciarum episcopi, institutionem de Paschate ab ecclesia Carthaginensi petant.

2 Vt concilium anniuersarium, singulis annis habeatur, ad quod bini uel terni ex prouincijs præcipuarum sedium ueniant: ex Tripoli autem unus tantum episcopus, propter inopiam.

3 Vt episcopus ordinandus canones conciliorum, ne quid erret, probè cognoscat.

4 Vt ante uigesimumquintum ætatis annum, nec diaconi ordinentur, nec uirgines uelentur, nec populo lectores salutem dicãt.

5 Vt in festo Paschatis Sacramentorum catechumenis nihil exhibeatur, præter sal: ideo quòd nec fideles eo tempore Sacramentorum consuetudinem mutent.

6 Ne defunctis aut baptismi aut eucharistiæ sacramentum consecretur: quia dictum à Domino sit, Accipite & comedite.

7 Vt cum episcopo litigans, eum apud primates prouinciæ eius in qua est episcopus, accuset: & detur spacium episcopo accusato comparendi, tempus mensis, quo tempore à communione non suspendatur. Si eo tempore uerò negotijs necessarijs prohibitus cõparere nequeat, ut alterius ei mensis spaciũ indulgeatur. Sed post eum mensem communione tantisper abstineat, dum eius causa cognoscatur. Sin autem ad concilium anniuersarium uocatus, uenire noluerit, ut ipse damnationis suæ sententiam dixisse iudicetur, & à cõmunione quouis loco abstineat. Accusator autẽ, si dieb. causæ dicẽdæ semper præstò fuerit, à communione non remoueatur: ita tamen, ut nec ipsi adimatur facultas causæ peragendæ, si se ad diem dictam uenire uoluisse quidem, sed minus potuisse probauerit. Hoc tamen obseruato, ut si culpabilis sit accusatoris persona, ad accusandũ uel agendum non admittatur.

8 Vt presbyteri uel diaconi accusati, præter episcopum proprium, collegas ex uicinia sibi petant, presbyteri quidem sex, diaconi uerò tres, qui ipsorum causas examinent. Reliquorum autem clericorum causas, episcopus cuiusq; loci solus cognoscat & finiat.

9 Vt episcopi, presbyteri, diaconi & clerici accusati, ad iudicia ciuilia non appellent, iudicibus Ecclesiasticis repudiatis: aut si fecerint, loco suo priuentur, ideo quòd & priuatorum causas Apostolus ad ecclesiam deferri præcipiat.

10 Vt si à quoquam ab alijs iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos maioris autoritatis prouocatum fuerit, non obsit prioribus, si sententias diuersas protulerint.

11 Vt ad exhibitiones Ethnicorum spectaculorum, clericorum filij non accedant, nec spectent: quòd Christianis omnibus interdictum sit, ad blasphemantes accedere.

12 Vt uel filij uel filiæ episcoporũ, aut quorumlibet clericorum, Ethnicis, hæreticis, & schismatib. matrimonio non coniungantur.

13 Ne clerici infidelibus, etiamsi consanguinei ipsorum sint, de facultatibus suis aliquid conferant.

14 Ne clerici filios suos, è potestate sua, nisi moribus & ætate comprobatos, dimittãt.

15 Ne clerici ulli, turpi aliquo negocio uictum sibi quærant, aut uel conductorum uel procuratorum officio implicentur. quia scriptum sit: Nemo Deo militans, implicet se negocijs secularibus.

16 Ne clerici ullã usuræ speciem exerceãt.

17 Vt cum clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, præter matres solas, auias, materteras, amitas, sorores & filias fratrum aut sororum, & eas quæcunq; ex familia ante ordinationem eorum prius illis cohabitarint.

18 Ne quis episcopus aut presbyter aut diaconus ordinetur, priusquam omnes suæ familiæ Christianos effecerit.

19 Vt lectores ad annos pubertatis progressi, aut uxores ducant, aut continentiam profiteantur.

20 Ne quis episcopus in alienam sibi plebem, aut diœcesim ius usurpet.

21 Vt clericum alienum in ecclesia sua nemo uel retineat, uel promoueat. Item, ut lectores, psalmistæ, & ostiarij Clerici nomen habeant.

22 Vt sine examine episcoporum, & populi testimonio, clericus nemo ordinetur.

23 Ne quis orans, personas in Trinitate diuina cõfundat: hoc est, uel patrem pro filio, uel filium pro patre appellet. Ac ne quis precum formulis, quas sibi ipse composuit, sine collatione cum fratribus utatur.

24 Vt in Sacramento corporis & sanguinis Domini, nihil amplius iuxta mandatum Domini offeratur, præter panem & uinum aqua mixtum. Ac ne quid aliud in sacrificijs, quàm de uuis & frumentis, offeratur.

25 Vt nec clerici ad uiduas uel uirgines, sine permissu episcoporum & presbyterorum accedant. Nec episcopi & presbyteri ipsi ad easdem soli adeant: sed comitati aut clericis, aut grauibus alijs Christianis.

26 Vt primæ sedis episcopus non appelletur Princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, sed tantum primæ sedis episcopus.

27 Ne tabernas clerici ingrediantur, nisi in peregrinatione necessitate compulsi.

28 Ne episcopi sine formata seu commendatione primatis cuiuscunque prouinciæ, trans mare iter faciant.

29 Vt Sacramentum altaris à ieiunis tantum celebretur, excepto die cœnæ Domini. Quod si preces pomeridiano tẽpore seu pro defunctis, seu pro episcopis, seu cæteris faciendæ sunt, fiat id absq; missa, si, quorum fuit cere interest, iam pransi sint.

30 Vt nec episcopi nec clerici, nec populus in ecclesijs conuiuentur.

31 Vt pœnitentibus secundum peccatorũ differentiam, episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

32 Ne presbyter episcopo inconsulto pœnitentem absoluat, nisi episcopo absente. Ac si cuius

si cuius pœnitentis crimen Ecclesiam totam offenderit, manus ei ante absidē imponatur.

33 Virgines sacratæ, parentibus orbatæ, episcopi uel presbyteri consilio, monasterijs uirginum, uel custodię grauiorum fœminarum tradantur.

34 Vt ægrotantes baptisentur, etiamsi per infirmitatem pro se respondere non possint, sed uoluntatis suæ testes propinquos habeant.

35 Ne scenicis, histrionibus, cæterisq; eius generis hominibus, & apostatis conuersis absolutio denegetur.

36 Ne presbyter sine episcopi permissu aut chrisma conficiat, aut uirgines consecret.

37 Ne clerici sine iusta causa in aliena ciuitate commorentur.

38 Ne licitæ sint rebaptizationes, reordinationes, uel translationes episcoporum. Et ut Cresconius uillę Regiensis episcopus, qui relicta sua ecclesia in aliam insilijt, & admonitus sæpe deserere eam noluit, denuò conueniatur: ac si tum admonitionibus parêre noluerit, excludatur.

39 Vt episcopus non à paucioribus quàm tribus episcopis, antiqua consuetudine, ordinetur.

40 Sed si ordinandus, contradictione obortą, purgandus sit, addantur tribus episcopis adhuc duo uel tres, et examinentur prius personæ contradicentes: deinde ea quæ obijciuntur pertractentur: postremò purgatus in publico ordinetur.

41 Vt de Paschate instructio semper petatur ab ecclesia Carthaginensi, et propter eam quotannis habeatur conuentus.

42 Vt plebs quæ sub episcopo semper fuerit diœcesis, nec proprium unquam episcopum habuerit, subdita episcopo diœceseos maneat: nec nisi cum eius uoluntate, episcopum proprium accipiat. Ideo quòd nonnulli dignitate ea potiti, soleant insolescere, & aduersus episcopos suos ceruices erigere, plebem sibi quacunq; occasione conciliantes.

43 Vt & tales inflati, si ad concilium uocati uenire recusent, deponantur.

44 Ne quis episcopus clericum, in alterius episcopi potestate, ab eo alienum faciat. Et ut Iulianus, si abalienatum ab Epigonio episcopo clericum restituere admonitus noluit, excludatur.

45 Vt episcopus qui plures habet clericos, ei qui eget, ad ordinandum postulatus largiatur.

46 Vt episcopus consensu primatis in diœcesi factus, eam solum plebem teneat, in qua fuerit ordinatus.

47 Ne quid præter scripturas sacras in ecclesijs sub nomine sacrorum librorum legatur. Sequitur catalogus librorū canonicorū.

48 Vt referatur ad Syricium & Simplicianum, utrum qui à Donatistis baptizati sint, prohiberi debeant, ne ordinentur ad ministerium altaris.

49 Vt episcopi, presbyteri, diaconi & clerici quicunq;, qui ad ecclesiæ administrationem pauperes accesserunt, ac postea in officio agros uel prædia sibi compararint, ecclesiæ restituant: nec quid proprij teneant, nisi quod seu aliorum libertate & largitionibus, seu hæreditatis iure sibi obuenerit.

Hæc probata ab omnibus, subscriptionibus omnium confirmata sunt.

CARTHAGINENSIS ALIA, *ex eodem.*

SVb ijsdem consulibus, Attico scilicet & Cæsario, liber Conciliorum aliam annotauit Carthaginensem synodum, celebratā Idibus Augusti: cui interfuerunt & subscripserunt Aurelius episcopus Carthaginensis, Musonius episcopus primæ sedis prouincię Byzantinæ, Victorianus episcopus Massylienſis, Lupianus episcopus Tamugadensis, Ninus episcopus Tubulatensis, Philologus episcopus plebis Adrumentanæ, Ferox episcopus Macriensis.

Primùm ponitur exemplum epistolæ Aurelij & Musonij præsidentium, de occasione eius synodi, hoc modo: Dilectissimis fratribus & coepiscopis diuersarum prouinciarum, Numidiæ, Mauritaniæ, utriusq; Tripolis, & prouincię proconsularis, Aurelius, Musonius, & cæteri episcopi. Ecclesiasticæ utilitatis causa, dum in Carthaginensi urbe cōueniremus in unum, à plerisq; suggestum est, ea quæ in concilio Hipponensi iamdudum maturata sunt, & legitimè ad corrigendam disciplinam salubriter gesta & statuta noscūtur, effrenata temeritate quosdam minimè custodire. Ad huiusmodi uerò excusandos excessus, illud ab aliquibus prætendi, quod ea quæ iamdudū legibus statuta sunt, ignorantes prætermiserint. Ob quam rem, hæc communi concilio per uniuersam prouinciam Byzancenam, in noticiam cunctis deducenda censuimus, ut in his quisquis de cætero temerator extiterit, sciat se status sui operatum fuisse iacturam. Breuem uerò statutorum (in quo omnia uidentur esse complexa, et quædā diligentius custodita) huic epistolæ subdi fecimus, ut compendio quæ decreta sunt recensentes, solicitius obseruare curemus. Optamus uos fratres in Deo semper bene ualere, & nostri memores esse. Et manu senis Muzonij: Optamus uos, fratres, beatos semper in Deo gaudere, & nostri memores esse.

Sequūtur statuta cōcilij Hipponensis, cō firmata in hac Carthaginensi synodo. quorū primū est, forma fidei Niceną breuiter exposita.

sita. Sequentia decreta, cum decretis tertij concilij Carthaginensis conueniunt.

1 Placuit etiam, propter errorem, qui sæpe solet oboriri, ut omnes Aphricanæ prouinciæ obseruationem diei Paschalis ab ecclesia Carthaginensi curent accipere.

2 Vt lectores populum non salutent.

3 Vt clerici instructi promoueantur.

4 Vt sacramẽta Catechumenis nõ dentur.

5 Corporibus defunctis Eucharistia non dentur.

6 Vt per singulos annos Concilium conuocetur.

7 Si episcopus accusatus fuerit, ad primatum prouinciæ causam suam referat.

8 Episcopus accusatus, si ad concilium anniuersarium non uenerit, sententiam damnationis suæ tulisse iudicetur.

9 Presbyter, si accusatus fuerit, cum quinque collegis ex uicinis episcopis, causa sua discutiatur.

10 Diaconus cum duobus.

11 Episcopo aut clerico si fuerit crimen institutum.

12 Vt iudices Ecclesiastici ad alios iudices causam non prouocent.

13 Vt filij episcoporum hæreticis non coniungantur.

*

15 Vt episcopi & clerici filios suos non eijciant.

16 Vt episcopi & clerici nihil conferant rerum suarum, nisi catholicis.

17 Episcopus, presbyter, aut diaconus, nõ sint conductores.

18 Vt clerici cum extraneis fœminis nõ habitent.

19 De sacris gradibus.

20 De lectoribus.

21 Vt clericum alienum nemo ordinet.

22 Vt clericus non ordinetur, antequam probatus sit.

23 Vt in precibus, nec pater pro filio, nec filius pro patre nominetur.

24 Vt nullus clericus amplius accipiat quàm dedit.

25 In sacramentis aliud nõ offeratur, quàm panis & uinum aqua mixtum.

26 Vt episcopi, presbyteri, aut clerici, ad uiduas uel uirgines soli non accedant.

27 Vt primæ sedis episcopus princeps sacerdotum non appelletur.

28 Clerici in tabernis nec manducent, nec bibant.

29 Vt episcopus trans mare non proficiscatur.

30 Vt à ieiunis altaris sacramenta celebrentur.

31 Vt in ecclesia neq; episcopus, uel clerici conuiuentur.

32 Vt presbyter, inconsulto episcopo, non reconciliet pœnitentem.

33 Vt uirgines grauioribus fœminis commendentur.

34 Vt ægrotantes baptizentur.

35 Vt reuersis reconciliatio non negetur.

36 Vt presbyter chrisma non conficiat.

37 In aliena ciuitate clerici non morentur.

38 Scripturæ canonicę in ecclesia legendæ quæ sunt, & præter quas alia non legantur.

39 Vt episcopus minus quàm à tribus episcopis non ordinetur.

40 De his qui in nullo testimonio se baptizatos nouerunt, ut baptizentur.

41 Vt Donatistæ in numerum laicorũ recipiantur.

SEQVITVR CAPITVLVM SEV *statutum.*

¶ Placuit etiam, ut quia in præcedentibus Cõcilijs statutũ est, ne quis Donatistarũ cum honore suo recipiatur à nobis, sed in numero laicorũ: propter salutem, quæ nulli denegãda est (tantũ autem inopiæ clericorũ ordinandorum in Africa patiuntur ecclesiæ, ut quædam loca omnino deserta sint) seruetur quidẽ in istis, quod iam antea creditũ est: sed exceptis his, quos aut non rebaptizatos esse constiterit, aut qui cum suis plebibus ad cõmunionem catholicã transire uoluerint. Sic enim scriptum est: Quod si duo conuenerint Christiani, quicquid petierint, impetrabũt. Non oportet dubitari, quo remoto scandala dissensionis uniuersæ plebis, inuitatæ pacis cõpensatione & sacrificio charitatis abolean tur, quę maiorũ suorũ authoritatem sequentes, repetitione baptismi commiserunt.

Sed hanc rem placuit nõ cõfirmari, priusquã exinde transmarina ecclesia consulatur. Et alia manu: Aurelius, episcopus ecclesiæ Carthaginensis, placitis à nobis omnib. confirmatis, exceptis emancipationibus, de quibus consulendũ censuimus, relictis & agnitis subscripsi. Muzonius episcopus, placitis superius comprehensis, emancipatione ad tractatum meliorem data, subnotaui, primæ sedis episcopus prouinciæ Byzacenæ. Victorianus, episcopus plebis Masilianensis, subscripsi. Lupinianus episcopus plebis Tamugadensis, subscripsi. Ninus episcopus plebis Tubaltanensis, subscripsi. Philologus episcopus plebis Adrumentanæ, subscripsi. Ferox episcopus Marcianensis, subscripsi. Hoc modo & omnes subscripserũt, qui huic concilio interfuerunt.

CARTHAGINENSIS ALIA, *ex eodem.*

BReuissimè liber Conciliorum meminit alius cuiusdam Carthaginensis synodi, celebratæ Imperatoribus Arcadio tertio & Hono-

Honorio secundo consulibus, anno iuxta Prosperum trecentesimo nonagesimosexto. In qua cõsultatum fuit de mittendis legatis, episcopis, consularibus, ad concilium Adrumentinum.

Item Carthaginensis alia, ex eodem.

Sequitur in eodem libro Annotatio breuis, de alia synodo Carthaginensi, frequentata consulibus Attico & Cæsario, ad quintum Calendas Septembris, hoc titulo: De cõcilio Carthaginensi, ubi multa sunt constituta. Additur allocutio ad episcopos Aurelij episcopi Carthaginensis, quæ infrà tota exponitur sub Bonifacio primo.

Personæ quæ interfuerunt, numerantur: Aurelius præses, Victor senex episcopus Puppitanensis, Tutus Magirpensis, Euangelus Abfuritanus.

Rursus Carthaginensis alia.

Meminit sub ijsdem cõsulibus alius item Carthaginensis synodi, celebratæ ad VI Calend. Iulij: in qua decretum fuit, ne quis episcoporum nauigationem suscipiat sine formata primatis.

Recitat & titulos canonum cuiusdam cõcilij Carthaginensis, cuius tempus nullum indicat. Canones isti magna ex parte superioribus respondent.

SYNODVS QVARTA CARTHAginensis.

TEmpus huius synodi liber Conciliorum indicat fuisse consulatum quartum Honorij Augusti & Eutychiani: qui annus est, iuxta Prosperum, quadringentesimus primus, ultimus scilicet Syricij Papæ. Tituli, episcopos huic synodo uniuersali intergregatos autem in sacrario, ac præsedisse Aurelium. Decreta constituisse propemodum æquantia episcoporum numerum, nempe ducentos quatuor. Quorum fuerit,

1 Cuiusmodi uirtutibus præditum oporteat esse eum qui episcopus ordinari uelit, & quod examen præcedere ordinationem.

2 & 3. Quibus ceremonijs ordinandus sit: duobus scilicet episcopis supra caput ipsius adstantibus librum Euangeliorum, episcopo uno benedictionem recitante, & cæteris qui adsunt episcopis ac presbyteris omnibus manus capiti suo imponentibus.

4 Vt diacono uerò, dum ordinatur, episcopus solus manum imponat.

5 De ceremonia ordinandi subdiaconum: ut is scilicet, cum ordinatur, non impositionem manuum, sed patenam de episcopi manu uacuam, & calicem uacuum accipiat. De manu uerò archidiaconi, urceolum cum aqua, & mantile.

6 De ordinatione acolythi: ut ab episcopo, quæ sui sint officij instruatur: ab archidiacono autem accipiat cereothecã, ut meminerit se ad accendendos cereos ordinari: & urceolum, ut sciat officij sui esse, uinũ suggerere in celebratione cœnæ Domini.

7 Vt in ordinatione exorcistæ, episcopus exhibeat exorcistæ libellum, in quo descripti sint exorcismi, additis his uerbis: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, seu baptizatum, seu non baptizatum.

8 Vt in ordinatione lectoris, episcopus de eius fide, uita & moribus ad plebem concionetur. postea ei tradat librum, additis his uerbis: Accipe, & esto lector uerbi Dei, & cætera.

9 Vt ostiarius, priusquam ordinetur, ab archidiacono instruatur: & ab episcopo, dum ordinatur, claues ei ecclesiæ tradantur his uerbis: Sic age, quasi Deo rationem redditurus pro his rebus, quæ his uerbis includuntur.

10. Vt psalmista uel cantor, nesciente etiã episcopo, à presbytero munus cantandi accipere possit, his additis: Vide ut quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis, operibus comprobes.

11 Vt sanctimonialis consecranda, eiusmodi uestibus induatur, quibus semper usura sit, professioni scilicet suæ & sanctimoniæ conuenientibus.

12 Vt uiduæ uel sanctimoniales, electæ ad ministerium baptizandi mulieres, tam sint instructę, ut sano & perspicuo sermone rusticas & imperitas baptizandas docere possint de respondendis in baptismo, & uitæ ratione post eum acceptum.

13 Sponsus & sponsa, quum benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus suis uel paranymphis offerantur. Qui, quum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis, in uirginitate permaneant.

14 Vt episcopus non longè ab ecclesia hospitiolum habeat.

15 Vt episcopus uilem suppellectilem, & mensam ac uictum pauperem habeat: & dignitatis suæ authoritatem, fide & uitę meritis quærat.

16 Vt episcopus gentilium libros non legat, hęreticorũ aũt pro necessitate & tẽpore.

17 Vt episcopus gubernationem uiduarum & pupillorum ac peregrinorum nõ per seipsum, sed per archipresbyterum, aut per archidiaconum agat.

18 Vt episcopus tuitionem testamentorũ non suscipiat.

19 Vt episcopus pro rebus transitorijs non litiget prouocatus.

20 Vt episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet: sed ut lectioni & orationi &

ni et uerbo prædicationis tantũmodo uacet.

21 Vt episcopus ad synodum ire nõ tardet, si non sine satis graui necessitate inhibeatur: sic tamen, ut in sua persona legatum mittat: susceptur us, salua fidei ueritate, quicquid synodus statuerit.

22 Vt episcopus sine concilio clericorum suorum, clericos non ordinet, ita ut ciuium assensum & conniuentiam & testimonium quærat.

23 Vt episcopus nullius causam audiat, absq; præsentia clericorũ suorum: alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum præsentia confirmetur.

24 Sacerdote uerbum faciente in ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.

25 Dissidentes episcopos, si nõ timor Dei, synodus reconciliet.

26 Studendum est episcopis, ut dissidentes fratres, siue clericos siue laicos, ad pacem magis quàm ad iudicium cohortentur.

27 Vt episcopus de loco ignobili ad nobilem, per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sanè si id utilitas ecclesiæ fiendum popoſcerit, decreto pro eo clericorum & laicorum episcopis porrecto, in præsentia synodi transferatur, nihilominus alio in loco eius episcopo subrogato. Inferioris uerò gradus sacerdotes, uel alij clerici, concessione suorum episcoporum, possunt ad alias ecclesias transmigrare.

28 Irritam esse, iniustam episcoporũ damnationem: & idcirco à Synodo retractandam.

29 Episcopus, si clerico uel laico crimen imposuerit, deducatur ad probationem in synodum.

30 Caueant iudices Ecclesię, ne absente eo cuius causa uentilatur, sententiam proferãt: quia irrita erit, imò & causam in synodo pro facto dabunt.

31 Vt episcopus rebus ecclesiæ, tanquam commendatis, nõ tanquam proprijs, utatur.

32 Irrita erit donatio episcoporũ, uel uenditio, uel mutatio rei Ecclesiasticę, absq; conniuentia & subscriptione clericorum.

33 Episcopi uel presbyteri, si causa uisitandæ ecclesię alterius episcopi, ad ecclesiam uenerint, & in gradu suo suscipiantur, & tam ad uerbum faciendum quàm ad oblationem consecrandam inuitentur.

34 Vt episcopus, in quolibet loco sedens, stare presbyterum non patiatur.

35 Vt episcopus in ecclesia, & in consessu presbyterorum, sublimior sedeat. Intra domum uerò, collegam se presbyterorum esse cognoscat.

36 Presbyteri, qui per diœceses ecclesias regunt, non à quibuslibet episcopis, sed à suis: nec per iuniorem clericum, sed omni anno aut per seipsos, aut per illum qui sacrarium tenet, ante Paschæ solennitatem chrisma petant.

37 Diaconus ita se presbyteri, ut episcopi, ministrum esse cognoscat.

38 Vt diaconus, præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget.

39 Diaconus quolibet loco, iubente presbytero, sedeat.

40 Vt diaconus in conuentu presbyterorum, interrogatus loquatur.

41 Vt diaconus tempore oblationis tantũ, uel lectionis, alba induatur.

42 Clericum inter tentationes officio suo incubantem, gradibus sublimandum.

43 Christianum catholicũ, qui pro catholica fide, & pro Ecclesiastica re, & Christiana religione tribulationes patitur, honore omni à sacerdotibus honorandum. Etiam et per diaconum ei uictus administretur.

44 Clericus nec comam nutriat, nec barbam.

45 Clericus professionem suam & in habitu, & in incessu probet: & ideo nec uestibus, nec calceamentis decorem quærat.

46 Clericus cum extraneis mulieribus non habitet.

47 Clericus per plateas & andronas, nisi certa & maxima officij sui necessitate, non ambulet.

48 Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis uel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.

49 Clericus, qui absq; corpusculi sui infirmitate uigilijs deest, stipendijs priuatus excommunicetur.

50 Clericum, inter tentationes ab officio suo declinantem, uel negligentius agentem, ab officio suo remouendum.

51 Clericus, quantumlibet uerbo Dei eruditus, artificio uictum quærat.

52 Clericus uictum et uestimentum sibi artificiolo uel agricultura, absq; officij sui dum taxat detrimento, præparet.

53 Omnes clerici, qui ad operandum uali-di sunt, & artificiola & literas discant.

54 Clericus inuidens fratrum profectibus, donec in uitio est, non promoueatur.

55 Vt episcopus accusatores fratrum excommunicet. Et si emendauerint uitium, recipiat eos ad communionem, non ad clerum.

56 Clericus qui adulationibus & prodi-tionibus uacare deprehenditur, ab officio degradetur.

57 Clericus maledicus, maximè in sacerdotibus, cogatur ad postulandũ ueniam. Si nolu erit,

luerit, degradetur, nec unquam ad officium absq; satisfactione reuocetur.

58 Clerici, qui frequenter litigat, & ad accusandum facilis est, testimoniū nemo absq; grandi examine recipiat.

59 Discordantes clericos, episcopus uel ratione, uel potestate ad concordiam trahat: inobedientes, synodus per audientiam damnet.

60 Clericum scurrilem, & uerbis turpibus ioculatorem, ab officio retrahendum.

61 Clericum, per creaturas iurantem, acerrimè obiurgandum. Si perstiterit in uitio, excommunicandum.

62 Clericum inter epulas cantantem, supradictæ sententiæ seueritate coercendum.

63 Clericum, qui tempore indicti ieiunij, absq; ineuitabili necessitate ieiunium rumpit, minorem habendum.

64 Qui Dominico die studiosè ieiunat, non credatur catholicus.

65 Paschæ solennitas uno die & tempore celebranda.

66 Clericus, qui episcopi circa se districtionem iniustam putat, recurrat ad Synodum.

67 Seditionarios nunquā ordinandos clericos, sicut nec usurarios, nec iniuriarum sarum ultores.

68 Ex pœnitentibus (quamuis sit bonus) clericus non ordinetur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur à clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens episcopus ordinauerit talem, etiam ipse ab episcopatus sui, ordinandi duntaxat, potestate priuetur.

69 Simili sententiæ subiacebit episcopus, si sciens ordinauerit clericum eum, qui uiduam aut repudiatam uxorem habuit, aut secundam.

70 Clericus hæreticorum aut schismaticorum tam conuiuia, quàm sodalitates, eiuitet æqualiter.

71 Quòd hæreticorum cœtus non Ecclesia, sed conciliabulum sit.

72 Cum hæreticis nec orandum, nec psallendum.

73 Qui communicauerit uel orauerit cum excommunicato, siue clericus, siue laicus, excommunicetur.

74 Vt sacerdos pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione, pœnitentiæ legis iniungat.

75 Vt negligentiores pœnitentes, tardius reconcilientur.

76 Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus, uenit, oppressus infirmitate obmutuerit, uel in phrenesim uersus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Si superuixerit, admoneatur à supradictis testibus, petitioni suæ satisfactum: & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probauerit.

77 Pœnitentes qui in infirmitate sunt, uiaticum accipiant.

78 Pœnitentes qui in infirmitate uiaticum eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint.

79 Pœnitentes qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, uel in mari mortui fuerint, ubi eis subueniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.

80 Omni tempore ieiunij, manus pœnitentibus à sacerdotibus imponatur.

81 Mortuos pœnitentes ecclesiæ afferant, & sepeliant.

82 Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.

83 Pauperes & senes Ecclesiæ, plus cæteris honorandi sunt.

84 Vt episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, & audire uerbum Dei, siue gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, usq; ad Missam catechumenorum.

85 Baptizandi, nomen suum dent: & diu sub abstinentia uini & carnium, ac manus impositione, crebra examinatione, baptismū percipiant.

86 Neophyti aliquandiu à lautioribus epulis & spectaculis, uel coniugibus abstineant.

87 Catholicus, qui causam suam, siue iustam, siue iniustam, ad iudicium alterius fidei iudicis prouocat, excommunicetur.

88 Qui die solenni, prætermisso solenni Ecclesiæ conuentu, ad spectacula uadit, excommunicetur.

89 Augurijs uel incantationibus seruientem, à conuentu Ecclesiæ separandum. Similiter & superstitionibus Iudaicis uel ferijs inhærentem.

90 Omni die exorcistæ energumenis manus imponant.

91 Pauimenta domorum Dei energumeni uerrant.

92 Energumenis in domo Dei assidentibus uictus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.

93 Oblationes dissidentium fratrum, ne-

que in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

94 Eorum qui pauperes opprimunt, dona à sacerdotibus refutanda.

95 Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesijs, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.

96 Quærendum in iudicio, cuius sit conuersationis & fidei, is qui accusat, & is qui accusatur.

97 Qui religiosis fœminis præponendus est, ab episcopo loci probetur.

98 Laicus, præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat.

99 Mulier, quamuis docta & sancta, uiros in conuentu docere non præsumat.

100 Mulier baptizare non præsumat.

101 Viduæ adolescentes, quæ corpore debiles sunt, sumptu Ecclesiæ, cuius uiduæ sunt, sustententur.

102 Ad reatum episcopi pertinet, uel presbyteri qui parochiæ præest, si sustentandæ uitæ præsentis causa, adolescentiores uiduę, uel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subijciantur.

103 Viduæ, quæ stipendio Ecclesiæ sustentantur, tam assiduæ in Dei opere esse debẽt, ut & meritis & orationibus suis Ecclesiam adiuuent.

104 Sicut bonum est castitatis præmium, ita & maiori obseruantia & præceptione custodiendum est, ut si quæ uiduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate, à uiro relictæ, se deuouerint Domino, & ueste laicali abiecta, sub testimonio episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea uerò ad nuptias seculares transierunt, secundum Apostolum, damnationẽ habebunt: quoniam fidem castitatis, quam Domino uouerunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sine Christianorum cõmunione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum Christianis communicent. Nam si adulteræ coniuges reatu sunt uiris suis obnoxiæ: quanto magis uiduæ, quæ religiositatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, si deuotionem, quam Deo sponte, non coactæ obtulerunt, libidinosa corruperint uoluptate, atq; ad secundas nuptias trãsitum fecerint? Quæ etsi uiolentia irruente, ab aliquo præreptæ fuerint, ac postea delectatione carnis atq; libidinis permanere in coniugio, raptori uel uiolento uiro consenserint, damnationi superius comprehensæ tenebuntur obnoxiæ. De talibus ait Apostolus: Quum luxuriatæ fuerint, nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Aurelius episcopus Carthaginensis Ecclesiæ subscripsi. Donatianus, Talabricensis primæ sedis subscripsi. Augustinus, Hipponæ Regiensis subscripsi. Similiter omnes episcopi subscripserunt.

SYNODVS TAVRINAtensis.

SVb Syricio, & tempore Ambrosij, hanc synodum ad postulationem sacerdotum prouinciarum Galliæ celebratam, liber Conciliorum indicat: & interfuisse episcopos Arelatenses & Viennenses. Constitutum autem primùm, ut Proculus Massiliẽsis episcopus primatum obtineat in prouincia sua, secunda scilicet Narbonensi, & ordinationes sua autoritate exerceat. Inter episcopum autẽ Arelatensem & Viennensem, primatũ is obtineat, qui ciuitatem suam totius prouinciæ esse metropolim comprobauerit.

Secundò: ut Octauius, Vrsio, Remigius & Trigerius, episcopi, amplius nõ usurpent potestatem ordinandi: ordinati autem ab eis, sacerdotij honore priuentur.

Tertiò: ut Palladius laicus, qui presbytero crimen intenderat, & à Trigerio episcopo mulctat⁹ fuerat, in mulcta ea maneat, donec relaxatio eius Trigerio placeat.

Quartò: Vt hoc in arbitrio sit Trigerij, Exuperantium presbyterum iniuriosum, & contumeliosum in episcopum suum, ad cõmunionem Dominicã, qua ab episcopo priuatus erat, admittere.

Quintò: Vt qui à Felice hæretico se separarint, ab Ecclesia suscipiantur, iuxta definitionem Ambrosij, & episcopi Romani.

Sextò: Vt clericum alienum iuxta statuta canonum nemo detineat, aut alio gradu in Ecclesia sua ornet. Abiectum uerò, in cõmunionem nemo recipiat.

Postremò: Vt contra edictum ordinati, uel qui in ministerio generarunt liberos, ad maiores ordinis gradus non admittantur.

DE SYNODO CAPVENSI.

MEminit breuissimè synodi cuiusdam Capuẽsis ętate sua Ambrosius, in qua iudicatum sit de Bonoso quodam episcopo: & decretum, ut eius causæ cognitioni, accusatoribusq; eius iudices tribuerentur finitimi, maximè uerò Macedones, cum episcopo Thessalonicensi. Libro 10 Epistolarum, epistola septuagesimanona.

CAPVT X.

De Episcoporum & Doctorum uitis.

DE ASIATICIS Doctoribus.

HIERO-

HIEROSOLYMITANI Doctores.

HERMON.

EVSEBIVS Hermonem uocat historię Ecclesiasticę lib.7.cap.ultimo: in Chronico uerò Thermonem: & Theodoretus lib.1. cap.3, Hermonem, episcopum Hierosolymitanum: postremum eorum episcoporũ, qui persecutionẽ Diocletiani præcesserũt, sicut etiã superiori Cẽturia dictũ est. Præfuit ei Ecclesiæ annis 39. Eusebius in Chronico, sub anno Christi 302.

CYRILLVS.

PResbyterum in Ecclesia Hierosolymitana Cyrillum ordinauerat Maximus episcopus. Quo mortuo, episcopalis ei successio cõtingit (quẽadmodũ Theodoretus ait lib. 2.cap.26.) legitima ratione à prouincialib. episcopis: sicut testatur Synodica epistola cõcilij Constantinopolitani, apud eundem lib. 5.cap.9. Quanquam ab hac narratione diuersum quid indicat Sozom. lib. 4. cap. 20: Maximo uidelicet à factione Acacij & Patrophili depositio, Cyrillo episcopatũ eum fuisse cõmissum. Variat etiã in Chronico suo Hieronymus, qui Cyrillo à Maximo presbytero ordinato, ab Acacio Cęsarienſi & cæteris Arianis episcopatũ Hierosolymitanum promissum fuisse indicat, ea lege, si ordinationẽ Maximi repudiasset. in quo obsecutus Acacio Cyrillus, cum diaconi loco & officio fungi cœpisset, factus postea episcop⁹, in presbyteri ordinẽ ob impietatẽ seu neglectæ dignitatis à Maximo sibi collatæ, seu quòd hæretico homini obsecut⁹ fuisset, detrusus sit. Quę ut obscura & pplexa, ostẽdere tãtũ uoluim⁹: explicare aũt, & cõciliare non instituimus.

Factus igitur episcopus Cyrillus, cõflauit sibi odium atq; inimicitias Acacij, propterea quòd cũ eo de iure metropolitano disceptaret. Quamobrẽ, & nõ rectè quasi de Deo senti ens, ab eo traductus est: Sozom. lib. 4. cap. 25. Epiphanius libri 3 tomo 1, hæresi 73, præter Acacij inimicitias, etiã Meletij, Vranij Tyrij, & Eutychij Eleutheropolitani episcopi odiũ, cum episcopus ordinatus fuisset, incurrisse eum tradidit. Theodor. uerò lib. 2. cap. 26, leui quadã occasione ab Acacio exautoratum Cyrillũ, & Hierosolymis expulsum scripsit. Quamobrẽ Trosum profectus Cyrillus, cum Syluano se cõiunxerit: qui reuerenter eum habuerit, docendiq; locũ in Ecclesia sua permiserit, nequicq̃ moratus Acacij de exauctoratione eius literas, maximè quòd uideret populum iucũdissimè frui Cyrilli doctrina.

Cum interea Synodus Seleuciæ coijsset, uenit eò & Cyrillus, ac cum Basilio, Cõstantio, Syluano, eorũq; socijs se cõiunxit. Quod Acacius nõ ferens, cùm cedere Cyrillus admonitus noluisset, Synodũ deseruit, & assũpto Eudoxio Cõstantinopolim abijt. Theodoretus ibidẽ. Vbi cùm Cõstantius ex Occidẽte reuersus tum ageret, eiusmodi apud eũ accusationẽ Cyrillo struxit Acacius: Quòd nimirũ uestem sacerdotalẽ preciosam, quam ei Ecclesiæ quondã Cõstantinus Imperator cõtulisset, histrioni cuidam uendidisset: qui eam indutus, inter cantandũ & saltandũ subitò interijsset. Theod. lib. 2. cap. 27. Hanc uerò uafriciẽ, ex hac natã fama Sozom. retulit: Quòd cum fames aliquãdo Hierosolymorum regionem afflixisset, Cyrillus uasa preciosa & ornamenta Ecclesiæ distraxerat, ex eaq; pecunia alimẽta egenis curauerat. Fortè aũt & uestem Ecclesiasticã, quam mercatori cuidã Cyrillus uendiderat, à mercatore mulier scenica redemerat: quam inter saltandũ is qui uestem eam Ecclesiæ cõtulerat, in muliere agnouit. Calũniosam igitur ex hoc facto actionẽ in Cyrillũ Acacius cõmentus, & accusauit eũ, ut dixim⁹, apud Imperatorẽ, & deposuit. Soz. lib. 4. cap. 26. Soc. lib. 2. cap. 42.

Sozomenus idem lib. 4. cap. 30, depositionem illam & exiliũ Cyrilli ab ecclesia Hierosolymitana, durasse scripsit à Cõstantij Imperio, quo Hierosolymis exactus est, usq; ad regnũ Theodosij. Quod & Hieronymus affert in Catalogo: nisi quòd ibidẽ & in Chronico addit, eum sæpius pulsum & receptũ fuisse. Sub Iuliano certè episcopatum Hierosolymitanũ tenuisse Cyrillũ, Ruff. lib. 1. cap. 37. & Socrat. lib. 3. cap. 20 testantur. Cum enim Iulianus Iudęis templũ Hierosolymis restruendi potestatẽ dedisset, & iam necessaria ad ædificationẽ parata essent omnia, nec quiq̃ restaret aliud, nisi ut fundamentis ueteribus disiectis, noua die postera iacerentur: Cyrillũ episcopum aiunt, memoré uaticinij Danielis, simul & Christi uaticinij, fore ut lapis in eo tẽplo super lapidem nõ maneret, prædixisse, Id Seruatoris oraculum adimplebitur. Statim igitur nocte insequenti, terræmotu ingẽti lapides fundamentales ueteris tẽpli structuræ diuulsos & disiectos esse. Attamen quomodo seu ante Iulianũ seu sub Iuliano restitutus fuerit Cyrillus, nec Ruffinus, nec Socrates, nec Sozomenus aut Theodoretus meminerunt. Sozomenus post Cyrillũ depositum, ecclesiã Hierosolymitanã accepisse Herenniũ scripsit: & post hunc Heracliũ, postremò Hilariũ, usq; ad Imperium Theodosij, quo Cyrillus ad sedem suam reuersus sit. Hieronymus, octo eum annis sub Theodosio principe episcopatũ suũ inconcussum tenuisse tradidit. nam & Synodo Cõstantinopolitanę, quæ sub Theodosio fuit, interfuit: & in abdicationem Maximi Cynici consensit: quẽadmodũ Theod. testatur lib. 5. cap. 8.

Hieron. κατηχήσεις ab eo in adoleſcẽtia cõſcriptas, ſuo tẽpore extitiſſe ſcripſit. Plura aũt eius fuiſſe ſcripta, quæ Cyrillia in Eccleſia dicta fuerũt, Nicephorus indicat lib. 9. cap. 46.

Theodoretus etiam, antequã deponeretur prõptiſsimũ eum defenſorem fuiſſe Apoſtolicorũ dogmatum ſcribit lib. 2. cap. 26. Sozomenus uerò etiam eos ſecutũ Cyrillum ait, qui filium patri homouſion dixerint: lib. 4. cap. 25. Et in diuerſis locis plurimùm cum Arianis conflictatum eum, Theodoretus retulit lib. 5. cap. 9. Diuerſum tamen de Cyrillo Ruffin. prodidit lib. 1. cap. 23: aliquando ſcilicet in fide, ſæpius uerò in confeſsione uariaſſe: & Macedonianum eum fuiſſe, ſed ante Synodum Conſtantinopolitanam hæreſi ei renunciaſſe, & homouſiõ amplexum fuiſſe, Socrat. lib. 5. cap. 8. & Sozom. lib. 7. cap. 7. diſertè indicarunt. In magna certè eum autoritate fuiſſe in ea Synodo, hiſtoria actorũ Synodicorum oſtendit: & in ipſa epiſtola Synodi reuerendiſsimus, Deiq; amantiſsimus appellatur. Theodoretus lib. 5. cap. 9.

MACARIVS.

Vceſsit Thermoni in epiſcopatu Hieroſolymitano Macarius, anno, ſecundũ Hieronymi indicationẽ, Chriſti 318: Imperij Cõſtantini 7: uir dignus beatitudine, à qua nomen habuit; ac multiplicibus uirtutibus ornatus, quemadmodũ Theodoretus ait lib. 1. cap. 3. Athanaſius eũ inter orthodoxos, qui extra ſuſpicionem ſana in doctrina fuerint, numerat oratione prima cõtra Arianos. Nuncupauit ei & orationẽ contra idola: & librũ de humanitate uerbi, in quo uerè eum Chriſti appellat amatorem. Celebratur inuẽtione miraculoſa crucis Saluatoris, cũ Helena Cõſtantini matre (quod ipſum tamen miraculũ ſuperſtitione nõ caret) à Ruffino lib. 1. cap. 8. Socrates lib. 1. cap. 17: Theodor. lib. 1. cap. 18. & Sozomenus lib. 2. cap. 1. De reliqua gubernatione eius nihil legitur.

Interfuit Synodo magnæ Nicææ, in qua ſocias operas coniunxit cum illis qui aduerſus Arianos pugnarunt: ut Theodoretus ait lib. 1. cap. decimoſexto. Fuit & in Synodo Sardicenſi, in qua cauſæ Athanaſij patrocinatus eſt, & Arianis cõtradixit: Theodoritus libro ſecũdo, capite octauo. Quin & Euſebium & Patrophilum Arianos ab eo excõmunicatos fuiſſe, Sozomenus ſcripſit lib. 2. cap. 20. Quod uerò cõtra idololatrias & ſuperſtitiones decertarit, ex epiſtola Conſtantini ad eum intelligi poteſt, apud Euſebiũ lib. 3. de uita Cõſtãtini: apud quẽ in magno fuiſſe pcio uidetur, ut & apud religioſam fœminã matrem ſuã Helenã. Familiaritatẽ præterea eius quandam cum Alexandro Alexandriæ epiſcopo fuiſſe, Epiphanius monet: qui Alexandrũ, poſt abdicatũ Arium, encyclicam ad eum epiſtolam ſcripſiſſe retulit lib. 2. tomo 2. hæreſi 69. Deinde & Ruffino: qui in proœmio librorum Origenis περὶ ἀρχῶν, eos libros hortatu Macarij latinos feciſſe ſe indicat. Meminit eius Hieronymus etiã in epiſtola quadã ad Ruffinum, in qua beatum eum uocat.

MAXIMVS.

Confeſſor fuerat Maximus ſub Maximino: à quo dextro orbatus oculo, & læuo inciſus ſeu poplite ſeu ſura, ut Ruffin⁹ & Sozomenus habent: ſeu dextro etiã brachio, ut Theodoretus, ad metalla cum Paphnutio dãnatus erat. Ruffinus lib. 1. cap. 17: Sozom. lib. 1. cap. 10: Theodoretus lib. 2. cap. 26. Præfecerat aũt eum poſtea epiſcopũ Dioſpolitanę Eccleſiæ Macarius. Sed cum non ita multo ante obitum Macarij Hieroſolymã ueniſſet, à populo retentus, ac cum iudicio & approbatione Macarij, epiſcopus poſt eum cõſtitutus eſt. Priuſquã aũt Macarius mortuus eſt, cõmuni ibi ſecũ gubernatione Eccleſię functus eſt. Aiunt Macariũ eo libentius id ita fecerì à populo pmiſiſſe, quòd & perſpecta ei eſſet Maximi ſana de Deo ſententia, & populo acceptus eſſet: & quòd metueret, ne mortuo ſe, niſi rectè de doctrina ſentiẽs aliquis Eccleſiæ relictus eſſet, Euſebius & Patrophil⁹ Arianí eam perturbarent. Succeſſor igitur Macarij datus eſt ſub Conſtantino: ſub quo, ut uidetur, Macarius deceſsit: & ſanè atq; incorruptè docuit, q̃ diu uixit. Lapſus ſemel in Athanaſij cauſa eſt per ſimplicitatem, quæ pierati ferè comes eſſe ſolet. In Synodo enim Tyri, cum aduerſarijs & accuſatoribus Athanaſij (quorum unum illud ac perpetuum fuit ſtudium, è medio ſcilicet auferre doctorem uerum, conſtantem ac fortem) cõfederat, nihil ſuſpicatus de factionis eius, quæ extinctum Athanaſium uoluit, improbitate: nec fortaſſis Athanaſij cauſam ſatis cognouerat. Id igitur cum Paphnutius, qui tum & ipſe in Synodo adfuit, conſpexiſſet, in mediũ conſeſsu adijſſe dicitur, ac ſic Maximum compellaſſe: Socius mecum es cõfeſsionis, ô Maxime, cuius commune mecum in corpore circũfers inſigne. Te igitur circumuentum, quantum uideo, hominum malorum fraude in hoc malignantium concilio ſedere, ac cum iniquè agentibus coniunctum non patiar. Itaq; manu apprehenſum cõtinuò Maximum ex eo conſeſſu abduxiſſe: ac poſteaquã de ſingulis quæ ad Athanaſij cauſam pertinent, eum recte admoniſſet, perpetua eum deinceps cõmunione Athanaſio adiunxiſſe. Ruffin. lib. 1. cap. 17: Sozomenus libro ſecundo, cap. uigeſimo. Nam & in Synodum poſtea Antiochenam, inſtitutã ab Euſebio, prætextu quidem dedicationis ædis cuiuſdã, quam diu Conſtantinus extruere cœperat, perfectæ, re ipſa autem ad euerſionẽ fidei homouſianæ, & de-

& depositionem Athanasij, non uenit: ueritus ne simplicitate sua iterum laberetur, & in iudicia peruersa abriperetur. Socrates lib. 2.cap.8: Sozomenus libro 3. cap.6. Propter quod etiam ante Synodum Seleucianam ab Acacio & Patrophilo depositus, & Ecclesia pulsus est. Socrates libro 2.cap.38: Sozomenus libro quarto, capite uigesimo. Quomodo uerò postea Ecclesiæ suæ restitutus sit, non legitur. Mortuus certè uidetur Hierosolymis, anno Christi 351: Constantij Imperatoris undecimo, secundum Hieronymi & Contracti chronica.

IOANNES, ANTIOCHVS.

EXtat in scripto Athanasij, de Synodis Arimini & Seleuciæ, epistola ad Ioannem & Antiochum presbyteros, ut uidetur, Hierosolymitanos, Athanasio familiares.

ANTIOCHENI DOctores.

TYRANVS.

EPiscopatum Antiochenum post Cyrillum suscepit Tyranus, anno trecentesimotertio: sub quo cœpit deuastatio Ecclesiarum in persecutione Diocletiani & Maximini. Eusebius libro 7.cap.32, & in Chronico: Theodoritus lib.1.cap.3.

VITALIS, SEV VITALIVS.

Icesimus est episcopus Antiochenus Vitalius constitutus, cum finem accepisset persecutio, anno Christi 331, secundum Hieronymi Chronicon. Commendatur hoc studio, quòd templum Christianorum, à tyrannis persecutoribus dirutum, restruxerit: ab Theodoreto lib.1.cap.3.

PHILOGONIVS.

ANtiochenus fuit episcopus Philogonius, ante Eustathium celebrem illum, qui Synodo Nicænę præfuit. Theodoritus breuiter indicauit, Philogonium eum in persecutione sub Licinio, feruorem pro pietate egregium declarasse: templi uerò Antiochiæ à tyrannis persecutorib. diruti, à Vitalio antecessore suo inchoatam ædificationem complesse. Mortuum aũt eum paulò ante Synodum, ex Theodoriti narratione apparet. Theodor. lib. 1. cap.3.&7. Athanasius eius scripta orthodoxa uocat, oratione prima cõtra Arianos. Nicephorus, ex causidico factũ eum episcopum, retulit lib. 8.cap.6.

EVSTATHIVS.

PAtria Eustathij Sida fuit, urbs Pãphiliæ, ut autor est Hieronymus in Catalogo suo. Fuit aũt primùm episcopus Berrhœæ Syriæ: à quo loco, iudicio patrũ in synodo magna Nicæna Antiochiã translatus, & in locũ episcopi Philogonij, cum eodẽ is tẽpore diem suũ obijsset, cõstitutus est, maximè inuitus ac repugnans. Sed & in electionẽ eius episcopi & sacerdotes Antiochię propinqui, quinetiam populus omnis cupidè cõsensit. Theod. lib. 1.cap.7: Sozom. lib.1.cap.2. Rectè aũt sensit de uniuersa doctrina, & articulũ de Christi diuinitate ad formulã Nicęnæ Synodi fideliter tum retinuit, tum propagauit, tum defendit. Ac fulserunt in episcopatu eius dona & uirtutes aliæ laudatissimæ multæ: quamobrem ab Athanasio in apologia de fuga sua, & in epistola ad solitariã uitã agentes, cõfessor & orthodoxus honorifico dicitur præconio: peius itẽ & religiosus, quiq; magno studio pro ueritate statuta, & Arianã hęresin, omnesq; eius patrocinatores odio pśecutus, auersatusq; sit. Quam ei laudẽ etiã alij reuerenter tribuerũt. Narrat Theodoritus lib.1. cap.7. eum in Synodo Nicæna (cui præfuit aut solus, aut cum Eusebio Cæsarienſi, quẽ præsidẽ eius cõuentus alij faciunt) Arianis acriter restitisse: cõmendasse Imperatoris, synodi totius nomine, uoluntatẽ & studiũ: ac in concione cõfutasse dextra interpretatiõe, fundamentũ Arianorũ, quod ex dicto Salomonis extruere conarentur, Dominus cõdidit me initio uiarũ suarum ad opera sua. Atq; id certamen pro ueritate cõtra hæreticos ibi semel cœptũ, per omnẽ deinceps uitam magnis & frequentib. suis cũ periculis, strenuè ursit: quod ante eum Antiochensiũ episcoporum, ut Hieronymus testatur, nullus fecerat. Odio enim Arianorum, post Synodũ Nicænam, Constantino adhuc uiuente, in conuentu quodã Arianorum & Eusebianorum, falsis partim de adulterio confictis accusationibus, partim delationib. æquè inuidiosis, quasi Sabellianismũ approbaret, condemnatus & depositus est: atq; exulatũ per Thraciam in Illyricã quandam urbẽ deportatus, quemadmodũ narrat Theodoritus lib. 1. cap. 20 & 21: Sozom. lib.2.cap.19, qui expulsionẽ Eustathij maximos motus secutos in populo Antiocheno tradidit. Et hoc loco, quãdo, aut per quem reuocatus sit, nõ legitur. Iterũ aũt relegatum eum sub Constantio, Athanasius scripsit in epistola ad solitariã uitam agẽtes, Arianorũ uiolentia: qui contumelioſum eum in matrem Imperatoris fuisse, falsò insimularunt. Sed ab eo exilio post Valentis obitum à Iouiniano reuocatus est: quo tempore Constantinopolim ad confirmandã Nicænam fidem uenit, priuatimq; uixit sub Valẽte. Socrat. lib.4.cap.14 & 15. Addit Sozom. lib.6.cap.13, docuisse eum Constantinopoli frequẽter in eo cœtu, qui Nicænæ fidei adiũctus esset: & admonuisse diligenter omnes, quos in fide secũ sentire nosset, ut in ea quã de Christi diuinitate sententia tenerẽt, perseuerarent. Sed rursus occasione electionis Euagrij, quẽ Homousiani episcopũ sibi præfecerant, & delationib. Arianorũ, à Valente Bizam Thraciæ ciuitatem exulatũ missus est.

Hieronymus Traianopolim Thraciæ à Valente relegatũ eum, ibiq; sepultum scripsit. Sed diuersum retulit Theodor⁹ Lector, Collectaneorum lib. 2: mortuũ scilicet eum esse in exilio Philippis Macedoniæ, unde sub Zenone Imperatore reliquiæ eius delatę, & magno honore exceptæ sint. Zonaras tomo 2. ecclesię eum Antiochenæ præfuisse scripsit, annis 18: cum contrà Socrates lib. 6. cap. 13. exiguo eum tẽpore Antiochenã rexisse tradat ecclesiã. & propter tam crebra exilia, quę sustinuit Eustathius, uerisimile id ꝑpemodũ fieri posit. Quãmuis reprehendẽs eũ, quòd Originis libros cũ Methodio, Apollinario & Theophilo uituparit, id etiã Socr. ꝑdiderit.

Scripsit de actis Nicænæ Synodi, ex quo opere quædã recitat Theodoret. lib. 1. cap. 7. & 8. De cæteris eius scriptis, quorum hodie alicubi nihil extat, Sozomenus cẽsuit lib. 2. cap. 19, prẽstare scilicet antiquitate dictionis, sensuũ sapientia, uerborum elegantia, & gratia Euangelica. Meminit & Hieronymus ad Magnũ oratorem, librorum Eustathij. Et in Catalogo ait, multa eum scripsisse aduersus Arianos: uolumina item alia de anima & engastrimytho, id est, Pythonico uel uentriloquo, aduersus Originẽ: cõtra quẽ pugnasse eum, etiã Socrates cũ reprehensione quadam retulit lib. 6. cap. 13. Meminit Theodoretus in dialogis suis, interpretationis psalmorum Eustathij: item libri de Anima, tomi aduersus Arianos inscriptionum τῆς γηλογραφίας, libri de descriptione graduũ, itẽ sermonum in dicta Scripturæ, ex quib. de Christi diuinitate & humanitate adducit testimonia. & illud ex sermone in dictum, Dominus creauit me initiũ uiarum suarum: Si generationis, inquit, principiũ cæpit Verbũ, ex quo per maternũ uterum traijciẽs, corporales tulit cõpages, constat quòd factus est ex mulie re. Sin aũt uerbũ & Deus erat apud patrẽ superiorib. retro seculis, & uniuersa per eum facta esse dicimus, nõ est ergo factus ex muliere is qui est, & genitis omnibus causa & autor est: sed est Deus natura sufficiens, infinitus, & qui nec mente comprehendi potest: ex muliere autem factus homo est, qui in uirginali utero sancto spiritu compactus est.

Eiusdem, ex interpretatione Psalmi 92.

Clarum est ergo, quòd si ungens demonstrat Deum, cuius sedem æternam dixit: manifestè quidem natura Deus ex Deo genitus est, qui unxit. Qui autem unctus est, acquisitam uirtutem accepit, egregio templi opificio ornatus ex habitante in eo diuinitate.

Eiusdem rursus, ex Oratione habita super eo, Dominus creauit me initium, &c.

Nõ enim dixit Paulus, cõformes filij Dei, sed, Cõformes imaginis filij ipsius: aliud qui dẽ ostẽdẽs filiũ esse, aliud uerò imaginẽ ipsi⁹. Filius enim diuina paternæ uirtutis indicia ferẽs, est imago patris. Nam etiã similes, qui ex similib. generãtur: & qui nascũtur, uerçap parent genitorũ imagines. Homo aũt quẽ gestauit, est imago filij, quoniã et ex dissimilib. fiunt colorib. imagines: & hæ quidẽ cõpositione manu fabricatæ, illæ uerò natura & similitudine factæ sunt. Hoc aũt uel maximè dicit ipsum ueritatis oraculũ. Nõ enim incorporeus sapiẽtię spiritus est corporalib. hominib. cõformis: sed qui per spiritũ corpore ꝑditum homo factus est character, is omnibus alijs fert membra numero æqualia, & similiunicuiq; forma ac specie indutus est.

Et in eadem Oratione.

Quòd aũt dicit, corpus esse humanis corporib. cõforme, nos docet apertius, scribens ad Philippenses: Nostra cõuersatio, inq;, in cœlis est, ex quib. etiã Seruatorẽ expectam⁹ Dominũ IESVM Christũ, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, ut sit ipsum conforme corpori gloriæ ipsius. Si aũt humile trãsformans corpus hominum, proprio corpore conforme constituit, inanis omnino demonstrata est aduersariorum calumnia.

Et in eadem Oratione.

Sed quemadmodũ ex uirgine nat⁹, ex muliere factus esse dicitur: ita etiã sub lege factus esse scribitur. Quoniã ꝑ legalia pcepta quandoq; incesit: quãdoquidẽ & ipsum, cũ esset infans 8 dierũ, parẽtes magno studio circũciderefestinauerũt, sicut tradit Lucas euãgelista. Postea aũt & in tẽplũ deduxerũt, ut ꝰsterẽt Domino purificatiõis oblationẽ pagẽtes, utdarẽt hostiã, ꝓut dictũ est in lege Domini, par turturũ, uel duos pullos columbarũ. Si ergo purificationis munera, ut lex uolebat, ꝓipso oblata sunt, & 8 die circumcisus est: deo nõ sine causa eum sub lege factũ esse fatebit. Neq; uerò uerbũ erat legi subiectũ, ut opinantur sycophantæ, cum ipse esset lex: nec Deus indigebat lustrãtib. & expiantib. sacrificijs, cũ ipse denso ac repentino motu omnia purificet ac sanctificet: sed etiã si ex uirgine humanũ instrumẽtũ susceptũ tulit, & sub lege fuit ꝓ primogenitorũ dignitate purgat⁹ & expiatus, nõ ipse egens horũ subministratione, has obseruationes cultusq; sustinuit: sed ut eos à legis seruitute redimeret, qui uenundati erant condemnationi maledicti.

Et in eadem Oratione.

Nemo tollit à me animam: potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus accipiẽdi ipsam. Si aũt utriusq; habet potestatẽ, utpote De⁹, eis quidem cõcessit templum soluere inconsideratè uolentibus: resurgens aũt, ipsum pulchrius & magnificẽtius reędificauit. Validissimis, & quibus contradici non potest, sententijs ostensum est, quòd ipse per se proprium templum resur-

resurgens refecit. Ascribenda sunt aũt etiam diuiniss. patri, quæ à filio magna & præclara gesta sunt. Neq; enim filius absq; patre fabricatur, ut sacræ scripturæ constanter & stabiliter pronunciant. Ea enim de causa aliquando quidem diuinissimus genitor scribitur Christum à mortuis suscitasse: aliquando uerò pollicetur filius, se proprium templum excitaturum. Si ergo ex ijs quæ antè examinata sunt, ostensum est, esse impatibilem diuinũ Christi spiritum: decretis Apostolicis frustra nituntur impij. Si enim dixit Paulus, Dominũ gloriæ esse crucifixũ, ad hominem apertè respiciens, non propterea oportebit diuinitati passionem tribuere. Cur ergo cõiungunt contexentes, ex imbecillitate, dicentes Christum esse crucifixum, &c.

Et in eadem Oratione.

Si autem uirginis uterũ ingressus, non minuit potestatem: nec corpore ligno crucis affixo spiritus polluitur. Corpus enim sublime cruci affigebatur: diuinus aũt sapientiæ spiritꝰ & intra corpus uersabatur, & cœlestibus insidebat, & omnem terrã cõtinebat, & abyssis imperabat, & singulorũ animas perscrutans discernebat, & omnia ut consueuerat, tanquam Deus faciebat. Non enim intra moles corporeas suprema sapientia inclusa continetur, quemadmodũ humidæ & siccæ materiæ intra uasa quidem includuntur, cõtinentur autem potius quàm repositoria cõtineant: sed quæ est quidem diuina & inexplicabilis potentia, & quæ intra & quę extra templũ sunt cõprehendens cõtinet, & illinc ulterius procedẽs, omnes simul moles ac magnitudines cõtinens, coercet ac moderatur.

Athanasius oratione prima cõtra Arianos, eum cum Philogonio antecessore suo cõiungit, cui familiarem eum fuisse non est dubiũ. Vtriusq; certè scripta uocat orthodoxa. Sozomenus libro tertio, capite undecimo, Hosio etiam cõfessori Cordubensi amicum fuisse scripsit.

GEORGIVS ARETHVSIANVS.

MEminit in epistola ad episcopos Antiochiæ post exactum Eustathium congregatos, Georgrij Arethusiani presbyteri Constantinus, eumq́; in fide probatissimũ uocat: & ab Alexandro Alexandriæ episcopo ordinatum dicit. Monet etiam, ut seu Georgius is, seu Euphronius Cæsariensis Cappadocũ presbyter, Eustathio successor detur. Eusebius lib. tertio de uita Constantini: Sozom. libro secundo, capite decimonono.

EVLALIVS, EVPHRONIVS, PLAcitus, *Leontius, Eudoxius.*

OMnes isti, post Eustathium, Antiochenę ecclesiæ gubernationi ab Arianis præfecti sunt: qui uideantur in Catalogo hæreticorum.

ADRIANVS.

PResbyter fuit ecclesię Antiochenę: quem orthodoxi in synodo Seleuciana, Eudoxio deposito, episcopum ordinarunt. Eum uerò postea Acaciani cõprehensum, Leonæ & Laurentio ducibus militum in synodum ab Imperatore missis, tradiderunt: à quibus aliquandiu in custodia militari asseruatus, tandem exilio damnatus est. Sozomenus libro quarto, capite uigesimosecundo.

ANIANVS.

ANtiochenus est Anianus, Arianus; Epiphanio lib. 3. tomo 1. hæresi 73.

MELETIVS.

MEletium dicũt Socrates & Sozomenus, quem Melitium appellat Theodoritus. Is primùm Sebastiæ Armeniorũ episcopus fuit, in Eustathij locũ ab Arianis cõstitutus. Quod ipsum criminis nomine ei postea obiectum est Antiochię, & causam separationis ab eo multis prębuit. Episcopatum Sebastię quàm diu obtinuerit, incertum est. Theodoritus eum inobedientia & improbitate auditorum motũ, inde discessisse, & in alio quodam loco priuatum uixisse, scripsit. Socrates uerò, ex Sebastia translatũ eum Berrhœam Syriæ affirmat: atq; ex ea ecclesia uenisse in synodũ Seleucianã, ibiq́; fidei Acacianorum subscripsisse. Propter quod haud scimus, an Hieronymus in Chronico suo, parum ubiq; æquus Meletio, Arianũ eum dixerit, & hostem Christi. Sub imperio deinde Constantij, Ariani rati secum facere Meletium, in Eudoxij locum Antiochiã eum, Imperatoris pace, transtulerũt. Id effectũ Hieronymus fuisse ait, per Acaciũ & Georgiũ episcopos Arianos. Eò cum uenit accersitus ab Imperatore, obuiã ei processum est summa tum reuerentia, tum apparatu ab omnibus, Græcis etiam ac Iudæis, ac quotquot cupidi essent Meletiũ uidendi. Fuerat aũt tum plurimorũ episcoporũ conuocata synodus Antiochiã. Volens igitur Imperator explorare, utrũ de dogmatibus inter episcopos conueniret, iussit aliquos explicare sententiã, Dominus condidit me initio uiarũ suarũ. Quam cùm in concione exposuisset primùm Georgius Laodicenus hæreticè maximè, ut Arianus; post eum uerò Acacius Cæsariensis, minus quidẽ blasphemè, nec tamen apostolicè: tandem & Meletius surgere iussus est, qui pręter omnẽ Arianorũ spem, dictũ illud ad amussim ueritatis rectè q̃ maximè ac dextrè, magna cũ acclamatione syncerè sentiẽtis partis, explicauit. Iussus uerò in eadẽ cõcione, in cõpendiũ quoddã cõtrahere, ac breuissimè eloq sentẽtiæ suę de doctrina summã, trib. erectis digitis, ac mox duob. in uolã reductis, erectũ unũ tenẽs: Tria, dixit, quæ intelliguntur, unũ autem quod cõpellamus. Sozom. eum disertè

pronunciasse ait, filium eiusdem esse cum patre substantiæ, adeò ut & archidiaconus accurrerit, & iniecta manu os dicentis obstruxerit: post quod, manu clarius quàm uoce sententiam suam significarit. Manum igitur & ipsam ab archidiacono repressam fuisse. Meletium uerò ex eo libertatem linguę consecutum, amplius ac manifestius magna uoce quid sentiret exposuisse, & Nicænæ synodi decretis adhærere auditores iussisse: ac publicè obtestatum esse, errare eos à ueritate, qui diuersum sentirent. Atq; hæc in synodo tum accidisse, Theodoretus & Sozomenus retulerunt. Ea uerò paulo aliter Socrates narrat: Meletium scilicet, cum episcopatum Antiochenum obtinuisset, de fide in concionibus nihil primùm disputasse, postea uerò Nicænam fidem & homousion publicè professum esse, ob quod in exilium deportari ab Imperatore iussus sit, Arianis urgentibus, qui Sabellianismi eum prius accusauerant, quemadmodũ Theodoritus indicat. Hieronymus hanc exilij Meletij causam fuisse, in Chronico ostendit: nulla tamen, quę quidem extaret, autoritate: quòd presbyteros, qui ab Eudoxio antecessore suo depositi prius fuerant, susscepisset. Addit & de subita fidei mutatione, quę cuiusmodi fuerit, ex alijs qui de Meletio scripserũt intelligi nõ potest: nisi fortè hoc exiliũ ei parasse sensit, quòd Arianismo repudiato, fidei Nicænæ accesserit.

Exilium illud ultra anni spaciũ, si Hieronymo credimus, non tulit. A' Iuliano enim reuocatus, Antiochiã redijt: ubi Ecclesiæ sedulò præfuisse in professione constanti orthodoxæ fidei, quomodocũq; etiã antea aut errori suo, aut multitudinis iudicio & præsenti rerum statu obsecutus sensserat, usq; ad Valentis imperiũ uidetur. Ac tum fortasis diaconũ ordinauit, sibiq; adiunxit, Basiliũ, qui postea Cæsarienſiũ Cappadociæ episcopus factus est: quo cũ magna sibi intercessisse familiaritatẽ, & Basilij cõmendationes, & epistolæ quas ad eũ scripsit, testimonio sunt. Admirandum certè uirum uocat Meletium, in libro de spiritu sancto. & in epistola quinquagesima ad Athanasium, pientissimũ eum nuncupat episcopũ. In epistola quinquagesimasexta, quam ad eum scribit, ut & quinquagesimaseptima, quinquagesimaoctaua, & quinquagesimanona, narrat se uehementer affici ac delectari literis quas ad se Meletius scribat.

Sub Iouiniano deinde, cõfessioni Acacianorum (quemadmodũ Socrates indicat lib. 3. cap. 25.) ad fidem Nicænã accedentiũ, posteaquã multa cum eo de fide Acaciani cõtulissent, subscripsit. Vt & hoc mirũ accidat, quòd in Chronico suo Hieronymus annotauit, Meletiũ sub Iouiniano, anno Christi trecentesimo sexagesimoseptimo, synodũ Antiochiæ cum suis habuisse, in qua homousio & homusio reiecto, medium inter ea, homœusion nimirum, quod dogma Macedonianiprofessi sint, uindicauerit.

A' Valente Imperatore, orthodoxæ fidei hoste infensissimo (sub quo, quàm diu ecclesiam Antiochenorum rexit, saluam eam ab Arianorũ peste retinuit, Imperatoris etiam ipsius conatus sæpe represit) in exiliũ rursus exactus est in Armeniã, quę ei patria fuit: quod ibi pluribus annis sustinuit. Reuocatus enim inde à Gratiano demũ est, cum Paulinus saniori parti episcopus præesset. Quine communi secum gubernatione, tametsi id maximè populus flagitaret, potiretur, turbas etiam moueret, ac seorsim Meletium episcopum ordinare conaretur, cum suis prohibuit: cuius iudicio, sicut erat concordiæ in ecclesia studiosus, nõ repugnãs, cessit. Quam reiecto Paulino ad eam tantummodo Ecclesię partem, quã sub se iam olim habuerat, episcopatum Antiochenũ postea solum obtinuisse eum, narratio ea quam de cõtentione Flauiani presbyteri cum Paulino & Apollinario Theodoretus exponit lib. 5. cap. 3 & 4, indicat: ubi et quos episcopos quibus ecclesijs præfecerit, commemorat.

Synodo interea episcoporum centum & quinquaginta à Theodosio, ad extirpandam in Orientali plaga Arij hæresim, & ordinationem episcopi Constantinopolitani, coacta Constantinopoli, eò missus est: ubi magnifica tus primũ à Theodosio, & reuerentia summa affectus est, somnij cuiusdam occasione: in quo paulo antè quàm eam conuocaret synodum, uisus sibi Imperator fuerat, uidere se Meletium paludamentũ sibi induere Imperatorium, capitiq; suo coronam imponere. Quo motus somnio, cum in synodum postea ingressurus esset, diligẽter cauit, ne quis Meletium sibi ostenderet: circumferre enim se in animo uultum eius, & staturam, ex somnij admonitione. Ingressus igitur synodum, Meletium primò agnouit aspectu, utq; patrem complexus est gaudens, & osculatus, somniumq; ei exposuit. Videtur autem somnij illud, nõ tam ad Meletij cognitionem Imperatori subseruijsse, quàm obitum Meletij prænunciasse. Durante enim ea adhuc synodo, posteaquam episcopatum Gregorij Nazianzeni suffragio suo confirmasset, nõ multo pòst morbo correptus, uita defunctus Constantinopoli est: omniumq; eruditorũ, qui tum ibi fuere, laudationes funebres consecutus est. Funus uerò eius ab amicis Antiochiam relatum est. Ruffinus lib. 1. cap. 24. Socrates libro secundo, capite quadragesimoquarto: & lib. tertio, cap. nono, & uigesimoquinto: libro quarto, cap. uigesimooctauo: libro

libro quinto, capite tertio, quarto & quinto: lib. sexto, capite tertio: & libro septimo, cap. tertio. Theodoritus libro secundo, capite uigesimoprimo: libro tertio, capite quarto: libro quarto, cap. decimotertio & uigesimoquinto: lib. quinto, cap. tertio, quinto, sexto, septimo, & octauo. Sozom. lib. quarto, cap. secundo, uigesimoquinto, uigesimosexto, et uigesimooctauo: & libro sexto, capite uigesimoprimo. Zonaras, Meletium annis uigintiquinq; episcopatum Antiochenũ tenuisse; autor est tomo secundo, de imperio Maximini. Tantum uerò eius in animis omniũ desiderium relictum fuisse, ut formam & effigiem eius in parietibus ac tabulis depingi, atq; in annulis exculpi curauerint, Nicephorus scripsit libro duodecimo, capite decimoquarto.

PAVLINVS.

EXplicari uix potest, quod in Chronico Hieronymus Paulinũ numerat episcopũ Antiochenum uigesimumsecundũ, post Philogoniũ: idem aũt postea de Paulino, à Lucifero Antiochiæ episcopo constituto sub Iuliano, rectè monet. Sed & Zonaras in fine tomi secundi, Paulinũ habet antecessorẽ Eustathij, atq; eum quidem quinquennio episcopari Antiocheno præfuisse indicat. Quin et Epiphanius Paulinũ cõiungit cum Vitalio, qui Hieronymo uigesimus est episcopus Antiochiæ, atq; utrumq; episcopũ Antiochiæ nominat. Quanquã id de Vitali presbytero Antiocheno, ordinato ab Apollinario, nõ de Vitalio episcopo intelligi possit. Qua nos perplexitate neglecta, quæ de Paulino hoc Socrates, Theodoritus & Sozomenus tradiderunt, exequemur.

Presbyter primùm fuit Paulinus celeberrimi illius Eustathij episcopi Antiocheni, quem in exilium Constantius expulit. Quo quidem expulso, Paulinus saniorem plebis partẽ quæ Eustathio antea adhæserat, & ab Ariano errore aliena fuit, doctrina quantum potuit rexit, & in fide syncera retinuit. Theodoretus libro tertio, capite quarto: Hieronymus in Catalogo.

Deinde cum sub Iuliano, qui in exilia dotores à Constantio expulsi erãt, reuocati essent, ac de idoneis remedijs perturbatis ecclesijs adhibendis, inter se Lucifer Sardiniæ & Eusebius Vercellarũ episcopus pacti fuissent, Paulinus à Lucifero, qui ad eam rem duos alios (ut Hieronymus ait) cõfessores acciuerat, episcopꝰ Antiochiæ ordinatus est, anno Domini (secundũ Hieronymi numerũ scilicet qui in doctrinę ac fidei negocio de Arianis dissidentes, separatos cõuentus frequentabant. At quàm fuerit hæc inconsulta & parum salutaris ordinatio, exitus declarauit. Præterquam enim quòd in urbe Antiochena Meletiani à Paulini cõmuniõe abhorrebant, etiã inter Luciferũ ipsum & Eusebiũ nata ingens & irreconciliabilis dissensio est, quòd Alexandria Eusebius Antiochiam reuersus, ex ordinatione Paulini ecclesiæ tristẽ separationẽ deprehendit: eamq; ordinationem, ut exitiosam multis modis, ut fuit quidẽ, nunquã probauit, nisi quod existimationi Luciferi cõsulens dissimulauit. Orta prẽterea ex ordinatione Paulini primùm iurgia & dissidia in ecclesia Antiochena, postea uerò cũ Flauianus episcopus lectus fuisset, aucta & cõfirmata, nulla ratiõe sopiri potuerunt: fatigatis super illis ipsis, ut Ruffinus ait, elementis terræ marisq;. duraruntq; p annos octogintaquinq;, usq; ad episcopatũ Alexãdri, cuius industria sublata dissidia sunt, & in unitatẽ semel aliquãdo Antiochẽsis ecclesia coijt: quemadmodũ suis locis alibi de utroq; dissidio retulimus. Eiusmodi tamen episcopatꝰ Paulini ratio ac status fuit, ut intra urbẽ in parua quadã ędę, occupatis ab Arianis cæteris templis ampliss imis, colligere ei suos liceret cœtus: Arianæ uerò religionis episcopi propter reuerentiã quã erga eũ, ut senio cõfectũ, & morib. alioqui mitẽ & cõmodũ habebãt, ei nihil molesti essent, neq; ejicere eum admodũ conarentur. Quin nec Valẽs ipse, hostis alioqui omniũ qui à sua religiõe alieni essent, & persecutor atrox, propter eximiam quæ in eo fulsit reuerentiam, pepercit. Socrat. libro 3. capite 6 & 9. & libro quarto, capite secundo: & libro quinto, capite quinto: Sozom. lib. sexto, capite septimo: & libro septimo, cap. tertio: Ruffinus lib. secundo, capite uigesimoprimo.

Cumq; ab exilio à Gratiano reuocatus tandem Meletius fuisset, Paulinus nihilominus gregis suæ pastor permansit: qui ideo Meletij communionem, quòd ab Arianis ordinatus esset, auersabantur. Tametsi etiã is suum postea locum apud suos reciperet, ecclesias ei tradente Sapore Gratiani prẽfecto, cum in societatem gubernationis Ecclesiasticæ, Meletio consentire noluisset: ut paulo pòst dicemus. Socrat. lib. 5. cap. 5. Sozom. lib. 7. cap. 3.

Hæreticorum cõmunione nunquã eum fuisse pollutũ, Hieronymus adfirmat: fertq; eandem de ipso sententiam Ruffinus, qui in catholicorum semper societate permansisse eum scripsit lib. 2. cap. 21. Et extat Paulini cõfessio orthodoxa, quam de eo Athanasius, ut manu ipsius scriptam, prodidit, apud Epiphanium libri tertij tomo secundo, hæresi septuagesimaseptima: quam hoc loco adscribimus.

Exemplar manus Paulini episcopi.

¶ Ego Paulinus episcopus sic sentio, quẽadmodum traditum accepi à patribus, esse & sub-

& ſubſiſtere patrem perfectum, & ſubſiſtere filium perfectum, & ſubſiſtere ſpiritum ſanctum perfectum. Quapropter etiam recipio præſcriptã interpretationem de tribus ſubſtantijs, & una eſſentia: itemq; eos qui ſic ſentiunt. Pium eſt enim, ſentire ac confiteri Trinitatẽ in una deitate. Et de incarnatione uerbi patris propter nos facta ſic ſentio, uelut præſcriptũ eſt: quòd, ſecundũ Ioannem, uerbũ caro factũ eſt. Non enim ſecundũ impientiſsimos, qui dicunt tranſmutationẽ ipſum paſſum eſſe: ſed q, propter nos homo factus eſt, & ex ſancta uirgine ac ſancto ſpiritu genitus. Neq; enim inanimatũ, neq; ſenſus expers, neq; mentis exors corpus habuit Saluator. Et in manu epiſcopi Athanaſij habetur: Nõ enim poſsibile erat, Domino pro nobis homine facto, mentis exors eſſe ipſius corpus. Vnde deteſtor eos, qui reprobãt fidẽ quã cõfeſsi ſunt patres in Nicæa, & qui non cõfitentur ex eſſentia aut coeſſentialẽ eſſe filiũ patri. Deteſtor item eos qui dicũt, ſpiritũ ſanctũ creaturã per filiũ factã. Inſuper autem deteſtor Sabellij & Photini, atq; omnem hæreſim, procedens ſecundum fidem in Nicæa editam, & ſecundum omnia præſcripta.

Fuiſſe autem huius ſcripti Paulini occaſionem Epiphanius eam ait, quòd à Vitalio Sabellianiſmi inſimulatº fuerat. Quod propemodum cum Theodoriti narratione lib. 5. cap. 3 cõuenit, qui eiuſmodi quiddã à Flauiano obiectum ſcripſit in hunc modum:

Tulerat legem Gratianus, à pietate Imperium ſuum auſpicatus, ut quicunq; Arianis infenſi, Damaſi Romani tum epiſcopi de fide rectè ſentientis cõmunione uterentur, ecclesijs ſuis reſtituerentur. eiusq; legis executionẽ mandauerat Saporæ duci. Qui Antiochiã ingreſſus, quo tempore inter Meletiũ, Paulinum & Apollinarem de præſulatu concertatio erat, legis autoritatem exequebatur hoc modo. Vocat ad ſe, quos diſsidere inter ſe manifeſtum erat, Paulinum ſcilicet, Apollinarem & Meletium, atq; utrum cum Damaſo faciant percontatur. Affirmat ibi ilico Paulinus, equidem ſe partium eſſe Damaſi. affirmat idipſum & Apollinaris: tacente interea Meletio, neq; ſeſe eorum contentionibus implicante. Accerſitus erat & Flauianus presbyter, ſapiens & acutus homo. qui ad Paulinum mox conuerſus, Duce audiente: Si, inquit, ô Pauline Damaſi communitate gaudes, proba nobis, quo pacto in doctrina ſecum conſentias. Quod te non facere, res indicat. Ille enim in cõfeſsione unius eſſentiæ tres ſubſtantias de Trinitate manifeſtè prædicat: at tu contrà ſubſtantiarum tollis trinitatẽ. Doce nos ergo dogmatis tui cum Damaſo cõſenſum: & eccleſias, quemadmodum lex iubet, poſside. Poſtquã uerò libertate ſimili Apollinaris etiã impudentẽ ſimulationẽ, qui manifeſta à Damaſi confeſsione, hæreſi, de nõ ſuſcepta à Chriſto rationali anima, diſsidebat, redarguiſſet Meletius, ut erat mitis, blandè placideq; appellato Paulino, Quoniã me quoq; (inquit) gregis huius Dominus cuſtodiæ præfecit ouium, & tibi aliæ ſunt cõmiſſæ, cum ſit inter pecudes pietatis cõmunitas, cõiungamus amicè caulas, & ſoluamus cõtentionem magiſterij, ac cõmuniter paſcamus oues. Quod ſi prior ego ex hac uita diſceſſero, præſis tu poſtea ſolus: ſin tu prior defunctus fueris, erit mihi curę hæc ecclesia. Sed his Meletij uerbis, ut erant placida atq; æqua, Paulinus tamen nihil mouebatur: ſed plebis partem ſuam, cui antea prę fuerat, retinuit: reliquas uerò eccleſias dux Meletio commendauit.

Quòd aũt Orientalibus epiſcopis inuiſus fuerit, in cauſa fuiſſe uidetur, quòd ab Arianiſmo alienus fuit. Certè quòd amicitiã cum Euſtathio & Paulino Oſius coluiſſet, ob eã rem ab illis in ſeparata ſynodo, cum Sardicenſis cõuentus celebraretur, depoſitus eſt. Sozomenus libro tertio, capite undecimo.

Affectauit pręſulatum Antiochenũ Paulinus, cum Meletius deceſsiſſet: ſed obtinere non potuit, propterea quòd iniquũ epiſcopi ducerent, dari ſucceſſorẽ Meletio eum, qui cõſilijs eius nunquã paruiſſet. Ipſe uerò moriturus ſucceſſorẽ legit Euagriũ, quem ſolus prætermiſsis multis canonib. ſacerdotẽ creauerat. Quæ & ipſa res, quòd ſcilicet Euagrio repudiato, epiſcopatũ Flauianus obtineret, occaſio fuit diſsidij atrociſsimi per annos xo dentales. adeò, quemadmodum uita Paulini contentionum ac diſſenſionum fuit ſeminarium, ita & mors eius eccleſijs perturbationes & moleſtias attulit. Theodor. li. 5. ca. 23.

MAXIMVS. CALEMERVS.

PAulini Antiocheni presbyteri creduntur Maximus & Calemerus, quos ſic coniungit Athanaſius: & à Paulino miſſos ſcribit fuiſſe ad conuentum Alexandrinum, in quo Nicæna fides confirmata eſt. Athanaſius tomo duodecimo, ad Antiochenſes.

PHILVMENVS.

PHilumenum Antiochenũ quendam ad tempus epiſcopum, conſtitutum à Cyrillo Hieroſolymitano, Epiphanius habet libri tertij tomo primo, hæreſi ſeptuageſimaſecunda.

IOANNES ANTIOCHENVS.

PVbliæ, illius nobiliſsimæ fœminæ quæ cum cœtu uirginũ, cui ipſa præſidebat, in Iulianũ Imperatorẽ uerſus ex Pſalmis, idolo latriã & tyrannidẽ eius exagitantes occinebat, filius fuit Ioannes, primarius presbyterorũ Antiochię: qui ſæpius ſolicitatus ut epiſcopatum

scopatum susciperet, perpetuò negligens eius dignitatis, recusauit. Theodoretus libro tertio, capite decimonono.

ATHANASIVS ANCYRANVS.

HAbet hoc nominis subscriptio libelli Synodi Antiochenæ, missi ab episcopis Nicenam fidem confirmantibus ad Iouinianũ, cuius exemplum recitat Socrates libro tertio, capite uigesimoquinto. Habuit patrem eiusdem nominis, Athanasium uidelicet, ad quem extat epistola Basilij 54. Ad Ancyranum uerò Athanasium extat epistola apud eundem 53. Alia rursus epistola ad ecclesiam Ancyranam, consolatoria super obitu Athanasij, in qua columnam eum appellat & stabilimentum Ecclesiæ: epist. 67.

AETIVS.

EAdem subscriptio etiam Aetij nomen ostendit, & presbyterum fuisse Athanasij Ancyrani indicat: apud eundem ibidem.

DIODORVS.

DIodorũ nobili ortũ fuisse genere, Theodoretus scripsit lib. 4. cap. 25. Et claruisse temporibus Iuliani & Valentis, Suidas indicat. Primùm autem monasticen magna celebritate exercuit, ac cum Carterio quodã monasterijs præfuit: Socrate autore lib. 6. cap. 3. & Sozomeno lib. 8. cap. 2. Deinde sub persecutione Valentis, monastica professione relicta, Antiochiam uenit, ibiq; cum Flauiano cõiunctus, cum in remotissimos exulandi locos Meletius eius ecclesię episcopus expulsus fuisset, laudatissimam Ecclesię curam egit, et in grauissima fluctuatione nauigium eius, ut Theodoretus ait, seruauit indemersum. Præijt enim omnibus sapientia & fortitudine, & ad pietatis feruorem & constantiam sedulò incitauit singulos, nihil moratus minas & indignationem Valentis, à quo expulsus cum Flauiano, ab uno, in quo cœtus Ecclesiasticos coëgit, loco, in alium secessit: atq; hostibus fortiter restitit, domi forisque. Ait autem Theodoret. li. 2. cap. 24. neutrum ipsorum sacerdotis tum dignitate inauguratum fuisse. Et libro quarto, capite uigesimoquinto, ait, Diodorum in Ecclesiasticis cœtibus nunquam concionari consueuisse: sed id egisse solum, ut concionantes instrueret, illisq; uim rationum & sententiarum scripturæ suppeditaret, ac Psalmodias instituerent, & ad martyrũ monumenta cum cæteris congregatis hymnos caneret. Theodoritus lib. secundo, cap. uigesimoquarto. tametsi Hieronymus presbyterum eum fuisse ecclesiæ Antiochenæ scripserit. Præter Flauianum autem, etiam Aphraaten in custodiendo Domini grege socium habuit: qui & ipse monastice relicta, quassatæ & fluctuanti Ecclesiæ suppetias uenerat. Theodoritus lib. quarto, capite uigesimoquinto et uigesimoseptimo.

Cum autẽ Valente mortuo tranquillitati suę Ecclesia esset restituta, & Meletius Antiochiam redijsset, Diodorus ab eo ecclesiæ Tarsensi Ciliciæ episcopus præfectus est, & gubernator adeò omnium Ciliciæ ac Pisidiarũ ecclesijs. Theodoritus libro quinto, capite quarto & octauo. Nec quicquam ferè aliud de gubernatione aut curriculo suo alicubi extat, nisi quòd Socrates et Sozomenus retulerunt, eum simplici ratione interpretandi scripturas, allegorijs neglectis, studiosum fuisse. Socrates lib. 6. cap. 3. Sozom. lib. 8. capite 2. Hieronymus in expositione dicti Apostoli, ad Minerium & Alexandrũ, Non omnes quidẽ dormiemus, uerùm omnes immutabimur, hanc eius retulit interpretationem: Diodorus, inquit, Tarsensis episcopus præterito hoc capitulo, in consequentibus breuiter annotauit, in eo quod scriptum est, Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur: Si, inquit, incorrupti resurgent mortui, haud dubium quin & ipsi ad meliora mutati, quid necesse fuit dicere, Et nos immutabimur? An hoc uoluit intelligi, quòd incorruptio communis sit omnium, immutatio autem propriè iustorum? Dum non solum incorruptionẽ & immortalitatem, sed & gloriam consequuntur. Interfuisse eum etiam magnæ illi synodo Constantinopoli, ex centum quinquaginta episcopis à Theodosio congregatæ, Socrates idem indicauit libro quinto, capite octauo. Et Theodoritus (qui eum admiratione dignum hominem, et feruore sapientiaq; diuina plenum uocat) libro quinto, capite octauo ait, eum in ea Synodo contra Maximum Cynicum pugnasse, ac concedere noluisse, ut episcopatum Constantinopolitanum obtineret, Nazianzeno repudiato. Commentariorum autem multos post se hunc Diodorũ reliquisse, Socrates & Sozomenus locis iam annotatis retulerunt: quorum tamen nullum indicarunt. Volaterranus libro decimoquinto ex historia Theodori refert, eum tanta scripsisse, quanta suo tempore nemo, de quibus in Catalogo suo Hieronymus hęc tradidit: Extant, inquit, eius in Apostolum commentarij, & multa alia, ad Eusebij magis Emiseni characterem pertinentia: cuius cum sensum secutus sit, eloquentiam imitari non potuit, propter ignorantiam secularium literarum. Suidas hunc prolixum scriptorum eius catalogũ ex Theodori historia hoc modo texuit: Scripsit, inquit, uaria. sunt autem hæc: Enarrationes in uetus testamentum, totam Genesin, Exodum, ac reliquos Mosæ libros, in Psalmos, in quatuor libros Regũ, in Paralipomena, in Prouerbia, Quid sit discriminis inter Theoriam & Allegoriam,

riam, in Ecclesiasten, in Canticum Canticorum. in prophetas Chronicon, corrigens errorem Eusebij Pamphili de temporibus: in Euangelia, in acta Apostolorũ, in Epistolam Ioannis euangelistæ: de illo, Quòd sit unus Deus in Trinitate: cõtra Melchisedecianos, contra Iudæos, de mortuorum resurrectione: de anima, secundum uarias eius electiones: item capita ad Gratianum contra astronomos, astrologos & fatum: de Sphæra & quinq; zonis, & de contrarijs siderum effectibus: de sphæra Hipparchi, de prouidentia contra Platonem, de Deo & dijs, de natura & materia, de Deo & materia græca errante: Quòd inuisibiles naturæ non ex elementis, sed ex nulla re cum elementis creatę sint: Ad Euphronium philosophum, per interrogationem & responsionem: contra Aristotelem de corpore cœlesti: Quomodo sol sit calidus: contra illos qui dicunt cœlum esse animal. item, de eo quòd Creator semper existat, creaturæ uerò non semper: Quomodo uelle & non uelle sit in Deo æterno, contra Porphyrium: item de animalibus & uictimis. Liberatus deniq; archidiaconus Carthaginensis, in breuiario suo, quod in secundo tomo Conciliorum habetur, ait: Diodorum hunc Tarsensem edidisse libros contra Eunomium & Apollinarem, de duabus naturis, in una eademq; Christi natura.

FABIANVS.

TRibuit Fabiani nomẽ presbytero cuidã Antiocheno Sozomenus libro sexto, capite nono, quem & episcopũ postea factum indicat: cuius offensa motus in hęresin Apollinarius incidit. Sed de Flauiano intelligi forte hæc possint: maximè cum & de Flauiano interdum loquens Sozomenus, Fabianum nominet. ut libro septimo, capite tertio.

THEODOTVS.

THeodotus Antiochiæ fuit, familiaris Flauiano, ac constans unà cum eo orthodoxæ fidei propagator & defensor, per multa aduersus hæreticos certamina. Qui ab Eusebio Samosateno Hierapolensiũ tandem ecclesiæ episcopus est missus. Theodoretus libro quinto, capite quarto.

VITALIS, SEV VITALIVS Alius, *ut uidetur.*

VItalis presbyter fuit Antiochenus, sub factione Meletij, uir plurimis egregijs ornatus uirtutibus, maximè uerò doctrinæ integritate, si in ea perstitisset, & morum perfectione. Nato Antiochię inter Paulinũ & Apollinarem schismate, ab Apollinare episcopus creatus est is Vitalius: ad quẽ postea tristi cum naufragio famæ & salutis suæ turpiter defecit. Epiphanius pientissimũ eum uocat uirum, uita & conuersatione, insigni eruditione præditum, eloquentia & dicendi artibus, dialectica & sophistica instructum, doctum etiam græcè: in doctrina deniq; & uita adeò integrum, ut inter orthodoxos semper primo ordine collocatus fuerit. Qui & exilium passus sit, eo quòd cum Arianis cõiungere se noluerit. Fuisse aũt dissidiũ ei cũ Paulino indicat, à quo separatos conuentus celebrarit: q, in doctrina de Christo examinatus in synodo quadã, ut uidetur, Antiochiæ, cui se interfuisse Epiphanius affirmat, rectè sentire per omnia deprehẽsus sit, hoc solo excepto quòd mentẽ accepisse Christũ negarit, & pro mente deitatẽ in Christo intellexerit. Plura de eodẽ in catalogo Hæreticorũ dicentur infrà. Epiphanius lib. 3. tomo 2. hęres. 77.

EVAGRIVS.

PResbyter Antiochenꝰ fuit Euagrius, Flauiani socius. Quem, mortuo Paulino episcopo, populus Antiochenus successorem, Flauiano repudiato, Paulini constituit. Socrates libro quinto, capite decimoquinto. Theodoretus contra leges Ecclesiasticas ad id dignitatis euectum Euagriũ scripsit, ideo quòd à Paulino solo, non adhibitis secundũ canonem pluribus episcopis, creatus fuerit. Theodoretus libro quinto, capite uigesimo tertio. Ait autem Socrates, eum breui admodum tempore episcopatu functum, mortuũ esse. Meminit eius in Catalogo Hieronymꝰ, & episcopum Antiochenum uocat, qui acri & feruenti ingenio, in presbyterio, diuersarum hyotheseon tractatus scripserit, Hieronymoque legerit, sed non ediderit. Vitam quoq; Antonij monachi, græcè ab Athanasio conscriptam, in Latinum transtulerit.

FLAVIANVS.

PErmulta quæ ad Flauiani huius historiã pertinent, ex superiori de Dioscoro narratione peti possunt. Antiochenus fuit, ex patricia familia ortus, sed generis nobilitati pietatem longè prætulit. Propugnatorem enim sub Constantio fuit dogmatũ fortissimus: et sub Leontio Ariano, qui episcopatũ Antiochenũ inuaserat, puriori ecclesiæ Antiochiæ cum Diodoro adiumenti plurimũ tulit, secum dulò eam aduersus Leontij lupi insidias muniens, cum nondũ quidẽ sacerdotij munus consecutus esset. Theodoret. lib. 2. cap. 24. Videtur autem presbyteri munere functus esse in ecclesia Antiochena usq; ad Theodosij tempora, sub quo episcopatũ eiusdem ecclesię adeptus est: uerùm magno cum periculo, quemadmodum ordine indicabimus.

Pulsus in exiliũ à Valente fuerat celeberrimus Antiochenorũ episcopus Meletius, ab Arianis quondã ordinatus. Quem cum Gratianus reuocasset, interea fortè Antiocheno rũ populꝰ Paulinũ, qui propter excellentẽ reuerentiã in exiliũ missus nõ fuerat, episcopũ sibi præfecerat. Cũ igitur Antiochiã Meletius

tius redijsset, plebis pars quæ Meletio prius adhæserat, socium eum in episcopatu Paulino adhibere conabatur. Sed id permittere Paulinus nolebat, affirmans, præter esse canonem Ecclesiasticum, in societatem Ecclesiasticæ administrationis recipere episcopũ ab Arianis ordinatum. Ex qua re populi diuisio, & motus nõ leues orti sunt, cum populi pars Meletiũ tamẽ in separato quodam ante urbem loco episcopum ordinassent. Sic in ambiguo rebus cõstitutis, sex alij episcopatũ eum simul ambierunt: inter quos & Flauianus fuit. Consultantibus igitur Antiochenis de populi concordia, hæc ad eã facere uia uisa est, si scilicet cõpetitores iureiurãdo adstringerentur, ne quis eorum, superstite seu Paulino seu Meletio', episcopatum eum affectaret, sed alteri, utercunq; superuixisset, relinqueret. Datum iusiurandũ illud à competitoribus, & ad consensum populus Antiochenus reductus est. Socrates libro quinto, capite quinto. Mortuo autem Meletio sub Theodosio, Antiochenus populus Paulinũ auersatus, Flauianum, ut qui multis laboribus iam olim Ecclesiæ profuisset, & pro ouiũ incolumitate periculum nullum adire recusasset, episcopatu eo dignum iudicat: & Ecclesiæ ducem, autoribus Diodoro Tarsensi & Acacio Berrhœensi episcopis cõstituit, totius sacerdotum cœtus consensu, approbante uno eam electionẽ ore synodo tota etiam Constantinopolitana. Theodoretus lib. 5, capite nono. Sed hinc & triste & diuturnũ dissidiũ natũ est. primùm enim plurimi à Flauiano se separarunt, ac sub Paulino seorsim Ecclesiasticos cœtus coëgerunt. Rursus aũt Meletiani sub Paulino esse noluerunt. Ac mouit præstitum à Flauiano iuramentum, quod diximus, ut Aegyptij, inter quos Theophilus etiã Alexandrinus episcopus, Arabes & Cyprij, Flauiano succenserent, quòd Paulino prælatus fuisset: qui & in synodo Constantinopolitana amouendum eum episcopatu se contenderunt, quantumuis Syri, Palæstini, Phœnices, Armenij, Cappadoces, Galatæ, ac multi ex Ecclesijs Põticis, Flauiani partes tutarentur. Alieni tũ, propter hanc ipsam causam, à Flauiano Romani etiam erant episcopi, Damasus, Syricius & Anastasius: qui sæpius atq; importunè quidem Imperatorẽ interpellarunt, ut de Flauiano, qui contra leges Ecclesiasticas episcopatum inuasisset, pœnas sumeret. Accersitus igitur ab Imperatore Cõstantinopolim Flauianꝰ, uenit, causamq; suam dixit magna cum libertate. Verba ipsius ex Theodoreti narratione describimus: Si qui, Imperator, fidem meã (inquit) culpant tanquam peruersam, siue aiunt ponti ficatu indignam uitam meam, ipsis utar accusatoribus meis iudicibus, & stabo sententię illorum, quamcunq; tulerint: sin discepta tio est de solio & præsidentia, neque ego iudicium moror, neque cum uolentibus usurpare dimicabo, sed recedam, meq; præsulatu abdicabo. Quare tu, Imperator, soliũ Antiochiæ committe cuicunq; libuerit. Hanc eius fortitudinem Imperator tum admiratus, in patriam redire eum, atque officio suo fungi iussit. Rursus pòst etiam accusant Romani: sed patrocinatur Flauiano Imperator, nec prius quiescit, quàm ad consensum & concordiam cum eo episcopos Romanos perducat. Quod & factum est, cum de consilio Imperatoris legationem episcoporum quorundam, presbyterorum & diaconorum, quorũ præcipuus fuit Acacius Berrhœæ, ad Romanos misisset: per Theophilum etiam Alexandrinum, quem offensum sibi, priorem placauerat, Damasum reconciliasset: qui noxę Flauiani condonationem, ad concordiam facere rati, communionẽ, depositis offensis omnibus, Flauiano reddiderunt, posteaquã inimicitiæ annis decem & septem durassent. Socrates lib. 5, capite decimoquinto: Theodoretus lib. 5, cap. uigesimotertio: Sozomenus libro septimo, capite undecimo, & uigesimo tertio. Sic non initia solum, uerùm etiã maxima pars temporis episcopatus Flauiani certaminibus, odijs & periculis plena fuit. Cũ Diodoro aũt & Aphraate, quos cõiunctissimos habuit, Arianis olim fortiter restiterat. Theodorit. lib. 4, cap. 25, 27. Sub Valentis etiam imperio Messalianos, qui Edessæ constiterant, Antiochiam uocatos, impietate eorum deprehensa, Syria tota expulit. Theodoretus libro quarto, capite undecimo. Sub Leontio Ariano, quem diximus, psalmodias alternas quondam cum Diodoro instituerat, & congregationes ad martyrum monumenta. Theodoretus lib. 2, cap. uigesimoquarto.

Dogmatica quædã eius de Christo, & duabus in eo naturis, Theodoretus, q & libros nonnullos eius nominat, in Dialogis suis recitat, quæ adscribimus: Audite Flauianũ, inquit, qui Antiochenæ ecclesiæ clauũ longissimo tẽpore sapienter tenuit, & Arianicis fluctibus potentiores quas rexit ecclesias effecit, Euangelicum dictum interpretantẽ: Verbũ, inquit, caro factũ est, & habitauit in nobis, nõ in carnẽ mutatũ est, atq; Deus esse destitit: sed illud quidẽ fuit in æternũ. hoc autẽ factum est ex diuino cõsilio, & ex quadã dispensatione, cũ ipse suũ templum ædificasset, & passione & generatione in eo habitauit. Dialogo primo Polymorph.

Idem in Dialogo secundo Inconfusi.

Sancti Flauiani episcopi Antiocheni ex Euangelio secundũ Lucã: In omnibus nobis Dominus describit pietatis characterem, & uariæ nostræ naturæ ostendit uias salutis,

multasq; & euidentes præbet nobis demonstrationes corporalis sui aduentus, & diuinitatis quæ per corpus operatur. De utrisque enim suis uoluit naturis fidem facere, easq; comprobare.

Eiusdem in Theophania:

Quis uerè loquetur potentias Domini, aut ditas faciet omnes laudationes eius? Quis illius in nos beneficij magnitudinem uerbis expresserit? Humana natura diuinitati coniungitur, utraq; natura in se manente.

Idem in Dialogo tertio Impatibil.

Sancti Flauiani episcopi Antiocheni in Dominica Paschæ: propterea etiam crux nobis liberè prædicatur, & mortem Domini confitemur, nihil præbente diuinitate (est enim diuinitas impatibilis) sed corpore œconomiam implente.

Eiusdem de Iuda proditore:

Quare, quando Dominum traditũ audiueris, ne diuinã autoritatem ad humilitatẽ & abiectionem detraxeris, neq; corporales affectiones diuinæ potestati adscripseris. Quod enim est diuinum, est impatibile, & ab omni mutatiõe uersioneq; remotũ. Etsi enim propter humanitatẽ, suã tamẽ naturã nõ mutauit: sed cũ esset id quod erat, cõcessit diuinitas, ut corpus mortis periculum faceret.

Idem rursus in Dialogo primo Immutabil.

Sancti Flauiani episcopi Antiocheni, ex sermone de Ioanne baptista: Ne corporalem ergo coniunctionem intellige, nec coniugalem consuetudinem accipe. Tuus enim creator & opifex, corporum suum templũ, quod ex te nascitur, fabricatur.

Eiusdem ex oratione habita super eum locum, Spiritus Domini super me.

Audite dicentem: Spiritus super me, qua de causa unxit me. Nescitis, inquit, quæ legitis. Venio enim ad uos unctus spiritu. Vngitur aũt spiritu, nõ natura, quę sub aspectũ nõ cadit: sed id quod est eiusdem nobiscũ generis. Mortuus ipse sub Arcadio est: quo tempore Ioannes Constantinopolitanus depositus episcopatu fuit, cui depositioni consenti re ipse noluerit. Socrates libro septimo, cap. nono: Sozom. lib. 8, cap. uigesimoquarto.

THEODORICVS.

ANtiochenus presbyter est Theodoricus, durissimo perfunctus martyrio, sub Iuliano. Bergomensis libro nono.

RELIQVI DOCTORES Ecclesiæ passim in Asia.

EVSEBIVS CAESARIENSIS.

CVm multę de eruditione, sedulitate & scriptis apud authores passim, Hieronymũ uerò maximè, Eusebij Cæsarienſis extent indicationes: de parẽtibus tamẽ ipsius, pueritiæ atq; adolescentiæ studijs, nihil fere apud quenquã reperies. Vnus Nicephorus, narrator non satis probatus, seu fratrem Pamphili illius martyris clarissimi Cæsarienſis, seu ex sorore nepotem fuisse prodidit, libro septimo, capite decimosexto. Eo fortasis, ut uidetur, adductus, quòd Pamphili sibi nomen Eusebius fecit: quasi uerò animis consentientibus ac firmis, & perpetuis amicitijs, non magis quàm cognationum uinculis usitatæ essent nominum communiationes, de qua re postea dicemus. Hieronymus interdum laudator eius, nonnunquam uituperator, Pamphili socium fuisse scripsit in Catalogo suo: diligentissimum inconstruenda Bibliotheca Cæsarienſi, & inquirendis libris. Quo tempore autem, aut qua occasione ad episcopatum Cæsariensem peruenerit, non explicat. Sozomenus libro secundo, capite uigesimonono, narrat eum à synodo quadam Antiochiæ, (quæ Eusebium, rectè alioqui de dogmatibus synodi Nicænę, ac tota religione sentientem, odio atq; inuidia episcopatu Antiocheno priuauerat) ad eandem administrationẽ uocatum fuisse: sed quam modestè Eusebius recusarit, cum turbas plebis ex abdicatione Eustathij nõ mediocres exortas animaduertisset. Extant de utraq; re, & dissensione scilicet plebis Antiochenæ, nata post Eustathij depositionem, & modestæ recusationis Eusebij cõmendatione, Imperatoris Constantini testimonia, in lib. tertio de uita Constantini: cui familiaris cum primis fuit, ut postea dicemus. Laudẽ certè ei humanissimus Imperator tum eruditionis, tũ mansuetudinis tribuit in Epistola ad populũ Antiochenũ, de qua iam diximus: quemadmodum & à uaria eruditione Basilius eum commendauit, in libro de Spiritu sancto. Hieronymus item studiosissimum eum scripturarum divinarum dixit: ac uirum tum in diuinis scripturis, tum scriptorum Ethnicorum monumentis peritum. Quod etiam scripta sua sibi testimonio sunt: quæ si quis leget, fœlicitatem ingenij, & excultam ac perpolitam omnis generis sacris simul & prophanis studijs facundiam deprehendet.

Hieronymus infinita eum uolumina edidisse scripsit. ex quibus reliqui hodie sunt libri quatuordecim de præparatione Euangelica: quos latinos fecit ante annos quinquaginta Georgius Trapezuntius, uir utriusque linguæ peritissimus. Quos libros ante synodum Nycænam ab Eusebio scriptos, idque ueri simile fieri ex aliquibus sententijs in eo opere, ab Ariana labe non alienis, idem autor est. Nam de Eusebij Arianismo ante eam synodum, quædam postea nobis monenda erunt.

Libri

Libri item alij decem de Euangelica demonstratione, Latinitate donati à Donato quodam Veronēse. Rursus alij nouem Historiæ Ecclesiasticæ libri, Hieronymo probati, quos & Latinos se feciſſe testatur in Apologia aduersus Ruffinum, editi sunt iam olim sub Ruffini interpretatione, opera uiri undiquaq; doctissimi Beati Rhenani: sed deuetustis Latinis codicibus, nuper uerò in Latinum conuersi à Vuolffgango Musculo.

Chronicon item, translatum ab Hieronymo. Id uerò, priusquam historiam plenè illam inchoauerat, scriptū à se fuisse, indicat in proœmio historiæ Ecclesiasticæ. Vtrumque uerò opus decreto suo, propter rerum cognitiones necessarias, Gelasius eius nominis Papa primus, lectione digno censuit ac probauit. Nam quod paulo pòst in eiusdem censura librorum & autorum sequitur, Historiam Eusebij Pamphili apocryphā esse, sine dubio ab asino aliquo insertum est. Quomodo enim sine interuallo, quasi sui oblitus, librum paulo antè à se probatum, mox rursus improbaret?

Extant postremò libri quinque de uita Constantini, quorum quintus, Sermonis ad conuentum sanctorum titulo inscriptus est: in Latinum primùm conuersi ab Ioanne Porœsio, nuper uerò à Vuolffgango Musculo. Horum uerò librorum Hieronymus non meminit. Conuelluntur à Ruffino in proœmio libri primi Historiæ Ecclesiasticæ, quasi in quibus occupatus Eusebius Imperatoris immodica laudatione, & orationis affectata sublimitate, res gestas minus exactè prosecutus sit. Habent adiuncta Eusebij quædam operum exemplaria, ut illud quod Basileæ anno quadragesimonono editum est, alia quædam: uidelicet, Librum unum Eusebij contra Hieroclem, Zenobio Acciaiolo interprete: Et librū unum de Philosophorum circa res naturales & mundi fabricam dissensionibus, qui in Græco exemplari decimusquintus liber est de Præparatione Euangelica, Latinè redditus à Marco Hoppero. Ex illis porrò qui non habentur hodie, hos enumerat Hieronymus, ut:

Libros quinque θεοφανείας, hoc est, diuinæ apparitionis.

Chronicorum canonum omnimoda historia, eorumq; epitome.

Librum inscriptum Euangeliorum διαφωνία, hoc est discordantia.

In Esaiam libros decem. de quibus in prologo in explanationem decem uisionum Esaiæ ad Amabilem episcopum, idem sic censuit: Eusebius historicam expositionem titulo repromittens, interdum obliuiscitur propositi. Et in enarratione capitis decimioctaui Esaiæ: Eusebius, inquit, Cæsariensis historicam interpretationem titulo repromittens, diuersis sensibus euagatur: cuius cum libros legerē, aliud multo reperi quàm indice promittebat. Vbicunque enim eum historia defecerit, transit ad allegoriam: & ita separata consociat, ut mirer eum nouae sermonis fabrica, in unum corpus lapidem ferrumq; coniungere.

Contra Porphyrium, Eusebij ætate in Sicilia aduersus Christianos scribentem, libros 30. quorum uiginti tantum uisos sibi Hieronymus ait. Item τοπικῶν librum unum. Et Apologiæ pro Origene libros sex. De uita Pamphili libros tres: cum unius saltem eodem argumento meminerit ipse libro sexto historiæ Ecclesiasticæ, capite trigesimoseptimo. Libros item alios de Martyribus. Sed & ipse testatur libro quarto, capite decimosexto, scriptum à se esse librum de Antiquis martyribus. Postremò in centū quinquaginta psalmos eruditissimos commentarios, & multa alia, inquit Hieronymus.

Porrò in septimo de Demonstratione Euangelica libro affirmat, se scripsisse quoque libros Quæstionū & solutionum, ad seriem & enarrationem generis Christi pertinentium. In septimo uerò Præparationis Euangelicæ libro ait, se scripsisse librū De doctrina priscorum uirorum. Meminit & descriptionis terræ sanctæ ab Eusebio editæ, Hieronymus in Apologia aduersus Ruffinū, quam à se Latinam factam ibidem testatur.

Nunc de doctrina Eusebij pauca quædam dicturi, prius hoc monemus, quòd Arianismi errore suspectū eum Hieronymus ubiq; fecit. In Apologia enim aduersus Ruffinum, doctissimum eum quidem dixit, sed non catholicum, ut qui per sex libros (quos uelit incertum est, nisi fortè eos de Præparatione Euangelica) nihil egerit aliud, quàm Origenem suæ ostenderit fuisse fidei: id est, Arianæ perfidiæ. Et ponit, inquit, multa exempla, & hoc constanter probat. Et in eadem apologia rursus: Laudaui Eusebium in Ecclesiastica historia, &c. num ex eo Arianus sum, quia Eusebius, qui hos libros condidit, Arianus est? Quale quiddam & in epistola ad Mineriū & Alexandrū habet. Quod de eo uerò & Athanasius non obscurè retulit in decretis synodi Nicænæ, Arianum scilicet fuisse, priusquam fidei formulæ à Synodo dictatæ subscriberet: sed postea resipuisse. Plena denique delyrij Ariani est epistola eius ad Paulinum, apud Theodoretum libro primo, capite sexto. Sed & Arius ipse eum secum sentire scripserat ad Eusebium Nicomediēsem, quemadmodum ibidem Theodoretus indicat.

Cæterùm de aliquibus partibus doctrinæ Christianæ mediocriter loquitur, quemadmodum & suprà ostendimus. De effectibus uerbi, cum philosophorum doctrina nequaquam conferendi, inquit libro primo de Præparatione Euangelica, capite tertio: Gentiles una Saluatoris sola doctrina, simul Græci ac Barbari, qui non ficto animo uerbum Christi audiuerunt, ad tantum philosophię peruenerunt, ut solum uerum Deum, regem ac Dominum cœli & terræ, solis, stellarum, totiusq; mundi creatorem colant atque sequantur: quodq; cunctis uiribus sic conantur uiuere, ut uel oculos coerceant, ne quid cupiditate tracti turpiter uideant, sed ab ipsa mente omnem animi morbum depellant: à periurio absint, quoniam ab ipso non iurandum esse audierunt. ita & non quodque, nec in quotidiano sermone inania uelis proferre, sed ita diligenter in omnibus te ipsum custodire, ut nec falsum, nec iniuriosum, nec turpe in labijs uerbum habeas: quoniam ille dixit, De omni ocioso uerbo rationem dabitis in die iudicij, quam philosophorum uitam nō excedit? At hæc etiam, quòd simul cuncti & innumerabiles uiri & mulieres, seniores & pueri, serui & liberi, nobiles atque ignobiles, docti simul atque indocti, in omni ab ortu solis ad occasum loco ubi homines habitant, quotidie fermè ad percipiendam disciplinā Christi (qua nō solùm à turpi facinore, uerùm etiam à cogitationibus inhonestis abstinere, quaque uentrem ac ea quæ sunt sub uentre domare docentur) confluant, quòd uniuersi in diuina piaque disciplina exercentur, excelso animo contumelias ferre, nullam uindictam appetere, item & appetitum omnem temerarium superare ac uincere, indigentibus de re sua offerre, omnem hominem iure naturæ fratris ac proximi loco diligere. Hæc omnia si quis simul collecta cōsideret, nónne fatebitur maxima & sola uera bona cunctis esse hominib. prædicatione Christi oblata?

Ait & de duplici scripturæ sensu, libro nono de Demonstratione Euangelica, demōstratione prima: Per totam sacrosanctam & à diuino spiritu traditam scripturā, si quis eam ad sensum interpretetur, primùm sit propositum, ut mystica quædam diuinaq; doceat, seruato tamē saltem in parte etiam uulgari apertoque sensu eorum quæ historicè gesta sunt. Libro decimoquarto de Præparatione Euangelica, capite primo probat, in scriptura ueteris ac noui testamenti nullam esse discrepantiam. Ait & antiquissimam esse Christianorum religionem, libro primo Ecclesiasticæ historiæ, capite primo: Non est, inquit, nouella neq; peregrina Christianorum religio, uel nuper exorta: sed si fas est liberè indicare quod uerum est, prima omnium, atq; ex ipsa simul mundi origine ac natiuitate descendens, eodem Christo Deo doctore & institutore, iam inde ab initio speciem formamq; suscipiens.

De Deo rectè ubique sentit, unum nimirum esse æternum, uerum, omnipotentem Deum, omnium conditorem & conseruatorem: cuius loci testimonia suprà indicauimus. Libro de Præparatione Euangelica undecimo, capite septimo ait: Deus, si fas est dicere, nec est in tempore aliquo, sed in æterni tate immobili: cuius nihil prius, nihil posterius, nihil futurum, nihil præteritū est. sed cum unus sit ens, in uno nūc illud quod est, semper repleuit. Solum igitur ipse uerè est ens, quod nec fuit, nec futurū est, nec incœpit, nec cessabit: & sic ipsum colere ac salutare oportet. Et lib. sexto de Præparatione Euangelica, cap. quinto: Causa omnium, inquit, & quę libertatis nostræ sunt, & quę naturæ corporis sunt, & quæ accidūt extrinlecus, Deus est, à quo uniuersa quę sunt producuntur. de omnibus enim quæ sunt, scriptura id dicit: Quoniam ipse dixit, & facta sunt, &c. Vnum autem eundem Deum in trinitate esse, ꝓspicuis testimonijs probat, ex ueteri & nouo Testamento excerptis, libro septimo de Præparatione Euangelica, capite quinto. Iusticiæ, inquit, solem, id est filium Dei, et sanctum spiritum ei annexū, unà cum Deo ac patre creatorem atq; gubernatorem scriptura confirmat, quem unum Deum ab uniuersis, sicuti patrem ac Dominum, hymnis glorificandum Propheta præcepit dicēs: Laudate Dominū de cœlis, &c. Item paulo pòst: Solum autem Deum, & Verbum, ac spiritum eius, qui cœlum & terram & omnia quæ in ipsis sunt creauit, &c. colimus atque adoramus.

De Christo, lib. 2 de Demōstratione Euangelica, cap. 3 ait: Quæ ad propositam à nobis Theologiā pertinēt, cum omnē exemplicōparationē exuperēt, nihil tale, quale excorporib. manat, præ se ferūt: sed cogitationi sollertissimę intuendū quasi in speculo prębēt, docentq; esse filiū qui genitus sit, non illum quidem qui certis temporibus nō fuerit, posterius autem sit natus: sed qui sit ante tempora æterna, atq; anteeat, & tanquā filius unà cum patre semper degat: neque uerò quia nō sit genit⁹, sed ex patre nō genito genitus, qui unicus sit, qui Verbū, qui Deus de Deo, nō diremptione aliqua, aut sectione, aut diuisione, de substātia patris product⁹: sed q de patris cōsilio ac uirtute omnē elocutionē omnemq; cogitationē superante, ab æuo, ac potius ante omne æuū, essentiā sit nact⁹, modo quodā q neq; uerbis cōprehēdi, neq; ratione colligi à nobis possit. Siquidem generationē eius

eius (Esaias inquit) quis enarrabit? Et quemadmodum nemo nouit patrem nisi filius, sic filium quoq; nemo nouit, nisi unus qui genuit illum pater. Et libro septimo de Præparatione Euangelica, capite quinto: Quid autem sit sapientia, & unde nata sit, dicam, & non occultabo. Spiritus ipse est intellectualis, sanctus, unigenitus, omnipotens, omnia penetrans: uapor enim est uirtutis diuinæ, & fluxus gloriæ omnipotentis, uerissimus fulgor æterni luminis, & immaculatũ speculum uirtutis diuinæ, ac bonitatis eius imago, ab extremo ad extremũ omnia transiens, ac omnia rectè gubernans: quod quidẽ diuinum uerbum à patre ad hominum salutem missum scriptura cõfirmat: quod Deum & Dominum, id est creatorem & gubernatorem à Mose prophetisq; appellari conspicimus. Venit autem ad homines, homine assumpto, à patre missum, propter salutem nostram. Coæternum item filium esse patri, libro primo Ecclesiasticæ historiæ, capite primo, inquit: Fuisse ab initio, imò & ante omne quod dici potest initium, ab ipso patre progenitam sapientiam constat.

De duabus in Christo naturis libro quarto de Demonstratione Euãgelica, capite decimo: Communi more, inquit, ne uersari quidem nobiscum haud indignum sua maiestate iudicauit, interim tamen nusquam desinens esse quod erat, sed in homine pariter Deum conseruans. Itaq; statim in primo ad homines descensu, cum Deo diuinam cõmiscet nostri ortus admirabilitatẽ: quippe qui more nostro sit editus, & mortalis instar hominem indutus, sed non tanquam homo, uerùm ut Deus de purissima, nullasq; experta nuptias uirgine. Cuiusmodi multa testimonia, Deum scilicet uerum & hominem Christum esse, recitat libro primo Ecclesiasticę historiæ, capite primo.

Sic & de merito & beneficijs Christi, lib. quarto de Demonstratione Euangelica, cap. ultimo: Verus, inquit, Saluator ac Dominus noster IESVS, cum ad nostram usq; descenderit seruitutem, peccata nostra sustulit, atq; humanas sordes absterst: & quæ illi in passione probra illata sunt, ex mansuetudine, charitateq; erga nos sua sustinuit. Quapropter Esaias sic ait: Hic peccata nostra fert, & pro nobis est in dolore, &c. Et in præfatione libri decimi demonstrationis Euãgelicæ: Oportebat, inquit, agnum Dei, qui à maximo pontifice assumptus fuerat, pro reliquis cognatis agnis, & pro omni humano grege, Deo uictimam offerri. Libro decimo de Demonstratione Euangelica, demonstratione prima: Multis patientibus & peccantibus membris, ipse quoque ratione consentientis sibi inuicem naturæ (quandoquidem cum Dei uerbum esset, ei placuit & seruui formam accipere, & communi omnium nostro domicilio copulari) patientium membrorum labores in seipsum assumpsit, & nostras ualetudinis infirmitates suas fecit, & ex legibus humanitatis pro omnibus nobis & dolores & labores sustinuit. Cæterùm non modò rebus his gestis Dei agnus, uerumetiam pro nobis tormenta passus, supplicioq; affectus, quo ipse quidem dignus minimè erat, sed nos ipsi propter multitudinem peccatorum, ut peccata nobis dimitterentur, autor existit: utpote qui pro nobis & mortem subierit, & uerbera & probra & contumelias, quibus nos digni eramus, in seipsum transtulerit: & execratio pro nobis factus, execrationem quæ nobis debebatur, ad se ipsum attraxerit. Libro de demonstratione Euangelica cap. secundo ait, Christum pro salute tam gentium quàm Iudæorum è cœlo uenisse: Etiam illud, inquit, planũ est, quòd non solum propter impietates Iudaicæ gentis Dominus de cœlo descendit, sed etiã propter salutem & uocationem gentium cunctarum. Deniq; lib. 4. de demonstratione Euãgelica, cap. 3: Omnia docet esse tenebras, extra filij Dei cognitionẽ: Quicquid, inquit, ab hoc alienũ fuerit, tenebræ erũt, nõ lumen.

De spiritu sancto distinctè itẽ dixit lib. 7. de Præparatione Euãgelica, cap. 5: Tertiò spiritus sanct⁹ additur à scriptura, quẽ sicuti patrẽ & uerbũ suũ eadẽ dignitate atq; honore honorari pcipit. Tertius igitur à patre spirit⁹ esse ostẽditur, tanq; à patre p sapientiã elucẽs.

De creatione rectè sensit, diuina prouidentia existere omnia, ac gubernari, nec malorũ autorẽ esse Deũ, sicut lib. 13. de Præparatione Euãgelica, cap. 2. inquit: Sit ista prima formula, quòd nulli omniũ liceat malorum, sed bonorum solummodo causam Deo attribuere. Idem in libro aduersus Hieroclem: Dei certè prouidentia, inquit, omnia complectitur ac continet, legibusq; diuinis machina totius mundi disponitur.

De angelis omnino loquitur ex sententia epistolæ ad Ebræos, lib. septimo de Præparatione Euangelica, cap. 6: Et lib. 3 de demonstratione Euangelica, cap. 5. De quibus & libro 4. demonstrationis Euangelicę, cap. 1, sic ait: Cum Deus omnem rationalem creaturã in lucẽ producturus esset, incorporeas quasdam atq; intelligẽtes & diuinas potestates, angelosq; atq; archãgelos, materiæq; expertes, & ab omni parte puros spirit⁹ produxit.

Ita hominem in libertate uolũtatis à Deo primùm cõditum, ibidem statim subiungit hoc modo: Animas præterea hominũ (produxit) quę solutam ac liberã uoluntatis atq; arbitrij, tam ad bonum quàm ad boni cõtrarium, naturam acciperent.

Contrà uerò rectè & illud sentit, ut uidetur, Libertatem scilicet uoluntatis nostræ in bonis eligendis à dæmonibus esse destructam: libro sexto de Præparatione Euangelica, capite quinto. Et libro quarto de Demonstratione Euangelica, cap. sexto inquit: Deus principem regemq; omnium quæcunq; in terra sunt animalium constituit hominem, eumq; liberum & suæ ipsius potestatis dimisit, qua & ad bonum & ad boni contrarium ferri posset. Hic uerò non bene sua ipsius potestate usus, & à recto itinere abiés, diuersus in contrarium delatus est.

Legem præterea nihil ad homines iustificandos facere, sed fidem, ita censuit libro primo de Demonstratione Euangelica, capite sexto: Ipsi Abrahæ, eo quòd summo Deo crediderit plenè seruasse iusticiam, exhibitum est testimonium ab ipso Mose, sic dicéte: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iusticiam. Quod autem post illam iusticiæ plenã obseruationem, & post illi redditũ de pietate testimonium, ipsum circumcisionis signum acceperit, & nihil hoc illum ad pietatem ac iusticiam consequendam adiuuerit, perspicuè uerba ipsa demonstrant.

Euangelij beneficia ad omnes homines pertinere, docet libro primo de Præparatione Euãgelica, capite primo: Hanc salutarem hominum ad Deum conuersionem atq; amicitiam, ab omnipotéte Deo missus Deus uerbum, quasi lucis infinitæ splendor, cunctis annunciat. Non hinc aut aliunde, sed undiq; cunctis ex gentib. ad Deum uerum, Græcos simul & Barbaros, omnem sexum, omnem ætatem, diuites & pauperes, sapientes & cõtrà, liberos ac seruos, magna uoce conuocat: hortaturq; omni studio ac cura, ut hoc donũ suscipiamus. Nam sicuti eiusdem naturæ atque substãtiæ nos omnes creauit, sic rursum cognitionem & charitatem suam æqualiter omnibus proposuit, qui gratiam eius ex toto animo complectuntur & colunt. Hanc Dei erga nos charitatem Christus, qui ipsius Dei patris Verbum est, ipse quoq; Deus, nõ respiciens ad peccata hominum, sed se ipsum eis reconcilians, uniuerso (sicut diuina exclamat scriptura) orbi annunciat.

Studium bene operandi à Christianis nõ negligi, affirmat libro quarto de Præparatione Euangelica, capite nono: Nos, quantum nobis possibile est, omni studio atq; opera, Deo similes fieri conamur. Idem de castitate, bonis moribus, & uitę mundicie, docet libro eodem, capite decimo.

Et de sacrificijs Christianorum rectè sentit libro eodem, cap. quinto: Solum, inquit, creatorem illum omnium Deum adorare didicimus, nihil terrenũ & mortuum: sed integritatem animi & castitatem corporis, rectã scientiam, & ardentissimam fidem offerentes. Libro primo de Demonstratione Euangelica, capite sexto & ultimo, prolixè disputat, Christianorum sacrificia esse orationem: Offerimus (inquit) ei beneolentem fructum, hoc ipsum orationibus ad eum directis facientes.

Sic Ecclesiam eam esse, quæ per Euangelij prædicationem, per totum terrarum orbem constituta est: & perpetuam quidem atq; inuictam esse ait, libro primo de Præparatione Euangelica, capite tertio: Certum est, inquit, Saluatorem nostrum prædixisse, doctrinam suam in testimonium omnium gentium, per uniuersum terrarum orbem prædicatum iri: & ecclesiam, quæ postea uirtute sua constituta est, inuictam atq; inexpugnabilem fore: nec unquam futurum, ut à morte superaretur, sed firmam fore semper atq; immobilem, tanquam in lapide stabilitam atq; fundatam.

De utroque sacramento, libro octauo Demonstrationis Euangelicæ, Demonstratione prima: Sic illud, Lauabit in uino stolam suam, & in sanguine uuæ pallium suum: uide quæso tu quoq;, ne quando ut in arcanis mysticam illius passionem significet, in qua stolam suam & indumentum abluerit, tanquam in lauacro, ut sanè eorum qui in ipsum crediderint sordes antiquas abluisse declaratur. Per uinum enim, quæ sanguinis illius nota est, eos qui in morte ipsius baptizentur, quiq; in sanguinem eius credant, à ueteribus malis expurgat, utpote qui abluat & abstergat antiquam eorum stolam & pallium. Itaque precioso sanguine diuinæ illius & de spiritu natæ uuæ, eiusq; uitis uino, redempti, ueterem quidem hominem cum eius actionibus exuerunt, nouum autem & ad cognitionem secundum imaginem eius qui creauit instauratum, induerunt. Atillud, Albi lud, Gratiosi oculi eius à uino: & illud, Albidentes eius ut lac: rursus tanquam in arcanis posita noui Testamenti mysteria cõprehendere arbitror, læticiam uidelicet mystici illius uini, quod suis ipse discipulis porrexit Saluator, cum dixit: Accipite, bibite, hic est meus sanguis, qui pro uobis funditur in remissionem peccatorum.

Et de usu cœnæ Domini libro 1. Demonstrationis Euangelicæ, capite ultimo: Sacrificamus, inquit, & incendimus aliàs quidem memoriam magni illius sacrificij, secundum ea quæ ab ipso tradita sunt, mysteria celebrãtes, & gratias Deo pro salute nostra agentes, religiosos q; hymnos & orationes sanctas illi offerentes.

De coniugio ita loquitur, ut nec sacerdotibus quidem ipsius usum interdicat: sed decere quidem, non autem oportere, episcopũ sine

sine uxore esse, statuat. Sic enim ait libro primo de demonstratione Euangelica, capite nono: Oportere, dicit sermo diuinus, episcopum unius uxoris uirum esse: ueruntamen eos qui sacrati sint, atque in Dei ministerio cultuq; occupati, cõtinere seipsos deinceps à commercio uxoris decet. Qui autẽ non ad tantum assumpti sunt sacerdotij munus, ijs idem sermo diuinus indulget, ac propemodum palàm omnibus prædicat quòd utique honorabile sit coniugium, & torus immaculatus, fornicatores autem & adulteros iudicaturus sit Deus.

De errore Eusebij diximus suprà, fuisse sciliceteum Arianum ex professo ante Nicænã synodum: in qua resipiscens, fidei patrum orthodoxorum cõsensit, eamq; publico symbolo professus est. Trapezuntius, in libris de præparatione Euangelica, quedam ineptè fuit à prauitate Ariana non aliena: ideoq; uerisimile esse, editum fuisse illud ab eo opus ante synodum Nicænam. Tametsi in libro primo, capite primo, eiusdem operis, ac posteà subinde, Eusebius filiũ Dei dixerit, Deũ uerbum. Nisi forsan hoc non satis Theologicè & nouè dictũ sit lib. quarto de demonstratione Euangelica, cap. decimo: Christũ descendisse ad homines, ut uel angelis suis pro hominũ salute opẽ ferret. Ac quod ibidẽ de angelis dixit: Cum præsens à proprijs angelis, illis inquam qui prius gentibus præfecti fuerant, uisus esset, illi continuò suum adiutorẽ suumq; Dominum oppidò agnoscentes, maxima cum lætitia accerserunt, eiq; ministrare cœperunt. Et: Hos igitur tanquam proprios angelos, sui ipsius indigentes auxilij, sic sanè recepit. Qui uerò iã diu in medijs hominibus uersabãtur & uolitabant, quiq; & obscurè & euidenter in terra potentiam atq; imperium obtinebant, eos ingenti diuinaq; potestate fugatos subegit, &c.

Magno deniq; studio pro defendenda & cõfirmanda religione Christiana egisse, libri ipsius propemodũ omnes, præcipuè uerò illi quos Demonstrationis Euangelicæ nomine inscripsit, testes sunt. In libris uerò de præparatione Euãgelica, Ethnicorũ omniũ, de multitudine deorũ, turpẽ errorẽ, tũ de fati etiã necessitate, & captãdis oraculorũ responsis uanam superstitionem, adeoq; totam eorum religionem euidentissimis rationibus confutauit. Hebræorum contrà, ceu uerã sinceramq; , diuinis testimonijs comprobat: quod & in omnibus de Demonstratione Euangelica libris diligentissimè præstat, subinde aduersus Ethnicos, Iudæos & hæreticos decertans. In decimoquinto libro Præparationis Euangelicæ, philosophorũ stultas de rebus sublimibus, & captũ humanũ superãtibus, opiniones recitat, & inanes prorsus esse decernit. Hieroclẽ uerò, unà cum Philostrati nugis, quorũ uterq; Apolloniũ Tyaneũ Christo cõferre & æquiparare ausus fuerat, cõstantissimè cõfutat. Quomodo aũt hæreticorum omnium à nato Christo ad sua usq; tempora, opiniones, in libris de Historia Ecclesiastica commemorans, easdem simul incessat & damnet, libri ipsi testimonio sunt.

Synodo eum Nycænæ interfuisse, suprà aliquoties meminimus: in qua quid egerit, suo loco ostendimus. Inter præsidentes ac præcipua authoritate doctores eum fuisse, Sozom. retulit lib. 1, capite decimonono. Formulam certè fidei, qua post eam synodũ nulla unquã extitit rectior, proprio symbolo, ueluti diximus, confirmauit. Magnam præterea sibi fuisse cum Imperatore laudatissimo Cõstãtino Magno familiaritatem, testatur ipse in libris quos de uita eius Imperatoris conscripsit, in quibus Constantini aliquot ad se epistolarũ exempla commemorat: primã scilicet de Ecclesijs restaurãdis ante synodũ, lib. secundo: proximam, in qua Imperator modestiã eius laudauit in recusatione episcopatus Antiocheni, libro tertio: tertiam, de comparandis rebus necessarijs ad descriptionem librorũ sacrorum, libro quarto.

Sed quę cõiunctio illi religiosa & societas cum martyre celeberrimo Pamphilo Cæsariensi fuerit, commune nomẽ indicat: quod ob amorem & amicitiam Pamphili, cognomenti loco ipsum sibi fecisse Eusebium, Hieronymus in catalogo retulit, & in Apologia aduersus Ruffinum, ubi: Eusebius, inquit, & Pamphilus, tantam inter se habuere concordiam, ut unius animæ homines putes, & ab uno alter nomen acceperit.

Mortuus tandem Eusebius est paulo pòst, cum literis Cõstantini iunioris Athanasius instructus, ab exilio Treuirensi Alexandriam reuersus est, circa annum Domini (ut uidetur) trecentesimum quadragesimum secundum. Sozomenus libro tertio, capite secundo.

DE GREGORIO NAZIANZENO, *Theologo.*

NAtus est Gregorius Nazianzi, quod oppidum uicinum Cæsareæ Cappadociæ, paruũ fuit: sicut eius obscuritatẽ & tenuitatẽ ab Arianis sibi exprobratã fuisse Gregorius ipse retulit, in oratione ad Arianos de se ipso. Parentes autem habuit tenui fortuna: quẽadmodum rursus indicat ipse, obiectam sibi ab Arianis esse paupertatem, & agellum infertilem, in oratione Cum ex agro reuerteretur, & ad Arianos. Pater, cui & ipsi nomen fuit Gregorius, ex familia ortus erat nequaquam pia, sed quæ Hypsistariorũ errore stulto & deliro implicata esset: quemadmodum ipse narrat in oratione In funere patris.

Fuit autem Hypsistariorum religio, hæresis quædam absurda, ex duabus conflata diuersissimis rebus, Ethnicismo nimirum & Iudaismo: quam qui profitebantur, solum creatorem omnium uenerari se dicebant, idola quidem & sacrificia & circumcisionē reijciētes, sabbatum autem honorantes: uenerātes & ignem & lampades, & ciborum delectus scrupulose faciētes. Quo delirio cum & ipse Gregorij pater primùm teneretur, ut in quo natus & educatus esset, tempestiuè tamen eum abiecit: & solo patrio relicto, ad Christianos profectus est. à quibus in religione Christiana eruditus, tantos in ea progressus fecit, ut pastor tandem & episcopus Nazianzenſi ecclesiæ præfectus sit. Mater appellata Nonna, pia & sancta fuit, pijs etiam & sanctis maioribus nata: quæ cum Nazianzeni patri nupta fuisset, masculam sobolem à Deo precibus impetrauit, quemadmodum in uita Nazianzeni Gregorius Nyssenus retulit. Natus igitur his parentibus Nazianzenus, statim à puero paternis moribus imbutus est: & in literis, quibus eruditi pueritiæ ætas solet, quòd ingenij fœlicitate præditus esset, ita profecit, ut æquales omnes superaret. Disciplinas autem triuiales & iueniles, posteaquam uix obiter attigisset, prorsus tanquam inutiles fastidiuit: fœlicior hac in parte Basilio, qui se in illis optimam & magnam adolescentiæ suæ partem fruſtra cō sumpsisse, luget alicubi, & queritur.

Progressus deinde ad annos pubertatis Gregorius, eloquentiæ studia amare cœpit: quorum desiderio Cæsaream, ubi tum, si alibi usquam, præcipua florebant doctrinarum studia, se contulit, quo tempore post longa exilia eò reuersus fuerat senex Athanasius: cuius uidendi & audiendi gratia, sine dubio eò à patre consilio bono missus est. Ibi igitur cum optimis & præstantissimis conuersatus præceptoribus, incrementa ingenio suo attulit maxima. Atq; inde Alexandriam progressus est ad Pharum, ut hominum mores inspiceret, & prudentiam addisceret. Inde rursus per mare Parthenium naui Aeginetica abijt Athenas, nondum adhuc baptizatus. Sed nauigationem ualde infœlicem expertus est, quemadmodum prolixè ipse commemorat in oratione de funere patris. Turbulentissima enim tempestate exorta, in periculo maximo tota fuit nauis: nec aliud quàm interitum certum, omnes qui in naui erant, imminere sibi facile prospiciebant. Quid tū igitur Gregorius? Concionari incipit in medijs fluctibus, atq; exemplis & miraculis diuinæ liberationis in similibus periculis, ex sacris literis petitis, animos eorum confirmat: & preces addit, quibus impetrat, ut in tranquillitatem & serenitatē tempestas primùm maris sæua desinat: deinde uerò, ad Dei ueri cognitionem infideles quotquot in naui erant, diuina conspecta liberatione, quam à Deo suo Gregorius impetrauerat, conuertantur. Narrat Nyssenus, ostensam partem aliquam eius periclitationis filij, fuisse parentibus per somnium: quod nos breuitatis causa prætermittimus. Venit ita eo itinere Gregorius Athenas: quò etiam non multo pòst Constātinopoli accessit Basilius. Quo cum, quo pacto animum & studia sua Gregorius coniunxerit, & necessitatē perpetuam contraxerit, in expositione uitę Basilij diximus. Ibi igitur contubernales & sodales facti, & diuinum planè, ut Sozomenus ait, amicorū par Gregorius & Basilius, in omnibus artibus & uirtutibus fœlicissimè progressi sunt. Interea Gregorius uigesimum ætatis simul & studiorum suorum ingressus annum, in patriam redijt, & baptizatus est. Post Baptismū in ocio & solitudine, ad quam eum natura sua rapuit, studijs operam dedit, incumbens maximè sacrarum literarum uoluminibus, ex quibus solis ueritatem peteram esse perspiciebat. Quod genus uitæ tandem per exercuit, dum ad sacerdotium eum pater capessendū exhortatus est, ac in presbyterorum ordinem inuitū & reluctantem elegit: sicut ipse in quadam epistola ad Basilium testatur, se ad presbyterium accipiendum coactum fuisse. Cum autem breui tempore eo officio in Ecclesia functus esset, in Pontum ad Basilium abijt, qui secretè ibi in monasterijs philosophabatur: quò ut ueniret, ac uitam suam & studia secum coniungeret, à Basilio per epistolam inuitatus erat, quæ inter Basilij opera extat. Pertinet huc Apologeticus Nazianzeni, in quo rationem reddit, quamobrem in Ponto, presbyterium fugiens, coactus esset. Vixerunt ibi simul per annos tredecim, non in ocio, sed studijs, & collatione scriptorum, quibus uniuersæ Asiæ ecclesias eruditebant, & ueritatem tuebantur ac propugnabant contra Arianos: item, in precationibus, psalmodijs, & alijs exercitijs, quorum magna cum uoluptate subinde in epistolis suis aliquot Gregorius meminit.

Interea domi Cęsarius frater moritur: quem acerbissimo dolore lugens pater nonagenarius, Gregorium ad se reuocauit. Narrat Nyssenus, eo tempore in tantos erupisse furores hæresim Arianam, fultam manu & impietate Constantij, ut uidetur, regis, ut episcopi plurimi in exilia pulsi sint: alij uerò metu perculsi, alij blanditijs, alij pecunia solicitati, nonnulli ingenij simplicitate decepti, subscripserint. Inter quos & Gregorij pater fuerit: à cuius communione, quia & ipse subscripserat, monachi eius regio-

his

tis & maxima pars populi se subtraxerit: sed filij Gregorij precib. ad Deum, & admonitione resipuerit, & Ecclesiæ restitutus sit.

Cum autem Iulianus, cuius improbitatē iam olim Athenis Gregorius taxauerat, & si quando rerum potiturus esset, Imperium esse Christianis pernicioſum & luctuoſum fore, ex moribus atq; alijs malæ naturæ signis diuinauerat, literarum studijs Christianorum liberis interdixisset: Gregorius sacras historias & pia argumenta Iambicis ac Heroicis, aliorumq; aliquot generum uersibus complexus est, & pueris in ludis discentibus proposuit. Iuliani uerò impietatem notauit infamia, & paganismi sui turpitudines & monstra in odium omnium & risum adduxit.

Interea inter Eusebium episcopum Cæsariensem & Basilium presbyterum offensa intercesserat: & Valentis persecutio in Ecclesias grassari cœperat: cum ab Eusebio Gregorius in Pontum ad Basilium (eò enim Eusebij iniurias fugiens concesserat) missus est precator, ut inimicitias missas faceret: & Ecclesiæ, per furores undique in ora Cæsariensium grassantium hæreticorum, adflictæ & turbatæ succurreret, si saluam eam uellet. Venit igitur ad Basilium Gregorius, atque ut Cæsaream rediret persuasit: ubi aliquandiu commoratus ipse etiam Gregorius, Basilium in impugnandis hæreticis communi adiuuit opera.

Postea cum in Eusebij mortui locum Basilius episcopus substitutus esset, ipse ab eo episcopus Sasimorum factus est: de qua re, patre & Basilio præsente orationem habuit. Eum uerò locum, ut incommodum propter ciuiles turbas, aliasque molestias ocio & studijs inimicas, mox deseruit, & curam ac ministerium quoddam suscepit ægrotorum: nec adduci se multis patris precibus passus est, ut episcopatum Sasimorum reciperet. Hoc tamen ab eo patre plurimùm solicitando, precando, mouendo, & pro autoritate sua in filium efflagitando obtinuit, ut in gubernanda Nazianzenſium ecclesia socium se ei adiungeret. Is enim anno centesimo ætatis suæ uicinus tum erat, cum nec inferior multo esset mater. Ibi igitur partem laborum patris confecti senio, in se suscepit Gregorius: & in Ecclesia publicè, quandiu in uiuis pater mansit, quin & post mortem eius docuit: utriq; uerò, & patri & matri, omnibus pietatis officijs & obsequijs sedulò adfuit.

Cum iam uerò diem suum obijsset pater, posteaquam in sacerdotio annos uixisset quadraginta quinque, oratione eum laudauit funebri: ac matri uiduæ, aliquandiu adhuc superuiuenti, famulatus est. Qua uerò defuncta, Nazianzum reliquit, ac Seleuciam profectus est: ubi in domo quadam contigua monasterio uirginum sanctæ Teclæ habitauit. Inde tamen Nazianzum rursus redijt, sed priuatus uixit: nec flecti populi ullis precibus & solicitatione potuit, ut Ecclesiæ gubernationem reciperet.

Constantinopolim autem postea diuinitus admonitus accessit, quo tempore in admodum turbulento statu Ecclesia erat, labefactata & quassata non ab Arianis solum, per uniuersum penè terrarum orbem Ecclesias miserè uastantibus, sed etiam à Pneumatomachis, qui recens magna frequentia Constantinopoli exorti fuerant, & multitudinem ingentem seduxerant: cuius maiorem tamen partem recuperauit, docens in paruo quodam templo, cui Anastasia nomen erat, cæteris omnibus templis ab Arianis occupatis.

Nondum omnino sopitum malum illud erat, cum in aciem nouo prodit delirio Apollinaris Syrus, ueram negans incarnationem Domini, in anima factam fuisse rationali, sed carnis solum & animæ irrationalis assumptionem. Aduersus eum igitur, & sectatores eius, nouum oboritur Gregorio certamen. qui plurimos quidem ab hæresi illa eripuit, sed nō sine magno suo periculo. Nam qui cum Apollinare erant, uulgi animos ementitis exacerbabāt calumnijs, quasi duos Gregorius doceret esse filios. Quamobrem comprehensus, & ad tribunal tanquam seditiosus tractus: sed inde tamen, defensionis diuinæ beneficio, sine supplicio dimissus est: cum furore populi insanientis, inter ducendum, hoc tantum in ore habuisset, Propter nomen tuum CHRISTE, etiamsi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Ac uidetur ipse alludisse ad eas turbas in oratione Coram centum & quinquaginta episcopis, ubi sic ait. Non ne persecutionē pertulimus? non ne iniuria sumus affecti? non ne ab Ecclesijs sumus expulsi? non ne populum sustinuimus insanientem?

Illustrauit autem uehementer tum nomē tum laudem Gregorij ea, supra cæteras uirtutes eius & labores, persecutio: adeò ut ad eum Petrus Alexandrinus episcopus, qui Athanasio successerat, ultrò miserit, episcopatum Constantinopolitanum illi decernens: quem & obtinuit tandem, iudicio & authoritate multorum clarissimorum episcoporū: sed ultrò mox deposuit, ut postea dicem⁹. Prius enim cōmemorabimus, quos sibi ludos tum fecerit Maximus quidā philosophus. Is cum ex Cynicorum fuisset turpissima professione, à Gregorio conuersus, baptizatus, & in cleri ordinem tandem admissus

missus erat: in qua dignitate defectionē moliri à Gregorio, quem authorem habuerat omnium eorum beneficiorum, quibus ex Cynico cane, cum laude & dignitate Christianus factus fuerat, cœpit, hac fraude & insidijs. Reprius & consilio suo communicato cum presbytero quodam, Alexandriā ad Petrum episcopum misit, eiq; delata magna pecuniarū copia persuasit, ut oblitus Petrus (quanquam id Theodoretus non Petro, sed Timotheo Petri successori tribuit, lib. quinto, capite octauo) nec honestè nec prudenter ordinationis collatæ Gregorio, Constantinopolim miserit, qui suo nomine & autoritate Maximū episcopum, Gregorio repudiato, legerent. Ita igitur à paucis, cum in Ecclesia usitato modo, per populi, nouitatē & indignitatem non ferentis, tumultuationē nō posset, Maximus in domo Cantonis cuiusdā episcopus creatus est. Quod factum, iterum periculum Gregorio attulit: accusante eum populo, ac cum eo expostulante, quasi Maximo ipse suis quodammodo beneficijs occasionē episcopatui insidiandi, & ansam prębuisset. sed excusauit se tum Gregorius mitissima oratione, quā Nyssenus recitat: ac de Maximo beneficijs ad rapinā episcopatus prouocato, placidè respondit: Malitiam non præuidisse, nequaquā facit reum: hoc enim solius Dei est. Postea in patriam redire secum planè cōstituerat: sed ne id faceret, aut posset quidem, à populo prohibitus est: quodā, cùm omnibus ad iter paratis iamiā urbē egressurus esset, sublata uoce exclamante, Aude pater actecū Trinitatem ipsam eijce. Ad quam uocē Gregorius impetum suum cohibuit, ac Constantinopoli mansit: ibiq; multo cum fructu, laude & admiratione assiduè, fideliter & constanter docuit, & Theologus ob excellentē doctrinam appellatus est, nondum tamē Episcopi sibi nomen usurpans. Docuit autē, ut diximus, in angusto quodā templo, donec ad Imperij gubernacula collocatus Theodosius, optimus Imperator, q maximi Gregoriū fecit, & in precio habuit, Ecclesiā Arianis eripuit: ac in eā, Arianis repressis, Gregoriū deduxit, eiq; dixit: Pater, tibi & sudoribus tuis Deus per nos Ecclesiam tribuit.

Iecti igitur Ariani, odia in Gregorium, quoquo modo è medio tollendū, & consilia cōiungunt: conducto quodam, qui clàm episcopum aggrederetur, & gladio transfigeret: sed insidias illas Deus prohibuit, & episcopum seruauit. Is aūt, qui ad confodiendum eum constitutus fuerat, postea cum lassus laboribus & ætate Gregorius decūberet, flens sese ad pedes eius abiecit, ac facinoris sui ueniam ab eo petijt.

Posteaquā ex morbo eo Gregorius conualuit, à synodo frequenti episcoporum, nimirum centum & quinquaginta, cui Meletius Antiochenus interfuit, in sedem episcopalem collocatus est: Meletio præsulatum eius (ut Theodoretus scribit libro quinto, capite octauo) confirmante: anno altero, iuxta Prosperi rationē, imperij Gratiani & Theodosij, Christi uerò trecentesimo octuagesimo tertio. Sed nec episcopi dignitatem diu tenuit: nec in urbe mansit propter episcoporum dissidia, cum qui serius ex Aegypto & Macedonia in synodum uenissent, nec ordinationi Gregorij interfuissent, eam improbassent, ut quæ non omnium Episcopo rum suffragijs confirmata fuisset. Quibus contentionibus cum nihil minus ferre Nazianzenus posset, episcopatu & urbe cessit. Quāquis ab Imperatore ægerrimè dimitteretur, cum Constantinopoli extra episcopi nomen & officium per annos duodecim docuisset. Recitat exemplum geminę orationis Gregorij ad synodum, Nyssenus: in qua modestè significat, acquiescere se uoluntatibus episcoporum, qui quæ antea rata fuissent, nunc temerè immutēt: fuisse se nolentē, tum gregis desiderio, tum eorum suffragio, episcopum constitutum: ideo nunc ea se dignitate minori molestia posse carere, cùm certus sit, nō à Deo excludi, quibus thronus eripiatur. Pertinet ad hanc commemorationem tota oratio, quæ inter Nazianzeni opera extat, quam in præsentia centum & quinquaginta episcoporum habuit. In postrema autem oratione, ad pacem & concordiam singulos hortatur: ac iubet ut alium eligant, cui tuto committi multitudo possit. Et iubet, ut si propter ipsum dissidia & contentiones protrahi putent, tanquam socium eū è naui præcipitent. Postremò nominatim citat dictum Zachariæ: Veritatem & pacē diligite. Vrbem deniq; egressurus, hortatus etiā populum in concione est, ut fidei custodiret depositum, & Dei seruarent mandata.

Ita igitur in prædium Arianzū, quod à patre hæreditariū acceperat, ad uitā solitariā cōcessit. Scripsit ex eo secessu ad Procopiū principem, constituisse se prorsus secū, in nullam deinceps episcoporum synodū se uenturū, propterea quòd adhuc nullū uidisset alicuius synodi finem utilem: & in qua, propter contentiones & ambitionē consultantium, res Ecclesię affectę & laborantes, nō plus exacerbatæ quàm sanatæ fuerint. Videri igitur sibi, in sola precum securitate & communione trāquillum & quietū futurum. Et addidit quædam de affecta ualetudine sua, cuius & alibi meminit: Infirmitate, inquit, corporis laboro, & in extremis ferè perpetuò ago, mihiq; ipsi nulla in re usui esse possum.

Pòst aliquanto, Basilio, qui ante annū Cæsareæ defunctus erat, epitaphiū cōscripsit: &

Cæsaream

Cæsaream profectus, orationem coram ecclesia de funere eius, & laudationem recitauit. Inde in prædium suum rediit.

Cum autem Constantinopoli docens, diutius à patria sua abfuisset, Apollinarij discipuli quidam in Cappadocia deliriũ suum sparserant, & nonnullas seduxerant. Id mali igitur à finibus patriæ Gregorius depulit, expulso episcopo quem Nazianzenſibus isti præficere ausi fuerant: in cuius locum Eulalium, probatæ tum doctrinæ tum uitæ uirũ, substituit. ipse enim quòd amans quietis esset, id muneris, uehementer quidem ab Ecclesia Nazianzena postulatus, recusauit, et in studia priuata sese rursus abdidit. Confutauit tum prolixioribus scriptis Apollinaris dogma, cuius generis extant duæ epistolæ ad Clydonium presbyterum: cui diligenter præcipit, ut hæresin & ordinationes Apollinaristarum summoperè uitet, atq; ut alienas ab Ecclesia execretur. Confutauit & carmine Apollinarem: ideo quòd ipse puer, errorem suum uersibus inuoluerat. Hæc Nyssenus.

Porrò catalogum eorũ quæ scripserit Gregorius, Hieronymus recensuit: sed extát hodie plura, quæ prolixitatis fortasse causa Hieronymũ recitare piguit. Habent autem ea sese hoc ordine & numero.

¶ Apologeticus, quo rationem reddit, cur in Pontum propter presbyterij ordinationẽ aufugerit.

Oratio ad Nazianzenses, qui ipsum uocauerant: at postquã uenissent, non cõparebant.

Apologeticus ad patrem & Naziãzenses, post fugæ reuersionem.

Oratio dicta in præsentia Gregorij, fratris Basilij, cum ille post electionem præsideret.

Oratio præsente patre & Basilio Magno habita, quum in episcopum Azimorum esset electus.

Oratio, cum à patre in consortium assumeretur.

Oratio qua se excusat, quod abstinuerat aliquandiu à functione Ecclesiastica.

Oratio in funere fratris sui Cæsarij dicta.

Oratio in funere Gorgoniæ sororis.

Oratio consolatoria, cum pater ipsius episcopus taceret ob grandinis calamitatem.

Oratio in funere patris, præsente Basilio Magno habita.

Oratio funebris in laudem Basilij Magni.

Oratio funebris in Athanasium, Alexandriæ episcopum.

Oratio in Cyprianum.

De pace, siue reconciliatione monachorum, oratio prima.

De pace oratio secunda.

De pace sermo tertius, ad Amphilochiũ.

Oratio ad subditos, timore perculsos.

De cura pauperum, siue de paupertate fouenda.

De statu episcopali & dogmate, oratio instructiua.

In Machabæos.

De modestia in disputationibus seruãda.

Ad Heronem philosophum ab exilio regressum.

Ad eos qui in classe ex Ægypto uenerant.

Aduersus Arianos, & de seipso.

De seipso, contra eos qui ipsum cathedrã Constãtinopolitanam affectare uulgauerãt.

De his quæ contra Maximũ gesta fuerãt, cum reuerteretur ex agro.

Oratio in præsentia episcoporũ centum & quinquaginta habita.

De electione Doarensium.

Ad uirginem exhortatoria.

In dictum Euangelij.

Ad Euagrium, de deitate.

Ad Nectarium episcopum Constantinopolitanum.

Contra Eunomianos.

De Theologia.

De filio prima.

De filio secunda.

De Spiritu sancto.

In Theophania, seu in natalem Saluatoris nostri.

In festum Epiphaniæ.

In sanctum Lauacrum.

De Paschate, & ignoscenda obsequendi tarditate.

In sanctum Pascha.

De Pentecoste.

De noua Dominica, & tempore uerno, ac martyre Mamante.

Annotatio in Ezechielem.

Metaphrasis in Ecclesiasten.

In Iulianum apostatam inuectiua prima.

In eundem secunda.

Ad Clidonium epistola prima.

Ad Clidonium epistola secunda.

De fide tractatus, quem tractatũ Nazianzenus ipse significat quandam esse retractationem eorum, quæ in alio quodam libello de fide aduersus Arianos scripserat, sicut inquit in tractatus eius initio: Rursus ea ipsa planiore sermone in hoc libello digessi, &c.

De fide Nicæna.

Epistolæ D. Gregorij Nazianzeni numero octuaginta.

Carmina eiusdem diuersa ad bene beateq; uiuendum utilissima.

Tragœdia, Christus patiens.

¶ Quod ad genus orationis Nazianzeni attinet, affirmant Hieronymus & Suidas, secutum eum esse dicendi characterem Polemonis oratoris & philosophi Laodiceni, qui Smyrnæ docuit sub Traiano.

Ex

Ex orationibus eiusdē, Ruffinus ait lib. 2. cap. 9. se decem conuertisse in linguam Latinam: quarū tamen uersionū, præter eam quę tractatus est de fide, in editionibus, ut hodie habentur, reliqua nulla est. reprehendit certè interpretationē eam, ut & alia Ruffini, in Apologia aduersus eundem Hieronymus. Verba eius hæc sunt: Respondē, cur scribere aliqua ausus sis, & uirum disertissimum Gregorium pari eloquij splēdore. Vnde tibi tanta uerborū copia, sententiarū lumen, translationum uarietas, homini qui oratoriam uix primis labris in adolescētia degustasti? Sed nunc sententias Nazianzeni de singulis doctrinæ partibus breuiter recensemus.

De sacræ scripturæ reuerentia & autoritate grauissimè ait, in oratione de seipso, aduersus eos qui falso sparserant, eum cathedram Constantinopolitanam affectasse: Scripturæ tenorem audiuisti, crede igitur: quoniam maior illi cura est habenda, quàm rebus alijs simul cunctis, ab ijs qui mētis compotes existunt.

De Deo, initio libri primi de Theologia memorabiliter inquit: Non cuiusuis est de Deo disputare. Addā & illud: Non id quouis decere tempore, neque apud omnes, neque de omnibus. Et in eodē libro aliquanto pòst: Deum ut intelligas, difficile sanè est; sed ut uerbis eundē exprimas, hoc uerò nulla ratione fieri potest. Et: Quin si me audies, illud senties potius, fieri non posse, ut Dei naturam exprimas: multo minus, ut intellectu assequaris. Atqui rem tantam mentis angustijs complecti negatum est, non solùm ignauis & infra mentem subsistentibus, uerùm etiam sublimibus illis & in Dei amicitiam euectis, breuiter omni naturæ progenitæ. Et: Nec quæ dixi, sic accipi uelim, quasi an Deus sit, ceu dubium proponam: sed quid Deus sit, quæque eius natura, hoc uerò nesciri dico. Neq; enim inanis est prædicatio nostra, neque uana fides. Rursus in eodem: Supereſt ergo, ut Deum incorporeum sentiamus. quanquam ut maximè hoc faciamus, nondum tamen ne hoc quidem eius essentiā satis uel exprimit, uel complectitur. quemadmodum nec illud: Ingenitus, principij expers, immutabilis, incorruptibilis, & si quæ alia de Deo, aut circa Deum esse dicuntur. Etenim ipsa deitatis naturæ & substantiæ adiacent: initium non habere, aliunde non existere, nec ullo fine contineri.

De tribus personis, oratione secunda de pace: Ipsi, inquit, unicam & eandē esse scimus diuinitatis naturam, sine principio & generatione & processione cognitā, tanquā mente quę in nobis est, & ratione & spiritu, quantum cōiecturare licet sensibus, de ijs quę post sunt cognosci, et paruis magna: postquā nulla imago pertingit ad ueritatem, ut ipsa seipsam significet, semper eandem, semper perfectam, sine qualitate, sine quantitate, sine tempore, increatam, incomprehensibilem, nunquam se ipsam derelinquentem, nec derelictam: uitas & uitam, lumina & lumen, bona & bonum, glorias & gloriam, uerum & ueritatem, nec non spiritus ueritatis, sancta & sanctitatem ipsam, Deum unumquenque, licet solum contēplatione percipi possit, cum mens separat inseparabilia: Deum trinum, inuicem se cognoscentem cum eodem motu & natura, nil supra seipsam relinquentem, aut in aliquo transcendentem. Et in oratione in dictum Euangelij: Crede Trinitatem margaritam esse unam, undique similem, & æqualiter splendentem. Margarita enim si in aliqua parte deturpatur, tota eius gratia euanescit: ita cum filium ignominia afficis, quo patrem uenereris, nequaquam honorem tuum suscipit: ob filij dehonestationem pater minimè glorificatur. Si inhonestas Spiritum sanctum, non suscipit honorem tuum filius. Idem in fine orationis de reconciliatione monachorum: Animæ ac corporis dominum timemus, bonum seruantes depositum, quod à patribus nostris suscepimus, adorantes patrem & filium & spiritum sanctum: in filio patreni, in spiritu filium cognoscentes: quorum nomine baptizati sumus, in quos & credimus, quibus & coordinati sumus, prius diuidentes quàm coniungamus. nequaquam tria ut unum: non enim substantia carent, aut uanius sunt subsistentiæ, ut diuitiæ nostræ sint in nominibus, & nequaquam in rebus. Sed & tria unum dicimus, uerùm non substistentia unum, sed deitate, unitatem in Trinitate adorantes, & trinitatem in unitatem restaurantes. Tota enim est adoranda, tota regalis, unius potestatis, unius gloriæ, supramundana, super tempora, increata, incomprehensibilis, non uestigabilis, incomprehensibilis: & quo nam se ordine erga seipsam habeat, ipsa sola cognoscit. Et libro quinto de Theologia: Ipse certè sic de his sentio, & libenter sentio, cum quisquis mihi amicus est, idem faciat: colendum esse ut Deum, Spiritum sanctum, proprietates tres, & deitatem unam. Quippe quæ nihil patiatur, si ue gloriam spectes, siue honorem, siue essentiam, siue regnum.

De Christo, in fine orationis de statu Episcopali: Filium, inquit, nequaquam ita ex patre existere dico, tanquā in patre primùm fuerit, ac post hoc in esse sit progressus. nihil enim quod prius imperfectum fuit, postea perfectum erit, quemadmodū lex est motus nostri. Nos uerò haudquaquam ita sentimus,

mus, seu opinamur: sed pariter esse illũ, qui sine principio est, ingeneratũ: semper autem erat, neq; enim unquã mens in nõ esse cadit. Et filiꝰ erat genitus, ita ut illi cõcurreret esse patris, generationiq; unigenitũ: ex ipsoq; existeret, & nõ cum ipso, consilium principij.

De assumptione humanæ naturæ & merito Christi, in oratione altera in sanctum lauacrum: Innouatur (ait) natura, fitq; Deus homo, & qui super cœlum cœli, ad propriæ gloriæ & claritatis orientem ascenderat, ad nostræ imbecillitatis & humanitatis occidẽtem se demittit, & Dei filius hominis filius & fieri & uocari sustinet, nõ immutãs quod erat, sed quod non erat assumens: siquidem misericors erat, ut incomprehensibilis mediante carne cõprehenderetur, ac nobiscum tanquam ex cortina conuersaretur. Quandoquidem puram ipsius ferre diuinitatem, non eiusce naturæ erat, quæ in generatione & corruptione consisteret. In oratione in Theophania: Dei erat uerbum omnibus seculis antiquius, inuisibile, incomprehensibile, incorporeum, ex principio principium, lux è lumine, fons uitæ & immortalitatis, archetypi imago, signaculũ immotũ, similitudo incommutabilis, patris diffinitio æratio, ad propriam procedit imaginẽ, carnemq; ob carnem gerit, ac animæ rationali propter meam cõmiscetur animã, simili simile expurgans, exceptoq; peccato per omnia homo efficitur. Nascitur quidem ex uirgine, cuius caro ac anima iam antè à sancto purgata erat spiritu. Decebat enim, ut ita generatio ornaretur, prius tamẽ uirginitas honore decoraretur. Procedẽs autẽ Deus, post assumptionẽ, unũ ex cõtrariis duobus, carne & spiritu, ex quib. hic quidẽ Deus erat, illa uerò in deitatis cõfortiũ assumpta, ô mixtura noua, ô temperamentũ admirandũ, existens nascitur, increatꝰ creatur, intãgibilis tangitur, per mediũ animæ rationalis, inter carnis crassitiem & diuinitatẽ interpositę. Ditans depauperatur: ob meam enim pauper est carnẽ, ut ego sua locupleter diuinitate. plenꝰ exinanitur: siquidẽ parũper sua exinanitur gloria, ut ego suã cõsequar plenitudinẽ. Quæ nam bonitatis diuitiæ? Quid hoc ad me mysteriũ illud? particeps fuerã imaginis eiꝰ, uerùm non cõseruaui. At ille meæ fit particeps carnis, ut & imaginẽ saluet, carnemq; immortalitate donet: secundã cõmunicat cõmunicationẽ, longè priore admirabiliorẽ. Quoniam tunc quidẽ quod melius erat impartitus est, nunc uerò deterioris efficitur particeps: hoc prione diuinius, hoc mentẽ habentib. sublimius.

De Spiritu sancto, lib. 5. de Theologia: Si spiritus pro Deo nõ est adorandus, age quomodo me lauacri aspergine Deum faciet? sin autem adorãdus est, cur nõ & colendus erit? Si uerò colendus, quid nõ & Deus? Aliud enim ex alio pendet, cathena quadam uerè aurea & salutari. Etenim per spiritum regeneramur, per generationem reformamur: per reformationem autem, reformantis dignitatem agnoscimus.

De creatione bene ubiq; sentit, Deum omnia cõdidisse: atq; ab eo hanc totam mundi, sicut ipse appellat in lib. secundo de Theologia, rempublicam gubernari. Ac de ordine creationis ibidẽ ait: Primùm angelicas & cœlestes à Deo conditas esse naturas, Secundò mundum hunc uisibilem, Tertiò hominẽ. In oratione de cura pauperũ: Deum omniũ factorẽ & opificẽ esse credam⁹. Quo pacto enim illud uniuersum constaret, si ipse id nõ sustentaret & moderaretur? Nos igitur prouidentiam uniuersi huius cooperatricem & colligatricem asserimus.

Libro tertio de Theologia: Angelos ait incorporeas esse substantias, incredibilis pulchritudinis, ut qui sint secũda lumina. Tum de officio eorum prolixè loquitur: Diuinæ, inquit, sunt uolũtatis ministræ, robore tum naturali tum ascititio pollentes. Hæ obeũt omnia omnibus & ubiq; cùm ministerij studio, tũ naturæ agilitate expeditè præsentes. Harum alię aliam orbis partem administrandam accepêre, aut certè earum aliæ alij orbis parti sunt præfectę. Hæ ad eius qui omnia fabricauit nutum, in unum cogunt omnia, hæ celebres diuinę magnificentiæ præcones, hę æternæ gloriæ æternæ admiratrices, &c.

In oratione in Natalem Saluatoris, ait angelos creatos in natura non prorsus immutabili. Cuius indicium sit, quòd quidam ex illis lapsi sint: quos desertrices uocat potentias, & scelerum opifices.

De hominis conditione ante & post lapsum, explicatè loquitur in oratiõe in Theophania, ut suprà in cap. de doctrina ostendimus. De lapsu atq; ijs quæ lapsum secuta sunt sic inquit: Post quã diaboli inuidia, mulierisq; transgressione, in quã ut fragiliorem incidit, & ad fidendũ aptior pducta est, proh meæ imbecillitatis, mea enim fuit primæui parentis, traditi mandati oblitus homo est, amaroq; succubuit gustui, pariter & à uitæ ligno, & paradiso, & à Deo propter prauitatẽ extorris agitur, &c.

Ibidem de Libero arbitrio hominis ante lapsum: Hominem, inquit, in paradiso collocauit, libero illũ arbitrio honorans, ut bonum eligentis nõ minus esset, quàm illius q semina dederat, immortaliũ plantarũ colonum, diuinarũ forsitan cogitationum, simpliciorum pariter & perfectiorũ, nudũ simplicitate, ac uitæ innocẽtia, absq; omni uelamine & prætextu, &c. De eodẽ post lapsum, in oratione in dictum Euãgelij, rectè ait, Etiam

ad bona impellentem hominis uoluntatem, aut motum, à Deo esse: ac diuinum quiddã, & clementiæ Dei donum esse, boni electionem. Nisi Dominus, inquit, ædificauerit domum, &c. Noui quod non est leuiũ cursus, nec potentium bellum, neq; pugnantiũ uictoria, nõ fœliciter nauigantium portus: sed Dei est uictoriam perficere, ac nauem saluam in portum deducere.

In oratione in dictum Euangelicũ: Matri filiorũ Zebedæi petenti adsessum à dextris & sinistris, quid ait Christus? A dextris & sinistris assidere, non meum est dare, sed ijs quibus datum est. Nihil igitur est meus imperator, nihil labor, nihil ratio, nihil sapientię studium, &c. frustra hæc omnia.

Legem appellat pædagogum nostrum: & Christum spiritualis legis perfectionem & finem, in initio Apologetici.

Fidei deinde ubiq; iustificationẽ tribuit, ut in oratione ad Nazianzenses. Et in oratione de Modestia obseruãda in disceptatione, ubi disertè inquit: Credere solũ iusticia est.

De operibus, quomodo placeant, recte ait in oratione post reditum ex agro, Nullum opus sine fide approbatum esse: & opera absque fide mortua esse, in oratione tertia in sanctum lauacrum.

Contra Nouatium perspicuè docet, pœnitentes recipiendos esse, in oratione secunda in sancta luminaria Epiphaniorum.

In doctrina de Baptismo, rectè reprehendit eos qui Deũ efficacẽ esse negant uoce Euangelij, si minister indignus Baptismũ administret: quemadmodũ in Africa Donatistæ uociferabantur. Et uenustè dicit: Ita considera: Sint anuli duo, aureus hic, ferreus alius: uterq; eadã regia imagine sculptus. Cerę ambo imprimãtur, quid inter signũ hoc & illud intererit? Nihil. In oratione tertia in sanctum lauacrũ, ubi & infantum baptismum approbat.

Nonnunquam tamen in quibusdam partibus non satis commodè locutus est, & peculiaribus lusit opinionibus. ut quòd de Libero arbitrio disputans, in oratione in dictum Euangelicũ: Quòd saluamur, inquit, partim è nobis, partim à Deo esse oportet. Et ibidẽ: Ibi quibus datũ est, adde, Ijs qui sunt digni: qui ut tales sint, non solum à patre acceperunt, sed & sibi ipsis contulerunt. In qua oratione incommoditate non caret, quod dixit, remissionem peccatorum propria conseruari diligentia: Eam, inquit, quam gratis consequutus es, etiam per diligentiã conserua, ut remissio tibi à Deo fit, à te uerò fiat conseruatio.

Certamina, ut diximus, in omnib. ubicunque fuit locis, maxima sustinuit cõtra Arianos, præsertim uerò Constantinopoli: maxima contra Apollinarium, eiusque fratres, de quibus in epistola quadam ad Nectarium scripsit, Apollinaristarum audaciam inter ecclesiasticas calamitates omnium esse grauissimã. refert Sozomenus lib. sexto, cap. uigesimoseptimo. Aduersus Eunomianos dimicat peculiari scripto: & sentẽtiam de spiritu sancto, patri nimirum eum & filio coëssentialẽ esse, ubiq; tuetur fidelissimè.

Cõfutauit & alias diuersas & multiplices hæreses, impugnantes aut diuinitatem Christi, aut humanitatẽ: sicut uidere est in epistola prima ad Clydonium, ubi & Manichæorũ nugas exagitat, de corpore Christi in sole posito. Ac cõtra eosdẽ agit in Epistola secũda ad eundem, quòd uix carnẽ Saluatori tribuant. Damnat & Valentinũ, Marcionẽ, Montanũ, cuius spiritum malnm dicit, contra spiritum sanctum, in oratione de pace: Manetem, Photinũ, quos singulos recensẽt in oratione ad Arianos de seipso. Nouati puritatem impurã uocat, in oratione de pace: & eundẽ inhumanũ, oratione secunda in luminaria. Meminit & Simonis, Basilidæ, Cerdonis, Cerinthi, Carpocratis, Sabellij, in oratione ad Heronẽ: Sabelliũ uerò & aliàs sæpissimè reprehendit. Cõmittitur & cũ philosophis interdum, Platone maximè & Aristotele. Contra gentes aũt, pugnat acerrimè in duabus inuectiuis in Iulianum, paganismi restauratorẽ. Ipsum uerò Iulianum in alijs subinde locis perstringit & uituperat, prodens omnes eius mores & ingenium: tum & artes astutas, quibus in paganismo restituendo usus est.

De societate & coniunctione religiosissima inter Gregorium & Basiliũ, suprà aliquoties dictum est. Gregorius modestissimè in quadam Epistola dixit, se Basilium honoris gratia sibi semper præposuisse. Basilius cõtrà in epistola centesima quadragesimaprima, Gregorium uocat organon benedictum, fontemq; profundum. Fuisse & familiaritatem ac consuetudinem dulcem inter Hieronymum & Gregorium, Hieronymi pronunciabant permulta testimonia. In commentario in caput quintum epistolæ ad Galatas, uocat eum uirum ualde eloquentem, & in scripturis adprimè eruditum. Postea indicat se admodum familiariter eius collatione de rebus & locis scripturæ usum esse. Libro tertio uerò commentariorum in Esaiam, testatur se Constantinopoli apud Gregorium Nazianzenum in sacrarum literarum studijs esse eruditum: quamobrem & aliquoties suũ eum præceptorẽ nominat. ut in epistola ad Nepotianum, & in Catalogo scriptorũ Ecclesiasticorũ: in Apologia item aduersus Ruffinum, ubi Gregorio (inquit) uiro eloquẽtissimo, magistro ego glorior & exulto. Familiaris deinde Gregorius etiam Olympio præsidi Cappadociæ fuit, ut epistolę eius

ostendunt: ac laudat Olympij pietatem & beneficia in Ecclesiam aliquoties, ut Epistola quadragesimaprima.

Rursus & calumnias multorũ, nõ minus quàm Basilium, se sustinere aliquoties queritur. Et in epistola quadã ad Basiliũ scribit: Nos arguunt quamplurimi, quòd in fide fortes non simus. Et alij impietatem manifestè exprobrant, alij ignaui timiditatem.

De periculo quod pertulit per Apollinaristas ad tribunal, suprà diximus. Est & lapidibus obrutus Constantinopoli ab Arianis, cuius periculi ipse meminit in oratione de pace: Lapidationes iam sumus perpessi.

Vixit cœlebs per omnem uitã suam. quod ipse testatur in oratione De se ipso, ad eos q cathedrã illũ Constantinopolitanam affectare spargebãt. Obijt tandẽ in multã senectute, non inferior (ut uidetur) nonagenario, anno Domini trecentesimo octuagesimoquarto, ut Prosper indicat: post mortem Basilij anno altero, post certamina & labores quos pro Ecclesia sustinuit longos et difficiles, ac post puru & incorruptum (quemadmodũ in oratione corã centũ quinquaginta episcopis testatur ipse) à se sacerdotium conseruatum.

DE GREGORIO *Nysseno.*

FRater fuit germanus Basilij, ac natu quidem maior: quemadmodũ Nazianzenus in oratione de Basilij uita scripsit. Gregorius hic, eloquentissimus, ut Suidas testatur, homo, & uaria ac multiplici eruditione præstans: dicendi primùm artes exercuit magna cum fœlicitate, ut illustris tandẽ euaserit orator, laudatis ueteribus oratorib. nequaq̃ inferior. Quo tamen professionis genere functus aliquandiu, cum Theologicis studijs ad potiorem illud commutauit. Extat inter Nazianzeni Epistolas ad hunc Gregorium una, ex qua lectorem eum aliquando sacrorum fuisse librorum conijcere est. fortasis & alios gessit Ecclesiasticos ordines. ad episcopatus enim, nisi per gradus & dignitates inferiores ascendere non licebat. Quo tempore ad episcopatum Nyssæ, à qua Nysseni nomen accepit, peruenerit, incertũ est. Fuit ibi iam tum episcopus, cum à Basilio Cęsariensi Sasimorum episcopatus Nazianzeno decretus est. Quam electionem Gregorius is confirmauit: ac tantum apud Nazianzenum, reluctantem initiò obtinuit, ut electioni isti aquiesceret. Extat ea de re oratio Nazianzeni, recitata coram Nysseno, qui electioni forte superuenerat: in qua amplissimis eum uehit laudibus, uirum eum prædicans fidelem, amicum, eruditum, sapientem, eloquentem, filium lucis, hominem Dei, & fratrem amicissimi sui Basilij. cui & Rufinus, quod tum ad doctrinæ tum uitæ integritatem attinet, hunc Gregorium exæquauit, libro secundo, capite nono.

Cum autem in synodo Constantinopolitana sub Theodosio, quo tempore episcopatui suo renunciauit Nazianzenus, Ecclesiæ per prouincias distributæ essent, & singulis Diœcesibus dati patriarchæ, Nysseno patriarchatus Ecclesiarum per oram Cæsarienſiũ delegatus est: quemadmodum Socrates scripsit libro quinto, capite octauo.

Extant hodie reliquiæ scriptorum eius, editæ Coloniæ anno Christi quinquagesimo primo: ut liber unus de Creatione hominis, latinitate donatus à Dionysio Romano exiguo, quẽ opus admirandũ Suidas uocat. Itẽ libri octo de philosophia, in Latinũ conuersi à Ioãne Conone Norimontano: quorũ primus est de Homine, secundus de Anima, tertius de Elementis, quartus de Viribus animę, quintus de Voluntario & inuoluntario, sextus de Fato, septimus de Libero arbitrio, octauus de Prouidentia. Et liber Mysticæ uitæ Moseos enarrationis, perfectam uiuendi formam Christianis perscribens, latinè redditus à Georgio Trapezuntio. Sed inter Orthodoxographa habentur etiam sub titulo Gregorij Nysseni, orationes duæ de pauperibus amandis: & narratio breuis de ijs qui adeunt Hierosolyma, edita seorsim Parisijs apud Guilielmum Morelium anno quinquagesimoprimo.

Volaterranus lib. decimosexto Anthropologiæ, incertum ex quo autore, inter Gregorij scripta apologiã quandã de diuinitate filij sub nomine fratris Basilij numerat: quẽ defunctum manifestè oppugnasse, uiuum attingere non ausum, scribit.

Tribuitur eidem & monodia de uita D. Gregorij Nazianzeni, quæ operib. eius præmissa est.

Desiderantur autem ex scriptis Nysseni: oratio eximia, quam Suidas dicit, in Eunomium hæreticum. Hieronymus uerò in catalogo librorum, meminit Nysseni contra Eunomiũ, eosq; sibi & Gregorio Nazianzeno ab ipso autore fuisse prælectos indicat. Item, Homilię in Cantica canticorũ, & in Ecclesiasten. Et elegans ac prolixus sermo de ratione animæ, scriptus ad sororẽ suã Macariã. Laudes itẽ Stephani protomartyris, quæ omnia Suidas recensuit. Affirmat Socrates libro 4, cap. uigesimosexto, Hexameron à Basilio imperfectũ relictũ, à Nysseno fuisse completũ. Actor apud Vincentium libro decimoquarto, capite octuagesimoquinto indicat, complementum illud esse librũ de Creatione hominis. Scriptum etiam epitaphium Meletij Antiocheni.

De Gregorij doctrina.

Porrò de illis doctrinæ partibus, quas in

explicatione aliarum rerum interdum attigit, sat sensit commodè: ut quòd Deum ex uerbo patefacto cognosci & uideri sentit, in libro de uita Mosæ. Et quòd ibidem supremam essentiã Deum appellat, quæ omnium causa sit, & à qua omnia dependeant. item quòd Deus crearit omnia, & sustentet, in oratione prima de pauperibus amãdis: Quòd sit bonus, beneficus & prouisor, in libro de uita Mosæ. Et quòd inspector sit cordium & cogitationum: ibidem.

Deinde de Christo rectè sensit, filium Dei esse patri in diuinis coequalem: libro de creatione hominis, capite quinto. Et de Christi incarnatione, in libro de uita Mosæ: Christus, inquit, Dei uirtus & Dei sapientia, quę quidem sapientia Dei nõ manufacta, sed increata cùm sit, secundum naturã suam creaturam susceperit, quando secundum nos carne oportuit tabernaculũ hoc fabricari. Item idem alio atque alio modo factum & non factum est: natura, in quantum ante secula fuit, increatum est: in quantum corporalem hanc concretionẽ susceperit, creatum factúmque est. Nec obscurum est quod dicimus, ijs qui fidei nostræ mysterium complectuntur: unum enim ex omnibus est tabernaculum, quod & ante secula fuit, & in nouissimis temporibus factum est. id temporaliter ita fieri nõ indigebat. Quomodo enim quod ante omnia erat tempora, factione indigebit temporali? Verùm propter nos, qui prauis consilijs id corrupimus, quod etiam secundum nos uoluit fieri, ut extra ipsum quod est, ad se ipsum scilicet nos reduceret. Tabernaculũ igitur ipse unigenitus Deus est, qui uniuersa in seipso continet, qui ex nobis etiam sibi tabernaculum fabricatus est. Eadem sentit oratione secunda de pauperib. amandis: Quòd propter nos scilicet, homo Christus factus sit, ut sorditates istas nostras, abiectasq; carnis exuuiolas unà cum anima, quæ ipsas erat induta, sibi circũdederit, ut at tactu suo nostris ægritudinibus mederetur.

Citat illustre de persona Christi testimonium eius Cyrillus in Apologetico suo, in hunc modum: Hoc sentite, inquit Paulus, in uobis, quod & in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, æqualem se esse Deo, sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Quid pauperius sub Deo figura serui? Quid humilius sub rege omnium, quàm uenire in communionẽ pauperis nostræ naturę? Qui rex regnantiũ, & Dominus dominantium, serui forma induitur, subditus fit potestatẽ gerentibus: Dominus creaturæ in speluncam diuertit. Qui uniuersum palmo cõcludit, non inuenit locum in diuersorio, sed in præsepio brutorũ reclinatur. Mundus & immaculatus, humanę natu-

ræ suscipit sordes: et omni paupertate nostra perfunctus, usque ad mortis finem peruenit. Videtis uoluntariæ paupertatis mensuram? Vita mortem gustat, iudex in iudicium trahitur: Dominus uitæ omnium quæ sunt, sententiam tolerat iudicis. Rex omnis ultramũdanæ uirtutis, lictorum manus non repellit.

De doctrina, de creatione, de ordine item creaturarum, loquitur ad sententiam Mosæ, in libro de Creatione hominis, capite primo. & in eodem, capite tertio ait: Singulæ quæque creaturarum, æther, stellæ, & aer qui medium locum continet, mare, terra, animalia & nascentia omnia, uerbo tantummodò producuntur ut sint. Libro de uita Mosæ, per unigenitũ Deum omnia testatur facta esse.

De prouidentia rectè sentit, ideo eam asseuerandam esse, quia cognitio eius hominũ mentibus naturaliter impressa sit. Necessitate enim, inquit, aliqua obruti, cõfestim ad diuinũ numẽ & orationes cõfugimus. libro de Prouidentia, capite septimo. In eodem uerò libro, capite primo, probat à diuersitate formarum, esse prouidẽtiam. Tantorum bonorum, inquit, causa facta est prouidentia, hominũ formas semper & ubiq; uariando, & nullo tempore istud facere desinẽdo: quæ maxima est coniectura, quòd regimur & potimur prouidentia usq; ad singularia.

De Angelorũ officio, libro de uita Mosæ: Verus sermo ad nos usq; descendit, quo creditur, posteaq̃ in peccatũ natura nostra lapsa est, nõ omnino à clemẽtia diuina neglectam, neq; absq; suo patrocinio dimissam: sed angelorũ qui natura incorporea sunt, aliquo inadminiculum cuiq; constitutum fuisse.

Et in eodem libro, de operibus malorum angelorum: Vitiorum omnium, inquit, dux atq; imperator Diabolus, si quos iam in uirtute stabiliores uidet, non apertè in facientes obijcit gladiũ, sed clam & per insidias deloco pellere studet.

De hominis statu ante lapsum, lib. de creatione hominis, capite decimooctauo: Clarũ est, inquit, quòd homo ante ruinam angelus quidam habebatur.

Item de hominis lapsu & restitutione, libro primo de creatione hominis, capite secundo: Inobediens se ipsum cognoscendo à perfectione quidem cecidit, & corporea necessitate indigens factus, tegmẽ statim quæsiuit. Excidens itaq; à perfectione, ab immortalitate cecidit: quam tandẽ gratia eius qui fecit eum recipiet.

Et libro de uita Mosæ: Discere licet infractam atque immortalem diuinis fabricatam manibus naturam nostrã in principio fuisse, quam lex non scripta, sed innata, non exterius exquisita, sed impressa exornabat. Naturali-

Natturaliter enim nobis uoluntas legis inerat, quæ ad malorum abominationem & bonorum expetitiõem nos institueret. Verùm posteaquam peccati sonitum in auribus nostris suscepimus, quem quidem sonitum scriptura uocat serpentis, tunc naturę integritas in terram decidit & contrita est. Sed rursum uerus legislator, cuius figuram Moses gerebat, ex natura nostra, naturæ nostræ tabulas sibi confecit. Nec enim nuptiarum solennitas carnem Dominicã produxit, sed ipsæ suę carnis factus lapicida, digito Dei eam inscripsit. Spiritus enim sanctus peruenit in uirginem, & excelsi eam uirtus obumbrauit. Quo facto, rursus natura confracta, facta est, illius impresione digiti immortalitatem consecuta.

Libro de homine, capite tertio: Duabus his consolationibus præcipuis homo potitus est. Etenim solus hic ueniam assequitur, pœnitentiam agens: & corpus illius mortale existens, immortale efficitur.

Liberum arbitrium homini esse, rectè sentit, in actionibus rationalibus & rebus exteris: facultatem scilicet eiusmodi, à qua singula quæ facimus, facere possumus, sicut ait in libro de libero arbitrio, capite tertio. Et in eodem, capite primo: Meditari & exercitii in nobis esse, concessum est. Et capite secundo: In nobis sunt energiæ secundum artem & uirtutes, & omnes operationes animales & rationales. Item: Potestatem habemus actionum secundum uirtutem & uitiũ, & electionum, & motuum, & quorum similiter oppositа agere possumus.

De peccato ita loquitur, ut sublatum sentiat Christi merito, uitiosis cupiditatibus tamen manentibus. Libro de uita Mosæ: Ab hoc peccato, inquit, & ab ea serpentina natura, homo per illum liberatur, qui peccati speciem subijt, qui factus est secundum nos, qui peccando ad speciem serpentis conuersi sumus. per eum igitur ne morsus mortem inferat factum est, ipsæ uerò feræ non sunt destructæ. Feras autem dico, cupiditates ipsas prauas. Nam etsi prauè peccantium mors nullam habeat in illos uim, qui crucem respiciunt: carnis tamen aduersus spiritum innata cupiditas, non omnino destructa est. Insurgunt enim & fidelibus sæpenumero cupiditatis morsus, quos ad sublatum ligno respicientes repellunt, &c.

De lege memorabiliter inquit, superari scilicet eam, alioqui insuperabilem duce Christo, libro eodem: Lex quæ in futurorum figura & umbra data est, inexpugnabilis in ueris certaminibus est: in quibus dux est, qui Mosi succesit, qui legem impleuit, qui uel nomine ipso ducis Hebræorum multo antè prædicatus est. Populus autem, siquidem eleuatas legislatoris manus respicit, uincit facile hostes. Et: Verè ijs qui in legem respicere possunt, crucis mysteriũ undiq; ferè patet: ut Euangelium quoq; dicit, Iota & apicem à lege nõ præterire: transuersam lineam, & perpendicularem ac rectã, quibus figura crucis describitur, per Iota & apicẽ ostendens. Quæ res in Mose nunc conspecta, qui pro lege ipsa ponitur, uictoriã respicientibus præbuit.

Iustificari nos Christi merito, libro eodem subinde dicit: Caput omnium, inquit, quæ in hoc Christianæ professionis credimus est, firma rectaq; fide in passionem illius respicere, qui pro nobis passus est. Item: A peccato homo per illum liberatur, qui factus est secundum nos.

Libro eodem de pœnitentia præclarè: Manifestum est, inquit, quòd qui pœnitentiam non admittunt, præcipuum munus, quæ propria sunt hominis, destruunt. Et in eodem: Præ omni intellectuali creatura hominis proprium est, ab his causis, ex quibus antè peccauerat, per pœnitentiam exui. Etenim soli homini hoc donatum est, & omni & semper, secundum huius uitæ tempus: post mortem autem concessum est nemini.

De baptismi effectu: Bene, inquit, natura aquæ, præcedente uirga fidei, & potestate illuminantis ducentisq; nebulæ, spiritus uidelicet sancti, fidelibus quidem qui ad eam refugiunt uitam præstat, persecutoribus autem mortem infert. Et sacramentalis aquæ proprium est, pernicioſi tyranni ac exercitus sui destructio.

De cruce & humanis calamitatibus, in libro de uita hominis: Multi, inquit, eorum qui sermonem de libertate receperunt, ac prædicationi Euangelicæ paruerũt, ad hunc usque diem à tyranno ac hoste humani generis multis ac grauibus tentationibus comprimuntur, quibus multi meliores firmioresque in fide facti sunt, tanquam aurum igne, sic doloribus comprobati. Et de consolatione in afflictionibus, libro de uita Mosæ: Quousque imbecillis homo in fide est, pernicioſa tyranni seruitute oppressus, non ipse se ab hoste tutatur, nec enim potest: Sed qui semper infirmus adest, qui crebris hostem ac magnis uulneribus potest fundere, is pro suis pugnat, is hostem submergit, is suos defendit.

Resurrectionem mortuorum certam ideo esse, quia à Christo prædicta est, affirmat in libro de creatione hominis, capite uigesimo sexto: Quicunq;, inquit, ille est qui resurrectionem negat, primum & maximum de resurrectione ueritatis accipiat argumentum, quòd prædicator eius probetur omni fide

digniſsimus: Eorum uerò quæ dicuntur fides, ex his quæ prædicta ac completa ſunt, ſuam retinent firmitatem.

Deprehendas aũt alicubi & in hoc autore, ſicut in alijs propemodum omnibus, quędã, quæ nõ ſat cõmodè ſeu ſenſerit, ſeu dixerit. Actor cum iudicio legendum cenſet librum totum de Creatione hominis. In libro de libero arbitrio, capite tertio, hæc de cauſa lapſus angelorũ non ſatis uidetur ſenſiſſe theologicè: Soli angeli, inquit, incorporales quidam uerſi ſunt, & neque ipſi omnes, ſed quidam ex ipſis, quicunque uidelicet ſe ad inferiora aut ad terreſtrium concupiſcentiam ſponte conuertentes, ab habitudine quæ eſt ad ſuperiora & diuina ſe ſepararunt.

Habent & hæc nonnihil incommodi, niſi de ſtatu hominis ante lapſum intelligantur, quæ de libertate uoluntatis humanæ tradidit in libro de Creatione hominis, capite decimoſeptimo: Eſt in nobis totius boni conditio, totiusque uirtutis & ſapientiæ, & quicquid illud eſt quod optimum poſsit intelligi: præ omnibus uerò, quod ab omni neceſſitate liberi ſumus, nec ſubiugati quadam naturali potentia, ſed arbitrio proprio ad conſilium quod placuerit inclinamus. Et in libro de uita Moſæ: ſpiritus ſancti gratia non habitat in homine, niſi primò peccati uim in ſe ipſo mortificauerit. Quaſi mortificatio in homine exiſtere poſsit, ſine auxilio ſpiritus ſancti, cum & Paulus dicat Rom. octauo: Quod ſi ſpiritu facta carnis mortificaueritis, &c.

Etſi autem graſſantibus ubique ingenti ui hęreticis Arianis & Eunomianis, hic Gregorius admodum perturbabatur, quemadmodum ex epiſtola quadam Nazianzeni apparet, qua dolentem eum conſolatur: aduerſus eos tamen in Cappadocia tota ueritatẽ, unà cum Baſilio & Nazianzeno, quibus familiaris fuit, animo infracto propugnauit, ac rem præclarè geſsit: ut Theodoretus aliquoties indicat lib. quarto, cap. uigeſimoſexto, uigeſimonono, & trigeſimo. Oppoſuit & Maximi ſeſe electioni in ſynodo Conſtantinopolitana, quem in locũ Gregorij Nazianzeni epiſcopum conſtitui, concedere noluit: Theodoreto teſte libro quinto, capite octauo.

Indicat & ipſe in oratione de ijs qui adeunt Hieroſolyma, ſe uehiculo publico & ſumptibus regis ſui aliquando miſſum fuiſſe in Arabiam, ad corrigenda incommoda quædam in Eccleſijs. Ex quo itinere obiter ſe diuertiſſe ſcribit ad fratres Hieroſolymitanos, atque inter eos cum diſſenſio nata eſſet, mediatorem & ſequeſtrum egiſſe. Narrationem ipſam, in qua peregrinandi conſuetudinem ad loca ſancta reprehendit, nec ex uſu eſſe eam Chriſtianorum, rationibus probat, quia breuis eſt, & rarius extat, de uerbo adſcribimus.

Gregorij Nyſſeni epiſcopi, de ijs qui adeunt Hieroſolyma, oratio: incerto interprete.

¶ Quia me rogaſti amice, per epiſtolam, mihi ordine de omnibus tibi reſpondendũ exiſtimaui. Equidem qui ſemel ſe altiori uiuendi rationi dedicarunt, cum eis præclarè agi cenſeo, ſi perpetuò ad Euangelij uoces intueantur. ac quemadmodum qui uirgula quicquid propoſitum eſt dirigunt, eius rectitudine tortuoſa quæ in manibus habent, ad rectitudinem adducunt: ita conuenire arbitror, ut ueluti quandam regulam rectam & immutabilem, Euangelicam dico politiam, his admouentes, eius arbitrio ad Deum hæc dirigamus. Cum itaque ſint qui ſolitariam & priuatam uitam ſibi delegerint, quibus uice pietatis habeatur Hieroſolymitana loca uidiſſe, in quibus indicia Domini aduentus per carnem conſpiciuntur: præclarè ſe res habet, ſi ad regulam ipſam reſpiciamus, idque ſi uelit præceptorum ductus, ut opus faciamus quaſi mandatum Domini: Sin præter Domini præcepta id appareat introductum, haud ſcio quid ſit, quod præcipiat uelle quid aliquem facere, qui ſe ſibi legem boni fecerit ipſum. Vbi ad regni cœlorum hęreditatem conſequendam appellat Dominus benedictos, profectionem in Hieroſolyma inter rectè facta, quæ eò dirigant, non enumerauit: ubi beatitudinem annunciat. tale ſtudium, talemque operam non eſt complexus. Quod autem neque beatum efficit, neq; ad regnum conducibile eſt, quid in eo ſtudium & opera ponatur? Qui mentem habet, conſideret. Atqui ſi id opus utilitatis quid habuiſſet, non ita, non tam præclarum à perfectis ſtudio dignum uiſum fuiſſet. Quoniam autem id factum diligenter examinatum, animo detrimentum conciliat, ijs qui accuratè uitæ degendæ incumbunt, longo ſtudio indignum eſt: imò maximè cauendum, ut nihil attentet eorum quæ lędant, is qui ſecundum Deum uitam inſtituit agendam. Quid igitur eſt in his quod lædat? Sancta & grauis uitæ inſtitutio eadem omnibus & uiris & fœminis propoſita eſt. Peculiaris eſt uitæ philoſophicæ honeſtas & caſtitas: quę in uita ſua cuiuſq; non mixta ac ſeorſim acta conſummatur, ueluti impermixta eſt, & minimè confuſa natura: neq; fœminis in conſortiũ uirorũ, neq; uiris in mulierũ ad tuenda caſtitatis & honeſtatis officia cõtendẽtibus. At uerò itineris cõficiẽdi neceſsitas nunquã nõ diligentẽ in his obſeruantiam ad indifferentiam

rentiam obseruandi adducit. Nam tantam uiam fœmina, nisi qui eam cõseruet habeat, percurrere nequit: tum quia propter naturalem imbecillitatem iumento uehenda est, illincq; reducenda: tum quia in difficultatibus tuenda ac seruanda. Quicquid autem supponere possimus, siue notum habet, qui ei prestet obsequium, siue mercenarium, qui famuletur, ex utraque parte quod fiat reprehensionem non effugiat. Neq; enim extero se committens, ac in eo acquiescens, neque proprio, continentiæ legem conseruet. Cum autem in locis illis Orientalibus diuersoria & hospitia urbes q; in multis licentiam & ad malum indifferentiam habeant, qui fieri poterit, ut qui per fumum ambulet, non exasperetur oculis? ubi inquinatur auris, inquinatur oculus, inquinatur & cor per oculos & auditum nefanda excipiens, qui fieri poterit, ut non afficiatur, qui affecta loca transgreditur? Quid uerò etiam plus est habiturus, qui locos illos adit? quasi uerò etiamnum Dominus corporaliter in locis illis degat, ac à nobis abierit: aut ueluti sanctus spiritus apud Hierosolymitanos abundet, ad nos autem transire non possit. Atqui ex ijs quæ conspiciuntur Dei præsentiam conijcere licet, potius in natione Cappadocum Deum moram trahere quis statuerit, quàm in externis locis. Nam quot sunt in ijs altaria, per quæ Domini nomen celebratur? Nec sanè quis totius fortasse orbis enumeret altaria. Deinde etiam si in locis Hierosolymitanis plus gratię diuinæ inesset, illic uisuentium peccatum nõ tam frequens & consuetum esset. Iam uerò nullum est immunditiæ genus, quod ipsi non audeant: ac mali ciæ, adulteria, furta, idololatriæ, ueneficia, inuidiæ & cædes. ac tantum in primis malũ illic tam frequens & assiduum est, ut nusquã tanta sit ad trucidandũ promptitudo, quanta illis locis inhabitat, ubi beluino more in sanguinem contribulorũ mutuò incurrunt, frigidi lucri causa. Vbi ergo hæc fiunt, quo argumento intelligas, illis in locis ampliorem gratiam esse? Sed scio quid mihi multi aduersus ea quæ dicta sunt, obijciunt. Aiunt enim: Quamobrem hæc contra te etiam non decernis? Si enim nullum operæ precium facit, qui secundum Deum illuc peregrinatus fuerit, quamobrem frustra tantã uiæ molestiam sustinuisti? Audiant igitur, quo iure me in ijs defendam. Mihi propter hanc uiuendi rationem, in qua ut uiuam, ab eo qui dispensat uitam nostram constitutus sum, necesse fuit pro sancto concilio habito emendandæ Arabicæ ecclesiæ gratia, ad loca ista proficisci. Ac cum esset Arabia locis Hierosolymitanis cõtermina, pollicitus erã me unà cũ ijs qui sanctis Hierosolymitanis præsunt ecclesijs disceptaturum, quòd rerum illis esset status perturbatus, ac quodã qui medius intercederet egerent. Prętera uerò ipso quoq; pijssimo rege uiæ facilitatẽ conceden te curru publico, nulla nobis necessitas fuit ea perpeti, quæ etiam aliàs cogitabamus. Ve hiculum enim nobis pro Ecclesia & monasterio erat, omnibus per totam uiam simul psallentibus, & ieiunantibus Domino. Nostrum ergo exemplum neminem offendat, quin potius probabilius inde nostrum consilium fiat, quòd de rebus ijsdem quæ nos aspeximus, consilium nostrum demus. Nos enim CHRISTVM, qui apparuit, esse Deum uerum confessi sumus, etiam antequam eò iuissemus: & item postea, fide neq; imminuta, neq; postea adaucta. Quodq; homo per uirginem natus sit, antequam Bethleem intueremur, sciuimus. Et à mortuis resurrectionem, etiam ante monumentum uisum credidimus: ac ascensionẽ in cœlos, nõ conspecto monte Oliuarum, uerã fuisse confessi sumus. Emolumẽti autem id tantulum ex itineris cõfectione habuimus, quòd ex collatione cognouimus, nostra externis longè sanctiora esse. Vnde uos qui timetis Dominum, in quibus locis estis, eum laudate. Localis enim mutatio, ut Deus propior fit, nõ efficit: sed ubi ubi fueris, ad te Deꝰ ueniet, siquidem animæ tuæ diuersoriũ tale inueniatur, ut in te Dominus inhabitet, inambuletq;. Sin hominem interiorem peruersis cogitationibus plenum habeas, etiamsi in Golgotha fueris, etiamsi in monte Oliuarum, etiamsi sub monumento resurrectionis, tantundem abes, ut CHRISTVM in teipso suscipias, quantum qui ne initio quidem religionem profesi sunt. Consule ergo dilecte fratribus, ut à corpore peregrinentur ad Dominum, non è Cappadocia in Palæstinam. Quod si quis obijciat Domini uocem discipulis præcipientem, ne discederent ab Hierosolymis: intelligat quid dictum illic uoluit. Cum sancti spiritus gratia & dispersio nondum uenisset Apostolis, iussit eis Dominus in eodem simul loco manere, donec induti essent uirtute ab alto. Ac si, quod initio fiebat, ut spiritus sanctus ignis specie dona singulis impertiret, hucusque fieret, omnes oporteret in eo loco esse, ubi dona distribuerentur. Sin spiritus ubi uult spirat: ij quoque qui hic sunt, ac credunt, participes fiunt, iuxta fidei analogiam, non iuxta peregrinationem in Hierosolyma susceptam. Hactenus oratio Nysseni.

Mirum autẽ est, quo testimonio Nicephorus lib. undecimo, capite decimonono, uxorem habuisse hunc Gregorium scripserit: cum in oratione de Basilij uita Nazianzenus

diſertè affirmet, tres eos fratres, Baſilium, Petrum & Gregorium, cœlibes fuiſſe. Obijſſe autem Gregorium poſteriorem Baſilio, Socrates teſtatur libro quarto, capite uigeſimoſexto.

DE BASILIO MAGNO *Cæſarienſi.*

AFfirmat Nazianzenus in oratione ſeu monodia quam de uita Baſilij magni conſcripſit, de Baſilio Gregoriũ Nyſſenũ & Amphilochium epiſcopũ Iconij luculentiſsimè ſcripſiſſe: ſed de Nyſſeni illis quæ in uitam Baſilij cõmentatus eſt, in ipſius ſcriptis quæ hodie extant, quanq̃ non omnia prolata adhuc ſint, nihil habemus. Quæ uerò de eodem, ex Amphilochio Vincẽtius in Speculo recitat, ſuo poſtea loco indicabim⁹: tametſi nec illorum autor uidetur eſſe Amphilochi⁹ ille Iconienſis, quem de Baſilio luculẽta oratione dixiſſe Naziãzen⁹ retulit. Nos hic, quę de Baſilio in ea partim quã dixim⁹ monodia, partim in epiſtolis & alijs ſcriptis Nazianzen⁹ (animę Baſilij dimidiũ, ſi nõ una prorſus atq; eadẽ anima) ꝓdidit, breuiter cõmemorabim⁹.

Primùm, ex familia natus eſt Baſilius, quę pietatis, iuſticiæ ac cõſtantię Chriſtianę commendatione admodum fuit celebris. Pater nomine & ipſe Baſilius, ex Helenoponto, quod oppidum Ponti fuit: mater uerò Eumele, è Cappadocia originem habuit. Auus Baſilij in perſecutione uehementi illa, quam in Chriſtianos exercuit Maximinus, de hoc laudatur, quòd cum Chriſtian⁹ eſſet, periculis ultro ſe ac ſuos obijcere nolẽs, cum cognatis & paucis miniſtris, in montis ſpecum ſeſe abdiderit ad ſeptennium. Quo toto tempore, cum nullius alimenti, præterquã panis copiã haberet, miraculoſis modis diuinitus ſuſtẽtatus: ad poſtremum tamẽ, martyrium pro Chriſto cõſtantiſsimè fecerit. Patrem Baſilij cõmunem fuiſſe uirtutis præceptorẽ, primùm in Ponti oppido Nyſſę, deinde & ſacerdotẽ ac epiſcopũ fuiſſe, Nazianzen⁹ retulit. Matrem uerò, matronã piam, prudentẽ & induſtriã, atq; illis planè uirtutib. prędităm, quas Eumeles nomẽ ſonat. Quod ad externam fortunã attinet, diuites fuêre mediocriter: atq; ex illis quæ poſſederũt, in pauperes & hoſpites liberales pro pietate, & benefici.

Inter quinque autem, quæ eximia & rara laus eſt, ac pietatis & uirtutis præmiũ, prognatos ex ſeſe filios, tres ex illis epiſcopi euaſerunt clariſsimi: Baſilius nimirum hic Cæſareæ, ut poſtea dicemus: Petrus Sebaſtæ, Gregorius apud Nyſſam. Sed de duobus poſterioribus, alibi nobis dicendum erit: nunc de Baſilio quę commemorare inſtituimus, perteximus.

A patre igitur, cõmuni (ut diximus) literarum & pietatis pædagogo, rudimenta primа baptiſmi & pietatis, deinde & grammaticam, ac morum diſciplinam accepit in Ponto. Sicut de hoc ſuo, ut præcipuo ornamento, ſubinde gloriatur: natũ ſe ſcilicet ex Chriſtianis parentibus Chriſtianũ, & ad pietatẽ formatum à puero. Quam ſibi fœlicitatẽ, ut eſt eximia, ipſe ſibi gtatulatur in proœmio Aſceticorum, ubi, Bonitate (inquit) & beni-
gnitate optimi Dei, per gratiã Domini noſtri IESV Chriſti, ſecundũ operationẽ Spiritⁱ ſancti, ab errore gentiliũ traditionũ ereptus, & iam olim ab initio à Chriſtianis parentibus educatus, ab ipſis quidem à puero ſacras literas didici, quæ me ad ueritatis agnitionem induxerunt. Quin & cum nutricis, quod dicitur, lacte, pietatis ſe doctrinã imbibiſſe, non ſemel indicat. Educatũ enim ſe ſcribit à pia et ſancta nutrice, cui nomen fuerit Macrina, quæ ſuperiori ætate Gregorium audiuerat Neocæſarienſem, & ex eius doctrina permulta ſubinde inculcabat infanti Baſilio. Qua de re ipſe ad hunc modũ ſcripſit in Epiſtola quadã ad Neocæſariẽſes: Fidei noſtræ, inquit, quæ poterit eſſe euidẽtior probatio, quàm quòd à nutrice beata fœmina, quæ ex ueſtro gremio progreſſa eſt (Macrinam dico, illuſtrem illam) educati ſumus? à qua & beatiſsimi Gregorij uerba, quæ memoriæ beneficio ad illi⁹ uſq; mortẽ ſeruata ipſa retinuit, edocti ſumus: quib. illa nos adhuc infantes, tanquam pietatis dogmatib. finxit & formauit. Atq; educatũ ſe quidem à nutrice in eo Ponti loco, quem poſtea propter ſtudiorum commoditatem perpetuò amarit plurimùm ac coluerit, in alia quadam ad eccleſiam Neocæſarienſem epiſtola ſcripſit.

Maturiori deinde ſuccedente ætate, poſteaquam Catecheſeos & Grammatices prę-
cepta, domeſtica diſciplina perdidiciſſet, miſſus eſt à patre uberioris capiendi ingenij cauſa gratia, Cæſaream Cappadociæ metropolim: quæ tum ciuitas literarum gloria, & diſcentium frequentia, in tota Aſia præcipuè excellebat. Vbi in eloquentię & philoſophię ſtudijs uerſatus adeò eſt fœliciter, ut æquales omnes ferè facile ſuperarer, magna ſui cũ admiratione & laude. Pòſt Conſtantinopolim uenit, quæ & ipſa urbs literarũ ac philoſophiæ ſtudijs clara tum fuit. Sed hac rurſus relicta, Athenas poſtremò progreſſus eſt, ubi eum Nazianzenus uidit primùm, & cognouit. Coniũctio uerò animorũ & ſtudiorũ inter utrumq; tanta mox interceſsit, ut perpetua & conſtans amicitia enata ſit inter eos, duraritq; ſemper. Ad quod maximũ tulit adiumentũ, morũ utriuſq; ſimilitudo. Socrates lib. quarto, cap. uigeſimoſexto, præcepto-
rib. utrumq; uſum ibi fuiſſe ſcripſit, Numerio & Proæreſio, qui celebres eo tempore Sophiſtæ erant. Inde Conſtãtinopolim rediit: quo

quo tempore Nazianzenus Alexandriã profectus est. Socrates Oratoriã eum exercuisse Antiochiæ, apud Libanium sophistã, narrat: quod circa hæc tempora factum fuisse apparet. Libanius enim, qui peculiari ad Basilium epistola, egregiam eius laudationem texuit, ait, eum Antiochia discedẽtem Athenas redijsse: ac tandem in patriam, ubi Theologum se professus sit, ut postea dicemus. Igitur Athenas redijt, ubi denuò Nazianzeno coniunctus, Christianam cum eo pietatẽ exercuit & professus est: ubi & collegium quoddam discipulorum pietatis à se doctrinam discentium habuit, pœnitentia fractus, quòd bonam ætatis ac meliorẽ partem gentilium disciplinis impendisset. in quibus cognoscendis illud tamen adhibuit iudicij & prudentiæ, ut quæ in illis potiora essent seligeret: quæ uerò non usq; adeò necessaria ad uitam formandam essent, minimè curaret. In epistola certè ad Eustathium medicum, & uanitatẽ dixit gentiliũ disciplinas, & insaluatam adeò sapientiam: ac talia omnino, qualia ad Euangelicã collata ueritatẽ, inutilia prorsus deprehendantur: in quibus tantũ se temporis consumpsisse dolet ac deplorat. Ad confirmandam igitur doctrinæ cœlestis cognitionẽ, peregrinationes ad diuersas ecclesias Basilius postea multas suscepit: quẽadmodum aliquoties ipse cõmemorat. Nam in epistola ad Cæsarienses, multum se tellus ac pelagi emẽsum scripsit, quamprimùm ad ætatis maturitatem & intelligendi facultatem peruenisset. Solicitè autem in singulis ecclesijs obseruasse, qui similia docerẽt præceptis illis, quæ de pietate à puero, nutricis & parentum suorum traditione acceperat: ac quoscunque sic credentes & docentes inuenerit, patrum se loco complexum esse, ac ueneratum.

Baptizatum autem eum uel à patre sacerdote, uel à Gregorio episcopo, Nazianzeni patre, uerisimile est: quanquam qua ætate, quo tempore, aut loco, non legitur. Nam quòd ex Amphilochio commemorare se fingit Vincentius lib. decimoquarto, capite septuagesimooctauo, cũ Eubulo scilicet præceptore suo à se prius cõuerso Hierosolymã adijsse Basilium, & baptismũ à Maximo episcopo in Iordane accepisse, apud alium nullum probatioris fidei scriptorem reperitur.

Porrò Athenis, ubi eum studia sua cum Nazianzeno denuò coniunxisse & communicasse diximus, relictis, in patriã redijt, cum eum sequi per ualetudinem afflictam non posset Nazianzenus, qui & inuitus maximè ibi remansit. Sed ualetudine recuperata paulò pòst, secutus est. Cæsareæ cum aliquandiu uixisset, adiutor in administranda Ecclesia datus est Eusebio episcopo: in quo officio peregrinationibus iterum operam dedit, & ad uisendum Teclę templum Seleuciã abijt. Inde per gradus singulos ad sacerdotij dignitates paulatim ascendit. Nazianzenus enim sacrorum eum uoluminũ lectorem primùm, deinde & enarratorem & interpretem fuisse narrat. In diaconatus uerò ordinem ascitum eum à Meletio Antiocheno episcopo, autor Socrates est libro quarto, capite uigesimosexto. Ac meminit presbyterij eius, Nazianzeni de Basilio narratio, quo eum Cæsareæ functum apparet. Quo tempore, calumnijs quorundam alienus ab eo factus Eusebij animus est: qui tanto eum odio & inuidia prosecutus est, ut ab Ecclesia omnino eum repellere, nisi à Nazaræis & Ascetis monachis, ut Nazianzenus refert, prohibitus fuisset, conaretur: quantumuis populo tanti uiri orbitatem indignè ferente. Meminit eius simultatis Nazianzenus, & Eusebiũ ob odium in Basilium obiurgat, in epistola quadã ad eundem. Sed, qua fuit moderatione Basilius, trãquillitati Ecclesiæ consulens, tantum abest ut per iurgium Eusebio, in eius innocẽtiam iniustè exacerbato sese opposuerit, ut etiam sponte odio Eusebij cesserit, ac in monasterium quoddam Ponti se receperit, ex quo ad societatẽ uitæ solitariæ Nazianzenũ inuitauit, quemadmodũ eiusdẽ epistolę testantur.

Cum autem Valens Imperator, signifer ac patronus Arianæ factionis, persecutionẽ in orthodoxos exercens, Cæsaream uenisset, turbaturus atq; euersurus omnes Ecclesias quæ cum Arianis non sentirent: missus ad Basilium Nazianzenus est precator, ut si Ecclesiam & patriam saluam ueller, ad eam statim recurreret. Paret igitur Basilius, ac communis Ecclesiæ periculi declinandi gratia Cæsaream reuertitur, & cum Eusebio in gratiam redit, ac gubernationem cum eo communem Ecclesiæ subit, in uerè atque ex animo concordia inita, magna cum authoritate & exemplis omnium laudabilium uirtutum. Eodem tempore & Nazianzenum ad se uocauit, ut in dimicatione contra Arianorum furores, consilijs suis & opera se iuuaret. Qua de re exemplum epistolæ extat in Nazianzeni oratione.

Eusebio deinde decedente, in eius locum episcopus constituitur, post Valentis mortẽ, ut Nazianzenus indicat, circa annum Domini trecentesimum octuagesimum: quo eum anno episcopum celebrem fuisse Cæsareæ, Hieronymus in Chronico retulit, eo tempore quo turbatissimus Ecclesiæ & afflictissimus fuit status: Arianorũ furoribus per uniuersum Orientem grassantibus. adeò ut scintilla quasi extinctę propemodum fidei, solus ipse (quemadmodum Socrates indicat lib. 4, capite uigesimosexto: & Nazianzenus in epistola

epistola quadam ad Basiliũ) reliquus fuerit.

Hinc conijci potest, in quàm turbulẽta & miserrima tempora Basilij episcopatus inciderit: de quib. ipse, quanto cum dolore queratur & ploret, epistolæ eius multæ testantur. Qualis illa est, quum de impietate eorũ temporum scribit ad fratres per Italiam & Galliam, ubi omnia per Orientẽ repleta esse ait hæresibus: & uaticinium addit non inane, defectionis scilicet initium cœpisse in Oriente, grassaturum deinde per uniuersum orbem: sicut exortum quondam in eodem loco Euangelij regnũ, in totum orbem propagatum fuisset. quod & in epistola sequenti repetit: An nouissima, inquit, hora est, & hoc pacto initium sumit defectio? Postea uerò grassantes simul eodem impetu & furore hæreses explicat hoc modo: Vnigenitus, inquit, blasphematur, Spiritus sanctus deho nestatur, error multorũ deorum obtinuit: magnus apud illos Deus est, & paruus: filius non naturę nomẽ, sed honoris appellatio reputatur: spiritus sanctus nec ad sanctæ Triadis appellationẽ pertinere, nec diuinæ beatæq; naturæ consors, sed ex creatorũ numero temerè & utcunque patri & filio adiectus esse. Cuiusmodi querelas ortas ex uehementi pro Ecclesiarũ salute solicitudine, Epistolæ eius ostendunt, 61 & 69. Et in quo illustrior Basilij effulsit pietas & uirtus, quòd in officio arduo & difficili cõstitutus senex, ualetudine præterea utens misera & afflicta, cuiusmodi plerunq; ab initio uitæ ad extremũ usq; fuit, Ecclesiæ nunquã defuit: sicut post acceptum episcopatum, ut uidetur, in hanc de se sententiam scripsit: In uitam heri uenimus, quæ & corpus meum conterit, & animam conturbat, quod impares huic ponderi uirtute reperiamur. corpore namque toto iam ferè nullus sum. ad eam deduxit me cura debilitatem. Attamen autore Deo durabimus: ac donec hos spiritꝰ reget artus, hanc Christo diligentiã debebimus, ut de his quę ad Dei Ecclesiæ ædificationem facere cognoscimus, nihil relinquamus.

Prima igitur eius in episcopatus functione commẽdatur solicitudo anxia, quemadmodum diximus, & uehemẽs pro Ecclesia, non sua tantum, sed & aliarum uicinarum: quas nõ minori complectebatur cura quàm Cæsariẽsem, & ad eas iuuandas aut instituẽdas sæpe excurrebat. fuit enim episcopꝰ metropolitanꝰ. Qua cura & studio deinde longissimè etiam ab Oriẽte distantiũ Ecclesiarũ affectus fuerit, uel una ad occidẽtales episcopos epistola scripta testatur: in qua solicitè sese metuere scribit, ne si opem ipsi orientalibus Ecclesijs ferre recusent, malum inualescat, atq; eam quoq; partem quæ in Occidente integra adhuc esse uidebatur, corripiat & populetur. uerba enim eius sunt: Metuimus ne quãdoq; malũ hoc acceptis uiribus, instar flammæ per accensam & ardentẽ materiam serpẽtis, si quæ uicina sit, corripuerit & absumpserit, corripiat & remotiora. Depopulatur enim hoc hæreseos malum: & periculum est, ne uastatis nostris Ecclesijs, & ad sanam incolatus uestri partem serpat.

Deinde ardens & acre studium in discenda & uestiganda scriptura, in eo Nazianzenus commendat. Quanquam in arduo illo & laboriosissimo munere, nec philosophiæ studia prorsus abiecit: sed ex Scriptura potissimum sibi arbitrabatur petendam esse armaturam, quoties aduersus hæreticos standum & dimicandum sibi esset. Tum ad eam, ad sacram quasi anchoram, confugiebat. sicut ipse testatur in epistola ad Eustathium medicum, in qua præclarè inquit: Stemus arbitratu inspiratæ à Deo scripturæ: & apud quos inueniuntur dogmata diuinis oraculis consona, illis omnino ueritatis adiudicetur sententia. Ac de eo eius studio Nazianzenus: Omni, inquit, studio & opera ad resistendũ hæreticis paratus, nihil potius habuit, quàm sacrorum uoluminum arcana fibrasq; omnes uestigare, ac in mediũ adducere. Quin & ita ex sacris literis cõfirmasse iudicium se suum scripsit, ut nullo unquã aut dicto aut sententia aberrarit: sacra uerò uolumina nec eloquentiꝰ, nec uerius, nec uberiꝰ eo quisquã enarrarit. ita duabus pulcherrimis uirtutibus episcopo maximè dignis, ornatus in suo munere fuit Basilius, solicitudine scilicet, & uero ecclesiarum sibi commissarum amore, & studio ueritatis: quam ex sola sacra scriptura cognoscẽdam esse, ab ineunte ætate didicerat. Quibus & hæc duo adiunxit: assiduitatem nimirum in docendo, à qua nec aduersa ualetudine remisit, sicut ipse testatur in Homilia septima in Hexameron: & modestiam, qua, quæcunq; docebat aut scribebat, aliorum iudicijs haud grauatè subijciebat. Et in Apologia ad Cælarianos testatur, se & censuras et emendationes aliorum, qui meliora docerent, ferre posse. Consiliorum autem in eo postea fuerunt & alia maximè illustria ornamẽta, ut industria in gubernatione, mansuetudo, lenitas in castigando, humanitas, constantia, grauitas, iusticia, pietas, & paterni in omnes homines affectus, ac præcipuè in pauperes exprompta beneficentia & facilitas. Narrat quoddam eius pietatis & humanitatis factũ Nazianzenus: quod cum ingenti aliquando fame Cæsarienſiũ ciuitas, ac tota ea regio laboraret, facultates suas uendiderit, ac de precio quodcunque ex rebus uenditis redijsset, frumentum compararit, quo pauperes omnes, lutum dæorum etiam pueros aluerit toto eo famis tempore:

tempore. Conſtruxit & pauperum hoſpitia, & xenodochia: ex quo genere nobiliſsimũ quoddam ab eo extructum fuiſſe Cæſareæ, quod de nomine ſuo appellarit Baſiliada, Sozomenus retulit lib. 6, cap. trigeſimoquarto. Celebris fuit & dono medicandi per orationem, ut infrà indicabimus.

Ex ſcriptis porrò eius & monumentis, Nazianzenus hæc tantum recenſet: Hexameron, in quo opere complendo communem ei dedit operam frater Gregorius Nyſſenus: Libros contra Eunomiũ, quos ignem inconſumptum idem uocat: Librum ad Amphilochium de Spiritu ſancto, ſcriptum ea occaſione, quòd in articulo de Spiritu ſancto erraſſe Baſilium maleuoli quidá calumniabantur: Epiſtolas nonnullas: Sermones ſupra uatios ſcripturæ locos, & Homilias ad populũ. Hieronymus ἀσυγχύτως adiecit, de quo poſtea quæ conuenit admonebimus.

Extant hodie Baſilij opera duobus cõprehenſa tomis, hoc ordine & numero:

¶ Hexameron, ſiue de mundo ſex diebus condito, homiliæ uigintinouem.

Aduerſus Eunomij Apologeticon libri quinq; De æqualitate patris & filij in diuinis: Quòd filius in diuinis nõ ſit factura, nec patre duratione aliqua poſterior: De Spiritu ſancto: De diuinitate filij: Quòd Spiritus ſanctus non ſit creatura.

Liber de ſpiritu ſancto ad Amphilochiũ, in cuius libri medio Eraſmus inſerta quædã ab alio eſſe cenſet, quæ non redoleant uirtutes & characterem Baſilij.

Homilia de uirtutib. & laudib. Pſalmorũ.

Sermones in Pſalmos, primum, ſeptimũ, decimumquartum, uigeſimumoctauum, uigeſimumnonum, trigeſimumſecundum, trigeſimumtertium, trigeſimumſeptimũ, quadrageſimumquartũ, quadrageſimũquintũ, quadrageſimumoctauũ, quinquageſimumnonum, ſexageſimumprimũ, centeſimũ decimumquartum, centeſimum decimũquintũ.

Sermones in aliquot dicta ſcripturæ: ut in illud Lucæ, Hominis cuiuſdam diuitis ager abundauit. Sermo in diuites auaros: ſuper illud Matthæi, Magiſter bone, quid boni faciam, &c. Alius ſermo in diuites, ſupra uer ba illa ſcripturæ, In fame & ſqualore, &c.

Sermones duo de ieiunio. Sermo alius in ebrietatem & luxum. De inuidia. De ira. In uerba Moſi, Attende tibi ipſe, ſermo. Quòd Deus nõ ſit author malorum, ſermo. De gratijs Deo agendis, ſermo. In Martyrem Iulittam ſermo. De fide, ſiue de trinitate, ſermo. In uerba illa, In principio erat uerbum, ſermo. Sermo in principium Prouerbiorum. De humana Chriſti generatione, ſermo. In aliquot ſcripturæ locos, de multorum uitiorũ natura & proprietate, ſermo. In quadraginta martyres ſermo. In Gordiũ martyrem militem, ſermo. Quomodo gentilium ſcriptorũ ſtudia adoleſcentibus proſint, ſermo. De ſpiritu ſancto, ſermo. Contra Sabellianos, Arium, & Eumonianos, ſermo. De martyre Manante, ſermo. De Barlaam martyre, ſermo. De pœnitẽtia, ſermo. De Humilitate, ſermo. Non eſſe adhærendũ reb. ſecularibus, ſermo. Sermo primus, ſeu exhortatio ad Baptiſmũ in aliquot partes diſtributa, quarũ prima eſt: Quibus reb. baptizandos oporteat eſſe inſtitutos. Secũda, Baptiſmus in Euãgelio Dñi noſtri Ieſu Chriſti quomodo fiat. De Baptiſmo ſermo ſecũdus, in capita digeſtus tredecim: de Baptiſmo, de praua cõſciẽtia, de Euchariſtia, de fide uerborum Dñi, de incredulitate, de inobediẽtia, de ſeruo peccati, de operibus legis, de prẹuaricatoribus, de ſcãdalo, de obſeruatiõe mãdatorũ Dei, dona Dei quib. impertiẽda, de tẽtatione.

Tomo ſecundo inſunt: Epiſtolæ ad diuerſos, quibus & Nazianzeni epiſtolæ admixtę ſunt. Sermo de Paradiſo. Liber de uera uirginitate. De renũciatione huius uitæ, & ſpiritalis perfectione, ſermo aſceticus. Cuius argumẽti & poſtea aliquot ſequuntur ſermones, de quibus breuiter monemus: dubitari nimirum à quibuſdam, an Aſcetica ea omnia Baſilij γνήσια ſint, cũ pleraq; ſeueriora ac horridiora ſint. Quanquam & argumenta alia in promptu ſunt. nam in Catalogo monumentorum Baſilij, in oratione Nazianzeni, Aſcetica illa nõ recenſentur: quæ certè homo qui ex profeſſo laudationem Baſilij inſtituerat, omiſſurus minimè fuiſſe uidetur. Deinde Sozomenus libro tertio, capite decimoquarto adfirmat, nonnullis uiſum, Aſcetici illius libelli autorem fuiſſe Euſtathium, qui Sebaſtiæ Armeniæ, monaſticæ uitæ autor extiterit Armenis, ijsq; qui ad Pontum habitant, ac de uita ea religioſe inſtituenda, deq; cibis quibus eam uitam profitentibus uel utendũ uel abſtinendum eſſet, de ueſtitu denique & moribus, ſcripſerit.

Tituli Aſceticorũ ſequentiũ ſunt: Quemadmodum monachus amari debeat. De fide & uita Chriſtiana. Epiſtola Aſcetica ad quandam canonicam, de diſpoſitione religionis exercendæ. De iudicio Dei proœmium. Sequuntur: Sermo de fide, Ethica continentia, Definitiones orthodoxę octoginta uarijs ſcripturę locis explicatæ. Rurſus ſermo aſceticus de homine, quòd ſit imago Dei, quæ peccato deformetur. Alius itẽ ſermo aſceticus, uitæ religioſæ ſcopũ eſſe animæ ſaluté, diſtributus in capita quinquagintaquinq; Definitiones ſiue regulæ cõtractiores, cõplectentes quęſtiones CCCXIII: de quo Opere ſcholiõ, extat poſt quęſtionẽ CCLXXXVI, hoc modo: Scriptus eſt hic liber ad exẽplar uetuſtiſsimũ

è Ponto allatum, & ex illis locis, in quibus Magnus Basilius uitam monasticam exercuit: collatus autem simul est & ad codicem Cæsariensem, repertum in ęde pauperum, ab ipso ædificata, quam nunc Basiliada uocant, ex quo sequentia uigintitria capita præmissis adiecta sunt.

Constitutiones, quibus utendum cœnobitis, aut solitariâ alioqui uitâ degentibus, distributæ in capita trigintaquinque. Epistola ad Chilonem discipulum, de uitæ perfectione. Epistola alia ad Monachum præuaricatorem. Et admonitio ad iuniores.

Stylũ Basilij Raphael Volaterranus patriũ dixit, hoc est, Asiaticum & abundantem: de quo & Erasmi censurâ in nũcupatoria præfixa libro ad Amphilochium, adijcimus: Basilius, inquit, ubiq; est sanus, simplex & candidus, sibi constans, atq; etiam instans, nunquam ab eo quod agitur excurrens temerè, nusquam diuinis mysterijs admiscens philosophiam mundanam, nisi per aduersarios coactus, idq; contemptim: sed ubiq; placidus, & uirgineo quodam pudore incedit, ab omni ostentatione alienissimus, ne in pugna quidem ab ingenij lenitate recedens.

Doctrinam porrò Basilij rectam, puram & genuinam, atq; ex ipsa mente scripturæ extructam, de omnibus partibus doctrinę Christianæ, de quibus docuit quidem, scripta eius testãtur. Affirmat ipse in epistola ad Neo Cæsarienses, se nullius sententiæ conscium esse, quàm sanæ doctrinæ contrariam & inimicam, cordi suo admiserit. Et in epistola ad Eustachium episcopum: De hoc, inquit, uno in Domino gloriari ausim, quòd nunquam falsas opiniones habuerim de Deo, neq; aliter sentiendi, animi postea iudicium mutauerim: sed quam à puero sententiam de Deo à beata matre, deinde & nutrice mea Macrina recepi, illam iustis incrementis auctam in me ipso conseruauerim. Et in Hexameron homilia tertia: Iam ab ipsa diuina scriptura ita instituti sumus, ut nihil ultra ea quæ nobis sunt concessa, menti nostrę imaginari cogitareq; concedamus.

De utilitate uerò cognitionis & lectionis scripturarum, multa subinde tradit. ut in epistola prima ad Gregorium theologum: Potissima, inquit, ad recti inuentionem uia est, meditatio diuinarum scripturarum. In illis namque & agendorum præcepta inueniuntur, & uita beatorum uirorum clarè depicta, instar animatarum quarundam imaginum, quæ secundum Deum est conuersationis, ad bonorum operum imitationem tradita proponitur. Et quidem quacunque re se indigere quispiam senserit, si illas uersauerit, quasi ex communi quadam rerum medicarum officina, commodum infirmitati suæ pharmacum inueniet, & cæt.

Extat inter Ascetica sermo de fide, in quo symbolum recitat, cõgruens cum Apostolico & Nicæno: quod & ad uerbum recitat in epistola ad Episcopos trãsmarinos, cui breue & luculentũ de fide & Trinitate testimoniũ adijcit, hac forma: Oportet baptizari nos, iuxta quod à Domino accepimus: & credere sicut baptizamur: glorificare uerò patrem & filium & spiritum sanctum, quemadmodum credidimus. Cuiusmodi ualde illustria testimonia de tribus in una diuinitate personis, passim in omnibus eius propemodũ scriptis multa extant. Libro quinto contra Eunomium ait: Ex Deo quidem esse spiritũ, apertè prædicauit Apostolus dicens, Quòd spiritũ qui ex Deo est accepimus. Et per filium effulsisse, clarum fecit, cum filij spiritũ, sicut Dei, ipsum nominarit, et mentẽ Christi dixerit: sicut & Dei spiritũ, ut hominis: filiũ uerò filij dicere cauit, ut unus sit pater Deus, semper pater permanens, & sit in æternũ quod est: unus uerò filius æterna generatione natus, qui absq; participio unà cum patre est filius Dei uerus, qui semper est quod est, Deus uerbum, & Dominus: unus autẽ & spiritus sanctus, uerè sanctus spiritus, secundũ quod scriptum est, Qui cum patre & filio conglorificatur, &c.

De Deo, in sermone super illud Mosę, Attende tibi: Incorporeum, inquit, nosce autem omnia Deum, ex anima tua incorporea tibi inexistente, non loco circumscriptum, quoniam neque mens tua præcipuam in loco mansionem habet, quamuis ob corporis cõiunctionem in loco maneat. Inuisibilem esse Deum crede, tui ipsius animam cognoscens, quando & ipsa corporeis oculis comprehendi non potest. Non enim aut colore obducitur, aut figura circumscribitur, aut charactere aliquo corporeo cõprehenditur, sed tantũ ex actibus & gestis cognoscitur.

De Christo, libro quinto contra Eunomiũ: In filio patrem cognosce, in patre filium glorifica: non partiaris quæ impartibilia sunt, non scindas quæ non scinduntur. Nam etsi scindere uolueris, non tamen scinditur. Etsi dirumpantur hæretici, trinitas tamen non dirumpitur: & est colenda in una & æterna gloria, unam & unam deitatem ubique circumferens, irrupta, insciſſa, indiuisibilis, adimplens omnia, omnia continens, in omnibus existens, creans, gubernãs, sanctificans, uiuificans, hæc diuina & admirabilis, æterna, non dirumpitur: ut scriptum est, Funiculus triplex non dirumpitur. Et rursus libro eodẽ: Deus, inquit, ex seipso sine passione, propriũ filium genuit, æqualis honoris, æqualis gloriæ, eiusdem sedis consiliatorem, cooperatorem, consubstantialem patri & Deo,

Deo, non diuersæ substantiæ, nec alienum ab eius sola deitate.

In sermone de humana Christi generatione: Christi generatio, ait, propria & præcipua diuinitatis est: quæ quidem silentio magis ac fide ueneranda, quàm disputatione aliqua nostra seu curiositate uestiganda. Vbi enim nec tempus, neque æuum intercedit, neque item modus intelligitur, nec spectator adfuit, nec est qui exponat, quomodo mens aliquid imaginabitur? Quomodo mentis cogitationibus lingua famulabitur? Pater erat, & filius est genitus. Ne dicas, Quando? sed neglige hanc quæstionem. Ne quæras, Quomodo? est enim hic imposibilis responsio. Nam quando, tempus haber: quomodo uerò, ad modos corporeos imaginationem quandam. Dicere possum è sacris uoluminibus, quòd splendor gloriæ & imago ex archetypo sit. Veruntamen quoniam nec ratio nec cogitatio talibus renouationis uerbis tuæ curiositati satisfacit, ad ineffabilem incomprehensibilemque gloriam confugio, & fateor indeprehensum, ac uerbis humanis inenarrabilem diuinæ generationis esse modum.

In eodem, de causis quare necesse fuerit filium Dei hominem fieri, & Christi merito: Carnem, inquit, susceptit Deus, quoniam execrabilem contaminatamque hanc, purgatam sanctamque reddi oportuit, infirmam ac debilem corroborari, à Deo ob peccatum alienatam conciliari, è paradiso excidentem in cœlum referri. Et in Psalmo quadragesimooctauo: Quid tanti momenti est, quod homo poterit dare pro redemptione animæ suæ? Inuentum tamen unum est pro omnibus simul hominibus dignum precium, sanguis Domini nostri IESV CHRISTI, quem pro nobis omnibus effudit.

Spiritum sanctum esse Deum, homousion & coniunctum cum Deo patre & filio, essentiam immutabilem, probat aliquot argumentis in fine Apologiæ ad Cæsarianos de discessione & de fide, ubi & cum patre & filio condidisse eum omnia perspicuè docet: Tria, inquit, creationum genera in scripturis nominata deprehendimus. Vnum quidem, ac primum, eorum quę ex nihilo, cum non essent, ad hoc ut essent, sunt condita. In istis omnibus inuenies Spiritum sanctum patri & filio cooperatorem. Et de officio & operibus Spiritus sancti, libro quinto contra Eunomium: Spiritus, inquit, diuinus omnia quæ à Deo per filium facta sunt, perficit, sicut in noua creatione, de qua dicitur: Si quis in Christo noua creatura. Proptèrea, Verbo Domini, inquit, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Viuens Verbum, in quo facti sunt cœli, hic ipse est Deus uerbum, de quo Ioannes clamat: Omnia per ipsum facta sunt. Vitam esse uiuificantem spiritus monstrat, secundum quod scriptum est: Vita spiritus, qui cœlestes uirtutes efficit. Hic ipse cum patre & filio glorificatur. Item: Spiritus ad creandum uiuo uerbo coordinatus est, uiua uirtus, diuina natura, inéffabilis ex ineffabili ore exiftens, ineffabili modo. In libro de Spiritu sancto ad Amphilochium: Per Spiritum sanctum datur in paradisum restitutio, in regnum cœlorum reditus, in adoptionem filiorum reuersio: datur fiducia Deum appellandi patrem suum, consortem fieri gratiæ Christi, filium lucis appellari, æternæ gloriæ participem esse: & ut semel omnia dicam, esse in omni benedictionis plenitudine, tum in præsenti hoc seculo, tum in futuro nobis repositorum bonorum, quibus interim per fidem fruimur, perinde quasi adsint, gratiam uelut in speculo contemplantes.

De creatione contra philosophos rectè disputauit, mundum non conditum esse ex elementari materia, neque casu aut temerè ferri, neque ab æterno fuisse, aut fine cariturum esse, in initio Homiliarum in Hexameron, In principio fecit Deus cœlum & terram: Pulcher profectò, inquit, creationis est ordo. Principium in primis posuit, ne mundum aliqui principio carere arbitrarentur. Deinde addidit, Fecit: ut quod factum est, minimam esse de Opificis potentia particulam ostendatur. Item: Quæ tempore cœperunt esse, tempore quoque desinant ac definiantur omnino necesse est. Et si temporis initium habent, noli dubitare de fine. Aliquem tamen ante mundum nobis fuisse incognitum statum, singulari uidetur opinione assensisse: quemadmodum & mundum subitò, sine moræ aut dierum, uti Moses tradidit, interuallis extitisse, cum alijs peculiari opinione sensit. Vt doceremur, inquit, mundum absque mora quàm celerrimè ex uoluntate Dei substitisse, dictum est, In principio fecit.

De angelis libro de Spiritu sancto ad Amphilochium, capite decimosexto ait: Meræ & intelligibiles & ultramundanæ uirtutes, sanctæ tum sunt, tum nominantur, ex gratia per spiritum infusam sanctimoniam nactæ. Eoque prætermissa est mentio, quomodo cœlestes uirtutes cõditæ fuerint. Item: Quemadmodum cauterium non sine igne intelligitur, cum aliud sit subiecta materia, aliud ignis: itidem & in cœlestibus uirtutibus substantia quidem earum, puta spiritus, est uerius, aut ignis immaterialis, iuxta id quod scriptum est: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem.

Ea propter & in loco sunt, & fiunt uisibiles, dum ijs qui digni sunt apparent in specie propriorum corporum, &c. In Psalmo decimooctauo: Angelorum opus, laudare Deum: omnibus denique cœlestibus exercitibus una hæc cura, gloriam Creatori dare. Libro de Spiritu sancto ad Amphilochium capite decimotertio ait, Angelos additos hominibus ceu pædagogos quosdam, ac morũ gubernatores. Sermone secundo de Ieiunio: Animæ, inquit, custodes angeli.

De lapsu angelorum, in sermone Quòd Deus non sit autor malorum: Nascitur, inquit, quæstio unde sit diabolus, si ex Deo nõ sunt mala? Satis facilis est responsio. Eadem omnino ratio nobis ad istam quoque quæstionẽ satis erit, quam & de hominis iniquitate suprà commemorauimus. Vnde enim iniquus est homo? Ex ipsius libera uoluntate. Vnde malus diabolus? Ex eadem penitus causa. Habebat enim & ipse liberam uitam, & insitam sibi potestatem, aut Deum sequẽdi, aut à bono discedendi. Gabriel angelus à Deo iugiter stetit, satan item angelus ex ordine suo prorsus cecidit. Et illum propria uoluntas in cœlo retinuit, hunc uerò uoluntatis libertas cœlo deiecit. Poterat enim & ille à Deo deficere, & iste non excidere. Sed illum insatiabilis dilectio Dei seruauit, hunc à Deo relictũ esse ostendit per peccatũ alienatio. Et diabolus malus Deo aduersatur nõ ex natura, sed mala uolũtate habẽs maliciã.

De hominis præuaricatione & restitutione, in psalmum quadragesimumoctauũ: Magna profectò ac preciola res est homo, si exordium eius & naturalem præparationem respicimus, &c. His omnibus homo dignitate præpositus, eam non intellexit: sed uiã Dei relinquens, nec similem ei se reddere curans, corporis perturbationum atq; affectuũ seruus factus est. Neq; tantum sui gratia factam dispensationem, & ab illa suam dignitatem, sustinuit intelligere: sed immemor quòd supercœlestis opificis imaginem amiserit, terreni similitudinem assumpsit. Quem Deus tandem miseratus, ut à peccato eriperet, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: ac Deo sese humilem reddidit, ut obediens usq; ad mortem fuerit, mortem autem crucis. Quòd si forsan primæ tuæ generationis excellentis uolueris reminisci, ex honore saltem restitutionis, quandam dignitatis accipe cogitationem.

De liberi arbitrij infirmitate peculiari sermone multa dicit, cui titulus est, Sine diuina uirtute & gratia non posse quenquam resistere sathanæ, nihil scilicet posse sine præsidio Dei. Qui uerbi Dei, inquit honore cumulati non sunt, ij frustra inflati, libero se putãt arbitrio peccati occasiones inanire posse, quod per solum crucis mysterium cassatur. Liberum enim illud quod in potestate hominis est arbitrium, in eo situm est, ut uelis uel nolis resistere diabolo. Non enim ut omnino hoc possis potentiam habes, qua affectionibus carnis domineris. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, aut ædificauerit domum, frustra uigilat custos, & frustra laborat ædificans.

De gratia & iustificatione multa rectè & utiliter docet in sermone de pœnitentia, & in Homilia de humilitate, ubi ait: Nihil tibi relictum est homo, de quo gloriari possis: cuius gloriatio & spes in eo sita est, ut omnia tua mortifices, & futuram in Christo uitam quæras: cuius primitias habentes in his, cum sumus per uniuersum in gratia ac dono Dei uiuentes. Item in sermone secundo de Baptismo, capite octauo: Testimonium illis perhibeo, inquit Apostolus Philippensium tertio, quòd zelum Dei habent, at non secundum scientiam. Ignorantes enim iusticiam Dei, & propriam statuere quærentes, iusticiæ Dei non sunt subiecti. Quapropter Apostolus, qui beneplacitum Dei germanè curabat, post expositionem iustificationum, quas eximias in lege acquisierat, subiungit: Attamen omnia arbitror damnum, propter excellentiam cognitionis CHRISTI IESV Domini mei, propter quem omnia prodetrimento duxi, ac pro reiectamentis habeo, ut Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iusticiam quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem CHRISTI IESV, iusticiam ex Deo in fide, ut cognoscam illum, &c. Istis autem & similibus nos abundè satis docet, uti caueamus, ne humanam iusticiam unquam ei canoni, qui ad diuinum beneplacitum obtinendũ in CHRISTO IESV Domino nostro præfixus est, superinduamus.

De noua obediẽtia renatis necessaria: permulta præcipit in sermonib. de baptismo, & alijs locis, quæ suprà ostendimus. Sed in enarratione Psal. 33. ait: Non in uirtute, nõ in sapientia humana, sed in gratia Dei est salus.

De pœnitentia, in fine sermonis de pœnitentia memorabiliter ait: Necessarium est ostendere, saluatos esse aliquos, qui post baptismum deliquerunt. Non sine metu loquor, ne contra animi mei sententiam à iusticia deficiatis. uehementer enim uolo, non peccare eos qui baptismum susceperunt. Si uerò citra animi propositum ceciderint aliquando quidam, non decernant hic, qui pœnitentiam sustulerunt, nolentes nos unà cũ cruce Christi mortificari. Sed Apostol⁹ nos uult cõsepeliri etiã, & iá non amplio⁹ peccato uiuere. Hoc quidẽ & ipse uolo.

Non

Non tamen ſperno gratiam Dei, inquit Apoſtolus, Galatis ſcribens.

De Baptiſmo, in libro de Spiritu ſancto, capite decimoquinto: Non Iudæorum more in quibuslibet inquinamentis abluimur, ſed unum nouimus ſalutiferum baptiſma: quandoquidem una eſt pro mundo mors, & una ex mortuis reſurrectio, quarum figura eſt baptiſma. Quapropter qui nobis uitam diſpenſat Dominus, baptiſmatis pactum nobis ſtatuit, mortis ac uitæ typum habens: mortis quidem imagine impletente aqua, ſpiritu uerò uitæ arram præbente. Hinc itaque nobis perſpicuum eſt factũ, quod quærebatur, quamobrem aqua conuncta ſit ſpiritui. Cum enim duo ſcopi propoſiti ſint in baptiſmo, uidelicet ut abolcat corpus peccati, ne poſtea fructificet mortem: tum ut uiuat ſpiritu, & fructum habeat in ſanctificatione: aqua mortis exhibet imaginem, corpus uelut in ſepulchro recipiens: ſpiritus uerò uim uiuificam immittit, à morte peccati renouans animas noſtras in nouã creaturam.

De cœna Domini, in ſermone de Baptiſmo: Dominus IESVS in ea nocte qua tradebatur, panẽ accepit, &c. Quid utilitatis habent hæc uerba? Vt edentes ac bibentes perpetuò memores ſimus eius qui pro nobis mortuꝰ eſt ac reſurrexit: atq; ita inſtruamur neceſſario cuſtodire in conſpectu Dei ac Chriſti eius, traditum ab Apoſtolo dogma, quo dicit, Charitas Dei conſtringit nos. Et in ſermone ſecundo de baptiſmo, cap. tertio: Habebimus uitam æternã, ſicut promiſit qui mentiri nequit, Dominus ac Deus noſter IESVS CHRISTVS: ſi edentes ac bibentes, memores fuerimus eius qui pro nobis mortuus eſt: & ſententiam Apoſtoli ſeruauerimus dicentis, Dilectio nam q; Dei nos conſtringit: iudicantes hoc, quòd ſi unus pro omnibus mortuus eſt, omnes itaq; mortuos eſſe, & pro omnib. mortuũ eſſe, ut qui uiuunt, iam nõ amplius ſibi uiuant ipſis, ſed ei qui pro nobis eſt mortuus, ac reſurrexit: quod & in Baptiſmate profeſſi ſumus, ac polliciti. De cæteris partibus doctrinæ quid ſenſerit, oſtenſum ſuprà eſt in Cap. de dogmatibꝰ: ubi &, in quibꝰ incõmodiꝰ interdũ dixiſſe uideatur, adiecimꝰ.

Extulit ſuperſtitioſe & nimis magnis præconijs uirginitatem, in libro de uirginitate: item monachatũ in Aſceticis: ſed quę, quam obrem non uideantur eſſe eius, ſuprà indicauimus. Alij inter peculiares eius opiniones referũt, q̃ mundi machinã uniuerſam à Deo prius diſpoſitam, uno momento repentè extitiſſe ſenſit, in Hexamero. Item, quòd angelorum perfectionem & ſanctificationem, nõ ex origine eorum cõſtare, ſed opus eſſe ſpiritus ſancti, ſenſit ibidem: & in libro de ſpiritu ſancto, capite decimoſexto, ueluti diximus.

Porrò contra quos certamina geſſerit, hæreticos & deprauatores doctrinę, indicant tituli librorum eorum quos ex profeſſo cõtra Hæreſes, earumq; authores ſcripſit. Qua uerò fide & integritate ac contentione contra errores dimicarit, ipſa teſtantur ſcripta. Cum illis enim hęreticis, à quibus longius abfuit, congreſſus eſt per literas: ijs uerò quos uicinos habuit, coràm ſe oppoſuit. Certamẽ cũ Apollinario explicat epiſtola eius quinquageſimanona. Epiſtola uerò ſequens ſexageſimaquinta, reprehendit eos qui Chriſtũ carnem de cœlo ſecum detuliſſe, non de carne Mariæ ſumpſiſſe aſſeruerant. Et extat eius ſermo ſcriptus ex profeſſo contra Arium, Sabellianos & Anomianos. Quantopere uerò cõtra Eunomianos & Pneumatomachos, in defendenda ſententia, ſpiritũ ſanctũ patri & filio coeſſentialẽ, atq; omni maieſtatis & diuinitatis dignitate æqualem eſſe, laborarit, teſtantur abunde libri duplices, inſcripti de Spiritu ſancto. Confutauit & Manichæos, aliquot in locis in Hexamero: ut Homilia octaua, ubi uanæ mentis homines eos uocat, eorumq; ſententiam abhorrendam: in Homilia ſecunda, ſectam eorum ſceleſtam uocat, & Eccleſiæ peſtem: ibiq; errorem reprehendit, quòd tenebras, de quibus Moſes dixiſſet, Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, intelligant malum & importunum quodcunq;, Deo, qui lux ſit, aduerſans, ex ſe ipſo ortum.

Deinde memorabiles maximè ſunt eius contra Valentem Imperatorem pugnæ: quę, qua fuerit Baſilius generoſa in confeſsione & defenſione doctrinæ puræ conſtantia, ad miraculum propemodum uſque ſcitiſsimè pingunt. Is enim cum omnium ferè Eccleſiarum præfectos ad impietatem Arianam impuliſſet, alios blandiendo & prẽmijs ineſcando, alios precibus & perſuaſione, alios minis, bonorum proſcriptione atque exilijs alios, rurſus item alios ſupplicijs, inter quæ, ueluti ſuo loco oſtendimus, crudele hoc in primis eſt, quòd octoginta preſbyteros Arianis blaſphemijs reſiſtentes, nauibus aliquando alligauit, & in mari nauigantes cremauit: ſolum Baſilium reliquum habuit, qui ueluti ſcintilla ex uaſto incendio pietatis ſupererat. Contra eum igitur, qui uerbis, minis ac ſuppliciorum terriculamentis agerent, miſit alios atque alios: primùm Demoſthenem quendam, hominem furibundum & audacem, ad cuius inſaniam Baſilius ſtatim reſpondit, En Baſilium illiteratum. Vincentius ex Amphilochio retulit, Demoſthenem eum, cùm blaſphemias in Baſilium debaccharetur, barbariſmo quodam fortè lapſum eſſe. Ad quod riſu Ba-

silium exclamasse, Vidimus & nos Demosthenem sine literis. at cum importunius ob blateraret, ita obiurgasse: Tuum est de pulmentarijs cogitare, & non diuina dogmata decoquere.

Cum igitur à Basilio nihil obtinuisset Demosthenes, apud Modestum præfectum, uirum longè in orthodoxos improbiorem & audaciorem, sistitur Antiochiæ: ut Socrates indicat libro quarto, capite uigesimosexto. Qui cum obijceret primùm, Cur Imperatori solus repugnaret, cuius authoritati cæteri omnes paruissent? Basilius respondit: Hęc quæ Valens mandaret, Imperatorem sibi Deum nunquam imperasse, ut filium scilicet Dei creaturam diceret. Narrat Nazianzenus alias aliquot plenas piæ generositatis & constantiæ uoces, quibus Modesti furiosos in se clamores & minas fortissimè redarguit & elusit. ut quod minitanti exilium, cruciatus & mortem denique, respondit: Domini est terra, & plenitudo eius. Cruciatus autem quid in me poterint, cum corpus propè nullum, & ossa sine carnibus circumferam? Quin nec mortem formido, ut quæ me creatori meo redditura sit. Ac quid omnino optabilius accidere mihi possit, quàm propter ueritatem ab molesta hac corporis sarcina liberari? Sozomenus libro sexto, capite decimosexto, ad minas proscriptionis facultatum suarum respondisse eum ait: Se nihil minis illis contristari, ut qui præter uestem attritã & paucos libros, facultates alias nullas haberet.

Theodoretus libro quarto, capite decimonono, narrat hunc præfectum Cæsaream ab Imperatore missum, Basilium honorificè tractasse, & placida ac blanda oratione hortatum, tempori cederet, nec tot Ecclesias subtili dogmatis exquisitione in discrimen adduceret: adesse Imperatorem, qui ei amicitiam & beneficia summa promitteret. Sed Basilium respondisse: Adolescentulis tales scilicet congruere sermones, qui huiusmodi rebus gratis, ueluti crepundijs, caperentur. Nam qui sacris literis innutriti essent, illos nullam earum syllabam prodi aut in periculum uenire pati posse, solereque (si res poscat) nullum mortis genus pro illarum incolumitate subeundum recusare. Imperatoris amicitiam cum impietate coniunctam, perniciosam, ne dum expetendam aut gratam esse. Quod cum præfectus ægrè ferret, ac desipere eum dixisset: respondisse Basilium, Optare sibi se, ut desipientia ea perpetua frui sibi liceret. Exilio igitur denunciato, cum postero die cogitatum consilium explicare eum præfectus iussisset: respondisse, eundem se, quem iam audisset, postridie quoque futurum: uideret modò ipse, ne animum mutaret, ne ue minas exequi nolet. Exponit eam constantiam Modestus Valenti, qui uim suam & minas in Basilium ad tempus remisit.

Sed non multo pòst, iratus in templum cum satellitio irruit, ut Basilium inde abduceret. Sed cum eum nihil trepidantem ad eius conspectum, sed immotum, & quæ sui officij essent alacriter in templo administrantem animaduertisset, uim ei nullam intulit, sed pietatem & reuerentiam simulauit. Fortè autem ad aram accedens, munera oblaturus, subita uertigine correptus, tremebundus totus factus est: ac collapsurus fuisset, nisi manu eum quidam ex diaconis apprehendisset, ac sustentasset. In sacrarium igitur illatus, amicè cum Basilio de religione contulit. Et spes tum magna fuit, meliorem fore Imperatorem: sed à consiliarijs improbis ad impietatem pristinam paulo pòst retractus est, adeò ut priorum omnium oblitus, de Basilio in exilium exigendo consilium denuò cæperit: sed miraculis prohibitus est. Primùm enim sella qua uehebatur Imperator, subitò dissoluta est. Deinde cum usitatam exilij notam in charta manu sua scripturus esset, literam nullam, calamo non reddente, exprimere ualuit. Postremò filius Imperatoris (quem Galatam uocatum fuisse, Socrates retulit libro quarto, capite uigesimosexto) in morbum periculosum subitò incidit, ut de salute & medici desperarent. Ad preces igitur & supplicationes confugiens Imperator, Basilium ad se accersit, ad cuius aduentum puer melius continuò habuit. Sed quia & Arianos ad se uocauerat, pro salute eius precaturos, non reualuit. Narrat Socrates, Imperatorem experimentum doctrinæ facturum, Basilio, cum aduenisset, dixisse, ut si uera esset ipsius fides & doctrina, oraret, ne filius moreretur. Respondisse autem Basilium, posse se quidem de filij salute spem bonam facere, si credat, quemadmodum ipse, ac curet ut Ecclesiæ uniatur. Cum autem Imperator non consentiret, respondisse Basilium: futurum igitur de suo filio, quod Deus statuisset. Paulo pòst itaque mortuum esse, cum ab Ariano sacerdote prius baptizatus fuisset, quod Basilius prohibuerat: ut Theodoretus refert libro quarto, capite decimonono.

Sed Modestum præfectum paulo pòst Basilij precibus ex graui morbo ualetudini restitutum & conuersum, Nazianzenus scripsit: & Sozomenus libro sexto, capite decimosexto.

Postea

Postea furere in Basilium, & Eusebius Ponti præfectus cœpit, falsi cuiusdam criminis occasione. Cui cum ad causam dicendam ad tribunal accersito, uarijs illecontumelijs illuderet, uestimenta exueret, ac post uerbera minaretur, se ei epar ex medijs uisceribus extracturum: respondit Basilius, Gratum mihi quid profectò feceris, ò Eusebi, si epar, quod cætera omnia membra, quod ex facie & habitu corporis iudicare potes, cruciat & affligit, euulseris: ita enim corpus omne à molestijs semel liberabis. Sed ab eius præfecti sæuitia Basilius seditione tum uulgi, à quo propemodum trucidatus præfectus fuisset, nisi Basilius prohibuisset, liberatus est. Atque hunc euentum rixæ & certamina Basilij cum Valente & præfectis habuere. Nam Valens postea, in pugna infelici cum Gothis miserimè perijt.

Vix autem Theodosio in regnum accersito restitutæ fuerant Ecclesiæ, cum in Basilium incitantur episcopi uicini, ac cum eo de reditibus Ecclesiasticis, ac iure metropolitano dimicant. Verius autem id faciunt, incensi odio & maleuolentia, ob eximias & toti orbi notas Basilij uirtutes. Qui tamen in illis rixis ea usus moderatione est, ac reditus adimi sibi passus quidem est: sed regiones & Ecclesias ad inspectionem suam pertinentes retinuit, ne ibi collocari doctores impij possent.

Recitat & in Epistolis suis ipse, plurimum sibi esse cum calumniatoribus suis negocij: quorum falsas accusationes sustinuisse se, ad Monachos suos scribit, trienium totum. Significat autem, eiusmodi crimine ab illis se falsò traduci, quasi insolens ac nouum quiddam de Spiritu sancto docuerit: de quo se ingenuè purgat. Epistola ea est in ordine septuagesimatertia. Queritur & in epistola octuagesima ad Eustathium, falsò sibi ab aduersarijs obijci, quasi tres Deos prædicet: quoties confutet, Sabellianismum ei imputent. Quod & ipsum refellit in epistola ad monachos.

Denique & Cæsarienses monachos, Basilio aduersatos, ex epistola quadam Athanasij ad Ioannem & Antiochum compresbyteros, & alia rursus ad Palladium presbyterum, apparet: in qua indicat, se scripsisse monachis Cæsarienſibus Basilio resistentibus, ne ijs quæ probaret ille, contradicerent. Verba ipsa, quia insigne testimonium pietatis & sinceritatis Basilij continent, adscribimus.

¶ Quod de monachis Cæsarienſibus significasti, hoc ipsum quoque didici è dilecto nostro Dianio, quòd grauentur & resistant dilecto nostro episcopo Basilio. Tibi certè, quòd mihi rem indicasti, gratias ago: illis uerò quæ decuit scripsi, ut ueluti filij obsequantur patri, nec ijs quæ ille probat contradicant. Nam si suspectus esset in negocio ueritatis, rectè pugnarent: sin autem confidunt, ut omnes confidimus, eum esse gloriam Ecclesiæ, dum ita decertat pro ueritate, & docet eos qui indigent doctrina, non fas est cum homine tali pugnas conserere, sed amandus potius est ob pium animum. Nam ex ijs quæ cogitaui ex dilecto nostro Dianio, nulla de causa eum grauatim ferunt: ipse enim, ut planè mihi persuadeo, infirmus efficitur apud infirmos, ut infirmos lucretur. Dilecti autem fratres nostri, respicientes ad scopum eius quo ad ueritatem tendit, glorificent Dominum, quòd talem episcopum Cappadociæ dederit, qualem singulæ prouinciæ sibi optant.

Fuisse igitur admodum familiarem Basilium Athanasio, uel ea testatur epistola: nec mirum est, cum in utroque similis penè per omnia fuerit pietas, constantia, & pro puritate doctrinæ contentio. Reuerenti igitur & magnifico nomine, gloriam eum appellat Ecclesiæ, & dilectum suum, ac uerè Dei famulum. Quæ uerò inter ipsum & Gregorium Nazianzenum utrunque, patrem scilicet & filium, fuerit summa coniunctio & necessitudo, ex superioribus constat. Tulerat senior Gregorius suffragium suum de Basilio, ut Cæsariensibus episcopus præficeretur: qua de re epistola extat inter Nazianzeni epistolas, in qua eum appellat pijssimum & honestissimum filium suum. Et ait: Quem namque inueniemus eorum quos nouimus, uel uita probatiorem, uel doctrina potentiorem, & undique ad uirtutis honestatem æquè instructum? Insunt & Nazianzeni epistolis multæ præclaræ commendationes Basilij uirtutum: ut quòd in epistola quadam ad eundem, orbis eum oculum dixit, & magnificam uocem ac tubam, regiumque dicendi splendorem. Et in epistola ad Simplicium, ubi, Laudas (inquit) sanctum ac communem patrem nostrum, tanquam fidei fulcimen, ueritatis canonem, Ecclesiæ characterem, caniciem prudentia refertam, humanæ uitæ ac uirtutis uictorem, fidum ministrum, sacerdotem magnum, mediatorem inter Deum & hominem, & Spiritus sancti habitaculum. Hoc quidem rectè facis. Sed Nazianzenus nimius interdum est in laudationibus illis, & ad tædium & odium usque: ut quòd in oratione de Basilij uita, supra patres, Prophetas & Apostolos eum extollit. Apud Theodoretum li-

bro quarto, capite uigesimotertio, ab Euagrio monacho columna appellatur ueritatis.

Exercitia denique eius Nazianzenus plurima recensuit: ut abstinentiam & frugalitatem, qua simplici contentus tunica, humi plerunque cubuit: uigilias, quas per totas noctes duxit: ieiunia, in quibus panem & sal pro delicijs habuit, aut ficus recentes, aquam bibens ad morbum usque: & castitatem, quam ad extremum usque præstitit. Ruffinus libro secundo, capite nono ait, eum, cum Athenis doceret, à Gregorio fratre manu de cathedra detractum, & in monasterium secum perductum: ubi per annos tredecim, omnibus Ethnicorum libris abiectis, solis diuinæ sapientiæ libris operam dederint.

Et texuit Catalogum prolixum exercitiorum in monasterijs per Pontum Nazianzenus, in epistola tredecima, ad Basilium: ut psalmodias frequentes, uigilias, secessus ad precandum, & uitam denique quasi spiritualem & incorporalem.

Idem in oratione in laudem Basilij, uocaliorem eum ad extremum priusquam expiraret factum, scripsit: & cygneæ in modum cantionis, cum uerbis, ut ipse ait, obijsse ueritatis, cum exilem antea habuisset uocem: sicut ipse de se affirmauit, in enarratione psalmi primi, Innatam sibi scilicet esse uocis debilitatem, enarrandique difficultatem.

Expirauit autem suauiter, posteaquam successorem sua uoce ipse quendam, quem inter ministros fidelissimum habuerat, suum pronunciasset, & protulisset uerba prophetæ: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: sub initium, ut uidetur, imperij Theodosij: seu, ut ex Amphilochio Vincentius indicauit, anno sexto Valentiniani, qui est Christi annus trecentesimus octuagesimus septimus.

CLEMENS.

NIcephoro libro septimo, capite decimoquarto, episcopus Ancyranus est: qui posteaquam annos uiginti nouem docuisset, in persecutione Diocletiani, primùm Romæ, deinde Nicomediæ, multiplicia cruciatuum expertus genera, tandem gladio percussus est.

HERMOLAVS.

EPiscopus loci incerti, & martyr sub Diocletiano, Hermolaus Nicephoro est lib. 7 capite 14.

ROMANVS.

EPiscopus fuit Antiochiæ Romanus, martyrio affectus sub Diocletiano: post quem, à patribus Synodi Nicænæ Eustathius è Berrhœa Antiochiã translatus est. Sozomenus libro primo, capite secundo. Verùm cum non referri soleat in numerum illorum episcoporum, nos eum hic relinquere uoluimus.

ASCLEPAS.

EPiscopus fuit Gazensis, propugnator eximius Nicænæ fidei, Arianorumq; aduersarius. Quamobrem & ab illis in Synodo Tyri depositus est, conficta causa, quasi altare subuertisset: quemadmodum Sozomenus scripsit libro tertio, capite octauo. Habuit autem iniustæ condemnationis socios Athanasium, Paulum, Marcellum, & Lucium Adrianopolitanum. Socrates libro secundo, capite uigesimotertio. Cum quibus causam suam ad Iulium Romanum episcopum retulit: qui testimonium ei rectæ fidei atque iniquæ depositionis perhibuit, & Ecclesiam suam restituendam decreuit: cum & Antiochiæ in Synodo, cui Eusebius Cæsariensis interfuerat, innocens pronunciatus fuisset: quod in Synodo Sardicensi Asclepam confessum esse, Athanasius scripsit in Apologia sua. Idem, & in Sardicensi Synodo præsto eum fuisse, & ad conspectum eius Arianos exterritos esse, & fugisse, ibidem tradidit. Narrant etiam Asclepam cum Athanasio & Marcello, ei Synodo publicè renunciasse: paratos se esse ad refellendum Eusebianorum calumnias, & ostendendum, quot apertis iniurijs in Ecclesiam deliquissent. Symnodum igitur, purum atque innocentem Asclepam pronunciasse, & commendationib. ad Ecclesiam suam remisisse.

BASILEVS AMASENVS.

BAsilei Amaseni episcopi meminit aliquoties Nicephorus, ut libro septimo, capite quadragesimoquarto: & libro octauo, capite decimoquarto: ubi eum Apostolicis doctrinis celebrem, & stigmatis martyrij conspicuum, in Synodo Nicæna uisum ait. Sed libro septimo, capite quadragesimoquarto, quod inter se pugnat, diserte affirmat, eundé Basileũ Amasenũ sub Licinio, post tolerata multiplicia tormenta, capitis tandem supplicio affectum.

BASILIVS ANCYRA-

nus presbyter.

EMinit Basilij alterius Ancyrani Sozomenus, quem presbyterum fuisse ecclesiæ Ancyranæ indicat: sedulum aũt & acrem Nicænę fidei patrocinatorem uocat, qui Arianis toto Imperij Constantij tempore fortiter repugnarit, adeò ut Eudoxianorum etiam improbitate Ecclesias colligere prohibitus fuerit. Cum autem ad imperium Iulianus uenisset, & in paganismũ tetrum uniuersam religionem Christianorum transformare conaretur: circumijt Basilius is publicè Christia-

Christianorum cœtus, commonefaciens singulos, ut doctrinæ quã ab ipso percepissent, fideliter adhærerent, nec Ethnicorum sese sacrificijs polluerent: neq; item alicuius facerent ab Imperatore oblatos honores, quos nimirum æterna perditione commutari necesse esset. Qua re odium gentilium acerbissimum conflare sibi Basilius primùm: deinde etiam periculum certum accersere. Cum enim publicis aliquando assisteret immolationibus, ad hoc ut Dominum deprecaretur, ne quem Christianorum implicari impietate tanta & errore permitteret: ab Ethnicis captus, præsidi traditus, ac post multos cruciatus martyrio affectus est. Sozomenus libro quinto, capite undecimo.

CTESIPHON.

EPiscopus fuit regalium in Persia ciuitatũ sub Sapore: in cuius persecutione à Magis & Iudæis accusatus eius flagitij est, quasi Romano Imperatori res Persicas proderet. Sozomenus libro secundo, capite octauo.

AEDESIVS, FRVMENTIVS.

AEdesij & Frumentij historiam, suprà in loco de propagationibus Ecclesiæ retulimus. Tyrij fuerũt genere, cognati Meropio cuidam Tyrio philosopho: à quo in literis instructi liberaliter, atq; una secum in Indiã interiorem nauigio perducti. In quam cum uenissent, occasione rupti, quod inter se inierant Indi ac Romani, fœderis, Meropius ab Indis occisus est: pueri uerò commiseratione ætatis uita donati, & ad regem Indorum adducti sunt. Qui conspectu eorum delectatus, complexus eos amore est, & mensæ alterum regiæ, alterum uerò rationum commentarijs ac scrinijs præfecit. Moriens autem paulò pòst, reginæ & filio suo admodum adhuc paruulo reliquit: cuius curã, tantisper dum uirilem attigisset ætatem, agere à regina iussisunt. Qua occasione etiam regalium negociorum curam, & regni administrationẽ in se suscipere coacti sunt. Cum interea Frumentio, cui primæ cõmissæ essent regiæ gubernationis partes, propagandi apud Indos eos interiores (nam in uicinã Indiã Bartholomæus apostolus doctrinam Christi intulerat) Euangelij cupiditas subit, & solicitudo: Deo, ut uidetur planè, sic curante. Quærit igitur inter Romanos, apud Indos eos negotiantes, Christianum, & inuenit. Statimque cœtus Ecclesiasticos cogere cum eo incipit, & ad fidem Christi Indos plurimos conuertit. Postea uerò cum ad maturiorem ætatem regis filius peruenisset, resignata gubernatione, reditum in patriam à regina, quanquam inuita, impetrarunt. Ita Alexandriam Frumentius uenit, ac quæ apud barbaras gentes per eum diuina gratia operata esset, Athanasio, qui recens episcopus eius Ecclesiæ constitutus fuerat, explicat. A quo episcopus Frumentius ipse Indorũ genti tandem mittitur. Aedesius uerò Tyrum ad suos rediit, & presbyterium sortitus est. A quo ipso se hæc apud Indos gesta audisse, Ruffinus retulit libro primo, capite nono. Socrates libro primo, capite decimonono: Sozomenus libro secundo, capite uigesimoquarto.

HELLANICVS.

EPiscopus Tripolitanus Hellanicus fuit, Ario inimicus: quẽ propterea calumnijs exagitabat, & hæreticum dicebat, quemadmodum in epistola sua ad Eusebiũ uidetur. Sensit enim cum Philogonio Antiocheno præsule, & Macario Hierosolymitano, sempiternum esse filium, & omnia secula antecedere, æqualisq; esse cum patre honoris, & essentiæ eiusdem. Theodoretus libro primo, capite quinto.

HERMAEVS.

ORientalis est episcopus Hermæus, in synodo Tyri accusator Athanasij: apud Sozomenum libro secundo, capite uigesimoquinto.

HERMOGENES.

EPiscopus fuit Cæsarienſis, quem beatissimum Basilius uocat, & hostem ex diametro Arianæ impietati. Interfuisse etiam eum ait synodo Nicænæ, & fidem orthodoxam pronunciasse. Ab eo Eustathius, cum Arium primùm sectatus fuisset, exhibita sanæ confessione fidei, impositionẽ manus obtinuit. Basilius epistola septuagesimaquarta, & octogesimasecunda.

DIANIVS.

SOzomeno libro tertio, capite sexto, Dianius episcopus est Cæsariæ Cappadociæ, socius in synodo Antiochena sub Cõstantio, eorum qui Athanasio aduersabantur.

IACOBVS NISIBENVS.

ANtiochiam Mygdonię à Syris & Assyrijs Nisibin uocatam, Theodoretus scripsit, in qua Constantini tempore celeberrimus fuit episcopus simul & gubernator Iacobus, præstans miraculis, & uirtute mortuos in uĩtam reuocandi, alijsq; innumeris rebus mirãdis: quas seorsim in historia sua Philotheo inscripta exposuisse se dicit. Ex quibus hoc solum recitat, quomodo in Saporis Persarũ regis Nisibin obsidentis exercitum, multitudinem innumerabilem crabronum & culicũ precib. à Deo ex turre quadã impetrarit, quibus elephanti & iumenta in furorẽ acta, exercitusque totus in fugam irreuocabilem depulsus sit. Interfuit synodo Nicęnę. Theodoretus libro primo, capite septimo: & libro secundo, capite trigesimo. Gennadius sapientem eum cognominatum fuisse dicit: atque ex numero eorum fuisse, qui clari sub Maximino cõfessores fuerint. ex illis etiam,

qui hæresin Arianã in synodo Nicæna damnarint. Postea hunc eius scriptorum catalogum texit: Comprehendit, inquit, omne opus suum in uigintisex libris: id est, de fide aduersum omnes hæreses, de charitate generali, de ieiunio, de oratione, de dilectione erga proximũ speciali, de resurrectione, de uita post mortem, de humilitate, de pœnitentia, de satisfactione, de uirginitate, de ascensu animę, de circumcisione: de azymi benedictione, pro qua in Esaia legitur, Non exterminabitur botrus: de Christo, quòd filius Dei sit, & consubstantialis patri: de castitate, aduersus gentes, de constructione tabernaculi, de gentiũ conuersatione, de regno Persarum, de persecutione Christianorũ. Composuit idem χρονικὸν minoris quidem Græcorum curiositatis, sed maioris fiduciæ: quia diuinarum scripturarum autoritate constructum, cõprimit ora eorum qui prę sumptuosa suspicione de aduentu Antichristi uel Domini nostri inaniter philosophantur. Moritur Constantij temporibus: & iuxta præceptum patris eius Constantini, intra muros Nisibenses sepelitur. Iulianus autem odio fidei Constantini, reliquias ex urbe postea iussit efferri. Hæc Gennadius.

IVLIANVS.

IVlianus quispiam, Platinæ in Sylueſtro, adnumeratur ijs, quorum opera & studio multæ exteræ gentes ad Christianam fidem perductæ sint: ut Frumentio & Edesio. Sozomenus libro primo, capite decimooctauo, Iuliani Chaldæi cuiusdam meminit, qui fuisse uidetur tempore concilij Nicæni. Clarus fuit hoc miraculo, quòd lapidem per uerbum manu diuidere potuerit.

LONGINVS.

EPiscopus Ascalonis Phœniciæ Longinus est, Epiphanio libri secundi tomo secundo, hæresi sexagesimanona: ad quem Encyclicam epistolam contra Arium Alexander Alexandrinus scripsit.

MVSONIVS, CHRYSANTHVS.

REm narrat Nicephorus fabulæ admodũ similem, duos nimirum episcopos Chrysanthum & Musonium, quorum nec locum nec ecclesias indicat, in synodo Nicæna, antequam quæ decreta fuissent approbationibus & subscriptionibus omnium confirmarentur, mortuos miraculosè extra corpꝰ subscripsisse: & quæ synodus statuisset, illis consensisse: cum cęterorum episcoporũ qui subscripserãt, ad sepulturæ eorum locum simul ueniissent, ac subscriptionem eorum desiderari, ad mortuos eos quasi uiuẽtes dixissent, chartamq; ad sepulchrum reliquissent. Subscriptionis eius hanc indicat fuisse sententiã: Chrysanthus & Musonius, qui cum patribus omnibus, in sancta prima œcumenica Nicæna synodo consensimus, quamuis corpore translati, manu tamẽ propria nos quoque libello subscripsimus. Nicephorus libro octauo, capite uigesimotertio.

MACRINVS.

EPiscopus est in Iamnia Macrinus, cui post Arium abdicatum encyclicam Alexander scribit: Epiphanius libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimanona.

NICOLAVS.

MYrorum ciuitatis Lyciæ celebris episcopus Nicephoro est, qui ob constantero-bitam sub Maximino cõfessionem, notas & stigmata cum alijs conspicuis confessoribus in synodo Nicæna circumtulit. Spiridioni episcopo, uita, morum simplicitate, naturæ conuenientia, miraculis etiam non dissimilis fuit. Nicephorus libro octauo, capite decimoquarto. Mortuus est, secundũ aliquos, sub Constantino. Hermannus Gigas in Falciculo temporum.

PAVLVS.

PAuli Neocæsarienſis, ad ripam Euphratis episcopi, hoc tantum nomine Theodoretus meminit, quòd in synodo Nicæna inter alios confessores conspectus sit, circumferés notas, quas in persecutione sub Licinio accepisset: candente scilicet ferro contactas, & articulorum neruis enectis debilitatas manu. Theodoritus libro primo, capite septimo.

PAVLINVS TYRIVS.

PAulinum Tyri Phœnices episcopum, Eusebius libro decimo, capite tertio, Optimum per omnia & pium dicit episcopum: eiq; nuncupat Panegyricum de ædificatione ecclesiarum, coram ipso recitatum in enæniis Tyri. Nuncupat eidem et decimum librum historiæ Ecclesiasticæ. Nicephorus libro secundo, capite quadragesimo, Paulinum eum hoc solo cõmendat nomine, quòd apud Tyrum magnifica cõstruxerit templa. Sed secum eum sentire in doctrina de Christo Arius affirmat, in epistola ad Eusebium: apud Theodoritũ libro primo, capite quinto. Ac uideri quidẽ posset, Arium falsò eam suspicionem mouisse: nisi idem autor libro quinto, capite septimo, Paulinũ Phœnicem, sicut ibi uocat, inter eos numeraret, qui iacta ab Ario impietatis semina in Oriente fouerint.

PAVLVS.

ESt & Paulus episcopus Tyri (nisi fortè Paulinũ intelligit) à quo Arsenius Tyrũ delatus, agnitus est: Athanasio in apologia secunda.

PARTHENIVS.

NIcephoro Parthenius ciuitatis cuiusdam in Hellesponto episcopus est, uitæ splẽdore, humanitate, & miraculis ingentibus, ut medicationibus morborum, & resuscitatione

ione mortuorum, clarus. Nicephorus libro octauo, capite quadrageſimo ſecundo.

TRIPHYLIVS.

BEryti diu uerſatus Triphylius, literis humanioribus diſcendis operam dedit, & in legum cognitione excellẽs euaſit. Factus eſt autem tandem epiſcopus Ledrenſis Cypriorum, ubi familiarem celeberrimum habuit Spyridonem Thrymithuntis epiſcopũ. Qui, quòd oſtentabundus & ſuperbiens in dicendo uideretur, ac delicatus, in quodam Cypriorum epiſcoporum cõuentu eum duriter reprehendit: uti Sozomenus refert libro primo, capite undecimo. Hieronymus in epiſtola ad Magnum oratorem, Triphylij libros extare ſuo tempore ſcripſit; ſed quos ſcripſerit, non addidit. Platina in Liberij uita, commentarios eum in Cantica canticorum ſcripſiſſe indicat.

THEODOTVS.

LAodiceæ medicinam primùm profeſſus, ſub Diocletiano, epiſcopus deinde egregius factus eſt, clarus humanitate & ſynceritate, & quòd aliorũ calamitatibus afficere-tur ac quoſcunq; poſſet, auxilium petentes, facile iuuaret. Euſebius lib. 7. cap. ult. Complexus eum Conſtantinus Imperator eſt: & extat epiſtola ad eum, cum alijs quibuſdam, apud Euſebium lib. 3 de uita Conſtantini. Cum Epiphanio ſophiſtæ Laodiceę docenti adhærerent Apollinarius pater & filius, à cõ ſuetudine eius abſtrahere eos ſedulò conatus eſt. Cumq; obtemperare nollent, ex eccleſia eiecit. Poſt declaratam uerò iuſti temporis pœnitentiam, rurſus recepit. Socrates lib. ſecundo, capite quadrageſimo ſexto: Sozomenus lib. ſexto, cap. uigeſimo quinto.

CYRVS.

EPiſcopus fuit Berrhœæ Syriæ, qui Euſtathium Antiochenę eccleſię epiſcopum in ſynodo quadã Antiochiæ Sabellianiſmi accuſauit: propter quod Euſtathium ſynodus ea depoſuit, aut (ut Athanaſius ait in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes) aliò tranſtulit, unaq; ſecum plures alios, in eorum locos impijs ſurrogatis. Socrates autem non propter Sabellianiſmũ, ſed ob alias cauſas, quas diſſimularit ea ſynodus, Euſtathiũ depoſitũ fuiſſe putat: ideo quòd de Cyro hoc Georgi⁹ quidam in Syria epiſcopus ſcripſerit, eum ipſum in Sabellianiſmo deprehenſum ac depoſitum fuiſſe. quemadmodũ & Athanaſius apologia ſecunda alias fuiſſe cauſas exilij Euſtathij indicauit. Socrates lib. 1. cap. 24. Sozomenus libro tertio, capite ſexto.

CALEMERVS.

DIaconus eſt Calemerus Paulini epiſcopi Tyri: à quo ad conuentum Athanaſij Alexandriam miſſus, epiſtolæ ad Antiochenſes ſubſcripſit. Athanaſius tomo 12.

DOROTHEVS.

EPiſcopus eſt Tyri Dorotheus, qui ob cõfeſſionẽ ſub Diocletiano cruciatus, multos pertulerat: Iuoni in Chronico.

ARISTEVS.

FVit epiſcopus alicubi in Græcia Ariſteus, cuius ſcripta orthodoxa dixit Athanaſius oratione prima contra Arianos.

APPIANVS.

MEminit Appiani epiſcopi Ciliciæ, cuius item ſcripta ab orthodoxis profecta ait, Athanaſius oratione prima contra Arianos.

AESCVLAPIVS.

FVit epiſcopus Gazenſium Aeſculapius, Conſtantini tempore: ad quem encyclicam ſcripſiſſe Alexandrum, Epiphanius teſtatur lib. 1. tomo 2. hæreſi 69.

EVPSYCHIVS.

EPiſcopus eſt Cappadociæ Eupſychius, orthodoxus: Athanaſio oratione prima cõtra Arianos.

AETIVS.

LYddæ dicitur fuiſſe à Theodoreto epiſcopus Aetius: quem Arius in epiſtola ſua ad Euſebium falſo dixit ſecum ſentire. Theodoretus libro primo, capite quinto.

DAVSAS.

EPiſcopus fuit in Perſia, martyr ſub Sapore rege. Sozomenus lib. 2. cap. 13.

GABDIABES.

EPiſcopus fuit Gabdiabes in Perſia, martyr factus ſub Sapore rege. Sozom. li. 2. ca. 13.

BASILIVS ANGYLAE.

BAſilium hunc inter eloquẽtes et celebres Eccleſiæ doctores, ſub Imperio Conſtantini filiorum, numerat Sozom. lib. 3. cap. 14.

BASILIVS ANCYRANVS EPIſcopus Galata.

VTrum Galata natione Baſilius is fuerit, incertum eſt. Propter epiſcopatum enim quem Ancyrę in Galatia geſsit, & Ancyranũ & Galatam à ſcriptorib. dici eum ueriſimile eſt, magis quàm à patria. Hieronymus in Catalogo, & ex eo Suidas, medicũ profeſsione initio fuiſſe ſcripſerunt. Ad epiſcopatũ Ancyranum uenit primùm ſub Conſtantino, eo tempore cum Athanaſius in Gallias relegatus eſſet: & Marcellus, qui ante eum epiſcopus ibi fuerat, in hęreſin Samoſateni incidiſſe deprehenſus eſſet. Socrat. li. 1. ca. 36. Quod in ſynodo quadã epiſcoporũ Conſtãtinopoli factũ, Sozom. tradidit li. 2. ca. 33. ubi ab epiſcopis illis idone⁹ ad dicendũ ac docendũ uiſus fuerit. Obtinuit aũt eum epiſcopatũ uſq; ad ſynodũ Sardicẽſem, cuius autoritate Marcellus, quod nõ ita ut ſcripſerat ſe ſenſiſſe ꝓbaſſet, reſtitutus eſt: Baſilio non ſine magno motu, quia eum populus inuitus amitteret, expulſo: ut Sozom. ſcribit lib. 3. cap. 23. & Socrates lib. 2, cap. 20. Quadriẽnio rurſus pòſt, Mar-

Marccello denuò eiecto, ecclesiam eam recepit Basilius. Socrates libro secundo, capite uigesimosexto: post Constantis mortem, cum Constantius Imperij summa solus potitus, quòd antea ad Cõstantis admonitionem de doctoribus statuisset, rescinderet, & ab Ecclesijs pios doctores abigeret. Sozomenus lib. quarto, capite secundo.

Scripsisse eum contra Marcellum, item de uirginitate, Suidas tradidit. Quod Hieronymus in Catalogo distinctè extulit: scripsisse scilicet eum de uirginitate contra Marcellũ. Meminit & scriptorum eius de fide, Athanasius in epistola de synodis Arimini & Seleuciæ: ubi etiam hoc de Basilio tradidit, professum scilicet eum esse, filiũ ex patris esse substantia, & nõ ex alia substantia. Sed nec creaturam eum, nec facturam existere, sed genuinum & naturalem patris fœtum, & æternaliter cum patre esse, cum eius & ratio sit & sapientia. non tamen recepisse uocem ὁμοούσιον: quemadmodum & Sozomenus indicat libro sexto, capite quarto, eum cum Syluano Tarsensi episcopo & Sophronio Pompeiopolitano approbasse pro homousio, homiusion. Quod ipsum ferè & Epiphanius de Basilio hoc scripsit, libri tertij tomo primo, hæresi septuagesimatertia. Vbi eum Semiarianis annumerat, (quemadmodum & Victorinus, eum cum suis occultos uocat Arianos, libro primo contra Arium) ut qui cum cæteris factionis eius socijs non dixerit filiũ coessentialẽ, sed essentia similem, & nec creaturam aut genituram. Sic igitur à synodo Nicæna sit reiectus. Rursus idem ibidem ait, cum similem quidem dixisset patri filium secundum uoluntatem, sed non secundum essentiam: coactum eum à Cõstantino, postea expressè dixisse, similem patri filium per omnia, ac in hanc sententiam subscripsisse: Ego Basilius episcopus Ancyræ, credo & consentio præscriptis, similem confitens filium patri per omnia: per omnia uerò nõ secundum uoluntatem solum, sed & secundum substãtiam, & secundum existentiam: & secundũ substantiam, uelut filium, secundum diuinas scripturas, spiritum ex spiritu, uitam ex uita, lumen de lumine, Deum ex Deo, uerum ex uero, sapientiam filium ex sapiente Deo & patre. Et in summa, per omnia similem filium patri, uelut filium patri. Et si quis secundũ aliquid similem dixerit, uelut præscriptum est, eum alienum esse à Catholica Ecclesia, uelut qui non dicit secundum diuinas scripturas similem filium patri.

Addit & hoc Epiphanius, de Spiritu sancto Basilium eadem sensisse cum cæteris Semiarianis, quæ Pneumatomachos: esse scilicet spiritum sanctum creaturã. In quam sententiam recitat prolixissimum eius symbolum & commonefactionem de fide, quam ex consensu Georgij Laodiceni episcopi ex synodo quadam Ancyrana in Phœnicen misit. ibidem.

Quos ritus in consecratione templorum obseruarit, Sozomenus non exprimit. Hoc tantum breuiter indicat, Basilium ante synodum Ariminensem, conuocasse multos uicinarum Ecclesiarũ episcopos, ad ædis quam ipse conctruxerat consecrationẽ: libro quarto, capite tertiodecimo.

Vocatus porrò Basilius in Synodum Syrmiensem, quæ sub eodem Imperatore, ob Photini hæresim, coacta fuit, in disputationem cum Photino commissus est: quem & confutauit, ac uicit. Socrates libro secundo, capite trigesimo: Sozomenus libro quarto, capite decimosextò: & Epiphanius libri tertij tomo primo, hæresi septuagesimaprima.

Cum autem Eudoxius Arianus Germaniciæ episcopus, per fraudem in episcopatũ Antiochenum inuasisset, communi consilio Basilius & Eustathius Sebastiæ Armenorũ episcopus, de flagitijs Eudoxij ad Imperatorem Constantinum retulêre. Theodoretus libro secundo, capite uigesimoquinto. Quietiam cõsilijs eius usus, cum familiarem alioqui, ut postea dicemus, eum haberet, synodos apud Ariminum & Seleuciam indixit: cum quidem episcopos Nicomediam Bithyniæ conuocatos, quod urbs ea terræmotu corruisset, dimissurus esset: sed quod ne committeret, Imperator obtinuit. Sozomenus libro quarto, capite decimosexto. Tametsi Synodo Seleucianæ eum non interfuisse accusationum metu, Socrates scripserit libro secundo, capite trigesimonono. Cum contrà subscripsisse eum formulæ fidei in Seleuciana synodo compositæ, Epiphanius referat libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimatertia.

Cùm Imperio potitus esset Iouinianus, & boni principis commoditate freti, diuersarum religionum episcopi singuli confiderent, in suam sententiam eum discessurum, legatione apud eum Macedonianorum nomine cum alijs quibusdam eius sectæ socijs Basilius functus est, & libellum supplicationum contra Anomianos obtulit. Sed responsi aliud ab Imperatore nihil obtinuit, quàm hoc: Detestari nimirum se contentiones, cõcordi uerò sententia coniunctos amplecti & uenerari. Socrates libro tertio, capite uigesimõquinto: Sozomenus lib. 6. cap. 4.

Coniunctionem mutuam & familiaritatem cum professionis suæ socijs maximè coluit: ut Eustathio Armeno, Syluano Tarsensi, Sophronio Pompeiopolitano, Eleusio item Cyziceno, et Cyrillo Hierosolymitano. Theodoret. lib. secundo, cap. uigesimosexto & ui-

& uigesimoseptimo. Et quia singulare prę-tulit morũ ac uitæ grauitatem, charus etiam fuit Constantio: cuius amicitia confisus, in paruo quodam conuentu Constantinopoli liberè eum reprehendit, & coarguit insidias eius erga Apostolica dogmata: adeò ut liberate illa offensus Imperator, silere eum iusserit, & autorem turbarum in Ecclesia dixerit. Theodoretus lib. eodem, capite uigesimoquinto & uigesimoseptimo.

Ex Sozomeni libro quarto, capite uigesimoquinto apparet, eum in Palæstina alicubi (fortè in synodo Hierosolymitana) episcoporum ordine motum fuisse. In synodo certe Sardicensi dura hæc contra eum pronunciata sententia est, Nec episcopum uidelicet nominandum eum, nec communione alicuius dignum, nec Christianum censendum esse, propterea quòd lupi instar in ecclesiam Ancyranam irruisset. Athanasius Apologia secunda: Sozomenus libro tertio, capite duodecimo. Deinde & in separato conuentu Constantinopoli, post synodum Seleucianam, ab Acacianis depositus est, ob multa crimina, quæ in eum falso ea factio confinxit: quæ Sozomenus exponit libro quarto, capite uicesimoquarto.

Finiunt autem de Basilio hoc historiam tum Socrates, tum Sozomenus, in descriptione imperij Iouiniani: nec eorum quisquam meminit, utrum aut quàm diu postea superstes fuerit, aut ubi & quomodo diem suum obierit. Fieri eius mentionẽ primùm in narrationibus de Imperio Constantini, suprà ostendimus.

BASILIVS ALIVS.

BAsilium Cauniorum episcopum Lydiæ numerat inter Arianos & Semiarios, qui formulæ fidei suę partis subscripserunt in synodo Seleuciana, Epiphanius libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimatertia.

BLEVSIVS.

EXtat hoc nominis apud Epiphaniũ libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimaquinta: nec aliud quicquam de eo dicitur, quàm quòd Arianus fuerit, & persecutionem passus sit cum Eustathio Arianæ factionis patrono.

CHRYSAMPELVS.

NIcephoro libro undecimo, capite octauo, episcopus Orientalis est, ex eorum numero quos post resipiscentiam ex hæresi Macedoniana, in communionem recepit Liberius Romanus episcopus.

CELSVS.

ESt & Celsus Nicephoro, ex Orientalibus illis unus, ad quos de receptis Macedonianis scripsit Liberius. Nicephorus libro undecimo, capite octauo.

DIANIVS.

FVit episcopus Cæsariæ Cappadociæ sub Constantio, de grege Eusebianorum. Interfuit synodo Antiochenæ, ei quæ anno quinto à morte Constantini celebrata est, & in qua id tantum Eusebij agit satellitium, ut Nicæni concilij decreta abolerentur. Sozomenus libro tertio, capite sexto.

DRACONTIVS.

SOcrati libro secundo, capite quadragesimotertio, & Sozomeno libro quarto, capite uigesimoquarto, Dracontius episcopus Pergamenus est: quem post discessionem ex synodo Seleuciana, Acaciani Constantinopoli seorsim congregati deposuerũt: hoc adficto crimine, quòd Galatia relicta, Pergamũ se contulisset.

EVPHRATIVS.

FVit episcopus Balaneensis, ab Arianis in exilium expulsus sub Constantio. Theodoretus libro secundo, capite decimoquinto. Meminit eius Epiphanius libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesima secunda: ubi eum cum alijs aliquot in Diocæsarea exulasse indicat.

EVTYCHIVS.

EVtychium Socrates libro secundo, capite quadragesimo, in synodo Seleuciana ab orthodoxis excommunicatum scripsit. Ac libro tertio, capite uigesimoquinto, Macedonianis eum accenset, qui fidei Nicænæ professione acceſſerunt sub Liberio: ibiq; Eleutheropolitanum indicat fuisse episcopum.

ELPIDIVS.

FVit Elpidius Satalorum Armeniæ episcopus, quem in conuentu separato Acaciani Constantinopoli, post synodum Seleuciam sub Constantio, deposuerunt. Sozomenus libro quarto, capite uigesimoquinto.

EVSTATHIVS.

EVstathij cuiusdam Epiphanius meminit libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimatertia: Quem episcopum fuisse Epiphanię in Syria, & decretis synodi Seleucianæ subscripsisse indicat. Alium item, Pinarorum & Sidymorum, quæ uicinæ ciuitates Ptolemęo Lyciæ sunt, episcopum fuisse, & in eadem synodo subscripsisse, testatur ibidem.

EVLALIVS.

FVit episcopus Cæsarienſis Cappadocum Eulalius, habuitq; filium episcopum & ipsum Eustathium Sebastię Armeniæ: quem in synodo Cęsarienſi aliquando, propter causas quas in indicatione de Eustathio hæretico recensuimus, ordine & officio suo remouit. Socrates libro 2. capite 43: Sozomenus

nus libro quarto, capite uigesimoquarto.

EVSEBIVS SAMOSATENVS.

EVsebius, quem tum diuum, tum magnũ Theodoretus uocat, strenuum quoq; ueritatis pugilem, Samosatensium fuit episcopus, in fide & doctrina purus ac syncerus: cuius in commemoratione rerum Ecclesię sub Constantio demum scriptores meminerũt, dissimulato initio & occasione episcopatus eius: aliisq; prætermissis multis, quæ ad exactas personarum descriptiones requiri solent. Fuisse eum uirum autoritate præcipua præstantem, uel hoc indicat, quòd in synodo quadam Antiochena, post confectum à Constantio bellum Persicum, cum Meletius apostolicæ & ueræ assertor fidei, episcopus ab Arianorum factione, errore, quòd suæ nimirum eum esse sententiæ falso iudicarent, electus, deq; electione illa à tota synodo decretum scriptum esset, decretum illud Eusebio huic, quasi commune depositum asseruandum traditum est. Quod nec ad minas Imperatoris postea, cum contra Arianos sentire Meletius deprehensus fuisset, reddere uoluit. Cum enim in literis, quibus ab eo Imperator, ab Arianis persuasus, decretum repetijt, minatus fuisset, mandasse se tabellario, ut nisi redderet decretũ, dextram ei amputaret: Eusebius literis resignatis, cum dextra læuam etiam protulit, atq; ambas secare iussit. Nec enim cõmune depositum se reddi turum prius dixit, quàm omnes denuò conuenissent, à quibus commissum accepisset. Quam fortitudinem Constantius denique admiratus est, & laudauit, nec quicquam uiolentius aduersus eum egit. Theodoretus libro secundo, capite trigesimoprimo & trigesimosecundo.

Sed in discrimen maius sub Valente postea senex uenit. Ab eo enim exulatum in Thraciam exactus est. Id uerò quàm moderate tulerit, hinc licet cognoscere. Cum ad eum crepusculo uespertino Imperatoris minister cum mandato, ut in Thraciam exulaturus Eusebius abiret, uenisset, monuit eum primùm, ne de causa, quamobrem aduenisset, aliquid eloqueretur: propterea quòd à multitudine zelo diuino prædita metuendum maximè esset, ne ab ea in flumen (erat id Euphrates, Samosata præterfluens) demergeretur. Deinde noctu, uno comitatus fido seruo, qui ceruical & librum (opes nimirum constanti doctore dignas) ferret, urbem pedes egressus est: & Zeugma prima cũ luce peruenit, maximo cum Samosatensiũ luctu, ut postea apparuit: cum plurimis eum nauigijs persequerentur, ac ut maneret, nec lupis miseras sese oues proderet, certatim ab eo peterent. Zeugmate relicto, ad Istrum tandem processit: ubi ad Gratiani usque imperium, quemadmodum ex Theodoreto apparet, exulauit. Quanquam sub Iouiano, qui exules omnes ab antecessoribus suis expulsos restituit, reuocatum eum simul fuisse, uerisimile est. Sub eo enim, synodo cuidam Antiochenę interfuisse eum, & cum Meletio fidem Nicænam confirmasse, Socrates retulit libro tertio, capite uigesimoquinto.

Sed in eo exilio, quod, ut diximus, sub Valente sustinuit, ocioſus tamen minimè fuit. Militari enim indutus habitu, Syriam circumijt, Phœnicen ac Palæstinam, in ecclesijs quas destitutas pastoribus reperit, episcopos constituens, presbyteros & diaconos, simul & alia curãs Ecclesijs necessaria. Quod & de exilio reuersus factitauit. Tum enim Berrhœensibus, Hierapolitanis, Chalcidensibus, Cyrensibus & alijs, episcopos præfecit.

Propinquum habuit, & fratris sui filium, Antiochum presbyterum, uirum illustrem, qui in episcopatu postea ei successor datus est. Familiaris deinde etiam Gregorio Nazianzeno & Basilio fuit, cuius leguntur horum die aliquot ad eum epistolæ, in quarum aliquibus pietatem ei tribuit, prudentiam & rerum gerendarum experientiam, ex multis Ecclesiasticis laboribus comparatam: item mansuetudinem, ut epistola quinta & octaua. Extant & Nazianzeni aliquot ad eundem in exilio degentem epistolæ, in quibus stabilimentum eum uocat Ecclesiæ, luminare mundi, coronam gloriationis sanæ Christianorum parti, domum Dei, faciem honorandam, patriæ fulcimentum, regulam fidei, legatum ueritatis, & cætera. Epistola septuagesimatertia, septuagesimaquarta, & septuagesimaquinta.

Martyr ad postremùm miserabili eiusmodi casu factus est. Dolicha in Syria fuit oppidum paruum, sed Arianis refertissimum. Eò concesserat, episcopum ibi ordinaturus Marem. Sed ingredienti ei oppidum, in caput mulier Ariana tegulam deiecit: ex quo ictu capite comminuto, paulo pòst extinctus est, cum curriculum, ut uidetur, honestissimum in episcopatu absoluisset, ultra annos scilicet quadraginta, si à Constantio ad Gratianum usque tempus eius numeretur. Adeò quidem Thracica barbarie, & Gotthis Thraciam exilij sui tempore uastantibus, atque urbes obsidentibus, euaserat, hæreticorum impias & crudeles manus effugere non potuit. Mansuetudinem tamen ad extremum usque habitum præstitit. Moriens enim (ut & hoc adijciamus) assistentes sibi

sibi iureiurãdi religione promittere sibi coëgit, nolle se à muliere illa, à qua læsus fuerat, supplicij quicquam exigere. Atq; hæc de Eusebio hoc Theodoretus retulit lib. secundo, cap. trigesimo secundo: & lib. quarto, cap. decimo tertio, decimoquarto, & decimoquinto: liber item quinto, capite quarto.

EVSEBIVS EMISENVS.

DE Eusebio Emiseno narrationem quandam ex Georgij Laodiceni, quem Eusebio amicissimũ fuisse apparet, texuerunt Socrates & Sozomen⁹: quam et nos, quia plana & perspicua est, hoc loco cõmemoramus.

Natus is Eusebi⁹ in generosa quadã familia Edessæ in Mesopotamia (Sozomenus Edessam Osroœnorũ nominat) ab ineũte ætate secundũ patriã cõsuetudinẽ sacris literis imbutus est. postea Græcas etiam disciplinas à doctore quodã, qui tum Edessę claruit, didicit. Exinde Edessa relicta, Antiochiã sese cõtulit; quo tempore Eustathi⁹ celebris eius Ecclesię episcopus, propter Cyri accusationẽ depositus est: ibiq; cum Eustathij successore familiariter aliquãdiu uixit. Isq; ei, ut uidetur, autor & hortator fuit, ut docẽdi in ecclesia munus & sacerdotiũ susciperet. Sed quod ut fugeret, Alexandriã profectus est, ibiq; in philosophicis studijs se exercuit. Inde uerò rursus uenit Antiochiã, Euphronio mortuo, & Placito Euphronij successori se coniunxit. Interea fortè ab Arianis Synodus contra Athanasium cogitur Antiochiæ, ubi tum Constantius fuit: in qua ab Eusebio Constantinopolitano, ad gubernationem Ecclesiæ Alexandrinæ Eusebius uocatur, ideo quòd dicendi facultate excelleret: & futurum spera ret Eusebius Constantinopolitanus, ut animis hominũ amorem ac beneuolentiam erga Athanasium eximeret. Sed Eusebius certum ac paratũ tum odium, tum periculum uidens, quia ab ecclesia Alexandrina uehemẽter amaretur & coleretur Athanasi⁹, oblatum eum honorem non accepit. Tum igitur ad gubernandam Emisenorũ ecclesiam missus est. Periculum primum sustinuit in synodo Antiochię, in qua accusatus est, quasi cum Sabellio sentiret: sed quam à se suspicionem tum amouit. In maius uerò deinde periculum incidit Emissæ, ubi seditio aduersus eum concitata est, propterea quòd accusatus esset, quòd Mathematicam, seu eam astronomiæ partem quam Apotelesmaticam nominant, exerceret. Ex qua seditione per fugam elapsus, Laodiceam uenit ad Georgium eius loci episcopum, familiarẽ suum: qui eum ad Placitum & Narcissum episcopos deduxit: atque ab illis impetrauit, ut beneficio eorum, Emissenorum ecclesiæ restitueretur. Verùm non ita multo pòst, Imperatori Constantio charus factus est, quòd celebris esset miraculis quibusdam: qui eum secum, bellũ Persis illaturus, in Persiã duxit.

De doctrina & fide eius perpauca reliqua sunt, eaq; tamen non satis certa. Hieronymus in Chronico, sub anno Domini trecentesimo quinquagesimo, signiferũ eum fuisse ait Arianæ factionis, ut omnino quidem uidetur, & multa conscripsisse. Quod & in Catalogo indicat, ubi innumerabiles ab eo scriptos libros elegãter & rhetoricè, testatur, accommodatos ijs qui in dicendo se exerceãt: ex quibus præcipuos nominat eos, quos contra Iudæos, Ethnicos & Nouatianos, & in epistolam ad Galatas, quos decem fuisse indicat, scripserit. Nam & Commentariorum eius in epistolas Pauli meminit in epistola undecima ad Augustinum. Edidit & in Euangelia homilias breues plurimas, quarum aliquot inter homilias hodie Origenis, Hilarij, Ambrosij, Augustini, Alcuini, &c. extant, in recentiori exẽplari. cui demũ accesserũt Emiseni homiliæ, editę Coloniæ anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimoseptimo, hoc numero atq; ordine.

Eusebij homilia de quarta feria quatuor temporum: Missus est angelus Gabriel.

Eusebij homilia de sexta feria quatuor temporum: Virgo Deo plena ad montana conscendit.

Eiusdem homilia Dominicæ quartæ aduentus: Omnes enim existimabãt Ioannem esse Christum.

Eiusdẽ in uigilia natiuitatis Domini: Primùm autem quærendum est.

Eiusdem in nocte Natiuitatis: Quòd mundus uniuersus describitur.

In eadem sancta nocte: Pastores, inquit, loquebantur.

De sancto festo Natiuitatis homilia: Narrant alij Euangelistæ.

De festo S. Stephani: Superi⁹ in hoc Euangelio scribis & Pharisæis, &c.

Homilia de Silentio: Venerant illis diebus Magi.

Homilia intra octauam natiuitatis: Quare autem pater eius dicatur Ioseph.

Homilia in festo Circumcisionis: Nobis, non sibi, circumciditur Dominus.

Homilia die Epiphaniæ: Non uacat à mysterio.

Homilia Dominica prima post Epiphaniam: Dixit modò in proximo.

Eiusdem, Dominica secunda post Epiphanias: Has autem nuptias die tertia.

Eiusdẽ, Dominica tertia post Epiphanias: Quum, inquit, descendisset Iesus de monte.

Eiusdem, Dominica quarta: Regressus Iesus in uirtute spiritus.

Eiusdem, in festo Purificationis: Scriptũ est in lege Mosi.

Eiusdem in sexagesima: Conditor humani generis.

Eiusdē homilia: Multa turba sequebatur Iesum, multi undiq; conueniebant.

In quinquagesima: Multa iam cōsummata erant, &c.

Homilia feriæ quartæ Cinerum: Tristes enim dicuntur hypocritæ.

Homilia sextæ feriæ Cinerum: Domino Iesu Christo docente didicimus.

Eiusdem, Sabbatho post cinerum: Ne hoc autem, Matthæus Euangelista sic ait.

Homilia secundæ feriæ Inuocauit: Baptizatus Iesus confestim ascendit.

Homilia feriæ secundæ post Inuocauit: Dominus enim qui prius humilis uenit.

Homilia feriæ tertiæ Inuocauit: In proximo enim bella acturus.

Homilia feriæ quartæ: Quanta est superbia scribarum.

Eiusdem, feria quinta: Hæc est igitur causa cur clamantem mulierem Deus non exaudit.

Eiusdē, feria sexta post Inuocauit: Ad diem festum Iudæorum Dominus ascendit.

Eusdem, Sabbatho post Inuocauit: Dominus & Saluator noster.

Eiusdem, feria tertia post Reminiscere: Quid est enim sedere super cathedram.

Eiusdē, feria quinta post Reminiscere: Hęc enim uerba & diuitibus & pauperibus, &c.

Feria sexta post Reminiscere: In figura huius hominis patrisfamilias.

Sabbatho post Reminiscere: Homo iste, Deus ipse hoc in loco intelligitur.

Eiusdem, Dominica tertia in Quadragesima: B. Matthæus Euangelista hominē istum non solum mutum.

Eiusdem, feria secunda post Oculi: Legitur superius in hoc Euangelio.

Eiusdem, feria tertia post Oculi: Hæc autē Apostolis, eorumq; successoribus episcopis.

Feria quarta post Oculi: Seniorum namq; traditiones.

Feria quinta: Scire enim oportet quæ sit uxor Petri.

Eiusdem, feria sexta: Homo enim est illud prædium, de quo Iacob.

Eiusdē, Sabbatho post Oculi: Quod enim Iesus in monte Oliueti.

Eiusdē, Dominica Lætare: Magna Dominus miracula facturus.

Eiusdē, feria tertia post Lætare: Diximus superius hanc festiuitatem septem diebus.

Eiusdem, feria quarta: Ipse Saluator noster apertissimè ostendit.

Eiusdem, feria quinta: Hæc enim uidua, quam multa turba sequitur.

Feria sexta post Lætare: In magnis laudib. Mariæ scripsit hæc.

Sabbatho post Lætare: Ego, inquit, sum lux mundi.

Eiusdē, Dominica Iudica: Præceperat Dominus per Mosen sacerdotibus Iudæorum.

Eiusdem, feria secunda post Iudica: In uanum, inquit, laboratis & uos & principes.

Eiusdem, feria tertia: Hoc enim faciebat Iesus, non quòd mortem.

Eiusdem, feria quarta post Iudica: Encænia dicebant Iudæi illam festiuitatem.

Eiusdem, feria quinta: In hoc Euangelio Pharisæi superbia deprimitur.

Eiusdem, feria sexta: Audierāt Pontifices & Pharisæi Saluatorem.

Eiusdem, in uigilia Palmarū: Stulti Iudæi eum occidere uolebant.

Dominica Palmarum: Nunciat Dominus pascha post biduum.

Feria secunda Palmarum: Mirum si Euangelista omnia.

Feria tertia: Si, inquit, scitis quæ fecerim uobis.

Feria quarta: Venit autem dies azymorū, in qua necesse erat occidi Pascha.

Eiusdē, in cœna Domini: Narrat superius Euangelista, quòd ante diem festum Paschę.

In uigilia Paschæ: Vesper enim, qui & Hesperus dicitur, stella est, quæ alio nomine Lucifer.

In die Resurrectionis: Sabbato enim neq; uendere, neq; emere aliquid licebat.

Feria secunda Paschę: Exultandum nobis est, fratres charissimi, in hac die.

De eadē feria, eiusdē homilia: Vn' aūt istorum qui hæc scribit, Lucas fuisse putatur.

Feria tertia Paschatis: Loquebantur discipuli de Iesu, & ea quæ uiderāt.

Feria quarta Paschatis: Quid est enim quod apostolus Petrus de piscatione.

Feria sexta Paschæ: Hæc autem uisio quæ facta sit.

Sabbatho post Pascha: Quātum ad literā, magnus amor compellebat hanc mulierem.

In octaua Paschæ: Quicūq; intelligit illud quod scriptum est, Mors intrat per fenestras.

Eiusdem, Dominica Misericordias: Ego, inquit, sum bonus pastor. Audite hoc pastores, & à me uno pastore.

Dominica Iubilate: Modico enim tępore in sepulchro Dñs iacuit, quo eum discipuli.

Dominica Cātate: Dixerat superius B. Petrus, Domine quò uadis. Sed iam nunc eius.

Dominica Vocē iucūditatis: Si cōsideram hęc uerba, quib. specialiter proprieq; dicātur.

In Litania minori: His enim uerbis admonemur, ut spiritum sapientiæ & intellectus.

In die Philippi & Iacobi: Ego, inqt, uado: & quò ego uado, uos nō potestis uenire modò.

In die Ascēsionis: Venit ad discipulos suos Dominus Iesus, inuenit eos recumbentes.

In

In uigilia Pentecostes, eiusdem: Semper Saluator noster tristibus miscet læta.

In die Pentecostes: Dominus & Saluator noster paulo superi⁹ discipulis loquitur: Qui habet mandata mea, & seruat ea.

Dominica secũda post Pentecosten: Hic enim homo ipse est, qui loquitur, Iesus Christus, Dominus noster.

Dominica quarta post Pentecosten: Erant appropinquãtes ad Iesum publicani & peccatores.

Eiusdem, de eadem Dominica: Estote misericordes, inquit. Sed quomodo? Sicut pater, &c.

Eiusdem, Dominica quinta: Stagnum Genesareth ipsum est quod mare Galileæ.

Dominica sexta: Scribarum & Iudęorum iustitia fuit, ut bene prædicarent.

Dominica septima, eiusdem: Legitur superius, quũ uenisset Iesus sec⁹ mare Galileæ.

Dominica octaua: Attẽdite, inquit, et cauete uobis à falsis ꝓphetis, à malis sacerdotib⁹.

Dominica decima: Hæc autem secundũ literam plana sunt, & per singula exponere non est necesse.

Dominica undecima: Resuscitato namq; Lazaro, ueniens Dominus Hierosolymam, sedens super pullum asinæ.

Dominica duodecima: Nunquã arrogantia placuit Deo, nunquã superbia iustificata.

Dominica decimatertia: Describit Euangelista per quam uiam in Galilæam Dominus redierit.

Dominica decimaquarta: Surrexit legis peritus, conditorem reprehendere uolens.

Dominica decimaquinta: Omnes in uia sumus, omnes ad patriam festinamus.

Dominica decimasexta: Modò enim Saluator noster superius de thesauro loquut⁹ est.

Dominica decimaoctaua: In eo enim quòd ad panem manducandum in domum principis Phariſæorum.

Dominica decimanona: Phariſæi autem audiẽtes quòd silentiũ imposuisset Saducęis.

Dominica uigesima: Hoc enim in loco ciuitatem suam nõ Nazareth, sed Capernaum intelligere debemus.

Dominica uigesimaprima: Tunc enim Deus pater, qui omniũ rex & Dominus est, filio suo Domino nostro.

Dominica uigesimaquarta: Stulti Phariſæi, qui se in sermone uerbum Dei capere putabant.

Dominica 25. Quid enim per hunc principem nisi Abraham, Isaac, & Iacob.

Eiusdem, in Euangeliũ Matthæi 13. de semine bono: Et ego quidẽ aliud his superaddere timeo.

Eiusdem homilia: De die autem illa & hora nemo scit.

Eiusdem: Cum uideritis abominationem desolationis.

Eiusdem: Arborem fici habebat quidam, plantatam in uinea.

Dominica Vacationum, Euangeliũ Matthæi 22. In illo, inquit, die quo Phariſæi uicti recesserunt.

In uigilia Andreę, eiusdem: In exordio huius Euangelij magna nobis quæstio oritur.

Eiusdem, eodẽ die: Narrat superius Euangelista, quia Dominus Saluator noster.

In festo Ioannis: Nascitur hodie Ioannes baptista.

In die Petri & Pauli: Interrogat Dominus Petrum, an se diligat.

De eodem festo, eiusdem: Interrogat discipulos suos, quam opinionẽ de eo homines.

In festo Laurentij martyris: Hoc est enim illud granum frumenti, quod uirgo.

In assumptione Mariæ: Omnia opera Saluatoris nostri plena sunt sacramentis.

Eiusdẽ de decollatione Ioannis: Cuius opinionis Ioannes baptista fuerit.

De natiuitate Mariæ: Quare Matthæus euangelista à Christi generatione.

In festo Matthæi: Sic enim de se Matthæ⁹ quasi de alio loquitur.

In natali Apostolorum: Magna est uirtus charitas, quæ toties discipulis à Domino.

Eiusdem, in natali Apostolorum: Dixerat superius in hoc Euangelio Dominus & Saluator noster.

Eiusdem, in natali Apostolorum: Narrauit superius Euangelista, iuuenẽ quendam accessisse.

Eiusdem, in natali Apostolorum: Lucas Euangelista sic ait, Quia designauit Domin⁹ & alios.

Eiusdem, in natali unius martyris homilia prima: Si quis uult post me uenire, &c. Matthęi 16. Paulo antè dixerat discipulis suis Dominus.

In natali unius martyris homilia 2. Cum enim alibi Dominus dicat, Diliges proximũ.

In natali unius martyris homilia 3 eiusdem: Ecce uitis uocatur Christus.

In natali plurimorum martyrum: Hoc autem ideo Dominus & Saluator noster dicere uidetur.

In natali plurimorũ martyrũ hom. secũda: Talia sunt præmia Christi, talia sunt bella.

In natali plurimorum martyrum homilia tertia: Quid est ergo quod psalmus ait, Orietur in diebus.

In natali plurimorum martyrum homil. quarta: Multa turba sequebatur Iesum, et nõ solum, &c.

In natali plurimorum martyrum homilia quinta: Venerat Dominus in Hierusalem, & cum egrederetur.

In natali confessorum, homil. 1. Eiusdem: Homo iste Dominus & saluator noster intelligitur.

In natali unius confessoris: Homo iste nobilis, ipse est qui hæc loquitur, Saluator noster.

In natali confessoris: Quod enim lumbos præcingere nos Dominus præcipit.

In natali uirginis unius, homilia eiusdē: Regnum cœlorum hoc in loco cœlestem patriam dicit.

In dedicatione Ecclesiæ, homilia eiusdē: Ex quo tempore primus homo descendit.

Eiusdem Eusebij homilia de pœnitentia Niniuitarū: Dum sacro uolumine Ionæ prophetæ gesta replicantur.

¶ Reperimus & in manuscripto quodam aliquot sub titulo Eusebij episcopi homilias: quæ inter recens excusas non habentur tamen, hoc ordine.

Sermo Eusebij de paschate: Bene fratres nouimus primum esse.

Eiusdem Eusebij Emiseni, feria tertia paschatis: Magnum & mirabile paschatis.

Eiusdem Eusebii, feria quarta: Hodierni diei sacrosancta solennitas.

Feria quinta: Opportunè & congruè sub die insigni solēnitatis hodiernę in uocē exultationis assurgimus, &c.

Eiusdem Eusebij Emiseni episcopi sermo: Magnitudo cœlestium beneficiorum, angustias humanæ mentis excedit.

Sermo beati Eusebij: Quodam loco sermo Hieremiæ prophetæ mysteria nostræ salutis annunciat, ita dicens, &c.

Feria sexta: Dies hæc fratres, si bene perspicimus, duplici nobis sanctificatione uenerāda est.

Sermo beati Eusebij episcopi: Festiuitates istæ, charissimi, & celebritates Domini Dei nostri, &c.

Sermo Eusebij in octaua Paschæ: Dignè charissimi pijs studijs exultemus in Christo.

Sermo Eusebij: Resurrectio Domini nostri, cum qua uniuersa generis humani.

Sermo Eusebij: Diximus fratres, quòd ad similitudinem Euæ.

¶ Videtur tamen & hoc notatu atq; animaduersione dignum, quòd hoc tempore nondum tot sanctorum festa fuerunt instituta & obseruata. Ideo sermones isti Eusebij, si tamē sunt Emiseni huius nostri, id quod certum affirmare non possumus, ab aliquo seculis posterioribus sunt accommodati ad festa recentiora.

Ex quibus, pro instituto, dogmatica hæc breuiter describimus. De Deo, trinitate, et Christo, in homilia feriæ quartæ quatuor temporū, explicans dictum, Spiritus sanctus superueniet in te, &c. sic inquit: Hæc uirtus communis est totius trinitatis. Tota enim trinitas unus Deus, & ipse altissimus. Natus est igitur Christus de Spiritu sancto, ex Maria uirgine: id est, uirtute spiritus sancti, quæ una communis est patris & filij & spiritus sancti. Filius autem solius patris filius, & pater solius filij pater est. Hæc itaq; uirtus superueniens obumbrauit Mariam, & ex duabus naturis Christum Dominum operata est. Et in homilia feriæ tertię post Lætare: Cum credamus & confiteamur filium patri esse æqualem per diuinitatem, nec ullam recipiamus inter generantem & genitum, uel naturæ uel substantiæ differentiam: tamen ille pater, ille filius. Et pater quidem de nullo, quia de se Deus est: filius uerò non de se, sed de patre genitus est Deus: sicut Spiritus sanctus à patre procedit & filio. Et hi tres unus Deus, unum lumen, una potentia, una maiestas. Item: Ego eum scio, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Ab ipso enim est: quia Deus de Deo, lumen de lumine, eiusdē cum patre substantiæ est. Pater enim de nullo, filius de patre, spiritus uerò sanctus ab utroq; procedit. Quid est autem quod ait, Qui misit me: nisi, qui me hominem fieri & carnem suscipere uoluit? Hæc autem operatio totius Trinitatis, & non solummodo patris est. Item: Vna est cognitio patris & filij, quorum una est substantia, nec alter sine altero cognosci potest. Item: Sciendum omnibus fidelibus est, quia tota trinitas Deus spiritus est, Domino dicente: Deus spiritus est. Pater ergo spiritus: atque ideo ut distinctio fiat patris & filij, tertia Trinitatis persona, iam non absolutè spiritus, sed cum epitheto Spiritus sanctus appellatur. In homilia feriæ secundæ post Iudica. Item: Pater meus quod dedit mihi, &c. Hoc autem quid aliud est, nisi quia ipse me genuit. Hoc enim donum maius omnibus est. ipsum enim dedisse, genuisse fuit. Non enim prius fuit ille qui dedit, quàm ille cui dedit: quia non prius fuit ille qui genuit, quàm ille quem genuit. Neque enim aliquando pater sine filio fuit, quia sine uerbo, sine uirtute, sine sapientia, sine uita & ueritate nunquam esse potuit. Hoc enim totum filius Dei. ipse enim est ueritas & pota: ipse est uerbum, uirtus & sapientia patris. Sapientia utique quam ipse genuit, est uerax, quia ueritatem genuit, sed quia nunquam fuit ante sapientiam & ueritatem. Nunquam enim sapiens sine sapientia esse potest. in homilia feriæ quartæ post Iudica. Item: Vna eademq; doctrina est patris & filij & spiritus sancti. Et quamuis quædam personaliter agere uideantur, una tamē omnium trium operatio est. Quos igitur docet filius, docet pater & spiritus sanctus: sic

sic & in alijs. unum enim sunt, simul ubiq;, & inseparabiles. In homilia Dominicæ post ascensionem Domini.

Rursus de duabus naturis in Christo, homilia in die natiuitatis Domini: Duę, inquit, naturæ sunt in Christo, diuina scilicet & humana: quarum altera facta est, altera facta nō est: Humanitas enim quæ in ipso est, & facta & creata est. Ipse enim fecit humanitatem suam, &c. Et in eadem homilia: Factum est utique uerbum caro, non quòd uerbum mutaretur in carnem: sed quia carnem suscipiendo, ex diuinitate & humanitate una persona facta est.

Et de Christo, sermone de Paschate ait: Quia peccato obnoxius totus homo redimē dus erat, totus homo assumitur immolandꝰ: ac sic immensa illa maiestas de nostro obtulit sacrificium, de suo contulit precium, &c. Et paulo pòst: Hic nobis fratres ex multis causis aliquæ interim dicendæ sint, quibus necesse habuerit Dominus hominē assumere, & incarnationis sacramenta suscipere. Primaiusticiæ causa est, sicut ipse Dominus dicit: Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iusticiā. Peccauerat enim primus homo uicio suo, & inobediētiæ lapsu, & propriæ uolūtatis impulsu, seductus à diabolo, non coactus: sicut ipse homo dicit in Genesi, Serpens seduxit me. Et ideo per misericordiam poterat quasi reus redimi, non debebat per potentiam quasi innocens liberari. Etenim conditio humana per totam originem hæreditarium malum sparserat, & in omnes eius ramos uicium radicis effuderat. Conditio ergo humana, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenda, sed precio. Ibidem plures causas recitat. Soluit quæstionem, quare Deus hominem de potestate diaboli, per infirmitatem carnis, & non per uirtutem diuinitatis eripere maluerit. Potuerat quidem Dominus noster hostem humani generis sola maiestate prosternere, sine incarnationis humilitate, sine certamine passionis: sed homo, qui proprio transgressionis crimine tenebatur obnoxius, qui per culpam suam incurrerat seruitutem, non uiolentia liberandus fuit, sed misericordia. Item: Sicut uoluntate natus, sic & uoluntate passus est. Quiq; si uoluisset, nunquam pateretur: si non pateretur, nunquam genus humanū redimeretur, nemo hominum saluaretur. Ad hoc ergo Deus homo factus est, ut ex infirmitate humanitatis redimeret, quos ex diuinitatis potentia creauit. Vnus ergo idémque filius Dei, & filius hominis, Deus & Dominus noster IESVS CHRISTVS, non confusus, nec uerbo diuisus, perfectus Deus & perfectus homo, cuius beneficijs æternis sit sempiterna gratiarumactio: qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat. In homilia sabbatho post Lætare.

De Spiritu sancto perspicuè testatur, Deum eum esse uerum cum patre & filio, in homilia Dominicæ quartæ post Pascha: Vnum, inquit, sunt pater & filius cum ipso. Tres igitur in uno loquuntur, quia tres unum sunt.

De libero arbitrio ante lapsum: Libertatem, inquit, arbitrij acceperamus uel ad declinanda blandimenta peccati, uel ad incitandum liberæ uoluntatis affectum in autoris obsequium, uel ad custodiendam imaginem & similitudinem Dei. Sed post lapsum, corruptum docet esse arbitrium hominis mala uoluntate. Anima per se ad bona opera facienda, infirma & impotens est, nisi eius qui eam dedit, fulciatur auxilio.

De peccato, homilia in Dominica Iudica: Peccatum mortis causa fuit: Quoniam nisi primus homo peccasset, nemo unquam hominū moreretur. Ibidem ait etiam, omnium commune esse peccatum originale.

De peccato in spiritum sanctum: Magnum peccatum est uoluntas peccandi. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam noticiam ueritatis, iam non relinquitur hostia pro peccato. Quod de illis quidē intelligitur, qui usque in finem sua sponte in peccatis perseuerant. Item: Quamdiu peccatū in homine regnat, tam diu uinctus & captus à diabolo possidetur. Homilia post Inuocauit.

De Lege, homilia de circumcisione Domini: Si igitur uetus Testamentum complet uit & confirmauit, literæ finem imposuit, & spirituali nouæq; intelligētiæ principatum Dominus tribuit. Consummata est ergo lex, atque pertransijt, sed secundum literam: manet autem, semperq; manebit, secundum spiritualem intelligentiā. Vnde ipse Dominus ait: Cœlum & terra transibunt.

De iustificatione loquens, primum tribuit locum fidei, homilia Dominicæ quartæ aduentus: Fides, inquit, spes & charitas, pietas, iusticia et misericordia, uię sunt, per quas ad nos Dominus uenit: si eas habuerimus, & ad Dominum dirigamus. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Fides igitur saluat, fides iustificat, fides interius & exterius hominem sanat. Idem, Dominica 15 post Pentecosten.

De bonis operibus, homilia Dominicæ quartæ post Epiphanias: Hanc consuetudinem Christiani habere debent, ut quotidiè ad ecclesiam ueniāt, quotidie legant ipsi, uel (si non hoc ualent) alios legentes audiant. Et Dominica duodecima post Pentecosten: Nunquam arrogātia placuit Deo, nunquam

ſuperbia iuſtificata eſt. Vnde & de his q omnia opera ſua faciunt, ut uideantur ab omnibus, alibi Dominus ait: Amen dico uobis, receperunt mercedem ſuam.

De pœnitentia, homilia Dominica tertia poſt Epiphanias: Hic eſt rectus pœnitentiæ ordo, ut quicunq; mundandus ad Deum uenit, prius ſeipſum totũ offerat, fidem & charitatem, & in bonis operibus perſeuerantiã promittat: carnem, quæ peccauerat, in ſeruitutem redigat & affligat: & animam iam libertate donatam, ad cœleſtia contemplanda uolare dimittat. Item: Nulla pœnitẽtia proficit ad ſaluté, quæ noui ueteriſq; Teſtamenti autoritate nõ agitur: id eſt, ſecundũ utriuſque Teſtamenti doctrinã diſciplinamq; pœniteat, quicunq; ſibi ſuam pœnitẽtiam uult eſſe fructuoſam. Declinet igitur homo à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & ſequatur eam. Hæc eſt enim uera pœnitẽtia. Feria ſexta poſt Inuocauit. Item: Magna ei miſericordia fieri poteſt, qui iam ex corde pœnitet, & peccare ceſſat. Qui uerò aliter agit, etſi multũ ieiunet, tamen nihil agit. Magis enim ad cordis contritionem, quàm ad ieiunium & carnis macerationem reſpicit Deus. Feria tertia poſt Reminiſcere.

De Baptiſmo, feriæ ſextæ ſermone: Ecce quicquid iniquitatum ſempiternus gehennæ ignis excoquere & expiare uix poſſet, ſubitò ſacro fonte ſubmerſum eſt, & de æternis debitis breuiſsimo lauacri compẽdio cũ indulgentiſsimo creditore tranſactum eſt. Veniant qui futuræ reſurrectionis gloriã ſitiunt, iam nunc de remiſsione peccatorũ digno miraculo reficiant fidem ſuam. homo in fonte tingitur, & momẽtaneo lauacro ab inueterato malo primi parentis abluitur. Sed aquis relinquitur, quicquid flammis & ſanctificatione ſecreta ſub felici unda priſtini hominis uetuſtas exuitur, & quodãmodo homo intra ſe alter efficitur. Renaſcitur inuiſibiliter, innouatur in melius. Quantum oculis cernitur, non imitatur: & tamẽ ſenectute depoſita, iuuenis anima renouatur, quæ tãquã trino partu fontis in adoptione Trinitatis effunditur. De cœlo medicina dimittitur: ſanantur uulnera, quæ non ſentiuntur: & mala quæ ſe ipſi conſcientiæ inſeparabiliter immiſcuerant, quodam diuinæ miſericordiæ artificio ſeparantur, &c.

In ſermone de cœna Domini, idem ait: Et quia corpus aſſumptũ ablaturus erat ab oculis noſtris, & ſideribus illaturus, neceſſariũ erat, ut nobis in hac die Sacramentum corporis ſui & ſanguinis conſecraret, ut coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in precium: ut quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua eſſet redemptionis oblatio, & perẽnis illa uictima uiueret in memoria, & ſemper prẽſens eſſet in gratia uerè unica & perfecta hoſtia, fide æſtimanda, non ſpecie: nec exteriori cenſenda uiſu, ſed interiori affectu. Vnde meritò cœleſtis cõfirmat autoritas, Quia caro mea uerè eſt cibus, &c.

De miniſterio, homilia in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, explicans illud Chriſti, quodcunq; ligaueris ſuper terram, &c. Hoc, inquit, epiſcopi audiãt, de munere gaudeãt, de poteſtate non ſuperbiant. Si enim ſic ligauerint ut Petrus, ſi ita ſoluerint ut Petrus, quicquid ligauerint, ligatũ erit: & quicquid ſoluerint, ſolutum erit. Imitentur igitur illũ in diſcretione & iuſticia, quem imitari uolũt in ligandi atq; ſoluẽdi poteſtate. Si enim aliter egerint, nõ erit ratum quod egerint. Ideo enim hæc ſoli Petro dicta ſunt, quia nemo ſidelior, nemo iuſtior, nemo diſcretior, & nemo melior erat, cui hæc dici potuiſſent. Ideo enim ſoli illi dicta ſunt, ut omnes alij ſe in illo quaſi in ſpeculo uideant, ſic uiuendo, ſic agendo, ſic ligando, ſic ſoluendo, & à pace & concordia non recedendo. Verumtamen ſicut prælati, ſi iniuſtè ligant, ligandi poteſtate ſeipſos priuant: ita & ſubiecti, etiamſi iniuſtè ligati ſunt, ſi tamen ſe ligatos eſſe parui pendant, ipſa ſua ſuperbia ſeipſos arctius ligant.

De Eccleſia, homilia in feſto Aſcenſionis: Nulli extra Eccleſiã datur Spiritus ſanctus: & eos etiam qui habent, ſi ab ea ſe ſeparauerint, derelinquit.

De ieiunio, ex communi Doctorum meliorum ſententia rectè dixit: Non à cibis ſolũ, ſed à peccatis etiam & uitijs interdicet ſolum, ſed à peccatis etiam & uitijs interdicet ſolum, ſed à peccatis etiam & uitijs interdicet ſolum

subingabit, in tantã ſuperbiã eleuabitur, ut cõtra Altiſsimũ loqui, & ore nefario Deũ ſe dicere nõ timeat. Plen⁹ namq; ſpiritu Satanę, uirtutes multas & miracula arte diabolica operabitur: et alios quidẽ ſignis, alios uerò gladijs ad ſuã uolũtatẽ cõuertet. Præliabitur aũt cõtra ſanctos: quia uenient tũc Enoch & Elias, quos quia ratione ſuperare non poterit, interimi faciet. Item homilia feriæ tertiæ poſt Lætare: Qui à ſeipſo loquitur, gloriam propriam quærit. Quibus uerbis Antichriſtũ notat, theſaurum malitiæ, & perditionis filiũ. Qui, ut Apoſtolus ait, aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Hic ergo cum uenerit, à ſeipſo loquetur, ſua ſe autoritate ueniſſe, non à Deo miſſum dicens: nec Dei, ſed ſuam quæſiturus gloriam. Et paulo pòſt: Chriſtus Dominus noſter gloriam patris quærebat: & idcirco uerax eſt, quia ſuam, non Dei gloriam quæſiturus eſt. Non eſt à Deo miſſus, ſed uenire permiſſus. Item homilia feriæ tertiæ poſt paſcha: Poſſunt ſeptem capita, ſeptem hæreſiarchæ: & decem cornua, decem reges intelligi, qui in tempore Antichriſti non ſolum falſis prædicationibus, uerùm etiam tyrannica poteſtate ſanctam Eccleſiam affligent.

De cœna Domini parum commodè de tranſſubſtantiatione dixit, in uerba Chriſti, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Ecce ſacerdos in æternùm ſecundum ordinem Melchiſedech, panem & uinum uirtute ineffabili in ſui corporis & ſanguinis ſubſtantiam conuertit. Sicut enim tunc & uiuebat & loquebatur, & tamen à diſcipulis comedebatur & bibebatur: ita & modò integer & incorruptus manet, & à fidelibus ſuis in panis & uini ſacramento quotidie bibitur & manducatur. Niſi enim panis & uinum in eius carnem & ſanguinem uerterentur, nunquam ipſe corporaliter manducaretur & biberetur. Mutantur enim iſta in illa, & comeduntur & bibuntur illa in iſtis: quod qualiter fiat, ipſe ſolus nouit qui omnia poteſt, & omnia nouit. Dixit enim tunc per ſe, dicit & modò per ſuos miniſtros: Hoc eſt corpus meum. Et tanta eſt eius uerbi uirtus & efficacia, ut ſtatim fiat quod dicitur. Similiter autem dum dicit, Hic eſt ſanguis meus, mox in eius ſanguinem uinum conuertitur. Eſt & opinio ſine certa aliqua autoritate prolata, qua in homilia de feſto purificationis dixit, Reſurrectionem uniuerſalem die Dominica futuram. Et quòd de Antichriſto opinatus eſt, ipſum ante extremum iudicium moriturum. Mortuus Euſebius ſub Conſtantio, & Antiochiæ ſepultus eſt. Hieronymus in Catalogo.

EVSEBIVS ALIVS.

EVſebium alium habet epiſcopum Seleuciæ Syriæ, qui ſynodo Seleucianæ ſubſcripſit, Epiphanius libri tertij tomo primo, hæreſi ſeptuageſimatertia. Alium item ibidem, epiſcopum Sebaſtiæ Palæſtinę, qui & ipſe ſynodo Seleucianæ interfuit. Meminit Euſebij Palæſtini Baſilius in libro de ſpiritu ſancto, cap. uigeſimonono: eiq; eruditionẽ uariã tribuit, ac de Trinitate rectè eũ ſenſiſſe teſtatur, adducens breue teſtimoniũ ex libro Dubitationum de priſcorũ multiplici cõiugio, his uerbis: Sanctũ Deum lucis auctorem, per Saluatorem noſtrum IESVM, cum ſancto ſpiritu inuocantes.

EVGENIVS.

EVgenium Nicænum epiſcopum inter aduerſarios & accuſatores Athanaſij, in ſynodo Antiochena ſub Conſtantio, Sozomenus numerat libro quarto, capite octauo. Eſt & Zonaræ Eugeni⁹ alius presbyter, qui ſub Iuliano martyrio functus eſt: tom. tertio, in narratione de Imperio Iuliani. Alius eſt Eugenius Nicephoro, libro undecimo, capite octauo, ex Macedonianorum Orientalium numero, qui Nicænam fidem receperũt ſub Liberio & Conſtantio.

EVSTATHIVS.

NIcephoro eſt Macedonianus Euſtathius, ex illis qui reſipiſcentiæ libellum epiſcopo Romano Liberio exhibuerunt, & ad fidẽ Nicænam conuerſi ſunt. Tales ſunt & Euphranor, Eunolpius, Euphroſinus, & Egladius. Nicephorus lib. 11. cap. 8.

GEORGIVS LAODICENVS.

INter Arianorũ capita recenſetur Georgius Laodicææ in Syria epiſcopus, in epiſtola Concilij Sardicenſis, apud Theodoritum libro ſecundo, capite octauo. Et unum eſſe ex illis, qui uocem Homouſij deteſtentur, Socrates dixit lib. 1, cap. uigeſimoquarto. Conſcripſit hiſtoriam uitæ Euſebij Emiſeni. Socrates lib. 2, cap. 9.

HERACLIVS.

HEraclius fuit presbyter Eccleſiæ Tyri, magus, Chriſtianiſmũ ſimulans: quẽ Euſebius Cyzicenus epiſcopus baptizauerat, & diaconũ imprudenter ordinauerat: propter quod ab Acacianis, Conſtantinopoli in ſynodo Seleuciana ſeparatim congregatis, depoſitus Eleuſius eſt. Socrates lib. 2, cap. 42: Sozomenus lib. 4, cap. uigeſimoquarto.

HERACLIVS ALIVS.

NIcephoro Macedonianus eſt, reſipiſcens. lib. 11, cap. 8.

HEORTICVS.

SEmiarius eſt, & Baſilij Ancyrani & Georgij in confeſsione ſocius in ſynodo Ancyrana: Epiphanio libri tertij tomo primo, hæreſi ſeptuageſimatertia.

HYPATIVS.

A Etij discipulus fuit Hypatius Anomianus, ac propterea in exiliũ aliquando relegatus. Familiaris fuit Eudoxio & Eunomio. Epiphanius libri tertij tomo primo, hæresi septuagesimatertia.

INNOCENTIVS.

INnocentium quendam in Asia sacerdotẽ, dilectum suum uocat Athanasius, in epistola ad Palladium presbyterum, de synodis Arimini & Seleuciæ.

IRENAEVS.

E Piscopus fuit Tripoleos Phœnices Irenæus, ex illorum numero qui in synodo Seleuciana contra uocem Homousij subscripserunt: apud Epiphanium libri tertij tomo primo, hæresi septuagesimasecunda.

LEONTIVS.

L Eontium presbyterum ex Thalantepoli regione, Sozomenus refert missum à synodo Ancyrana, quam ad templi recens extructi consecrationem Basilius conuocarat, ad Constantium Imperatorem contra Eudoxium Aëtianos recipiẽtem. Sozomenus lib. quarto, cap. decimotertio.

LEONTIVS ALIVS.

A Lius rursus fuit Leontius Tripolis Lydiæ episcopus, Constantij temporibus, magna præditus in sententijs dicendis apud omnes libertate. Cum ad edictũ Eusebiæ reginæ, Constantij uxoris, episcopi aliquando plurimi cõuenissent, ac supplices reginæ fierent: Leontius solus parui faciẽs reginæ maiestatem, domi mansit. Deinde uerò oblatos ab ea honores maximi episcopatus, & munera, si uenisset, pari cõtempsit fastu, inflatus sci licet episcopali dignitate & reuerẽtia: quam maximi fieri etiam à regina postulabat. Nec se uenturũ prius respondit, quàm sciret, obuiam ei cum reuerentia processuram eam, & caput manibus suis submissuram: ipsoq; sedente, staturã se, ac iussis suis obtemperaturam promisisset. Quin & erga Constantiũ ipsum libertate & cõfidentia magna usus traditur. Cum enim quodam tempore in cœtu episcoporum Constantius de Ecclesiasticis negocijs multa uerba faceret, & promulgaret constitutiones, omnibus alijs approbantibus, Leontiꝰ is solus obstinatè tacuit. Quærenti uerò Imperatori, cur inter omnium sermones ipse solus silentium teneret? respondit: Ideo se tacere, quia cogitans miraretur apud se, quòd ab ipsius negocijs tantum suppeteret tẽporis, aliena ut curaret. Bella enim, inquit, & Respublica tibi gerẽda est: quibus posthabitis, hic inter episcopos desides, & statuis de Ecclesiastica administratione, quæ ad te necquicquam pertinent. Hæc de Leontio Tripolitano Suidas. Socrat. lib. 2, cap. 20, Acacianis eum adnumerat: & in synodo Seleuciana à rectè de fide sentientiũ parte, cum Acacianis cæteris multis, depositum tradit.

MARTYRIVS.

O Rientalis est seu episcopꝰ seu presbyter, Socrati & Sozomeno, Martyrius (ecclesiæ enim eius neuter meminit, nisi fortè Eudoxij presbyter fuerit) qui ante synodũ Sardicensem, cum Eudoxio episcopo Germaniciæ, & Macedonio Mopsi domus episcopo, scriptũ exhibuerit de fide episcopis Occidentalibus, sed quod illi nõ receperũt. Respondẽrũt aũt, Nicænã sufficere fidẽ, ac nihil minus necesse esse, q̃ curiosius quicq̃ in ea formula seu rimari, seu exagitare, seu addere ei quicq̃ uelle. Socrates, q scripti eiꝰ exemplũ recitat, lib. 2, cap. 19, & 20: Sozom. lib. 3, cap. 11.

MAXIMVS.

EX Macedonianis Orientalibus, Nicænæ fidei professoribus se adiungentibus, ad quos de receptione Liberij extat epistola, Maximus fuit. Socrates lib. 4, cap. 12.

MAXIMVS ALIVS.

MAximum philosophum quendam à pietate Christiana, & pugnis contra ethnicos & hæreticos commendat Athanasius, peculiari ad eum scripto. Athanasius ad Maximum philosophum.

MAGNVS.

E Piscopus est Themisorũ Phrygiæ, eius in synodo Seleuciana partis, quæ coëssentialitatis uocẽ repudiarũt, apud Epiphaniũ libri tertij tom. primo, hęresi septuagesimatertia.

NEON.

NEonam Socrates habet, Neonem Sozomenus, episcopũ Seleucię Isauriæ, quem Acaciani in cõuenticulo separatim deducto ex synodo Seleuciana deposuerunt, afficto crimine, quasi Arianum Antiochenum episcopum malo studio ordinasset, & quosdam sacrarum scripturarum & legum Ecclesiasticarum ignaros, deniq; incircumspectè uiuentes episcopos constituisset, qui postea pecuniarũ possessionem sacerdotio prætulissent: scriptoq; testati essent, malle se cum pecunijs ministrare, quàm sine illis episcopatu fungi. Socrates lib. 2, cap. 42: Sozomenus lib. 4, cap. 24. Alius est Neon Macedonianus, ad fidẽ Nicænam conuersus sub Liberio: Nicephoro libro undecimo, capite octauo.

PROTOGENES.

P Resbyter fuit Edessenus Protogenes, cuius suprà quoq; in uita Eulogij Edessenj facta mẽtio est. Cũ hoc enim, quòd dogmati Nicæno cõstanter adhæreret, à Constãtio exulatũ Antinonẽ in Thebaida relegatus est: ubi quantũ potuit, cõiunctis cũ Eulogio uiribus & operis, doctrinam Christi propagauit. Ludũ enim ibi Protogenes aperuit, ac seruitutis magistrũ professus est, cũ politiori literatura instructus esset ab Eunomio: puerosq;

rosq; sacris literis imbuit, dictata proponēs illis Dauidica carmina, tradensq; ediscēdos cōueniētes Apostolicæ doctrinæ locos. Aut ibidē tum suam celebritatē, tum Christiana doctrinæ profectū, donū medēdi morbis scholasticorū suorū per orationē, quod in eo eximium fuit: quanquā eo Eulogio magna cēlsit modestia. Cum autem laborantiū nemini restituere, quàm sacri baptismatis donū quamplurimos ad sanitatem animi corporisq; cōuerteret. Theodoritus libro quarto, capite decimooctauo. Postea Protogenes, reddita Ecclesijs tranquillitate, episcop⁹ Carthaginis, carduis impietatis Græciæ plurimis refertis, datus est, sub Iuliano, ut uidetur, aut Valētiniano. Theodorit. ibidē: & lib. 5. cap. 4.

QVINTIANVS.

EPiscopus Ponti dicitur Quintianus ab Athanasio, qui eum fraude & furore Arianorum in exiliū pulsum esse scripsit in Apologia de fuga sua. Theodorit. lib. 2. cap. 15.

QVINTIANVS *alius*.

ALius esse uidetur Quintianus, qui Asclepa ex ecclesia Gazensi expulso Arianorū perfidia, in locum eius suffectus est: propter quod, lupi nimirū quòd instar in Ecclesiam alienam inuaserat, à rectè sentientium parte in Synodo Sardicēsi, ut neq; episcopus neq; Christianus, depositus est. Theodoritus lib. secundo, cap. octauo: Sozomenus lib. tertio, cap. octauo: Athanasius apologia secunda.

PHILAGRIVS.

ORientalis quispiā est episcopus Macedonianus, conuersus ad fidem Nicænā sub Liberio: apud Nicephorum lib. 11. cap. 8.

PITIMVS.

EStinter orthodoxos episcopos & confessores Pitimus quispiam, eos qui in Dio cæsarea propter rectam fidem exularunt: adquos presbyteri Ancyræ scripserūt, apud Epiphanium libri tertij tomo primo, hæresi septuagesimasecunda.

PETRVS.

EPiphanio Petrus Hyppi Palæstinę episcopus est, in synodo Seleuciæ contra ὁμοούσιον subscribens: libri tertij tomo primo, hæresi septuagesimasecunda.

PHOEBVS.

EIdem Phœbus episcopus est Polychalandæ Lydiæ, in synodo Seleuciana subscriptor. Epiphanius ibidem.

PHILICADVS.

EIdem & Philicadus est episcopus Agustadarum Phrygiæ prouinciæ, in eadem Synodo subscribens. Ibidem.

PROCLIANVS.

EPistola presbyterorum Suedrensiū Pamphiliæ ad Epiphaniū, prę missa Ancorato, indicat Proclianū cōministrū fuisse ipsius Epiphanij, cui⁹ opera in Pamphilia multi in errores de Spiritu sancto seducti resipuerint.

PAVLVS.

PAuli cuiusdā Basilius meminit in epistola 1x ad Eusebiū Samosatenū: eumq; sym presbyterū, & religiosissimū uocat fratrem.

PETRVS.

IDem & Petrum quendā fratrē suū, et sympresbyterum uocat, in epistola septuagesi maseptima ad episcopos transmarinos, ad quos cū literis Petrū eū mittere sese indicat.

PHORTON.

PHorton quispiam inter sacerdotes Sebastiæ fuisse uidetur, qui cū Eustathio episcopo Sebastię fidei Basilij subscripsit. Exemplar ei⁹ fidei inter epistolas Basilij extat, post epistolam nimirū septuagesimamseptimam.

SYLVANVS.

SYluanum mirificū uocat Theodorit. lib. 2. cap. 26. Episcopus fuit Tarsi Ciliciæ, ex Macedonianorū grege, familiaris Basilio, Sophronio, Eleusio, cum quib. præcipuū in illa secta locū tenuit, & cum illis legatus ad Imperatores & Synodos frequenter missus est: ut ad Iouinianū Imperatorē, pro expellēdis ex Ecclesijs Anomianis: & ad Liberium Romanum, ut Macedonianorū nomine in fide sese ei coniungeret. Socrates lib. tertio, cap. uigesimoquinto: & libro quarto, cap. undecimo: Sozomenus lib. sexto, cap. quarto: qui manifestè indicat, Syluanum cum illis fecisse, qui Homousio repudiato, Homiusion approbarint. A' quo tamē diuersum de Syluano Theodoritus tradidit lib. 2. cap. 27. in synodo nimirum quadam Constantinopolitana, deducta ex Seleuciana, acriter eum Imperatore præsente pugnasse cōtra Acacianos (meminit eius pugnæ Epiphanius libri tertij tomo primo, hæresi 73, ubi tamen Syluanum Arianū fuisse non dissimulat) abrogare studētes uocē Homousij, destructis prius & in anathema inductis his uocibus, De nihilo, & cōditura, hoc modo: Si de nihilo non est, neq; conditura, neq; de diuersa essentia Deus uerbum: coessentialis est igitur genitori Deo, ut Deus ex Deo, et lumen ex lumine, & habet eandem cum genitore naturā. Addit autem Theodoritus, libertatem illam in defendendis dogmatis Apostolicis, Syluano exilium tum conciliasse: cum animose prius Syluanus cum suis Imperatori exilium minanti respondisset: Penes scilicet ipsum esse, quid supplicij exigat: penes sese uerò, quid de pietate atq; impietate constituant. Nunquam autem se commissuros, ut à doctrina, quam à patribus accepissent, deficiant.

SEVERIANVS.

ORientalis episcopus Seuerianus est, subscribens professioni fidei Nicænę sub Liberio: Nicephoro lib. undecimo, cap. octauo.

TITVS

TITVS.

INter celeberrimos Eccleſiarum Doctores ſub Conſtantio, Sozomenus Titũ numerat, Boſtrenſium epiſcopum: qui in ſynodo quadam Antiochię ſub Iouiniano, confirmationi fidei Nicænæ ſubſcripſit. Inuiſus autẽ factus poſtea Iuliano Imperatori, cui & librum, quomodo populus Chriſtianorum idolis aduerſaretur, ſcripſit, ab eo per calumnias ciuitate Boſtrenorum exactus eſt. Socrates. lib. tertio, cap. uigeſimoquinto: Sozom. lib. tertio, capite decimoquarto: & lib. quinto, capite decimoſeptimo.

THEOPHILVS.

CAſtabalenſis Cilicũ fuit epiſcopus Theophilus, ſecta Macedonianus: ſed qui fidei ſeſe Nicænæ tandem adiunxit. Fuit inter legatos, quos Macedoniani in oriente ad Liberium pro receptione fidei Nicęnæ miſerunt. Poſtea et ſub Iouiniano, in ſynodo Antiochena, fidem eam confirmauit. Depoſitus eſt ab Acacianis, in ſynodo ſeparata Conſtantinopoli, eam ob cauſam: quòd ab epiſcopis Palæſtinæ epiſcopus Eleutheropolitanus ordinatus, iuramentum dediſſet, ſe nullum aliũ epiſcopatum affectaturũ: Caſtabalenſium tamẽ Eccleſię gubernationem recepiſſet. Socrates lib. 3, cap. uigeſimoquinto: & lib. 4, cap. undecimo: Sozom. lib. 4, cap. 14.

THEOPHILVS INDVS.

CElebris fuit ob uirtutem & doctrinã ſub Cõſtantio, Theophilꝰ cognominatꝰ Indus, quẽ Suidas ueluti imaginẽ quandã Apoſtolicã fuiſſe ſcripſit: qui etiã mortuũ in uitã reſuſcitaſſe quendã dictus ſit, una hac deformis macula, quòd Arianiſmo addictus eſſet. Is ſub Conſtantino quondam, ab Adiabenis obſes in Romanorum ditionem miſſus erat: ubi moribus paulatim ad Romanorum inſtituta conformatis, monaſticam ſibi elegit uitam: & diaconi dignitatem, manus ei imponente Euſebio Nicomedienſe, conſecutus: poſtea uerò à Cõſtantio legatus ad Orientales populos Indos atq; Arabes propagandæ fidei gratia miſſus eſt, quorũ multos ad fidẽ cõuertit, tẽpla cõſtruxit, ac ſicubi apud Chriſtianos indecẽtes reperiſſet ritus, ad canones Eccleſiaſticos eos reduxit: una ſaltẽ & quidẽ maxima hac re incõmodans, quòd de Chriſto ad Arij opinionẽ docebat. Ex India & Arabia deinde ad Aethiopes Auxumitas tranſijt, doctrinãq; Chriſtianã propagauit. Poſtremò ad Romanos redijt, à quibus in magno honore habitus eſt. Nullã uerò ibi habuit eccleſiã, cuius diceretur epiſcopus: ſed obeundo, cõmunem quaſi profitebatur doctorẽ. Quòd uerò Gallo Cæſari in intimis fuiſſet, in exiliũ tandem à Conſtantio Heracleam in Pontum eſt deportatus. Nicephorus libro nono, cap. decimooctauo, & trigeſimoſecundo.

ABBAS. ABRAHAM.

REcenſentur inter diſcipulos Efraim Syri, Abbas & Abraham: à Sozomeno libro tertio, capite decimoſexto.

ACHETIAS.

FItmentio Achetę diaconi, familiaris Conſtantio Imperatori, in epiſtola Conſtantij ad Athanaſium, apud Socratẽ lib. 2, cap. uigeſimotertio: Vt pleniſsimam cauſæ huius expoſitionem habeas, Achetã diaconum amandauimus, ex quo & animi noſtri uoluntatẽ, & ea quæ deſideras conſequi poſsis.

ZENOBIVS.

NVmerat inter diſcipulos celebres Efrem Syri Zenobium, Sozomenus lib. tertio, capite decimoſexto.

IACOBVS.

ESt ex epiſcopis illis Iacobus, qui in ſynodo Tyri Athanaſio adhęſerũt. Athanaſius apologia ſecunda. Iacobi cuiuſdam, quẽ orthodoxũ uocat, meminit Athanaſius oratione prima contra Arianos, & epiſcopum fuiſſe Meſopotamiæ indicat.

LONGINVS.

EPiſcopus quidam Ponticus Longinus eſt, orthodoxus Athanaſio, oratione prima cõtra Arianos: quem cum Meletio & Baſilio coniungit. Incertum an ſit ille, de quo ſuprà mentio facta eſt.

LVPVS.

EIdẽ Meſopotamiæ uidetur eſſe epiſcopus lupus, orthodoxus: oratione eadem.

HEORTASIVS.

SArdẽſis fuit epiſcopus, iuxta Sozomenũ: Socrati ex Macedonianis illis eſt, qui fidẽ Nicęnã receperũt, ad quos Liberiꝰ ſcripſit. Sozom. eũ in ſynodo Acacianorũ Conſtantinopoli depoſitũ tradidit, nõ ut praue docentẽ, ſed ut Eccleſiarũ turbatorẽ, & in leges Eccleſiaſticas delinquentẽ. Sozom. lib. 4, cap. 24: Socrates lib. quarto, cap. duodecimo.

THEODVLVS.

EPiſcopus eſt Traianopolitanus Thraciæ Theodulus, Nicænę fidei ꝓpugnator: quẽ poſt ſynodũ Sardicẽſem Euſebiani, calũnijs ꝓſciſsũ, in exiliũ ꝓpulerũt: poſtea etiã interficere uoluerũt, niſi fuga ſibi cõſuluiſſet. Athanaſio in Apologia de fuga ſua, & in epiſtola ad ſolitariã uitã agentes: ubi cõminiſtrũ ſuum uocat. & in Apologia ſecunda.

THEODOSIVS.

EPiſcopus eſt Philadelphię Theodoſius, homouſij hoſtis in ſynodo Seleuciana: Epiphanio li. 3, tom. 1, hęreſi ſeptuageſimatertia.

CYMATHIVS.

PAlti Cœloſyriæ epiſcopꝰ Cymathiꝰ, inter illos fuit, quibus Antiochię congregatis epiſtolam miſit Athanaſius. Idem tomo 12. Eundem diplomate Imperatoris ex ciuitate ſua exturbatũ, ſcribit idẽ in epiſtola ad ſolitariam.

ria uitã agẽtes: eo q; hæresim tantũmodo uideretur obisse. Quod & ob eandẽ causam accidisse Cymathio alteri, episcopo Taradi, ibidẽ ostendit.

FRVMENTIVS.

EPiscopus fuit Auxumes Frumentius, Athanasij socius, ab eoq; (quẽadmodũ Constantius indicat) episcop⁹ ordinatus. Quãobrẽ & obnoxi⁹ fuit eidẽ Cõstantij indignationi, odio & iniurijs, quib. Athanasi⁹. Nã & abduxisse eũ p tyrannos Auxumitanos, ab Imperatore iussus est. Exẽplar ei⁹ scripti cõtra Frumẽtiũ, Athanasius recitat in apologia ad Cõstantiũ.

ANTONIVS.

PRimùm presbyter fuit Antonius in ecclesia Tarsensi, postea episcopus fact⁹ est. Cõuersatus cum eo aliquandiu est Aetius, & ab eo eruditus est. Nicephorus lib. 9, cap. 17.

AMPHILOCHIVS.

AMphilochiũ episcopũ uocat Lycaonię metropolis, eiusq; toti⁹ gentis gubernatorẽ, Theodoretus lib. 4, cap. undecimo & trigesimo. Basilius eũ Iconiensem uocat præsulẽ, & Gregorius Nazianzen⁹ in Monodia de Basilij uita. Facit idẽ & Hieronymus in Catalogo. Fuit enim Iconiũ Lycaoniæ metropolis, Pauli etiam memoria & hospitio clara.

Nicephori nugas, qui eum ex eremita per angelos cœlitus missos, propter excellentẽ tum doctrinam tum uitam suam, episcopũ ordinatum, ac postea ab episcopis alijs cõfirmatum scripsit libro primo, cap. uigesimo, suæ existimationi relinquimus.

Libros ab eo scriptos extitisse, Hieronym⁹ in epistola ad Magnũ oratorẽ indicat. Et in Catalogo, ait lectũ sibi ab eo librũ de spiritu sancto. Ac de Deo eã eius, in eo lib. significat fuisse doctrinam, Quòd Deus sit, quodq; adorandus, & omnipotens sit. Basilius uerò in proœmio libri de spiritu sancto, quẽ Amphilochio nuncupauit, quid de scriptura sentiret, breuiter sic indicat: Putas, inquit, nullã rẽ exhis quæ per uniuersam scripturã de Deo prædicantur, oportere indiscussam relinquere. Ibidẽ & familiarissimũ sibi esse, atq; in magno ab eo haberi precio Amphilochiũ ostendit. Carũ uocat eum caput, seq; eum præ cæteris plurimi facere testatur. Appellat & fratrem, nuncupat ei librũ de spiritu sancto: & magnopere commendat in discendo studiũ atq; industriam, mentisq; uigilãtiam & assiduitatẽ, probat eius & in quærendo & discendo candorem. Nazianzenus in Monodia de Basilio, uitam etiam & laudes Basilij ab eo conscriptas prodidit. Et in epistola quadam ad Amphilochiũ: satis ostendit familiarẽ fuisse studiorum societatẽ inter Basiliũ & Amphilochiũ. Et quidẽ ipsi Nazianzeno magna cum Amphilochio interceserit familiaritas.

Fuit autem propugnator Nicænę fidei, & cõtra Arianos acriter dimicauit: quẽadmodũ Theodoretus indicat lib. quarto, cap. trigesimo. Libro uerò 5, cap. decimosexto, hunc eius cum Theodosio Imperatoris congressũ, pietatis & ingenuæ confessionis plenum, ad hunc modũ narrat: Accessisse ad Imperatorẽ Amphilochium, eiq; supplicasse, ut Arianos ex urbibus curaret eijci. Sed Imperatorem, petitionem eam ut duram nimis, non admisisse. Aliam igitur obiurgandi eius occasionẽ Amphilochiũ excogitasse, hoc modo. Intrauit aliquãdo cum alijs quibusdã, ut Sozom. narrat, episcopis, in Imperatoriã regiam, conspicatusq; assistere Imperatori filium Arcadium, qui Imperator recens designatus erat, Imperatorem quidem ipsum de more saluta uit, filio uerò honoris aut reuerentiæ nihil exhibuit. Arbitratus Imperator facere id obliuione Amphilochium, monet eũ, ut filiũ saluter. Respondet Amphilochius, Satis esse quod honorẽ ipsi habuisset. Quapropter indignatus Imperator, neglectionẽ illã filij graiter ferre, & cõtumeliã interpretari. Addit Sozomenus, præcepisse etiã, ut cum ignominia ex regia episcopus expelleretur. Ibi igitur cõsilij sui scopum Amphilochius assecutus, Imperatori liberrimè: Siccine, inquit, Imperator grauiter fers neglectionẽ filij tui? Reuoca tibi in mentẽ quæso, odisse & Deũ eos, qui p blasphemiã honoris aliquid adimerẽt unigenito suo filio, ac uehemẽter irasci ingratis in eũ, & cõtemptoribus. Quã senis episcopi libertatẽ Imperator admiratus, edictũ illico conscribi iubet, quo ex urbibus hæretici eijciantur. Addit Sozom. lib. 7, cap. 6, ueniam etiam ab Amphilochio Imperatorem petijsse, ac uerè eum rectèq; dixisse cõfessum esse. Sed & Messelianorũ hæresim, cum in Lycaoniam irrepsisset, Amphilochius repulit, & ecclesias suas incolumes retinuit. Theodoretus libro quarto, capite undecimo.

In synodo Constantinopolitana, cũ de electione episcopi ageretur, & cõfirmand⁹ esset episcopatus Gregorij Nazianzeni, cum optimis quibusq;, qui eò cõuenerant episcopis, animosè se opposuit Ægyptijs, qui in Gregorij locũ Maximũ Cynicũ constituere uoluerãt. Theodoritus lib. 5, cap. 8. Gregorio enim cõiunctissim⁹ fuit, ac familiaris plurimũ Basilio, quemadmodũ suprà admonuim⁹. Extat apud Symeonẽ Metaphrastẽ tom. 5, sub Amphilochij episcopi Iconij nomine oratio, de occursu Dñi nostri Iesu Christi, & de Dei parente, & Simeone. Citat Amphilochij de merito Christi testimoniũ Cyrillus Alexãdrin⁹ in apologetico suo his uerbis: Nisi ille natus esset carnaliter, neq; tu natus esses spiritualiter. Nisi ille portasset serui formã, neq; tu gloriã adoptiõis filiorũ nactus esses. Citat idẽ testimoniũ synodus Chalcedonensis, & hęc addit: Propter hoc uenit in terrã cœlestis, ut tu terrenus

terrenus eleuareris in cœlum. Propter hoc Christus seipsum exinaniuit, ut nos omnes de plenitudine eius acciperemus. Illius mors nostra facta est immortalitas. Domini passio, seruo facta est exaltatio.

ARIVS.

ARium quendam in Petra Palæstinæ episcopum, Athanasius habet, Eusebianæ factioni inimicum: adeò ut, cum ad synodũ Sardicensem cũ Asterio Arabe, de quo postea dicemus, ꝓfecturus, in eos fortè incideret, iter cũ illis facere noluerit, sed ab illis sese seiunxerit. Quamobrem ab illis post synodũ nõ relegatus solũ in superiorẽ Thebaida, uerùm etiã cõtumelijs expositus sit. Athanasius ad solitariã uitã agentes. Obseruandũ tamen est, quòd quæ hoc loco de Ario & Asterio nolentibus esse comites Eusebianis in itinere ad cõuentum Sardicensem, Athanasius narrat, ab eodem in Apologia dici de Asterio Arabe & Macario Palæstino. Citat idem Theodoretus libro secundo, capite octauo.

ANYSIVS.

DIaconus est Basilij Ancyrani Anysius Epiphanio, libri secundi tomo secundo, hæresi septuagesimaseptima.

ALCIMADES.

ESt inter Semiarios Alcimades Epiphanio, libri tertij tomo primo, hęresi septuagesimatertia.

AVGVSTVS.

EVphrateſiæ episcopus est Augustus, subscriptor in homousion, in synodo Seleuciana: eidem, ibidem.

ARABION.

EPiscop⁹ Adraorũ Arabion, pugnans cõtra homousion in eadẽ synodo: eidẽ, ibidem.

ATHANASIVS.

AThanasiũ Scythopolitã inter Semiarios collocat Epiphanius, libri tertij tom. 1, hęresi septuagesimatertia.

EVIPPIVS.

MEminit Euippij, qui in synodo Constantinopolitana sub Constantio, cum Arianis Eudoxio & Georgio interfuerit, Basilius epistola 70 ad Euaisenses. Et epistola octogesimasecũda ad Patrophilũ, indicat Euippij filios uocatos ad functiões in ecclesia Sebastię ab Eustathio, ut uidetur, factos esse fermentum & persecutores piorum doctorum.

EVPHRATION, ELLANICVS.

EVphration Calanorum episcopus, & Ellanicus in Tripole, ab Arianis, armatis diplomate Imperatoris, ex Ecclesijs suis eiecti sunt sub Constantio. Athanasius epistola ad solitariã uitã agentes. Idẽ in epistola de synodis Ariminensi & Seleuciana ait, ad Euphrationem episcopũ, non fuisse ueritum Eusebium scribere Cæsarienſem, Christum non esse uerum Deum.

EVLOGIVS.

EXul est ob orthodoxam fidem Eulogius in Diocęsarea, ex illis ad quos scribũt presbyteri ab Ancyra Galatię, apud Epiphanium libri tertij tomo primo, hæresi septuagesimasecunda. Meminit Eulogij ueteris episcopi exulis Athanasius, in epistola ad solitariã uitam agentes.

EVSTATHIVS.

ESt ex presbyteris Ancyranis illis, qui ad episcopos exulantes in Diocæsarea scribũt, Eustathius: Epiphanio ibidem.

EVGENIVS.

EVgenium Nicænum episcopum inter aduersarios & accusatores Athanasij, in synodo Antiochena sub Constantio, Sozom. nudo commerat lib. 4, cap. 8. Est & Zonaræ Eugenius presbyter, q sub Iuliano martyrio functus est: tomo tertio, in narratione de Imperio Iuliani. Alius est Eugenius Nicephoro lib. undecimo, cap. 8, ex Macedonianorum Orientalium numero, qui Nicænam fidem receperunt sub Liberio & Constantio.

MARINVS.

EPiscopus celebris Chalcedonensis Marinus est, sub Iuliano: Ottoni Phrysingensi libro 4, capite decimo.

QVIRIACVS.

CHronica illa Henrici Erfordensis, Bergomensis, & Vincentij Speculum libro decimoquarto, capite secundo, Quiriacum habent episcopum Hierosolymitanum, factum martyrem sub Iuliano: qui tamen in serie episcoporum Hierosolymitanorum nõ inuenitur.

ROMANVS.

CElebratur à Theodoreto Romanus, qui cum alijs in munerũ distributione à Iuliano deceptus, in eo quòd in focum granũ thuris iniecerat, fraude intellecta Imperatorem impostura accusauit. itaq; ad supplicium extra urbem extractus, martyriũ subire cupidissimè uoluit. Sed cum per nuncium è longinquo celerrimè clamantem, ne feriret carnifex, manu iam nudatũ ensem uibrans, iratus respondit: Scilicet Romanus dignus nõ fuit, qui Christi martyr diceretur? Theodoretus libro 3, capite decimooctauo.

ANATOLIVS.

EPiscop⁹ fuit Berrhœensis, qui synodo cuidam Antiochenę, in qua fides Nicæna denuò cõfirmata est, interfuit. Extat eius synodi scriptum ad Iouinianum Imperatorem, in quo Anatolij huius nomen legitur, apud Socratem lib. 3, cap. uigesimoquinto.

ANTIPATER.

LEgitur hoc nomen, Antipater Rosenus, in subscriptione epistolę episcoporũ synodi Antiochenæ sub Iouiniano, apud Socratẽ libro tertio, capite uigesimoquinto.

ABRA-

ABRAMIVS VRIMENVS.

HAbet & hoc nominis eadem ſubſcriptio. Vrema in Syria ad Euphratem ſita fuit, Ptolemæo teſte.

ARISCENICVS SELEVCOBOLEVS, *Arabianus Ancri.*

SVbſcripſerunt decretis ſynodi Antiochenæ, confirmanti fidem Nicænam, ſub Iouiniano. Socrates, ut ſuprà.

BARLAMENVS.

INter Acacianos, qui ſub Iouiniano, Meletio Antiocheno ſe coniunxêre, & Nicænã fidem cõfirmarunt, Barlamenus Pergami reputatur epiſcopus: apud Socratem libro tertio, capite uigeſimoquinto.

CALLICRATES.

CLaudiopolitanus fuit epiſcopus, ex Acacianorum eorum numero qui ſub Iouiniano fidem Nicænam confirmarunt, cum Imperatorem ei adhærere cognouiſſent. Socrates libro tertio, capite uigeſimoquinto.

IOVIANVS.

PErgenſis fuit epiſcopus Iouianus, qui breui cum Arianis coniunctus, reſipuiſſe, & ad rectè ſentientes rediiſſe uidetur. Cuius nihilominus tamen manum Antiochus, cum in epiſcopum Samoſatenſem ſub Iouiniani Imperio ordinaretur, ut blaſphemam repudiaret ueluti in commemoratione de Antiocho ſuprà retulimus. Theodoret. lib. 4. cap. 15.

ISACOCES.

MAgnæ Armeniæ epiſcopus, ex eorũ numero qui in ſynodo Antiochiæ congregati, cõfirmatam à ſe Nicænam fidem Imperatori Iouiniano obtulerunt. Socrates libro tertio, capite uigeſimoquinto.

LVCIANVS.

EPiſcopus fuit Arcæ ciuitatis Phœniciæ, mediterraneæ Syriæ, ex eorum numero qui Nicænam fidem receperunt ſub Iouiniano. Socrat. lib. tertio, cap. uigeſimoquinto.

LEONTIVS.

LEontius eccleſiæ Comanæ in Pamphilia epiſcopus, Macedonianus eſt Socrati lib. tertio, capite uigeſimoquinto.

LEONTIVS *alius.*

ALius eſt Leõtius Cappadociæ epiſcopus orthodoxus Athanaſio, oratione prima contra Arianos.

MAGNVS.

CHalcedonenſis eſt epiſcopus Magnus, inter eos qui ad fidem Nicænam, temporibus tum ſic poſcentibus, cõuerſi ſunt, ſub Iouiniano: Socrat. lib. 3. cap. 25.

ORPHITAS.

PResbyter eſt Athanaſij Ancyrani Orphitas, ex catalogo eorũ qui ſe cum profeſſoribus fidei Nęicnę coniunxerũt ſub Iouiniano: apud Socratem libro tertio, capite uigeſimoquinto.

PATRICIVS.

EPiſcopꝰ Palti in Syria caua Patricius fuit. cõiunxit ſe cum profitentibus Nicænam fidem ſub Iouiniano. Socrat. lib. 3. cap. 25.

PELAGIVS.

PElagius Laodicenus epiſcopus adoleſcẽs uxore ducta, prima die nuptiarum (ſi tamen credere fas eſt: nam ſuperſtitionẽ redolet) ſponſæ profeſsionem caſtitatis in thalamo perſuaſit: quam cum ea per omnem uitã profeſſus eſt. celebris & alijs præclaris uirtutibus, ob quas in magna fuit admiratione. Interfuit ſynodo Antiochenæ ſub Iouiniano, & cum Orientalibus recipientibus & cõfirmantibus Nicænam fidem ſubſcripſit. Socrat. lib. 3. cap. 25. Exulatum in Arabiam à Valente pulſus eſt. Theodorit. lib. 4. cap. 13. unde tamen reuocatus uidetur, & reſtitutus Eccleſiæ ſuę. Nam ſub Theodoſio, ſynodo Cõſtantinopolitanæ, epiſcopi Laodicenſis nomine & autoritate, interfuit. Theodoritus libro quinto, capite octauo.

PASINICVS.

ZEnenſis fuit epiſcopus Paſinicus, Macedonianus, ex illis qui libellum ſupplicationum exhibuerũt Iouiniano, Macedonianorum nomine petentium, ut Armenianorum eccleſię ipſis traderentur. Socrates libro tertio, capite uigeſimoquinto.

PETRVS.

ESt & in catalogo Orientaliũ, qui ſe fidei Nicænæ adiunxerunt ſub Iouiniano, Petrus Sipponius epiſcopus: apud Socratem libro tertio, capite uigeſimoquinto.

PISON.

EX ijſdem & Piſon eſt, Adanenus: apud eundem, ibidem.

STHENELVS. SYLVANVS.

SVbſcribunt Nicænæ fidei ſub Iouiniano, Sthenelus & Syluanus, Orientales: apud Nicephorum lib. 11. cap. 8.

THEOTIMVS.

REcenſetur inter confirmantes Nicænam fidem Theotimus, Arabenus epiſcopus: à Socrate lib. tertio, cap. uigeſimoquinto.

VRANII.

VRanij nomine duo ſunt apud Socratem, alter Apamię, alter Meletinę epiſcopi, recipientes & confirmantes fidem Nicænam ſub Iouiniano. Socrates libro tertio, capite uigeſimoquinto. Porrò ſiue alterutrius iſtorum, ſiue tertij cuiuſdam alterius, meminit idem libro quarto, capite duodecimo, inter Macedonianos Nicęnæ fidei accedentes ſub Liberio. Tertius Vranius epiſcopus Tyri Epiphanio eſt, in Catalogo epiſcoporũ qui in ſynodo Seleuciana homouſion repudiarunt: libri 3. tomo 1. hæreſi 73.

ZOILVS.

ZOilum Lariſenum epiſcopum habet Catalo-

talogus eorum qui fidem Nicænam confirmarunt in ſynodo Antiochena ſub Iouiniano: Socrates libro tertio, capite uigeſimo quinto. Sub Conſtantio uerò hoſtis adhuc fuit homouſij, & contra Nicænum dogma ſubſcripſit in ſynodo Seleuciana. Epiphanius lib. 3. tomo 1. hæreſi 73.

SABINIANVS.

EPiſcopus Zeugmatenus eſt Sabinianus, ſubſcribens confirmationi fidei Nicænæ ſub Iouiano: apud Socratem lib. 3. cap. 25.

EVTYCHIVS.

ESt ex Acacianis illis, qui ſub Iouiniano Imperatore Meletio Antiocheno ſeſe cõiungunt, & homouſij fidem amplectuntur, Eutychius Eleutheropolitanus epiſcopus: Socrati libro quarto, cap. uigeſimoquinto.

ANTIOCHVS.

FVit Euſebij, celeberrimi epiſcopi Samoſateni, fratris filius, eiusq; eccleſiæ primùm miniſter, pietate & uirtute inſignis. ex quo loco & dignitate unà cum Euſebio epiſcopo, à Lucio Eunomij ab Arianis ſubſtituto ſucceſſore, in extremã Armeniam relegatus eſt. Cum aũt uterq; reſtitutus eſſet, defuncto tandem Euſebio, ipſe in locum eius frequẽtis concilij ſuffragijs lectus eſt. In qua ordinatione, quàm ſinceram præ ſe ferret pietatem & confeſsionem Antiochus, illuſtri declarauit teſtimonio. Nam cum in ſynodo intereſſet Iouianus Pergenſis epiſcopus, qui breui tempore cum Arianis coniunctus inceſſerat, eumq; in ceremonia manus impoſitionis Antiochus reſpiciens, uidiſſet ſuã quoq; manũ capiti eius admouere, repulit illã: atq; à cœtu ordinantiũ petijt, ut eum è cœtu illorum ſemoueret. Non enim poſſe ſe ſuſtinere manũ, quæ blaſphemiæ adminiſtra fuiſſet. Theodoret. lib. 4. cap. 15. Baſilius in epiſtola quadam ad Euſebium Samoſatenũ, Antiochum uocat religioſum fratrem ſuũ, & ſympresbyterum Euſebij.

CHARISIVS.

NIcephorus lib. 11. cap. 8. Chariſiũ inter epiſcopos Orientales numerat: quib. Liberius, poſteaquã Macedonianos reſipiſcentes in cõmunionẽ recepiſſet, reſcripſit. Quod tamen nomen, quemadmodum & reliquorum quos Nicephorus recenſet, Socrates exemplũ Liberij epiſtolæ recitãs nõ agnoſcit.

ERON, ELPIDIVS, EVCARPIVS.

MAcedoniani fuerũt, Eron, Elpidius, Eucarpius: ad quos poſt reſipiſcentiã, cum fidem Nicænam recepiſſent, Liberius Romanus ſcripſit. Socrat. lib. 4. cap. 12.

EVLALIVS.

ESt Gregorio Nazianzeno Eulalius Doarenſium epiſcopus, quem honorabilem, ſanctum, paſtorum optimum & abſolutiſsimum uocat, & orationem in electionẽ eius ſcripſit. Apud eundem rurſus ſeu idem, ſeu alius eſt Eulalius, quem reuerendiſsimũ, & epiſcopũ uocat Deo charũ: & optare ſe ait, ut in manibus eius expirare detur. Significat autem, eum à ſe eccleſiæ Nazianzenæ epiſcopũ præfectũ eſſe, propterea quòd ſenex ipſe cõfectus & cadaueroſus, uti ipſe loquitur, gubernationem eius eccleſię ſuſtinere amplius nõ poſſet: epiſt. 36. ad Gregoriũ Nyſſenum.

EVLALIVS *alius.*

FVit et Amaſię ad Pontum epiſcopus Eulalius quiſpiã. Qui cũ cæteris multis in exilium à Valente expulſus, poſt Valentis mortẽ reuocatꝰ eſt à Gratiano. Sozom. lib. 7. ca. 2.

EVLOGIVS.

EDeſſę presbyter Eulogius fuit, propugnator Apoſtolicorum dogmatũ, & uirtutum uita, tum doctrina ſimul & cõſtantia in profeſsione celebris: cuius eiuſmodi exemplũ Theodoretus retulit. Cum Barſen Valens, laudatiſsimũ Edeſſenorũ epiſcopũ deportari curaſſet, uenit & ipſe Edeſsã, eius occaſione rei, q̃ p̃ paſtore Lupo immiſſo, Chriſtiani omnes ante urbẽ cõuenirẽt. Dat ibi negotiũ Imperator p̃fecto Modeſto, ut cõuocatis omnib. eius urbis presbyteris & diaconis, ſe riò ſuo præcipiet nomine, ut aut Lupũ admitterẽt, aut exigi ſe ex urbe nõ moleſtè ferrent. Quã edicti ſententiã præſes oratione placida poſtq̃ expoſuiſſet, tacerentq; cæteri omnes, ad Eulogiũ ille, inter presbyteros primariũ, conuerſus: Cur, inquit, nihil ad ea quæ à me ſunt dicta reſpondes? Cui ille: Nõ exiſtimabã, inquit, meũ eſſe reſpondere, q̃ interrogatus non ſum. Quod ſi interrogaris me uerò, ſententiã meã te nõ celabo. Cõiungere igitur, ait præfectus, cũ Imperatore. Ad quę ille placidè & feſtiuè: Nunquid etiã, inquit, cum Imperatore Pontificẽ Valens agit? Quin & paſtorẽ habemus, & nutus eius ſequimur. Ad quã uocẽ indignatus præfectus, cõprehenſos cum Eulogio octoginta alios, exulatum miſit in Thraciã. Ex quibus familiariſsimũ habuit Protogenẽ compresbyterũ: quo cum ex Thracia, ſub Theodoſio, ut uidetur, poſtea reuocatus, Eccleſiã ſuã recepit. Theodoret. lib. 4. cap. 18. & lib. 5. cap. 4.

EVMATHIVS.

ESt apud Nicephorum libro undecimo, capite octauo, inter Macedonianos Orientales, quos in communionem Liberius Romanus recepit, poſt exhibitũ pœnitẽtiæ libellũ.

EVSTATHIVS.

EVſtathius Baſilij Cæſariẽſis diaconus fuit, cuius fit mentio in epiſtola quarta Baſilij.

EVOLCIVS.

DIaconus eccleſiæ Samoſatenſis Euolcius fuit: quẽ Lucius Arianus, occupato poſt Eunomium epiſcopatu Samoſateno, in exilium pepulit. Theodorit. lib. 4. cap. 15.

FA V-

FAVSTINVS.

INter Macedonianos eos episcopos qui resipuerunt, ac fidei Nicænæ subscripserunt, Faustinus est: Nicephoro lib. 11. cap. 8.

GELONIVS.

MAcedonianus est resipiscens, apud Nicephorum libro undecimo, cap. octauo.

HIERATIVS. HYTHIVS.

MAcedoniani resipiscētes item sunt apud eundem, Hythius & Hieratius.

HYPERETHIVS.

MAcedonianus fuit, qui sub Liberio Romano cum alijs se tum professoribus Nicænæ fidei cōiunxit. Socrat. lib. 4. cap. 12. Epiphanio lib. 3. tomo 1. hæresi 73. Semiarius est, socius Basilij Ancyrani & Georgij Semiariorum, qui in synodo Ancyrana confessioni eorum subscripsit.

LETOIVS.

MElitinensis episcopus fuit: hoc tantū nomine Theodorito celebris, quòd hostis fuerit acerrimus hæreseos Messalianorū, qui Valentis temporib. plurimas per Orientē Ecclesias infecerant. Cum enim in monasteria eam pestem irrepsisse, in ijsq; grassari cognouisset, ea exulsit. Theodoritus lib. 4. cap. 11. Familiaris fuit Basilio Cæsarienſi, qui librū eide uera uirginitate nuncupauit. Est & Letoius quispiam Semiarius Epiphanio, lib. 3. tomo primo, hæresi septuagesimatertia.

LIBANIVS.

LIbanium quendam syndiaconum nominat Basilius, in epist. 9. ad Eusebium.

MELETIVS.

MEletius presbyter fuisse uidetur Basilij Cæsarienſis: qui epist. 73. ad Monachos suos, religiosissimum eum appellat, & germanissimum fratrem suum, cooperatorēmque Euangelij, & sympresbyterum.

MARCIANVS.

NIcephoro, inter Macedonianos resipiscētes sub Liberio, Marcianus quispiā est: libro undecimo, capite octauo.

MAXIMVS.

NOuatianorū eorū qui Nicææ Ecclesiam habuerūt, fuisse episcopū Maximū quēdam sub Valente, Socrat. retulit li. 4. cap. 28.

MENEDEMVS.

PRinceps cum alijs duobus præstantibus uiris, fuit Menedemus legationis 80 uiorū, quos placandi studio orthodoxi, pluribus iniurijs ac damnis affecti, ad Valentē Imperatorē miserunt Nicomediā. Eos uerò ab Imperatore deportari in exiliū iussos, Modestus præfectus naui impositos, incēdio sustulit. Socrat. lib. 4. cap. 16. Sozom. lib. 6. cap. 14.

MATIDIVS, TARSINVS, NVmerius.

PResbyteri fuerunt Suedrorū Pamphiliæ, Matidius & Tarsinus & Numerius, authores Epiphanio ut Ancoratum scriberet. Extat horum epistola ad Epiphaniū in principio libri Ancoratus, quem ijsdem Epiphanius nuncupauit.

NAVCRATIVS.

FRater fuit Basilij Magni, quemadmodum in uita eius retulimus. Nazianzenus in Monodia in uitā Basilij. Adolescens in ascetico instituto defunctus est. Nicephorus libro undecimo, capite decimonono.

OSTREVS.

MElitinensis episcopus Ostreus est, propugnator Nicænæ fidei, & assertor cum alijs, in synodo quadā Antiochena sub Iouiniano. Idem & sub Valentiniano & Valente synodum cum Eusebio Cappadocensi, Athanasio Ancyrano et alijs cōgregat Tyanis, pro homousij cōfirmatione. Sozom. lib. 6. cap. 12.

PARDALIVS, PHOTINVS.

ORientales sunt Macedoniani, & Pardalius & Photinus, Nicænā fidem recipiētes sub Liberio: Nicephoro lib. 11. cap. 8.

PALLADIVS.

PResbyter fuisse uidetur alicubi in Cappadocia, non procul à Cæsarea, aut fortasse Cæsarienſis, Athanasio familiaris: qui dilectum eum filium uocat, in epistola quam ad eum de Basilio Cæsariēsi scripsit. Athanasius in epistola ad Palladium.

PATROPHILVS.

EST ad Patrophilū episcopū quempiā epistola Basilij de arguendis & uitandis hæreticis, epistola octogesimaquinta.

PALLADIVS.

PAlladiū quendā Galatā natione, olim sibi charū fuisse, Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolymitanū refert: sed in Origenis errores postea illapsum. quā ob rem, ut ab eo sibi caueat, Ioannem monet. Meminit eius etiam Hieronymus in proœmio scripti aduersus Pelagianos, ubi seruilis nequitiæ hominem eum uocat, & Ruffini hæresin instaurare conatum indicat.

PAVLINVS.

GEnnadio Paulinus est discipulus Efrem diaconi, ingenij acumine & eruditione clarus: qui in Ecclesijs uiuēte magistro cum laude docuit. Sed post eius obitū ab Ecclesia se separauit, & contraria fidei multa scripsit. Fertur ad eum Efrē moriturus adstantē sibi dixisse: Vide Pauline, ne te submittas cogitationib. tuis: sed cum te perfectè cōprehendisse putaueris Dominū, crede nec intellexisse. quòd eum argutijs & scrupulositatib. studiosum esse, & acrē animaduertisset. Vnde & Bardesanem alterum frequenter appellare eū solitus erat. Gennadius in Catalogo.

SACTESINIVS.

SActesinium Basilius desideratissimū uocat sympresbyterum, in epistola 58.

SEVERVS.

SEuerum chorepiſcopum uocat Baſilius, approbatorẽ cum Euſtathio Sebaſtiæ epiſcopo fidei Baſilij. Baſilius in exẽplari fidei à ſe prædicatæ tomo 2. poſt epiſtolam 77.

SEVERINVS.

ORientalis quiſpiã fuit epiſcopus Seuerinus. Recenſetur ab Epiphanio lib. 3. tomo 1. hæreſi 73. inter Semiarios. In ſynodo enim Ancyrana fidei formulæ, quæ coeſſentialitatem damnauit, ſubſcripſit.

THEOPHRASTVS, TIMOTHEVS.

MEminit Theophraſti cuiuſdã, et fratrem nominat, Baſilius in epiſt. 56. ad Meletium. Timotheum uerò chorepiſcopum uocat epiſt. 54. ad Athanaſium, patrem Athanaſij Ancyrani.

THEODVLVS.

NOtarius fuit Baſilij Ancyrani Theodulus, in ſynodo Syrmij cõtra Photinum. Epiphanius libri ſecundi tomo ſecundo, hæreſi ſeptuageſimaprima.

VRBANVS, THEODORVS, *Menedemus.*

EX octoginta pijs ac religioſis uiris Eccleſiaſtici prẽcipui ſunt, Vrbanus (Vrbaſius Sozomeno) Theodor⁹ & Menedemus: qui cum uarijs modis ab Arianis adflicti fuiſſent, Nicomediã ad Valentẽ uenerunt, eiq; libros ſupplicatorios, accuſationes & querelas de uiolentia Arianorũ exhibuerũt. Eos Valens naui in exiliũ quaſi abducere, in medio uerò pelago naui ſuccenſa comburi iuſsit. Socrates libro quarto, capite decimoſexto: Sozomenus libro ſexto, capite decimoquarto.

ZENON.

EPiſcopus fuit Tyrinenſis, homouſij patronus in ſynodo Antiochena ſub Iouiano, & Tyanenſi ſub Valentiniano & Valente. Sozomenus libro ſexto, cap. duodecimo.

ZENON *alius.*

ALius eſt Zenõ presbyter, familiaris Ioanni Hieroſolymitano, & in ipſius alicubi, ut uidetur, diœceſi: Epiphanio in epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanũ, quæ inter opera Hieronymi extat, tomo tertio.

ARSENICVS, ARSENIVS, AMBROSIVS, *Alexander, Adolius, Anthus.*

OMnes iſti ex Orientalibus illis ſunt, qui fidem Nicænam receperũt ſub Liberio. Nicephorus libro undecimo, capite octauo.

ESCICIVS.

DIſcipulus fuit Gregorij Nazianzeni Eſcicius, qui bibliothecam Origenis & Pamphili martyris Cæſariæ longo corruptã tempore, multo labore reſtituit. Obijt ſub Theodoſio. Bergomenſis libro nono.

ANTHYMVS.

EPiſcopus fuit Anthymus Thyanæ Cappadociæ, quæ in diuiſione, aut diſtractione potius Cappadocię, in primã & ſecundã, ſub Valente, metropolis facta erat. Quamobrem metropolitani ius & iuriſdictionem Anthymus, ambitioſus (ut uidetur) epiſcopus uſurpare ſatagens, contentionẽ mouit Baſilio Cæſarienſi, qui pugnabat, Politica diſtracta tantũ eſſe: Eccleſiaſtica uerò nequaquã diuidi oportere, ſed in priſtino ſtatu relinquẽda eſſe. Extat ea de re narratio, Gregorij monodia de Baſilij uita. Hinc in Anthymũ frequẽtes occurrũt illuſiones in epiſtolis Baſilij & Gregorij: ut in epiſt. 35. Gregorij ad Baſiliũ, ubi Martius Anthymus dicitur, & intempeſtiuus & immaturus bellator. Et in epiſt. 37. eiuſdem ad eundẽ, in qua generoſiſsimũ uocat Anthymũ. Quale quiddã & hoc uidetur eſſe in epiſtola Baſilij ad Meletiũ, epiſtola 58. Volo pietatem tuam ſcire, quòd frater Anthymus Fauſtum cum Papa agentem ordinauit, neglectis iuſtis ſuffragijs, ut Armeniã ſeditione repleuerit. Nam & in Monodia Gregorius narrat, Anthymum nouum ciuitatis Thyanenſis metropolitanũ inſtituiſſe creare epiſcopos, & parochias tranſponere.

AARON.

EPiphanio libri tertij tomo primo, hæreſi ſeptuageſimaſecunda, Aaron exul eſt in Diocæſaræa.

CLIDONIVS.

EXtant ad Clidonium epiſtolę duę Gregorij Nazianzeni, qui compresbyterũ eum, & reuerendũ uocat. quibus præcipuè Apollinariſtarum hęreſim confutat: ut ueriſimile ſit, Clidonium eum Apollinarij opinionib. nonnihil fuiſſe addictum.

CYRIACVS.

CYriacum ſympresbyterum, ſibi coniunctum, innoxium, ac nulla non reuerentia dignum, commendat Baſilius Euſebio, epiſtola undecima.

CYRVS.

IDem Cyrum uocat uenerandiſsimum fratrem, à Meletio ordinatum: epiſtola quinquageſimaoctaua, ad Meletium.

DIANIVS.

NOminat beatiſsimũ Dianiũ quẽdam Baſilius, in epiſt. ad Boſporiũ epiſcopũ, atq; hęc de ipſius fide ac uirtutibus ibidem tradit his uerbis: Huius mihi conſcius ſum, quod ex prima ætate in amoris affectu erga ipſum enutritus, uirũ ſuſpexerim. Erat enim aſpectu admodum honeſto, præclaro, & uenerãda ac ſacra grauitate prędito. Poſteaquã uerò mihi & rationis uſus acceſsit, tum illum ex animi bonis uenerabilẽ agnoui, deq; illius conuictu gauiſus ſum, apertos uiri, egregios & ingenuos mores cognoſcẽs: & ſi qua reliqua erãt illi agnata ac ꝓpria, ut ꝓpria erãt & peculiaria, animi placiditas & excellentia cũ manſuetudine coniuncta, decens modeſtia, pectus

pectus irasci nescium, alacritas, & cõuenien-
di facilitas, cum grauitate pulchrè tempera-
ta. His de causis illum illustrissimis ex uirtu
te uiris connumeratum habebam. Circa ex-
trema quidem uitæ illius tempora (neq; e-
nim cælabo ueritatem) intolerabili mœro-
re propter ipsum, cum alijs in patria, qui plu
rimi erãt, Dominum timentibus, afficiebar:
propterea quòd fidei illi, quam ex Constan-
tinopoli reportauerant qui ad Georgiũ per-
manfueto & humano, omnibus ita satisfa-
ciebat, ut paterno affectu toleraretur. Vbi ue
rò decidit in ægrotationem, ex qua & mor-
tuus est, cõuocatis nobis dicebat, testem es-
se Dominum, quòd simplici corde in scriptũ
Constantinopolitanum cõsenserit quidem:
uerũm nulla in re irritã uoluerit eam fidem,
quæ Nicææ à sanctis patribus exposita est.
Neque aliud in corde habuerit, quàm quod
ab initio traditum accepisset. Imò precari se
quoq; ut non separaretur à sorte beatorum
illorum episcoporum trecentorum decem
& octo, qui piam illam fidei prædicationem
promulgauerint orbi. Atque ista satisfactio-
nem nos ita permouit, ut soluta omni cordiũ
nostrorum hæsitatione, ad communionem
illius accesserimus, & à concepto mœrore
quieuerimus.

EVPRAXIVS.

VOcat uenerandum, atq; inter germanos
amicos obseruandissimũ fratrem suum
Eupraxium, Nazianzenus epistola septua-
gesimaquinta, ad Eusebium Samosatenum.

EVTYCHES.

BAsilij Ancyrani fuit notarius Eutyches.
Epiphanius lib. 2. tomo 2. hæresi 71.

EVTYCHIVS.

EIdem, libro eodem tomi eiusdem, hæresi
septuagesimatertia, Semiarij sunt Euty-
ches & Eutychius.

EVSEBIVS.

PRæficit Eusebius Magnus Samosatenus,
de exilio reuersus, Ecclesiæ Chalcidi, Eu
sebium alium quendam sub Gratiano. Theo
doritus libro quinto, capite quarto.

GELASIVS.

EPiscopus Cæsarię Palęstinę Gelasius fuit,
sub Gratiano, quo tempore Constãtino-
polim Gregorius Nazianzenus: cuius com-
munione Gelasius in synodo Constantino-
politana contra Maximũ Cynicum, episco-
patum eum affectantem, usus est. Vocat eum
uirum eruditione & uita conspicuũ, Theo-
dorit. lib. 4. cap. 8. Retulit ex Gelasij huius
scripto Nicephorus lib. 12. cap. 11, Diocletia-
num & Maximũ post Imperiũ depositũ, pœ-
nitentia postea ductos, regnũ recuperare uo
luisse: sed Senatus Romani mandato interfe
dos fuisse.

IOANNES ANTIOCHENVS.

FVisse Ioannem nobili ortum genere, suá-
que magis quàm maiorum uirtute illu-
strem, eruditione ac moribus apprimè excul
tum, Theodoretus scripsit: episcopũ sub Gra
tiano missum esse Apamiensibus à Meletio
de exilio regresso, cum in persecutione sub
Valente Antiochiæ, ut uidetur, prius cũ Ste-
phano quodam pręfuisset cœtui rectè de fide
sentientiũ. Theodoret. lib. 5. cap. 4. Moritur
sub Theodosio. idem libro eodem, cap. 21.

ISIDORVS.

ISidorum, quem & suum, & uirũ admira-
tione dignum, zeloq; diuino cõspicuum
Theodoritus nominat, Eusebius Samosate-
nus reuocatus ab exilio sub Gratiano Cyren
sibus præfecit episcopũ. Qui postea synodo
Constantinopolitanę sub Theodosio inter-
fuit, & contra Maximũ suffragiũ Gregorio
Nazianzeno tulit. Theodorit. li. 5. ca. 4. & 8.

MARES.

LAudatissimus atq; omnis generis uirtu-
tibus ornatissimus Mares, fuit episcopus
ordinatus, & præfectus Ecclesię Dolichę, op
pidi parui in Syria, ab Eusebio Samosateno
magno. cum quo, cùm Dolichã Eusebius ue
nisset, in sacerdotali eum collocaturus solio,
ictu tegulæ ab Ariana muliere deiectæ extin
ctus est, ut alibi retulimus. Theodoritus li-
bro quinto, capite quarto.

PAVLIANVS.

FRater fuit Hieronymi Paulianus, quem-
admodũ in uita eius meminim⁹. Eũ pres-
byterij ornari dignitate, in monasterio ue-
teri Epiphanij Papæ curasse, ostendit ipse in
scripto aduersus Ioannẽ Hierosolymitanũ:
qui ex hac ipsa re, quasi infra legitimã ætatẽ
ad id honoris fratrẽ suũ euexisset, calumniã
molitus erat. ad quã in eo scripto pluribus
respondet. Mansisse aũt eum plerunq; in suo
monasterio indicat, & interdũ ad se inuisen-
dum cõmeasse, quoq; nuncio nõnunquã u-
sus sit. Nã post uastatã à Gothis patriã Strido
nẽ, eò misit Paulianũ Hieronymus, ut si quę
reliqua mãsissent de possessioe parentũ cõde
ret: sicut indicat ipse in epist. ad Pammachiũ.

STEPHANVS.

GRæcè eruditus, & sacris literis institutus
egregiè Stephanus, episcopus Germani-
censiũ ecclesiæ à Meletio Antiocheno præfe
ctus fuit: cũ quidẽ Eudoxij peste ea ecclesia
esset corrupta. à qua, Stephani doctrina libe-
rata est. Theodoret. libro quinto, cap. 4.

SABINIANVS.

DIaconus quidã Sabinianus impostor, fu-
giẽs ad maritũ cuius uitiauerat uxorẽ, e-
piscopi sui literis cõmendatus uenerat in Be
thleẽ, simulãs se uelle monachũ fieri. Rece-
ptus igitur est ab Hieronymo. Sed aliquãto
pòst in ipsis sacris locis ausus est uirginem

quandã ad ſtuprũ ſolicitare. Deprehenſo & ueniã petẽti ignouit Hieronym⁹. Is deinde paſsim cœpit obtrectare famæ Hieronymi, flagitioſum eſſe eũ apud uulgus clamãs. Hortat eũ Hieronym⁹ ut pœnitentiã agat, in monaſteriũ aliquod ſe abdẽs: Eſto, inqt, ſim ego flagitioſus, ut uulgo iactitas: ſaltẽ mecũ age pœnitẽtiã, criminoſus imitare lachrymas criminoſi. Hieronymus in epiſt. ad Sabinianũ.

ASTERIVS.

ASterium hypodiaconum & neceſſarium uocat Hieronymus, in epiſt. ad Auguſtinum: qui in epiſt. ad eundem, filiũ etiã Auguſtini, & fratrẽ & collegã ſuũ nominat. tom. 3.

EPHRAEM, SEV EFFRAEM, *iuxta Hieronymum.*

APud Theodoret. lib. 2. cap. 30. Ephrẽm celeberrim⁹ dicitur ſcriptor apud Syros. Sozom. lib. 6. cap. 34, Cõmentatorẽ eũ uocat. Patriã habuit Niſibim, clariſsimã quõdã Meſopotamiæ urbem, quæ & Antiochia dicta, & Mygdonia quibuſdã cognominata fuit: ut Theodoret. indicat. Narratiũcula de uita ei⁹, pręfixa operib. eius, ſicut hodie habẽtur, cui⁹ ſimilẽ ex Amphilochio Vincẽtius retulit in Speculo lib. 14. cap. 86. indicat, à puero eum in eremo educatũ: et ingenij bonitate, quam in eo eximiã fuiſſe Sozom. tradidit, celebrẽ euaſiſſe eremitã, & doctorẽ uerbi diuini excellentẽ, inſtructũ plurimis egregijs donis, ueluti eruditione & eloquentia: quas in eo admiratus eſt Baſilius, ut Sozom. tradidit li. 3. cap. 16. Quamobrẽ & ab angelo uolumen accepiſſe eũ, ꝓditũ eſt. id quod fortè cõfictũ eſt, quia ſtudia literarum amauit. Ex eremo autẽ ꝓtractus, ut uidetur, diaconus primùm eccleſiæ Edeſſenæ factus eſt: poſtea uerò in presbyterorũ ordinẽ lect⁹ à Baſilio Cęſariẽſi.

Hieronymus in Catalogo ſcriptorũ Eccleſiaſticorũ, indicat eum multa cõſcripſiſſe ſermone Syriaco, quæ in tanta fuerint autoritate & admiratione, ut poſt lectionẽ ſcripturarum publicè in quibuſdam eccleſijs recitata ſint. Addit aũt, ſe legiſſe librũ de Spiritu ſancto, ab Effremo editũ Syriacè, ſed ab alio quodã in græcã linguã transfuſum: in quo libro quanquã in alienã linguã traducto, acumẽ ſe ingenij ſublimis cognouiſſe narrat. Sed liber ille hodie deſideratur. Extãt aũt alia quædã, excuſa Coloniæ anno 47 in officina Noueſiani, quorũ pleraq; ab Ambroſio Camaldulenſi latinè reddita ſunt: De cõpunctiõe cordis li. 2. De beatitudine animę lib. 1. De pœnitentia lib. 1. De luctamine ſpirituali lib. 1. De iudicio extremo lib. 1. De uera pœnitẽtia li. 1. Ambroſio Camaldulenſi interprete. Quẽ interpretẽ quæ ſequũtur nõ habẽt: ut De uera pœnitẽtia lib. 1. De armatura ſpirituali lib. 1. Ad eos qui naturã filij Dei ſcrutari uolũt, liber 1. De pœnitẽtia cordis, Sermo. De iudicio & reſurrectiõe futura, Sermo. De moderatione riſus, & præconio fletus & luctus, Sermo. Ad animã negligentẽ, Sermo. De ſanctis quibuſdã patribus, q illo tẽpore requieuerãt, Sermo. De aduentu Domini ſecũdo, Sermo. De timore Dei. De anguſtia qua premitur anima, cũ ex pugna hoſtis cõtra ſe inſirmior fit, Sermo. De paſsiõe Domini Saluatoris, Sermo. De Antichriſto, Sermo. De uiginitate, Sermo. De laudib. ſanctorũ martyrũ, Sermo. De laudib. ſancti Ioſeph patriarchæ, Sermo. Homelia de trãsfiguratione Domini noſtri IESV Chriſti. Threnos ſeu lamẽtatio de æterna retributione. Oratio de ſanctiſsimæ Dei matris laudibus. Threnos ſanctiſsimæ Dei genitricis, quę dicitur ſancta & magna paraſceue. Lamentatio de die iudicij.

Tritemi⁹ librũ 1. addit de plãctu ſup eccleſiã Edeſſenã. Et extat inter homilias Cæſarij Arelatẽſis admonitio Effrẽm de oratione. Sozom. lib. 3. cap. 16. circiter trecẽtas uerſuũ myriadas Effræm cõpoſuiſſe indicat, atq; inter ea ſcripta quædam Eccleſiaſticis dogmatib, cõſona, ad rythmos & numeros Harmonij, qui Bardeſanis Syri hæretici fuit filius, quæ in tẽplis poſtea Syrorũ cantari cõſueuerint. Fuiſſe aũt hymnos ait ea ſcripta & laudationes bonorum uirorũ. Idem etiam facilem & elegantem ſermonem eius eſſe iudicat, ornatum crebris & grauibus ſententijs.

De quib. porrò doctrinæ partib. cõmodè interdũ ſentiat, ſuis locis indicauim⁹. De numero & officio perſonarũ in diuinitate, expreſſe ait libro de cõpunctione cordis: Gloria patri qui fecit nos, & filio qui ſaluauit nos, & ſpiritui ſancto qui renouauit nos.

De Chriſto & beneficijs eius, in ſermone de Antichriſto rectè ſentit, & quaſi ſymbolum integrum explicat. Saluator noſter, inquit, humanum genus eripere cupiens, ex uirgine natus eſt, atque ſub hominis habitu ſancta uirtute deitatis ſuæ calcauit inimicũ. Manſuetus item & humilis fuit in terra, ut nos de terra ſublimaret ad cœlũ. Profectò enim uerus Deus ille, qui conceptus fuerat, idem ipſe incarnatus eſt, idem natus in carne noſtra ex uirgine Maria. Idem ipſe per crucis patibulũ ſaluauit uniuerſa, idẽ mandata ſalubria diſcipulis tradidit, uẽtur⁹ iterũ in nouiſſimo die iudicare uiuos & mortuos, &c.

De pœnitentia, libro de extremo iudicio, cap. 6. Mollitia, inquit, plenus ſum, & negligentia coopertus, non habens cordis compunctionem, nec puriſsimam orationem. Agnoſco autem me ipſum ſemper peccatorẽ, ſemper timentem futurum iudicium, nullam excuſationem habentem: ſemper dicentem, & nunquam facientem. Et libro primo de compunctione cordis, capite quinto: Quiſquis reliquerit legislatorem, & ipſe nihilo mi-

billo minus ab eo relinquitur. Si autẽ denuò pœnitentia ductus ſemetipſum agnouerit, ita ut legislatori ſuppliciter procidat, & dicat, Peccaui, quòd te Dominũ meũ & magiſtrum amator hominũ, pro ſua pietate ſuſcipiet eum, & præſtabit ei intellectus bonum, ut agnoſcat infirmitatem & peccata ſua.

Peculiare & hoc habet, ut ubiq; ꝑ remiſſione Deũ inuocet. ut lib. 2. de cõpunctione cordis, cap. 5: Ego cum fletu & gemitib. ſupplico bonitati tuę, libera mẽ ab iniquitatib. meis, & dona mihi regnum tuum. In me pectore demõſtra ineffabilẽ miſericordiã tuã: & fac me participẽ latronis illius, q per unũ uerbũ hæres paradiſi effectus eſt. Sic lib. 1. de cõpunctione cordis, cap. 8 inuocat unigenitum filiũ Dei, ut ſe indignũ ſuſcipiat propter miſericordiam ſuam, & liberet à multitudine iniquitatum ſuarum.

De modo orandi, in Homilia quadã de oratione, quæ inter Cæſarij Homilias extat, ſic ait: Oratio noſtra talis eſſe debet, qualis fuiſſe legitur ſanctæ Annæ matris B. Samuelis. Sic enim de illa ſcriptũ eſt: Quia flẽs orabat, & labia eius tantũmodo mouebãtur. Audiãt hæc omnes, & imitentur ꝑcipuè illi qui alta gutturis garrulitate, ſine ulla uerecũdia, cum ſtrepitu uocis orãt. Oremus ergo cũ ſuſpirio & gemitu. Orantes aũt, quantũ poſſumus, adiuuante Domino, laboremus, ut nulla nobis extranea cogitatio ſubrepere poſsit: ne fortè aliud habeamus in corde, & aliud proferamus.

Et aliquanto pòſt: Oremus, fratres, nõ ſolũ ꝑ nobis, ſed etiã pro omnib. ubicũq; ſunt Chriſtianis: nec ſolũ ꝑ amicis, ſed etiã ꝑ inimicis. Hoc ſemp pro nobis & pro omnib. alijs ſupplicem⁹, ut nobis Deus hoc dignetur cõcedere quod nouit noſtrę animę cõuenire. Ante omnia fratres orationem Dominicam in oratione dicamus: quia ſine dubio libenter orationem exaudit, qui ipſe pro ineffabili ſua benignitate inſtituit.

Familiare deniq; hoc habet, ut omnes libros cõcludat petitiõe ad Deũ ꝑ remiſsione peccatorũ, & adhortatiõe fratrũ ut pro ſe orent: ut lib. de extremo iudicio, cap. ultimo. Attamen permulta de hac ipſa parte ualde inciõmodè locutus eſt, ſi tamen eius reuera ſunt. Vt q̃ præter conſuetudinẽ aliorũ doctorũ, Chriſtũ legislatorẽ uocat: ut in dicto paulo antè de pœnitẽtia oſtendimus. Quòd ſanctos mortuos inuocat, lib. 1. de cõpunctione cordis cap. 13. Et lib. de pœnitentia, cap. 8. Dãnati in inferno inter lachrymas & gemit⁹ clamabunt dicẽtes: Salua tu Domine, & ſancta Dei genitrix. Tu quidem multũ laborasti pro nobis deprecãs, ut cõuerſi, ſalui eſſemus. Et in ſermone de laudib. martyrũ: Precamur beatiſsimi martyres, qui pro Domino ſaluatore, proq; illius charitate ſpõtè & impĩ grè torméta ſubiſtis, atq; ideo familiari⁹ Domino cõiuncti eſtis, ut pro nobis miſeris & peccatorib. Dominũ interpellare dignemini. Et, O gloriosiſsimi martyres Dei, me miſerum ueſtris iuuate precibus. Iſta uerò pugnant cũ uerbo Dei expreſſo, quod ſoli Deo mandat honorem inuocationis tribui.

Talia plurima habet in orat. de laudib. Marię: ubi eã peccãtiũ & auxilio deſtitutorũ adiutricẽ uocat. ac poſtea eã inuocãs ait: Sub alis tuis cuſtodi me, et ꝑtege, miſerere mei, etc.

De bonis operib. in ſermõe de laude martyrũ, incõmodè ait: Beat⁹ & fœlix eſt quẽ in extremo iudicio opa bona comitãtur, illisq; ꝑ opib. fret⁹, eãdẽ cõfidẽtiã habebit cũ martyrib.

De pœnitẽtia & iuſtificatiõe loquẽs, exaggerat cõtritionẽ, & nouã obediẽtiã. ut in lib. de extremo iudicio, cap. 5: Cõpunctio ſanitas animę eſt, illuminatio mẽtis: cõpũctio remiſſionẽ peccatorũ nobis conqrit: cõpunctio Ieſum unigenitũ facit in nobis habitare. Poſtea de lachrymarũ efficacia & merito multa coaceruat: Fiduciã Domini ſemp acquirãt lachrymæ, &c. Et ibidẽ: Plantaria fructifera dico uirtutes animę, gratiam pœnitentiæ, & opera bona, quę aſsiduè lachrymis & orationibus irrigantur. De fide nihil habet.

Eccleſiam adfirmat ædificatã ſuper Petrũ: in libro de transfiguratione Domini.

De Antichriſto opinaẽ mirabilia, in ſermone de antichriſto. Ante aduentũ nimirũ eius Dominum miſſurum Heliã & Henoch, qui humano generi pietatẽ relaturi ſint, & uerã Dei ſcientiã palàm prædicaturi: quæ opinio etiã Lactantio fuit. Poſtea ait: Iudęorũ gentem præcipuè illi ſeſe adſociaturam eſſe. Habiturum autem Antichriſtum regnum non longius annis tribus & dimidio.

Cõtra quos errores aut hæreſes pugnauerit, in ſcriptis ei⁹ nuſq̃ legitur. Quãuis de eo Theod. li. 4. cap. 29 ſcripſerit, reꝑhendiſſe eũ errores Grẽcorũ, & omniũ ſectarũ fraudulẽta & infirma dogmata. Inuehitur quidẽ in monachorũ uitia, ſed tamẽ in extollẽda eorũ ꝓfectione & uirtute frequẽtior eſt. Cõmemorat Theodoret⁹ in eo ipſo quẽ iã adduximus loco, eũ unà cum Iacobo celeberrimo Niſibenę urbis tũ epiſcopo, q ſynodo Nicęnę interfuerat, impetrato ꝑcib. à Deo miraculo in fugã cõuertiſſe Saporis regis Perſarũ urbẽ obſidẽtis exercitũ. Ex qua re apparet, cõſuetudine Iacobi illius familiariter uſum. Quemadmodum & Baſilio fuiſſe familiarem, ex narratione Sozomeni, quam ſuprà retulimus, clarum eſt. Idem & exercitia eius peculiaria aliquot recenſet: Doctoris nimirum officio in monaſterio, cum id uitæ genus nondũ eſſet tã corruptũ & ſuperſtitioſum ut poſtea fuit, functũ fuiſſe: & diſcipulos habuiſſe

monachos celebres, quorum aliquot cõmemorat. Quòd honestis moribus & operib. uita eius conspicua fuerit. Quòd quietè amarit: atq; ob calumniæ metũ, mulierum aspectus omnium prorsus cauerit. Quòd iracundus aut cõmotus nunquã uisus sit, cum ad illos quidè affectus, priusquam ad monasticã uitam animũ applicaret, procliuior fuisset. Item, quòd studio habuerit egenos liberaliter fouere, & à diuitib. pecunias extorquere, easq; in pauperũ usus cõferre. Narrat exẽplum talis cuiusdã facti in hunc modũ Soz. Cum fame aliquando diu conflictata fuisset Edessenorum ciuitas, egressus ex ædiculis suis, opulentos, quotquot nosset, duriter reprehendit, quòd cõmuni calamitate nihil afficerentur, & laborãtes penuria rerũ necessariarũ negligerent: nec quicquã aliud studiosè asseruando pecunias, quàm animarũ exitium, sibi accerserẽt. Moti illi, uiri hui⁹ grauissima admonitione, negarũt sibi aliquã facultatem suarũ curã esse: sed nescire se, cui dispẽsationẽ earũ si in mediũ contulissent cõmitterent, propterea quòd lucrũ ferè omnes spectarent. Tum Ephræm: Quis igitur, inquit, ego uobis uideor? Illi rursus: Nouimus, aiunt, te honestũ, bonũ ac fidum, & talem omnino qualis ab omnib. prædicêris. Offero igitur, respondit Ephræm, meipsum uobis ultrò, & cõstituo adeò uestrarũ rerum dispensatorem. Atq; ita pecunijs ab ijs acceptis, circiter trecentas ilico lecticas in publicis empholis cõstituit: ac toto famis illius tẽpore curã eorũ gesit qui fame laborabant: & peregrinos quoq;, atq; eos qui ex agris, necessarijs ad uictũ rebus destituti, Edessam se cõferebant, suscepit. Idem inter uirtutes eius peculiares etiã hoc recitat, quòd oblatos aliquando episcopatus honores fugerit simulatione insaniæ: propter quam, ab illis qui nolentem ad ordinationem pertrahere uoluerant, dimissus, fuga elapsus, tamdiu latuit, donec alius episcopus legeretur.

Monasticen quàm diu professus sit, sciri certò non potest. Diaconum aũt iam tum fuisse in Ecclesia Edessenorũ, quo tempore Nisibim rex Persarũ obsedit, ac Nisibenorũ episcopus Iacobus fuit, ex Theodoreto, ut diximus, colligi potest. Obsessa fuit aũt Nisibis anno Christi, secundũ Hieronymi Chronicon, 350. anno Imperij Constantij 10. Ac sub Valentis Imperio Ephræm decessisse, Hieronymus in Catalogo suo tradidit: cum paulo antè fames illa, de qua diximus, desijsset: ut Sozomenus testatur, sub annũ fortasse Christi 380. Quo tẽpore eum claruisse, Tritemius scripsit: sed dicere fortè uoluit, obijsse.

ANTIOCHVS.

ANtiochus Ptolemaidis Phœniciæ episcopus fuit, eloquentia celebris: qui Ptolemaide (quæcunq; tandem necessitas aut occasio fuerit) relicta, Constantinopolim sese contulit, atq; in Ecclesijs finitimis ingenti cũ lucro docuit. Inde uerò postea Ptolemaidem redijt: ut Socrates narrat lib. 6. cap. 11.

DIODORVS.

MInsdam: quẽ unũ ex catholicis antiquis, documentis & tentationũ experientia probatũ, Athanasij testimonio à cõfessorib. episcopũ Ecclesiæ apud Tyrũ electum, sed à Meletianorum factione repudiatũ scribit. Quod sine dubio Athanasius in epistola ad solitariam uitam agentes uoluit, cum Diodorũ episcopum suis sedib. ab Eusebianis expulsum ait. Idem tamen in eadem epistola, Diodorũ rursus alteri⁹ meminit, episcopi in Asia: quẽ hæreseos insimulat, & socium eorum fuisse adfirmat qui Eustathiũ & alios orthodoxos, apud Constantium falsò delatos, in exilium exegerunt. Est & Theodorito lib. 5. cap. 40, Diodorus, (incertum an Tarsensis ille) quẽ ait præceptorem fuisse Theodori episcopi Mopsuestiæ, & Ioannis Chrysostomi.

ELPIDIVS.

FVit episcopus Laodiceæ, contubernalis quondam magni Meletij, ad cuius exemplum ecclesiam suam exactissimè gubernauit. Theodoretus lib. 5. cap. 27. Elpidium quendam Syndiaconum nominat Basilius, ad Eusebium Samosatenum scribens: & ait, quòd sibi morbo laboranti diligenter adfuerit. Epistola 4.

EQVITIVS.

DIaconus est Theodoreto lib. 5. cap. 27. Ecclesiæ Apameensis, fide & feruore præstans: qui Marcello episcopo in demoliendo fano Iouis Apameensis, dedit operam.

HELLADIVS.

HElladius episcopus fuit Cæsariensis, successor magni Basilij, uir admiratione dignus, zeloq; & sapientia diuina plenus. Interfuit Synodo Constantinopolitanæ, & à partibus Gregorij Nazianzeni fuit cõtra Maximum, iuuitq; in ea synodo confirmationẽ fidei Nicænæ, & in eadẽ cum Gregorio Nyseno & Otrino Melitensi patriarchatum ecclesiarum per Pontum sortitus est. Ordinauit Gerontium Nicomediẽsem episcopum, Ambrosio Mediolanensi inuito: Theodoretus lib. 5. cap. 8. Socrates lib. 5. cap. 8. Sozomenus lib. 8. cap. 6. Extant ad eum Helladium epistolæ duæ Gregorij Nazianzeni, 17, & 18.

HYPATIVS.

HYpatij cuiusdam meminit Epiphanius in fine compendiariæ doctrinæ de fide, eumq; Syndiaconum suum uocat, & opus cõtra hæreses descripsisse indicat. Rursus in initio Ancorati nominat eũ filiũ suũ, & ex Ægyptiorũ regione eum ad se uenisse dicit.

MAXI-

MAXIMVS.

Maximus fuit episcopus Seleuciæ ad Taurum, sub Theodosio, familiaris Ioanni Constantinopolitano. Theodoretus libro 5, capite 7.

MAXIMVS *alius.*

Alius fuit Maximus Ægyptius, patria Alexandrinus, moribus barbarus, philosophus Cynicus, baculo, coma, & uestè atrita seuerus, atq; eatenus tantũ philosophꝰ. In quo tempore Cõstantinopoli docuit Gregorius Nazianzenus, ab eo in pietatis Christianæ doctrina institutus est: ac postq̃ impietatẽ dedidicisset, baptizatus. Cũq; Christianus nequaquã pessimꝰ uideretur (simulator enim bonitatis fuit egregius) in cõtuberniũ & domesticã consuetudinẽ à Gregorio receptus, mensæ quoq; adhibitus est: temporis aũt progressu, clericorũ etiã numero adscriptus. Omnib. deniq; maximis beneficijs à Gregorio affectꝰ, defectionẽ ab eo molitꝰ est, bellumq; intulit doctori suo. Insidias enim fecit episcopatui Gregorij, mirabili arte & impostura pecunijs à presbytero quodã Thasio, qui Byzantiũ ad coëmendas tabulas marmoreas adpulerat, extortis: quib. corruptus Petrus Alexãdrinus episcopus, nimiũ attentus ad largitiones, sicut de eo Hieronymus retulit, episcopos quosdã Cõstantinopolim ablegauit, qui Maximũ ibi episcopũ crearẽt: nulla nec uirtutis Gregorij, nec iuris & ordinis Ecclesiastici, nec ꝓpriæ famę habita ratione. Etenim idẽ Petrus etiã Gregoriũ episcopũ Cõstantinopolitanũ antea ꝓmulgauerat.

Venit igitur Cõstantinopolim Maximus, cum uiris illis Aegyptijs: qui manè, nemine cõsulto templũ ingressi, electionẽ instituũt. Sed quẽ rei indignitate, hominumq; eorũ impudẽti prauitate, & audacia populi, & sacerdotũ multitudo mota, in eo quidẽ loco impedijt: ita ut in domũ Cantoris cuiusdã, assũptis quibusdã ex populo leuissimis & imꝓbissimis nebulonib. nouis turbis & mutationib. gaudẽtibus, qui ab Ecclesia etiã ꝓpter morũ peruersitatẽ eiecti fuerãt, recipere sese coacti, in ea ordinationẽ perfecerint, nõ sine maximo ciuitatis motu, Maximi probro & cõtumelia, ipsius etiã Gregorij piculo: cui qꝰ beneficijs suis Maximũ affecisset, sibiq; pestẽ eã parasset, homines uehemẽter indignabantur & obijciebãt. Pertinẽt huc oratiões Gregorij Naziãzeni: altera quã de seipso scripsit, ad eos qui cathedrã eum Constantinopolitanã concupiscere diuulgabant: altera, quã post reditum suum ex agro, post ea quæ contra Maximum gesta fuerant, scripsit.

Ita igitur adulterina atq; per iniusticiam & fraudem tentata Maximi tum ualuit electio. Sed qui tamen ne tum quidem, ut est inexpugnabilis dominandi libido, cõquiescere, & ab affectando episcopatu Constantinopolitano tẽperare sibi potuit. Adductis enim secum episcopis illis Ægyptijs, qui in sacerdotem eum elegerant, Thessalonicam ad Imperatorẽ Theodosium profectus aliquãto pòst est, & episcopatũ, quem legib. Ecclesiasticis minimè consequi potuerat, ab eo petijt. Sed repulsam tulit. Tum igitur pro improbitate sua Maximus Alexandriã regressus, Petro ipsi insidias struxit, deceptis auro quibusdam ex domesticis Petri: cui certè facessere negotiũ periculosum, & damni nõnihil parare potuisset, ut interdũ fœlix solet esse temeritas, nisi præses, qui tum Alexandriã moderabatur, Maximũ ab urbe pepulisset. Hæc de Maximo Gregoriꝰ presbyter in uita Naziãzeni retulit. à qua narratione paululũ Theodor. uariat, qui Maximũ à Timotheo Alexandrino episcopo, Petri successore in locũ Gregorij substitutũ fuisse scripsit, missis ex Aegypto quibusdã, qui ordinationẽ eius suffurati fuerant: Sed qui à Synodo episcoporum qui Constantinopolim ad electionẽ episcopi, cũ ibi esset Gregorius Nazianzenus, uenerant, repudiatus sit, partim qꝺ præter leges Ecclesiasticas obtrusus magis quàm electꝰ fuisset, partim quòd particeps esset insani erroris Apollinaris, Theodoretus lib. 5. cap. 8: Sozomenus libro 7, cap. 9. Testatur Hieronymꝰ in uiris illustribus, scripsisse Maximum librũ insignem de fide aduersus Arianos, quẽ Mediolani Imperatori Gratiano exhibuerit. Extat hodie scriptum græcè & latinè, hoc titulo: Sancti patris Maximi cẽturiæ quatuor capitulorum de charitate. De quo etsi pronũciare nobis non libet, quamuis Maximi monachi uideatur, ut Gesnerus censet: tamen quia Maximus in hoc seculum refertur, quæ in eo libro dogmaticorum speciem habere uidentur, breuiter annotamus.

De Scripturis sacris rectè sensisse uidetur, cum inquit lib. 2 de charitate, cap. 27: Theologiæ operam daturus, ne diuinitatis causas exquiras, neque enim menti humanæ sunt perueſtigabiles: sed neq; alterius cuiusꝑiam rei post Deum. Sed potius causas & rationes illi adhærescentes, quoad fieri poterit considera: nempe causas ipsius improbitatis, immensæ infinitatis, indeterminationis, bonitatisq; & sapientiæ & potentiæ procreandi, prouidendi & iudicandi res creatas. Siquidem hic magnus inter homines est Theologus, qui harum rerum rationes uel aliquousque exquisitas inuenerit. Et libro quarto, capite 77, de cognitione ex scripturis sanctis hæc dicere uidetur: Quis te illuminauit in fide sanctæ & consubstantialis & adorandæ Trinitatis? Aut quis te in cogniti onẽ produxit unius in sancta Trinitate incarnati? Quis docuit te rerũ incorporearum

ratio-

rationes? aut rationes de generatione & perfectione mundi? aut de resurrectione ex mortuis & uita æterna? aut de gloria regni cœlorum, & terribili iudicio? Nonne gratia Christi, quæ in te habitat, quæ est arrabo Spiritus sancti?

De Deo, centuria 1, cap. 96: Nequaquam, inquit, Deum in essentia cognoscimus, sed potius rerum ab illo factarum magnitudine, & eorum quæ sunt prouidentia. Per hæc enim, quemadmodum speculum, immensam eius bonitatem & sapientiam & potentiam cognoscimus. Et in eadem Centuria, capite quinto: Deus, inquit, rebus per ipsum factis & conditis longè est præstantior. Et libro quarto, capite tertio: Tibi dico, quòd infinitæ eius essentiæ inscrutabilis & imperuestigabilis est sapientia, quæ in humanam cognitionem non cadit.

De Trinitate, ex Gregorij cuiusdam traditione rectè dicit lib. 2. cap. 29: Vnus Deus nobis colendus & seruandus est, & tres substãtiæ confitendæ, iuxta doctrinam magni illius Gregorij, & unaquęq; peculiari proprietate. Etenim diuiditur, sed in diuisibiliter: copulatur quoq;, uerùm diuisibiliter. Libro 4, cap. 8: Ne habitus & promptitudines, quas super simplici & infinita sanctæ Trinitatis essentia, ne illam facias ueluti creaturas compositam. Quod perabsurdum & nefandum esset de Deo cogitare. Sola simplex & uniformis, & non facta, & pacata, & aliena à seditione, immensa essentia & omnipotentia, & omnium rerum creatrix.

De Christo, libro quarto, cap. 17: Ob hoc ipsum Saluator passus est, ut filios Dei dispersos in unum congregaret.

De creatione lib. 4. cap. 1: Miratur & obstupescit animus cogitatione, quo nam pacto ex nihilo omnium rerum substantiam diuina infinitas in essentiam perduxerit. Sed quemadmodum magnificentiæ eius non est finis, sic neq; eius sapientiæ ulla est inuentio aut indagatio. Et in eodem libro, cap. 3. totam Trinitatem in creatione operari ait: Ab æterno Deus rerũ opifex existens, quando uult, uerbo cõsubstantiali & Spiritu sancto operatur per immensam bonitatem. Libro rursus eodem, cap. 2: Quomodo non demiraretur immẽsum illud contemplans, & omnem stuporem excedens bonitatis pelagus? Aut quis non obstupesceret, apud se cogitans, quomodo & unde rationalis & intelligens essentia facta sit? Et quatuor illa elementa, ex quibus corpora sunt composita, cùm nulla horum generationis antè materia extiterit. Tum quę uirtus illa in opus mota, hæc omnia perduxit in essentiam? Atqui hoc Græcorum filij non suscipiunt, ignorantes omnipotentem bonitatem, & operatricẽ illius super omnẽ humanum animum sapiẽtiam & cognitionem. Et in eodem libro, cap. 4: Rerum opifex creaturarum cognitionem, quæ in ipso ab æterno fuit, quando uoluit pertraxit in essentiam, & in rerum naturam produxit. Absurdum est enim de Deo omnipotente hęsitare, num possit aliquid in essentiam perducere, quando illi uisum est. Rursus lib. eodem cap. 6: Quidam affirmãt, res cõditas unà cum Deo ab æterno extitisse, quod nullo pacto fieri potuit. Quomodo enim res quę omnib. modis finitæ sunt, cum eo qui in uniuersum infinitus est, simul ab æterno esse potuerunt? aut quomodo peculiariter opificia opifici queant esse coæternæ? Atqui hic sermo Græcorum est, qui essentiæ nequaquam, sed solarum qualitatum opificem Deum introducunt. Nos aũt qui Deum omnipotentem nouimus, non qualitatum, sed essentiarum authorem & opificem Deũ affirmamus. Quod si hoc uerum est, constat ab æterno nequaquam unà cum Deo res cõditas extitisse. Et in eodem libro cap. 9. de creaturis: Omnis, inquit, creatura composita est ex substantia & accidente, estq; indigna diuinæ pruuidentię, tanquã non liberæ conuersationis.

De angelis bonis & malis dixit lib. 3. cap. 26: Omnis angelica natura in duo diuisa est, in catholicos animos & angelicos sanctósque, & sceleſtos: hoc est, in sanctas potestates, & immundos Dæmones. Et de utrorumq; operibus lib. 2. cap. 69: Immundi dæmones affectus augere properant, negligentiam & securitatem diei cooperatricem adsumentes, & hosce prouocantes. Imminuunt autem eosdem sancti angeli, ad uirtuosas operationes nos subinde excitantes. Et in eodem libro, capite tertio: Dęmones, inquit, quoties nostri curam non habemus, ipsi obseruata opportunitate ex improuiso in nos magna cum uehementia irruunt, excitantes in nobis prauos affectus.

De lapsu hominis, & restitutione eius per Christum, lib. 2. cap. 93: Stimulũ mortis posteaquam susceperisset Adam, unà cum ligno uitæ in paradiso, simul etiam à Deo seiũctus excidit: & hunc deinceps necessariò mors quoq; corporis cõsecuta est. Vita aũt propriè est, qui dixit: Ego sum uita. Ille in mortis positus angustijs, morte affectum & peremptũ, iterum in uitam fecit reducem.

De libertate impedita humanæ uoluntatis, rectè dixit lib. 2. cap. 38: Superbiæ dæmon duplici malicia infectus est. Aut enim persuadet monacho, ut sibi ipse egregias uirtutum lar-actiones adscribat, & non Deo uirtutum largitori, & in omni præclara actione opitulatori. Aut in hac re obtemperantem, inferiorum fratrum monachorum contemptu impu-

gnat

gnat. Sed & ſic ille qui dæmonis uafricie aegritatur, ignorat ſe perſuaſum Dei auxilium abnegare. Etenim ſi illos, quaſi nequeát aliquid præclarè, quod cum uirtute coniunctum eſt, facere, contempſerit, ſe ipſum uidelicet tanquam propria potentia omnia re&e facientem inducit. Quod equidé impoſsibile eſſe conſtat, dicente Domino: Sine me nihil poteſtis facere. Quoniam noſtra imbecillitas, quæ ad honeſta facienda mouetur, ſine uirtutum largitore ad finem peruenire haud poteſt, aut aliquid finem conſecuta eſſe dum reddere.

De lege ceremoniali & morali hoc diſcrimen indicat lib. 2. cap. 86: Præceptorum legis quædam & corporaliter & ſpiritualiter conſeruanda ſunt, quædam uerò tantum ſpiritualiter. Exempli gratia: Non mœchaberis, non occides, non furtum facies, & id genus ſimilia, & corporaliter & ſpiritualiter neceſſariò conſeruandæ ſunt. At circumcidere præputium, ſeruare ſabbatum, mactare agnum, edere azymos panes cum ſalſamétis, & ſimilia, tantum ſpiritualiter.

De Iuſtificatione lib. 1. cap. 71: Dominus noſter & Deus, IESVS Chriſtus eadem charitate nobis oſtenſa, pro uniuerſo genere humano paſſus eſt, & omnibus ex æquo ſpem reſurrectionis gratuitò largitus eſt.

De fide uicíſsim ait, eſſe eam ſummam diuinorum donorum: lib. 4, cap. 69 & 70. Qui legitimam, inquit, in Chriſtum fidem habuerit, ille omnia diuina dona, uno ſimul faſce comprehenſa, poſsidet. Et ſi Chriſtus in cordibus noſtris per fidem habitat, ſecundũ diuinum Apoſtolum, Omnes autem theſauri ſapientiæ & cognitionis in ipſo ſunt abſconditi: Omnes igitur theſauri ſapientiæ & cognitionis etiam in cordibus noſtris ſunt abſconditi.

De bonis operibus lib. 2. cap. 35: Ieiunium & uigiliæ, oratio & pſalmodia, eleemoſyna & hoſpitalitas, natura quidem ſunt bona opera: cæterùm cum illa fiunt uanæ gloriæ aucupandæ gratia, non amplius bona ſunt.

De oratione lib. 4. cap. 86: Precationis, inquit, ſedulitas ipſi Deo animam cõmendat. Et lib. 2. cap. 1: Qui uerè atq; adeò germanè Deum diligit, ille omnino indeſinenter atq; indiuulſe orat, &c. Libro tertio, cap. quadrageſimonono: Etiam nudas rerum humanarum cogitationes, & omnium creaturarũ contemplationes ex animo abijciendas curam tempore precationis, ne quando deteriora contemplando, omnium rerum citra controuerſiam præſtantiore excidas. Orandum eſſe pro inimicis & nocentibus, ſæpe inculcat: ut libro tertio, capite decimotertio, octogeſimonono: & lib. 4. cap. 89, Orationẽ ait pãrere tranquillitatem animi. Libro 2, cap. 19: Honeſtam mentis tãquillitatem ſecteris oportet, indeſinenter precando.

Cauſas afflictionum rectè ait eſſe peccata, lib. 2, cap. 46: Cordatus, inquit, homo diuinorum iudiciorum medicinam reputans, animo æquo & gratanti ſuffert calamitates illi per hæc accidentes: nullam aliam harum cauſam, quàm ſua peccata eſſe exiſtimans. Cæterùm homo ſtolidus, Dei ſapientiſsimã ignorans prouidentiam, dum peccans corripitur, aut Deum aut homines ſuorum malorum authores fuiſſe exiſtimat. Et libro eodem, cap. 42: Superueniente tibi de improuiſo tentatione, ne illum propter quem uenerit, culpandũ cenſeas: ſed eam rem propter quam uenerit, inueſtigandam cures, & emendandi rationem inuenies. Quoniã ſiue propter illũ, ſiue propter alium, diuinorum iudiciorum ebibendum eſt abſynthium.

De fine afflictionum lib. 1. cap. 25: Improbi Deus propter ſuam bonitatem miſeretur, eundemq; in hoc ſeculo caſtigans atq; inſtituens cõuertit. Et lib. 4, cap. 26: Quatuor ſunt rationes, inquit, quibus deſerimur. Vna eſt œconomica, ueluti in Deo: ut ob deſertionem, quæ uidetur, derelicti ſeruentur. Altera probationis eſt, ueluti D. Hiobo & Ioſepho accidit: ut alter fortitudinis, alter temperantiæ columna declararetur. Tertia diſciplinæ paternæ, quæ declarata eſt in Apoſtolo, ut humilitatem animi cõſeruans, charitatis excellentiam conſeruaret. Quarta eſt auerſionis ſeu odij, quę Iudęis accidit, ut adfecti ſupplicio, ad reſipiſcentiam reflecterentur. Omnes autem hæ rationes ſalutares ſunt, & diuinæ bonitatis ac humanitatis plenæ.

Habet concinnas interdum & dictorũ ſcripturæ explicationes: ut eius, Nunc uerò manent tria hæc, fides, ſpes, charitas: maior aũt horum charitas. Tempus, inquit, tripliciter diuiditur. Et fides ad tres temporis ſectiones extenditur, ſpes ad unam, charitas autem ad duas. At fides & ſpes ſaltem ad tempus, cæterùm charitas in infinita ſecula, ſuper immenſo ſemper augeſcens & creſcens permanet, & hoc nomine maior omnium charitas. libro 3, capite 100.

Alicubi tamen hyperbolicas habet & incommodas locutiones: ut quod de angelis ait libro tertio, capite trigeſimoquarto: Angeli eſt, nihil prorſus ignorare.

Et de libero arbitrio, libro tertio, capite uigeſimo ſeptimo: Participem eſſe bonitatis Dei ac ſapientiæ, aut non eſſe participem, hoc in arbitrio creaturarum rationabilium ſitum eſt. Et in eodem libro, capite nonageſimoprimo: Animo poteſtas relicta eſt eligendi quod uult, aut ut ſequatur, aut ut reſiſtat. Et lib. eodẽ, cap. nonageſimoſecũdo:

Sanctæ

Sanctæ uirtutes cohortãtur nos ad bona. Cæterùm naturalia semina, & bonum animi ꝓpositum nobis in hoc auxilio sunt. Tribuit & nimiũ charitati, sine mentione fidei plerumq; ut lib. 4. cap. 25: Ne facilis esto in abijcienda charitate, quoniã nulla alia consequẽdæ salutis causa uia relicta est hominibus. Et in eodem lib. capite 55: Si quis sine operibus charitatis erga proximũ dixerit se amare Christum, & regnum cœlorum consecutu rum, seipsum decipit.

OPTIMVS.

COmmendat ab insigni cõstantia in professione ac defensione contra hæreticos Nicænæ fidei, Optimum quendam Pisidiæ episcopum celebrem, Theodoretus: quẽ Nicephorus alterum post Athanasiũ in Oriẽte religionis propugnaculum fuisse scripsit. Socrates patriarchatũ eum Antiochenũ in Pisidia sortitũ tradidit, in Synodo Constantinopolitana, cui interfuit, in qua episcopus ordinatus est Nectarius, & fides Nicæna confirmata est. Socrat. lib. 5, cap. 8: Theod. lib. 4, cap. 30 & lib. 5, cap. 8. Niceph. lib. 11. cap. 44.

PRASSIDIVS.

PRęsidium quendam fratrem & diaconum uocat Hieronymus, in epistola ad Augustinum. Significat autem eum ex contubernio seu suo, seu uicino aliquo in Syria, ubi monachum Hieronymus agebat, Romam proficisci.

THEOTIMVS.

SCytha fuit Theotimus, philosophus primùm, in qua professione à pueritia institutus fuit: deinde episcopus Scytharũ. quos ad mansuetudinẽ morũ conuertit cõmoditate & industria, cum nec miraculorũ dono destitueretur. Vsus per omnẽ uitã tenui uictu est, cibum nunquã ex ocio aut cõsuetudine, sed ex fame capiens. Aequus fuit Origenis censor, cuius libros, tametsi maximè urgentib. Theophilo Alexandrino & Epiphanio, damnare noluit: sed Epiphanio, ut in dãnationem Origenis subscriberet hortanti, ad hunc respondit modum: Ego, ô Epiphani, nec eum qui iam olim bene obdormiuit, cõtumelia afficere uolo: nec rem blasphemã aggredi ausim, ut reprobẽ quæ maiores nostri non reprobarunt. adijciens, neq; malam esse doctrinã libris Origenis cõprehensam. Prolatoque Originis libro, & expositiones Ecclesiasticas ostendens, dixit: Qui ista uituperant, ea se, quæ plurimùm celebrantur, cõtumelia afficere non intelligunt. Socrates lib. 6. cap. 12: Sozomenus lib. 7. cap. 25.

THEOCTISTVS.

SYrus fuit natione Theoctistus, assertor eius sententiæ: Patrem Deum semper fuisse patrem, prius etiam quàm filius extitisset. à quo quicunq; sic sentirent, Psathyriani Cõstantinopoli dicti sunt, propterea quòd psathyropola Theoctistus fuisset. Soc. lib. 5. cap. 23: Sozomenus lib. 7. cap. 17.

TACIANVS.

SAnctum uocat, fratrem & diaconum Tacianum, Hieronymus in epistola ad Tranquillinum, tomo 3.

THEOSEBA.

DIaconus Ecclesiæ Tyriæ est, eloquentia laudatus, Theoseba, Hieronymo: in epistola aduersus errores Ioannis Hierosolymitani.

THEON.

THeon presbyter est, ut uidetur, Hierosolymitanus, Hieronymo: aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, tomo 3.

DOROTHEVS.

EX Basilij epistolis 51 & 52, ad Athanasium, apparet Dorotheum diaconum fuisse eius Ecclesiæ, cuius episcopus Meletius fuit: ac familiarem quidem ipsi Basilio. Syndiaconum enim, & fratrem suum, eum ibi uocat.

VINCENTIVS.

VIncentij presbyteri cuiusdã meminit Hieronymus, sibi ualdè familiaris, & legati sui, ut uidetur, in scripto aduersus Ioannem Hierosolymitanũ: & in epistola ad Theophilum. Meminit eius & Epiphanius in epistola sua ad Ioannem Hierosolymitanũ, quòd cum Hieronymo interfuerit ordinationi cuiusdam diaconi, in diœcesi Ioannis Hierosolymitani.

ZENON, AEAS.

CElebres sub finem Theodosii fuerunt Zenon & Aeas, fratres in dogmate conseruãdo & propagando fidelissimi, adeò ut frequenter etiam à paganis flagellati sint. Philosophati primùm sunt in solitudinibus, & in loco quodam Maiuman dicto, uicino Gazæ maritimæ: episcopi deinde facti sunt, Zenon in Maiomena ecclesia, Aeas in Botaliana. Zenon cum uxorem duxisset, post tres ex ea filios susceptos, ab eius consuetudine abstinuit, monasticè uiuens. Duos uerò filios ad cœlibatum & res diuinas instituit, tertium maritum fieri persuasit. Natus annos circiter centum, nihil tamen de exercitijs psallendi hymnos manè & uesperi remisit, nisi morbo impeditus. In monastica professione linea ueste tantum utebatur. Sozomenus libro septimo, capite uigesimoseptimo.

ZEBENNIVS.

ELeutheropolitanus episcopus fuit Zebẽnius, cui monumenta & reliquię prophetarum Abacuc & Micheæ diuina reuelatione ostensa esse sub Imperio Theodosij, Sozomenus libro septimo, capite uigesimooctauo narrat.

OTREIVS.

OTREIVS.

SOcrati Otreius, Sozomeno Otremus est, q̃ in synodo Cõstãtinopolitana post ordinationẽ Nectarij Melitenę Armeniæ episcopatũ accipit: seu, ut Sozomenus, per ciuitates Ponti à Bithynia usq; ad Armeniam. Socrates lib. 5. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 13.

HVMERIVS.

LVitprando episcopus est Sarracenensis Humeri⁹, Siricio Romano familiaris, qui ad eum scripsit. Luitprandus de Siricio.

HELIODORVS.

HEliodori ut amicissimi, & cõiunctissimi sui, frequẽter Hieronymus meminit: sed nusquã indicat quo loco natus fuerit. Vocat & episcopũ sæpenumero, sed nec tũ locũ exprimit. Fuit aũt sodalis studiorũ Hieronymi Romæ, ac postea eidẽ in eremũ Syriacam secedentem comes, ibiq́ue cum eo aliquãdiu uixit. sed mutato deinde consilio, eo relicto ad suos redit, quemadmodũ in Hieronymi uita diximus: cuius ad Heliodorũ prima, plena artificijs epistola est, qua eum ad solitariæ uitæ reuocat societatẽ. Heliodori auunculus Nepotianus fuit, sicut indicat Hieronymus in epistola ad Nepotianũ, de uita Clericorũ.

HERACLIVS.

HIeronymo diaconus est Heraclius, quẽ sanctum & filium suum uocat in epistola ad Castrutium, & in prologo explanationum uisionum Esaiæ, ad Amabilem.

FIRMVS.

VOcat fratrem suum Firmum presbyterũ, in epistola ad Suniã & Fretellã. Augustinus etiam in epistola ad Hieronymũ, fratrẽ eum appellat sinceriſsimũ. Videtur aũt, Hieronymũ eius opera uti consueuisse in legationibus ad diuersas Ecclesias. sic enim ipse in epistola ad Augustinũ: Sanctũ presbyterũ Firmũ, inquit, anno prẽterito ob eã rẽ Rauennã, & inde in Aphricã, Siciliãq; direximus, quẽ putamus iã in Africæ partib. cõmorari.

FAVSTINVS.

FAustinũ Gennadius presbyterum uocat: sed cuius Ecclesię, nõ indicat. Vixisse aũt, addit, sub Valentiniano & Theodosio & Arcadio Imperatoribus. Sunt qui episcopũ eũ nominẽt, sed locũ nõ indicãt. Nos cõiecturis ducti ex scriptis eius, inter Asiatios eum reijcimus. Scripsit librum de fide cõtra Arianos & Flaccillam, seu Placillam, quam Sozomenus dicit libro septimo, capite sexto, Imperatoris coniugẽ, quã à pietate & custodia Nicęnę fidei, aliisq; eximijs uirtutibus cõmẽdat: quemadmodum & Theodoretus lib. 5, cap. 18. Extat is liber hodie inter Orthodoxographa, cum nũcupatoria ad Flaccillã Augustã, quã à se confutationes hæreticorum petijsse ibi indicat. Gennadius septem ab eo eius argumenti libros scriptos retulit, pro capitib. forsan septem libros intelligens: Scripsit, inquit, ad pſonã Flaccillę reginę aduersus Arianos & Macedonianos, libros septẽ, his eos maximè scripturarũ testimonijs arguens & cõuincens, quib. illi prauo sensu utuntur ad blasphemiã. Autoris ipsius uerba de ratione eius scripti ex nuncupatoria adscribimus: In his, inquit, quæ scribere dignata es ex persona hæreticorum, uidi plurima esse cõfusa: ut uidereris mihi nõ plenius nosse, quę adserãt Ariani. melius opinat⁹ sum, si primùm liquidò palàm facerẽ, quomodo credant, & quomodo sub ambiguitate sermonis simplices animos capiãt. Et tũc maximè, cũ sub cõmuni cõfessiõe impia sua uerba cõmẽdãt. Quia & tunc demũ absolutionũ fidelis responsio manifesta est, si prius sacrilegæ sectæ impia tergiuersatio propaletur. Gennadius & de alio quodã eius scripto, quod apologeticum fuisse apparet, sic indicat: Scripsit librũ quẽ Valentiniano, Theodosio & Arcadio Imperatoribus, pro defensione suorum, cum Marcelliano quodam presbytero obtulit.

Doctrinam eius, quantum ex breui eo scripto haberi potest, rectam fuisse apparet, & orthodoxã. Rectè enim de Deo sentit, quòd sit unus Deus, & tres distinctę personę: Deus scilicet pater, filius, & spiritus sanctus.

De patre itẽ, quòd filiũ ab æterno genuerit. De Christo, q̃, sit filius Dei uerè à patre ab æterno genitus, quod euidentiſsimis argumẽtis cõtra Arianos defendit: Quòd scilicet Christus filius Dei & semper fuerit, & semper inseparabilis sit à patre. adducit in eam sententiam ex ueteri & nouo testamento testimonia.

Item quòd filius talis natus sit, qualis sit & ille qui eum genuit. Et quòd eadẽ patris & filij loquela sit, sicut eadẽ operatio. Item quòd uer⁹ homo sit Christus. Significat nullos extitisse suo tempore, qui humanitatem Christi impugnarẽt, dicẽs: Quãdoquidẽ nõ sint q̃ negent eũ nostrã gestasse corpulentiã.

De Christi diuinitate rectè sentit, quòd sit natura Deus coæqualis patri. De eius beneficio, quòd p̃ peccatis nostris sit passus: in quã sententiam citat prolixè caput quinquagesimum tertium Esaię, & caput quartũ. Pro omnibus gustauit mortẽ, nõ pro se: eo q̃ omnib. in peccati reatu positis, ipse homo factus, nullo proprio peccato tenebatur obnoxius.

Obseruandum & hoc est, adducere eum ex ultimo capite prioris epistolæ Ioannis quædam uerba, quæ in nostrõ textu non habentur: Scimus quia filius Dei uenit, & incarnatus est propter nos, & passus est, & resurgẽs de mortuis assumpsit nos, et dedit nobis sensum bonum, ut cognoscamus ipsum uerum, & simus in ipso uero filio eius Iesu Christo. capite secundo.

Gennadius in eo libro quem Fauſtinum Imperatoribus Valentiniano, Theodoſio & Arcadio exhibuiſſe ſcripſit, deprehendi ait, eum Luciferianorum ſophiſmati conſenſiſſe: quia Hilarium Pictauiēſem & Damaſum Romanum epiſcopum perſtringat, quaſi male conſuluerit Eccleſiæ, quòd pręuaricatores epiſcopos, ſicut ipſe loquitur, hoc eſt, q Arij hæreſi abiecta, ad Eccleſiam redierāt, in communionem & ſacerdotium, pacis recuperandæ gratia recepiſſent, quòd ita fieri Luciferianis diſplicuerat.

Diſputauit in libro quem extare dicimus, quāuis ſimplici orationis genere, quod ſqualidum ipſe appellat, ſatis acutè, eosq; euidentiſſimis argumentis ſacræ ſcripturæ conuincit: proponens primùm in conſpectum Arianorum axiomata de Chriſto, Deo quidē, ſed non ſubſtantialiter & ab æterno cum patre: deinde uerò ex teſtimonijs ſcripturæ confutans, ac probans nō ex nihilo factum filium, ſed uerè eſſe filium de ipſo patre uerè, & ſine initio genitum, omnipotētem, indemutabilem, eademq; cum patre deitate. Diluit & ex ſcriptura petita Arianorū teſtimonia. ut, Pater maior me eſt. Et, Sciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum illum & Chriſtum Deus fecit hunc, &c. Probat poſtremò & eſſentiam, deitatem, omnipotentiam Spiritus ſancti cum patre & filio.

Apparet & ex capite quarto, rem ſibi fuiſſe cum reliquijs, ut uidetur, hæreſeos Saturnini, Baſilidæ, Cerdonis & Marcionis, cōtendentibus carnem circumtuliſſe Chriſtū putatiuā. Sic enim illis reſpondet: Vide ne mutabilem credas, quaſi deſierit uerbū eſſe, poſteaquam caro factum eſt: ſed manēs ſemper uerbum Dei, & caro quoq; factū eſt, expreſſius loqui uoluit, ne quis in eo non uerā crederet. Siquidem & poſitam preſſam locutionem calumniantes, nō deſunt qui dicūt, carnem illum habuiſſe putatiuā. Vt aūt manifeſtum ſit, Verbum carnem factum non demutatione diuinæ ſubſtātiæ, ſed ſuſceptione carnis humanæ, intende quid ſequitur: Et habitauit in nobis. Non ergo interceptū eſt Verbum demutatione, quod per carnem adſumptam habitauit in nobis.

ACACIVS, PAVLVS.

APpellat conſortes in presbyterio Epiphanius Acacium quendam, & Paulum: ijsq; nuncupare uidetur opus cōtra hæreſes, libri primi tomo tertio.

ANATOLIVS.

MEminit in fine operis ſui contra hęreſes Epiphanius Anatolij cuiuſdā, qui multo labore & diligētia opus illud emendarit. In fine uerò Ancorati Anatolius ipſe indicat, ſe eum ſermonem ſcripſiſſe.

CONOPS.

PResbyter eſt Conops Epiphanio, in initio Ancorati, quem fratrem uocat: & ab eo multis precibus ſe ſolicitatum indicat, ut Ancoratum conſcriberet.

DE APHRICANIS DOCTORIBUS Eccleſiæ Chriſti.

ALEXANDRINI DOctores.

PETRVS.

DIaconus fuerat Eccleſiæ Alexandrinæ Petrus, quantum ex Athanaſij Apologia ſecūda intelligi poteſt, Athanaſio ſocius indiuulſus laborum ſuorum ac periculorū: uir religioſus, Socratis teſtimonio, atq; eloquens. Cum autem ab Athanaſio morituro de ſucceſſore quæſitum fuiſſet, is Petrum eligi iuſsit. Itaq; unanimi cōſenſu epiſcoporum uicinorū, ipſius etiam Magiſtratus, primariorum & populi approbatione, Athanaſio defuncto epiſcopus ſucceſsit, anno Chriſti (ſecundum Hironymū) trecētēſimo ſeptuageſimoſeptimo, Valentis imperij decimo, ſed magno cum periculo. Confeſtim enim in eum Imperator Valens ſęuijt, & poteſtatem dedit Lucio, & Petrum expellēdi, & epiſcopatum Alexandrinum occupandi. Stipatus igitur Lucius Arianorum pręſidijs, Petrum Alexandriæ cōprehendit, & carceri inclusit. Ex quo per fugā elapſus Petrus, Romam ad Damaſum nauigio profectus eſt. Ab eo literis ordinationem ſuam cōfirmantibus inſtructus, Alexādriam redijt: Valente negligentius iam, ſiue quia ſatietas eum iam cæperat Eccleſias perſequendi, ſiue quia morti uicin⁹ eſſet, ad res Eccleſiaſticas attento. Ibi igitur popul⁹ Alexādrinus animis ſumptis, Lucium Alexandria expulit, ac ſedi ſuæ Petrum reſtituit. Hieronymus eum poſt Valentis mortem nimis fuiſſe facilem ait in hæreticis recipiendis, atq; adeò etiam, ut non caruerit ſuſpicione acceptæ pecuniæ. Hieronymus in Chronico: Ruffinus lib. 2, capite 3: Socrates lib. 4. cap. 20, 21, 22, & 30: Sozomenus lib. 6, cap. 39: Epiphanius libri ſecundi tomo ſecundo, hæreſi ſexageſimaoctaua. Baſilius epiſtola quinquageſimaſecunda ad Athanaſium, uocat eum uenerandiſsimū fratrē, cuius opera & fide in legationibus ad eas Eccleſias, in quibus conciliandū & componendū fuit aliquid, Athanaſiū uſum indicat. Citat ex Petri martyris & epiſcopi Alexādrini ſcriptis teſtimonium de Chriſto, Cyrillus Alexandrinus in apologetico ſuo, hoc modo: Euangeliſta uerè loquitur dicens, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: tunc uidelicet, quando angelus ſalutauit uirginem, inquiens: Aue gratia plena, Dominus tecum. Quod dicit Gabriel, Dominus tecū: pro

pro hoc est dictum, Dominus uerbũ tecum. Significat enim, ipsius gigni in utero, & fieri carnem, sicut scriptum est: Spiritus sanctus ueniet super te, et uirtus altissimi obumbrabit tibi. porrò & quod nascitur sanctum, uocabitur filius Dei. Citat idem testimonium synodus Chalcedonensis contra Eutychen, ex libro Petri Alexandrini de diuinitate, & hæc addit: Verè gratia & ueritas per IESVM Christum facta est, unde & gratia eius salui facti sumus, secundum apostolicum dictum. Et hoc, inquit, non ex nobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Voluntate Dei uerbum caro factum est, & habitu inuentus ut homo, non destitit à diuinitate. Neque enim ut à uirtutis suæ aut gloriæ perfectione recederet, pauper factus est, cum diues esset: sed ut & mortem pro nobis peccatorib. susciperet, iustus pro iniustis, quatenus nos offerret Deo, mortificat⁹ quidem carne, uiuificatus uerò spiritu.

ACHILLAS, *uel* ACHILLES.

SVb Throna episcopo Alexandriæ, qui Petrum antecessit, presbyteriũ ibidem sortitus Achillas, scholam catechisticã gubernauit, & in moribus Euangelij professione dignis incessit. Postea uerò in episcopatu Petri successor factus est. Euseb. lib. 7. cap. 32. Socrat. lib. 1. cap. 5. Theodoret. lib. 1. cap. 1. Variat prorsus Epiphanius libri secũdi tomo secundo, hæresi sexagesimanona: qui Achillã Alexandri successorem fuisse scripsit.

ALEXANDER ALEXANDRINVS.

SVccessit in episcopatũ Alexandrinũ anno Christi trecẽtesimo uigesimotertio, Constantini decimoquarto. Chronicon Eusebij. Fuit sedulus in docẽdo, & uigilans. Non cessauit, posteaquam semel deprehẽdit Arium exorbitantẽ. cõuocauit Synodũ, & fidei synceræ causam egit fidelissimè. Epiphanius libri secũdi tomo secũdo, hęresi sexagesimanona Reĩ Christianę curam fidelẽ gerẽs, inquit.

Scripsit epistolas encyclicas numero 70. ad singulos episcopos, cum animaduertisset Arium blanditijs suis in societatẽ pellicere multos per Palęstinã episcopos. Epiph. ibid.

De doctrina quid senserit, indicat abundè epistola prolixa eius ad Alexandrũ Constantinopolitanum, apud Theodoretũ libro primo, capite quarto. Fuit omnino acerrimus defensor articuli de Trinitate.

De Deo patre & filio inquit: Semper De⁹, semper filius, simul pater, simul filius, coexistit filius ingenito cum Deo, semper genit⁹, ingenito genitus: neq; cogitatione, neq; momento quodam præeminet Deus filiũ, semper Deus, semper fili⁹, ex ipso Deo fili⁹. Theodoret. lib. 1. cap. 2. & 5. Epiphanius, ut suprà.

Et in sua epistola Alexander apud Theodoret. lib. 1. cap. 4. Hunc immutabilem, inuariabilem ut patrem, indigentẽ nullius, perfectum filium, aslimilẽ patri accepim⁹: solum hoc inferiorẽ patre, q, ingenitus nõ sit. Imagõ enim est exactissima, expressa & indepraua bilis patris. Et secundũ hoc credimus filiũ semper quoq; existere à patre. Resplendentia enim est, & character paternæ substantiæ.

De Spiritu sancto: Confitemur, inquit, unum sanctum spiritũ, qui innouarit & ueteris Testamẽti sanctos homines, et eius quod nouum appellatur diuinos doctores.

De Ecclesia: Confitemur unã & solam uniuersalẽ Ecclesiã, quam nõ totius mũdi oppugnatio possit subuertere, perpetuò uictricẽ seditiosæ impietatis alienorum dogmatum.

De Resurrectione mortuorũ: Scimus futuram resurrectionẽ à mortuis, cuius fuit Dominus noster prænũcius, qui cũ corpore uero, non opinabili, natus ex uirgine Maria, in cõsummatione seculorũ, peregrin⁹ inter homines ad reprobationẽ peccati, affixus cruci & mortu⁹, nõ tamẽ ideo diuinitate sua imminut⁹, resurrexit ex mortuis, assumptusq; in cœlum sedet ad dexteram maiestatis.

Hæc docemus, inquit Alexãder, hæc prædicamus, hæc sunt apostolica Ecclesiæ dogmata, pro his & morimur: & uolẽtes cogere ut abiuremus, cõtemnimus, etiamsi tormẽta admoueant, non auersantes spem in illis repositam. Theodoret. lib. 1. cap. 4.

Inter certamina cõspicuũ illud maximè est, quòd contra Arium, eiusq; socios, omnẽ sustinuit factionem. Primùm Arium cum asse clis suis, quos suo loco recensuimus, officio remouit. Postea etiam Eusebianos omnes in se irritauit, ut Athanasius inquit Apologia secunda, ex epistola synodi Alexandrinæ. Epiphanius libri secundi tomo secundo, hæresi sexagesimanona: Sozomenus lib. 1. cap. 15. Reiecit & Gregorium presbyterũ suum ob impietatem, quòd cum Ario sentiret, & alia crimina. Athanasius ibidem.

Contra Arianos in synodo Nicęna pugnauit magnanimiter cum Athanasio. Quod illi testimonio est epistola synodi Nicænę apud Theodoretũ lib. primo, cap. nono. Alexander hac ætate tantũ laborẽ subijt, ut quæ bona essent dogmata, firma retinerentur. Athanasius oratione prima cõtra Arianos, ait Alexandrũ usq; ad mortẽ contra hæresin Arianã depugnasse: multasq; afflictiones & labores senẽ, quãuis in decrepita ætate, sustinuisse.

Inter familiares præcipuũ habuit Athanasium, qui assidu⁹ apud eum & in magno precio fuit. Testatur epistola synodi Alexandrinæ apud Athanasium, Apologia secunda.

Magnam uerò cõiunctionem fuisse inter eum & Alexandrum episcopum Constantinopolitanũ, epistola de toto Ariminensi negotio ad eum peculiariter scripta probat.

Sine dubio autem etiam Macario episcopo Hierosolymitano tum temporis familiaris fuit. Item Philogonio Antiocheno, & Eustathio Berrhœensi, alijsq; quos Apostolicorum dogmatum patronos uocat. Illis enim scripsit, ut ab Ariana hæresi sibi cauerent. Theodoretus libro primo, capite quarto.

Obijt diem suum, cum post synodum Nicænam nondũ quinq; menses præterijssent. Athanasius apologia secunda: Theodoretus libro primo, capite uigesimoquinto: Epiphanius, ut suprà. Decessit eodẽ anno, quo Arij hæresis damnata est.

Legit autem in extremis agẽs propria uoce successorem Athanasium: quem cum prẽsens nõ esset, nomine uocauit aliquoties, & de fortuna eius uaticinatus est: Arbitraris scilicet quod effugeris, uerùm non effugies. Sozomenus ex Apollinario libro secundo, capite decimoseptimo.

ATHANASIVS.

DE parentibus diui Athanasij Magni, qui, aut cuius conditionis fuerint, certi nihil legimus. Alexandrinum fuisse, historia testatur de puerili quodam ludo, quo in agmine puerorum ad littus maris episcopũ se esse finxit, ac episcopi more baptizauit, puerorúmque alios presbyteros, alios ministros ordinauit, spectante Alexandro Alexandrino episcopo, in annua quadã festiuitate memoriæ Petri Alexandrini episcopi martyris: quã Sozomenus retulit lib. secundo, cap. decimoseptimo: & Ruffinus lib. primo, cap. decimoquarto. quæ & narrationem de studijs pueritiæ & adolescentiæ Athanasij cõtinet. Ex eo enim ludo quasi omine quodam & augurio rerum futurarum per pueros eos gerendarũ captato, Alexander Athanasiũ cum socijs cæteris pueris, parẽtibus sub obtestatione Dei cõmendauit, ut ad id quod per ludũ imitati fuissent, educarentur. Ita igitur in Grammatices studio instituẽdus notario cuidam primùm, deinde uerò pietatis doctrina imbuendus sacerdoti à parentib. traditus est. Sozomenus eum apud Rhetores quoq; uersatũ, & philosophiæ studia attigisse scripsit. Nec dissentit Nazianzenus in oratione funebri in Athanasiũ: ubi eum artium cyclopædiam perfunctoriè saltem & obiter degustasse, ne earum prorsus esset expers, statim autem ad maiora pietatis studia animũ adiunxisse indicat: & in ueteri præcipuè ac nouo Testamento diligenter ac sedulò se exercuisse, magna sui & illustri laude commemorat. Inter quę studia, cõuictore eo & amanuense usum aliquandiu Alexandrum episcopũ, Sozomenus narrat. Quæ omnia probant, Athanasium à puero fuisse Christianum, & à pijs doctoribus eruditum: sicut ab ineũte ætate moribus ac disciplinis diuinis innutritum eum Nazianzenus, atque ex eo Theodoretus retulit libro primo, capite octauo. Meminit ipse suorum magistrorũ reuerenter, sed quos tamen non nominat, in libro de humanitate uerbi: ubi, Hausimus (inquit) ista nos à magistris diuinit⁹ afflatis, qui sacros libros euoluerant, & sese diuinitatis Christi martyres testesq; exhibuerant.

Theodoretus lib. 1. cap. 25. omnibus in gradibus eum Ecclesiastici ordinis cum admiratione uersatũ scripsit. Et Nazianzenus, ad potione eum puli præsidentiã per omnem graduum seriem transisse, dixit in oratione cuius paulo antè meminimus: in qua & diaconũ eum Alexandri episcopi Alexandriæ fuisse, & iuuenem quidem, quo tempore ad synodum Nicænam unà secum profectus est, ut posteà indicabimus, retulit.

Mortuo uerò Alexandro, sub annũ, ut Hieronymus indicat, Domini trecentesimũ tricesimũtertiũ, Imperij uerò Magni Constantini uigesimumquartũ, successor electus est: cum quidẽ ab Alexandro morituro, diuina quadã seu uoce, seu reuelatione admonito, ut nemo præter Athanasiũ successor sibi quęreretur, cõstitutum fuisset: quemadmodum ex Apollinario Sozomenus prodidit libro 2. cap. 17, hæc ex eo de Alexandro moriente & Athanasio successore ad hunc modum referens: Cum è uita uocaretur, inquit, Alexander, & iam morti uicinus esset, Athanasium ex nomine, quamuis non præsentem, uocabat. Et cum alius quispiam eodem nomine præsens uocationi annueret, illi nihil respõdit, quòd eum non uocasset: sed rursus Athanasium uocauit. Et cum hoc sæpenumero factum esset, obticebat is qui aderat, & significabatur ille qui præsens nõ erat. Quin & prophetiçè beatus Alexãder: Arbitraris, inquit, Athanasi, quod effugeris, uerùm non effugies. Ita inuitum igitur & coactum, adeò ut & fugam adornarit, episcopatum proximè post Alexandrum suscepisse Athanasium, Sozomenus ibidem retulit: non absque singulari consilio Dei, quòd & ad dicendum, & ad intelligendum, & ad resistendum maleuolorum insidijs instructus, ac talis omnino, qualem potissimum exulcerata illa ab Arianis, & infeliciſsima tempora tum requirent, esset.

Solus ab hac de successione Athanasij narratione uariat Epiphanius libri secundi tomo secundo, hæresi sexagesimaoctaua: ubi mortenti quidem Alexãdro Athanasiũ non adfuisse, nec alium ullum quàm Athanasiũ in successionem eligendum, Alexandrum præcepisse indicat. Sed quia absens Athanasius fuerit, missus fortè in procurationẽ Ecclesiarum uicinarum ab Alexãdro, Meletianos arrepta ex absentia Athanasij occasione,

Theo-

Theonam quendam episcopum constituisse: quem post menses tres mortuum, Athanasius demum secutus sit. Quamuis, ut in cæteris multis, & nonnunquã contrarius sibi narrator Epiphanius, libro ac tomo eodem, hæresi sexagesimanona, Achillã fuisse à Melerianis Alexandro successorẽ subrogatum, qui post menses tres decedens episcopatum Athanasio reliquerit, affirmarit.

Extat de electione Athanasij pręclara testificatio Ecclesiæ Alexandrinæ, in epistola synodi Alexandrinæ in apologia secunda, contra Eusebianos & concilium Tyri: Nos, inquiunt Alexãdrini, cum tota ciuitate & uniuersa prouincia testamur, omnem multitudinem populumq; catholicæ Ecclesiæ in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & animæ, clamoribus & uociferationibus postulasse, Athanasiũ Ecclesiæ episcopũ dari, idq; publicis uotis à Christo expetisse, nosq; ut facerem⁹ per multos dies ac noctes iureiurando obtestatos fuisse: cũ interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, nec nobis discendi facultatem permitterent, &c.

Cum igitur in perturbatissima tempora, quib. omnia ubiq; Ariano furore corrupta & euersa erant, Athanasij episcopatus incidisset, magnum ilico ipse dolorem ex Ecclesiarum cæpit dissidijs: atq; in eam curam tonus incũbebat, ut rebus Ecclesiæ afflictis, remedium & consiliũ adferret, persuadendo alijs, alios hortando & cogendo, ut insanos errores abijceret. quod quidé studium nõ Alexãdrinæ solum Ecclesiæ, sed multis etiam alijs uicinis contulit: ut Epiphanius narrat.

Sed præter hanc curam & solicitudinem in officio & Ecclesiæ gubernatione, fulserũt in eo aliæ item egregiæ, ac doctore tanto & episcopo dignissimæ uirtutes: interq; eas, animus in periculis subeundis excelsus, & in perferendis rebus asperis & aduersis robur ac tolerantia minimè uulgaris. Modestia deinde & humilitas in tanto lumine admiranda: atque ab omni arrogantia & ambitione, quod & necessariũ in doctore & præcipuum ornamentum est, animus alienus. sicut in epistola ad Serapionem, idiotam se ipse nominat: & epistolam Serapioni missam, nec deinde scribi ab eo, nec diuulgari uult. Et in epistola ad solitariam uitam agentes: Non tutum est, inquit, ad posteros peruenire nostra ista scripta, quæ ut balbutientes & indocti confi cimus. Quo in loco, & hominem se uocat natura imbecillem. Sed quàm illi chorũ pulcherrimum uirtutum Nazianzenus tribuat, in oratione funebri in Athanasiũ, uideamus: Erat, inquit, operibus sublimis, prudentia humilis, uirtute immutabilis, congressu admodum facilis, mansuetus, ira uacuus, compassibilis, sermone suauis, moribus uerò sua uior etiam: forma angelicus, magis tamen angelicus mente: increpando tranquill⁹, laudando doctus, ita ut neutrũ ex bonis ijs immodestia læderetur, sed increpationem faceret paternam, laudem uerò principalem: nec tenerũ fractum, nec rigidum austerum: sed hoc quidem mansuetudinem, illud autem sapientiam, ambo autem philosophiam. Sanè minimum sermonis propter morum indigebat probitatem: ij enim ad institutionem erant sufficientes: minimum quoque uirga propter sermonem, minus etiam incisione propter uirgam mediocriter uerberantem. Testatur Sozomenus libro quarto, capite decimo, eum diuinitus admoneri solitũ, ac pericula multa longè antè prospexisse interdum, atq; effugisse.

¶ Libros Athanasij Hieronymus in Catalogo suo (qui eos tamen non uidit, quemadmodum ex uerbis eius apparet) hos enumerat: Feruntur, inquit, eius aduersus gentes duo libri: & contra Valentem & Vrsacium unus. Et de uirginitate, & de persecutionibus Arianorum plurimi, & de psalmorum titulis. & historia, Antonij uitam continens: cuius scripti etiam Ruffinus meminit libro primo, capite octauo. Et ἑορταστικὰ epistolæ, & multa alia quæ enumerare longum est.

Extant hodie Athanasij scripta in quatuor tomos digesta, sed quorum uix media pars Athanasij esse uidetur. Cætera pleraque suppositicia sunt. sicut optimo ferè cuique autori, plurimi falsi & nothi libri adscribuntur, certè Athanasio plurimi adulterini inserti sunt: in quos cum fortè Erasmus incidisset, abiecisse dicitur, nauseabundusq; exclamasse, ἄλις ὀψοῦς. Indicat & Euagrius historiæ Ecclesiasticæ lib. tertio, capite trigesimoprimo, Nestorianos et Eutychianos, multos Apollinarij libros sub Athanasij nomine uenditasse.

In primo igitur tomo hæc insunt. Athanasij oratio contra idola: quæ particula forsan est scripti aduersus gentes, cuius Hieronymus meminit. Liber de humanitate Verbi, eiusq; corporali aduentu. Epistola ad Epictetum Corinthiorum episcopum contra hæreticos. Expositio fidei. Responsio ad epistolã Liberij episcopi Romani, quod perfectum hominẽ assumpserit Deus uerbum. Tomus duodecimus, siue epistola ad Antiochenses. Oratio de æterna substantia filij & spiritus sancti cum Deo, contra gregales Sabellij. Oratio, qua docet unũ esse Christũ. Oratio ad Adelphiũ fratrem & confessorem, contra Arianos. Orationes aliæ quinq; aduersus eosdem: quas, sicut & sermonẽ de humanitate uerbi, trophæum esse Photius censuit de quacunq; hæresi, maximè uerò Aria-

na:atq; ex ijs libris Naziãzenũ & Basiliũ tan quã ex fonte quodã hausisse, quęcunq; cõtra eũ errorem pulchrè ac disertè dixerint. Enarratio dicti, Omnia mihi tradita sunt à patre. Et, Nullus agnoscit filium nisi pater, aut patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Compendium è superioribus descriptũ, contra eos qui dicunt, spiritum sanctum esse creaturam.

Tomus secundus res synodales complectitur, cum uarijs epistolis ad idem argumentum spectantibus. Suntq; priores Apologiæ duæ: altera ad Imperatorem Constantium, altera de fuga sua, cum à Syriano duce persecutionem pateretur. Eas sequuntur: Epistola ad orthodoxos ubiq; terrarũ, cũ per Arianos persecutio fieret. Epistola de sentẽtia Dionysij episcopi Alexandrini, & quòd falso eũ Ariani sibi adstipulatorem hæreseos fingunt. Epistola, quòd Nicæna synodus, animaduersa Eusebij calliditate, congruis & pijs uerbis decreta sua super Ariana hæresi exposuerit. Apologia secunda cõtra Arianos. Epistola ad Serapionem fratrem. Epistola ad omnes ubique solitariam uitam colentes, & in fide fundatos. Epistola ad Iouinianum Imperatorem, de fide. Epistola de synodis Arimini & Seleuciæ celebratis. Epistola ad Dracontiũ fugientem episcopatum. Epistola ad episcopos per Africam. Porrò de epistolis Athanasij, illis maximè quæ excusationem exilij sui continent, Photius iudicauit, gratia eas nimirum & ornatu excellere reliqua scripta. Et in epistola ad Lætam, de institutione filiæ, uirginem monet Hieronymus, ut Athanasij epistolas legat. Arque hæc citra controuersiam, Athanasij uera & genuina ab eruditis putantur esse monumenta. Reliqua, quæ tertio tomo continentur, non item. ut, Tractatus de incarnatione uerbi: De humana natura susceptа ab unigenito uerbo, & contra Apollinarium: De incarnatione Christi. De salutari aduentu Christi contra Apolinarium: Contra omnes hæreses sermo: Ad Maximum Philosophum oratio decimasexta: In illud, Profecti in pagum qui ex aduerso est, inuenietis pullum alligatum, &c. In possessionem Saluatoris: quod segmentum esse uidetur alicunde ex Athanasio diuulsum. Epistola ad Marcellinum, de interpretatione psalmorum. De uirginitate, siue de meditatione Sermo. Testimonia ex sacra scriptura, de naturali communione similis essentiæ inter patrem & filium & spiritum sanctum. Ad omnes ubique, per Aegyptum, Syriam, Phœniciam & Arabiam fratres epistola. Refutatio contra hypocrisim Meletij & Pauli Samosatensis, de Consubstantialitate. Sermo in Euangeliũ de sanctissima Deipara uirgine Maria. In passionem & crucem Domini sermo alius. Epistola ad Serapionem episcopum Tmuæos, contra eos qui dicunt spiritũ sanctum creaturã esse. In illud Euangelij, Quicunq; dixerit uerbum contra filiũ hominis, remittetur ei, &c. Sermo. Disputatio in Nicæno concilio contra Ariũ. Homilia de semente. Et declaratio Leuitici, de diuersa eiusdẽ rei nomenclatura.

Quartus Tomus quædam habet à diuersis translata interpretibus: ut, Libellum de uarijs quæstionibus sacræ scripturæ, ad Antiochium principem, interprete Valentino Ampelandro. Quem librum Athanasij non esse, inde liquet, quòd ab eius autore Athanasius citatur Quæstione uigesimatertia, hoc modo: Et hæc quidem multum ualens in diuina scriptura magnus Athanasius. Nos uerò qui ab ipso sumus illuminati, &c. Accedit huc, quòd multos uidere est in eo scripto næuos, atq; opiniones ab Athanasio alienas.

Ita neque Athanasij est tractatus sequens de definitionibus Theologicis: quod indeclarum est, quia in principio dicitur, definitiones eas esse collectas à Clemente quodã, alijsq; sanctis uiris & beatis patribus. Disputatio sequens super fide Catholica inter Athanasium & Arium Laodiceæ habita coram Probo iudice, probatione non eget, quòd nõ sit Athanasij. Autor eius, Arium eum, cum quo secundo Constantij Imperatoris anno Athanasius congressus sit, indicat fuisse Atiũ alterũ: siquidem duos fuisse Arios, tanquam duos serpentes ex uno ore exibilantes, Sulpitius prodiderit. Exhortatio ad Monachos. Libellus de passione imaginis Christi, crucifixæ in Berytho Syrię: quę, nisi fucus subest, (sicut omnino uidetur inde maximè, quòd ab alijs, multis seculis pòst, contigisse idem narratur, ut à Sigeberto sub anno Domini 765) esse Athanasij Petrus Nicomediæ antistes, in conuentu quodam apud Cæsaream Cappadociæ confessus est. Epistola ad Marcum Papam, pro exemplaribus Nicæni concilij. Epistolæ duæ ad Serapionem episcopum, de sancto spiritu, Erasmo interprete. De unita deitate Trinitatis, ad Theophilum libri septem. Synopsis postremò diuinæ scripturæ ueteris ac noui instrumenti, Vuolffgango Musculo interprete.

Photius commentaria in Ecclesiasten, & in Cantica canticorum, & in Psalterium ab Athanasio scripta retulit. Ac meminit Synodici ab eodem conscripti Socrates libro primo, cap. decimotertio: in quo eum percensuisse ait nomina eorum qui synodo Nicænæ interfuerint.

Obiter nũc & de genere orationis, & artificio,

ficio, quo Athanasius usus est, ex eodem Photio quædam adijcimus: In Sermonibus, inquit, ubiq; locutione clarus est, breuis et simplex: acutus tamẽ & altus, & argumentationibus omnino uehemẽs: & in his tanta ubertas, ut admirabilis sit. Logicis autem methodis nihil tenuiter, nihil iuueniliter, ut pueri & rudes, sed philosophicè & magnificè utitur. Scriptura cum testimonijs ac demonstrationibus ad uincẽdum communitus est: & in primis Sermo ille qui de humanitate uerbi Dei habitus est, & quinq; in Arium librorum uolumina. Gratia tamen & ornatu excellunt sermones contra Apollinarium: et epistolæ, quotquot sui ipsius exilij excusationem continent.

In doctrina porrò quasi ex proposito hoc egit strenuè, ut illustraret articulum de Trinitate, ac singulis personis, ea diligentia & fide, qua plus ab humano ingenio præstari non possit. Testatur id Nazianzenus in oratione sua de Athanasio, præcipuum scilicet ipsius fuisse studium, operam, cõtentionem & laborem, in uindicando & retinẽdo incorrupto articulo de Trinitate. Cuius rei in scriptis Athanasij obuia passim sunt erudita symbola & confessiones.

Libro de Ariana & catholica confessione ait: Credo unum nomen diuinitatis in patre & filio & spiritu sancto semper & fuisse & esse: quia non in nominibus, sed in uno nomine patris & filij & spiritus sancti, secundum Domini præceptum, baptizamur & efficimur Christiani. Et de unita & sempiterna substantia Trinitatis: Sempiternitas, inquit, patris filius eius est, quia de ipso inenarrabiliter ante omne omnino principium natus est: & sempiternitas filij pater eius est, quia ipse eum ante cuncta secula incompatibiliter genuit: & sempiternitas spiritus paracleti, unita deitas eius est cum patre & filio, quæ facta non est. sicut filius testatus est de eo: A patre procedit, & de meo accipiet.

Et ibidem: Sicut pater declarat filium suũ in deitate sua, quoniam Deus uerus est: ita & filius demonstrat patrem in substantia sua, quoniam Deus uerus est. Sic & Spiritus sanctus reuelat patrem & filium, in unita natura sua æterna, quoniam Deus uerus est.

De Christi incarnatione, libro de assumptione hominis contra Marcellum: Deus hominem, inquit, non homo Deum assumpsit. Nam etsi assumpsit de Maria uirgine, non tamen quod semper ante assumptionem hominis unà cum patre fuit, omisit: sed neque deitas eius in homine augmentum aut detrimentum ullum sustinuit.

Et oratione secunda contra Arianos, de Christi diuinitate æterna: Nos ex sacris scripturis fidenter loquimur de religiosa & pia fide, & quasi candelam super candelabrum collocantes hæc uerba pronunciamus: Filium istum uerum natura, & genuinum patris sui, proprium substantiæ eius fœtum, sapientiam item, & unigenitum uerbum uerum ac unicum Dei, non creaturam, non facturam, sed sobolem propriam substantię patris esse: ac proinde uerũ Deum, patriq; suo uero consubstantialem, &c.

Citat de Christo alicunde ex Athanasij scriptis perspicuũ testimonium Cyrillus in Apologetico suo, his uerbis: Ostendit quòd non apparenter, sed uerè habuerit corpus. Decebat enim Dominum humanam hanc carnẽ indutum, cum suis passionibus ipsam totam induere: ut sicut propriũ ipsius esse dicimus corpus, ita & corporis passiones propriè tantum eius dicantur, etiamsi non contingant secundum diuinitatem eius, siquidé alterius esset corpus, alterius uerò dicerentur passiones. Si autem uerbi caro, Verbum enim caro factum est: necessarium & carnis dici passiones eius, cuius & caro est. Cuius enim dicuntur esse passiones, quales sunt maximè, condemnari, flagellari, sitire, & crux & mors, & alię corporis infirmitates, eius & opera bona & grata sunt. Idcirco rectè nõ alterius quàm Domini, dicuntur tales esse passiones, ut & gratia ab ipso sit, & non fiamus idololatræ, sed uerè pij. Quia nullam creaturam, nullum communem hominem, sed ex natura Dei, & uerum filium hunc, & factum hominem ipsum ac Deum & Saluatorem inuocamus. Sufficient igitur ad probationem uel mediocriter doctis, sententiæ propositæ, diuina lege manifestè dicente: In ore duũm uel trium testium stabit omne uerbum. Quod si quis uolueris etiam posthac contendere, audiat ipse à uobis: Eas hanc contra teipsum: nos uerò rectas scripturas, & sanctorum patrum sequemur uestigia. Sic enim lucrabimur supernæ uocationis præmium in Christo: per quem, & cum quo, Deo & patri gloria, cum sancto spiritu, in sempiterna secula: Amen.

Adducit & synodus Chalcedonensis ex orationibus eius contra Arianos, de beneficijs Christi illustrem sententiam, hoc modo: Multi sanctificati sunt, & mũdi ab omni peccato. Hieremias uerò & ex utero sanctificatus est: & Ioannes adhuc cõstitutus in utero, exilijt in exultatione, in uoce Dei genitricis Marię. Et tñ regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen, & super eos qui nõ peccauerũt, in similitudine præuaricationis Adæ: & ita manebãt nihilominus homines mortales et corruptibiles, capaces suę naturę passionũ. Nũc uerò uerbo facto homine, & sua faciẽte quę carnis

sunt, ultra hæc corpus non tangunt, propter uerbum quod in eo factum est, sed ab ipso quidem consumpta sunt. De cætero uerò homines nullatenus secundum suas passiones peccatores permanent, & corruptibiles: sed secundum uerbi uirtutem resurgentes, immortales & incorruptibiles semper permanent. Vnde & carne nascente ex Dei genitrice Maria, ipse dicitur esse natus, qui alijs genituram quo sint præstat, ut nostram in semetipsum transferret natiuitatem, uti ne de cætero sicut terra tantum cõstituti, in terram eamus: sed sicut cœlo uerbo coniuncti, in cœlum ab eo perducamur. Ergo sic & reliquas corporis passiones non indecenter in seipsum transtulit, ut non iam sicut homines, sed sic ut proprij uerbi æternæ uitæ efficiamur participes. Nec ultra enim secundum priorem natiuitatem in Adam morimur, sed iam natiuitate nostra, & omni carnali infirmitate translatis in Verbo, resurgimus à terra, soluta maledictione peccati, propter eum qui in nobis pro nobis factus est maledictum.

De Spiritu sancto uerò, quòd cum patre & filio Deus uerus sit, æternus, omnipotens, peculiares edidit libros, ueluti ostendimus: ut illum, De æterna substantia filij & spiritus sancti cum Deo, contra Sabellianos. Et catalogum testimoniorum de naturali communione similis essentiæ inter patrem, filium, & spiritum sanctum. Libro de humana natura suscepta de spiritu sancto, sic inquit: Impium est, creatum aut factum esse Dei spiritum affirmare, cùm omnis scriptura, tum uetus tum noua, eum unà cum patre & filio connumeret & glorificet: quoniam eiusdem deitatis est, & eiusdem potentiæ & essentiæ. quemadmodum ipse dicit: Qui credit in me, flumina de uentre illius fluẽt aquę uiuæ. hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant qui in ipsum crederẽt. sicut & in Ioele sub persona patris loquitur: Effundam de spiritu meo super omnẽ carnẽ, & prophetabunt filij uestri, & filiæ uestræ. Ideo Dominus inspirans in ora Apostolorum, dicit: Accipite spiritum sanctum: ut intelligeremus, quòd ex plenitudine deitatis ipsius ipse spiritus existat, qui discipulis tribuitur.

Adijcimus nunc de singulis personis testimonium Athanasij, ad Liberium Romanũ: Vnus Deus, immortalis, inuisibilis, intactilis, eo quòd Deus sit spiritus, idemque loco incomprehensibilis: neq; uspiam est regio, ubi non existat. Huius uerbum, immortalis sapientia est, incorruptibilis, inuisibilis, idemq; filius primogenitus, operum socius, principio carens, impalpabilis, cui nullũ ætatis aut initium aut finis: per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Hic est qui finxit hominem, hic est qui rationem fabricandæ arcæ ostendit, hic est qui pollicitationes Abrahæ fecit: hic est qui descendit ut populum seruaret, qui Mosi legem dedit: hic est Deus Abrahæ, Isaac & Iacob, qui in prophetis locutus est: hic est qui composuit uetus & nouum Testamentum, qui in ultimis diebus carnem ex uirgine mortalem assumpsit, cum ipse interim immortalis esset: eamq; imbecillem, ipse minimè imbecillis: obnoxiam morti, ipse nulli obnoxius: uisibi lem, ipse inuisibilis. Illa inquam caro suspensa est in cruce, non ipse: in illa omnes humanas passiões ut homo sustinuit, nõ ipse, ipse enim est Dei uirtus, hoc est Deus, qui infernum expugnauit, & imperiũ diaboli demolitus est: qui Deus in descendendo, Deus in ascendẽdo, corpus suum à morte excitatum patri repræsentauit, ac uindicauit à morte, sub cuius imperio tenebatur. In filio patrem intelligimus, cùm unus cum eo sit, deitate, potentia, essentia, substantia, gloria, Dei appellatione: & in patre filium quoq; agnoscimus. Hic est, qui ubi assumpserat carnem, IESVS uocatus est, quatenus homo fuit: hoc est, assumpsit hominem in seipso, in quo omnis plenitudo deitatis inhabitat corporaliter. Hunc existimamus non segregatum à patre aut sancto spiritu: neq; tamẽ ita, ut dicamus patrẽ descendisse, & in homine fuisse, Ita unus Deus pater omnipotens à nobis creditur: ideoq; fides nostra est in unum Deum patrem omnipotentem, & in filium eius Dominum nostrum, & in spiritum sanctũ: eosq; ex unitate una, potentia una, substantia una, essentia una, gloria una, dominatiõe una, regno uno, imagine Trinitatis una, cõsubstantiales esse credimus, p quẽ omnia facta sunt. Ita quoq; in carnis resurrectionẽ credimus, hoc est, corpus nostrum secundũ sacras scripturas ex corruptibili mortaliq;, in incorruptibilitatem & immortalitatẽ à Deo mutandum esse: Amen. De cęteris partibus doctrinæ, quia ex professo in propugnando & illustrando articulo solo Trinitatis totus fuit, pauciſsima habet testimonia.

De creatione rectè loquitur ad sentẽtiam scripturæ Geneſis primo, in sermone tertio contra Arianos: Tota, inquit, rerum natura intra sex dies condita est. & primo quidem lux, quod spacium Diem appellauit: secundo autem firmamẽtum: tertio uerò in unum congregans aquas, aridam exhibuit: quarto solem & lunam fecit, cęterarumq; stellarum chorum: quinto animalia in aquis, & uolucrium in cœlo nationem procreauit: sexto, quadrupedia in terris, deinde hominem fecit, &c.

Angelos creaturas esse sentit, in libro de humanitate Verbi: quæ claritate & gloria inter

inter se differant, sermone tertio contra Arianos: conditos in obsequium & laudem Dei, hominumq; ministeria, libro de cõmuni essentia patris & filij & spiritus sancti. Oratione quarta contra Arianos sic inquit: Angeli proprium est, Dei mandatis inseruire.

De Angelorum lapsu, rectè sensit: Quosdam scilicet eorum non seruasse suum ordinem, & diabolum è cœlo cecidisse: in Compendio.

De homine, qualis fuerit ante lapsum, qualis item mãserit post lapsum, ac de lapsus simul causa, & humanæ uoluntatis libertate ante lapsum, in libro de Humanitate uerbi: Ad suam ipsius, inquit, imaginem genus humanum Deus effigurauit, dedit q; illi suæ rationis dotem, ut ueluti umbras quasdam ac lineamenta rationis possidẽtes, rationales q; effecti, perseuerare possent in beatitudine, uientes ueram & reuera sanctorum in paradiso uitam. Animaduertens rursum arbitrium delectum q; hominis utroq; uergere, maturè hanc gratiam, quam ipsis dederat, legis & loci præsidio communitam uoluit. Introduxit igitur eum in suũ ipsius paradisum, edictũq; præscripsit, &c. Ad istum igitur modũ Deus hominẽ fecerat, & in incorruptibilitate perseuerare uolebat. homines autem cõtrà, spreta reiectaq; Dei cognitione, excogitatis prauasua ratione malis, prædenũciatam mortis cõdemnationem acceperunt: neq; iam inde quales conditi erant remansêre, sed pro ipsorum rationibus cogitationibusq; corruptelam uitiumq; cõtrahebant, & sub mortis imperio detinebantur, eo quòd præuaricatio mandati illos ad ueterem naturę conditionẽ retraheret. Et pòst aliquanto: Est enim homo secundum ipsius originationem mortalis, ut qui ex non entibus creatus sit. attamẽ ob eius cum Deo similitudinem, retudisset suam naturalem corruptionem, incorruptibilisq; permansisset, si eam similitudinẽ Dei cognitione integrã incolumemq; seruasset, atq; ita incorruptibilis redditus uixisset ut Deus. Siquidem Deus nõ solum nos ex nihilo fecit: sed & donum rationis, quo secundũ Deum uiueremus, nobis cõcessit. Homines contrà auersi ab æternis, & ad corruptibilia conuersi, sibi suæ corruptionis, quæ in morte sedem habet, autores fuêre.

Legẽ nihil prodesse potuisse sine Christo, bene & hoc dixit, oratione secunda contra Arianos: Lex quidem, inquit, per angelos locuta est, sed nihil absoluit, cum opus haberet præsentia Domini. Et: Lex nihil absoluit, sed melioris spei præinstructio fuit.

Per fidem deinde iustificatos patres in ueteri Testamento, exemplis clarè probat, in oratione prima contra Arianos.

De pœnitentia contra Nouatum, rectè docet, in sermone cõtra omnes hæreses: Deum scilicet pœnitẽtiam agentes nõ reijcere. Non audisti, inquit, Nouate humanissimũ Deum per prophetam loquentem: Nolo mortẽ peccatoris, sed pœnitentiã? Non ut hæc audientes in peccatis permaneamus, sed ut declaretur illius bonitas.

De næuis & opinionibus quæ in libris illis qui falso, quemadmodũ ostẽdimus, Athanasio adscripti sunt, suprà diximus. Quarum quædã tam sunt aniles & absurdæ, ut religio meritò sit cuicunq; legenti, Athanasio autori eas attribuere: ut quòd autor sermonis in Euãgelio de passione & cruce Domini, Christum in cruce ad conspectum diaboli, fugam adornantis, & elabi cupientis, uoces imbecillitatis emiserit, Heloi Heloi.

Leguntur postremò in libris Athanasij nõmine inscriptis, de nõnullis ritibus traditiones: sed quas Athanasij nõ esse, certũ est. quia in illis libris continentur, quas à doctis censeri, quòd Athanasij nõ sint, dixim⁹. ut quòd autor libri de Interpretatione Psalmorũ, tradit, qui Psalmi quib. diebus canendi sint. Et q; multa de moribus, habitu, cultu, uestitu, uictu, ieiunijs, cãtionibus, precibus, &c. monachorũ & monialiũ cõsarcinat autor Exhortationis ad monachos, & libri de uirginitate. Ad Athanasij uitam nunc redimus.

Is qua animi magnitudine & uigilantia in negocijs Ecclesiasticis, cum comes Alexandri in synodum Nicænam ueniisset, aduersus hæreticos tum pugnauit: eodem & per omnem uitam, ad extremum usq; halitum, pro doctrinæ integritate & incolumitate digladiari acerrimè nunquam destitit: adeò ut nec unius saltem literæ permutationẽ, cum ocij inde & tranquillitatis & commoditatis plurimùm ad se redire potuisset, aduersarijs cesserit. Nã quot pugnas sustinuerit, imò quot mala & persecutiones, ideo quòd pro Homousio homiusion admittere nollet, testantur ipsius libri & historia. Ex Photio suprà retulimus, orationes eius quinq; cõtra Arianos, arietes esse fortissimos & trophæa contra omnes hęreses, maximè uerò Arianã: cum cuius assertorib. & patronis, ut Eusebio, Vrsacio, Valente, Apollinario, Meletianis, Acacio, Patrophilo, Asterio & cæteris, negocij sibi ac certaminũ semper fuit plurimũ. Nec ipsos qui rerũ potirẽtur ueritus Imperatores est, ut Constantiũ & Valentẽ: sed quòd insanæ hæresis patrocinium agerent, contra eos inuictis armis depugnauit: & furorem Antichristi latè uagantẽ aut repressit, aut cursum certè eius quantum potuit inhibuit.

Nec suorum tantum temporum quascunque hæreses, aut uicinorũ (ut Photini, Marcelli, Miluij, qui coniugium uituperabat: Potentini, qui spiritum sanctum patrem ipsum

aut

aut filium esse adserebat: reliquosq; Pneumatomachos, Eunomianos, & Eudoxianos) cõfutauit, sed superiorum etiam retro temporum: ut Marcionis, contra quem subinde pugnat in libro de æterna substantia filij & spiritus sancti cum Deo: & in oratione prima & quarta contra Arianos: item in decretis synodi Nicænæ, & alibi sæpe.

Pauli Samosateni hæresin conuellit plurimis in locis: ut in orationibus cõtra Arianos, in oratione Vnũ esse Christũ, in oratione cõtra gregales Sabellij de æterna substãtia filij, &c. in epistola de synodis Arimini & Seleucię, Libro de incarnatione uerbi: & in oratione Contra omnes hæreses: in qua & Nouati perstringit delyrium. ut & in enarratione dicti, Quicunq; dixerit uerbum, &c.

Manetis & Manichæorum hæresin confutat aliquoties in orationibus contra Arianos, prima, secunda, tertia, & quarta: item in libro de Assumptione hominis, contra Marcellũ: & in tom. 12 ad Antiochenses. Rursus in epistola ad solitariam uitam agentes, & de synodis Arimini & Seleuciæ, de salutari aduentu Christi, in Oratione aduersus omnes hæreses, & in epistola ad Epictetum episcopum Corinthiorum.

Contra Valentinum & Basilidẽ alibi sparsim disputauit: tum uerò in orationibus contra Arianos, tertia, quarta, & quinta: & in epistola ad Antiochenses.

Contra Sabellium & Patripassianos ex professo agit in libro de æterna substantia filij & spiritus sancti cum Deo, plurimis argumentis. In orationibus item contra Arianos, quarta & quinta, & in decretis synodi Nicænæ: item in epistolis de synodis Arimini & Seleuciæ.

Nec Montani & Cataphrygum hæresin præterit in orationibus contra Arianos, tertia & quarta. Sed & Epiphanius libri tertij tomo secundo, hæresi septuagesimaseptima testatur, Athanasium scripsisse epistolam ad Epictetum Corinthium, occasione hæreseos Dimœritarum, qui nõ perfectam Christi incarnationem confitebantur. Iudæorum porrò incredulitatẽ & blasphemias in Christum confutat prolixè testimonijs prophetarum, in libro de Humanitate uerbi. Contra eosdem & alibi subinde agit, ut in libro de æterna substantia filij, &c. in decretis synodi Nicænæ: & in oratione quarta contra Arianos, ubi Iudæos & Arianos in dubitationibus & quæstionibus de filio Dei congruere & consentire dicit.

Aduersus gentes uerò, duos eius extitisse libros Hieronymus indicat. Reliqua nobis hodie est oratio prolixa eiusdem contra idola. Nec tacuisse eum ad Ethnicas superstitiones, & paganismum stultissimũ Iuliani, exilium eius & Imperatoris minæ indicant, ut postea dicemus.

Venerat autem adolescens cum Alexãdro episcopo sene, cuius tum diaconus fuit, ad Nicænam synodum, in qua & consilijs episcopũ suum plurimùm iuuit, & pro dogmatis Apostolicis (ut Theodoretus ait libro primo, capite uigesimoquinto) nullum ibi certamen recusauit: Hęreticorum uerò dolos & fallacias præ cæteris ingeniosissimè detexit. quod in eo studium, & dexteritatem etiam, Nazianzenus commendat, in oratione funebri in eundem. In synodo deinde Eusebianorum apud Tyrum, contra sese collecta, quàm pudefecerit aduersarios suos, confusis omnibus exquisitissimis contra se calumnijs & machinationibus, ipsius Synodi acta, quæ suo loco recensuimus, loquuntur.

Interfuit & Sardicensi synodo, suaq; præsentia fugauit omnes Eusebianos: quibus ultrò fugientibus, in communionem ipse receptus est, excusatione eius de falso ab Eusebianis maleuolis intentatis calumnijs admissa: atq; innocẽtia sua ab omnibus episcopis, quorum multi etiam ante eam synodũ innocentiæ suæ subscripserunt, confirmata. Testatur ipse in Apologia secũda, & Iulius episcopus Romanus in epistola sua, quam ibidem Athanasius recitat.

Vsi deinde sunt eius familiaritate multi præcipui ac magni uiri: ac præter Imperatores ipsos, Constantinum Magnum, Constantinum iuniorem, Constantem & Iouianũ, à quo in summo precio habitus est, ut postea dicemus, episcopi etiã celeberrimi Occidentales: ut Maximus Treuirensium episcopus, à quo exulans sub Constantio benignè susceptus est, quemadmodum Hieronymus testatur in Chronico: & Romani episcopi, Marcus, Iulius ac Liberius, sicut ipsorũ epistolæ libris Athanasij insertæ probant. Maximè autem charus fuit Antonio, eius temporis clarissimo ac pręcipua autoritate monacho, qui & episcopatum eius Alexandro mortuo cõfirmauit, atq; aduersarios eius omnes auersatus est: uti Sozomenus refert libro secundo, capite decimotertio. Ac fortasis morũ ac uitæ similitudo, ut fit, duos illos sanctos ac religiosos uiros arctius coniunxit. Nã & Athanasium cœlibem uixisse, historię de uita sua, quæ uxoris nusquam meminerũt, testantur. Fuit & inter eum ac Basilium Magnum coniuncta familiaritas. extant enim aliquot Basilij ad eum epistolæ.

Nunc qui casus, quæ fortunæ fluctationes, sanctissimum illud Ecclesiæ lumen per omnem uitam uersarint, quot insidiæ, odia, persecutiones, quarum similes nullus unquam pòst hominum memoriã Ecclesiæ doctor

doctor expertus est, exercuerint, breuiter cõ memoramus.

Cum resipiscentiæ libellum Arius Imperatori Constantino exhibuisset, eiq; persuasisset dato iureiurãdo, se nihil noui aut diuersi ab orthodoxis de doctrina sentire, Alexandriam redire iussus est. Quò cum uenit, ab Athanasio admissus non est. Qui ingenti animi fiducia Imperatori rescripsit, nullã debere esse cõmunionẽ Ecclesiæ catholicę cũ hęresi: nec posse denuò recipi eos, qui fidem semel reprobassent, & anathemate mulctati essent. Athanasius apologia secunda: Socrates lib. 1, cap. uigesimoseptimo. Indignatus igitur negligi autoritatem suam Imperator, Athanasio ad hunc modũ rescripsit: Cum uoluntatis meæ noticiam habeas, omnibus ad Ecclesiam accedere uolentibus, liberum prębe accessum. Si nanq; cognouero, quòd aliquos eorum qui Ecclesiæ studeant, prohibueris, aut ab accessu Ecclesiæ excluseris, mittã euestigiò qui te meo iussu deponat, ac locũ tuum transferat. Socrates ibidem. Hanc Imperatoris indignationem, occasionem sumserati Arij patroni Eusebiani (qui statim posteaquam episcopatum sortitus esset Athanasius, machinationes calumnioſas in eum, quòd negocia per eum sua non processura animaduertissent, moliri cœperant) per quam & è medio tolli Athanasium, & promoueri ac dissipari facilius hæresis eorum posse, falsis eum apud Imperatorem accusationibus detulerunt. Eusebius nimirum factionis suę antesignanus, episcopus Nicomedię, Maris Chalcedoniæ, Vrsacius Singidonæ superioris Pannonię, & Valẽs Mursorum Pannoniæ, homines qui ab ultimis illis finibus (quemadmodum in epistola synodi Alexandrinæ habetur apud Athanasium, Apologia secunda) in Athanasij perniciem uenerant: Theogonius Nicæensis, & Theodorus Heracliæ, episcopi. Sed frustrati sua tum spe, tũ instituto illi sunt. Etenim accusationes falsas in Athanasium esse Imperator & ex alijs, & ex Athanasio ipso, quem ad causam suam dicendam Nicomediam, (seu, ut Theodoritus ait, Constãtinopolim) ad se euocauerat, cognouit: & Athanasium cum honore Alexandriam remisit, ut ibidẽ Socrates indicat, instructum literis, quæ sic habent.

¶ Non potuit improbitas istorum, credite mihi fratres, non potuit nocere episcopo uestro. Nihil aliud studuêre, quàm ut nostris temporibus consumptis, nullum haberent in uita pœnitentiæ spaciũ. Quare uobis ipsis auxilio sitis moneo, uestrum amorificũ studiũ urgete, omnibus uiribus exagitate eos qui cupiunt abolere gratiam concordiæ uestrę, & respicientes ad Deum, mutuo amore uos complectemini. Ego uestrum episcopũ Athanasiũ libenter uidi, sicq; sum allocutus, ut quem uirum Dei esse crederem. Theodoretus lib. 1, cap. 26.

Hac igitur uia cum, quod in Athanasium constituissent Eusebiani (quibus & Meletiani, ut Theodoretus ait, se coniunxerant) nõ succesisset, nouas in Athanasium calumnias, de Ischyra scilicet in Mareote pulsato, de Arsenio interfecto, brachioq; eius resecto commenti sunt. Propter quos, cum synodum Tyri conuocari Imperator præcepisset, innocentem se ibi iterum, calumniatoribus suis summa cum turpitudine confusis, Athanasius probauit: tametsi postea, cum ad Imperatorem sese recepisset, falso ab ea synodo damnatus & depositus sit. Quam iniuriam Athanasio factam Imperator molestè ferens, ad episcopos eos qui Athanasium deposuerant, in hunc modum scripsit.

¶ Victor Constãtinus Magnus, Augustus, Episcopis Tyri congregatis. Ego ignoro quid sibi uelint ista, quæ à uestra synodo per tumultum & tempestatem iudicata sunt. Mihi sanè uidetur, nescio quo pacto, ueritas per immodestiam opprimi, dum per uestrã contentionem, quam inuictam cupitis, ea quæ Deo placent, non consideratis. Sed erit diuinæ prouidentiæ officium, & explorare scelera istius contentiositatis, & explorata dissipare: uobisq; clarè ostendere, quantam in uestro congressu ueritatis curam habueritis, & an uestra iudicia citra gratiam & odium calculum suum prompserint. Quocirca festinanter ad meam pietatem accurrite, ut rerum istarũ excussam, exactamq; fidẽ coram me in præsentia ipsi præsentes doceatis. Quare autem ista scribere uoluerim, & quapropter uos literis meis accersendos putauerim, ex sequentibus cognoscetis. Ingrediẽti mihi cognominẽ & fœlicẽ patriam meã Constantinopolim (erã autẽ in equo) subitò Athanasius episcopus in media uia, cũ nõnullis alijs quos circum se habebat, ita inexpectatus occurrit, ut non leuẽ mihi causam admirationis præberet. Testis mihi Deus, omniũ speculator, me, quisquis esset, primo aspectu agnoscere nequiuisse: nisi nostrorũ quidã, quis'nã ille & quam'nã iniuriã passus esset, iã antea auditã, ut fieri solet, mihi indicassent. Ego igitur per illud temporis, uerba cum illo non habui, neque colloquium miscui. Quum autem ille se audiri postularet, & hoc recusarẽ, & propemodum eũ summoueri iuberẽ: magna libertate nihil aliud postulauit, quàm ut uos huc euocari iuberem, quo uobis præsentibus, quæ per uim passus esset, conqueri posset. quod quum mihi æquum, & temporibus meis cõgruum uideretur, scripto uobis denunciatũ uolui,

uolui, ut quotquot ſynodum Tyri abſoluiſtis, ſine omni tergiuerſatione ad prętorium noſtræ clementiæ cõueniatis, re ipſa, quantum ſynceritatis integritatisq; ſit in ueſtris ſententijs, corã me ipſo, ſyncero famulo Dei (quod ne ipſi quidem abnegaueritis) declaraturi. Certè per meum erga Deum cultum, obſeruantiamq; ubiq; iam terrarum pax eſt: & à barbaris ipſis nomen Dei ſynceriter benedicitur, qui hactenus ueritatẽ ignorabant. Nihil dubij autẽ eſt, eum qui ueritatẽ ignorat, etiam Deum ignorare. Sed tamen, ut antea dixi, barbari per me, ſyncerum Dei famulum, Deum agnouerũt, & iam metuere didicerunt: ideo quòd illũ mihi protectorẽ eſſe, meiq; curam gerere, re ipſa experti ſint: atq; ita in noſtris rebus Deum agnitũ, noſtri formidine barbari reuerentur. Nos cõtrà, qui myſteria clemẽtiæ eius oſtentare et præferre uidemur (non enim dixerim tueri) nos inquam nihil facimus, niſi ea quæ ad diſcordiã & odium pertinent, & (ut ſemel dicam) quę ad humani generis pernicię referũtur. Quapropter uos meo prętorio ſiſtite, quemadmodum dixi, & feſtinate huc q̃ celerrimè: certique ſitis, me omni ope ſtudioq; anniſurũ, ut ea quæ ſunt legis Dei q̃ maximè inoffenſa illabefactaq; ſeruentur, quibus nullũ nec probrũ nec infamia allini poſsit: profligatis ſcilicet & cõtritis ſemel inimicis legis, q̃ ſub ſpecie ſancti nominis, multiplices & diuerſas blaſphemias adferunt. Athanaſi⁹ Apologia 2.

Quibus literis perturbata Euſebij factio, ad Imperatorẽ quidem uenit: ſed prioribus Athanaſij accuſationib. diſsimulatis, nouo eum Imperatori crimine ſuſpectum faciũt, quaſi minatus ſcilicet fuiſſet, impediturum ſe, ne frumentũ quod deuehi ex Alexandria Conſtantinopolim cõſueuiſſet, poſthac mitteretur. Quę calumnia tantum apud Imperatorem, cui pietas tamen & probitas Athanaſij antea ſatis perſpecta fuerat, ualuit, ut indignatus in Gallias eum relegarit, omiſſo iudicio, & inaudita cauſa: ſicut ipſe ait Athanaſius apologia ſecunda: Socrates libro primo, capite trigeſimoquinto: Theodoretus libro primo, capite trigeſimo.

Epiphanius libri ſecundi tomo ſecundo, hęreſi ſexageſimaoctaua, hanc fuiſſe exilij eius cauſam ſcripſit: Athanaſium ſcilicet, cum ſynodus apud Tyrũ haberetur, animaduerſis aduerſariorũ ſuorum in ſeſe machinationibus, noctu ad Conſtantinũ abijſſe, eiq; cauſam ſuam & innocentiã expoſuiſſe. cui uerò dum fidẽ habere Imperator, altera parte abſente, dubitarit, Athanaſius durius reſponderit: Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam etiam tu conſentis calumniatorib. modeſtiæ meę. Ob eam igitur uocẽ indignatũ Imperatorẽ, deportari Athanaſium iuſsiſſe.

Videtur autem ann⁹ fuiſſe Conſtantini trigeſimus, Chriſti uerò (iuxta Hieronymum) trecenteſimus trigeſimuſnonus, cum exulatum ad Treuirẽſium ciuitatem Galliæ Athanaſius profectus eſt: ubi eum exulaſſe biennium ſupra menſes quatuor, Socrates lib. 1. cap. 35. & Theodoret. lib. 2. cap. 2. tradiderũt.

Addit Sozomenus libro ſecũdo, capite trigeſimoprimo, interceſsiſſe pro Athanaſio exulante crebris ſupplicationibus populũm Alexandrinum, ipſum etiam Antonium monachum, & uirgines caſtitatem profeſſas: ſed reſtitutionẽ eius Imperatore uiuo nunquã impetraſſe. Decreuiſſe tamẽ Conſtantinum, dum adhuc in uiuis eſſet, Athanaſium reuocare: ſed morte præuentum, Conſtantino filio id negotij commiſiſſe. à quo & reuocatus Athanaſius, ac remiſſus Alexãdriam eſt cum literis Imperatoris, quæ ſic habent. Socrates lib. ſecundo, cap. ſexto: Theodoretus lib. ſecundo, capite ſecundo: Sozomenus libro tertio, capite ſecundo.

Conſtantinus Cæſar populo catholicæ Eccleſiæ Alexandrinæ.

¶ Neq; ueſtram ſacram mentem latére arbitror, ideo Athanaſium adorandæ legis interpretẽ in Gallias miſſum eſſe, ne quo tempore ſanguinolentorũ hoſtium feritas ſacro eius capiti quàm maximè immineret: impliciteq; malorum collimitio aliquid intolerandum, & cui remediũ nullum eſſet, paterentur. Ad hanc igitur feritatem eludendam, tot faucib. inhiantium ſubtractus, ut ſub me ageret, iuſſus eſt: atq; ita in hac urbe cõmoratus eſt, ut omnibus rebus neceſſarijs abundaret. tametſi eius reuerenda uirtus diuina ope fretus, onera aſperioris fortunæ uilipenderet. Iam quum in primis ueſtrę in Deum pietati, ſuisq; ſedibus hunc epiſcopũ Dominus noſter & pater Conſtãtinus reſtituere uellet, & humana ſorte præuentus, antequam hoc uotum impleret, requieuit: ego mihi cõuenire puto, ut ſuſcepta uolũtate ſacrę memorię Imperatoris idipſum adimpleã, quod ille nõ peruit. Quum igitur Athanaſi⁹ ad ueſtrũ conſpectũ penetrauerit, tum demũ intelligetis, quantæ apud nos reuerẽtiæ fuerit. Neq; id mirum uideri debet, ſi quid huiuſmodi ineius gratiam fecerim. Ad hoc enim faciendũ meam mentem & ueſtri deſiderij imago, & ſpecies tanti uiri inſtigauit. Diuina prouidentia uos ſeruet, dilecti fratres. Datum Treuiris, decimoquinto Calendas Iulias. Reuocatus eſt autem Athanaſi⁹ anno, ut uidetur, ſeptimo Imperij Conſtantij, cum fratribus Conſtãtino & Conſtante: anno uerò Domini trecenteſimo quadrageſimoprimo.

Atque hæc igitur Athanaſij fortuna fuit, Conſtantino imperãte: tolerabilis quidem, ſi cum illis malis quæ ſub Conſtãtio perpeſ-

ſus

sus est, conferatur. De quibus ipse ad orthodoxos scribens, sic inquit: Mala quæ passi sumus, & intolerãda sunt, & condignè enarrari nequeũt. Itẽ: Acerbitates persecutionũ nobis illatæ ita præponderãt, ut exigua uideatur Leuitæ (quim & iniuriã in uxore patiebatur) calamitas, præ illis quæ nunc aduersus Ecclesiã designata sunt: uel potius nunq; quicquã tale auditũ est in orbe terrarũ, neq; quisquã unquam istiusmodi mala expertus est. In quã sententiam & Ruffinus ait lib. primo, cap. decimoquarto: In Athanasij persecutiones uniuersum coniuratum orbem, & cõmotos fuisse principes terræ: gentes etiam, regna, exercitus coijsse aduersus eum.

Cum enim literis & autoritate Imperatoris iunioris Constantini fretus Alexandriã redijsset, aciem continuò in eum struxit Arianorũ quotquot ibi erant uniuersa colluuies. Ortæ simul sunt seditiones & tumultus, ex quibus occasionem Eusebij factio arripuit, & Athanasium apud Constantiũ accusauit, quòd in Ecclesiã sine consensu & decreto cõmunis episcoporum concilij temerè inuasisset, ac tumultus ingentes concitasset, non per Aegyptum solum omnem, uerùm etiam per Palæstinam, Phœnicen, aliasq; gentes finitimas. Quibus delationibus expugnato leuissimo Imperatoris animo effecêre, ut Ecclesia Alexãdrina Athanasius tũ exactus sit, p milites armatos, quorũ quinq; millia Syrianus dux Alexandriã adduxerat. Sed ex quorum insidijs elapsus, miraculoso Dei beneficio, militibus non attendentibus, in medio pallentium, est. Socrates lib. 2, cap. undecimo: Theodoretus lib. secundo, cap. quarto.

Ita igitur Romam Athanasius confugit, quo tempore episcopatũ ibi tenebat Iulius: cui Eusebiani calumnias in Athanasium structas, omnes perscripserant, iudicium eius de utraq; parte & synodum expetentes. Diem igitur Iulius & Eusebianis & Athanasio dixit. Qui cupidissimè adfuit, atque annum integrum cum semestri aduersarios suos frustra expectauit: quemadmodum Iulius ipse indicat in epistola sua, cuius exemplum recitat Athanasius Apologia secunda.

Narrant Ruffinus lib. 1. cap. 18 & 19, & Sozomenus libro 4, capite 10: profugum eius exilij tempore Athanasium toto fuisse orbe, nec in ullo alio abditissimo loco tutò delitescere potuisse: cum ad eum inquirendũ Constantius Tribunos, præpositos, comites & exercitus totos misisset, præmijs exploratoribus propositis, si quis uiuum maximè, sin id minus, caput certè eius attulisset. Latuisse cum igitur Athanasium in puteo aquam non habente, in quo solem nunquam aspice re posset, sex continuis annis: indicatum uero tandem ab ancilla, muneribus ab explora toribus illecta: Dominiq; spiritu admonitũ latebras mutasse. Inde cum tuti sibi nihil in Constantij regno esse expertus esset, in partes Constantis in Occidentẽ secessisse: à quo honorificè susceptus sit. Addit Theodoretus libro secundo, capite quarto, eum multis tũ lachrymis, de iniurijs & calumnijs Arianorũ, ac bello impiè ab illa factione contra fidẽ Apostolicam suscepto, cõquestũ fuisse. ac subinde pio Imperatori patris pietatem in cogenda synodo, & confirmandis illis quę à patribus fuissent constituta, in mentẽ reuocasse: obtestatũ etiã esse suspirijs multis ac lachrymis, ut paternæ pietatis ac religionis æmulus, Ecclesiæ negotium susciperet. Ita igitur Constantem permotum, ad fratrem scripsisse, qui synodum uniuersalem tam Orientalium quàm Occidentalium episcoporum Sardicæ continuò indixerit: ad quã & Athanasius uenerit, atq; innocentiam suam omnibus testatam fecerit, & in communionem receptus sit. Theodoretus lib. 2, cap. 8. Iulius Romanus in epistola sua apud Athanasium, Apologia secunda.

Cum uerò necdum Constantius Arianis gratificatus adduci facilè posset, ut Athanasium innocentem declaratum restitueret: Constans minitabundus scripsit, occupaturum se, nisi ab eo Athanasius restitueretur, Alexandriam, Athanasiumq; ouibus pastorem suum anxiè desiderãtibus redditurum. Theodoretus ibidem. Sozom. lib. 3, cap. 20 ait, Constantem bellum apertè Constantio, nisi redeundi Athanasio ad suos potestatem liberam faceret, denunciasse. Quanquã autoritate episcoporum trecentorum quadraginta quatuor, qui pro Athanasio cùm antè, tũ in ipsa synodo subscripserant, adductũ Constantium, se reuocasse, scribit Athanasius ipse in Apologia secunda.

Literæ Constantis ad Constantium fratrem.

¶ Sunt hic apud me Athanasius & Paulus. Audiendo cognoui, quòd pietatis sint gratia profligati. Itaque si promiseris, quòd suas illis uelis restituere sedes, & rependere illis qui eos præter rationem adobruerunt, mittam uiros ad te. Si uerò ista ad hunc modum facere renueris, scias quòd ego ipse illò uenturus, & eis te quoque inuito sedes suas sum redditurus.

Constantius igitur re communicatà cum Orientalibus episcopis, qui restitutionem potius Athanasij admittendam, quàm bellũ intestinum cum fratre suscipiendum, in medium consulebant: Athanasiũ per literas ad se uocat, ac cum honore Alexandriam remittit. Literarum exempla recitat Athanasius Apologia secunda: & Socrates lib. 2, capite uigesimotertio.

Epistola prima Constantij ad Athanasium.

¶ Constantius, Victor, Augustus, Athanasio. Diu te iactari, uexariq; immanibus undarum procellis, nostræ clementiæ humanitas non permisit: nudatũ siquidem paternis penatibus, bonisq; suis spoliatũ, & in auijs feralibusq; locis errabundũ, nostra indefatigabilis pietas nõ deseruit. Nã tametsi iampridẽ supersedi mentis meæ propositum ad te scribere, eo quòd te ultro aduenturũ expectarẽ, & postulaturum malorũ tuorũ remedium: tamen quia fortasse uoluntatẽ propositi tui metus impediuit, ideo literas munificentiæ nostræ plenissimas ad tuam constantiã misimus, ut securiter cõspectui nostro quàm primùm tuam præsentiam offeras, ut uoti particeps, nostramq; humanitatẽ expertus, tuis restituaris. hac enim de causa Dominum meum & fratrem Constantem Victorem Augustum, pro te adhortationibus conueni, ut tibi ueniendi facultatem daret, quo utriusq; nutu patriæ restituaris, & hoc pro pignore nostræ gratiæ habeas.

Epistola secunda.

¶ Etsi superioribus literis significauimus, ut securiter ad nostrũ comitatum accederes, eo quòd maximè cupiamus te ad tuos remittere: tamen etiam nunc has literas ad tuã solliditatem misimus, quibus adhortamur, ut sine omni diffidentia aut metu, publica uehicula inscendas, & properes ad nos, ut quæ concupiscis, assequâre.

Epistola tertia.

¶ Cum Edessæ commoraremur, præsentibus tuis presbyteris, placuit, ut misso ad te presbytero, festinares ad nostrũ comitatũ uenire: ut ubi nostrum uidisses conspectum, statim in Alexãdriã transires. Sed quia plurimã temporis intercesit, ex quo literis nostris acceptis nõ uenisti: ideo te nũc denuò admonitũ uolumus, ut uel nunc saltẽ quàm celerrimè ad nos te conferas, quò & tu ita patriæ tuæ restituaris, & nos tuis precibus frui possimus. Ad plenioreẽ aũt cognitionẽ, Achitan diaconum ad te misimus: ex quo discere licebit & mentis nostræ uoluntatem, & te assequi posse ea quæ uotis optas.

Tertiam hanc epistolam cùm Aquileiæ, ubi tũ egerat, Athanasius accepisset, Romã, prius quàm in Orientem proficisceretur, se contulit: ibiq; à Iulio literis gratulatorijs ad plebem Alexandrinam acceptis, in Orientẽ ad Imperatorem abijt, à quo amicè susceptus Constantinopoli, cum literis Alexandriam missus est. Socrates lib. 2, capite uigesimotertio: Athanasius apologia secunda.

Exemplum epistolarum Constantij pro Athanasio.

Victor Constantius Maximus Augustus, Episcopis & presbyteris catholicæ Ecclesiæ.

¶ Non est derelictus à Dei gratia reuerendissimus Athanasius, tametsi ad breue temporis humanæ probationi subiectus fuerit. Iustum enim debitumq; iam ab omnia ferente & sustinente Prouidentia calculum retulit, eo quòd & uoluntate Optimi, & iudicio nostro patriam et Ecclesiam, quã antea diuino nutu possedit, recipiat: ad quem congruentia etiam à nostra humanitate perferri oportet, adeò ut omnia quæ antea cõtra eos qui cum eo communionem celebrarunt, decreta fuêre, obliuioni tradi uelim, omnisq; deinceps suspicio contrà aboleatur: et immunitas, quã olim habuêre ipsius clerici, firma illis & rata (prout decet) conseruetur. Quin & hoc quoq; eius gratiæ adijci æquum arbitrati sumus, ut apud uniuersos sacri ordinis uiros promulgetur, cunctis qui Athanasio adhæsêre, datam esse securitatem, siue episcopi siue clerici sint. Abundè enim argumenti est, unumquemq; eorum probi animi esse, uel eo solo, quòd Athanasio consocianti fuêre. Quicunq; enim meliori & iudicio & factione huius communionem elegerũt, hos omnes iusimus ad exemplar superioris Prouidentiæ, & secundum nostram uoluntatem, ut gratia ab optimo Deo tributa securiter perfruantur. Deus uos seruet.

EPISTOLA SECVNDA.

Victor Constantius Maximus Augustus, populo Alexandriæ catholicæ Ecclesiæ.

¶ Cum ante oculos habeamus uestram in omnibus disciplinam, & nequaquã inscij simus, uos iampridem episcopali prouidentia destitutos, decreuimus Athanasiũ episcopũ, uirũ apud omnes rectitudine morumq; ꝓbitate clarũ, ad uos remittere. Hũc igitur, si lubenter & decenter receperitis, eumq; uestris precibus opitulatoreẽ adhibueritis, concordiã & uobis decorã, & nobis gratissimã simul, & pacẽ perpetuam Ecclesiæ legem, conseruabitis. Absurdum enim, discordiam aut seditionem inter uos agitari, & alienum hoc ipsum est à nostrorum temporum integritate. Volumus igitur & hoc uitium procul sus à uobis abesse: & uos in uestris precibus perpetim illo, ut dixi, ꝓside & opitulatore apud Deũ uti, & in eo studio solito more ꝓsequerare, ut tali ꝓposito, uestro omniũ ore celebrato, gentiles, q etiãnũ idolorũ erroribus inhęrent, ad sacrę religionis cognitionẽ ꝓmptissimè decurrant. Quapropter denuò uos admonemꝰ, ut superiorib. dictis acquiescentes, episcopũ suffragio Optimi, & nostra uoluntate huc remissũ, libẽter suscipiatis: eũq; ab animis sententijsq; uestris indiuulsibilẽ puteris.

putetis.id enim uos decet, & noſtræ mansuetudini congruum eſt. Ad omnem ſiquidem conturbationis & ſeditionis materiam extirpandã,qua cupidi malorum libenter utuntur,noſtris apud uos iudicib. per literas iniunximus,ut quotquot ſeditioſos inuenirint,pœnis ſupplicijsq; legũ coërceant. Omnia igitur iſta præ oculis habentes, & noſtrã cum optimo Deo coniunctam ſententiã,cuiamq; ueſtrã ſimul & concordiæ, pœnamq; in immodeſtos conſtitutam, congrua decentiaq; ſacræ religionis legibus ſeruantes,prędictũ Athanaſium cum omni reuerentia & honore colite:ueſtrasq; preces cũ eo, & pro ueſtra & pro cuiuſq; uitæ ſanctitate, ad omnium parentem Deum offerte.

EPISTOLA TERTIA.

Victor Conſtantius Auguſtus Neſtorio, & eadem forma Auguſtamnicæ Thebaidis & Aphricæ præfectis.

¶Si quid unquã ad noxã cõtumeliam'ue eorũ qui Athanaſio communicauerunt, decretum inuenitur, id omnino deleri uolumus. Nam & officium quod antea habuerunt eius clerici, iterum eoſdem habere uolumus. Hoc enim decretum obſeruari iubemus,ut reſtituto Athanaſio ſuę Eccleſiæ, cõmunicatores illius idem habeant officium, quod antea poſſederunt: quo & ipſi ſe gaudeant prorſus reſtitutos eſſe.

Scribit prętera Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes, Conſtantium dato iuramento ſibi pollicitum fuiſſe,ſe nullas in eum deinceps calumnias admiſſurũ eſſe. Sed quanti tum iuramenti religionem, tum Athanaſium,adde etiam pietatem fecerit,ſequens narratio declarabit.

Athanaſius igitur hoc modo ex Imperatoris mandato Alexandriam deducitur: & per Syriam tranſiens,epiſcopos eius regionis ſimul & Palæſtinę cõuenit.qui ſynodo coacta Hieroſolymis, cum ſuis eum recipiunt:ac literas initæ cum Athanaſio ſocietatis teſtes, ad Eccleſiam Alexandrinam atq; epiſcopos Africæ & Aegypti mittunt, quarum exemplum recitat Athanaſius in Apologia ſecunda. Ita reuerſus Alexandriam Athanaſius, à populo ingenti cum gaudio, & publica quadam feſtiuitate exceptus eſt,ac ueluti triumpho quodam: in cuius deſcriptione longus eſt Nazianzenus, in oratione funebri in Athanaſium. Facta eſt autem hæc Athanaſij reſtitutio,anno (iuxta Hieronymũ) impeſij Conſtantij octauo,Chriſti uerò trecenteſimo quadrageſimo octauo.

Obtinuit tum Eccleſiam ſuã Athanaſius per quinquennium,ut uidetur, ad mortem uſq; Cõſtantis: qui à Magnentio tyráno interfectus eſt anno Imperij ſui decimotertio, Chriſti trecenteſimo quinquageſimotertio. Cuius morte Conſtantius audacior factus, omnia quæ prius de Athanaſio & orthodoxis ſtatuerat, reuocauit, atque animũ & ſententiam ſuam omnem mutauit:quemadmodum in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes Athanaſius indicat. Acceſſerunt Euſebiani improbi magiſtri, ad peſsimam applicantes, æſtuantem impietate Imperatoris animum, partẽ. Ab illis enim exacerbatus, nec iuriſiurandi ſui,nec literarum memor,Athanaſium nõ exigi modò Alexandria, uerumetiã iugulari præcepit:ac multos epiſcopos,quòd cõtra eũ ſubſcribere noluiſſent,in exilium eiecit. Quin & ipſe accuſatorẽ ſe eſſe Athanaſij publicè pronunciauit, ac in eũ moliri cõceſſit, quicquid Arianorũ cuiq; peſsimo libuiſſet. Et Senatui populoq; Alexãdrino ſcripſit iuuentutẽ ſolicitans,ut omnes ſimul in unũ coacti, Athanaſiũ perſequerentur, aut ſcirẽt ipſos ſibi infeſtos haberi. Mox Alexandriam Heraclium Comitẽ miſit, qui ueritus nõ eſt publicè & magna uoce dicere, Imperatorem mandare,ut Athanaſius repudiaretur, & Arianis Eccleſiæ redderentur. Secuta nõ multo pòſt impreſsio eſt in templũ,in quo muli erculæ precibus uacantes,lapidibus & fuſtibus cæſę:ſacræ uerò uirgines, poſt contumelias & illuſiones, pedibus calcatæ ſunt. A' qua atrocitate nihil poſtea diuerſum fecit, imò & atrociora cõmiſit, monſtrũ illud (ut Nazianzenus ait) Cappadocenſe Georgius, in Athanaſij locũ tyránicè ab Imperatore & Arianis ſubſtitutus. Athanaſius in apologia de fuga ſua, & in epiſtola ad ſolitariã uitam agentes: Theodoretus libro ſecundo, capite decimotertio. Reſpexit ad eam Athanaſij & Eccleſiæ perſecutionem Hilarius contra Conſtantium, ubi:Breuius, inquit, aduerſum Perſam, quàm aduerſum Alexandriam certatum eſt. Mutati præfecti, electi duces, corrupti populi, conuocatæ legiones, ne ab Athanaſio Chriſtus prædicaretur.

Pulſus igitur ab Eccleſia ſua Athanaſius tum iterũ eſt,anno quarto (ut Socrat.refert lib.ſecundo, capite uigeſimoſexto) poſt ſynodũ Sardicenſem. Exulaſſe aũt decennium integrum uidetur, uſq; ad Iuliani imperiũ: ſub quo reuocatus Alexãdriam redijt, anno Domini trecenteſimo ſexageſimoquinto, ſecundum Hieronymum. Sozom.lib.5,cap.6, per id tempus Alexandriæ apud ſacrã quandam uirginem delituiſſe Athanaſiũ retulit: nunciata igitur Cõſtantij morte, in templo Alexandriæ noctu ſubitò ac pręter omnium expectationẽ cõparuiſſe, & magno gaudio receptum eſſe. Quod etiam poſtea Iulianus, cum egredi eum Alexandria iuſsiſſet, criminis nomine obiecit:ut qui à ſuperioribus Imperatoribus exilio damnatus, ſine permiſſu, ſedẽ ſuã recepiſſet. Sozom.lib.eodẽ,cap.15.

Siue igitur reuocatus Athanasius à Iuliano, Alexandriã, siue per se redijt. Non multo pòst, urgentibus magis, philosophis, aruspicibus, auguribusq;, ac clamitantibus nihil suis artibus successurum, nisi prius Athanasius, uelut obstaculum istorum omnium quæ conarentur, sublatus esset, non pelli solùm, sed & tolli penitus à Iuliano iussus est. Cum naui iam discessurus Alexandria, mœsto & flenti sese circumstanti populo dixit: Nolite ô filij conturbari, quia nubecula est, & citò pertransit: breue, sine dubio, Iuliani imperium futurum augurans. Interea ipse naui per Nilum (Thebaidem enim regionem petere constituerat) iter ingreditur. Comes uerò ab Imperatore in hoc missus, ut naui eum insequeretur, cognito itinere Athanasij, instanter eum sequitur. Certior igitur fit, appellens ad quendam locum Athanasius, insequi se ac propè adesse percussorem suum. Terrétur socij à quibus deducebatur, & ad fugam celeriter in eremum arripiendã hortantur. Quibus Athanasius: Quid turbamini, inquit, filij? Quin in occursum eamus percussori nostro, ut intelligat, quia longè maior est qui nos defendit, quàm qui persequitur. Ita conuersa nauicula, obuiam redit sese insequenti Comiti. Qui cum nihil minus suspicaretur, quàm Athanasij esse, in conspectum obuiam sibi procedentem nauiculam: nec tam stultum fore Athanasium, ut cum periculo obuium sese illi offerret, à quo ad pœnas quæreretur: eos qui in Athanasij naui erant, tanquam prætereuntes fortè interrogari iubet, an ne audissent ubi esset Athanasius? Respondent illi: Modò se uidisse eum nõ longè euntẽ. Insequitur igitur celerrimo illo itinere, sed frustra. Athanasi⁹ enim itinere retrogrado Alexandriam Dei munitus præsidio salu⁹ redit, ibiq; tutò delitescit, donec finẽ persecutio, Iuliano è medio sublato, accepit. Ruffinus lib. primo, cap. trigesimotertio & trigesimoquarto: Socrates libro tertio, capite decimotertio, decimoquarto: Sozomenus lib. 4. cap. 5. 10. & 15.

Posteaquam uerò etiam Iulianus impietatis suæ pœnas dedisset, & in regnum Iouinianus successisset, anno Domini trecentesimo sexagesimoseptimo: Athanasius honorificis & officiosissimis literis requisitus ab optimo Imperatore est. Is enim admiratus pietatem, uirtutem, prudentiam, & uitæ integritatem eius, in magno eum habuit precio. Quanquã neq; tum obtrectatorib. Athanasius caruit. Lucius etiam Euzoianorũ quidam presbyter, studioſè eum apud Imperatorem detulit, quasi perpetuò accusatum, & ab Imperatoribus præcedẽtibus exilijs cõdemnatum: sed quẽ Iouinianus à se iratus, ut sũsurronem, & laudandæ pietatis Athanasij obtrectatorem, à se repulit. Ruffinus libro secundo, cap. primo: Sozomenus libro sexto, capite quinto.

Athanasium uerò de fidei ratione, & Ecclesijs instituendis consuluit. Et habetur inter Athanasij scripta, ad Imperatorem eum missa de fide epistola. Cuius rei etiã Nazianzenus, & Epiphanius libri secundi tomo secundo, hæresi sexagesimaoctaua, meminerunt. Socrates libro secundo, capite primo: Theodoretus libro quarto, capite secundo: Sozomenus lib. sexto, capite quinto ait, Athanasium ab Imperatore accersitum, coràm de religionis causa Antiochię quædam conferre. Ac fuisset sanè periculis suis omnibus & miserijs tum perfunctus Athanasius, habuisset bene & Ecclesia uniuersa: nisi saluberrimum principem uix ostensum, Deus tam celeriter è medio uocasset. Post octo etenim Imperij sui menses, diẽ in Cilicia obijt. Cui successores lecti Valẽtinianus & Valẽs sunt. Valens uerò Arianorũ parti fauens, cum Episcopos plurimos grauiter adfligeret, in Athanasium tamẽ, uelut diuina quadam prohibitus uirtute, nihil ausus est committere. Arq; ita factum est, ut metu multitudinis Athanasio adhærentis, nõ Alexandrinę solum Ecclesiæ, sed & toti Ægypto pepercerit. Nisi quòd turbas alicubi in Athanasij perniciem dederunt præfecti: quorum edictum Athanasius metuens, ne ex eo uulgus turbas moueret, ultro se abscondit, ac totos quatuor menses in paterno latuit monumento. Seditione autem populi nihilominus cõcitata, literas Valens proponi iussit, ut Ecclesias Athanasius intrepidus retineret. Socrates libro quarto, capite decimotertio: Sozomenus lib. sexto, cap. duodecimo. Nec multo pòst Athanasius uita sua defunctus tandem est, post multiplicia illa pro Ecclesia, & uaria certamina, quorum similia episcoporũ aut doctorũ Ecclesiæ neminem sustinuisse unquã legimus, consulatu Gratiani secundo, & Probi, anno Domini (iuxta Hieronymũ) trecẽtesimo septuagesimoseptimo, placidissima morte, & in bona (ut Naziãzenus ait) senectute: cum episcopatũ Alexandrinũ pace belloq; gessisset annis quadraginta sex. Socrates lib. quarto, cap. uigesimo: Sozomenus lib. sexto, cap. decimonono. Nunc testimonia aliorũ, quæ pietatis ac omniũ uirtutũ laudes Athanasio tribuere nõ dubitarũt, ad finem subijcimus.

In epistola ad populum Alexandrinum, quam Apologia secunda Athanasius recitat, Constantinus eum nominat uirũ Dei. Constantinus iunior in epistola ad eandem Alexandrinã ecclesiã, uocat eum adorandę legis interpretẽ: apud eundẽ Apologia eadem. Nazianzenus in oratione super funere Athanasij, Tubã eũ ingentẽ appellat Ecclesię: ubi et,

Athana-

Athanasium laudare (inquit) uirtutē ipsam laudare est. Et ibidem ait, eum Ecclesiā tanquam columnam sustentasse. Et: Purgauit, inquit, Athanasius templū Dei à cauponantibus Deum, & uendentib. Christum. Quod uerò dissidebat tam inter se, quàm cum semetipso cōciliauit, suscitauitq; uerbū quod ceciderat. Rursus in oratione ad Heronem philosophum, uocat eum orbis oculū, sacerdotum archisacerdotē, doctorem certaminū, uocem magnam, fidei sustentaculū, secundū Christi lampadē & præcursorē. Ab Epiphanio libri secundi tomo secundo, hæresi sexagesimaoctaua, Pater dicitur rectæ fidei. A Theodoreto lib. primo, capite octauo, propugnaculum ueritatis. Basilius in epistola quadragesimaoctaua, ad Athanasium ipsum, uocat eum prudentē, acutum, uenerabilem, in uniuerso Occidente patrem colendissimū. Et in epistola quinquagesimaprima ad eundem, nominat eum honestū, grauem, Ecclesiasticarum infirmitatū à Domino medicum constitutum, & patrem spiritualem.

DE THEOPHILO ALEXANDRINO.

SVb Theodosio, ut uidetur, episcopatum Alexandrinum sortitus est Theophilus, tertius ab Alexandro, ut Ruffinus indicat libro secūdo, capite uigesimoprimo: & Theodoretus libro quinto, capite uigesimosecundo: qui pontificem eum sapientissimum, & uirum magna intelligentia, animiq; robore præditum fuisse scripsit. Ac habētur quidem ipsius historia quædam, quæ pietatem in eo egregiam & zelum fuisse perspicuè testantur. Hieronymus & humilitatem ac modestiam ei tribuit natura insitam, in Apologia aduersus Ruffinum: ubi & hominem eum Deiuocat, & à pueritia sacris eum literis eruditum scribit. Sed sunt tamen non pauca, quæ uirtutes, quæcunq; in eo eximiæ fuêre, non parum obscurant, sicut in progressu orationis ostendemus. Vehemens enim supra omnem fuit moderationem, & implacabilis iræ, odijq; tenacissimus, ambitiosus, alienarum uirtutum obtrectator, inuidus & hostis, inconstans, & interdū temerariè mendax, assentator astutus, contentiosus, turbis & seditionibus gaudens: audax, auarus, & pecunijs cumulandis nimium intētus. Quibus uitijs omnium in se propemodum hominum odia & maleuolentiam conuertit. Hæc enim de eo tradidit Socrates libro sexto, capite quinto & septimo: si tamen ea uera sunt. Quamdiu autem episcopatu functus est, ius & locum metropolitani, atque integram episcoporum Alexandrinorum autoritatem obtinuit. Nam & Ioannem Constantinopolitanum, quanquam inuitus, & metu periculi adductus, ut qui citra omnem rationem uirtuti se eius hostem profiteretur, ordinauit: & rationem obseruandi Paschatis, Ecclesijs per Ægyptum quotannis indicare solitus est, uetusto quodam metropolitanorum Alexandrinorum iure. Extant hodie eius argumēti libri tres, Paschatis inchoati, ut Contractus indicat, ab anno Christi trecentesimo & octuagesimo, quos Hieronymus in latinum cōuertit. Erasmus tamen in argumento præmisso epistolæ Hieronymi, & in argumento epistolæ eiusdem ad Præsidium, putat uersionem eam Hieronymi hodie non extare. Sed iudicium de illis Theophili libris, ipsius Hieronymi adscribimus.

Hieronymus Theophilo Alexandrino.

¶ Ex eo tempore quo beatitudinis tuę accepi epistolas, iuncto Paschali libro, usque in præsentem diem ita & mœrore luctus, & sollicitudine, ac diuersis super statu Ecclesiæ hinc inde rumoribus exagitatus sum, ut uix uolumen tuum potuerim in Latinum sermonem uertere. Optimè enim nosti, iuxta ueterem sententiā, non esse tristem eloquentiam, maximè si ad ægritudinem animi accedat corporis ægritudo. Et hanc ipsam epistolam febre æstuans, & quintum iam diem decumbens lectulo, nimia festinatione dictaui: breuiter indicans beatitudini tuæ, magnum me laborem sustinuisse in translatione eius, ut omnes sententias pari uenustate transferrem, & Græcæ eloquentię Latinum aliqua ex parte responderet eloquium. In principio philosopharis, & generaliter agēs, dum omnes erudis, unum iugulas. In reliquis autem, quod difficillimum est, Rhetoricæ eloquentiæ iungis philosophos, & Demosthenem atque Platonem nobis consocias. O quanta dicuntur in luxuriam, quantis præconijs extollitur continentia, & de intimis sapientiæ disciplinis diei ac noctis, lunæ cursus ac solis ratio, mundi istius natura describitur. Et hanc ipsam disputationem ad scripturarum refers authoritatem, ne in Paschali libro uidereris de secularibus quicquam fontibus mutuatus. Quid plura? In ijs laudare te uereor, ne assentandi crimen incurram. Optimus liber est, & in philosophis, & agens susceptam causam absque inuidia personarum. Vnde, obsecro te, ignoscas tarditati etiam meæ. Ita enim sanctæ & uenerabilis Paulæ confectus sum dormitione, ut absque translatione huius libri usque in præsentiarum nihil aliud diuini operis scripserim. Perdidimus enim, ut ipse nosti, repentè solatium: quod, ut conscientię nostrę testimonio est Dominus, non ad proprias ducimus necessitates, sed ad sanctorum refrigeria, quibus illa sollicitè seruiebat. Sancta & uenerabilis te filia tua Eustochium, quæ nullam pro matris absentia reci

pit consolationē, te uniuersa fraternitas suppliciter salutat. Libros quos dudum te scripsisse nunciasti, uel legendos nobis, uel uertendos transmitte. Vale in Christo.

Videtur Hieronymus & de alia quadam Theophili epistola Paschali à se trãslata, hæc scripsisse ad Pammachiũ & Marcellam: Accipite Græcam et Latinam epistolam, in qua laborasse me fateor, ut uerborũ elegantiam pari interpretationis uenustate seruarem: & intra definitas lineas currens, nec in quoquã excedens loco, eloquentiæ eius fluenta non perderem, easdemque res eodem sermone transferrem. Quam sciatis in quatuor partes esse diuisam. In prima credentes hortatur ad Dominicum pascha celebrandum: In secundo & tertio loco, Apollinarium & Originem iugulat: In quarto hæreticos ad pœnitentiam cohortatur. Porrò contra Apollinarium succincta fides & pura professio non caret subtilitate dialectica, quæ aduersarium suum, extorto de manibus eius pugione confodit.

Habetur & inter Hieronymi epistolas una Theophili ad Epiphanium, ut in Cypri ecclesijs Origenis libros condemnet: & una atque altera ad Hieronymum. Meminit & epistolæ Theophili ad Anastasium papam Romanum Hieronymus, in epistola quadam ad eundem. Et rursus aliarum epistolarum, in quibus errores Origenis exponantur, in Apologia aduersus Ruffinum: ubi & Synodicam quandam epistolam Theophili, sicut & Paschalem, Latinè se interpretatum testatur. Gennadius inter Theophili scripta uolumen recensetingens contra Origenem, in quo omnia Otigenis dicta, atq; ipsum etiam adeò damnari scripsit. Librũ item aduersus Anthropomorphitas. Rursus tres à se libros de fide, sub Theophili nomine lectos affirmat, sed qui à dictione Theophili uideãtur esse alieni. Sermonis genere gran diusculo usus est, & doctrina satis exculto. Sic enim eruditis rationibus Origenis errores confutauit.

De doctrinæ porrò aliquot partibus satis sentit ac loquitur rectè. In summa autem, scripturæ authoritatem omnibus alijs præferendã esse, sensisse omnino uidetur: quòd eius testimonijs in omnibus quæ seu docet, seu asserit, seu confutat, reuerẽtissimè utitur.

Deum deinde docet incorporeũ esse, contra monachorum Ægyptiorum de Dei forma humanæ simili errores: quemadmodum Socrates ostendit lib. sexto: capite septimo. Item, Deum esse infinitũ, ac maiorem ijs quę fabricatus sit, ait libro primo Paschali.

De Christo sentit, quòd uerus sit Deus, eiusdemq; cum patre substantiæ: uerus item ac perfectus homo, corpore constans & anima: libro primo & secundo. Eius quoque animam descendisse ad inferos, & non corpus: libro primo. Ac regnum Christi æternum esse: libro secundo. Citat testimonium eius de Christo synodus Chalcedonensis, ex quinta epistola Paschali in hunc modum: Non sint increduli, quoniam uirtus Dei potens est facere uirginẽ párere, in qua factum est uiuens Dei uerbum, ut nobis fieret similis. Aliter enim nobiscum colloqui eum propinquius impossibile fuit, ut non ex uoluntate & semine, sicut in alijs habetur hominibus, susciperet corpus, quod in similitudinẽ huius accepit ex uirgine genitus homo, apparens quidem sicut nos secundũ seruilem formam, ex operibns uerò adprobatus: quoniam uniuersorum factor & Dominus est, agens opera Dei. Item: Sicut artifices optimi non in preciosis solum materijs artem ostendentes, mirandi sunt: sed qui ex uili luto & cera solubili sæpe suæ disciplinæ operando demõstrant uirtutem, multo magis sunt laudabiles: ita omnium optimus artifex, uerbum & efficax Dei uerbum, decorans conuenientia ordinis uniuersa, non quasi accepta corporis preciosa materia ad nos peruenit, sed in luto maiestatem suæ artis ostendit, reformans hominẽ qui de limo plasmatus est: ipse ex uirgine non decoris homo procedẽs, modum quidem natiuitatis immutans, per omnia uerò nostram secundum nos, absque peccato, similitudinem non iudicans fugiendam, nascens pannis inuolutus est, nutritus est infans, in præsepio positus, naturę nostrę infirmitatem propter præcedẽtes causas excipiens. Sed dum adhuc infans esset, simul & inimicum & eius cuneum conturbauit, magos attrahens ad pœnitentiam, & imperans eis contẽnere regem, à quo fuerãt destinati.

Rectè & de Spiritu sancto, quòd sit Deus uerus cum patre & filio, eoq; omnia continuerit: libro primo.

De creatione rectè illud sensit, Deum omnium conditorem esse.

De angelis ait initio libri secundi, habere eos metropolim liberam, quæ nulla malitiæ sorde maculetur, & in qua nec dissensiones sint, nec ruinę, nec transmigrationes, nec uoluptates, nec luxuriæ fluctus. Item: Conditos à Deo eorum esse ordines, quos non meruerint bonis suis operibus.

De dæmonibus item, quòd in æternum damnati, Christi beneficio non sint redempti: libro secundo.

Sentit & de hominis lapsu, propria nimirũ uoluntate eum se à Deo auertisse: lib. secũdo.

De lege, quòd eius recordatio peccata non sinat generari: libro tertio. ubi, Vt peccata, inquit, germinãt negligẽtia, ita solicitudo uirtutes parit. Lex custodita fugat ignominiã, neglecta

neglecta parturit pœnas. Et medicina est præteritorum ac præsentium futurorumq; uitiorum, legis indefessa meditatio.

De Baptismo, quòd aqua in eo mystica ad eluentum Spiritus sancti consecretur: libro primo.

De cœna Domini, quòd corpus & sanguinem Christi in eo sumamus, in nostri sanctificationem: libro primo.

Resurrectionem etiam mortuorum futuram ait incorruptibilem: libro tertio.

De uita æterna, quòd in ea socios angelos mysteriorũ Dei habituri simus, quodq; nullæ fraudes aut deceptiones ibi futuræ sint: sed omnium, quacunq; in hac uita ætate aut uirtute fuerint, exæquatio & perfectio eadem: libro tertio.

Præterquam autem quòd de Euangelio, de fide, de iustificatione nihil habet memorabile, legas etiam in eo autore, quæ te offendant: ut quòd noua obediẽtia ait expiari peccata, libro tertio. Vbi & carnis esum & uini potũ in quadragesima & ieiunijs præcipit, ex argumento dictorum scripturæ & Christi: ut, Attendite ne grauentur corpora uestra crapula & ebrietate. &, Vinum & siceram non bibet. Item, Affligetis animas uestras, &c.

Inter certamina quæ gesit, laudatissima illa sunt, quæ in euertendis templis idolorũ suscepit. Multa enim aliàs mouit non necessaria, atq; odio magis & æmulatione, quàm pietate aut zelo, ut postea indicabimus.

Cum edictum à Theodosio de euertendis gentilium fanis impetrasset, ipse magno atque alacri studio in eo totus fuit, ut non templa solum, sed & mysteria paganorum ludibrijs & ignominiæ palàm exponeret: usus ad id opera & defensione præfecti Alexandrini, quem Euagriũ Sozomenus appellat. Bacchi templum ab Imperatore dono accepit, in ædem Christianorum commutauit. Statuas uerò in ollas aliasq; res Ecclesiæ Alexandrinæ necessarias, & ad sumptus pauperum conuertit: una saltem Dei cuiusdam ethnici statua integra ad posteritatem conseruata, ne temporis progressu eiusmodi se Deos adorasse & coluisse gentes negare possent. Destruxit & celeberrimum ac uetustum Serapidis templum, & caput idoli suscisum per urbem circumferri iussit, ostentatis publicè quæcunq; in eo templo ridicula deprehendisset. Narrat & Theodoretus libro quinto, capite uigesimosecundo, eum impostoras & fallacias sacerdotum mirabiles derexisse, & cõspiciendas omnibus præbuisse, æreas scilicet aut ligneas excauatas statuas, parietibus ita adfixas, ut retro accedentes sacerdotes sonare per illas & prolo- qui quæcunq; uellent possent. Repurgauit & prophanissimum mysteriorum gentiliũ locum, quem Mithron ipsi uocabãt, & in eo inuentas humanarum uictimarũ aliarumq; rerum turpissimarum reliquias, uidendas publicè exhibuit: & priapos per medium forum gestari cum risu & ludibrijs curauit, non sine magno periculo, cæde, & uulneribus Christianorum, cum monstra sua & turpitudines ostentari ethnici indignè ferrent, & ad arma concurrerent. Narrant Ruffinus libro secundo, capite uigesimosecundo, uigesimotertio, uigesimoquarto: Socrates libro quinto, capite decimosexto: Theodoretus libro quinto, capite uigesimosecundo: & Sozomenus libro septimo, capite decimoquinto.

Contra Iudæos grauissimè ait, in initio libri secundi paschalis: Beatitudine se indignos fecêre Iudæi, qui scripturæ sanctæ opibus derelictis, & paupertati intelligẽtiæ acquiescentes, magis usq; hodie audiunt, Sem per errant corde: & nolunt præsente Christo dicere, Benedictus qui uenit in nomine Domini, præsertim cum omni uoce opera clariora Deum illum esse testentur.

Origenis libros quamobrem tam pertinaciter abiecerit & damnauerit (quod in eo studium miris uehunt laudibus Epiphanius & Hieronymus) pronũciare difficile est. Nam quomodo ad id eũ impulerint monachi Anthropomorphitæ, postea dicemus. Socrates odio id eum Isidori, quem amicissimum tamen olim habuerat: Dioscori monachi, quẽ alioqui ut amicũ reuerenter coluerat: & Ioannis Constantinopolitani, cui manus imposuerat, feciſſe testatur. Libros tamẽ Origenis, utut damnarat, legere ipse non uerebatur. & interrogatus (quemadmodũ Socrates retulit lib. 6, cap. 17) cur quæ prius reiecisset, cognosceret & cõplecteretur, respondit: Origenis libros prato uirẽti & omnis generis floribus ornato similes esse, ex quibus, quod ut bonũ arrideret excerperet, inutile uerò & spinosum trãsiliret. Multo certè negocio hęc illi Origenis damnatio, quacunq; de causa ab eo suscepta, cõstitit. Quin & alijs negociũ facesit, ut Epiphanio, à quo tamẽ antea disidebat: tum uerò ab eo obtinebat, ut in publicis synodis in Cypro Origenem, qui ante annos ducentos uixerat, cõdemnaret. Ac propter eandẽ causam Constantinopolim postea proficisceretur, quò ad synodũ Theophilus solicitauerat omnes per Ægyptum episcopos: ut Nicephorus scribit libro duodecimo, cap. tredecimo. Ipse uerò cũ eò uenisset, à nemine præterquam à nautis frumentarijs exceptus est: ut Socrates narrat libro sexto, cap. 15. Attamen quod Origenistas pluribus in locis repressit, & ad sanitatẽ doctrinæ conuertit, laudabile est. Testatur

ipſe in epiſtola quadam ad Epiphaniũ, quæ inter Hieronymi epiſtolas extat, ſe ab errore Origeniſtarum reuocaſſe omnes monachos Nitrię. Et in quadã rurſus epiſtola ad ipſum Hieronymus teſtatur, repurgaſſe Theophilum ab ea hæreſi Ægyptũ omnem, Syriam & Italiã. Sed ad laudẽ eius parũ uidetur facere, quòd cum Anthropomorphitas ipſe prius grauiſsimè impugnaſſet, poſtea ut odiũ conciliaret, Dioſcoro monacho rectè de Deo ſentienti, nõ eſſe ſcilicet eũ anthropomorphon, quaſi ſui oblitus, oculos Deo, aures, manus ac pedes tribuit: blaſphemos eos appellans, qui contrariũ ſentirent: quoniã de Dei oculis, auribus, manibus pedibusq;, etiã ſcriptura loqueretur. Quo ſophiſmate, dici non poteſt quantũ rixarum & turbarũ inter monachos Ægypti excitarit, quos prius tamẽ inſigni dolo eluſerat. Nam cũ pugnas eius contra anthropomorphitas illi nõ ferentes, Alexandriã monaſterijs deſertis, Theophilũ ut impiũ occiſuri cõueniſſent: ipſe animaduerſo eorũ ſtudio, cum adeſſe cognouiſſet, ultrò eos acceſsit, blandiſsimè cõpellans, perinde ſe ſcilicet eos uidere ceu uultum Dei. Qua ſimulatione cum impetũ eorũ nõnihil repreſſiſſet, illi: Si uerũ eſt, inquiũt, quod dicis, uultum nimirũ Deo ſimilẽ eſſe huic noſtro, Origenis libros condẽna, ex quibus diſceptãtes aliqui ſententiæ noſtræ contradicunt. Ad quod Theophilus, facturũ ſe, quod moneret illi, pollicetur: at odiſſe ſe affirmat cùm eos ipſos libros, tum quicunq; illos probarent. atq; hoc modo à ſe monachos dimittit.

Mouit præter eas, & alias quaſdã pugnas. Sicut de Ioãne Conſtãtinopolitano (à quo tamẽ homo Dei & Apoſtolica ornatus gratia, in Apologia quadã, ut Hieronymus indicat, dicebatur) & Dioſcoro monacho diximus. Quib. nũc etiã Ammoniũ, Euſebium, Euthymiũ Dioſcori fratres addim⁹: quib. omnibus, cũ ingeniũ eius ferre non poſſent, bellũ indixit, ut Socrates indicat lib. 6. cap. 7.

Flauiano Antiocheno epiſcopo quamobrẽ tot annis ſuccẽſuerit, ꝓbabilior fortaſſe cauſa fuit, quòd dato iuramẽto, tamẽ epiſcopatũ Meletianis ita uolentib. ſuſceperat: uti Socrates refert lib. 5, cap. 9, & 15. cui tamẽ poſt annos decem & ſeptem reconciliatus, etiã Damaſum Romanum epiſcopum ei per Iſidorum presbyterum placauit. Sozomenus lib. 5, cap. 23: & lib. 8, cap. 3. Quæ res oſtendit, familiarem eum Damaſo fuiſſe: ſicut & poſtea Anaſtaſio, ad quem ſcripſiſſe eum, Hieronymus indicat. Epiphanium qua occaſione amicum ſibi fecerit, cum prius odiſſet, alibi retulimus. Hieronymo quàm ſit uſus familiariter, epiſtolæ ipſius ad Theophilum, eius deniq; ad Hieronymum, quæ extant, indicant.

Mortuus tandem eſt lethargo, poſt obitũ Arcadij Imperatoris: cũ paulo prius ex uiuis deceſsiſſet Ioannes Conſtantinopolitanus. Annus aũt quo extinct⁹ Theophilus eſt, Honorij nonus, & Theodoſij quintus conſulatus fuit: dies uerò octobris decimuſquintus, anno à Chriſto nato quadringenteſimo decimoquarto: Imperij Honorij & Theodoſij anno quarto, iuxta Proſperi indicationem.

APIS.

PResbyter fuit Alexandrinus, Socrati Alapius dictus: qui unà cum Macario presbytero cauſam Athanaſij egit, & accuſationem Euſebianorũ de tributo ab Athanaſio Aegyptijs impoſito refutauit. Athanaſi⁹ apologia ſecũda: Sozom. lib. 2, cap. uigeſimoſecundo.

LONGVS.

PResbyter eſt Alexãdrinus ſub Athanaſio Longus, innocentię Athanaſij patrocinator: apud Athanaſium apologia ſecunda.

MACARIVS.

PResbyter Alexandrinus fuit Macarius, q cũ Api, de quo dictũ eſt ſuprà, Athanaſij patrocinator ac defenſor fuit, cũ Euſebianis apud Conſtantiũ Nicomedię falſo accuſatus fuiſſet exactionũ, quas in Aegypto exerceret. Quod crimen Athanaſio ab Euſebianis calumnioſe intentatũ cũ refelliſſent atq; Athanaſij innocẽtiã Conſtãtino probaſſent: illi in Macarium eundem, falſa fiducia, fore ut unà cum Athanaſio Macarius deponeretur, criminoſas ſuas accuſationes conuerterunt: ac quoſdam ſubornarunt quaſi in Macareote Macarius altari euerſo, poculũ myſticum confregiſſet, librosq; ſacros exuſiſſet. Quod crimẽ quamuis Mareotici ipſi presbyteri ab eo remouerẽt, nihilq; tale Macariũ cõmiſiſſe teſtarentur: ſynodus etiã Alexandrina, cuius epiſtola inter Athanaſij ſcripta extat, hoc eum facinore ut innocentem liberaret, tamen ab Euſebianis aliquandiu duriſsimè tractatus eſt. Nam & in ſynodum Tyri ferreis uinctus cathenis, militari manu ductus, ibiq; cuſtodiæ incluſus eſt. Vbi tamen nihilominus Athanaſij iuſtam cauſam cum alijs tutatus eſt, innocentiæq; ſuæ teſtimonium dixit. Athanaſius Apologia ſecunda: Socrates lib. 1, cap. 27: Sozom. libro 2, cap. 22: Theodoretus libro ſecundo, cap. octauo, in epiſtola ſynodi Sardicenſis.

NILAS.

PResbyter eſt Alexandrinus Nilas. Athaſius apologia ſecunda.

SERAPION.

NVmeratur inter presbyteros Alexandrinos Serapion (uel, ut alij habent, Sarapion) Athanaſij amicus & defenſor, ab Athanaſio apologia ſecunda. Rurſus eidem presbyter Mareoticus eſt Serapion, Athanaſij de poculo

poculo in Mareote cõfracto excusator: Athanasius apologia secunda.

DIONYSIVS.

DIonysius quispiã inter presbyteros Alexandrinos numeratur ab Athanasio, apologia secunda.

HERACLIDES.

PResbyter est Alexandrinus Heraclides, Athanasio in apologia secunda.

IVSTVS.

NVmeratur inter presbyteros Alexandrinos Iustus à Camatheo, apud Athanasiũ apologia secunda.

MYRSENES.

PResbyter est Athanasij Alexandriæ Myrsenes: Athanasius apologia secunda.

MARCELLINVS.

DIaconus est Athanasij Marcellinus, subscribit presbyterorũ & diaconorũ Athanasij epistolæ cõtra Theogoniũ, Theodorũ, Macedoniũ, Vrsaciũ & Valentẽ, Athanasij accusatores, de suspecta & illegitima exploratione facti Macarij & Athanasij. Athanasius ibidẽ. Marcellinũ siue eundẽ, siue aliũ, Athanasius laudat ob eximiã pietatẽ, Christianã in afflictione tolerantiã, & lectionis ac meditationis sacrarũ literarũ studiũ: in scripto de interpretatione Psalmorum, quod Marcellino ei nuncupauit.

OLYMPIVS.

DIaconus est Alexãdrinus Olympius, eodẽq; nomine alius Mareotic⁹ diaconus, Athanasio apologia secũda, in epistola Ischyræ.

PHASCVS.

PResbyter est Phascus Alexãdrinus, Athanasio apologia secunda.

PAVLVS, PETRVS.

EIdem, ibidẽ, in exemplo epistolę Ischyrę, Paulus & Petr⁹ diaconi sunt Alexãdrini.

RHENVS.

PResbyter est Alexãdrinus Rhenus, Athanasio apologia secunda.

TIMOTHEVS.

ALexãdrinæ Ecclesiæ presbyter fuit Timotheus, laudatæ pietatis & doctrinę homo, orthodoxus, & Athanasij defensor atque patronus, in synodo Tyri sub Cõstantio. Frater fuit, ut Sozom. indicat, Petri, clarissimi illi⁹ episcopi Alexãdriæ, cui in episcopatu successit sub Valẽte. Interfuit Synodo frequenti Cõstantinopolitanæ sub Theodosio, in qua gubernationẽ accepit ecclesiarũ Ægyptiarũ omniũ. Vnũ hoc laudib. tanti uiri detrahere uidetur, quòd seu largitionib, inescatus, seu quomodocunq; persuasus & deceptus, Maximo Cynico philosopho, homini impuro, episcoparũ Cõstãtinopolitanũ cõmisit. Scripsit uitas monachorum probatorũ per Ægyptũ. Mortuus est cõsulatu Arcadij primo, & Bãdonis: id est, anno Christi 389. Ruffin. lib. 1, cap. 17: & lib. 2, cap. 21: Socrates libro 4, cap. 37: & lib. 5, cap. 8, & 12: Sozom. lib. 6, cap. 29: & libro septimo, capite septimo.

AMMON.

PResbyter est Athanasij Ammon, in apologia secunda. Venit cum eodem in synodũ Tyriam, ibidem.

ALEXANDER.

PResbyter Athanasij, eiusdemq; causæ amicus & patronus est Alexander, eidẽ in apologia eadem.

AMENTIVS.

PResbyter est Athanasij, eidem ibidem.

APOLLONIVS, AETHALAS.

SVnt & presbyteri Athanasij Apollonius & Æthalas, Athanasio ibidem. In epistola ad solitariam uitam agentes, significat Apollonium ab Eusebianis profugum factum.

APPIANVS, THEON.

DIaconi sunt Alexandrini, Athanasio amici, Appianus, Theon: apud eundem apologia secunda, in epistola presbyterorum & diaconorum Alexandrinorũ ad Theogniũ, Marem, Macedonium, &c.

ASTERIVS.

ASterium comministrũ suum uocat Athanasius, qui in synodo Alexandrina epistolæ ad Antiochenses subscripsit. Athanasius tomo duodecimo ad Antiochenses: ubi episcopum eum fuisse Petræ Arabeorum indicat, & Asterium Arabem nominat in apologia secũda, significatq; eum cum Macario Palæstino Eusebianam factionem adeò detestatum, ut cum in eius factionis aliquot in itinere ad conuentum Sardicem incidissent, ab ijs deflexerint, ne quid casu etiam cum illis commune habere uiderentur. Indicat idem & in epistola ad solitariam uitam agentes. Interfuit & in eo conuentu Antiochiæ, ad quem Athanasius ex sua synodo scripsit, Asterius quispiam. Athanasius tomo duodecimo ad Antiochenses. Meminit Asterij Scythopolitæ cuiusdam Hieronymus, in epistola ad Magnum oratorem. Eum uerò multis uoluminibus Psalmos interpretatum, scribit in epistola quadam ad Augustinum.

AGATHON. ATHANASIVS.

MEminit Theophilus Alexandrinus in epistola ad Hieronymum, Agathonis, quẽ sanctũ uocat episcopũ: & Athanasij diaconi. quorum utrunq; hæresin Origenistarũ refutasse dicit. Vocat eosdem & zelo fidei feruentes, cõtra eandẽ hęresin, Hieronymus uicissim in epistola ad Theophilum.

CHEREBRVS.

PResbyter est Athanasij Cherebrus. Athanasi⁹ apologia secũda, in epistola Ischyræ.

CAIVS. GAIVS.

IBidem & Caius inter presbyteros Athanasij

sij est. Rursus Caius inter presbyteros Mareoticos est, q̃ p literas ad synodũ Tyri Athanasiũ excusant. Deniq; etiã Gaius ex episcopis senibus est, quos profugos Ariani fecerunt: eidem, in epistola ad solitariã uiam agentes.

DICELLA, DEMETRIVS

PResbyter est Athanasij Dicellas, Demetrius uerò diaconus. Athanasius apologia secunda, in epistola Ischyræ.

AMMONIVS.

APud Athanasiũ apologia secunda, numeratur Ammonius inter presbyteros Alexandrinos. In epistola uerò ad solitariã uitã agentes, numerat eum inter eos qui in clero consenuerunt, & ab Arianis in exilium acti sunt. Quomodo & Socrates libro secundo, cap. uigesimooctauo: & Theodoretus lib. 2, cap. decimoquarto, Aegypti episcopis eum accensent, qui, posteaquam Georgius episcopatum Alexandrinum pulso Athanasio inuasit, Ecclesijs exacti sunt.

APHTHONIVS.

EXillis est presbyteris Aphthoni⁹, quos in exilia ab Eusebianis actos, synodus Sardicensis ut innocentes recepit: Athanasio apologia secunda, in epistola synodica Sardicensi. Numeratur autem paulo pòst in eadem apologia, Aphtonius, inter presbyteros Alexandrinos, Athanasij socios.

DIDYMVS.

DIdymus Alexandrinus fuit: quo in loco quid officij sustinuerit, postea dicemus. Socrates lib. quarto, cap. uigesimoquinto: & Sozomenus lib. tertio, cap. decimoquinto, cæcum eum factum prodiderunt, in pueritia, cum prima Grammatices elementa discens, in oculorum dolorem incidisset: sed quod uitij tum ingenij miraculosa bonitate, acumine, & memoriæ excellenti ui, tum discendi incredibili desiderio & feruore, ipse tamen sibi sarciuit. adeò ut & artes, quæ oculorum adminiculo maximè opus habent, quemadmodum in Catalogo suo uirorum illustrium Hieronymus retulit, Dialecticam nimirum & Geometriam, familiares sibi fecerit, & exactè perdidicerit. Frequentauit aũt sedulò docentiũ auditoria. Et testatur Socrates, tãta eũ cũ assiduitate didicisse, ut & literarũ characteres tabulis insculptas, syllabas itẽ & nomina, post crebrã recitationẽ, digitis immissis obseruare & pronuncia re potuerit. Igitur ingenioſos omnes & acutissimùm uidẽtes, ut Socrates ait, mẽtis scili cet & iudicij acumine tandẽ facilè superauit.

Nicephorus lib. octauo, cap. 5, inter celebres eum doctores sub Diocletiano numera uit. sed Sozomenus sub Constãtino iuniore celebrẽ eũ Ecclesiasticũ fuisse scriptorẽ retulit: q & Alexandrinę scholę prę fuisse eũ, atq; omni doctrinarũ genere excelluisse tradidit.

Scripsit græcè plurima, quorum frequenter in libris suis Hieronymus meminit: ex quibus pauca se transtulisse scripsit in epistola ad Lucinium. In Catalogo, & in epistola ad Augustinum, multis uoluminibus commentatum eum in Psalmos omnes indicat. In proœmio commentariorum in Esaiam, & in Catalogo testatur, eum decem & octo tomis commentatum in Esaiam. In Apologia uerò aduersus Ruffinum, & in proœmio cõmentarij in Hoseam, ait eum tres dictasse explanationum libros in Hoseam, quos ab eo petierit ipse, quo tempore auditor eius fuisset Alexandriæ. Addit ibidem, & in Catalogo retulit, dictasse eum quinq; alios libros in Zachariam. Meminit & commentariorum in Euangelium secundum Matthęũ & Ioannem, in Catalogo. Rursus in epistola ad Augustinum indicat, scriptos ab eo esse commentarios in epistolam Pauli ad Galatas: cuius libri meminit etiam in commentarij sui proœmio in eandem epistolã, ubi Didymum suum uocat uidentem. In apologia item aduersus Ruffinum, ait in epistolã Pauli ad Ephesios quoq; commentatum Didymum. Socrates tres ab eodem dictatos libros de Trinitate tradidit, & commentaria in libros Origenis περὶ ἀρχῶν, quorum & in apologia sua Hieronymus mentionem facit: qui in Catalogo duos etiam libros scriptos ab eo contra Arianos narrat. Et librum de Spiritu sancto, quem à se latinum factum indicat, quiq; solus hodie ex omnibus Didymi huius monumentis reliquus est, atq; inter Hieronymi opera legitur, in fine tomi noni. Meminit idem in apologia, operis cuiusdam Didymi quod ἐξόδιον uocat: & libri de dogmatibus, in Catalogo, quem in libro de spiritu sancto Didymus ipse citat. Deser monis postremò genere & utilitatibus scriptorũ Didymi, hæc in proœmio libri de Spiritu sancto ad Paulinianũ scripsit: Didymus meus, oculum habẽs sponsæ de Cantico canticorum, & illa lumina quæ in candentes segetes sublimari Iesus prę cepit, procul altius intuetur, & antiquum nobis morem reddit, ut uidens uocetur propheta. Certè qui hũc legerit, latinorũ cognoscet furta: & contemnet riuulos, cum cœperit haurire de fontibus. Imperitus est sermone, & non scientia: Apostolicũ uirũ ex ipso sermone exprimes, tam sensuũ nomine q̃ simplicitate uerborũ.

Idem doctrinam Didymi aliquot in locis censet rectã & purã esse, quantũ quidem ad sententiam de Trinitate attinet. Ait enim in apologia sua: Didymus in Trinitate catholicus est. Item: In Didymo & memoriã prædicaturus, & super Trinitate fidei puritatem. Aliquot uerò sanæ doctrinæ sententias ex libris de Spiritu sancto, hoc modo transtulit.

Vt

Vt de sacra scriptura, in initio libri primi de spiritu sancto: Omnib. quæ diuina sunt, cum reuerẽtia & uehemẽti cura oportet intẽdere.

De patre & filio, libro secundo de Spiritu sancto, exponẽs dictum Christi, Omnia quę habet pater mea sunt: Caue putes, inquit, rem aliquam esse & possessionem, quæ à patre habeatur ac filio. Verùm quę habet pater iuxta substantiam, id est æternitatẽ, immutabilitatem, incorruptionem, immutabilẽ bonitatem de se & in se subsistẽtem, hæc eadem habet & filius: & quæcunq; sunt filij, hæc eadem & pater habet.

De patre, filio, & spiritu sancto, in eodem libro: Spiritum sanctum à filio accipere id quod suę naturæ fuerat, cognoscendum est, & non dantem & accipientem, sed unam significare substantiam. Siquidem & filius eadem à patre accipere dicitur, quib. ipse subsistit. Neq; enim quid aliud est filius, exceptis his quę ei dantur à patre: neq; alia substantia est Spiritus sancti, præter id quod datur ei à filio. Propterea aũt ista dicuntur, ut eandem in Trinitate credamus esse naturam spiritus sancti, quæ est patris & filij.

De officio Christi, lib. 2. de Spiritu sancto: Saluator, inquit, mediatoris & legati personam habet, ex qua pontifex deprecatur pro peccatis nostris, saluãs in sempiternum eos qui per ipsum accesserũt ad Deum: quia semper uiuens interpellat pro eis patrem.

De Spiritu sancto, libro primo de spiritu sancto: Spiritus sanctus cõfessione omnium immutabilis est sanctificator, scientiæ diuinæ & uniuersorũ attributor donorum. Imò ipse subsistens in bonis istis quæ à Domino donantur, & plenitudo est omniũ donorum DEI, sicut Christus ipse dicit, teste Matthæo & Luca, quorũ alter ait: Quanto magis pater cœlestis dabit bona petẽtibus se? alter uerò: Quanto magis pater cœlestis dabit spiritum sanctum petentibus se? Non est igitur capax alienę sanctificationis, sed creator est, & attributor, & ipsum donũ. Si igitur immutabilis sanctificator est, Deus est: quia immutabilẽ DEI substantiam tantum, & unigeniti filij eius, manifestissimè tradũt diuina eloquia.

Libro tertio de spiritu sancto: Quẽadmodum scimus, quòd pater & filius sanctos & bonos sui cõmunicatione perficiunt. Sic spiritus quoq; sanctus participatiõe sui bonos efficit, sanctosq; credentes. Et ex hoc etiam unius cũ patre & filio substãtię esse docetur.

Angelos conditos esse in natura conuertibili, ait libro 1. de Spiritu sancto. Ac de officio eorum ibidem: Angeli hominibus, inquit, & non homines angelis auxilium tribuunt, ministrãtes eis saluté, et annunciãtes eis largiora DEI beneficia. De diabolo, lib. tertio de Spiritu sancto: Conuertibilis atq; mutabilis è sanctitate decidit, atq; uirtute.

Sed ab Origene deceptus, in eius tamen errores consensit: quemadmodũ aliquoties in apologia sua Hieronymus, ac se ab eo dissentire, indicauit. ut: In cæteris quę Origeni male credidit, nos ab eo retrahimus. Et: In alijs dogmatibus, præter sanã scilicet de Trinitate doctrinam, & Eusebius & Didymus apertissimè in Origenis scita concedunt: & quod omnes Ecclesiæ reprobãt, catholicè & piè dictum esse defendunt. In epistola item ad Minerium & Alexandrum: Didymus nõ pedibus, sed uerbis in Origenis transiens sententiam, contraria uia graditur. Atq; hoc illud est, quod assertorem eum Origenis idem uocat, in epistola quadam ad Pammachium: & apertissimum propugnatorem, in apologia aduersus Ruffinum, ubi: In trinitate, inquit, legit eum catholicum, in alijs autẽ hæreticum non cauit. In epistola ad Euagriũ, nominat eum sectatorem Origenis. Hinc etiã Socrates probasse eum Origenis libros de principijs, scripsit: ac pręter rationem contendere eos asseruisse, qui Origenẽ reprehendere, aut libros illius refellere conarentur. Atq; eadem uidetur fuisse ratio, quamobrẽ in sana eũ fidei doctrina claudicare Nicephorus pronunciauit libro undecimo, cap. quadragesimosecundo. Nam & lib. tertio de spiritu sancto, mira sensit opinione, diabolũ nõ secundum substantiã, sed secundũ operationẽ in homines trãsire: quia solius sit Trinitatis, posse in alios secundũ substantiã intrare.

Contrà uerò hoc ei laudis Socrates tribuit, quòd propugnator fuerit & patronus Nicænæ fidei: & Arianis resistere, ac sophisticen ipsorũ & imposturas sermonis dissoluere potuerit. Et narrat Sozom. lib. 6, cap. 20, Arianis in Ægypto nihil fuisse integri, quamdiu Didymus in ea floruerit. Ad quod fine dubio eum instruxit exacta scripturæ sacræ cognitio, qua eum excelluisse Socrates retulit. Idẽ, & cõtra Iulianũ Imperatorẽ, Ecclesię hostẽ, precib. eũ pugnasse, scripsit lib. eodẽ, cap. 2: & exemplum recitat, quod ex ipsius narratione cõmemoramus. Eodẽ die (quo in Persia Iulianus perijt) Didymus philosophꝰ Ecclesiasticus Alexãdriæ degẽs, ac propter Imperatoris aduersus Ecclesias obstinationẽ cõtristatus, cùm quòd ille seductus esset, tum quòd Ecclesiæ cõtemnerentur, ieiunauit, & Deo hac de causa supplicauit. Et quoniam ea cura premebatur, nihil cibi, ne nocte qdẽ ingruente, accepit: sed sic in sede cõstitutus, in somnum incidit. ac ueluti in ecstasin rapto, uisum est ipsi, uidere se equos albos in aere cursantes, & eos qui illis insidebant, quasi pręconis uoce clamantes: Annunciate Didymo, hoc die, circa hanc horam, occisum esse Iulianũ; & is hoc Athanasio episcopo significet.

cet. Hac uisione accepta, surrexit & comedit.

Familiarem igitur eum fuisse Athanasio, tum propter loci eiusdem occasionem, tum professionis & officij societatem, non est dubium. Sed & amicitia & cõsuetudine eius etiam Antonium, monachũ illum celeberrimum, delectatum fuisse, sequens testatur historia, quam in epistola ad Castrutiũ in eam sententiã narrat Hieronym⁹: Cum propter pugnas aduersus hæreticos, fortè aliquando ex solitudine in urbem Alexandrinam accersitus uenisset Antonius, adijt eum Didymus eruditissimus: atq; ubi cum eo familiariter multa de scripturis sanctis contulisset, ingenium primùm eius, & acumẽ admiratus Antonius, sciscitatus deinde est, cum subtristẽ eum esse animaduertisset, num ideo tristaretur, quòd oculis careret? dissimulauit dolorem suum pudore tum Didymus, sed secũdò ac tertiò ab Antonio interrogat⁹, tandẽ confessus est, esse sibi mœrori suam cæcitatẽ. cui Antonius: Miror, inquit, prudenti uiro eius rei damnũ dolorẽ posse adferre, quam etiam cum formicis, muscis, & culicib. cõmunem habet: ac nõ lætari poti⁹ illi⁹ boni possessione, quo sancti soli & Apostoli ornati fuerũt.

Vsum se deniq; nõ amico solùm, sed & præceptore, Hieronymus in multis locis testatus est. ut in epistola ad Domnionem, & in apologia contra Ruffinum: in qua magistrũ eum suum reuerenti nominat præconio. Et in Commentarijs in Oseam, ad Pammachiũ, ait se Dydimum frequẽter audiuisse Alexandriæ, uirum sui temporis eruditissimum. De cuius amicitia multa etiam magnificè gloriatur in Commentarijs in Esaiam.

Vixisse eum ad annos nonaginta, & sibi quidem & priuatim, sine alicuius contubernio, ad mortem usq;: Socrates tradidit libro quarto, capite uigesimoertio.

ARNOBIVS.

CLaruisse in Africa Arnobium, rhetorem primum, deinde Christianũ, sub annum Christi trecentesimum trigesimum, Hieronymus indicauit in Chronico. Ad quod allusisse tempus ipse uidetur his uerbis, in libro aduersus gentes primo: Trecẽti, inquit, sunt anni fermè, minus uel plus aliquid, ex quo cœpimus esse Christiani. Quando Romæ fuerit, quod libro octauo nõ obscurè innuit, incertum est: quemadmodũ & quando ad religionem Christianam est cõuersus. quod ea occasione factũ Hieronymus retulit: Siccæ nimirum eum, dum exercendis in declamandi studio adolescentibus dat operam, somnijs monitum atque impulsum, ut professioni Christianæ nomen daret suum, baptismum ab episcopis flagitasse. Sed cum diu suspectus fuisset, ob odiũ, quod acerbum antea in religionem Christianam gessisset: ab illis non fuisse admissum. Quare animaduersa, ceu testes non simulatæ suæ fidei, in lucem ediderit elucubratos libros aduersus Ethnicorum religionem, quos intercidisse Erasmus putauit: sed annis proximis superioribus denuò prodierunt & editi sunt numero libri octo, uehementi conscripti stylo, ac longè quàm in simili argumento Lactantius fecit pugnaciori: cum ante eos Erasmi opera prodijssent, Enarrationes breues omnium psalmorũ, scriptæ diuerso ac min⁹ elaborato sermonis genere, cuius rei Erasmus idem causas aliquot in præfatione cõmentarij eius in psalmos indicauit. In quo libro Erasmus nihil usquam comperisse se testatur, quòd alicui hæresi sit adfine. Et habet sanè tũ in eo, tum in ijs quib. aduersus gentes disputauit libris, de plerisq; Christianæ doctrinæ partib⁹ cõmodissima dicta, quorũ bonã partem superius in cap. de Doctrina retulimus.

Primùm somnio similem, quamcunq; humanam fœlicitatẽ absq; cognitione Dei, dixit libro octauo: eamq; cognitionẽ ex lectione diuinarum scripturarũ petendam esse, docuit in commentario in psalmũ centesimum decimumoctauum, hoc modo: Psalmus primus, inquit, Beatus qui in lege Domini meditatur die ac nocte, legentẽ noluit negligentem. Nam qui legit, si nesciat quid legat, negligit. Deus enim sciri uult omnia suarum mysteria literarum. Et sicut, quod scriptum nõ inuenies, si quæras incurris: sic quod scriptum est, si non inquiras, argueris. Beatus enim perfectus esse non poteris, nisi scrutatus fueris testimonia eius.

Deinde de Deo, de prouidẽtia Dei, de Trinitate, multa rectissimè dixit. & in commentario in Psalmum nonagesimumprimũ: Deo, inquit, loqui etiam uera, periculosum est. Et in commentario in Psalmum centesimum trigesimumquartum: ita trinitatem in una deitate coniungit, ut & tres uerè dicam esse personas, & unam uerè dicam esse substantiam. Sic nomẽ eius uerè laudabile prædicatur, cum in trinitate unitas, & in unitate trinitas ore dicitur, & pectore continetur. Et in commentario in Psalmum quadragesimumquartum: Species filij pater est, & pulchritudo eius Spiritus sanctus. In commentario in Psalmum sexagesimumseptimum: Benedictus Deus pater, benedictus Deus filius, benedictus Deus spiritus sanctus. De æquali diuinitate & omnipotentia patris & filij, in cõmentario in Psalmum centesimum trigesimumquartum: Si sibi, inquit, maiorem partem deitatis dicatur patter assumere, aut gradum sibi supra filium hominis uindicare, non ut bonus laudatur, sed ut æmulus blasphematur. Nihil ergo in Deo maius est, quia nunquam senescit pater. Nihil

Nihil minus in filio, quia nunquam crescit. ubi enim maius aliquid & minus est, & maiori defecto nominatur grandęuitas, & pollicetur ætas minori profectum. His gradibus diuinitas caret: quia non est Deus temporũ posterior. Si enim tempora aliqua ante Deũ fuerunt, faciunt eum maiorem qui pater est, & minorem eum qui filius. Si uerò ante omnia genitus, tẽpus illi nequaq̃ potuit necessitate imponere: quia ut esset tẽpus, ab eo sum psit exordiũ. Rursus in cõmentario in Psal mũ 139: Dicunt, inquit, hæretici assertionibus suis, Pater maior est, filius minor. Ego respondeo: Qui maior est, senescit & deficit: q minor est, iuuenescit, & similiter grandescit ut desinat. Deus autẽ nec minor, nec maior est: quia sicut finem non habet, nec initium habuit. Sẽper fuit immutabilis pater, & sẽper fuit cuius esset pater, nec unquã fuit sine spiritu sancto. Ac per hoc pater nunq̃ fuit sine bonitate, quæ est filius: nunquam fuit sine sanctitate, quæ est spiritus sanctus.

De uera diuinitate & humanitate Christi, seu duabus in eo naturis, in commẽtario in Psalm. 15: Quamuis Deus esset in Christo mũdum reconcilians sibi, tamen possibilitatib. subiacebat, & timore & mœsticia agebatur. Item: Non pro Dei necessitate assumptus est homo, sed pro hominis necessitate susceptus est Deus. Et in cõmentario in psal. 68: In Domino nostro IESV Christo duas substãtias Dei & hominis confitemur, & uirtutes Deo tradim⁹, infirmitates hominis applicantes. De eadẽ rursus lib. 1 cõtra gentes: Si De⁹, inquiunt gentes, fuit Christus, cur forma est in hominis uisus? Et cur more est interemptus humano? An aliter potuit inuisibilis illaqueis, & habens nullam substantiam corporalem, inferre & commodare se mundo, cõciliis interesse mortaliũ, quàm ut aliquod terrigmen materię solidioris assumeret? Quis est enim mortalium, qui quæreret eum uidere, quis cernere, si talem uoluisset inferre se terris, qualis ei primigenia natura est, & qualẽ se ipse in sua esse uoluit uel qualitate uel numine? Assumpsit igitur hominis formam, & sub nostri generis similitudine potentiã suã clausit, ut & uideri posset & conspici, uerba faceret & doceret, atque omnes exequerentur res eas, propter quas in mundũ uenerat faciendas, summi regis imperio & dispositione seruatis. Et in cõmentario in psal. 146: Descendit, inquit, de cœlo Deus homine nõ uolente: docuit exẽplo & uerbo homine nõ rogante: signa multa & uirtutes ad se manifestandũ exercuit, homine etiã prohibente: mortalitatẽ nostrã susceptit, homine ignorãte; irrisus, crucifixus, inter homicidas mortuus, sepultus: resurrexit, & in cœlos ascendit. Hæc omnia ad hominis salutẽ, ad hominis liberationẽ, ad hominis redemptionẽ, ad hominis coronã, ad hominis gloriam exercuit Christus. Sic alibi sæpe de Christi beneficijs ac merito, ut in Psal 5: Nisi Christus mortuus esset, hęc hæreditas regni non patẽret. Ipso ergo moriente nata, ipso resurgente confirmata est: ipso ascendente in cœlos, permanet hæc hęreditas in æternum. Et in Psal. 41: Christi passione homo recuperatus est. Et in Psal. 16: Si scrutari cum reuerentia uoluissent Iudæi uoces propheticas, agnum acciperent Christum, salutem suã in sanguine eius collocantes. Et in Psal. 29: Suscepit formam serui, nõ ut delectarẽtur inimici super hominũ genus. In Psal. 31: Propter omne genus hominum Dei filius est crucifixus. In commentario in Psal. 48: Vos qui confiditis in uirtute uestra, & in abundantia diuitiarũ gloriamini, hoc sciatis, quòd nullus uos ab interitu redimat, non pater, non frater, nisi homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redẽptionem pro omnibus. Et in Psal. 67: Prosperum iter crucis suæ fecit nobis Deus saluator noster, qui ideo cruciari uoluit, ut nos saluos faceret: ideo mortis exitium suscepit, ut conquassaret capita inimicorũ suorum, & liberaret peccatores de manib. dæmonum. Et in Commentario in Psalm. 72: In uolũtate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me. Hęc in Domino Iesu Christo completa sunt. Ipse tenuit generi humano dexteram, iam mortuo, iam fœtenti: duxit à uoluntate diaboli ad uoluntatem suam, & assumpsit in gloriam. In Psal. 129: Sustinuit anima mea uerbũ tuũ: id est, uenientem filiũ tuũ, qui promittitur ad hoc uenire, ut tollat peccata mundi. Et de personarũ idiomatis ibidẽ: Nõ poterat, inqt, simul pati diuinitas: sicut sol, si in ligno sit quando cõciditur, simul concidi nõ potest: ita diuinitas simul fuit passioni, & simul non patiebatur tristitiã.

De creatione, in Psal. 48: De omni, inquit, creatura dicitur, Quia ipse dixit & facta sunt: hoc est, per uerbũ Dei facta sunt, patre loquẽte, filio creante, sacro spiritu animante. Et libro secundo aduersus gentes: Hoc unum sciri oportet, nihil à Deo principe, quod sit nocens atq; exitiabile, proficisci: nihil ab ipso fieri, nisi quod sit omnibus salutare, foris q; esse exitiabile & mortiferum.

In enarratione Psalmi centesimi trigesimi noni, diabolũ affirmat bonum initiò conditum esse: Malus, inquit, per creaturã nec est ipse diabolus.

De lapsu hominis, in Psalmo uigesimono no: Maledictus, inquit, est mundus in morte Adæ. Item de eodem, ac de restitutione hominis lapsi, in Psalmo quadragesimoprimo: Saluator uultus mei, id est, imaginis suæ recuperator, erit Deus meus: qui me à facie sua

non ut ipse uoluit proiecit, sed ego à me ipso animam conturbaui, ego eam læsi à me ipso.

De peccato originis, libro primo inquit: Proni sumus ad culpas, uitio infirmitatis ingenitæ. Et: Naturalis infirmitas peccatorem hominem facit.

De libero arbitrio multa habet illustria & explicata dicta, quæ ordine commemorabimus. In commentario in Psalmum nonagesimum sentit, nec negandum esse liberum arbitrium, nec nudandum, id est priuandum necessitate diuini auxilij: Multi, inquit, putant libertatem arbitrij eò usq; sibi posse sufficere, ut sese per ipsam libertatem ab hostibus inuisibilibus eruere posse confidant. Libertatem autem arbitrij & negare periculum est, & nudare peccatum. Si enim negaueris, omnibus frena laxasti. Si nudaueris, decepisti. Nam negas, si dixeris: Deus si uult, bonus sum: si non uult, bonus non sum. Cum constet, Deum uelle omnes homines saluos fieri, & unusquisque suo sit iniquus arbitrio. Nudas autem, cum tantum ipsi arbitrio dederis, ut illud rebus diuini adiutorij denudaris. Rursus in Psalmum centesimumsextum: Si se, inquit, subduxerit Dominus, libertas ipsa nostri arbitrij euanescit. Et in Psalmum centesimum decimumseptimum: Noli confidere in te: noli dicere sic te liberum habere arbitrium, ut tu tibi in te ipso confidas. Habes quidem liberum arbitrium, sed noli de eo præsumere: de Deo præsume, quia uinci non potest. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine, aut in principibus. Si enim confidis in Domino, tunc poteris dicere, Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini ultus sum eos. Hoc libertas arbitrij dicere non potest: aut si dixerit, docebo eam apertè mentiri. Aut certè ab initio seculi det mihi, qui sine auxilio Dei euaserit siue uisibiles siue inuisibiles inimicos. Et ibidem: Libertas arbitrij si non potest dicere, Fortitudo mea & laus mea: imò quia non potest iustè dicere, dicat se à Domino suscipi, & fortitudinem omnem auxilijs diuinis ascribat. Item: Quod peccamus nostri arbitrij docebitur, qui contemnimus gratiã. Vide quanta libertas est arbitrij tui. Negatur à seruo Dominus, ut dicat homo Deo, Nolo tibi credere, &c. Quod ergo malũ facimus, per libertatem incurrimus. Si uerò aliquid boni fecerimus, imputabimus largitori, qui bona omnia ad se fugientibus præstat, secundum illud quod ipse dignatus est repromittere: Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti apietur. In Psalmũ 146: Qui confidit, inquit, in uirtute cursus sui spiritualis, quòd possit in tibijs suis stãs immobilis permanere, non permanet. Nec ista dicẽs exclude, ne coneris stare: sed moneo, ne te putes per liberum solum arbitriũ fugere. Currat equus tuus, sit paratus ad bellum. sic enim scriptum est: Equus paratur ad diẽ beli, Dominus aũt salutem tribuit. tamen dum curris, dicito: Deus uirtutum tribuit equo meo ut curreret, Deus dedit tibijs meis perseuerantiã ut starent. Non ergo putes quòd te libertas arbitrij tui ita habeat, quasi nauẽ per quã uis euadere barbaros de littore, per quã uis euadere fluctus pelagi: per quam uis ad patriam, quam desideras, peruenire: sed si Dominus imperauerit, uẽtis prosperis & aduersis fluctib. silentium dederit, si latentes uados demonstrauerit, & somnũ tulerit gubernantib. nautis, & absq; læsione portum ingredi fecerit, ages post hæc gratias Deo, non naui: gratias Deo, non nautis. Nec ista dicentes excludimus nauem & nautas: sed magis nauem ornamus & nautas, quibus Deum præsulem confitemur.

Pœnitentiæ partes facit contritionem & fidem, expressè in commentario in Psal. 70, hoc modo: Cõfitetur, inquit, in oratione sua Deo peccata sua, Dei aũt ueritatem in uasis Psalmi. Quæ sunt uasa Psalmi? In uasis Psalmi ueritatẽ Dei nunciant, qui intus intra uasculũ corporis sui ueritatẽ rectæ fidei habent inclusam. Namq; si incorporaliter quispiam pœnitentiæ suæ afflictiones ostendat, à peccato abstineat, in ieiunio, cinere, cilicioque permaneat, nisi in uasis Psalmi ueritatẽ teneat, omnia quæ laborauerit euanescunt. Faciliùs per ueritatẽ fidei sine sua afflictione ad indulgentiã ueniat, quàm per afflictionẽ sine ueritate attingat. Age ergo, in confessione tua correptionẽ etiam sine cilicio, & in Psalmi uasculo ueritatem include. Sic & in enarratione Psal. 30, diserte coniungit pœnitentiæ partes, contritionẽ uidelicet, & fiduciã in misericordia Dei. Ac de eadem cõtra Nouatum & Nouatianũ aliquoties rectè docet, ut in commentario in Psal. 138. Quid nunc, inquit, facimus Nouariane? perdimus apostolũ Petrum, an accipimus reuertentem ad Christũ? Ecce Christus eum recipit, tu eijcis. Sed clamat contra te Paulus: Si Deus iustificat, tu quare condemnas? Dicis uerò baptizatis, non debere pœnitentibus succurri. Ecce Apostolo pœnitenti succurritur.

Rectè deinde & de hac parte doctrinæ sentit, Gratis scilicet iustificari homines per misericordiam Dei. ut in commentario in Psalmum centesimum primum: ubi, Nullus ait saluabitur, nisi tu Domine exurgens misereris Sion. Et in Psal. centesimum decimum sextũ: Exclusit merita nostra, & induxit super nos misericordiam suam, quam confirmauit super eos per indulgentiã omniũ peccatorũ credẽ-

credentibus & pœnitẽtibus sic promissam. Et in commẽtario Psalmi centesimi quadragesimisexti: Antecedit gratia Dei uoluntatem hominis. In Psalmum 149. Non castitas & abstinentia nos perducunt ad Deum, si nos deseruerit integritas fidei. Et in Psalmum centesimum uigesimumnonum. Christianus se credit per fidem ad misericordiam peruenire eius qui regnat in secula. Ex libro primo contra gentes: Proprium est, inquit, Dei ueri, potẽtiæq; regalis, benignitatem suã negare nemini, nec reputare quis mereatur aut minimè.

De effectu baptismi, in commentario Psalmi 72: Sepulti, inquit, sumus per baptismũ, & Christum induti morimur. Sed quia non patitur in nobis perire quod cõtulit iam per baptismum, semel à mortuis suscitatos ad uitam æternam reducit. Et in Psalmum septuagesimumquartum: Tu confregisti capita draconum in aquis, id est, capita dæmonũ in baptismate. Quod autem aquis dixit, uoluit ostendere, unum baptisma in aquis posse omnibus celebrari, fluminum, maris, fontium, &c. ibi capita dæmonum confringuntur. In commentario Psalmi 78, sanctificari dixit corpora in baptismo. Et ibidem: Spiritum sanctũ in cõsecratione accipimus. Et in Psalmum 61: Filius, inquit, de profundo terræ & fluminis, & cataractis cœli aperiis descendente Spiritu sancto, pater appellat filium de altitudine cœlorum. Cum ergo altitudo ad altitudinem clamat, excelsa Dei in me ingressa sunt. Homo enim recuperatus est, non angelus, non aliqua alia creatura, quando in die mandauit Dominus misericordiam suam gratis, in baptismo remittẽdo peccata, &c.

De confessione & oratione, in commentario Psalmi 135: Non potest, inquit, perire cõfessio eius, qui in isto seculo sua delicta accusat. Inueniet sine dubio pietatem Dei, qui sua ei confessionem obtulerit: si quotidie accipiat cõfessionem nostram, quotidie suam nobis bonitatem impertit. Et si nos confitẽdo non deficiamus, quomodo ille in miserẽdo cessabit? Peccauimus, negare non possumus, habemus multa peccata. Aliter ijs non carebimus, nisi quotidie ut nobis dimittantur, Dominum exoremus. Siquidem eius doctrina sit, Dimitte nobis debita nostra: conficiamur nos debitores debitori. Nam & nos debitores sumus Deo, & Deus est nobis debitor. Rogemus, ne exigamur quod debemus: rogemus, ne reddat quod debet.

A' næuis & opinionibus erroneis Arnobium prorsus liberat Erasmus, nisi quòd incommodè dixisse uidetur in commentario Psalmi 14: Iesus immaculatus solus uirgineam aulam ingressus, ipsum tabernaculum à maculis carnalibus liberauit, & dedit sanctificationẽ potius quàm accepit. Quanquam & ipsum Erasmus excusauit. Et quod de pœnitentia in commentario in Psalmum 41 dixit: Plus est misericors in pœnitente, quàm in credente. Ibi per baptismatis gratiam simplex est indulgentia: hic geminatur & uelut duplici lumine declaratur, quando dicit homo cum lachrymis Deo, Susceptor meus es tu. Et quod contra Cyprianum de sera pœnitentia dixit, in commentario Psal. 48: sera confessio fructum indulgentiæ non capit.

De Petro minus cõmodè loquitur in psalmum centesimũ trigesimumoctauũ, ubi inquit: Ecce Apostolo pœnitenti succurritur, qui est episcoporum episcopus: & maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti. Quod ut doceam, illud contendo, quòd nullus Apostolorum nomen pastoris accepit. Solus enim Dominus IESVS CHRISTVS dicebat: Ego sum pastor bonus. & iterum: Me, inquit, sequuntur oues meæ. Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem, post resurrectionem suã Petro pœnitenti concesit. Nam Christus ibi non appellat Petrum pastorem, sed, Pasce (inquit) oues meas. & Petrus ipse (epistola prima Petri, cap. quinto) ad presbyteros eodẽ utitur uerbo: Pascite, inquit, quantum in uobis est, gregẽ Christi. Et Paulus ad Ephesios quarto dicit: Alios esse positos Ecclesię apostolos, alios pastores. Quod nõ ita dixisset, si id nomẽ dignitatis soli Petro attributæ agnouisset.

Confutat interdũ Iudæorũ opiniones, ut in enarratiõe psalmi centesimiquarti: Quid uultis, ait, Iudæi? Arguimus uos noscentes, & dicimus uobis, falsas habetis scripturas.

Nonnunquã & contra hæreticos pugnat, ut contra Arianos in commentario Psal. 89: Præuidit, inquit, anathemabiles esse hæreses, dicturas filium Dei, qui refugium factus est nobis in Christo, non fuisse priusquam mundus fieret, & firmaretur terra & orbis. Contra hoc ait: A' seculo & in seculum tu es Deus. Manichæos subinde refutat, ut in cõmentario Psal. 103, & 110, ubi refellit quod dixerunt: Principem tenebrarum à se habere principium. Et in commentario Psal. 135. ubi: Deum, ait, creasse uniuersa, & pascere omnia, anathemabilis Manichæ⁹ negat, qui carnem omnem diabolo dicit autore consta re, & eius ministerio ad pinguedinem sagina ri. Et in Psalmum 138: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Hoc contra Manichæum, qui dicit, alterius sunt principis tenebræ, alterius principis lux est. Confutat & Photini hæresin, qui ex Maria initium sumpsisse Christum asseruit: in commentario Psal. 109. Ac Marcionem, Apellem & Valentinum perstringit in commentario Psal. 143.

Familiarem fuisse Arnobium aliquot magnis & celebrib. uiris, ex ipsius scriptis appa ret: pręcipuè aũt Octauio cuidam, cuius in libris aduersus gentes frequenter & honorificè meminit. Lib. 8. nominat eum bonũ & fidelissimum contubernalem suũ. Fatetur & in præfatiuncula commentarioli in Psalmos, se authoritate & iussu episcoporũ Laurentij & Rustici, quos patres ibi uocat, commentarium eum in Psalmos scripsisse. Plura de eo reperire non possumus.

LACTANTIVS.

ARnobij discipulum Lactantiũ fuisse, Hieronymus tradidit, Romæ, ut uidetur: ubi aliquandiu Arnobius docuit. Nam in Piceno Italiæ Firmiũ fuit, Lactantij patria: quem ita dictũ fuisse à lacteo eloquentiæ flumine, solidioriq; orationis genere, non est dubiũ. Fluuiũ certè quasi quendã Tullianæ eloquẽtiæ Hieronym⁹ eum appellat, in epistola ad Paulinũ. Qua fœlicitate quidẽ superior fuit, quemadmodũ sæpe fit, præceptore suo: quẽ inæqualẽ nimiũ & cõfusum in rebus sermone explicãdis fuisse, Hieronym⁹ idẽ tradidit.

Sed Lactantium rhetorem & philosophũ fuisse exercitatissimum, libri eius testantur, pauci etiam illi quos hodie habemus: in quibus nullius ferè disciplinæ ac professionis autores prętermisit, quorum non sit usus testimonijs. Vixit autem sub Diocletiano & Constantino, Romanis principibus. Et à Diocletiano quidem uocatum eum Nicomediam, Hieronymus autor est, ubi rhetoricam aliquandiu professus est. Quod de se ipse etiam scripsit lib. 5. cap. 2: ubi & negotiũ sibi fuisse cum duobus impuris philosophis, quorum uterq; libros contrà religionem nomẽq; Christianũ euomuerit, indicat. Cum aũt, ut doctor latinus, in Græca ciuitate auditorũ frequentia destitueretur, omisso tradendi & docendi munere, ad scribendũ se cõtulit: cum quidẽ antequã in Bithyniã ueniret, Christianã religionẽ, ut uidetur, amplexus fuisset. Sunt qui Romã eum à Diocletiano accersitũ scripserint: sed quib. nos Hieronymi autoritatẽ præferimus. Eusebius in Chronico, eloquentissimũ suo tempore fuisse annotauit: sed usq; adeò pauperem per omnem uitam, ut necessarijs etiã plerumq; indiguerit. Senex in Gallia docuit, quẽad modũ Hieronymus tradit: ubi & magister Crispo filio Constantini, quem pater ipse postea interfecit (quod tamen crimen à laudatissimo Imperatore remouit Euagrius lib. 3 Ecclesiasticę historiæ, cap. 41) præfectus fuit.

Scripsit multa & uaria, ex quib. hos duntaxat libros habemus hodie: ut Libros 7 Diuinarum institutionum aduersus gentes, quos sub Constantino scripsit ingenti & fortissimo animo, ut Hieronymus ait ad Pauli-

num. primum scilicet, de falsa religione: secundũ, de origine erroris: tertium, de falsa sapientia: quartum, de uera sapientia: quintum, de iusticia: sextum, de uero cultu: septimũ, de diuino præmio. Sequitur liber de ira Dei, ad Donatum, ab Hieronymo quoq; cõmendatus. sic enim in cõmentario in epistolã ad Ephesios de eo censuit: Firmian⁹ noster librũ de ira Dei docto pariter ac eloquẽti sermone cõscripsit. Vocat eundẽ & librũ pulcherrimũ, in Catalogo. Extat post eũ liber de opificio Dei, ad Demetrianũ. Postremò Epitome diuinarũ institutionũ, seu libri Acephali: Elegia de Phœnice: Item de resurrectione Dominica Dominiçæ die, ac de Passione Dominica Elegiæ. Sed præter hos, Hieronymus uisos sibi Lactantij libros recensẽt, Sympotiũ scriptũ ad adolescentes Africæ, & ὁδοιπορικὸν de Africa Nicomediam usq;, uersib. conscriptũ hexametris. Librum item aliũ inscriptũ Grãmaticus: Libros alios duos ad Asclepiadẽ: Librum præterea unum de persecutione. Et libros quatuor Epistolarũ ad Probũ: Alios rursus Epistolarum libros duos ad Seuerum: duos item eodem argumento, ad Demetrianum. Hæc enim de numero librorum Lactantij in Catalogo Hieronymus retulit. Tametsi ex octauo Epistolarum eiusdem libro, næuum eius quendam indicarit in commentario in epistolam ad Galatas.

¶ Nũc de doctrina eius pauca monemus. De sacra scriptura rectè sensit, eius beneficio solius duci homines ad agnitionẽ Dei. Libro 2, cap. 3: Homo, inquit, per seipsũm peruenire ad hanc sciẽtiam (quæ uera scilicet religio sit) non potest, nisi doceatur à Deo. Et lib. 3. cap. 26. Doctrina cœlestis sola sapientia est. Ibidemq; de efficacia uerbi: Dei, inquit, pręcepta quia & simplicia & uera sunt, quantũ ualeant in animis hominũ, quotidiana experimenta demõstrant. Da mihi uirũ, qui sit iracũdus, maledicus, effrenat⁹: pauciss imis Dei uerbis tam placidũ, quàm ouem, reddã. Da cupidũ, auarum, tenacẽ: iam tibi eum liberalẽ dabo, & pecuniã suã plenis manib. largientẽ. Da timidũ doloris, ac mortis: iam cruces & ignes, & pericula & Phalaridis taurũ contẽnet. Da libidinosum, adulterũ, ganeonem: iam sobriũ, castum, continentẽ uidebis. Da crudelẽ, & sanguinis appetentẽ: iam in uerã clemẽtiã furor ille mutabitur. Da iniustũ, insipientẽ, peccatorẽ: cõtinuò & æquus & prudẽs & innocẽs erit. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Tãta diuinæ sapiẽtiæ uis est, ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum stulticiam uno ẽmel impetu expellat. Ad quod efficiendum, non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facile, citò: modò pateant aures, & pectus sapientiam sitiat.

Nemo

Nemo uereatur nos, aquam non uendimus, nec solem mercede præstamus. Dei fons uberrimus atq; plenissimus patet cunctis: & hoc cœleste lumen uniuersis oritur, quicũq; oculos habent. Num quis hęc philosophorũ aut unquam præstitit: aut præstare, si uelit, potest? Qui cum ætates suas in studio philosophię conterant, neq; alium quenquã, neq; seipsos (si natura paululum obstitit) possunt facere meliores. Itaq; sapientia eorum ut plurimum efficiat, non excindit uitia, sed abscõdit. Pauca uerò Dei præcepta sic totum hominem immutant, & exposito uetere nouũ reddunt, ut non cognoscas eundem esse.

Libro de ira Dei, cap. primo: Remoto Deo, cœlestiq́ue doctrina, omnia erroribus plena sunt.

De Deo rectè disputat in pleriſq; locis. Destruit & confutat Ethnicorũ traditiones de pluralitate Deorum, lib. 1. cap. 8. & 16. Et libro septimo, capite nono ait: Quoniam Deus ab homine uideri non potest, ne quis tamen ex eo ipso putaret Deum non esse, quia mortalibus oculis non uideatur, inter cætera institutorum suorum miracula fecit etiam multa, quorum uis quidem apparet, substantia tamen non uidetur, sicut est uox, odor, uentus: ut harum rerum argumento & exemplo, etiam Deum, licet sub oculos non ueniat, de sua tamen ui & effectu & operibus cerneremus. Quid uoce clarius? aut uento fortius? aut odore uiolentius? Hæc tamen, cum per aërem feruntur, ad sensusq; nostros ueniunt, & eos potentia sua impellunt: non cernuntur acie luminum, sed alijs partibus corporis sentiuntur. Similiter Deus nõ aspectu nobis alio ue fragili sensu comprehendẽdus est, sed mentis oculis intuendus, cum operа eius pręclara & miránda uideamus. Nam illos qui nullũ omnino Deũ esse dixerunt, nõ modò philosophos, sed ne homines quidem esse dixerim, qui mutis simillimi, solo corpore constiterunt, nihil omnino cernentes animo, sed ad sensum corporis cũcta referentes: qui nihil putabant esse, nisi quod oculis contuebantur.

De diuinitate Christi lib. 5. cap. 3. Disce, inquit, si quid tibi cordis est, non iccirco à nobis Deum creditum esse Christum, quia mirabilia fecit: sed quia uidemus in eo facta esse omnia, quæ nobis annunciata sunt uatici nio prophetarum.

Item de causa incarnationis Christi, lib. 4. cap. 11: Cùm statuisset, inquit, Deus doctorẽ uirtutis mittere ad homines, renasci eũ denuò in carne præcepit, & ipsi homini similẽ fieri, cui dux & comes & magister esset futurus. Sed tamen quoniã clemens est, & pius erga suos Deus, ad eos ipsos eum misit quos oderat: ne illis in perpetuũ salutis uiam clauderet, sed daret his liberã facultatẽ sequendi Deum: ut & prẹmiũ uitæ adipiscerentur, si secuti fuissẽt, quod plurimi eorũ faciunt átq; fecerunt: & culpa sua in pœnã mortis incurrerent, si regem suum repudiassent. Apud illos igitur, & ex eorũ semine regenerari eum iussit, ne si fuisset alienigena, iustã possent excusationẽ de lege prætendere, quòd eum nõ suscepissent: simul ut nulla omnino gens esset in terra, cui spes immortalitatis negaretur.

De creatione rectè sensit, Deum omnia cõdidisse ex nihilo, lib. 2. cap. 5 & 9, ubi: Deus, inquit, fecit ex eo quod non est, quia per æternitatẽ fortis est, per fortitudinem potestatis immensæ, quæ fine ac modo caret, &c. Et lib. 7. cap. 7: Factum esse mundum à Deo dixit Plato, item prophetæ loquuntur, idém que ex Sibyllæ carminibus adparet. Errant ergo, qui omnia uel sua sponte nata esse dixerunt, uel minutis seminib. cõglobatis. Quoniam tanta res, tam ornata, neq; fieri, neq; disponi & ordinari sine aliquo prudentissimo autore potuit. Et ea ipsa ratio, qua constare ac regi omnia sentiuntur, solertissimæ mentis artificem confitetur. Hominum autem causa mundum & omnia quę in eo sunt esse facta, Stoici loquuntur. Idem uerò nos diuinæ literæ docent.

De fine hominis ubiq; sentit, cõditos esse homines ideo, ut Deũ agnoscant & colant. ut lib. 3. cap. 9: Si quis hominẽ, qui uerè sapit, interrogat, cuius rei gratia natus sit? respondebit intrepidus ac paratus, colendi se Dei gratia natum, qui nos ideo generauit, ut ei seruiamus. Et lib. 4. cap. 28: Hac conditione gignimur, ut generati nos Deo iusta & debita obsequia prębeamus, hunc solum nouerimus, hunc sequamur. Hoc uinculo pietatis obstricti Deo & religioni sumus.

Deinde hominem sua culpa iniustum esse testatur lib. 4. cap. 24: Et peccatum omnibus hominibus naturaliter inesse, lib. 6. cap. 13. Et in Epitome diuinarum institutionum, cap. 9, ubi: Non patitur, inquit, conditio fragilitatis naturæ, esse quenquã sine macula.

De lege ait lib. 6, cap. 9: caput eius primũ esse, Deum nosse, ei soli obtemperare, & solũ colere. Nec quicquam profuisse, aut prodesse legis accuratissimam obseruationem, sine agnitione Dei: sed iustos sine Deo, similes esse corpori humano non habẽti caput. Contrà uerò, in legem delinquentes, si Deũ norint, à Deo non abijci.

De iustificatione per fidem in Christum, breuiter ait lib. 4. cap. 19: Nulla spes alia consequendæ immortalitatis homini datur, nisi crediderit in eum.

Ad pœnitentiã sæpe hortatur, quam summam esse ait Christianorũ uirtutẽ, & remedium

dium unicũ naturæ peccatricis: in Epitome diuinarum institutionum,cap.9. Recipere enim Deum per pœnitentiam in uiam redeũtes. quemadmodum lib.6,cap.24 ait: Dominus ac parens indulgentissimus, remissurũ se pœnitentibus peccata promisit, & obliteraturum omnes iniquitates nostras,si iusticiam denuò cœperimus operari.

Baptismum lauacrum spirituale uocat, quod institutum sit à Christo ad saluandas gentes:lib.4,cap.15.

Sacrificia Christianorum ait esse laudẽ & celebrationem Dei,gratiarum actionẽ,& uirtutes quascunq; à pietate ꝓfectas: ut fidem, innocentiam,patientiam,timorem Dei, humilitatem.lib.6.cap.24.&25.

Libro eodem, cap.23,de matrimonio inquit: Oportet sibi quenq; proponere, duorũ sexuũ coniunctionẽ generãdi causa datã esse uiuentibus:eamq; legẽ his affectib.positam, ut successionẽ parent. Ac ut cõmendet quidẽ castitatẽ perpetuam,& prẽstari ab aliquibus singulari uirtute posse affirmet, tamẽ addit: Quod quidem non ita Deus præcepit, tanquã astringat, quia generari homines oportet: sed tanquam sinat. scit enim, quantã his affectibus imposuerit necessitatem.

Sed hæc omnia quis non uideat perquam tenuiter esse explicata? Nullam enim perspicuam sententiã de fide,de beneficijs filij Dei, aut de alia aliqua necessaria parte doctrinæ Christianę in toto Lactãtio reperies. Quod sine dubio Hieronymus animaduertens,Lactantiũ fœlicius,dixit,aliena potius destruere quàm nostra confirmare potuisse.sic enim ad Paulinũ scripsit:Lactantius,quasi quidam fluuius Tullianæ eloquentiæ, utinã tam nostra potuisset confirmare, quàm facilè aliena destruxit. Fortassis & eam ob rem inter apocrypha Lactantij libri relati sunt, quẽadmodum in decretis Gelasij papæ primi legitur.

Adijcim⁹ & obiter Damasi ad Hieronymũ iudiciũ de Lactantij scriptis,quod in Damasi epist.tertio operũ Hieronymi tom.habetur: Fateor,inquit,quippe tibi,eos quos mihi iãpridẽ Lactantij dederas libros, ideo non libẽter lego, quia & plurimæ epistolę in eis usq; ad mille spacia uersuũ tenduntur, & rarò de nostro dogmate disputãt:quo fit,ut & legẽti fastidiũ generet longitudo : & si qua breuia sunt,scholasticis magis sunt apta,quàm nobis, de metris & regionum situ & philosophis disputantibus.

¶ Nũc næuos eius aliquot,quib.plurimis totus scatet,breuiter subijcimus . Nam pleroſque suprà in singulis dogmatibus exposuimus.

Primùm & locutionib.& sentẽtijs tum de Deo, tum de Christo,interdũ admodũ incõmodè loqtur,& periculosè. ut quòd Deũ ait à se ipso creatum esse,lib.1,cap.9. Christũ uerò aliquando nõ fuisse, prorsus ut Ariani delyri cõtendebãt:lib.2.cap.9.ubi & hoc ait: Cum præter Deũ nihil adhuc esset, &c. ꝓduxit similem sui spiritum,qui esset uirtutibus Dei patris præditus. Christũ aũt initium aliquãdo accepisse,alibi sæpe disputat:ut lib. 4,cap.8: In quam opinionẽ duplicem fingit Christi natiuitatem, ibidem: & lib.eodem, cap. 13, ubi multa de officio Christi & causa missionis absurda censuit. ut: Summus Deus ac parens omniũ,cum religionem suã transferre uoluisset, doctorem iusticiæ misit è cœlo,ut nouis cultorib.nouam legem in eo, uel per eum daret. Et: Oportuit filiũ bis nasci,ut sicut pater ἀπάτωρ & ἀμήτωρ fieret. In prima enim natiuitate spiritali ἀμήτωρ fuit, in secunda uerò natiuitate carnali ἀπάτωρ. Et cap.14:Deus cum uideret maliciam & falsorũ deorũ cultus per orbẽ terræ inualuisse, ut iam nomẽ eius ex hominũ memoria fuisset penè sublatũ (siquidẽ Iudæi quoq;,quib. solis arcanũ Dei creditũ fuerat, relicto Deo uiuo,ad colẽda figmẽta irretiti dęmonũ fraudib.aberrassent, nec increpiti per prophetas reuerti ad Deũ uellent) filium suũ principem angelorũ legauit ad homines, ut eos cõuerteret ab impijs & uanis cultibus,ad cognoscẽdum & colendũ Deum uerum.Item,ut eorũ mentes à stulticia ad sapientiã,ab iniquitate ad iusticię opera traduceret. Hę sunt uię Dei, in quib.ambulare eum præcepit.Hæc præcepta,quæ seruanda mandauit. Ille uerò exhibuit Deo fidẽ.Docuit enim,quòd uerus Deus sit,eumq; solum coli oportere.nec unquã se ipse Deum dixit:quia nõ seruasset fidem,si missus ut deos tolleret,& unũ adsereret, induceret aliũ ꝑter unũ. Et li.4.cap.24.sentit Christũ ideo carnẽ induisse, ut oſtẽderet carnẽ posse esse capacem uirtutis. Libro eodẽ, cap.20,ait:Christũ ideo in Galilæam post resurrectionẽ suam abijsse, quòd noluerit se Iudęis ostendere,ne adduceret eos ad pœnitentiam. Item lib. eodem,cap.29:Cum igitur & pater filium faciat,& filius patrem,una utriq; mens,unus spiritus,una substantia est, sed ille quasi exuberans fons est, hic tanquã defluens ex eo riuus : ille tanquam sol, hic quasi radius à sole porrectus,&c.

Permulta habet & supstitiosa ac anilia, de efficacia imaginis crucis Christi:li.4.cap.27. Sed quis omnes posit in hac parte næuos eius cõmemorare? De Lactantio optimo iure quis dixerit,eum nec personã nec officiũ filij Dei unquã satis intellexisse. Doctorem enim eum,legislatorẽ & formatorẽ uitæ hominum faci: illum, præterea nihil. Quemadmodum libro eodem,capite 24 & 26 ait:misſum Christum ideo,ut salutaribus prœceptis homines formaret.

Sicut

Sicut autem personam & officium Christi nunquam rectè intellexit: ita de spiritu sancto prorsus nihil sciuit. Indicauit hoc Hieronymus in epistola ad Pammachiũ & Oceanum, ubi sic inquit: Lactantius in libris suis, & maximè in epistolis ad Demetrianũ, spiritus sancti negat substantiam: & errore Iudaico dicit, eum uel ad patrem referri, uel ad filium, & sanctificationem utriusque personæ sub eius nomine demonstrari. Idem in Commentario in epistolã ad Galatas: Multi, inquit, per imperitiam scripturarũ (quod & Firmianus in octauo ad Demetrianum epistolarum libro facit) asserunt spiritum sanctum sæpe patrem, sæpe filium nominari, nec substantiam eius uolunt esse, sed nomen. Ait & Lactantius libro quarto, capite octauo, filium quidem patri in orbe condendo coadiutorem adfuisse: nihil autem prorsus de spiritu sancto addit. Quemadmodum & eiusdẽ libri cap. uigesimonono, ubi multa de patre & filio disputat, spiritus sancti uelut non meminit: Vnus est enim, inquit, solus, liber, Deus summus, carẽs origine, quia ipse est origo rerũ, & in eo simul & filius & omnia continentur. Quapropter cum mens & uoluntas alterius sit in altero, uel potius una in utraq; mente, unus Deus uterq; appellatur: quia quicquid est in patre, ad filiũ transfluit: & quicqd in filio, à patre descẽdit.

Angelos tum demũ homini custodes adhibitos esse ait, cum humanum genus augmentari cœpisset, Deusq; ueritus fuisset ne improbitate diaboli homines euerterentur: libro secundo, capite decimoquinto. ubi & terræ potestatẽ ab initio diabolo tributã esse à Deo asseruit, duoq; dæmonum genera facit: alterum scilicet terrenum, alterum cœleste. De causa uerò lapsus angelorum quomodo errarit, suprà ostendimus.

De Creatione hominis, etsi Epicuro quærenti quamobrem Deus, cum hominis causa mundum condidisset, eum tamen mortalem & fragilem fecerit, respondet: tamen idem cum Epicuro sentit, fragilem scilicet, et talem qualis post lapsum fuit, hominem inito à Deo factum esse. Sic enim ait libro septimo, capite quinto: Cur mortalem finxit, & fragilẽ, cum illius causa mundũ ædificasset? Primùm, ut infinita uis animarum gigneretur, omnemq; terrã multitudine oppleret: deinde, ut proponeret homini uirtutem, id est, tolerantiam malorum ac laborum, per quam posset prẽmium immortalitatis adipisci. Et lib. 7. cap. 14. Mortalis atq; imperfectus homo è terra fictus est.

De multitudine animarum simul à Deo creatarum, ac paulatim postea in corpora hominum fragilia demissarũ, monstrosa prorsus disputat li. 7. cap. 5. Excogitauit, inquit, Deus inenarrabile opus, quemadmodũ infinitam multitudinem crearet animarũ, quas primò fragilibus et imbecillibus corporibus illigatas, cõstitueret inter bonum malumq; medias, ut constantibus ex utrisque naturis uirtutem proponeret, ne immortalitatem delicatè assequerentur, ac molliter, sed ad illud æternæ uitæ ineloquibile præmiũ summa cum difficultate ac magnis laboribus peruenirent.

Malũ sentit Deũ ultro grassari permisisse, ut uirtutis ratio constaret. ait enim libro quinto, capite septimo: Nam Deus bonorũ & malorum uoluit esse distantiam, ut qualitatem boni ex malo sciamus, item mali ex bono: nec enim alterius ratio intelligi sublato altero potest. Deus ergo nõ exclusit malum, ut ratio uirtutis constare posset. Quomodo enim patientia uim surã nomenq; reti neret, si nihil esset quod pati cogeretur? Quo fine & diabolum à Deo excitatum ait, libro de opificio Dei, cap. uigesimo.

Peccata sentit largitione purganda & abolenda esse. sic enim ait lib. sexto, capite decimotertio: Debẽt largitione perpetua peccata carnis aboleri. Ibidem & remitti negat peccata, quæ quis sciẽs admiserit: sed illa sola ueniam habere, quę per imprudentiam & ignorantiam incautè admissa sunt.

De fide nihil quicquã uspiã proferens, cultũ & seruitutẽ Dei dixit esse, bonis operib. iusticiã tueri & cõseruare: lib. 3. cap. 9. Imò & parari æternã salutẽ nostris uirtutibus, laboribus, tolerantia & adflictionibus, censet libro septimo, capite uigesimoseptimo. Et in libro de opificio Dei, capite uigesimo: Si homo, inquit, statũ suũ, quẽ rectũ rectè sortitus est, promptè cõstanterq; defenderit: si terræ, quam calcare ac uincere debet, nõ seruierit, uitam merebitur sempiternam.

Nec sine periculo de oratione dixit lib. 6. cap. 13. Quoties rogaris, tentari te à Deo crede, an sis dignus exaudiri.

Deniq; de cõseruatione mundi, de rebus præcessuris finem mundi, de ratione iudicij extremi, miras omnino habet imaginationes, quarum aliquas in capite de doctrina indicauimus. Extant autem libro septimo, capite decimoquinto & decimoseptimo: ubi Deum missurũ, ait, ante temporũ consummationem, prophetam magnũ, qui conuersurus sit homines ad agnitionem Dei, & res miraculosas designaturus. Et capite 18. 19. & 20. & 26.

In errore eum fuisse Chiliastarũ, qui sanctos post resurrectionem cum Christo in terris, quasi in campis Elysijs, uitam uoluptatibus & delicijs diffluentem acturos per mille annos imaginati sunt, suprà quoque diximus: & indicauit idem Hieronymus

in Catalogo ſuo, tum in explicatione capitis trigeſimiſexti Ezechielis. Recitat tales aliquot opiniones Lactantius, maximè libro ſecundo Diuinarum inſtitutionum: & libro ſeptimo, capite decimoquarto, & uigeſimoquarto, ubi ſic inquit: Veniet ſummi & maximi Dei filius, qui cum deleuerit iniuſticiam, iudicium q́ue maximum fecerit, ac iuſtos qui à principio fuerunt ad uitam reſtauratuerit, mille annis inter homines uerſabitur, eos q́ue iuſtiſsimo imperio reget. Tunc qui erunt in corporibus uiui, non morientur: ſed per eoſdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, & erit ſoboles eorum ſancta, & Deo chara. Qui autem ab inferis ſuſcitabuntur, ij præerũt uiuentibus uelut iudices. Gentes uerò non extinguentur omnino, ſed quædam relinquentur in uictoriã Dei, ut triumphentur à iuſtis, ac ſubiugentur perpetuæ ſeruituti. Sub id tempus etiam princeps dæmonum uincietur cathenis, & erit in cuſtodia mille annis cœleſtis Imperij, quo iuſticia in orbe regnabit, ne quid malum aduerſus populum Dei moliatur. Poſt cuius aduentum congregabuntur iuſti ex omni terra, peracto q́; iudicio ciuitas ſancta conſtituetur in medio terræ, in qua ipſe conditor Deus cum iuſtis dominantibus commoretur. Tunc auferentur è mundo tenebræ illæ quibus offundebatur atq; obcæcabatur cœlum: & luna claritudinẽ ſolis accipiet, nec minuetur ulterius. Sol autem ſepties tanto, quanto nunc eſt, clarior fiet. Terra uerò aperiet fœcunditatem ſuam, & uberrimas fruges ſua ſponte generabit: rupes mõtium mella ſudabunt, & flumina lacte inundabunt. Mundus denique ipſe gaudebit, & omnis rerum natura lætabitur, erepta & liberata dominio mali, & impietatis & ſceleris & erroris. Non beſtiæ per hoc tempus ſanguine alentur, non aues præda: ſed placida & quieta erunt omnia. Leones & uituli ad præſepe ſimul ſtabunt, lupus ouem nõ rapiet. Canis non uenabitur, accipitres & aquilæ non nocebunt, infans cum ſerpentibus ludet. Deniq; tunc fient illa, quæ poetæ aureis temporibus facta eſſe iam Saturno regnante dixerunt, &c.

Contra Ethnicos, religionis Chriſtianæ hoſtes, acerrimè in libris omnibus, quos Diuinarum inſtitutionum titulo inſcripſit, maximè uerò libro quinto pugnat: in cuius capite quarto ait, ſuſcepiſſe ſe hoc munus, ut omnibus ingenij ſui uiribus accuſatores iuſticiæ refutaret. In eiuſdem etiam libri capite uigeſimo, ingenti πληροφορίᾳ prouocat ad diſputationem Pontifices, maiores & minores, flamines, augures, reges ſacrificulos, ſacerdotes & antiſtites religionum, ac irridet omnes eorum cultus: maximè autem inuehitur in ſtudium Chriſtianos occidendi.

Poſtea cum omnibus congreditur philoſophorum ſectis, quos cæcos & ægrotos ſua philoſophia eſſe dicit: libro tertio, capite trigeſimo: & in Epitome diuinarum inſtitutionum, capite tertio.

Refutat Stoicorum opinionem, putantium omnia quæ moueantur, in deorum numero habenda eſſe: libro ſecundo, capite quinto. Alias item eorum nugas de duabus naturæ partibus: lib. ſeptimo, capite tertio. Confutat & errores ac origenem diſciplinæ Epicureorum, libro tertio, capite decimoſeptimo. Epicurum uerò ipſum, quòd mundum ſua ſponte extitiſſe dixerit, damnat libro ſeptimo, capite tertio. Item quòd mundum nulla nugatus ſit regi diuina prouidentia: in Epitome diuinarum inſtitutionum, capite nono. Cui errori in libro de Opificio Dei, opponit induſtriam, accuratam & artificioſam tum mundi totius, tum hominiſcõditionem. Leucippi item delyriũ, qui mundum uniuerſum ex atomis conflatum ſenſerat, refellit in libro de ira Dei, capite decimo. Reprehendit & Pythagoræ ſtultam μετεμψύχωσιν, quòd ſcilicet animas in alia atque alia ſubinde corpora migrare dixerit: libro ſeptimo, capite uigeſimotertio. Quomodo deniq; extremum ſuum diem clauſerit, literis proditum non eſt.

RELIQVI DOCTORES

Eccleſiæ Africanæ.

NILVS.

EXtant inter orthodoxographa (ut uocatur quidem illa congeries, aliquot uetum ſcriptorum, recẽs collecta & edita) Nili cuiuſdam epiſcopi & martyris, de bonis operibus præcepta, expoſita ſecundum ſeriem Decalogi: quibus inſertæ ſunt ſententiæ de præmijs bonorum operum, ac pœnis malorum. Quæ etiam in Gnomographis quibuſdam Græcè continentur: cæterũ de fide aut alijs doctrinæ partibus nihil dicit, ſed incommodè loquitur, potum aquæ frigidæ iuſtificare miſericordem. An is ſit autem Nilus epiſcopus Aegyptius, qui cũ Peleo, ſub Diocletiano martyr cõſtans igni combuſtus eſt, dubitamus. Euſebius libro octauo, capite decimotertio.

THEODORVS.

EPiſcopus eſt Agauenſis Theodorus, Vincentio libro duodecimo, capite tertio.

HESYCHIVS.

EPiſcopus eſt Aegypti, & martyr ſub Diocletiano, Heſychius: Euſebio lib. octauo, capite decimotertio.

ALEXANDER.

ALexandrum epiſcopũ Eccleſiæ ad lacum Mariam, ad ſynodum Nicænam ab Imperatore Conſtantino euocatum eſſe, Sozomenus

menus lib.1.cap.17 tradidit. Apparet autem celebrem fuisse doctorem, quia inter præcipuos, qui ad eam synodũ uocati sunt, ut Eustathium Antiochenum, Macarium Hierosolymitanum, & Iulium Romanum, episcopos numeratur.

BLASTAMMON.

REcensetur apud Athanasiũ apologia secunda, inter Aegyptios episcopos, qui ad synodum Tyri unà cum Athanasio conuenerant, & cæteris episcopis ibidem congregatis scripserunt, ne contra Athanasiũ Eusebianorum conatus adiuuarent.

CAECILIANVS.

CAeciliani huius suprà aliquot in locis meminimus, ut in capitibus de Schismatibus, & Concilijs: ex quibus, quæ ad historiã eius pertinent, peti possunt. Primùm diaconi officio in ecclesia Carthaginensi functus est: quemadmodũ ex Optato Mileuitano apparet, libro primo cõtra Parmenianũ. In episcopũ deinde eiusdẽ Ecclesię, quo tempore à Maxentio Christianis libertas restituta fuit, electus est, totius populi cõsentientibus suffragijs, manus ei imponente Felice Autumitano episcopo, sicut ibidẽ Optatus testatur. Sed cum ex Donatistarũ grege duo quidam, Botrus & Celesius, ambitores episcopatus eiusdem fuissent, non in periculũ quidem adueniens laboriosissimas incidit. illi enim præsidio Lucillæ, fœminæ diuitis & factiosæ, ordinationem eius calumniari conati sunt, & schisma aduersus eum concitarunt: uerùm criminis aut uitij nullius eum conuincere potuerũt. In synodo enim Romana sub Miltiade, quam ibi Constantinus, sæpius interpellatus à Cæciliani aduersarijs, conuocauerat, innocens pronunciatus, & absolutus Cęcilianus est. Eusebius lib. 10. cap. 5. Optatus Mileuitanus lib. 1 contra Parmenianum: Augustinus lib. 1. contra epistolã Parmeniani, cap. 5. Et libro post collationem contra Donatistas, cap. 16 & 33. Habuit autem causæ atq; innocentiæ suæ suffragatorem, Osium Hispanum: quemadmodum Augustinus idem indicat lib. 1. contra Parmenianum, cap. 5. Familiaris & Athanasio fuisse uidetur, qui in oratione prima contra Arianos, uirũ eum uocat Apostolicũ, syncerũ ac simplicẽ, eiusq; scripta ab orthodoxis pfecta esse pronũciat.

CALLINICVS.

CAllinicus episcopus fuit in Pelusio Meletianus, accusator Athanasij ante synodum Tyri. Athanasius apologia secunda: Socrat. lib. 1. cap. 27. Sozom. lib. 2. cap. 25. Epiphanius li. 2. Tomo 2. hæresi 68 ait, hunc Callinicum post Meletij obitum, principẽ fuisse cum Paphnutio anachoreta & Ioanne episcopo, Meletianorũ tumultuantiũ, quòd eos reprimere Alexander episcopus Alexandrinus, & ad unam ac eandem communionem reducere conaretur: quòd tergiuersati tres illi, ad Constantinũ sæpe profecti sunt, Alexandrum accusatum: sed nõ admissi, donec tandem familiares facti sunt Eusebio Nicomediensi, cui Arium se recepturos pollicitisunt: ideoq; Eusebij intercessione communionem priuatam, atq; ab Alexandro separatam, ab Imperatore impetrarunt.

EVPLVS.

EPiscopus est Euplus, unus ex Athanasij accusatoribus: apud Sozomenum libro secundo, capite uigesimoquinto.

HARPOCRATION.

HArpocrationem Cynonem quendam episcopum, synodo Nicænæ interfuisse, Socrates retulit libro primo, capite decimotertio. Et apud Athanasiũ apologia secunda ex episcopis Aegyptijs est, qui cum Athanasio senserunt: cumq; eo in synodũ Tyriã conuenêre, cæterisq; ibi congregatis episcopis, Athanasij causam per literas cõmendarunt: monueruntq;, ne Eusebianorũ consilia adiuuarent. Epiphanio lib. 3. tomo 2. hæresi 72 exul est, propter orthodoxam in Christum fidem, in Diocæsarea, cum alijs aliquot, ad quos ibidem epistola presbyterorum & diaconorum Ancyranorum extat.

HERACLAMNON.

EX ijsdem & Heraclamnon est, apud eundem ibidem.

IOANNES.

METetius, Aegyptius ille episcopus, moriturus successorem sibi eligit ex familiaribus suis Ioannem, præter synodi Nicænæ decretũ: & occasionem præbet perturbationis ecclesiarũ. Ariani siquidem Meletianos res nouas moliri cernentes, ecclesias & ipsi perturbarunt. Sozomenus libro secundo, capite uigesimoprimo. Epiphanius libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimaoctaua, Ioannem hunc uirum uocat uenerandissimum.

ISCHYRAS.

ISchyras, uel Ischyramon, inter episcopos Aegyptios numeratur, qui in synodo Tyri pro Athanasij causa subscripserunt. Athanasius apologia secunda. Alius fuit Ischyras episcopus Mareoticus falsus, accusator Athanasij: quem Ischyrionem uocat Sozomenus lib. 2. cap. 25. de quo in Hæreticis infrà. Theodoretus libro secundo, capite octauo.

IRENAEVS.

ESt ex episcopis illis Irenæus, qui in synodo Tyri Athanasio adhæserũt. Athanasius apologia secunda.

ISION.

ACcusator fuit Athanasij, ab Eusebianis subornat⁹, Isiõ, apud Imperatorẽ Constãtinum,

tinum, cum Callinico, quasi tributum Aegyptijs imposuisset. Athanasius apologia 2.

ISAAC.

ISaacum Aegyptium quendam episcopum cum alijs aliquot exulasse in Diocæsarea, propter orthodoxæ fidei confessionem, Epiphanius scripsit lib. 3. tomo 1. hæresi 72. ubi fratrem eum ac confessorem uocat. Cæteros uocat, Adelphium, Eulogium, Alexandrũ, Ammonium, Harpocrationem, Isidorum, Annubionẽ, Pitinũ, Euphratiũ & Aaronem.

LVCIVS.

DIaconus est Mareoticus, Athanasij cum cæteris presbyteris & diaconis Mareoticis, de crimine poculi confracti excusator: apud eundem, apologia eadem. Alius est Lucius episcopus in Antinoo: eidem, ibidem.

MAVRVS, MECOPAS, MELIphthongus.

DIaconi sunt in Mareote, Maurus, Mecopas & Meliphthongus. Subscribunt epistolæ presbyterorum & diaconorũ Mareoticorum ad synodum in Tyro, de falsitate criminis in Athanasium, de poculo fracto confícti. Athanasius apologia secunda.

MOSES.

EPiscopus est Aegyptius, Athanasij amicus & defensor, in synodo Tyria. Athanasius apologia secunda.

NONNVS.

EPiscopus Aegyptius est, Athanasij patrocinator in synodo Tyri. Athanasius apologia secunda.

NICON.

EXijsdem episcopis Aegyptijs, qui cum Athanasio ad conciliũ Tyrum uenerunt, Nicon est. Athanasius ibidem.

PAPHNVTIVS.

FOeminæ cuiusdam factæ celebris confessione, ut Epiphanius inquit, filius Paphnutius, à puero in solis ac separatis ab hominum turba locis, quos ἀσκητήρια uocant, educatus fuit, quamobrem & Anachoretam appellare eum Epiphanius uidetur lib. 2. tomo 2. hæresi 68. Liberaliter autem institutus, clarus maximè continentiæ & castitatis nomine, si quisquam alius, per omnem uitam fuit. Christiana autẽ confessione & pietate cõstanti, omnium longè euasit clarissimus. Cum enim ciuitatis cuiusdam in Thebaide superiori episcopus esset, persecutionis quã in illis locis Maximinus exercuit, fortunam eiusmodi expertus est, ut oculo priuat⁹ dextro, ac sinistro poplite cauterij adustione debilitato (quemadmodũ Eusebius indicare uidetur lib. 8. cap. 12.) aut, ut Theodoret. lib. 1. cap. 7. inciso altero brachiorum, ad fodinas metallarias damnatus sit. Pace autem ecclesijs per Constantinum reddita, Ecclesiæ suæ restitutus ipse quoq; est: ac in synodum postea Nicænam uenit, ab Imperatore accersitus. ubi eum præ cæteris Constantinus magna ueneratione complexus est, adeò ut & mensæ suæ familiariter eum adhiberet, eoq; intra palatium sæpius euocato, oculi effossi locum osculis demulceret. In ea uerò synodo Paphnutius, præterquam quòd fidei rectæ patronum ac propugnatorem egit constantem, etiam aliud quiddã Ecclesiæ præstitit pium maximè & salutare, quod cuiusmodi sit exponimus. Conati fuerant ex episcopis nonnulli nouam constituere legem Ecclesiasticam, talem nimirum, ut ne sacerdotes, episcopi, presbyteri & diaconi cõiugio, si qui fortè, dum laici essent, uxores duxissent, uterentur: sed uxoribus repudiatis, cœlibes uiuerent. Quod ut erat plausibile, & nouam præ se ferebat religionem: ita ratũ promodum atq; approbatũ ab omnibus tum fuisset, nisi unus se Paphnutius, periculosam animaduertens episcoporum & grauem molitionem, opposuisset. Surgens enim is de media synodo: Nequaquam, exclamauit, difficile id iugum uiris sacris imponendum esse. quod si fieret, prospicere se imminens Ecclesiæ periculum. At cur non hoc permittis, inquit, quod scriptura non concedit solum, uerùm etiam probat maximè, & ornat? Ea enim honorabiles esse nuptias ait, & cubile impollutum. Accedit huc, inquit, quod non omnes ex æquo rigidam hanc & difficilem legẽ obseruare perpetuò poterũt. Quomodo uerò etiam uxorum custodietur castitas? Quæ quid est aliud, quàm legitima matriti cum uxore consuetudo? Satis id uobis sit disciplinę, ut qui sacerdotio ante nuptias fungi cœperũt, nec deinceps matrimonium contrahere uelint, sic permaneant quemadmodum antiqua monet Ecclesiæ traditio: illi uerò qui prius coniuges quàm sacerdotes facti sunt, uxores retineãt. Hanc igitur sententiã cœlibis episcopi & approbauit synodus ut piam, & ut salutarẽ recepit. Atq; hæc in synodo ea Paphnutij laudatissima celebratur actio, & consilium utilissimum.

Interfuit deinde etiam Tyriæ synodo, in qua cùm iniusta contra Athanasiũ, quò cum eo uenerat, ab aduersarijs eius institui atque agi animaduertisset: Maximũ Hierosolymitanum episcopũ, quẽ exilij sui sociũ quondã habuerat, isq; eadẽ quæ Paphnutius stigmata & notas circumferret, apprehensum manu ut surgeret, monuit: quòd nimirũ cõfessoribus sibi minimè liceret, concilio malignantium interesse.

Præter pietatẽ aũt quæ in eo summa fuit, doctrinã syncerã, professionẽ cõstantem, & alias admiratione dignas, quę in eo fulserũt, uirtutes, clarus etiã miraculis fuit, & curationibus periculosorũ morborũ, dæmonum expul-

expulsionibus, & alijs. Ruffin⁹ libro primo, capite quarto: Socrates libro primo, capite undecimo: Theodoretus libro primo, capite septimo: Sozomenus libro primo, capite decimo & uigesimotertio: & libro secundo, capite uigesimoquinto: Athanasius apologia secunda.

PLVSIANVS.

AEgyptius quispiam fuit Plusianus, ex illis qui sub Alexandrini episcopi potestate fuerunt. Meminerunt eius in calumniosis accusationib. Athanasij aduersarij: ab eoq; Athanasij iussu Arsenij domũ incensam mentiuntur, apud Sozomenum lib. 2. cap. 25.

PECYSIVS.

PResbyter est Athanasio Pecysius, Arsenij proditor: apologia secunda, in epistola Pinnis.

PINNES.

EXtat in Apologia secunda Athanasij, epistola Pinnis presbyteri, domicilij Plemẽgyris Anteopolites nomo: cui custodiendus Arsenius primùm traditus est, ut uidetur.

POLLARION, POLYNICVS, *Petrus.*

PResbyteri sunt Mareotici, Athanasij innocentiæ patroni. idem apologia secunda.

POTAMON, PELAGIVS, PAMMA*thius, Philippus, Phineas, Psais, Petrus, Pistus.*

OMnes Aegyptij dicuntur episcopi, Athanasij in synodo Tyri patrocinatores: apud eundem apologia eadem.

SERRAS, SERCIPAS.

DIaconi sunt Mareotici, Athanasij excusatores, Serras & Sercipas: apud eundem, ibidem.

SAPRION.

ESt ex episcopis Aegyptijs Saprion, qui in synodo Tyri Athanasij innocentiæ patrocinati sunt: Athanasio ibidem.

THEON, TRYPHON, TYRSVS.

PResbyteri sunt Mareotici Theon, Tryphon, Tyrsius, Athanasij patroni & excusatores per literas, in synodo Tyri: Athanasio apologia secunda.

THEODORVS, TAVRINVS.

EX episcoporum eorum numero qui in synodum Tyri cum Athanasio uenêre, & defensores eius fuêre, numerantur Theodorus & Taurinus, ab Athanasio apologia secunda. Est & Theodorus episcopus Athribyes nomi Athribites, Athanasij familiaris, & subscriptor epistolæ ad Antiochenses: eidem tomo duodecimo ad Antiochenses.

OCTAVIVS, CAECILIVS.

CRebra Octauij mẽtio est apud Arnobiũ: qui tamen quis fuerit Octauius, aut ubi fuerit, nusquã indicat, nisi quòd Christianũ eum fuisse satis declarat. Libro octauo, bonũ & fidelissimũ contubernalẽ eum uocat, Romamq; ad se aliquando uenisse, coniuge ac liberis infantib. relictis: eumq; Cæciliũ, ethnicũ quendã ualde superstitiosum, longa disputatione ad Christianã fidem cõuertisse. Disputationẽ eam cõplectitur Arnobij contra gentes liber 8. in quo eruditè ac piè disputasse Octauiũ indicat, de Deo ac prouidẽtia. De Deo sic inquit: Eloquar quod uerum est. Magnitudinẽ Dei qui se putat nosse, minuit: qui nõ uult minuere, non nouit. Hoc nomẽ Deo quæras: Deo, qui solus: Dei uocabulum totum est. quem si patrem dixero, terrenum opineris: si regẽ, carnalẽ suspiceris: si Dominum, intelliges utiq; mortalem. Aufer addimenta nominum, & perspicies eius claritatem. In eadem disputatione Octauius diserte affirmat, futurã mundi huius cõflagrationem, & mortuorum resurrectionem.

APPION.

INepistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, apud Theodoretum libro primo, capite quarto, meminit Alexander Alexandrinus diaconi sui Appionis, quem filiũ suum nominat: & indicat se ea quæ cum Ario gesserit in synodo, per eundem Constantinopolim misisse.

AMMONIANVS, TYRANNVS.

MEminit episcoporũ Aegyptiorũ Ammoniani & Tyranni Plusiani, epistola Arsenij ad Athanasiũ, apud eundem Apologia secunda. Ammonianus ex illis est, qui cum Athanasio Tyrũ in synodũ uenere. Idẽ ibid.

APOLLOS, APOLLO.

DIaconi sunt Mareotici, Apollos & Apollo, Athanasij excusatores. Ibidem, in epistola presbyterorũ Mareoticorum ad synodum Tyri. In epistola ad solitariam uitam agentes, indicat Apollo ab Eusebianis profugum factum.

ADAMANTIVS, AELVRION, ANV*bion, Arbæthion, Aristones duo, Agathammon, Arthas, Arthamidorus.*

OMnes hi cum Athanasio in synodum Tyriam uenere: & synodũ dehortati sunt, ne Eusebianorum contra Athanasium consilia & conatus adiuuarent. Athanasius apologia secunda, in epistola eorum qui ex Aegypto in synodũ uenere. Meminit Anubionis exulantis in Diocæsaria Epiphanius, libri secundi tomo primo, hæresi septuagesimasecunda.

AMBIVS. ARBETHINON.

ALij sunt episcopi Aegyptij Ambius & Arbethinõ: quos in calumnia Athanasij de impediendo frumento, testes falso allegauit apud Constantinum, cum factione sua Eusebius. Athanasius in eadem apologia.

ANDREAS.

ADfuit Athanasio in synodo Alexandrina, ex qua

ex qua epistolam ad Antiochenses scripsit, Andreas: quem Arsenoitæ episcopũ ipse uocat, in tomo duodecimo ad Antiochenses.

ANTIPHRON.

EX ijsdem fuit & Antiphron: cuius locum, ubi episcopus fuerit, nõ addit. Idem, ibidẽ.

CYNIVS, CRONIVS.

SVnt ex episcopis Ægyptijs, qui Athanasium in Synodum Tyriã secuti, eius causæ subscripserũt, apud eundem Apologia secunda, Cynius & Cronius.

DIANIVS.

NOminat dilectum suum Dianium Athanasius, in epistola ad Palladium.

ETORION, EPHAESTVS.

PResbyter est Mareoticus Etorion, & diaconus Ephæstus, Athanasij patroni. Athanasius apologia secunda, in epistola presbyterorum & diaconorum Mareoticorum, ad synodum Tyri.

GRIGORAS.

DIaconus est Mareoticus Grigoras Athanasio, apologia secunda, in epistola presbyterorum & diaconorum Mareoticorũ ad Synodum Tyri, pro Athanasio.

DIOPOLITANVS.

EX episcopis illis qui in Synodum Tyriã, Athanasiũ ut patroni secuti sunt, est Diopolitanus: Athanasio apologia secunda.

ANAGAMPHVS.

NVmeratur inter Ægyptios & Lybicos episcopos, qui à factione Georgij, eius qui per uim in episcopatum Alexandrinum inuasit, in exilium expulsi sunt, à Theodoreto libro secundo, capite decimoquarto.

ATHANASIVS CAPITONIS.

EPistola synodi Sardicensis apud Athanasium, apologia secunda, recensetnonnullos, quos compresbyteros suos synodus uocat: qui fraudem ab Eusebianis passi, partim in exiliũ abacti, partim metu periculi & mortis profugi ultro facti sint. Quos omnes uerò synodus absoluit, & orthodoxos pronũciat. Inter eos est Athanasius Capitonis filius.

AGAPIVS.

EPiscopus fuit Ægypti, qui in persecutione Arianorum sub Georgio Alexandrino episcopo exilium passus est. Theodoretus libro secundo, capite decimoquarto.

BOCCON.

NVmeratur apud Athanasiũ apologia secunda, inter presbyteros Athanasij.

BAROCHIVS.

EPiscopus fuit Arabiæ. refertur inter eos qui decretis synodi Seleucianæ subscripserunt, ab Epiphanio libro tertio, tomo secundo, hæresi septuagesimatertia.

BAISANES.

FVit diaconus in oppido Africæ Aphrodito, ad quod in itinere ad Antonij mõtem ex Babylone Hilarion monachus uenit, & ad Baisanem eum diuertit. Hieronymus in uita Hilarionis.

CRESCENS.

AFricanus fuit. qui cum aduersus Photinum in synodũ Syrmiensem uenisset, cũ Basilio, Eustathio & Eleusio se cõiunxit. Sozomenus lib. 4, cap. 15.

DIOGENES.

VIdetur fuisse presbyter Alexandrinus. fit mentio eiº in historia synodi Acacianorũ Constantinopoli sub Constantio, quæ Basilium Ancyranũ episcopũ deposuit: obiecto ei, inter alia aliquot, hoc crimine, quòd Diogeni Alexandria Ancyram proficiscenti chartas abstuliisset, ac uerberibus eum affecisset. Sozom. lib. 4, cap. uigesimoquarto.

DIOSCORVS.

SOcrates libro secundo, capite uigesimooctauo, presbyterum habet Dioscorum, qui in persecutione sub Georgio Alexandrino à factione Ariana cæsus & expulsus fuit. Numeratur inter presbyteros Athanasij, in apologia secunda Athanasij.

DIONYSIVS.

INapologia ad Constantium Athanasius eiusdam meminit Dionysij, quem episcopũ Leidæ fuisse indicat.

DRACONTIVS.

DRacontium inter episcopos Aegyptios & Lybicos Athanasius ad solitariã uitã agentes, & in apologia de fuga sua, ex eo itẽ Socrat. lib. 2. cap. uigesimo octauo recensẽt, quos Georgij Alexandrini crudelis persecutio in exiliũ expulit. Monachum autẽ fuisse, monachorum aliorum contubernio præfectum, & ab Athanasio ad suscipiendum episcopum solicitatum detrectasse, ex epistola Athanasij ad ipsum, quæ inter scripta Athanasij extat, apparet. Meminit huius, ut uidetur, Dracontij Hieronymus in uita Hilarionis, ubi Hilarionem ad castrum Theubatum profectum memorat, uisendi Dracontij episcopi & confessoris ibidem exulantis causa. Est autem Athanasio locus exilij Dracontij, solitudo circa Clysma.

HERMES. HERMION.

HErmes ex episcopis Aegyptiacis illis est, quos Arianæ sceleratę factiões sub Georgio Alexãdrino in exilium relegarunt. Athanasius apologia de fuga sua: Theodoret. ex eadem, libro secundo, capite uigesimo octauo. Est & Hermion episcopus Taneos nomine. Tanites Aegypti, qui Athanasij epistolæ ad Antiochenses subscripsit. Athanasius tomo duodecimo ad Antiochenses.

HERMIAS. EVTYCHIVS.

EVtychiũ subdiaconũ uocat Athanasius, quod officiũ etiã Hermiæ uidetur tribuere: Eutychium, ait, uirum Ecclesiæ fideliter inser-

interuientem, ab Arianis crudelissimo prius modo uerberatũ, ad metallarias deinde difficilimas operas moribundum missum, sic ut ne uulnera quidem & uibices curandi spatium ei concederent, in itinere mortuũ esse. Pro quo quatuor alios bonos atq; ingenuos uiros arripi iusserint, interq; eos Hermiã, laudatum studio & officio abluẽdi peregrinantium pedes: qui immanissimè flagellis cæsi, carceri tandẽ traditi sint, sed plebis intercessione post dies septẽ liberati. Athanasius epistola ad solitariam uitam agentes.

HERACLIVS.

EIdem & Heraclius presbyter est Mareoticus, apologia eadem.

HIERAX. HIERACAS.

VIdetur pro eodem legi apud Athanasium Hierax & Hieracas. Indicat aũt in epistola ad solitariam uitam agentes, fuisse presbyterum expulsum à Georgij lupi Alexãdrini factione in exilium. Meminit eius Athanasius oratione quinta cõtra Arianos: & in epistola ad Dracontium, in qua dilectum suum uocat presbyterum.

HELIODORVS.

EPiphanio libro tertio, tomo primo, hęresi septuagesimatertia, de numero eorum episcoporum est Heliodorus, qui fidei in synodo Seleuciana subscripserunt. Fuit autem episcopus Sozusæ Pentapoleos.

ILAMNON.

INter episcopos senes illos est, quos sub Sebastiano duce Ariani exilijs mulctarũt: Athanasius in epistola ad solitariã uitã agẽtes: Theodoretus lib. 2, cap. decimoquarto.

MARCI.

MArcos duos nominat Athanasius in epistola ad solitariã uitã agentes, inter episcopos Aegyptios & Lybicos, eos qui in exiliũ pulsi sint ab Arianis, sub Georgij tyranni de Alexandriæ. Idem tomo duodecimo ad Antiochenses, Marcũ quendã habet, seu ex his alterũ, seu aliũ, episcopũ Zygrorũ proximè ad Lybiã: quẽ adfuisse inquit in synodo Alexandriæ, & epistolę ad Antiochenos sub scripsisse. Rursus in apologia 2, eidem Marcus alius inter presbyteros & diaconos Mareoticos numeratur, qui ad synodũ in Tyro scripserunt, & Athanasium calumnijs de cõfracto poculo in Mareote liberũ pronunciarunt, & insontem. Deniq; & Marci cuiusdã mentio fit in accusationibus Athanasij, quẽ Athanasij calumniatores à presbyterio depositum, Pelusianæ Ecclesię ab eo, Callinico reiecto, præfectum finxerunt: apud Sozom. lib. 2, capite uigesimoquinto.

MVIS, MVIVS.

MVis Athanasio est, quem Theodoretus Muium uocat, episcop⁹ Aegyptius, qui in cõcilio primùm Tyri à parte Athanasij stetit, ac synodũ admonuit, ne quid in eum uiolenti fieri pateretur. Furore autẽ postea Arianorum in exilium expulsus est sub Constantio. Athanasius apologia secunda, & in epistola ad solitariam uitam agentes: Theodoretus lib. 2, cap. 14.

NILAMMON.

EPiscopus ex Ægyptijs & Libycis illis est, qui sub Georgio Alexandrino episcopo in exilium propulsi sunt. Athanasius ad solitariam uitam agentes: Socrates libro secundo, capite uigesimooctauo.

PHILO.

AEgyptius est episcop⁹ Philo, ex illis quos Ariana factio, cum Georgius Alexandrinum episcopatum inuasisset, in exiliũ expulit. Athanasius apologia de fuga sua, & in epistola ad solitariam uitam agentes: Theodoretus lib. 2, cap. decimoquarto.

PLENIVS, PSENOSIRIS.

EX ijsdem sunt Plenius & Psenosiris, apud Athanasium & Theodoretum ibidem.

PANCRATIVS.

EPiscopus Pelusianus est Pancratius, in synodo Sirmia: Socrati libro secundo, capite uigesimonono.

PLAVTVS, PLVTIO.

SVnt Athanasio in apologia secunda presbyteri duo Plautus & Plautio, uim ab Eusebianis passi: quos uerò synodus Sardicẽsis recepit, atq; ut innocẽtes crimine liberauit.

PISTVS.

MAreoticus est diaconus Pistus, eidem ibidem, in eadem epistola.

PSENOSYRIS, PLENAS. PHILON.

AEgyptij hi sunt episcopi, Arianorum sceleribus ab Ecclesijs in exiliũ exacti. Athanasius ad solitariam uitam agentes: Theodoretus lib. 2, cap. 14.

CVES, PAVLVS.

EPiscopi fuerunt Cues & Paulus, post monastices professionem. Cuem in superiori Thebaide fuisse, Paulum in Latorum ciuitate Aegypti, Athanasius indicat in epistola ad Dracontium.

POLLVX.

EPiphanio libro tertio, tom. primo, hęresi septuagesima secunda, Pollux episcopus est prouinciæ secundæ Lybiæ, in synodo Seleuciana contra ὁμοούσιον subscribens.

PTOLEMAEVS.

EIdem & Ptolemęus est episcopus Thmueos Augustonices, in eadẽ synodo subscriptor. Epiphanius ibidem.

POTAMON, SERAPAMNON.

FVerunt Aegyptij episcopi, cõfessores, Potamon & Serapamnon, patroni causæ Athanasij in synodo Tyri. Potamõ in pśecutione sub Diocletiano oculũ alterũ amiserat, sed in Eusebianorũ crudelitatẽ sub Cõstãtio nõ

minorẽ incidit. A' Philagrio enim & Gregorio, quos ad affligendos episcopos in Aegyptũ Eusebiani miserãt, cæsus durissimè & ꝑ mortuo abiect⁹ est, adeò ut post aliquot uix horas curationibus, fomentis q̃; recreatus animũ receperit, nec multo post ex dolore & plagis illis mortuus sit. Serapãnõ aũt in exiliũ missus est ab eisdẽ. Athanasius epistola ad solitariam uitam agentes, & apologia secunda. Sed quæ de Potamone Epiphanius, q̃ Heracleæ Asiæ, ut uidetur, episcopũ eum facit, retulit, adijcim⁹: Erat, inquit, inter eos (q̃ in synodũ Tyriã uocati fuerunt) beatus Potamon, magnus ille Heracleæ episcopus & cõfessor. Cum autem zelatus esset pro ueritate ac uera fide, liberũ habens os, & qui nunquã ꝑsonã alicuius suscepit (oculo enim in persecutione propter ueritatẽ orbatus erat) cũ uidisset Eusebiũ (Cæsariensem) sedentẽ ac iudicantẽ, & Athanasiũ stantẽ, superatus tristitia, & lachrymans ob ea quæ apud ueritatis professores fiũt, inuectus est uoce magna contra Eusebiũ, ac dixit: Tu sedes Eusebi, & Athanasius innocẽs existens à te iudicatur? Quis tulerit talia? Dic uerò mihi tu, nonne mecũ fuisti in carcere tẽpore persecutionis: & ego quidem oculũ amisi pro ueritate, tu uerò nihil mutilatum in corpore habere uideris, neq; testimoniũ per confessionẽ præbuisti, sed stetisti uiuens nulla parte detrũcata. Quomodo discessisti è carcere, nisi quòd promisisti his qui necessitatem persecutionis nobis intulerunt, id quod nefarium est, te facturũ esse? aut sanè fecisti? Epiphanius lib. 2, tom. 2, hæresi sexagesimaoctaua.

SERAPION.

SErapionis bis meminit Sozomenus, atq; aliàs Thmuæum, aliàs Thebanũ uocat: ut dubiũ sit, utrum Serapionẽ unũ & eundẽ, an duos intelligi uelit. Libro tertio, cap. decimoquarto ait, inter Ecclesiasticos uiros celeberrimos & eloquentes fuisse Serapionem Thmuæũ sub Cõstantio. Libro uerò 4, cap. 9 ait, Serapionẽ Thebanũ missum esse cum quatuor alijs episcopis Aegyptijs ad Constãtium post synodum Ariminensem & Seleucianam, ut eum sibi placaret: ac si opus esset, ad calumnias aduersariorũ suo loco responderet. fuisse enim & instructum ad dicendũ, & pietate ac uita illustrẽ Serapionem, ibidẽ indicat. Trittemius, ob ingenij elegantiam Scholastici cognomen ei fuisse affirmat: & librũ edidisse egregiũ aduersus Manichæũ (nã & inter confutatores Manentis Epiphanius eum numerat lib. secundo, tom. secundo, hæresi sexagesimasexta) alium item de titulis psalmorũ, & ad diuersos epistolas. Claruisse uerò anno Domini trecentesimo quadragesimo. Familiarissimus fuit Athanasio, ad quẽ frequenter scripsit. Extant & duæ epistolæ de spiritu sancto ad eundem ipsius Athanasij, in tomo quarto operum Athanasij: & aliquot rursus ad eundem epistolæ de causa Arianismi: & de Ario ipse, apologia secunda. In Epistola uerò ad Dracontium indicat Athanasius, Serapionem monachum primùm fuisse, deinde uerò episcopum constitutum non repugnasse. Meminit eius scriptorum Hieronymus in epistola ad Magnum oratorẽ. De Serapione apophthegma eiusmodi retulit Euagrius, qui Thmuitanæ eũ Ecclesiæ angelum dixit, Socrate adducente lib. 4, cap. 23: Mens spiritualem scientiã consecuta perfectè purgatur, dilectio uerò inflatas animi partes curat ac sanat, & malas cõcupiscẽtias affluentes sistit continentia. Adon Viennensis mortuum eum sub Constantio scripsit.

SEVERIANVS.

AEricanus est episcopus Seuerianus: Sozomeno lib. 4, cap. 15.

SERAPION.

SErapion episcop⁹ est Antipyrgi Libyę: so cius eius partis in synodo Seleuciana, quę homousion impugnauit. Epiphanius lib. 3, tom. 1, hæresi 73.

SERAS.

EPiscopus fuit Seras ex Paratonio Libyę, so cius partis in synodo Seleuciana Homousio aduersantis. Epiphanius lib. 3, tom. 1, hæresi septuagesimatertia.

THEOCTISTVS.

EPiscopus est Ostracines Ægypti Theoctistus, impugnator Homousij in synodo Seleuciana: Epiphanio lib. 3, tomo 1, hæresi septuagesimatertia.

VITELLIVS.

VItellius Afer Donatiani schismatis defensor fuit. Scripsit de seruis DEI odiosis mũdo: item aduersus Gentes, & aduersus traditores diuinarum scripturarum in persecutione. Claruit sub Constante. Gennadius.

ATHENODORVS.

EX Aegyptijs episcopis illis Athenodorus est, quos factio Ariana sub Georgio Alexandrino in exiliũ expulit: Athanasi⁹, apologia de fuga sua: Theodoretus lib. secundo, capite decimoquarto.

ATHANASIVS.

MEminit Athanasij cuiusdam Africani Sozomenus lib. 4, cap. decimoquinto, qui in fide inclinata ad Arianorum opinionem Antiochiæ, cũ Basilio Ancyrano, Eustathio & Eleusio consenserit.

ALEXANDER.

AFricanus est, consentiens formulæ fidei Arianorum, dictatæ Antiochiæ. Sozom. lib. 4, cap. 15.

ZOILVS.

EPiscopus est Andromenę Zoilus, Athanasio consentiens, cuius epistolæ ad Antiochenses

chenſes ſubſcripſit. Athanaſius tomo duodecimo ad Antiochenſes.

ARSENIVS.

EST in Catalogo epiſcoporum Ægypti, qui in ſynodo Sardicenſi pro Athanaſio ſubſcripſerunt, Arſenius, apud Athanaſium apologia ſecunda, in epiſtola Synodica. Qui an is fuerit, cuius opera in ſynodo Tyri Meletiani uſi ſunt, cum interfectum ab Athanaſio eum falſò criminarentur, incertum eſt. Quanquam ueriſimile eſt, eundem Arſenium, manſiſſe epiſcopũ: quia cum Athanaſio poſt detectas Meletianorum & Euſebianorum impoſturas in gratiam redijt, atq; amicitiam ſouit, quemadmodum in epiſtola Iulius Romanus epiſcopus teſtatur, apud Athanaſiũ apologia ſecunda. Epiſtola Arſenij ad Athanaſiũ, qua ſeſe ei purgat, ac ſe deinceps cum ſchiſmaticis non communicaturum promittit, extat in eadem apologia Athanaſij.

APOLLONIVS.

INterfuit ſynodo Seleucianæ Apollonius epiſcopus Oxyrinthi: & contra Homouſion ſubſcripſit. Epiphanius libri tertij tomo primo, hæreſi ſeptuageſimatertia.

ATHENODORVS. ADELPHIVS.

INter epiſcopos ſenes, Arianorum improbitate in exilium pulſos ſub Sebaſtiano duce, ſunt Athenodorus & Adelphius, Athanaſio in epiſtola ad ſolitariam uitã agentes. Idem tomo duodecimo ad Antiochẽſes indicat, Adelphium fuiſſe epiſcopũ Nupheos Lychnorum. Appellat eum fratrem & confeſſorem contra Arianos oratione quinta, quam ad hunc Adelphium miſit: ac ſignificat eum ſcripto contra Arianos pugnaſſe, atque ut pergat hortatur. Meminit Adelphij exulãtis in Diocæſarea Epiphanius libri tertij tomo primo, hæreſi ſeptuageſimaſecũda.

AGATHVS, AGATHODAEMON.

EXijſdem exulibus ſunt Agathus & Agathodæmon: eidem, ibidem.

FLAVIVS.

EST inter epiſcopos ſenes, ab Arianis in exilium exactos ſub Conſtantio, Flauius; Athanaſio, in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes.

SECVNDVS.

PResbyter fuit Barcæ Secundus: quem calculi obtritum, Secundus Pentapolitanus nominetenus (ut Athanaſius ait) epiſcopus, & Stephanº Ptolemaidis epiſcopus, in ipſa Pentecoſte interfecerũt. Is uerò cum occideretur, exclamauit: Nemo me apud iudicem uindicet. habeo uindicem Dominum IESVM, pro cuius nomine patior. Athanaſiº in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes.

DIONYSIVS.

DIonyſium quẽdam Hieronymus in ſcripto aduerſus Ioannis Hieroſolymitani errores nominat, eumq; confeſſorem & epiſcopum Dioſpolitanum uocat. Sed uidetur Aſiaticũ potius quàm Aphricanũ deſcribere.

OPTATVS.

AFer fuit Optatus epiſcopus Mileuitanus, ſub Valentiniano & Valente principibus, quemadmodũ Hieronymus indicat. Et quidem ipſe affirmat lib. 2, ubi Siriciũ Romanũ epiſcopũ ſociũ ſuũ nominat. Vir fuit inſtructus multiplici eruditione, Conſtãti pietate, & doctrina ſincera. Quod ei teſtimonio ſunt libri, quos cõtra Parmenianũ Donatiſtã ſcripſit, editos nuper, ſed immodicè corruptos, atq; infinitis mendis ſcatẽtes, ex bibliotheca Cuſana, per Ioannẽ Cochlæũ. Sunt aũt libri ſex: in quibus, etſi in cõfutandis falſis opinionibus Donatiſtarũ, eorumq; exagitãdis ſceleribus, iniuſta ui, factionibus, fraude, ſacrilegijs, &c. totus eſt, tamẽ & explicationes interdũ quarundã partiũ doctrinæ, pro cõfutationum ratione & occaſione admiſcet, de quibus nos hæc pauca annotamus.

De Deo primùm & trib. perſonis grauiſsimè ait lib. 5 contra Parmenianum: Si nobis derogatis, uel Deum reueremini, qui in Trinitate prior eſt, qui cum filio & Spiritu ſancto omnia operatur & complet, etiã illic ubi non fuerit humana perſona.

De Deo & Chriſto ceu ſymbolum deinde quoddam breue recitat in initio libri 1. Cunctos nos Chriſtianos, inquit, omnipotenti Deo fides una commendat, cuius fidei pars eſt, credere filium Dei Deum, iudicem ſeculi eſſe uẽturum, eum qui iampridem uenerat, & ſecundum hominẽ ſuum per Mariam uirginem natus eſt, paſſus, mortuº & ſepultus, reſurrexit: & antequam in cœlum aſcẽderet, unde deſcenderat, Chriſtianis nobis omnib. ſuam per Apoſtolos pacem dereliquit.

De Chriſti merito, libro tertio contra Parmeniani factionis impiæ, de redimendis animabus, opinionẽ, ait: Cõſtat ſanguine Chriſti omnes redemptos. Chriſtus nõ uendidit, quos redemit. Animæ emptæ à Chriſto non potuerũt uendi, ut poſsint, ſicut uultis, à uobis iterũ redimi. Aut quomodo poteſt una anima duos dominos habere? At nunquid eſt alter redemptor, quàm prophetę pronunciauerunt? Alterum eſſe uenturum, quis Gabriel iterũ ad alterã Mariã locutus eſt? Quæ uirgo iterũ peperit? Quis uirtutes nouas aut alteras fecit? Si nullus eſt præter unum, qui redimit animas omnium credentium, quid eſt quod dicitis, Redimite animas ueſtras?

De creatione rectè ait, in ea totam Trinitatem ſimul operatam eſſe: libro quinto.

De libero arbitrio, libro ſecundo: Eſt Chriſtiani, inquit, hominis, quod bonum eſt uelle, & in Deo quod bene uoluerit, currere. Sed homini non eſt datum perficere, ut poſt

ſpacia, quæ debet homo implere, reſtet aliquid Deo, ubi deficienti ſuccurrat: quia ipſe ſolus eſt perfectio, & perfectus ſolus Dei filius Chriſtus.

De peccato originis dicta uidetur apud eundem hæc ſententia, libro quarto: Neminem fugit, quòd omnis homo qui naſcitur, quamuis de parẽtibus Chriſtianis naſcatur, ſine ſpiritu mundi eſſe non poſsit.

De fide dixit lib. quinto: Fidem filiũ Dei & ſanctitati ſuæ anteponere, & maieſtati.

Et de pœnitentia lib. ſecundo contra Phariſæum inflatum ait: Deus paratus eſt ignoſcere, & reus feſtinat indulgentiam recuſare. Et ibidem: Meliora ſunt peccata cum humilitate, quàm innocentia cum ſuperbia.

De Baptiſmo (in cuius partis doctrina explicanda diligẽs cum primis eſt, & multus) habet aliquot illuſtres ſentẽtias. ut lib. ſecundo: In ſacramentis Trinitati concurrit fides credentiũ, & profeſsio, quæ apud acta conficitur angelorũ, ubi miſcentur cœleſtia & ſpiritualia ſemina, ut ſancto germine noua poſſit renaſcentiũ indoles procreari. Vt dũ Trinitas cũ fide concordat, qui natus fuerit ſeculo, renaſcatur ſpiritualiter Deo. Sic fit hominum pater Deus, ſancta ſic fit mater Eccleſia. Et rurſus de Baptiſmi effectu lib. 5. Quis fideliũ, inquit, neſciat, ſingulare baptiſma uirtutũ uitã, criminũ mortẽ, natiuitatẽ immortalem, cœleſtis regni cõparationẽ, innocẽtię portum, peccatorũ naufragiũ? Has res unicuiq; non eiuſdem rei operarius, ſed credentis fides & Trinitas præſtat. In quam ſententiam prolixè diſputat, nimirum nihil conferri baptiſmo à dignitate, aut detrahi ab indignitate perſonæ baptizantis: contra Donatiſtarum opinionem. Ac ſæpe inculcat, ſacramẽta ſancta eſſe per ſe, nõ per homines. Et: Non poteſt mun⁹ ab homine dari, quod diuinũ eſt. Et: Deus lauat, nõ homo. Et: Sordes mentis lauare non poteſt, niſi qui eiuſdẽ fabricator eſt mentis. Et: Eſt in uobis uniuerſis ſeruiẽtib. nõ dominiũ, ſed miniſteriũ.

In Euchariſtia tantum alterius partis meminit, & reuerenter ait libro ſexto: Calices ſanguinis Domini portatores.

Eccleſiam catholicam eam eſſe dicit, quæ ſit diſperſa per totum terrarum orbem, ac notis ſuis circũſcripta ſit: ut cathedra, id eſt miniſterio, ſpiritu ſancto, baptiſmate, cœna Domini, ſymbolo. Quæ omnia Eccleſiæ uocat dona, libro ſecundo. Nominat & diſertè Chriſtum regẽ, ſponſum & caput Eccleſiæ: libro tertio. Ac multis probat, Eccleſiam, quę una tantum ſit, apud hæreticos eſſe non poſſe: libro ſecundo.

De uotis nihil habet. Sed de caſtitate memorabiliter inquit lib. ſexto: Rem ſcilicet eſſe uoluntatis, non neceſsitatis. Ita & de ornamentis caſtitatẽ ex uoluntatẽ profitentiũ contra ſuperſtitionem ait: In mitella ſignum eſt uoluntatis, nõ caſtitatis auxiliũ. ibidem.

Aſpergit interdum in explicationibus dictorum Scripturæ & cõcinnas allegorias: Vt quòd ad ſententiã Pauli ueſtem nuptialem interpretatur Chriſtum. Et pulchrè addit, ueſtem eam multos ueſtire, & infinitos expectare, nec ueſtiendo deficere. Item, Eſt tunica ſemper una, & innumerabiles quæ decenter ueſtiat, & omnes ætates & formas, nec in infantibus rugatur, nec in iuuenibus tenditur, nec in fœminis immutatur, &c. in fine libri quinti. Et quòd per hoſpitem Euangelicum, ſaucium curantẽ, ſignificatum eſſe ſentit Paulum apoſtolum: per duos denarios, duo teſtamenta, &c. libro ſexto.

Habet tamen quædam incõmoda autoris, alioqui pius, elegans & diſertus: quòd ex ſcripturis quædam aliter allegat, quàm in ueſitatis exemplaribus habẽtur: ſed quod ſatis indicat, alia eum uſum translatione, quàm quę hodie uulgata eſt. Tum quòd de diſcrimine Baptiſmi inter ſchiſmaticos ac hæreticos, Cypriani uidetur ſententiam approbare & ſequi: nõ eſſe uidelicet apud hæreticos ſacramenta, quæ catholicis & ſchiſmaticis tamen poſsint eſſe cõmunia. Deniq; & hoc forſan nõnullos offendat, quòd nimiũ extollit cathedrã Petri, & ſucceſsionẽ Romanorũ epiſcoporũ, lib. 2. Tum q, Petrũ ſolũ acceptiſe affirmat lib. 1. Poſtremò, q, ad eandẽ alluſionẽ, Rempub. eam in qua ſit Eccleſia, Imperium ſentiat eſſe Romanũ, quod Libanũ appellet Chriſtus in Canticis: Veni ſpõſa mea, inuenta de Libano, id eſt de imperio Romano: Vbi & ſacerdotia, inquit, ſancta ſunt, & pudicitia & uirginitas, quę barbaris gentib. nõ ſunt: & ſi eſſent, tota eſſe nõ poſsẽt. Lib. 3.

Atq; hæc de doctrina Optati. Nunc de certaminib. eius pauca ſubijciem⁹: cætera expeditius peti poſſe iudicamus ex libris contra Parmenianũ, in quib. præcipuè cõtra doctrinam & uitam, hoc eſt, crimina falſa & flagitia Parmeniani & Donatiſtarũ pugnat. Dixerat primùm Parmenianus, quem incõſideratum uocat ſcriptorẽ, Carnẽ Chriſti peccatricẽ Iordanis demerſam diluuio, ab uniuerſis ſordib. eſſe mundatã. Quam incõſideratã uocẽ aliquot cõfutat rationibus: ut, quòd in nomine Chriſti, nõ in carne Chriſti baptizamur. Item, q, cõcepta de Spiritu ſancto Chriſti caro, in remiſsionẽ peccatorũ tingi nõ poſſit, cũ peccatũ nullũ admiſiſſet. Deinde obiecerat Parmenian⁹, Eccleſiã apud ſolam ſuam ſectã eſſe. Confutat Optatus: Si in angulo tuo ſolo Eccleſia eſt, quomodo erit in reliqua Africa, in reliquis terris per orbem, in quibus certè conſtat eſſe Eccleſiam? Deinde quomodo dici poterit Eccleſia catholica, ſi non

si non intelligatur catholicũ hoc esse, quod per uniuersum orbem terrarũ diffusum sit? Tertiò: Quę ueritas erit etiã dictorum de Ecclesia in omnib. gentib⁹? ut Psalmo secũdo, Dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã: &, Dominabitur à mari usq; ad mare. Quartò, probat non esse Ecclesiam apud Parmeniani factionẽ, quia careat donis quę sint Ecclesię ꝓpria.

Porrò ad hoc quod dixerant Parmeniani sectatores, Attendite, &c. redimite animas uestras: respondet memorabili sententia, quã paulo antè posuimus: Nihil scilicet opus habere propria redemptione Christianorum animas, quas Christus suo sanguine semel, quod constet, redemerit.

Contra ea deniq; quæ de Baptismo, non erronea solum, sed & blasphema protulerãt, disputat cùm eruditè, tum prolixè per totũ librum quintũ. Primùm enim dixerant, nullam esse in baptismo Trinitatis efficacẽ operationem, ubi non accessisset ipsorũ præsentia. Quod sic refellit: Deus, qui Trinitate pater est, cũ filio & spiritu sancto suo omnia operatur & cõplet: ibi etiã, ubi non fuerit humana præsentia. Sicut enim in aquarũ generatiõe Trinitas operata est, cui uos nõ interfuistis: ita & in baptismo absq; uestra præsentia operari potest. Deinde & baptismum geminari in Ecclesia licere cõtenderant, quod uerò pluribus confutat: Traditum scilicet diuersum esse in Euangelio, hoc nimirum, quòd ad Petrum Christus dixerit, Qui semel lotus est, non habet iterum lauandi necessitatẽ. Qui semel (inquit Optatus) dixit, prohibuit iterum fieri. Et de re locutus est, non de persona. nã si esset distantia, diceret, Qui semel bene lotus fuerit. sed dum nõ addidit uerbũ, indicat bene: quia quicquid in Trinitate factũ fuerit, bene est. Inde est quòd simpliciter à uobis uenientes excipimus. Cum dicit. Nõ habet necessitatẽ iterũ lauãdi: Ideo quoties à uobis baptizatus aliquis ad nos transitum uoluerit facere, uenientẽ hoc magistri exemplo tota simplicitate suscipimus. Absit enim, ut iam lotũ reuocem⁹ ad fontẽ: absit, ut in spiritũ sanctũ peccemus, cui facinori præsenti & futuro seculo indulgentia denegatur. Absit, ut iterem⁹ quod semel est, aut publicemus quod unũ. sic enim scriptũ est: Vn⁹ Deus, un⁹ Christ⁹, una fides, una tinctio. Quod ibidẽ prolixius urget, & explicat.

Cæterũ id quod ad perfectã, baptismi operationẽ, administrantis uirtutẽ desiderari: talesq; administratores, quorũ uirtute baptismus ꝓficeretur, sese esse dixerãt, id uerò grauiter diluit: Estis ministri tantũ ceremoniæ, inde ut alij: nec pertinetis ad mẽbra baptismi immutabilia & necessaria, Trinitatẽ scilicet & fidẽ, quarũ efficacia baptism⁹ ꝓficitur: sed estis persona adscita, quę mutari possunt. Et: Videtis omnes eos qui baptizant operarios esse, nõ dominos: & Sacramenta sancta esse ꝑ se, nõ per homines: nec posse mun⁹ ab homine cõferri, quod DEI propriũ sit: & DEI esse mundare, nõ hominis. iuxta prophetã: Abluit Dominus sordes filiorũ & filiarũ Sion. Item: Lauabis me, & dealbabor. Itẽ: Peccata uestra ut niuem dealbabo, &c. Concedite ergo DEO, præstare ea quæ sua sunt.

Obiecerat postremò & illud Parmenian⁹, Beneficium seu munus baptismatis nõ esse accipiẽtis, sed datoris: ac penes ministrũ partẽ esse dationis eius, seu muneris. Cõfutat id utilissima doctrina de ui fidei: Gratiã, inquit, DEI fine dubio is cõsequitur, q credit: nõ ille, pro cuius uoluntate, ut dicitis, sanctitas uestra intercedit. Operarios uos ergo serò cognoscite. Nã sicut infector solo contactu suo colorẽ precio sum uelleri addere, aut purpuram conficere sine pigmentis nõ potest: sic nec operarius baptismatis, ex se, sine Trinitate, dare aliquid potest. Quid uultis uestrũ esse totum, ubi nec partem poteritis habere?

Alius est Optatus, ut uidetur, episcopus Aegyptius, qui cum Athanasio patrocinator causæ suæ in synodum Tyriam uenit. Athanasius apologia secunda.

PROSPER.

EPiscop⁹ fuit Numidiæ. Hoc enim nomine legitur in lib. Cõciliorũ, in quo ad Prosperũ extat Damasi episcopi Romani epistola.

PHILO.

EPiscopus Libycus est Philo, qui se nunquam Ariana polluit prauitate: Hieronymo, in Chronico, sub anno Christi 374.

PRISCVS, EVBVLVS.

HIeronymus in epistola quadam ad Theophilum Alexandrinum, sanctos appellat fratres Priscum & Eubulũ, zelo fidei feruentes, quorum opera per totã Palæstinam Origenistæ conticuerint. Videntur autem è cõtubernio, aut ex ministris fuisse Theophili.

STEPHANVS.

STephani archiepiscopi Mauritanię epistola ad Damasum, eiusdemq; ad Stephanũ uicissim, extat in tomo primo Conciliorũ.

IOANNES, ANTIOCHVS.

APpellat cõpresbyteros suos Ioannem & Antiochũ Athanasius in epistola quadã, quã Hierosolymis sibi ab ipsis missã indicat. Meminit in ea epistola episcopi Basilij. Athanasius epistola ad Ioanẽ & Antiochũ, post epistolã ad Iouinianũ Imperatorẽ de fide. Videntur autem hi duo fuisse Asiatici.

LVCIFER CARALITANVS, PHYLO.

NOminat inter episcopos qui nunquam Ariana se labe polluerũt, & Luciferum Caralitanum, & Phylonem Libyę, Hieronymus in Chronico, sub anno Christi trecentesimo septuagesimo quarto.

PROFVTVRVS.

PRofuturum quendam fratrem ſuum Auguſtinus uocat, deinde & collegam ſuũ, & epiſcopum factum: eoq; breui functum, diem ſuum obijſſe, indicat in epiſtola ad Hieronymum.

TICHONIVS.

AFer fuit Tichonius, homo literatus, & inſtructus cognitione gentiliũ & Eccleſiaſticarum rerũ: ſed Donatiſta, & Chiliaſta. Scripſit de bello inteſtino, & explicationes diuerſarum cauſarum. Regulas item de inueſtigatione intellectus ſcripturarum, & cõmentarium in Apocalypſin. Gennadius.

VALERIVS.

EPiſcopus fuit Hipponenſis, homo Græcus, ideoq; ad dicẽdum latinè minus inſtructus: ſed pius, & cum ſolicitudine Eccleſiam ſuam gubernans. Is Auguſtino ſynergo primùm uſus, deinde epiſcopum eum fecit. Teſtatur id Auguſtinus epiſtola trigeſimaquarta ad Paulinum, & Poſsidonius in uita Auguſtini.

IN INSVLIS MARIS MEditerranei doctores Eccleſiæ.

NARCISSVS, FELIX.

VIncentio libro duodecimo, cap. quinto, Narciſſus epiſcopus eſt Auguſtę in Creta, cõuerſor Hilariæ meretricis cum Affra filia. Felix, eius diaconus.

IRENIVS.

NIcephoro Irenion epiſcopus eſt Cretenſis, ex eorum numero qui ſub Iouiniano Nicænam fidem amplexi ſunt, & ex ſynodo Antiochena ad Imperatorem ſcripſerunt. Socrates lib. 3, cap. 25.

ANATOLIVS.

ANatolium epiſcopum Euboiæ fuiſſe, & ſynodo Antiochenæ, ad quam ex cõuentu ſuo Athanaſi⁹ ſcripſit, interfuiſſe, indicat idem tomo duodecimo ad Antiochenſes.

DE EPIPHANIO.

PRæfixa eſt Epiphanij libro, quem Ancoratum inſcripſit ipſe, breuis narratio de eius uita, autore non addito, quæ Eleutheropolitanum fuiſſe Epiphaniũ indicat: quod clarius explicans Sozomenus libro ſexto, capite trigeſimoſecundo, ait eum natũ in uico quodam, quem Beſanducen nominat, uicino Eleutheropoli in Palæſtina. Sed quos habuerit parentes, nec narratio illa, nec Sozomenus meminit. Miſſus eſt aũt puer adhuc in Ægyptum, ubi & ſtudia ſua inchoauit, & prima iecit pietatis fundamenta: præceptoribus uſus, ut Sozomenus teſtatur, optimis monachis, quorũ cõtubernio & diſciplinæ pluſculis, ut uidetur, annis adhæſit, ad annũ ſcilicet ætatis uſq; uigeſimum. Ac fuiſſe ſe in Ægypto adoleſcentem, affirmat ipſe lib. 1, tomo 2, hæreſi uigeſimaſexta: ubi à Gnoſticorum mulieribus, magno ſtudio ad hęreſin ſolicitatum, ſed non obſecutum narrat.

Progreſſus ex Ægypto, in Palæſtinam rediit, in fines Eleutheropolitanos: ubi monaſterium eum cõſtruxiſſe, narratio illa de qua diximus indicat. Ac philoſophiam eum ibi monaſticam aliquandiu magna cum laude & celebritate exercuiſſe, Sozomenus tradidit. Nec dubium eſt, eum in monaſtico illo ocio conſcripſiſſe eximium illud contra omnes hæreſes, & prolixum opus: quo tempore Romæ regnarunt imperio coniuncto Valentinianus & Valens, quemadmodum ipſe indicat in præfatione: & libro primo, tomo tertio, hæreſi quadrageſimaoctaua. Ac Sozomenus indicat, eum, priuſquam in Cyprum profectus ſit, in Palæſtina habitaſſe, ſub Valente & Valentiniano. Fuiſſe aũt presbyterũ Monaſterij, Hieronymus retulit in epiſtola aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani.

Sed qua occaſione, aut quo tẽpore ad epiſcopatum Salaminę, quæ Conſtantia poſtea dicta fuit, Cypriorum metropolis (quemadmodum Hieronymus & Suidas retulerunt) adſcitus ſit, affirmare non poſſumus. Hoc ex multorum teſtimonijs, quos recenſebimus, indicare poſſumus: multis præſtantibus uirtutibus, cùm in profeſsione monaſtica, tum uerò epiſcopatu Conſtantienſi ornatũ fuiſſe. Excellentem enim pietatem, quæ in homine Chriſtiano laus prima & egregia eſt, atq; ingenium ſimplex, Socrates ei tribuit libro ſexto, cap. decimo. Hieronymus uerò, qui eum reuerenter aliquoties Papam nominat (ut in epiſtola ad Euſtochium, ad Fabiolam, & apologia aduerſus Ruffinum) laudẽ ei tribuit ſcientiæ, uitæ meritum, ſicut ipſe loquitur, ac totius orbis teſtimonium: autoritatem etiam, grauitatem & uenerationem tantam, ut & inimiciſsimus pietati ſinceræ Valens Imperator, anteſignanus Arianorum & Eunomianorum per orbem uniuerſum graſſantium, uim ei nullam intulerit: atque ignominiæ & probri ſibi loco duxerint hæretici regnantes tum, tanta præſtantem reuerentia uirum, perſecutione aliqua inceſſere. Quin & Auguſtinus ad Quoduultdeum, celebritatis doctrinæ in fide catholica laudem ei tribuit. Sozomenus aũt & alias eius uirtutes enumerat epiſcopo digniſsimas, ut beneficentiam & liberalitatem in egenos, aut naufragos, aut alio quocunq; modo calamitoſos. Ac narrat, eum & proprias ſuas, & Eccleſiæ cõmunes facultates, in uſus pauperũ expendiſſe. Addit & illud: Ad Epiphanium tanquam communem œconomũ, miſiſſe pecunias, quicunq; benefacere pauperibus uoluiſſent. Ac probatam inuſitata quadam re miraculo

miraculo nõ absimili, aliquando Epiphanij pietatem fuisse narrat. Cum enim distributionibus in pauperes fortè totũ exhausisset Ecclesiæ ærarium, molestè ferens & iratus Ecclesiæ œconomus, Epiphaniũ durius reprehendit, prodigum eum dicens: cum non ita multò pòst loculi auro referti in œconomi ædes de improuiso à quodam illati sunt: qui nec quis esset, aut ex quo loco, cuius ue nomine aurũ attulisset, scire postea potuit. Nec uulgaris hæc commendatio est, qua audacem se esse ipse negat, & suam se agnoscere tenuitatem ait libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimanona. Sed & excellentem pietatem coniunctam cum ingenij simplicitate, Socrates ei tribuit libro sexo, capite decimo. Eruditione quantum excelluerit, scripta ipsius testantur. Nulla certe philosophiæ pars est, quã non exactè tenuisse, ipse sibi testimonio est: & indicant multarum rerum explicationes, quas subinde ad fontes suos reuocat: ut quòd Paschatis celebrandi tempus ex solis & lunæ metitur motu: & Epactarum rationem tradit libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesima. Tum quantum cognitione Physices præstiterit, testantur explicationes naturarum plurimorum animalium. Nec rudem fuisse linguæ Ebrææ, ex libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimanona uidere est: ubi insolitiæ eius linguæ Arianos arguit, & interpretationem quandã Aquilæ reprehendit. Nunc de scriptis eius dicemus: ex quib⁹ nobilissimum Opus illud est cõtra octuaginta hæreses, quod πανάριον ipse in epistola ad Acacium & Paulum presbyteros dixit, & in Anacephaleõsi: item Capsulam medicam, & Arculam. Suidas λόγος πανερίων appellat. De quo scripto Augustinus ad Quoduultdeum hæc retulit: Noster, inquit, Epiphanius Cyprius episcopus, abhinc non longè humanis rebus exemptus, de octoginta hæresibus loquẽs, sex libros etiam ipse conscripsit, historica narratione commemorans omnia, nulla disputatione aduersus falsitatem pro ueritate decertans. Breues sanè sunt libelli, & si in unum librum redigantur, nec ipse erit nostris, uel aliorum quorundam libris longitudine comparandus. Ex quibus tamen uerbis liquet, Augustinum id operis quod Panarium Epiphanius inscripsit, non habuisse, neque uidisse. Nam Epiphanius multus est in historia recensenda, quod ad originem, studia, patriam hæreticorum, hæresis occasionem, successum, incremen tum & alia attinet, per singulas adeò hæreses. Deinde prolixus est in confutandis ac condemnandis hæresibus, per ueras scripturas, earumque interpretationes. Quare argumenta forsan sola, præfixa Tomis librorum Epiphanij, quæ sic uocet breues libellos, aut Anacephalæosin saltem habuisse Augustinus uidetur.

Sequens Epiphanij scriptum, liber est cui Ancoratus titulum fecit, scriptus ab eo ad patres Pamphiliæ & Pisidiæ, sicut ipse in eodem testatur, anno Valentiniani & Valentis decimo, Gratiani sexto, consulatu Gratiani Augusti tertio: & Escythij, quem Cassiodorus Equitium appellat, indictione undecima. Dictum autem Anchoratum (quanquam Ancyrotum Socrates nominat libro quinto, capite uigesimoquarto: & Anchoram Sozomenus libro octauo, capite undecimo) narratio illa de Epiphanio indicat, ideo quòd instar anchoræ ducat mentem de uita & salute perscrutantem: eiusque argumentum esse ait, probationem coessentialitatis patris & filij & spiritus sancti, & perfecti Christi in carnem aduentus: item resurrectionis mortuorum & uitæ æternæ, simulque de iudicio carnis & animæ: item contra simulachra, & hæreses ac Iudæos. Epiphanius ipse libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimaquarta, librum eundem, Sermonem longũ uocat de fide. Et lib. secundo, tom. secũdo, hæresi sexagesimanona, appellationis eius hanc ostendit rationem: Ei libro, inquit, imposuimus Ancorati nomen. Etenim quemadmodum exigua mens nostra ualuit per Dei auxiliũ, ex uniuersa scriptura doctrinæ Dei ueritatẽ congregantes, ueluti anchoram his qui uolunt, sanctam patrum fidem, Apostolicamq; ac Propheticam, & ab initio usq; huc in sancta Dei Ecclesia prædicatam, clarè proposuimus, quo contineatur ac muniatur cogitatione, diaboli uafricijs excitetur, neq; à tempestate ab hæresi multiplici in mundo commota lædatur.

Ancorato subiungitur Anacephaleõsis, seu summa totius operis Panarij. Postremus est liber de Mensuris & Ponderibus.

Scripsit & Epistolam ad Ioannem episcopum Hierosolymitanum, quam Hieronymus latinam recitat, de erroribus Origenis, quorum Ioannem accusauit. Ait & in epistola aduersus Ioánem Hierosolymitanum: Præsto sunt plures epistolæ Epiphanij, una ad ipsum Ioannem, aliæ ad episcopos Palæstinos, & nuper ad Romanum pontificem. Meminit idem & libelli Epiphanij de lapidibus, pluribus in locis, ut libro nono commentarij in Ezechielem: ubi, Vir sanctus, inquit, Epiphanius episcopus, proprium uolumen de naturis lapidum mihi præsens tradidit. Et in epistola ad Fabiolam, de ueste sacerdotali: Sufficiat, inquit, quòd sanctus papa Epiphanius, egregium super De lapidum & gemmarum causis uolumen

edidit: quod si legere uolueris, plenissimam scientiam consequêris. Rursus libro decimoquinto commentarij in Esaiam: Vir sanctus, ait, & uenerabilis memoriæ episcopus Epiphanius, insigne nobis ingenij & eruditionis suæ reliquit uolumen, quod inscripsit περὶ λίθων. Hieronymus etiam uitam Hilarionis monachi ab eo descriptam tradidit, in uita Hilarionis. Quod ad genus orationis attinet, pollicetur ipse in præfatione Panarij, se non uerborum eloquentia, nec dicendi lepiditate aliqua, sed simplici loquendi idiomate, simplici sermone uti.

Significat autem se profiteri doctrinas traditas à Spiritu sancto: libro secundo, tomo primo, hæresi quinquagesimaprima. Et memorabiliter inquit, in Compẽdiaria ratione doctrinæ catholicæ libro tertio, tomo secundo: Nihil esse ociosum aut fallax in scriptura. In Ancorato: Scripturę non errant, quę sunt uita nostra. Libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimanona: In sacra scriptura nihil est obliquum, neque tortuosum, sed omnia mirabiliter ad nostram salutẽ scripta sunt. Item, Nullam esse pugnantiam aut contrarietatem in sacris scripturis: libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesima & septuagesimatertia: ut quæ radius sit ueritatis, sicut inquit libro primo, tomo tertio, hæresi trigesimaquarta. ubi & breue recitat de Trinitate Symbolum: Credimus, inquit, sicut penitus ueritas adparet, & recta cogitatio suggerit, ac ueluti pietatis regulę consentaneum est, legiq; ac prophetis, & ab origine iuxta successionem patriarchis, ipsiusq; Saluatoris nostri doctrinæ: cum etiam Apostoli ipsius manifestè doceant, unum confiteri Deum patrem omnipotentem uniuersorum, & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & sanctum eius Spiritum, unam sanctam Trinitatem increatam, &c. Recitat eruditius & plenius Symbolum libro primo, tomo secundo, hæresi trigesimaprima.

Rursus in Compẽdiaria ratione doctrinæ catholicæ: Sancta Ecclesia, inquit, Deum confitetur patrem et filium et spiritum sanctum, patrem perfectum, filium perfectum, spiritum sanctum perfectum, coessentialem Trinitatem: non coniunctionem ipsam Trinitatem: imò filium uerè ex patre genitum, & spiritum sanctum à patre & filio non alienum: ita ut sit semper Trinitas, & nunquam additionem suscipiat, & non habeat quid in se ipsa inferius, sed ad unam unitatem, & unum principium Dei & patris reducatur.

De duabus naturis in Christo, diuinitate & humanitate, de merito ac beneficijs Christi, ita sentit sincerè, ut quicquid in aliquam earum partium ab hæreticis confictum sit, grauissimè confutet; & uerum Deum ac hominem esse Christum, firmissimis rationibus ex scriptura petitis, probet. Libro secundo, tomo primo, hæresi quinquagesimatertia ait: Vndique muniens diuina scriptura Deum & hominem Christum nouit, Deum ex Deo, ex supernis delatum, hominem ex Maria sine uirili semine genitum. Et libro ac tomo eodem, hæresi quinquagesimaquinta: Primùm se ipsum obtulit, ut solueret sacrificium ueteris Testamenti, cum perfectius & uiuens pro toto mundo obtulerit, ipse uictima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse pontifex, ipse ouis, ipse agnus: omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis uita omnibus modis fieret, &c.

Spiritum sanctum pluribus in locis, multis testimonijs probat esse Deum: ut libro secundo, tomo primo, hæresi quinquagesimaoctaua. Et libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimasexta: Sanctus Spiritus, inquit, spiritus patris, spiritus Christi est, non creatus, non genitus, non cõfrater, non propater, non nepos, incomparabili essentia patris & filij & spiritus sancti, excedente omnem intelligentiam, & omnem mentẽ, non solùm hominum, sed & angelorum. Item libro ac tomo eodẽ, hæresi septuagesimaquarta: Spiritꝰ sanctus cum patre & filio Dominꝰ appellatur. Spiritꝰ enim Domini repleuit orbem terrarũ, spiritus ueritatis, spiritus Dei. spiritꝰ enim Domini dicitur, & ex patre procedens, & de filio accipiens, largiensq; dona diuersimodè prout uult, perscrutans etiam profunditates Dei, et cum filio existẽs, baptizans, obsignans, perficiẽs obsignatum, &c.

De creatione rectè sensit, patrem scilicet, filium & spiritũ sanctum, mutuo opificio omnia condidisse, quemadmodũ & hominem: libro primo, tomo tertio, hæresi quadragesimasexta: & libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimanona. ubi: Omnia, inquit, opera quæcunq; sunt, simul ex patre filio & spiritu sancto facta sunt: per ipsum enim omnia facta sunt à patre, & ipse omnia operatus est cum patre ac sancto Spiritu. Omnia item perfectè initio à Deo uirtute uerbi cõdita esse: ex quibus tamen quædã homini ita tradita sint à Deo, ut ipsius opera & dominio ad propagationẽ opus habeant, Deo incrementa conferente in hoc, ut autorem & benefactorem Deum homo agnoscat: lib. tertio, tomo primo, hæresi septuagesimasexta.

Tradit & angelos à Deo creatos esse, ac longè infra dignitatẽ esse filij Dei, in Ancorato. Et lib. 2. tomo 2. hęresi sexagesimanona: Angeli creati & facti, ex unigenito ipsum esse habuerunt. Et quidẽ spirituales facti, & tamen creaturæ ipsius existentes, & infinitè essentia eius inferiores, utpote q opus ipsius

sunt, carnem non acceperunt. Quosdam uerò eorum in officio, ad quod à Deo conditi erant, particularis scilicet prouidentiæ, permansisse ait: alios prauos factos, & cecidisse, libro secundo, tomo primo, hæresi sexagesimaquarta. Ex lapsis igitur diabolum esse. de quo libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimasexta: Diabolus, inquit, non malus creatus est. Nihil enim malum Deus fecit. In principio itaque malus non erat: uerùm euasit malus. De eodem, libro secundo, tomo primo, hæresi sexagesimaquarta. Erat (diabolus) lucis sidus matutinum: sed excidit, & in terram contritus est, ubi procurasset homini cõtraria. Deus enim indignatur superbis, & contumacem sententiam impedit: inuadit autem, ut uersibus dicam,

Conflictu, uelut qui principium, finisq; sit
Mortalium serpens malorum statui,
Thesaurum habens adeò grauem secum mali.
Errore cæcus, ignorantiæq; dux,
Vitæ lachrymis gaudens, simul suspiriis.
Ad improbas persuadet hic iniurias,
Consanguineas armemus ut contra manus
Fratres. Cain perduxit, ut resperserit
Cruore primus terram sæuus rubido,
Et primus ut noster parens cœlestibus
De sedibus miser ruinam fecerit.

De homine ibidem: Homo est, inquit, eminentissima super omnia in terra creatura, qui ad principatum creatus est à Deo, inenarrabili sapientia, &c.

De paradiso rectè sensit, fuisse locum in terris uisibilem: idque probauit ex Geneseos textu, in Ancorato.

De hominis lapsu & peccato, libro primo, tomo tertio, hæresi quadragesimasecunda: Redarguantur, inquit, qui dicunt semper ab initio esse malum. Nam neq; ab eo tempore quo formata est, caro peccauit, ut ne plastes causa peccati putetur, qui carnem peccatricẽ crearit: neque ante formationem malũ extitit: uerùm post tempus ipse Adam in inobedientiam collapsus, cum haberet liberum arbitrium in propria uoluntate, à se ipso peccatum intra se excogitatum commisit, ubi uidelicet eundem Dominum per inobedientiam spreuit.

De libero arbitrio, libro secundo, tomo 1, hæresi sexagesimaquarta: Spontaneam, inquit, ad utraque uoluntatem, Deus hominibus, perinde ut angelis, constituit, ut aut obedientes uerbo essent cum ipso, & acciperent beatitudinem, eaq; fruerentur: aut non obedientes, iudicarentur.

De peccato, libro primo, tomo tertio, hæresi quadragesimasecunda,: Est unus Deus qui omnia fecit, & qui fecit benè, & nõ contrariè. Nostrum autem est, peccare & errare, siue uolumus, siue nolumus. Et libro secundo, tomo primo, hæresi sexagesimaquarta: Deus optimus artifex, templum suũ hominem, qui instar syluestris ficus peccatum produxit, breuibus mortis ictibus dissoluit, occidens (uelut scriptum est) & uiuificans, quo rursus earundem partiũ caro, post exiccatum ac mortuum peccatum, instar renouati templi, immortalis & illæsa excitetur, peccato perfectè & funditùs perdito. Viuente enim adhuc corpore, antequã moriatur, necesse est simul uiuere peccatum, intus in nobis radices suas abscondens, etiamsi forinsecus per castigationum ac admonitionum sectiones fuerit refrenatum. Alioqui post illuminationem non contingeret nos iniusta facere, utpote peccato penitus sinceriter à nobis ablato. Nunc uerò etiam postquam credimus, & ad aquam purificationis deuenimus, sæpe in peccatis reperimur. Nemo enim sic se ipsum à peccato alienum esse iactet, ut neq; omnino in animo de iniquitate cogitet. Quare constat, contrahi quidem ac sopiri per fidem peccatum, ut ne fructus noxios producat: non tamen radicitùs tolli, &c.

Et ibidem: Ex quo hominem seductum contigit mãdatum spernere, hinc ex inobedientia contigit, ut peccatum accepta occasione in ipso inhabitarit. Sic enim primùm seditio incidit, distractionibusq; ac cogitationibus alienis impleti sumus, euacuati quidem ab insufflatione Dei, impleti autem cõcupiscentia materiali, quam multiplex serpẽs in nos inspirauit, cum breuis transgressi essemus mandati Dei circulũ. Quapropter etiam mortem Deus, ad sublationem peccati, propter nos repetit, &c.

Repugnandum esse peccatis, nec laxandas habenas cupiditatibus, prolixa docet oratione, enarrãs integrum caput ad Romanos septimum, libro secundo, tomo primo, hæresi sexagesimaquarta.

De legis officio rectè sentit, esse scilicet ex ea cognitionem peccati: lib. secundo, tomo primo, hæresi sexagesiquarta. Et memorabiliter ait libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimasexta: Sicut quis pædagogum habens, ubi peruenerit ad ætatem, non omnino reijcit pædagogum, uelut inimicum: sic & nos deducti sumus in lege & in prophetis usq; ad aduentum præceptoris. Reperto aũt præceptore, pædagogum non reprobamus: sed gratias agimus, quòd nostrã pueritiam informauit, et ad altiora uiã struxit, etc.

Rursus lib. 1, tomo primo, hæresi octaua, contra Iudæos grauiter probat, per legem neminem iustificari: Non peruenerunt, inquit, ad perfectionem per legem & prophetas, ita ut amplius seruari nõ possint, nisi ad Euangelij gratiam reflexerint. Omnes enim iustifica-

iustificationes ipsis abolitæ sunt, cum singula testimonia hoc confirmant: Quæcunq; anima, inquit, nõ audiet prophetã illum, exterminabitur, &c. tanquã Dominus ea quæ mysticè per legẽ tradita sunt, perfectè, & ad salutem muniturus sit. Et qui non audiat ipsum, neq; admittat, nõ habeat salutẽ, etiãsi legem fecerit: cum lex nõ possit hominẽ perficere, propterea quòd iustificationes corporaliter in ipsa scriptæ sunt, & in Domino nostro IESV CHRISTO uerè compleantur.

De iustificatione in Ancorato: In Christo, ait, omne cõplementũ habitare uoluit Deus, & per ipsum reconciliare omnia, pace facta per sanguinem in cruce. Et libro tertio, tomo secundo, hæresi septuagesimaseptima: Christus extra passionem salutem nostram non perfecit: sed in eo, quòd pro nobis mortuus est, & seipsum obtulit patri, sacrificium pro nostris animis, in sanguine suo mundatione nostra facta, & chirographo cõtra nos fisso, & in crucem affixo. Et in Compendio doctrinæ catholicæ: Saluat omnes qui secundum ueram ipsius fidem uiuunt, & non negant ueritatem prædicationis ueræ, & Euangelicæ ipsius doctrinæ.

De pœnitentia contra Catharos ait, libro secundo, tomo primo, hæresi quinquagesimanona: Non tollimus Dei benignitatem, gnari prædicationis ueritatis, & misericordiæ Domini, & naturæ uenia dignę, ut scientes animæ instabilitatẽ, carnis debilitatem, sensuum humanarũ profunditatẽ. Quoniam nemo sine peccato est, & purus à sorde, etiãsi una sit dies uitę eius in terra. Et perfecta quidem pœnitentia in lauacro est. Si uerò quis lapsus est, hunc non perdit sancta Dei Ecclesia: dat enim & reuersionem, & post pœnitentiam, pœnitentiam, &c.

Et ibidem: Christus Petrum ter reuocans, & cõmittens ipsi curam ouium, ad cõuersionem pœnitentiæ nos duxit, ut in ipso rursus ædificaretur illa bene fundata fides, quæ nõ desperat de uita hominum, qui in ueritate pœnitentiam agunt, & delicta sua in hoc seculo corrigunt.

De Baptismo, libro primo, tomo primo, hæresi octaua: Magna, inquit, circuncisio: baptismus circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei.

De Oratione sentit, inuocandum solum Deum patrem cum filio & spiritu sancto: libro tertio, tomo primo, hæresi sexagesimasexta. Non adoramꝰ omne quod infra ipsius Dei essentiam est, eo quòd soli puro decet adorationem tribuere patri ingenito, & filio qui est ex ipso, & spiritui sancto, qui est ab ipso, & per unigenitum.

Ecclesiam ait dispersam esse per uniuersum orbem terrarum, & usque ad fines terræ dispositam, fidemq; ab Apostolis & ipsorum discipulis accepisse: libro primo, tomo secundo, hæresi trigesimaprima. Et in fine Compendij doctrinæ catholicæ, ait charactere Ecclesię à lege & prophetis, Apostolisq; ac Euangelistis collectum.

Sentit & de matrimonio reuerenter: ac multis subinde probat exemplis, Deo illud placere. ut libro secundo, tomo primo, hæresi sexagesimatertia, ubi nuptias uenerandas dicit: sicut & coniugium uenerandum, in Compendio doctrinæ catholicæ. Et libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimaseptima, coniuges inter eos quos Deus elegit, numerat. ait enim: Sed & eos qui uenerandas nuptias contraxerunt, elegit. Vnumquenque enim in proprio ordine saluare solet. Quomodo enim non erunt uenerabiles nuptiæ, & in Deo habentes regnum cœlorum, cum uocatus sit Saluator ipse ad nuptias, ut nuptijs benediceret? Siquidem enim recusasset ad nuptias ingredi, profectò nuptiarum exolutor fuisset. Approbat & sacerdotum coniugium, quemadmodum suo loco diximus. ac contra falsam continentiam memorabiliter inquit libro secundo, tomo primo, hæresi quadragesimaprima: Qui, ut ne confundantur apud homines, occultè scortantur, & sub specie libidinem exercent, non apud homines habent confessionem, sed apud Deum, qui nouit occulta, & redarguit omnem carnem in suo aduentu, prout quisque peccauit. Melius est itaque lapsum à cursu, palàm sibi uxorem sumere secundum legem, & à uirginitate multo tempore pœnitentiam agere, & sic rursus ad Ecclesiam induci, uelut qui mala operatus est: & non quotidie occultis iaculis sauciari, ab improbitate, quæ à diabolo ipsi infertur.

¶ Quædam porrò eorum quæ singulari opinione sensisse Epiphanius uidetur, & quæ lectores offendunt, suprà suo loco recensuimus. Quibus nunc adijcimus, quòd de ætate & tempore mortis Christi multo aliter quàm cæteri pronunciarit. libro secundo, tomo primo, hæresi quinquagesima, & quinquagesimaprima. Item quòd cum Tertulliano, Lactantio, & alijs senserit, angelos ex desiderio concubitus cum filiabus hominũ, inobedientes factos, & lapsos esse: libro secundo, tomo primo, hæresi sexagesimaquarta. Nec caret opinione, quòd libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimasexta, enarrans dictum Pauli, Tradidi corpus Sathanæ, ut spiritus saluetur in die Domini, per Spiritũ totam intelligi Ecclesiam dixit: Quo nõ in culpa esset, inquit, Ecclesia ipsius delicti hominis, qui deliquit ac errauit, et inquinare-

quinaretur tota Ecclesia unius delicto, dicit: Vt tradatur is qui deliquit, ut spiritus, hoc est tota Ecclesia, saluetur. Imaginem Dei neq; corpus, neq; animam, neq; mentẽ, neq; uirtutem in homine, sed quiddam esse quod homini sit ignotum, Deo autem soli constet, in Ancorato ait. Videtur & liberũ arbitrium integrum tribuere homini post lapsum: libro primo, tomo primo, hæresi decimasexta. Secundas nuptias sacerdotibus interdictas ait ab Ecclesia: libro secundo, tomo 1, hęresi quinquagesimaoctaua, atq; alibi sæpe. Est & alioqui ubiq; ferè nimiũ profusus in admirationem continentiæ sacerdotalis: ut lib. 2, tom. 1, hęresi quadragesimaoctaua. Tametsi ibidem dicat, uerbũ Dei omnibus impositum esse, ut debilium infirmitatem portent. Præterea & constitutionem Apostolorum esse indicat lib. tertio, tom. primo, hæresi quadragesimaoctaua, contra Arium disputãs, obseruare ieiunium uniuersaliter, excepta sola Pentecoste: sex uerò diebus proximis ante Pascha nulla re alia uesci, quàm pane, sale, & aqua.

Variat deniq; ab alijs in multis historicis narrationibus, maximè uerò temporum ratione, quod lector mediocriter attentus facile animaduertet. Interdum etiam nimium labitur absurdè. ut cum lib. primo, tomo 3, hæresi quadragesimasexta contra Tatianos affirmat, Iustinum martyrem sub Adriano martyrio decessisse, in consistenti ac matura annorum, nimirũ trigesima ætate: cum sub Cõmodis Imperatoribus eum uixisse, quibus & apologias pro Christianis exhibuit, certius sit, quàm ut indicatione indigeat.

Præter octoginta uerò, cum quibus congreditur, hæreses, subinde etiam cõfutat Iudaismum, Ethnicos & philosophos: quorũ errata singula in initio Panarij recensuit, & in Cõpendio doctrinæ Ecclesiæ. Significat autem libro primo, tomo tertio, hæresi quadragesimasecunda, se etiam ante illud opus contra octoginta hæreses, aduersus Marcionem scripsisse. Confutauit aũt suo tempore Apollinarium: quem charũ tamen fuisse sibi ante hæresin, ipse fatetur. Item Antidicomarianitas, offerentes Mariæ, & Massilianos. Origenis libros & publica uoce, ut Hieronymus testatur aduersus Ioannem Hierosolymitanũ, & scriptis, & synodis tum alibi tum in Cypro coactis condemnauit: quemadmodum Socrates indicat lib. 6, cap. 10. Hieronymus in apologia aduersus Ruffinũ, quinq; eum linguis cõtra Origenẽ, & propugnatorem suũ Ruffinũ ipsum disputasse tradidit: quamobrẽ & πολυγλωττον uocat. Nam, cùm Theophilo Alexandrino episcopo hæresis Anthropomorphitarũ nomine suspectꝰ diu fuisset (sicut & Anthropomorphitã Epiphanium fuisse, Nicephorus lib. decimotertio, capite duodecimo pronunciat: & Hieronymus meminit, Ioannem Hierosolymitanũ, cùm Hierosolymis Epiphanius fuisset, id conatum, ut suspicionem de ea hæresi Epiphanio moueret) postea tamen cùm rectè eum de Deo sentire cognouisset, cum eo in gratiã Theophilus redijt: atq; autor ei fuit, ut in synodo, in Cypro collecta, Origenis libros dãnaret. Quod & obsecutus ei Epiphanius est: & ad Ioannem Constantinopolitanum etiã scripsit, ut Synodum cogeret, atq; Origenis libros ipse quoque exploderet. Sed id facere Ioannes distulit. Quamobrẽ paulo pòst Constantinopolim Epiphanius uenit, ubi quidem obuiam ei Ioannes cum toto processit clero: & condemnationem librorum Origenis, Theophilo gratificaturus, secum attulit, & simultatem cum Ioanne apertè præ se fert. attamẽ subscriptiones damnationi Origenis non ab omnibus impetrat, cum in synodo quidam Theotimus Scythiæ episcopus ei responderet: Ego, ô Epiphani, nec eum qui iam olim benè obdormiuit, contumelia afficere uolo: nec rem blasphemam aggredi ausim, ut reprobem quæ maiores nostri non reprobarunt.

Sumpsit ibi tum sibi Epiphanius in ecclesia Constantinopolitana licentiam satis audacem, in Theophili, qui Ioanni inimicissimus erat, gratiã: ut quòd diaconum ordinauit, præter canones, quod tamen nondũ molestè Ioãnes tulit: item quòd in publica concione Ioannem acerbis exagitauit cõuicijs. propter quod per Serapionem presbyterum Ioannes significari ei iussit, facere eum scilicet multa præter canones: uideret igitur, ne excitato populi tumultu, ipse simul implicaretur. Quamobrẽ indignatus Epiphanius, in Cyprũ redire instituit: seu pœnitẽtia ductus, quòd Constantinopolim ueniisset: seu à Deo admonitus, ut Sozomenꝰ refert. Qui & hoc addit, Epiphaniũ nauim iam ingressurũ, ijs qui se ad mare comitati fuerãt dixisse: Relin quo uobis urbem istam, & aulã, & hypocrisin: ego uerò properãs abeo. Socrates à quibusdam audisse se scripsit, Epiphanium Constantinopoli recedentem Ioãni significasse: Spero te non moriturũ episcopũ. Ioannẽ uerò uicissim ei respondisse: Spero te patriam tuã minimè ingressurũ. Euentũ igitur eiusmodi utriusq; ominationẽ consecutam: atq; Epiphaniũ, priusquã in Cyprum redierit, in naui mortuũ esse. Socrat. lib. 6, cap. decimo, duodecimo, & decimoquarto: Sozomenus lib. 8, cap. decimoquarto, & decimoquinto.

SPYRIDON.

CYprius genere fuit Spyridon, seu Spyridion, agricola, & qui ex re pecuaria uictum sibi quæsiuit, moribus præditus nõ ad urbani-

urbanitatem cõpositis, sed pro uitæ ratione inelegantibus: simplicib. tamẽ, & cum grauitate ac libertate cõiunctis: homo, ut apparet, pius, sanctus, plurimarumq; uirtutũ celebritate admirandus: episcop⁹ Trimethũtis Cypri factus est sub Constãtino, ex ouiũ pastore hominum pastor, ut Socrates ait, eximius. in quo munere multis egregijs donis pastore pio dignis claruit: ut beneficentia in pauperes, & hospitalitate, quæ natiuæ ei uirtutes etiam ante episcopatũ fuêre: candore, et in reprehendẽdo ea quæ nõ decerẽt, grauis ac liber. sicut indicat exemplum de Tryphilo Ledrano episcopo, quem familiarẽ alioqui uehementer habuit: sed in conuentu quodam episcoporũ Cypri, cum concionẽ habere iussus esset, & in textu, Tolle grabatũ tuum, uocem grabatũ alia cõcinniori, (ut sibi uidebatur) insolentius commutasset, duriter eum reprehẽdit, publicè cũ ipso expostulãs: utrũ melior esset eo ipso q grabatũ prius dixisset?

Miracula eius suis autoribus, qui de eo retulerunt, relinquimus: cuiusmodi illud est, quòd fures ouiũ, per noctẽ ad caulam eius furandi occasionẽ expectãtes, retinaculis, quæ non uiderẽtur, implicuerit: et luce exorta, sic colligatos, deprehensos obiurgarit, ac solutos insuper donato ariete donarit ac dimiserit. Item quòd ab Irene filia mortua, & in sepulchro dormiẽte, responsum extorserit: & indicationẽ, quo in loco aurum datum pro depositio abdidisset. atq; alia, quę magno numero Metaphrastes commemorauit, quibus lectorem noluimus grauare.

Interfuit synodo Nicænę, inter cõfessores præcipuos nõ postremus. ubi philosophum quendã garrulũ atq; ostentabundũ hoc modo confutauit. Cum enim is sceleſta contra Christũ, Christianamq; professionẽ, arrogãs & inflatus multa eblatteraſſet, Spyridion ad eũ accedẽs: In nomine, inquit, IESV Christi, philosophe, me audi. Quod cũ is annuisset: Vnus est Deus, ait Spyridion, cœlĩ & terrę, aliorumq; omniũ quæ extãt opifex: is qui cœlestes produxit uirtutes, qui è terta formauit hõminẽ, & omnia cõstituit, tam quæ sub aspectũ cadunt, quàm quæ nõ uidentur. Huius uerbo & spiritu productũ quidem est cœlum, producta est & terra: diffusum est mare, extensus est aer, generata sunt animalia, homo formatus est, magnum quidem illud animal, & opus admirabile: omnia facta sunt, astra, luminaria, dies, nox. Hoc ergo uerbum Dei nos scientes esse filiũ & Deum, eiusdem cum patre essentiæ, ex uirgine propter nos credimus esse natũ, & crucifixũ: & fuisse postremò sepultum, deinde etiam resurrexisse. Quem & nobis credimus post resurrectionẽ ab interitu alienã & æternã uitam præbiturum, ad futurumq; iudicem omnium. Hæc ad philosophũ uerba Metaphrastes & Nicephorus Spyridioni manifestè tribuũt. Quanq; mirũ est, quod nomẽ nõ expresserit Sozomen⁹, q accidisse hæc quidẽ in synodo Nicæna retulit: sed orationẽ hanc ad philosophũ, senis cuiusdã simplicis fuisse ait, ex illis qui ob cõfessionẽ celebres ibi fuerint. nisi ex hac ipsa notatiõe Spyridionẽ intelligi uoluit, quẽ et Sozomenio & simplicitate uenerandũ fuisse legim⁹.

Sequens uerò exemplũ Sozomen⁹ ad hospitalitatẽ Spyridionis, qua celebrẽ eum fuisse, adeò ut de fructib. quæ & pauperib. distribueret, & indigentibus mutuò daret, quotãnis quædã reponeret, suprà diximus, refert: nos ad rationem fidei & doctrinæ eius etiam accomodamus. Venit ad eum aliquando ex itinere quidam, instante quadragesima, in qua ex consuetudine certis diebus ieiunare cum domesticis Spyridion solebat. Quem cum fatigatum & lassum admodum uideret, filiæ cõtinuò, ut hospiti pedes lauaret, apponeretque quod ederet, præcepit. Sed cum panis supereſſe nihil responderet, quòd postridie ieiunãdũ esset, iussit carnes eã porcinas, quas sale conditas domi habebat, coquere. Quibus decoctis, mox mensam hospiti parauit, carnes apposuit, prim⁹ uesci cœpit, hospitẽq; ut unà uesceretur admonuit. Sed cũ uesci Christiano sibi non licere, is responderet: Tanto, inquit, minus, ô hospes, abstinere debes, quia Christianus es. Mundis enim omnia, sermo diuinus testatus est. Sozomenus lib. 1. cap. 11. Ruffinus lib. primo, cap. 5. Socrates lib. 1. cap. 12. Nicephorus lib. octauo, cap. decimoquarto, quinto, & quadragesimosecundo: Symeon Metaphrastes tomo quinto uitarum sanctorum patrum.

PHILO.

PHilonem episcopum fuisse aliçubi in Cypri finibus, ex epistola Epiphanij ad Ioannem Hierosolymitanum constat. Significat autem & Hieronym⁹ in uita Hilarionis monachi, Philonem hunc & cõfessorem fuisse, & exulasse in Babylone: ad quem uisendum Hilarion profectus aliquando sit.

THEOPROBVS.

EPiscopi Theoprobi in Cypro defuncti, meminit Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolymitanũ, quam Hieronym⁹ latinam fecit, & inter eius opera extat tomo 3.

ANGARVS.

EPiphanio lib. 3. tom. 1. hæresi 73. Angar⁹ est episcop⁹ Cypri Euphrasiæ: qui in eadẽ Synodo, homousij oppugnationib. subscripsit.

HERENNIVS, AGAPETVS.

DIaconi sunt Luciferi Sardiniæ episcopi, missi ab eodem in Synodũ Athanasij Alexandriæ, qui epistolæ ad Antiochenses Athanasij subscripserũt. Athanasius tomo duodecimo ad Antiochenses. Sub Iuliano uixit.

EVAGRIVS.

EVAGRIVS.

EVagrius fuit Mitylenæ insulanæ episcopus, ex Acacianorũ numero, quẽ synodi Seleucianæ pars orthodoxa deposuit. Socrates lib. 2, cap. quadragesimo: Epiphanius lib. 3. tom. 1. hæresi 73.

EVAGRIVS *alius.*

REcensetur Euagrius Siculus inter Macedonianos eos, qui fidem Nicænam confirmarunt in synodo quadam Antiochię sub Iouiniano. Socrat. lib. 3, cap. 25.

CAPITO.

EPiscopus est Capito Siciliæ, orthodoxus Athanasio, oratione prima cõtra Arianos.

CHRESTVS.

CHrestus Syracusiorum primùm Constãtino regnãte episcopus fuit: Constãtini literis euocat⁹, ad synodũ uenit Arelatẽsem, in qua de dissidio Cæcilij Carthagiensis episcopi et Donatistarũ actũ est. Recitat earũ literarũ exẽplũ Eusebius lib. 10, cap. 5. Interfuit etiã postea Nicæno cõuentui, cuius iudicio in locũ Theogonij Ariani electi episcop⁹ Niceæ cõstitutus est. Theodoretus lib. 1. cap. 19: Sozom. lib. 1, cap. 21: Athanasius apologia 2. Inde uerò rursus electus Chrest⁹ est, cũ Theogonius & Eusebius resipiscentiæ libellũ episcopis obtulissent, ac reuocati Ecclesias suas recepissent. Sozomenus libro 2, capite 16.

IVLIVS FIRMICVS MATERNVS.

CLaruit sub Cõstantini & filiorũ eius imperio, Iulius Firmicus Maternus astrologus, quẽ iuniorẽ, & Siculũ, & uirũ cõlularẽ nominant: & libros octo matheseõn, de ui et potestate stellarũ ex Ægyptiorũ & Babyloniorũ traditione, ad Mauortiũ Lollianũ admodũ senex (ut patet ex præfatione libri primi, & capite quarto) scripsit. Verùm is planè ethnicus fuit, ut patet tum ex singulis illis libris octo, tũ maximè ex capite quarto libri primi, & ex præfatione libri quinti: ubi Planetas inuocat. Et an unquã is Christianã religionem amplexus sit, affirmare non possumus. Fragmentum quoddam libelli Iulij Firmici Materni uiri consularis, de errore profanarum religionum ad Constantinum & Constantem Augustos, ad nos peruenit. Cũ autem hic Christianus fuerit, & ad idola gentilium tollenda Imperatores hortatus sit, alius à priori fuisse uidetur: sed ubi natus, & ex quibus parentibus, & quomodo conuersus, & similia, cũ in historijs prodita nõ sint, iudicare non possumus: nisi quòd ex eo libello constat, in Occidente alicubi eum fuisse.

Quisquis autem tandem fuerit, doctrinã tamen ueram & synceram Ecclesiæ Christi eum tenuisse, & professum esse, ex fragmento eius libelli, quod habemus, constat.

Nã amplectitur sacrã scripturã ueteris & noui Testamenti: & citat testimonia passim ex Moyse, Dauide, Salomone, Esaia, Ieremia, Daniele, Habacuc, Ioële, Zacharia: itẽ ex Euãgelistis, Matthæo, Luca, Ioanne, & Apocalypsi, quã appellat sanctã reuelationẽ, ac dicit se sacrarũ lectionũ institutione formatũ esse.

Tantùm illum uerum Deum esse docet, qui seipsum in sancta scriptura, & per IESVM Christum filium suum patefecit. Ac econtrà gentilium idola, & religionem non esse ueram: sed uanam, fictam, & falsam, & à Deo uero longè aberrare probat.

Agnoscit tres personas diuinitatis, patrem, filium, & spiritum sanctum: Deus pater, inquit, tribuit unguentum unico filio suo. Item dicit, spiritum sanctum loquutũ esse per prophetas.

IESVM Christũ uerũ Deũ & hominẽ confitetur, inquiens: Christus De⁹ calcata morte, ad cœlum hominẽ, quẽ susceperat, reuocat.

IESVM Christum esse Messiã asserit: eiusq; opera omnia, ut sunt passio & resurrectio, & ascensio ad cœlos, in prophetis prædicta esse probat: ac elegãter ad ascensionẽ Christi applicat uisionem Danielis de homine in nubibus ueniente ad antiquum dierum: item psalmum centesimum decimum, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.

De creatione rectè loquitur: Deus omnia diuini artificij moderatione cõposuit. Ac elementa habere fabricatorem Deum, qui singula suis locis ordinibusq; constituens creauerit. & ad initium diei solẽ factũ esse dicit, ideoq; non rectè à gentibus pro Deo coli.

De Diabolis sentit, quòd homines primos Adam & Euã seduxerint, & sint autores idololatriæ, & fraudibus uarijs homines irretitos interimant: & quod à Deo homine, scilicet Domino nostro IESV Christo, uicti sint, & ad æternas pœnas destinati.

De homine asserit, Deũ ad imaginẽ suã eũ ex uirgine, nimirũ limo terræ cõdidisse: sed eũ persuasionibus Diaboli perdidisse gloriæ suæ dignitatem. Ac nũc post lapsum omnes homines esse peccato obnoxios, nec potuisse nisi per IESVM Christum recuperari.

In doctrina de iustificatione maximè illustrat illam partẽ, quis salutem nobis cõparauerit, & quomodo: nimirũ Dominus noster IESVS Christus, uerus De⁹ & homo, patiẽdo & obediẽtiã pstando: Christus filius Dei, inquit, ut humanũ genus à mortis laqueis liberaret, omnia ista sustinuit, ut captiuitatis duræ iugũ tolleret, ut hominẽ patriredderet: et mitigata offensa, hominẽ cũ Deo ꝓspera cõciliatione cõpararet, ut promissæ resurrectionis fructũ monstraret ꝓprio exẽplo. Itẽ per uirginẽ Mariam ac spiritum sanctũ Christus natus, & immortalitatẽ accepit, & regnũ. Arbor ligni pestiferũ deceptis pabulũ ꝓbuit, ligni crucis uitã immortali cõpage restituit:

contempſit Adã, obediuit Deo Chriſtus. Sic diuina diſpoſitione, quicquid Adã perdidit, Chriſtus inuenit. Itẽ: Tu Chriſte mundum ac terrã extẽſis manibus, tu cœleſte ſuſtẽtas imperiũ, tuis immortalibus adhæret humeris ſalꝰ noſtra: tu Domine ęternę uitę baiulas lignũ. Itẽ: Pro ſalute hominũ agni iſtius uenerãdus ſanguis effunditur, ut ſanctos ſuos filiꝰ Dei ꝓfuſiõe precioſi ſanguinis redimat.

De applicatione iuſticiæ Chriſti per fidẽ, inquit: Fide tantum & pœnitentia poteſtis redimere, quicquid ſceleratis Diaboli perſuaſionibus perdidiciſtis.

De gratuita collatione iuſticiæ Chriſti inquit: Miſericordia Dei dies eſt, libẽter ignoſcit. Item: Pœnitentibus libenter ignoſcit, nec multum exigit ut ignoſcat.

De pœnitentia rectè ſentit, eam Dei opus eſſe, & lapſos ea recuperari poſſe: Miſericordia, inquit, Dei in nomine Domini noſtri IESV Chriſti lapſos erigat, fugientes ad ſe reuocet, dubitantes confirmet, errantes corrigat: & quod eſt potiſsimũ, uitã moriẽtib. donet.

De bonis operibus renatorum inquit: Siuis liberatus lumen ſequi ſponſi, proijce errores, & peruigili cura ſolicitus, præcedentia uitæ facinora religioſa deuotione caſtiga. Tunc te in nomine ſuo cum uigilantẽ inuenerit ſponſus, cum fidei tuæ merita cognouerit, dabit maximum precium.

De Baptiſmi effectib. rectè loquitur, q̃ eo regenerentur homines: Alia eſt aqua qua renouati homines renaſcãtur. Et paulò poſt: Illa ſciliet aqua uenerãdi ſpiritus maieſtate decoratur, ut ex ipſa ꝓ ueteres cõſciẽtię cicatrices credẽtibꝰ hominib. ſalutaris ſanitas irrogetur. Itẽ: Quære fontes ingenuos, quære puros liquores, ut illic te poſt multas maculas, cũ ſpiritu ſancto Chriſti ſanguis incandidet.

De Cœna Domini inquit: Alius eſt cibus qui ſalutem largitur & uitam, alius eſt cibus q̃ hominẽ Deo ſummè cõmendat & reddit: alius eſt cibus qui languentes reuelat, errantes reuocat, lapſos erigit, q̃ moriẽtibus æternæ immortalitatis largitur inſignia. Chriſti panẽ, Chriſti poculũ quære, ut terrena fragilitate cõtempta, ſubſtantia hominis immortali pabulo ſaginetur. Et poſtea: Salutaris cibi gratiã quærite, & immortale poculũ bibite: Chriſtus uos epulis ſuis reuocat ad lucẽ, et graui ueneno putres artus, et torpeſcentia membra uiuificat. cœleſti cibo renouate hominem perditum, ut quicquid in uobis mortuum eſt, diuinis beneficijs renaſcatur. Item: Chriſti immortalẽ ſanguinẽ bibimꝰ, noſtro ſanguini Chriſti ſanguis adiunctus eſt, etc.

De oratione benè dicit, A` Deo ſemper expectãdũ auxiliũ, & Chriſti numẽ implorãdũ.

Eccleſiã dicit eſſe ſponſam Chriſti, ex qua uenerando patri ſpirituales filij per dies ſingulos procreẽtur: & Chriſtũ, ut angulare lapidem, duorũ parietũ membra, æquata moderatiõe cõiungere, Iudæos ſcilicet & gẽtes.

De Magiſtratu piè ſentit, eos lege diuina teneri abrogare idololatriam, etiã ſuo neruo ſeu gladio: Amputãda ſunt hæc, ſacratiſsimi Imperatores, penitꝰ, atq; delenda, et ſeueriſsimis edictorũ ueſtrorũ legibus corrigenda, ne diutius Romanũ orbẽ ꝑſumptionis iſtius error funeſtꝰ cõmaculet, ne peſtiferę cõſuetudinis cõualeſcat improbitas: & ne id quod hominẽ Dei conatur ꝑdere, diutius in terra dominetur. Nolũt quidã, & repugnãt, & exitiũ ſuũ ꝓna cupiditate deſiderãt. Sed ſubuenite miſeris, liberate pereũtes. Ad hoc uobis Deꝰ ſummꝰ cõmiſit imperiũ, ut ꝑ uos uulneris iſtius plaga curetur. Facinoris eorũ piculũ ſcimus, erroris notę ſunt pœnę. Sed meliꝰ eſt ut liberetis inuitos, q̃ ut uolentib. cõcedatis exitiũ. Aegrotãtes cõtraria delectãt: & cũ corꝰ hominis aduerſa ualetudo poſſederit, cõtra ſaluteꝫ ſuã à laborãtibꝰ ꝑuerſa poſcuntur. Capta mens languoris initio, morborũ ſemper augmẽta deſiderat, & medelas artificũ aſperna tenẽnit. Reſpuit remediũ medicinę, & in exitiũ ſuũ ꝓna animoſitate feſtinat. Tunc ſi malũ morbi fortius creuerit, maiora remedia quæruntur: et pro ſalute hominis ſollicita, fortius ſe medicina opponit. Aſperi cibi, amari potus nolentibus ingeruntur: & ſi cõualuerit malum, & ignis adhibetur, & ferrũ. Sic homo recepta ſanitate, & ſalute ſibi reddita, quicquid ægrotantis corporis uitio inuitus paſſus eſt, hoc totum pro utilitate ſuæ factum eſſe, ſtantis animi iudicio cõfitetur.

Sentit, in extremo iudicio impios & ſuperſtitioſos homines pœnas æternas luituros: Veniet, inquit, dies Domini ut ardens clibanꝰ: audiſti qd ueniat? nihil eſt quod ex te colligãtũ in apothecis Dominicis reponi poſſit. Ardebis ut ſtipula, cuiꝰ inanis utilitas in cineres fauillasq; ſeruatur, quã rapax ignis uiolẽtia, cogẽte ſpiritu paſcitur. Hic eſt exitꝰ ſilicis, q; ueſter: hęc eſt pœna, quã ꝓ deceptis hominib. Deꝰ ſtatuit, ut ꝓpetuis ardeat flãmis, q̃ cõtra uolũtatẽ Dei miſerũ hominẽ aut decepit, aut ꝑdidit. Idẽ dicit, frequẽtẽ ꝑditorũ turbã Diaboli exitiũ comitaturã. Et paulo pòſt: Si ꝑtinaces animi ueſtri in iſto errore ꝑmanſerint, ardebitis etiã uos pariter cum dijs ueſtris: ut quicquid autores ueſtri diuina animaduerſione meruerunt, etiam ad ueſtrum exitiũ hoc ſocietatis conſortio transferetur.

Contra gẽtiliũ idololatriã acriter pugnat in ſuo libello de errore prophanarũ religionum, ad Conſtantiũ & Conſtantẽ Imperatores: ac totã gentiliũ religionẽ uaniſsimã eſſe demonſtrat, uſus argumentis ab ipſis inuentoribus: quia ab hominibus & Diabolis ſit inſtituta. A` cauſa materiali, qa homines mortui,

mortui, aut elementa & creaturæ colantur. A' finali seu effectu: quia semina omnium scelerum dij gentium suppeditẽt peccantibus, & quia cultores cum dijs suis in extremo iudicio sint pœnas daturi æternas. A' præiudicio: quia plurimi etiam inter gentes superstitiones ethnicas & idola contempserint. nam Diomedem pudicũ & sobrium Venerẽ uulneratse, & Martẽ uicisse & percussisse: Oeti & Ephialtæ edicto Martem exilio damnatũ, ferrea cathenarũ uincula sustinuisse. Ab auctoritate sacrarũ literarũ: quia prophetę genti lium idololatriã damnarint. ad quod probãdũ citat dicta ex Exodo: Non facietis uobis Deos argẽteos, neq; aureos. Et Deuteronomio: Non erunt tibi Dij alij præter me. & ex Psal. 134. Idola gentiũ argentũ & aurũ, &c. ex Salomone, ex Esaia & Hieremia, & ex Apoc.

Hortatur autem Imperatores Constantiũ & Constantẽ, ut religionẽ gentiliũ tollãt, & aboleant legibus, & ui, si necesse sit, his argumentis. Primum: Quia tota ea religio sit impia, & idololatrica: & obsit etiam honestati, & cõmuni societati. Secũdum: Quia id Dei mandato & ratione officij facere teneantur. Tertium: Quia Deus eam ob rem sit eorũ Imperio benedictur⁹, quẽadmodũ etiam hactenus fecisset. Quartũ: Quia possint illa Deorum aurea & argentea idola, & alia id genus donaria, ad suam utilitatẽ & dominiũ transferre. Quintũ: Quia si idola nõ aboleuerint, Deus eos punitur⁹ sit, iuxta dicta, Sacrificans Dijs eradicabitur: &, Si quis adorauerit beſtiam, & imaginẽ eius, bibet de uino irę Dei.

Postremò, quod fuerit uitæ eius curriculum nõ liquet. sub Constante & Constantio eum uixisse et scripsisse, patet ex eius libello, in quo nominatim horũ Imperatorũ meminit: & quidẽ apparet eũ circa id tempus scripsisse, quo Constans fratre Constantino interfecto, pro recuperãdis Gallijs & Britãnijs bellum gesit. inquit enim: Post excidia temporum in manus Dei uirtute estis profecti, uicistis hostes, propagastis Imperiũ: & ut uirtutib. uestris gloria maior accederet, mutato & cõtempto temporũ ordine, hyeme, quod nec factũ est aliquãdo, nec fiet, tumẽtes ac sæuientes undas calcastis Oceani sub remis uestris, incogniti uobis penè maris unda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expauit.

DE EVROPAEIS ECCLESIÆ Doctoribus.

CONSTANTINOPOLITANI *Doctores.*

METROPHANES.

DE Metrophane apud Socratẽ tantum extat, quòd in episcopatu Constantinopolitano antecessor fuerit Alexandri episcopi. Nicephorus lib. 8. cap. 6 scripsit, Metrophanẽ Imperatoris Probi ex fratre nepotem fuisse, & episcopatũ Constantinopoli gessisse decenniũ, sub quo Constantinus urbem eam magnificè ampliauit.

ALEXANDER CONSTANTINOPOLITANUS.

FVit Arij tempore sub Cõstantino, doctor omnino apostolicus, & donis apostolicis clarus: Theodorit. lib. 1. cap. 3. episcopus pientissimus, ut Epiphani⁹ testatur, ingenio simplici & syncero præditus: Athanasi⁹ oratione prima cõtra Arianos. Ideoq; in scriptis ipsius nihil fuisse suspicionis, sed fuisse omnia orthodoxa, Athanasi⁹ ibidẽ. Scriptorũ aũt eius hodie nihil extat: sicut neq; aliud ferè quicq̃ de episcopatu & uita eius, nisi quòd se fortissimè opposuerit Ario cum sua factione. Cum enim inuito eo in ecclesiã introducere Ariũ Eusebiani molirẽtur, perturbat⁹ magnopere Alexander, in templũ ingressus est, & ardentissimas preces cum lachrymis fudit, humi iacens, ut si cõmittere Deus uellet, ut Arius in cõmunione deinceps esset Ecclesię, dimitteret se seruũ suũ, nec pium unà cum impio perderet. Sin parcere Ecclesiæ suæ uellet, respiceret in uerba & insolentiã Eusebij, neq; daret in exitiũ & uituperiũ sortẽ suam: et tolleret Ariũ, ne eo recepto, hæresis simul uideretur recipi, ne´ue impietas pro pietate reciperetur. Hæc in eam sententiã precatus Alexander, domũ redijt. Cum postera die Arius, comitatus turba Eusebianorũ, in templũ introire cupiẽs, factione sua fretus, turpissima morte perijt. Athanasius in epistola ad Serapionem, & oratione prima contra Arianos: Theodoretus lib. primo, capite decimoquarto: Epiphanius libri secundi tomo secundo, hæresi sexagesimanona.

Scripsit etiam hoc de Constantinopolitano Alexandro Sozom. lib. 1. cap. 18. Venisse aliquando Constantinopolim Constantinum Imperatorẽ: accessisse autem ad eum philosophos, primumq; obiecisse, quòd parũ faceret religiosè, nec maiorũ suorũ imitaretur exemplũ, nouos institueret cultus, & res diuinas nouaret: deinde petijsse ab eo, ut potestatem ipsis daret, cum Alexandro episcopo de dogmate conferendi. Iussisse igitur Imperatorem, ut in disputationẽ cum philosophis Alexander se cõmitteret. Paruisse autem Imperatoris uoluntati Alexandrum: & à philosophis illis, cum ad disputationẽ conuenissent, postulasse, ut uni cuipiam ex ipsis conferendi prouinciam traderent, reliqui uerò silentium darent, & quæ dicerentur utrinque attenderẽt. Ita igitur obsecutos episcopo philosophos, loquendi uicem uni commisisse. ad quem cum Alexander dixisset, In nomine IESV Christi prȩcipio tibi philosophe, ne

loquaris, mutus illico factus obticuerit.

Idem libro tertio, capite tertio, mortuum hunc Alexandrum scripsit, posteaquam annos uigintitres episcopatum gessisset, natũ annos nonagintaocto, sub Constantio, ut uidetur, iuniore. Legisse autem cum illustri testimonio & præconio successorem Paulum.

PANTOLEON.

CElebré in Ecclesia Constantinopolitana fuisse Pantoleonté, circa annum Domini trecentesimũ septimũ, quidã affirmant. Extat sub eius nomine breuis concio græcè & latinè, hoc titulo: Pantoleõtis, magnę Ecclesiæ Dei diaconi, de luminib. sanctis: id est, de Domino Christo, et sancto Ioãne præcursore.

Est autem cõcio illa, paraphrastica tantũ expositio capitis tertij Matthęi de baptismo Christi, in qua describit formam certaminis Christi cõtra Sathanam. Regum est, inquit, secutus consuetudinem, qui dum prædę insidiãtur, deposita regia maiestate, militari se habitu amiciũt: sic uniuersi quoq; rex Christus, ad uenandũ Sathanã accedés, & ad conflictum feram incitans, absc̃dita, quæ à congressu bestiã deterreret, diuinitate sua (haud enim, si quidé cognouisset, accessisset) infirmam ostendit humanitatis naturam. Extat in Simeone Metaphraste, encomiũ Michaelis militiæ principis: item oratio de miraculis eius, & de Gabriele & Raphaele, sub nomine Pantoleonis diaconi.

AMPHION.

CVm Eusebius episcopatum Constantinopolitanum ui et fraude occupasset, in eius locũ Amphion cõstitutus, postea uerò expulsus rursus est: cum Eusebi⁹ pœnitẽtiæ libello episcopis exhibito, Ecclesiã eam recepisset. Theodoret. lib. 1. cap. 19. Sozom. lib. 2. cap. 16. Athanasius Apologia secunda, ex epistola synodi Alexandrinæ.

MACARIVS.

THeodoret⁹ lib. 1. cap. 14 ait, Macariũ presbyterũ Constãtinopolitanũ, sociũ precationis cõtra Arij blasphemiã & conat⁹, cum Alexandro episcopo simul ingressum templum, ibiq; secum in oratione pernoctasse.

PAVLVS.

PAulum patria Thessalonicensem, ut uidetur, Constantinopoli diaconũ ordinauerat Alexander episcopus ille, qui certamina multa cõtra Arium sustinuerat.. Eum uerò etiam successorem sibi elegit hac occasione. Moriturus iam iam, à clericis astantib. interrogatur, cui post obitum cõmitti suã Ecclesiam uellet. Respondet ille de Paulo & Macedonio, legerẽt ex duobus illis episcopũ quẽcunq; uellẽt. Paulum tamẽ præ Macedonio cõmendat, ut qui sacrarũ literarũ cognitione instructus probè, & ad docendũ idone⁹ & eloquẽs sit. Macedonij uerò ingeniũ aulę magis cõuenire, quàm Ecclesię. Ita igitur episcopus eligitur Paulus, & in maxima simul persecula conijcitur, propter Arianos, qui studia sua ad Macedoniũ conuerterãt, quemadmodum sequens ostendit oratio. Fuit Paulus assertor Nicænæ fidei, ac propugnator constans & acris, parumq; metuens periculorũ, quod ei uitio uertit Sozomenus, qui & prudentiæ plus quàm in eo fuerit, & temperantiæ desiderat. Sozomenus libro tertio, capite tertio.

Cum autem post ordinationẽ eius Constantinopolim Constantius uenisset, molestè tulit, contigisse episcopatum Paulo, nõ satis digno eo honore. Itaq; synodo Arianorũ cõuocata, ab Ecclesia Paulum repulit, & episcopatum tradit Eusebio Nicomediensi. Socrates lib. 2. cap. 7: Sozomenus lib. 3. cap. 4. Interea synodum Eusebius Antiochiæ conuocauit: post quã cum mortuus fuisset, parsilla plebis Constantinopoli, quæ Nicænis dogmatis adhærebat, Paulum in Ecclesiam denuò duxerunt. Ariani autem in alia ecclesia Macedonium simul ordinarant: quæ res maximis motibus, seditioni & pugnis occasionem dedit, adeò ut in tumultu plurimi perierint. Paulum igitur Imperator uehemẽtissimè indignatus, expelli urbe iussit per Hermogenem ducem: in quem populus dolorem & impatientiã suam cõuertit, irruensq; in domum eius, ipsam incendit, & Hermogenem protractum interfecit. Factum est id anno Imperij Constantij quinto, Consulatu nimirum Constantis secundo, & Constantij tertio. Socrates libro secundo, capite decimotertio: Sozomenus libro tertio, capite septimo.

Ita igitur expulsus Paulus, Romam ad Iulium abijt. Quo tempore eò etiam uenerant ecclesijs suis exacti Athanasius, Marcellus & Asclepas. Quorum omnium causis atque innocentia cognitis, Iulius in communionem eos recepit, & ad ecclesias suas remisit. Redijt igitur Constantinopolim Paulus: cuius consilij etiam Maximum Treuirensem autorem, præter Iulij sententiam, habuit. Socrates libro secundo, capite decimoquinto: Sozomenus libro septimo, capite octauo. Sed Paulo pòst ab Arianis rabiosè tumultuantibus, nec ferre uolentibus Paulum, Constantius persuasus, expellere eum denuò iussit. Subseruijt tum uolũtati Imperatoris Philippus præses, quem carnificem Pauli Athanasius uocat, ut pòst dicemus. Is prudenter sibi cõsulens, ne impetus aliquis uulgi à Paulo pendentis, in se conuerteretur, Paulũ accersitum ad se, blandeq; persuasum, clam in exilium naui relegauit Thessalonicã, quæ Paulo li dicebatur esse patria. Socrat. lib. 2. cap. 16. Sozomenus lib. tertio, cap. nono.

Interea

Interea Iulius, ubi restitutionem suam apud Orietales episcopos nihil obtinuisse auctoritatis cognouisset, Constanti Imperatori, Pauli, Athanasij, aliorumq; quos simul tum persequebantur Ariani, causam exposuit. uenerat enim ex Thessalonica Romã Paulus, ac de iniuria sua apud Iulium denuò cõquestus erat. Constans à fratre tantum impetrat, ut Synodus Sardicam cõuocetur: in qua tantum abest ut restitui Paulus potuerit, ut etiã in separata Arianorũ synodo, qui quòd interesse Paulum scirent, cõuenire cum alijs ad rerum cognitiones noluerunt, depositus sit. Socrates libro secundo, capite decimoseptimo, decimooctauo, uigesimo: Sozomenus libro tertio, capite undecimo.

Cum igitur Constans cognouisset, à synodo Sardicæ restitui non potuisse Paulum & Athanasium, fratrem Constantium seriò per literas hortatur, ut Ecclesias Paulo & Athanasio redderet: quod nisi faceret, habiturum eum se hostem, & paratum bellum. Tum demum Constantij literis instructus Paulus, Constantinopolim redijt, eiq; Macedonius cessit. Socrates libro secundo, capite uigesimosecundo & uigesimotertio: Sozomenus libro tertio, capite uigesimo & uigesimotertio.

Quarto autem post synodum Sardicensem anno, cum Constante mortuo, Imperij summa ad Constantium solum deuoluta esset, impulsus ille ab Arianis, priorum omnium oblitus, eos quibus ecclesias antea reddiderat, rursus inde exigi mandauit. Ita Paulus in exilium perpetuum missus est Cucusum, quod oppidum fuit exiguum Cappadociæ quondam, tum autem Armenię adnumeratum: quò etiam percussores miserũt Macedonium, qui Paulum morte uiolenta affecerunt. Socrates libro secundo, capite uigesimosexto: Theodoretus libro secundo, capite quinto: Sozomenus lib. tertio, capite tertio: & libro quarto, capite secundo.

Sed nunc quę cùm de diuersis exilijs, tum de scelerata cæde Pauli Athanasius retulerit, subijcimus. Episcopum Constantinopolitanũ, inquit, nemini arbitror ignotum esse. Quanto enim clarior ciuitas, tanto minus factum cælari poterit. Huic quoq; crimen obiectum est, illumque reum fecit Macedonius. Huc ubi oculos suos adiecisset Eusebius, ut raperet episcopatum eius ciuitatis, non defuit in hunc Paulum calũniæ species, neque illi ignari oblitiq; suarum insidiarum fuere, sed persteuerarunt in criminando: & primùm quidem per illos in Pontum relegatus est, postea à Constantio ferro uinctus, in Syngra Mesopotamiæ deportat⁹ est. rursum inde in Emesam, atque ex Emesa in Cucusum Cappadociæ, circa deserta Tauri abreptus est: quo in loco (ut ab illis renunciatum, qui cum illo fuêre) laqueo per Eusebianos strangulatus, uitam finijt. Philagrius omnium quæ ipsi uolunt histrio, sed tamen super hoc scelere stupens ac mœrẽs (credo quòd alius, ac non ipse potius, eius necis autor esset) plurimis rem prodidit, et interre liquos mihi notos Serapioni episcopo, Paulum ab Eusebianis in arctissimo & obscurissimo loco reclusum fuisse, relictumq; ibi ut fame periret, deinde post sex dies cum eò ingressi Eusebiani, hominẽ adhuc spirantem inuenissent, per uim episcopum strangulasse, atque eo genere funis uitam clausisse: & diaconum dixisse, inferendæ necis ministrũ Philippum præfectum fuisse. Athanasius epistola ad solitariam uitam agentes: & in apologia de fuga sua.

Quomodo autem Ancyræ Pauli corpus sepultum fuerit, nusquam explicatur. Hoc tradunt Socrates libro quinto, capite nono: & Sozomenus lib. septimo, capite decimo: reliquias Pauli ex Ancyra Constãtinopolim transferri Theodosium curasse: quòd in mentem sibi uenisset, quibus modis affectus Paulus fuisset. Cæteri qui Paulum ad Nectarium usque secuti sunt Constantinopolitani episcopi, quia hæretici fuerunt, inter eos uideantur.

EVAGRIVS.

COnstantinopoli Eudoxio Arianæ religionis episcopo mortuo, ab Homousianis Euagrius quispiam episcopus delectus est, qui ab Eustathio olim Antiochiæ ordinatus fuerat. quod indignè Ariani ferentes, Imperatori utrunque detulerunt: atque obtinuerũt, ut in exiliũ exacti tum sint & Euagrius & Eustathius. Socrates lib. quarto, capite decimoquarto, & quinto: Sozomenus libro sexto, capite decimotertio.

AGELIVS.

INde à Constantini temporibus ad Theodosium usque, per annos quadraginta, ecclesiæ Nouatianorum Constantinopoli prę-fuit ut episcopus, Agelius, homo religiosus, & qui pietatem moribus etiam & operibus referret, ad normam Ecclesiasticarũ legum uitam omnem instituens: nisi quòd disertus minimè, & ad disputationes ac uerborũ pugnas idoneus esset. Quamobrem & consultus à Nectario Constantinopolitano episcopo, de ratione qua tolli è medio dissensiones in religione, & ad concordiam reduci possent, quam ab eo Imperator Theodosius petierat: ad Sisinium lęctorem suum, eruditum & exercitatum uirum remisit. Ei tamen Synodo quam Constantinopoli ex episcopis cuiusque religionis congregauit, interfuit, simplici uestimento indutus: ac fine calceis semper incessit, pecunię aut facultatum

nihil posſidens: ſed hoc unum agens, ut Euangelicis præceptis uitam conformem ageret. In perſecutione & turbatione illa quam ſub Conſtantio Macedonius, qui & Nouatianos propter Homouſij fidem affligebat, exercuit, per fugam elapſus eſt. Deinde uerò rurſus à Valente, qui Nouatianos æquè ac Homouſianos ciuitatibus expellebat, exilio mulctatus eſt: à quo tamen, cum Nouatianis Imperator per Marcianum placatꝰ eſſet, paulo pòſt ad Eccleſiam ſuam redijt. Mortuus eſt ſub Theodoſio in ſeptembre, paulo poſt natum Honorium. Socrates lib. ſecundo, capite trigeſimooctauo: & libro quinto, cap. primo, duodecimo & uigeſimoprimo: Sozomenus lib. ſexto, cap. nono: & lib. ſeptimo, capite duodecimo.

EVTROPIVS.

EVtropius presbyter fuit Conſtantinopolitanus, Macedonianus, autor ſchiſmatis cuiuſdã inter Macedonianos: quod hoc nomine Socrates breuiter indicat lib. quinto, capite uigeſimoquarto.

EVDAEMON.

PResbyter fuit eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Eudæmon, ſub epiſcopo Nectario, cui autor fuit ut presbyterum pœnitentiarium abrogaret, permitteretque ut pro ſua quiſque conſcientia ad communionem myſteriorum accederet. Notus fuit Socrati, ſcriptori Eccleſiaſtico, qui ſe hoc conſilium ex ipſo Eudæmone audiuiſſe, ſed coràm reprehendiſſe, ſcribit libro quinto, capite uigeſimonono.

NECTARIVS.

TArſi Ciliciæ ex illuſtri & nobili familia ſenatorij ordinis Nectarius fuit, uir moribus placidis prędituſ, atq; omni uirtutum genere præſtans, prætoriam dignitatem ex ordine gerens. Fratrem habuit Arſacium ſenem, qui poſt Ioannem Chryſoſtomum epiſcopatũ Conſtantinopoli aliquandiu adminiſtrauit: quemadmodum ſuo dicitur loco ac tempore. nunc de Nectario quam inſtituimus narrationem, abſoluimus. Fuerat is aliquandiu Conſtantinopoli, quò aut propter Synodi celebritatem quæ tum fuit Conſtantinopoli, uenerat, aut epiſcopũ Tarſenſem eò comitatus erat. In patriam igitur reuerſurus, epiſcopum ſuum adit, pro ritu peregrinantium precationem ab eo petens: ſimulq; quęrens, num quid curari ſuo nomine domi per ſe uelit, aut epiſtolas ſibi cõmittere? Diodorus (nam is tum Tarſenſis eccleſiæ epiſcopus erat) qui in ea cogitatione totus tum eſſet, quis nam idoneus Cõſtãtinopolitanæ eccleſię epiſcopus præfici poſſet, Nectarium intuetur: uenerandam caniciem, grauitatem in uultu, ac morum placiditatem in eo admiratur: ac diuino ſine dubio motu, cogitatione ea mox afficitur. Quid ſi Nectarius fiat epiſcopus? Nec mora, apprehenſum eum ad epiſcopum Antiochenum, qui tum Meletius fuit, ducit, aliam ſimulans cauſam, eiq; Nectarium clàm commendat, ac ut in electione rationem ſui habeat orat. Ridet nonnihil Diodori cõſilium Meletius, animo circumſpiciẽs, quàm multi celebres & præſtantes uiri epiſcoporum haberent ſuffragia: retinet tamen apud ſe Nectarium. Nec ita multo pòſt Imperator Theodoſius ſynodo mandat, ut deſcriptos in charta eos omnes, quos ſinguli dignos ordinatione cenſerẽt, ſibi exhibeant: & poteſtatem deſignandi epiſcopũ, quem maximè idoneum ipſe iudicaret, referuat. Datur id negocij à ſynodo Meletio, qui poſt omnium nomina conſcripta, poſtremo loco, Diodoro gratificaturus, etiam Nectarium adijcit. Legit igitur Catalogum eum Imperator, atq; in Nectario cogitabundus conſiſtit primùm. Mox uerò ab initio nomina denuò percurrit, & Nectarium epiſcopũ ordinandum pronunciat. Mirantur Imperatoris iudiciũ epiſcopi: ac de Nectarij patria, conditione, loco, moribus, religione inter ſe quærunt. deprehendunt tandem, Catechumenum adhuc eſſe eum, necdum myſterijs initiatum: ob quod & Imperatoris ſententiæ repugnant, ſed in qua ille perſtat, cuiq; cedere ad poſtremum epiſcopi coguntur. Ita igitur ſacris initiatus Nectarius, communi Synodi ſententia epiſcopus Conſtantinopolitanus ordinatur. De qua re Synodus ad epiſcopos Occidentales Romæ eodem tempore cõgregatos, in hunc modum ſcripſit: Rerendiſſimum & Dei amantiſsimum Nectarium epiſcopum præpoſuimus in genera li noſtro concilio, & præſente amantiſsimo Dei Imperatore Theodoſio, cum omniũ clericorum ac totius ciuitatis approbatione. Theodoretus lib. quinto, cap. nono.

Sed quia in politico genere uitæ uerſatus eſſet, non in omnibus quæ ad tantum munus, & in tanta quidem non tam urbe quàm ditione (nam ſimul cum epiſcopatu Conſtantino politano, gubernationem etiã Megapolenſium & Thraciæ eccleſiarum ſortitus fuerat) neceſſaria eſſent, à Cyriaco Adanorum epiſcopo inſtitutionem de rebus eccleſiaſticis accepit. Manſit ſecum aliquandiu Diodorus etiã Tarſenſis, atq; ex Cilicia multi alij, ex quibus quæ ſui eſſent officij diſcere potuit. Inter eos & Martyrium medicum, quem in Cilicia cõtubernalem habuerat, uirum pium & doctum, adeò ut diaconatum Eccleſiæ ei committere non uereretur, apud ſe aliquandiu retinuit.

De donis eius, cuiuſmodi in eo fuerint, Synodus ipſa, ut diximus, reſpondit. Pracidus fuit, grauis, pius ac conſtans: quibus uirtutibus

uirtutibus quid maius in doctore desiderari posit? Synodū prius solui non est passus, q̄ unā secū fidē Nicænā cōfirmasset, ac de reliquis ad gubernationē ecclesiarū piā & tranquillā necessarijs constituisset. In synodo altera quæ sub Theodosio Constantinopoli contra omnes conuocata fuit hæreses, Agelij & Sisinni Nouatianorum consilijs usus est: cum quibus effecit ut facilimè hęreticis, maximè uerò Arianis & Macedonianis contradictū sit, hæresibus ipsis publicè condemnatis atq; explosis. Sed quod in Apollinarij hæresi reprimenda non satis fuerit attentior Nectarius, Gregorius Naziāzenus eū pstringere nonnihil uidetur in epistola quadam. Quo tñ familiariter usum eum, aliæ aliquot Naziāzeni ad Nectarium epistolæ testantur.

In periculum quoddam hoc modo uenit. Expulerat Imperator tota urbe Arianos, cōmissis omnibus Ecclesijs Nectario. Quamobrem cœtus suos cogere extra mœnia cogebantur, itaq; indignati illi furiosi, in domum suam irrumpentes, eam incenderunt.

Decessit sub Arcadio, consulatu Cęsarij et Attici: hoc est, Christi anno quadringentesimoprimo, Imperij Arcadij tertio.

EVSTATHIVS.

DE Eustathio Cōstātinopolitano quodā, hæc breuiter annotauit Hieronymus in Chronico, sub anno Christi 339: Eustathius Constantinopolitanus presbyter agnoscitur, cuius industria Hierosolymis Martyriū constructum est. Videtur is esse, quē Volateranus præsulem uocat, & in Homerum cōmentarios scripsisse tradit, lib. decimosexto.

DE ALIIS DOCTORIBVS

Europæis.

DIONYSIVS.

DE Dionysio, Athenienſi episcopo ex Areopagita facto, ut pleræq; de eo habet narrationes, cōsentanea quędā monuim⁹ suo loco in tertia Cēturia. Adiecim⁹ & rationes tū nostras, quas ex libris ijs q hodie Dionysij Areopagitę, discipuli beati Pauli, nomine uenditātur, collegim⁹: tū Erasmi: nihil cōperere ea scripta ad Dionysiū eū, quē discipuli fuisse Pauli, cōuersum ex Areopagita, Lucas in fine capitis decimiseptimi Actorū indicarit. Probabilib. igitur ducti rationibus, ijs maximè quæ ex statu, forma, gubernatione, ritibus Ecclesiæ, quos in Hierarchijs liber ille Dionysij Areopagitæ inscriptus nomine depingit, & iudicamus, & pronūciare nō dubitamus, ad hoc seculū id genus scripti pertinere, à quocunq; tandē autore cōsarcinatū. Proinde & testimonia, si quæ ex eo ad dogmatica quæ ex scriptoribus huius ætatis excerpsimus facere uisa sunt, & ritus, quos non paucos representat, inter historica huius Centuriæ retulimus.

DEMETRIVS.

DOcens Thessalonicæ Demetrius, descendisse Christū è cœlo, ut hominē peccato mortuū proprio sanguine uiuificaret, cōprehenditur, et ad Maximinum ducitur: cuius imperio, cruciatibus & morte afficitur. Vincentius libro duodecimo, capite centesimo quadragesimonono, ex Anastasio.

IREMINVS.

EPiscopus fuit Thessalonicensis, quē Ariani grauibus iniurijs & cōtumelijs affecerunt, quòd auelli ab Athanasij communione nollet: tandem uerò ab eo abstractus est. Athanasius apologia ad Constantium.

PROTOGENES.

EPiscopus fuit Sardicensis Protogenes, eo ipso tēpore quo synodus Sardicę frequēs celebrata est. Professor fuit Nicænæ fidei: & Athanasij, pro quo & in synodo subscripsit, Pauli, Marcellę & Asclepę, iniustè ab Arianis damnatorum defensor: propter quòd & ab Orientalibus, quòd Marcellum defendisset in separato Orientalium & scelerato cōuentu, depositus est. Sozom. lib. 3, cap. undecimo: Athanasius Apologia secunda.

PAVLINVS.

THessalonicæ episcopus fuit Paulinus, cui confessionem de fide misit Damasus Romanus. Theodoretus libro quinto, capite decimo.

LVCIVS.

LVcius episcopus fuit Adrianopolitanus, Nicænæ fidei cōstans assertor: quamobrē & odia Arianorum, & exilia expertus est. Ecclesia sua eiectus sub Cōstātio, Romā uenit: quo tēpore etiā Athanasius, Asclepas & Marcellus ab Arianis pulsi eò uenerāt, & innocētiā suā pinde ac cęteri sub Romano episcopo ꝑbabāt. à quo ad cōmunionē admissus, & ad Ecclesiā suā remissus est. Sed utrū tū obtinuerit p Iulij autoritatē Ecclesiā suā, incertū est. In synodo uerò Sardicensi insons pronuncia tus, eo quòd accusatores eius fugissent, & restitutus legitur. Quarto deniq; post eā synodum anno, cùm Constante interfecto, Imperij summa ad Constantiū solū deuoluta esset, et grauissimam in orthodoxos Ariani impij patrocinio Imperatorum freti persecutionem mouissent, cathenis uinctus, in carcere, in quem ab Arianis cōiectus fuit, miserè perijt. Socrates lib. 2, capite 15, & 26: Sozom. lib. 3, capite 8, duodecimo, uigesimotertio: Et libro quarto, capite secundo.

OLYMPIVS.

EPiscopus in Thracia fuit Olympius, quē Constantius, post occisum fratrē Constātē (cuius autoritatē ueritus, ęquiora ac mitiora in Athanasiū, aliosq; doctores pios constituerat, tū uerò omnia irrita fecerat) interimi, ubicunq; deprehensus fuisset, edicto publicè

propoſito, iuſſerat. Socrates libro 2, cap. 26: Theodoretus lib. 2, cap. 15. Meminit Olympij huius, & epiſcopum fuiſſe in Aenis Thraciæ ait, uirũ bonum & orthodoxũ, hæreſiq; infenſum: propterea ab Euſebianis, calũnijs impetitũ. Athanaſius in epiſtola ad ſolitariã uitam agentes.

HYPATIANVS.

EPiſcopus fuit Hypatianus Heracliæ Perinthi Homiuſianis, qui ſynodo Syrmieſi contra Photinum interfuit, & ab Homiuſianis poſtea ad Valentinianum Imperatorẽ legatus miſſus eſt pro Synodo impetrãda, & correctione eorũ quæ in rebus Eccleſiaſticis ab Eudoxianis & Acatianis in ſynodo quondam Conſtantinopolitana perperã geſta fuerant. Socrates lib. 2, cap. 29: Sozomen. lib. 6, capite 7. Meminit eius in Catalogo ſubſcriptorũ in ſynodo Seleuciana, Epiphanius libri tertij tomo 1, hæreſi ſeptuageſimatertia.

EVSEBIVS.

ALius fuit Euſebius Chalcidis in Hellade, ut uidetur, epiſcopus, miſſus eò ab Euſebio Samoſateno Magno, cum poſt Valentis interitum per Gratianũ eccleſijs tranquillitas reſtituta fuiſſet. Theodoret. lib. 5, cap. 4.

MARTYRIVS.

FVit Martyrius medicus, familiaris Nectarij epiſcopi Conſtãtinopolitani, Cilix genere. Euocauerat autẽ ad ſe eum Nectarius, cum primùm Cõſtantinopolitanæ Eccleſiæ epiſcopus præfectus fuiſſet, ac diaconũ eum eius Eccleſię ordinare uoluit: cui ꝓpoſito & uoluntati ille uehemẽter reluctabatur, indignum ſe adfirmans tanto munere, maximè cum anteactæ uitæ ſuę Nectarius cõſcius eſſet. Cui uerò Nectariꝰ: An nõ & ego, inquit, ſuperiorẽ uitã meã, qui ſacerdos nunc ſum, multo exegi negligentius: quod & te ipſum fateri neceſſe eſt, qui intemperantijs meis ſæpenumero ſubſeruijſti? Ille cõtrà: At tu, inquit, ô beate iam recens baptizatus ac repurgatus es, & ſacerdotiũ cõſecutus, quã utranque peccatorũ inundationẽ Deus cõſtituit. Atq;, ut mihi uidetur, nihil differs ab infantibus iam recẽs baptizatis. Ego uerò quamuis olim diuino baptiſmate potitus ſum, tamen in eodem ſemper uitæ genere permanſi. Ac ſic tum ordinationi ſe ſubduxit Martyrius. Sozom. lib. 7, cap. 10.

MARTYRIVS *alius*.

ALius rurſus Martyriꝰ Sozomeno eſt Marcianopoleos Thraciæ, qui poſt Nectarij ordinationem in ſynodo Conſtantinopolitana Nicænã fidem cõfirmarit, & Imperatoris iudicio cum cæteris Orthodoxis qui in eam Synodum coierãt, pius Eccleſiæ doctor pronunciatus eſt: cui quotquot cõmunicarent, rectos circa fidem & ipſos habendos, cõſtitutum eſt. Sozomenus lib. 7, cap. 9.

DONATVS.

DOnatum Sozom. lib. 7, cap. 25, epiſcopũ ſcribit fuiſſe Euoniæ ciuitatis in Epiro, miraculis celebrem, ſub Theodoſio.

TERENTIVS.

EPiſcopus eſt Tomæorum Terẽtius, optimus Eccleſiæ gubernator: ideoq; in ſynodum Conſtantinopolitanã à Theodoſio uocatus, cum Martyrio Marcianopolitano, omnium Eccleſiarũ per Thraciam gubernationem ſortitur. Sozomenus lib. 7, cap. 19.

EPICTETVS.

COrinthiorum fuit epiſcopus Epictetus, Athanaſio & coætaneus & familiaris: ad quem epiſtola in Athanaſij operibus extat, hac inſcriptione, Domino dilecto fratri & deſideratiſsimo in ſacris collegæ Epicteto, &c. Attamẽ ſynodũ ſub eo Corinthi habitã reprehẽdit: cuius impietatem admirari ſe ait Epicteti ſanctã religionẽ tolerare potuiſſe, & nõ ut hæreticos cõdemnaſſe eos, in Synodo ea dicentes, uerbũ ita in ſanctũ hominẽ, ut in aliquẽ ex prophetis deſcẽdiſſe: ipſum tamen uerbum nequaquã hominẽ eſſe factũ, deſumpto ex Maria corpore, ſed alium eſſe Chriſtũ, aliũ filiũ Dei, qui ante Mariã, & ante ſecula extiterit filius patris. Apparet igitur, Epictetum eum hominẽ fuiſſe ingenio ſimplici, & infirmo ad conuincendum contradicentes.

ACHOLIVS.

SOcrates Acholiũ habet, Sozomenꝰ Aſcholiũ. Fuit aũt epiſcopus Theſſalonicẽſis, ſocius & ꝓpugnator Nicænæ fidei: qui Theodoſiũ Imperatorẽ, cum poſt uictoriã, quam unà cum fratre à Barbaris retulit, in morbũ incidiſſet, Theſſalonicæ baptizauit: ubi cum prius quàm in baptiſmũ ſe Imperator dimitteret, ab eo quæſiuiſſet, quã fidem profitere tur, reſpõdit, Se ei adhęrere religioni & fidei, quã Eccleſiæ ad Illyricũ uſq;, ab Ariana labe nondũ infectæ, profiterẽtur: illã nimirũ quę à ſanctis initio Apoſtolis tradita, poſtea à ſynodo Nicæna cõprobata & cõfirmata eſſet, de Deo patre, filio, & ſpiritu ſancto, pari honore colẽda Trinitate, & ὁμοουσίῳ. Socrat. lib. 5, cap. 6: Sozomenus lib. ſeptimo, cap. quarto. Fuit perfamiliaris Ambroſio Mediolanenſi, qui ſanctum eum uirum uocat, & mirum fidei, gratiæ & ſanctitatis, eumq; adolescentiam in monaſterijs tranſegiſſe, in iuuentute uerò ad epiſcopatus adminiſtrationem uocatum. Tandem uerò piè in ſenectute obijſſe ſcribit, in epiſtola ad Sacerdotes & omnem clerum plebis Theſſalonicenſium, de obitu, uita, uirtutibus & conuerſatione Acholij.

EVSEBIVS.

EVſebius Ambroſio eſt, epiſtola quinquageſimanona, ſacerdos Eccleſiæ Theſſalonicenſis. Alius item, ad quẽ ſcripta eſt epiſtolã

stola eius quadragesimasexta, cui iucundita tem & benedictionem liberorum tribuit.

BASILIVS THESSALONICENSIS.

PRosper in Chronico, Theodosium Thessalonicæ à Basilio eius ciuitatis episcopo baptismum accepisse scripsit: Cum Socrates lib.5, cap.6, episcopum eum, à quo Theodosius baptisatus sit, nominet Acholium.

ELPIDIVS.

PResbyter fuisse uidetur Elpidius ecclesiæ cuiusdam in Illyrico: qui ex Synodo episcoporum Illyricorum legatus fuit, & literas detulit ad episcopos Asiaticos. Theodoretus lib. quarto, capite 9.

ALEXANDER.

THessalonicæ fuit episcopus Alexander, quo tempore Synodus apud Tyrum congregata fuit, & in exitium Athanasij omnia ab aduersarijs suis tentata sunt. Cui synodo Alexander is non interfuit, sed ad episcopos ibi cõgregatos scripsit, obtestans omnia agi per cõiurationẽ & calumnias contra Athanasiũ. In quã sententiã & Dionysio comiti in eadẽ Synodo subscripsit. Extat & aliud scriptũ Alexãdri ad eũ Dionysiũ, in apologia seũda Athanasij, ut ad insidiosas cõsultatiões Meletianorũ in synodo Tyri circũspectè attendat. Est in eadẽ apologia & gratulatoria breuis Alexãdri ad Athanasiũ, de impostura Meletianorũ, quã p Arseniũ struxerãt, detẽtacin qua dilectũ suum filiũ & collegã uocat Athanasiũ.

ANYSIVS.

DIscipulus fuit Anysius Acgotij, episcopi Thessalonicensis, eiusdemq; in episcopatu tandem successor: quemadmodũ conijcitur ex epistola quinquagesimanona & sexagesima Ambrosij, ad eundem.

GALLICI DOCTORES Ecclesiæ.

HILARIVS.

NAtus ex Gallorum gente, ea quam Pictauos seu Pictones uocant, Hilarius, ad ueram Dei cognitionẽ & religionẽ Christianam peruenit, cum post deprehensas uanas philosophorũ atq; ethnicorũ omniũ de dijs opiniones, in libros incidisset Mosæ & prophetarũ: quemadmodũ ipse de se in initio libri primi de Trinitate prodidit. Hieronymus baptizatũ eum scripsit in Ecclesia, ut uidetur, Romana: quia ab ea ecclesia eum baptizatũ, quę baptisma collatũ ab hęreticis semper receperit, addidit, in Dialogo aduersus Luciferianos. ubi & diaconũ eum postea in ecclesia Romana fuisse retulit. Ad episcopatũ euectus apud Pictauos, donis multis egregijs, & in docẽdo singulari fide, cãdore & cõstantia (quẽadmodũ catholicũ se & Christianũ esse, cõfidenter prædicat in lib. contra Constantinũ) claruit, eloquentia maximè & facultate latinè dicẽdi præstãs, sic ut tubam eum latini sermonis in apologia aduersus Ruffinũ Hieronymꝰ dixerit: & disertissimũ suis temporibus, atq; ubicunq; Romanũ sit nomẽ, eloquentiæ claritate prędicatũ, in epistola ad Marcellam. Quam ei laudem etiam Socrates tribuit lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 10: & Sozomenus libro quinto, cap. 10. Qui & lib. tertio, capite quarto, uirum eum dixit uita & doctrina diuinum. Ruffinus libro primo, capite trigesimoprimo, mitem eum natura & placidum fuisse indicat, simulq; eruditum, in dignoscendis hæreticorum imposturis & uersutijs acutum, exercitatum, & ad persuadendum commodissimum. Quanquam per modestiam, imperitissimum omnium sese & indoctissimum dixit, in libro de Synodis cõtra Arianos. Qua uerò in fidei professione constantia fuerit, historia indicat synodi Seleucianæ: in qua, Occidentalibus plurimis circumuentis, ut Arianæ prauitati subscriberent, in exilium ipse redirę maluit perpetuum, quàm de fidei incolumitate paruum quid cõcedere, ut Sulpitius scripsit.

Scripsit libros duodecim de Trinitate aduersus Arianos, & alios hæreticos perperam sentiẽtes de filio Dei, cum factione Saturnini Arelatensis episcopi aliorumq; secum sentientium exulatum in Phrygiam expulsus esset: ut Hieronymus indicat in Catalogo, et in Chronico, sub anno Domini trecẽtesimo sexagesimoprimo. Quod & ipse breuiter significauit in libro decimo de Trinitate, ubi de ijsdẽ libris ait: Loquimur exules per hos libros. Meminit eorum Hieronymus etiam in epistola ad Magnum oratorem, ubi: Hilarius, inquit, meorum confessor temporũ & episcopus, duodecim Quintiliani libros & stylo imitatus est, & numero. Eloquentem enim eum latinè in ijs fuisse libris, Sozom. testatur libro 5, cap. decimotertio: Vbi & lectione dignos eos libros dicit.

Scripsit deinde apologiam seu librum, cõtinentem querelas de exilio suo iniusto, ad Constantium Augustum: quam Constantinopoli, ut Hieronymus indicat, Imperatori ipse exhibuit. Alium item ad Constantium librum: & tertium aduersus eundem, cum è uita excessisset, in quo durius in eum, qui se suffragatorem & fautorẽ Arianæ hæresi prębuerat, inuehitur. Vidẽtur autem mutili & imperfecti esse tres isti libri, ut Erasmus indicauit. Meminit trium libellorum Hilarij, quibus Cõstantinopoli, animaduerso extremo fidei periculo, publicè exhibitis, audiendi regis Constantij poposcerit, ut de fide coram aduersarijs disceptaret, Sulpitius Seuerus libro secundo.

Edidit & librum de Synodis, scriptum ad episcopos per Gallias; in quo commemorat,

morat,in quibus diuersis episcoporum conuentibus damnata sit hæresis Arianorum. Vertit autem eum librum, quemadmodum ipse testatur, è græco, sed cum quadam libertate.

Extat eiusdem & aduersus Arianos, uel Auxentium Mediolanensem liber, scriptus ad episcopos & plebes Arianam hęresim detestantes. Elegantem eum librum dixit Hieronymus. Quem librum epistola sequitur ad Abram filiam suam, quæ merum est nugamentum, ut Erasmus censuit, insertũ ab homine ocioso & indocto. Et hymnꝰ ad eandẽ: qui & ipse nihil habet Hilarij, & in quo nec carminis constat ratio: cum Hieronymus alicubi testetur, eum carmen scripsisse.

Commentarium eiusdem in Matthæum, ut appellat Hieronymus, alij Canonem uocant, ob id fortasis, quòd carptim in eo titulos aliquot exponat. Eum librũ uertisse Hilarium ex Origene, in eoq; per omnia sapere Origenis & ingenium & phrasin, quin & eiusdem exemplo in allegorijs superstitioso rem esse, Erasmus censuit. Postremus inter opera Hilarij, ut hodie extant, liber est explanationum seu commentariorũ in Psalmos pleroſq;, integer nõ uisus Hieronymo, ut uidetur. Sic enim de eo inquit: Scripsit in Psalmos commentarios, primum uidelicet & secundum, & à quinquagesimo usq; ad sexagesimum secundũ, & à centesimo decimo octauo usq; ad extremum. Idem & Origenẽ eum, in eo opere imitatum, quædam tamen de suo addidisse, tradidit. Ac meminit eius operis in apologia aduersus Ruffinum, & in prologo libri secundi Commentariorum in Micheam: ubi quadraginta fermè millia uersuum, inquit, Origenis Hilarius Confessor uertit in psalmos. Et rursus in Epistola aduersus Vigilantiũ, & ad Oceanũ, itẽ ad Pammachiũ de optimo genere interpretationis: Hilarius confessor, ait, in Psalmos tractatus plurimos in latinum uertit è græco, nec asse dit literæ dormitanti, & putida Xusticorum interpretatione se torsit, sed quasi captiuos sensus in suam linguã uictoris iure transposuit. In epistola ad Florentium testatur, & eũ de interpetationibus psalmorum, & de synodis Hilarij librum sua se manu descripsisse apud Treuiros. Et in Apologia aduersus Ruffinum ait, Hilarium in transferendis Homilijs Origenis feciſſe, ut bona & mala non interpreti, sed suo imputarentur autori. Meminit Origenis scriptorum ab Hilario in latinum conuersorum, etiam in epistola aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, & ad Magnum oratorem.

Hæc igitur Hilarij, ut hodie habentur, opera sunt. Nam scriptum quod ad finem Hilarij libris, titulo de patris & filij unitate, adiectum est, non est peculiare Hilarij scriptum, sed rhapsodia cuiusdam studiosi, partim ex secundo Hilarij de Trinitate libro, partim ex nouo consarcinata, omissis & additis quæ libuit: cui autor, quisquis fuit, attexuit appendicem de uarijs Christi cognominibus.

Meminit autẽ Hieronymus in illis quos paulo antè adduximus locis, de commentarijs Hilarij in Psalmos, etiam Commentariorum in Iob, quos eum ex Origene, quemadmodum & psalmorum explanationes, uertisse testatur: sed qui Hieronymo tantũ uisi, à nobis hodie desiderantur: quemadmodum & Commentationes in Cantica canticorum, quod opus ex aliorum sibi indicatũ relatione, sed ignoratum, idem scripsit. Desideratur & liber Hymnorum, & alius liber mysteriorum, quorum Hieronymus meminit. Is etiam liber quem scripsit aduersus Sallustium præfectum, siue contra Dioscorum medicum: in quo eum, quid in literis posset, ostendisse Hieronymus scripsit ad Magnum oratorem. Et in libro aduersus Valentem & Vrsatiũ, historiã & acta Ariminensis & Seleucianæ synodorum continens: nisi is forte libro de Synodis admixtꝰ est. Epistolæ itẽ ad diuersos, quarum maior pars ab eo scripta uidetur, cum Occidentalibus Orientaliũ fraude in Arianismum illectis, ipse ad exiliũ in Galliam reuersus, plurimis epistolis erroris damnauit: ac quotquot decepti ab Ariminensis in synodo Seleuciana fuerant, ad emendationẽ & pœnitentiã reuocauit, ut postea dicemus. Scripsit hoc de Hilarij epistolis Sulpitius Seuerus libro secundo. Deniq; Hieronymus & scripti cuiusdam Hilarij de Septenario ad Fortunatum meminit, in epistola aduersus Iouinianũ, pro libris: nisi forte hoc ipsum, id est de millenario, in libro mysterio rum exposuit. Idem & libellorum Hilarij de hæreticis rebaptizandis meminit, aduersus Luciferianos.

De eius dictione Hieronymus idem hæc censuit in epistola ad Paulinum de monachi institutione: Sanctus Hilarius, inquit, Gallicano cothurno attollitur, & cum Corœtię floribus adornetur, longis interdum periodis inuoluitur, & à lectione simpliciorum fratrum procul est. Erasmus in oratione eius uoces interdum & phrases à communi usu alienas, ac solœciſmis similes deprehendi censuit. Idem & linguæ Hebraicæ rudem prorsus fuisse Hilarium, pronunciare non dubitauit: & exẽpla adduxit Hieronymus, in quibus inscitia linguæ Ebrææ lapsus sit. ut in nomine Bresith & Osanna: in Quæstionibus siue traditionibus in Genesin, & in epistola ad Damasum. Quin & græcæ literaturæ peritia non admodum instructus fuit: quod

quod uerunque de eo Hieronymus his uerbis retulit in explanatione Psalmi centesimi uigesimisexti ad Marcellam · Nisi, inquit, quod non eius culpæ adscribendum est, qui Hebræi sermonis ignarus fuit, græcarum quoque literarum quandam aurulam cæperat: sed Heliodori presbyteri, quo ille familiariter usus est, ex quo ea quæ intelligere nõ poterat, quomodo essent ab Origene dicta, quærebat.

Porrò quid de unaquaq; parte doctrinæ Christianæ Hilarius senserit, magna ex parte suprà recensuimus in Cap. de Doctrina. De utilitate & ui scripturæ diuinæ benè dixit, in libro primo de Trinitate: Doctrinæ tuæ studia ad sensum nos diuinæ cognitionis instituunt, & ultra naturalem opinionẽ fidei obedientia prouehit. Et de modo uersandi in lectione sacrarum literarum, in eodem libro: Nos quidẽ inopes, inquit, ea quibus egem⁹ precabimur, & in scrutandis Prophetarum tuorum Apostolorumq; dictis studium peruicax afferemus, & omnes obseratæ intelligentiæ aditus pulsabimus. Sed tuũ est & oratum tribuere, & quæsitum adesse, & pulsatum patêre. Autor item tractatus de patris & filij unitate: Quanta potuit, ait, Dominus simplicitate Euangelicam fidem locutus est: & in tantum ad intelligentiam nostram sermones aptauit, in quantum naturæ nostræ ferret infirmitas: non tamen, ut quicquam minus dignum naturæ suæ maiestate loqueretur.

Cognitionem deinde Dei rectè sensit petendam esse ex testimonijs, quibus ipse sese Deus patefecit. Libro primo de Trinitate: Cum de rebus, inquit, Dei sermo erit, contemplandus cognitionem sui Deo, dictisque eius pia ueneratione famulemur. Idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est.

De Deo rectè sensit, unum scilicet eum, omnipotentem, immensum, infinitum, cuius essentiam ratio humana comprehendere aut assequi non possit: in libro contra Constantium. Vnum tamen in tribus personis, de quibus distinctè plurimis in locis loquitur: etsi de spiritu sancto quid sentiat, enunciare religioni habet, ut postea dicemus. Confessionem de Deo & Christo prolixam habet in libro contra Cõstantium, pag. 270. 271. De tribus personis distinctè & perspicuè ait, in initio libri secundi de Trinitate: Sola fide expleri quæ præcepta sunt oportet, personis ac rebus adorare scilicet patrem, & uenerari cum eo filium, sancto spiritu abundare. Et ibidem: Nunquid corrumpi ueritas potest, cum patris nomen auditur? Nunquid natura filij non continetur in nomine? Nunquid spiritus sanctus non erit, qui nuncupatur? Neque enim in patre potest non esse quod pater est, neque in filio deesse quod filius est, neq; in spiritu sancto non extare quod sumitur. Et de patre inquit, libro secũdo de Trinitate: Pater est, ex quo omne quod est cõsistit, ipse in Christo, & per Christũ, origo omnium. Et: Habet Deus naturæ suæ nomen in patre, sed pater tantum est. Non enim humano modo habet aliunde q, pater est, sed potẽs in semetipso habere, q, pater est ipse ingenitus, æternus, habens in se semper, ut pater semper sit, soli filio notus. Quia patrẽ nemo nouit nisi filius, &c. Et de filio, lib. 2. de Trinitate: Filiũ, ait, mens cõsternatur attingere, & trepidat omnis sermo se prodere. Est enim progenies ingeniti, unus ex uno, uerus à uero, uiuus à uiuo, perfectus à perfecto, uirtutis uirt⁹, sapientia sapiẽtiæ, gloria gloriæ, imago inuisibilis Dei, forma patris ingeniti. quã aũt progeniẽ opinabimur unigeniti ab ingenito? Clamat enim sępenumero pater de cœlis: Hic est filius⁹ meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Non est abscisio aut diuisio. Impossibilis est enim ille q genuit, & imago inuisibilis Dei est ille qui natus est. & testatur, quia pater in me, & ego in patre. Non est assumptio. uerus enim filius Dei est, qui clamat: Qui me uidet, uidet & patrẽ. Sed neq; esse ut cætera uisus est: namq; unigenitus ex uno est, & in se habet uitam, ut habet in se uitã ille qui genuit. ait enim: Sicut habet pater uitam in semetipso, ita dedit filio habere uitã in semetipso. Sed neq; pars patris in filio est. testatur enim filius: Omnia quæ patris sunt, mea sunt. &: Quæcunq; habet pater, dedit filio. Testatur & Apostolus: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Item lib. 8 de Trinitate: Dei patris diuinitas corporalis in Christo est, non ex parte, sed tota: neq; portio est, sed plenitudo, ita corporaliter manens, ut unũ sint: ita unũ sint, ut à Deo nõ differat Deus: ita indifferẽs à Deo Deus, ut perfectũ Deũ substituerit perfecta natiuitas: ita autẽ perfecta natiuitas subsistat, quia in Deo ex Deo nato, corporaliter diuinitatis inhabitet plenitudo. Idẽ de æterna diuinitate Christi, in lib. de synodis cõtra Arianos: Hoc fidei nostræ, inquit, secundũ Euangelicam & Apostolicam doctrinã principale est, Dominũ nostrũ IESVM Christũ, Deũ & Dei filiũ à patre nec honoris cõfessione, nec uirtutis potestate, nec substantiæ diuersitate, nec interuallo temporis separari. Rursus de Christo Deo uero & homine, libro nono de Trinitate: Nescit, inquit, planè uitam suam nescit, qui IESVM Christum ut uerum Deum, ità & uerum hominem ignorat. Et eiusdem periculi res est, Christum IESVM uel spiritũ Deum, uel carnẽ nostri corporis denegare.

denegare. De Christi incarnatione, eiusq; causa, libro secundo de Trinitate: Humani generis causa, ait, Dei filius natus ex uirgine est, & Spiritu sancto ipso sibi in hac operatione famulante, & sua, uidelicet Dei, inumbrante uirtute, corporis sibi initia conseuit, & exordia carnis instituit: ut homo factus ex uirgine, naturam in se carnis acciperet: perque huius admixtionis societatem, sanctificatum in eo uniuersi generis humani corpus existeret.

De spiritu sancto clarè inquit libro secundo de Trinitate: Patrem & filium, eius esse autores, & connexum eum esse patris & filij confessioni, nec separandum esse à patris & filij confessione. Et paulo pòst de officio eius loquitur, quòd Christum glorificet, quòd sit spiritus ueritatis, quòd sit aduocatus nobiscum perpetuò manens.

De creatione dixit, omnia à Deo facta esse: & in componenda cœli ac terræ machina, Christum patri adfuisse: libro de Trinitate duodecimo. Et in libro de Synodis: Omnibus creaturis, ait, substantiam uoluntas Dei attulit. Talia enim cuncta sunt creata, qualia ea Deus esse uoluit. Et libro octauo de Trinitate: Elemẽta mundi, inquit, ex nihilo substiterunt.

De angelis in narratione psalmi centesimi uigesiminoni: Meminimus, inquit, esse plures spirituales uirtutes, quibus angelorum est nomen, Ecclesijs præsidentes. Sunt enim, secundum Ioannem, Asianis ecclesijs angeli: sunt & Mose testante, secundum numerum angelorum fines gentium Adæ filijs constituti. Et Domino docente, pusillorum angeli quotidie Deum uident. Sunt, secundum Raphaelem ad Tobiam loquentem, angeli adsistentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes. Hoc ideo commemoratum est, ut si fortè hos esse oculos, uel aures, uel manus, uel pedes Dei intelligere uoluerimus, habeamus non improbabilis intelligẽtiæ autoritatem, maximè cum scriptũ sit: Sunt enim efficientes spiritus, in ministeriũ missi, propter eos qui hæreditabunt salutem.

Hominem sensit ad patris & filij imaginem conditum esse, libro quinto de Trinitate. Postea tamen corruptionem ex lapsu, seu (ut ipse uocat) uicioſam demutationem adeò in omnes homines propagatam esse, ut nemo quamtumuis uirtute prẽditus, non sit uicijs obnoxius. In Commentario in Psalmum quinquagesimum secundum & quinquagesimumquartum. Et in commentario in Matthæum, de lapsu primi parentis: Non traductus, inquit, aliunde, sed ex peccato atque infidelitate primi parentis sequentibus generationibus cœpit esse corporis nostri pater peccatum, mater animi infidelitas. Ab his enim mortem per transgressionem primi parentis accepimus.

De liberi arbitrij uiribus in rebus diuinis, disertè dicit, munus in fide manendi à Deo esse. Item, Conseruationem per se infirmitatem nostram non obtinere: in enarratione Psalmi centesimi decimioctaui. Et in narratione Psalmi centesimi uigesimitertij prolixè monet, Nullum hominibus relictũ esse gloriandi locum: ut quos recordari oporteat, omnia esse ex Deo, & in omnibus opus esse Dei misericordia.

Legis finem docuit esse Christum, & per legem neminem iustificari: Libro nono de Trinitate. Et in enarratione Psalmi quinquagesimitertij.

Sic nec opera saluare dicit, in enarratione Psalmi centesimi trigesimi: Mercedem non operis, sed misericordiæ, undecimæ horæ operarij consequuntur. Sed gratuitam esse remissionem peccatorum ex abundanti misericordia Dei, in enarratione Psalmi sexagesimisexti. Ex copia, inquit, bonitatis suæ misericordiam in peccatorum remissionem largitur: Et peccatorum remissio non probitatis est meritum, sed spontaneæ indulgentiæ uoluntas, ex bonitatis diuitijs, ad miserandi munus exuberans.

Fidei plerunque iusticiam & salutem tribuit. ut in Commentario in Matthæum canone nono: Per fidem salus expectanda est. Et libro decimo de Trinitate: Dominum IESVM confiteri, & à mortuis suscitatum credere, salus est. Item: Cum salutata sit, hoc solum scire quod Dominus sit. Et: In absoluto nobis ac facilis est æternitas, IESVM suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri. In Commentario in Matthæum, canone octauo: monet scribas, remissum ab homine peccatum. Hominem enim tantum in IESV CHRISTO contuebantur: & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim sola iustificat.

De baptismo ait, exhiberi in eo nobis initia Spiritus sancti: in enarratione Psalmi sexagesimiquarti. Item in enarratione Psalmi centesimi uigesiminoni ait: Crimina quæ iniquè extra legem Dei geruntur, nouæ generationis sacramento abluuntur.

De cœna Domini memorabiliter inquit: De naturali in nobis Christi ueritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atq; impiè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea uerè est esca, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De ueritate carnis

&

& sanguinis non relictus est ambigendi locus. nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra uerè caro est, & uerè sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit.

De Ecclesiæ fundamento, quæ in Christum est fides, canone decimosexto commentarij in Matthæum. Interroganti Christo quid de se sentiant, respondit Petrus: Tues Christus filius Dei uiui. O' in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clausura dissolueret. O' beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata autoritas sit in cœlo, ut quæ terris aut ligata sunt aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo.

De resurrectione & instauratione corporum humanorum, in enarratione Psalmi quinquagesimiprimi: Secundum Dei uoluntatem, inquit, resurgentium corporum instauratio est futura. Prout enim ei placet, & conspectu eius dignum est, confracta reparabit, non ex alia aliqua, sed ex ueteri atque ipsa originis suæ materie speciem illis complaciti sibi decoris imperiens, ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio, non interitu naturam perimat, sed qualitatem conditione demutet. Non enim aliud corpus, quamuis in aliud, resurget. Apostolo dicente: Seminatur in corruptelam, resurget in incorruptionem: & cætera. Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio. Et cum id quod fuit, in id quod non fuit surgit, non amisit originem, sed profecit ad honorem.

Contra philosophorum dogmata, si doctrinæ Ecclesiæ admisceantur, bene monet libro duodecimo de Trinitate: Oportuerat, inquit, homines religiosam diuinarum rerum scientiam præferentes, ubi Euangelicæ atque Apostolicæ prædicationis ueritas præcellebat, callidæ philosophiæ tortuosas quæstiones abijcere, & sectari potius fidem quæ in Deo est: quia sensum infirmum facilè fidei suæ præsidio, sophisma syllogisticæ interrogationis exueret: & cætera. Quod prouidens antè beatus Paulus, ut caueremus admonuit, dicens: Videte ne quis uos spoliet per philosophiam: & cætera. Cauendum igitur aduersum philosophum est: & humanarum traditionum non tam euitanda sunt studia, quàm refutanda. Neque enim his ita concedendum est, quasi uincant potius quàm fallant. Quia nos Christum Dei uirtutem & Dei sapientiam prædicantes, æquum est humanas doctrinas non tam defugere, quàm refellere: & simpliciores, ne ab his spolientur, & obstruere & instruere. Et in libro ad Constantium: Memento, ait, non in quæstione philosophiæ, sed in doctrina Euangelij fidem esse.

¶ Inuenias tamen interdum apud eum autorem nonnulla, quæ non sine singulari opinione, & incommodè dicta uideantur, quæque omnino cautè legenda sunt. ut quòd in libro secundo de Trinitate, suam cuique personæ proprietatem distribuens, æternitatem adsignat patri, imaginem filio, usum spiritui sancto. In quo loco explicando etiam Augustinus se torsit, ignorans quid sibi uelit nomen Vsus: quod ex græco non saltem intellecto uidetur descripsisse Hilarius, τὸ χρησὸν seu χρησότητα pro usu tantum accipiens: cum & utilitatem siue bonitatem id etiam, non usum solum significet. Item quòd in libro de Trinitate decimo, planè uidetur Christo tribuere corpus & animam, nullis obnoxiam molestis affectionibus. Locum unum adscribimus: Homo, inquit, IESVS Christus unigenitus Deus per carnem & uerbum, ut hominis filius, ita & Dei filius: hominem uerò secundum similitudinem nostri hominis, non deficiens à se Deo, sumpsit: in quem quamuis aut ictus incederet, aut uulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio eleuaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquid aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera uulnerans, & quæ sequuntur. Ac paulo pòst: Homo ille de Deo est, habens ad patiendum quidem corpus, & passus est: sed naturam non habens ad dolendum. Et iterum aliquanto pòst: Pro nobis dolens, inquit, non doloris nostri dolet sensu, quia habitu ut homo repertus, habens in se doloris corpus, sed non habens naturam dolendi: & quæ sequuntur eius sententiæ alia multa. Qua opinione & in enarratione Psalmi sexagesimioctaui scripsit, dolorem, famem, sitim, lassitudinem, atque hoc genus affectiones non fuisse naturales in eo, sed assumptas. sicut inquit: Contra humanæ opinionis errorem, soli Deo assumpta magis hæc ab eo infirmitas, quàm naturalis esse erat nota. Et: Propheticè non sitisse scribitur, sed ut implerentur omnia, sitisse se dixit: Quia cunctæ nostræ, quæ in eo fuerunt, infirmitates, non naturales sunt, sed assumptæ.

Libro tertio de Trinitate, & libro decimo, sic etiam de Christi corpore loquitur,

ut sentire uideatur, Mariam uirginem præter concipiendi, gestandi & pariendi ministerium, nihil addidisse de suo : opinione propemodum nihil diuersa ab hęreticis, qui Christum per corpus Mariæ transisse contendebant, tanquam per fistulam aut canalem, nulla parte corporis matris assumpta. Cum nos credamus, Christum ex opificio quidem spiritus sancti, sed ex substantia corporis Mariæ conceptum.

Libro item de Trinitate octauo, magna contentione falsò defendit, nos quoq; cum filio & patre unum esse natura, non adoptione, neque consensu tantum.

Nullam deinde propemodum de Spiritu sancto religiosam protulit sententiam. Nusquam eum scribit adorandum, nusquam ei tribuit Dei uocabulum: nisi quòd uno aut altero loco in synodis refert improbatos eos, qui patrem, filium & spiritum sanctum auderent dicere tres deos. Nec sat uidetur loqui commodè de spiritu sancto promerendo, in fine libri secundi de Trinitate, hoc modo: Hic Spiritus sanctus expetendus est, promerendus est, & deinceps præceptorum fide atque obseruatione retinendus. Et in fine libri duodecimi de Trinitate, ubi patrem & filium pronunciat adorandum, spiritum sanctum autem promerendum, in hunc modum: Patrem scilicet te nostrum, filium tuum unà tecum adorem: & sanctum spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear. In qua sententia & illud mirè dictum uidetur, spiritũ sanctum ex patre esse per filium, ac non potius ab utroque proficisci.

De creatione quoque singulari opinione loquitur, omnia scilicet creationis opera simul & semel, sine interuallis aut ordine operum aliorum post alia creatorum, sicut Moses narrat, extitisse. Locus est libro duodecimo de Trinitate : Perpetua enim, inquit, & æterna rerum creandarum est præparatio, neque partibus cogitationum uniuersitatis huius corpus effectum est, ut primùm de cœlo sit cogitatum, tum postea terræ cura & tractatus Deum inierit, consultatumque per singula sit, ut primùm in planiciem diffunderetur, deinde meliori consilio montibus eleuaretur, rursum autem etiam collibus uariaretur, quartò deinde habitabilis etiam in ipsis cacuminibus redderetur, &c. tum deinde certi sub cœlo fontes manarent, ac postremò fundamentis terra fortioribus confirmaretur. Singulis enim his omnibus anteriorem se sapientia esse profitetur: sed cum omnia per Deum, quæ sub cœlo sunt, facta sint, & componendo cœlo Christus adfuerit, & ipsam præparati cœli præueniat æternitatem, non patitur hoc existimari in Deo minutarum rerum particulatas cogitationes : quia omnium horum præparatio, Deo est coæterna. Nam Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos, etiam hoc in eo acriter reprehendit, quòd cum ante synodum Ariminensem, quo tempore diaconum eum fuisse narrat in ecclesia Romana, baptizatos à quibuscunque hæreticis, receperit primùm: postea in Arianismum totus incensus, non receperit, qui ab Arianis essent baptizati. Tametsi habeat dispensationem sui, secundum Mosen, firmamenti solidatio, aridæ nudatio, maris congregatio, astrorum constitutio, aquarum terræque in eijciendis ex se animantibus generatio: non tamen cœli, terræ, cæterorumque elementorum creatio, leui saltem momento operationis discerni tur, quia eorum præparatio æquabili pe nes Deum æternitatis infirmitate constaterat.

Nec de libero arbitrio satis uidetur cauté locutus in enarratione Psalmi centesimi decimioctaui, cum ait, Legem statue mihi Domine, &c. Orat, ut Deus tribuat : est ergo è nobis, cum oramus, exordium, ut munus ab eo sit. dehinc, quia de exordio nostro munus est eius : ex nostro rursum est, ut exquiratur, & obtineatur, & maneat. Et rursus in eundem Psalmum: Voluntas, inquit, nostra hoc proprium ex se habere debet, ut uelit Deus incipienti crementum dare: quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet, meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio uoluntatis.

Quanto porrò cum negotio, in uindicando articulo de Trinitate, & confutandis illis quæ contra Christi diuinitatem à furentibus Arianis, per totum disperso tum Orientem, pugnauerit, libri eius testantur, quibus titulum fecit de Trinitate. Fuisse enim omnia plena suo tempore Arianorum furoribus, sub Constantio scilicet patrono illo Arianismi, sub quo magna ex parte uixit, queritur ipse libro decimo de Trinitate. ac planè id ipsum tempus esse dicit, de quo Paulus ad Timotheum scripserit: Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt. Meminit autem Arianorum eorum potissimùm, cum quibus perpetua sine dubio sibi fuêre certamina : Valentis, Vrsatij, Auxentij, Germinij & Caij, in libro cõtra Arianos seu Auxentium Mediolanensem, impios eos uocans, diabolos, blasphemos, Satanas, pestes, Antichristos. Constantio uerò ipsi, tametsi uiuo pepercisse uidetur, tamen quæ obijciat, quibus impietatem eius coloribus depingat, liber indicat, ex professo ab eo cõtra impium Imperatorẽ scriptus,

scriptus, post eius mortem, ut diximus.

Adfuisse se in synodo Seleuciana, ubi centum & quinque episcopi Christum ὁμοιούσιον professi sint, adfirmat ipse in libro contra Constantium: & quidem coactum eum interesse, cum ad eam quarto exilij sui anno ab Imperatore uocatus esset, Sulpitius scribit libro secundo. Ex qua synodo legatos Constantinopolim eum secutum, idem indicauit: ubi libellis exhibitis potestatem cum aduersarijs pietatis pro fide disputandi ab Imperatore popposcerit: sed Arianis prohibentibus non impetrarit, ut & suprà monuimus.

Cæterùm in exilium eum primùm actum, Hieronymus scripsit, factione Saturnini episcopi Arelatensis, pessimi & scelerati hominis, & ingenio malo, prauoque, ut Sulpitius ait: qui & ipse tandem ob flagitia nefanda ecclesia eiectus est, in Phrygiam, à synodo Piturensi (nisi Byturensi dicere uoluit) in quo triennium uersatus, libros de Trinitate scribere cœpit, ut in Chronico idem annotauit. Ruffinus tamen libro primo, capite uigesimo, relegatum eum cum Dionysio, Eusebio, Rhodano & Lucifero, scripsit, à synodo Mediolanensi Arianorum cõtra Athanasium. Theodoret. libro tertio, capite quarto, relegatum eum fuisse cum Eusebio & Lucifero scribit, in Thebaida Aegypti. Quemadmodum in Orientis partibus se exulasse, ipse ostendit in libro de Synodis. Et in eodẽ libro, ut & in eo quem ad Constantium Augustum scripsit, queritur, se à Saturnino contra conscientiam, & à synodo scelerata in exilium iniustè detrusum esse, Imperatore circumuento. Hieronymus in Chronico, tempus exilij Hilarij annotauit, annum Christi trecentesimum sexagesimũ, Constantij uerò uigesimũ: cùm quarto pòst subsequente anno, synodi apud Ariminum & Seleuciam celebratæ sunt, ut Sulpitius retulit: qui & in Phrygia eum exulasse, cum Hieronymo sentit. Ab eo igitur exilio, in synodum, ut suprà diximus, uenit Seleucianam, non Imperatoris quidem speciali mandato, ut Sulpitius idem narrat: sed iudicum edicto, qui generalem Imperatoris iussionẽ executi, qua omnes ubiq; episcopos ad concilium cogerẽ iussi erant, etiã Hilarium euocarũt. Exceptus ibi magno cum fauore ab illa parte, quę fidem Nicænam cõtra Arianos profitebatur, fidem suam, priusquã in synodi societatem receptus est, exposuit: iussus id quidẽ facere à sua parte, ideo quòd suspectos Occidentales Ariani Orientalib. fecerãt, quasi qui cum Sabellio in trinonyma solitarij unione sentirent. Ex eadem synodo (quæ quidem infelicissimũ, & maximè cum detrimento fidei recte, finem habuit) Constantinopolim, ubi tum Constãtius erat, cum legatis uenit, nec accersitus: nec aliam quandã eò abeundi causam habens, nisi ut de se Imperatoris uoluntatem cognosceret: ac expectaret, si forsan ad exilium redire iuberetur. Sed cum in extremum periculum fides ibi Homousianorum uenisset, Orientalibus & Occidẽtalibus plerisq; confessionibus aut per scelus uictis, aut uerbis fallentibus insidiosè circumuentis, di sceptare de fide coram aduersarijs Hilarius uoluit, tribus libellis audiẽtia ab Imperatore postulata, quam nõ impetrauit. Postremò uerò quasi discordiæ seminarium & perturbator Oriẽtis, redire in Gallias iussus est, absque exilij indulgentia. Quò cum uenit, in eam curam solam & studium, magna sub animi zelo pietatis & incorruptæ fidei æstuantis curarum mole, totus incubuit, ut Occidentales ab Arianis miserè deceptos in uiam reduceret. Quod & synodis intra Gallias pluribus coactis, & epistolis effecit. Quod breuiter Sulpitius indicauit his uerbis: Illud autẽ apud omnes constitit, unius Hilarij beneficio Gallias nostras piaculo hęresis liberatas. Et Ruffinus indicat lib. 1. cap. 30, Hilariũ ab exilio reuersum, singulas in Italia ciuitates ad sanitatem fidei reuocasse. Meminit eius rei Hieronymus quoq;, qui eum ob id fine dubio Deucalionem orbis uocauit, aduersus Luciferianos. Et in Chronico, ubi ait: Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolum damnat, anno Christi trecentesimo sexagesimoquarto. Quo eum anno etiam ab exilio in Gallias, post exhibitum librum pro sua causa, reuersum indicat, anno nimirũ Constantij imperij ultimo. Quæ causa fuisse uidetur Socrati lib. 3. cap. 10. & Sozom. lib. 5. cap. 13. quamobrem Hilarium tum demum restitutum asserant, cum in regnum ascitus Iulianus, potestatem omnibus qui à Constantio in exilia relegati fuerant, ad sua redeundi fecisset. Ab exilio igitur sexto deinde anno, postquam redierat, in patria diem suum obijt, ut Sulpitius indicat: anno Christi, secundum Hieronymũ, trecensimo septuagesimo secundo, Imperij Valentiniani & Valentis quinto: quo tempore Romæ episcopatum tenuit Damasus.

Admirationi postremò pietatem, constantiam, eruditionem, & uirtutes Hilarij multis magnis fuisse uiris, testimonia de eo & laudationes, quarum aliquot suprà memini mus, indicant. Sulpitius uirum eum dixit rerum diuinarum instructissimum. Sed omnium reuerentissimè, quod & suprà monuimus, de Hilario sensit Hieronymus, hæc de illo scribens in epistola quadam ad Marcellam: Tantum uirum, & temporibus suis disertissimum, reprehendere non audeo: qui & cõfessionis suæ merito, & uitæ industria,

& eloquentiæ claritate, ubicunque Romanum nomen est, prædicatur. Idem in commentarijs super Esaiam, cum Cypriano eum confert, ac de utroque ait: Sanctus & eloquentissimus martyr Cyprianus, & nostri temporis confessor Hilarius, nonne tibi uidentur excelsæ quædam in seculo arbores, ædificasse Ecclesiam Dei?

DE AMBROSIO.

SVb Constantij, ut uidetur, imperio alicubi in Gallia Ambrosius natus, parentem habuit uirum illustrem, præfectum Galliæ: cui Symmacho fuisse nomen, ipse testatur in oratione funebri de obitu fratris, qui ei Satyrus fuit, homo & ingenij & pietatis ornamentis egregius, qui in forensi uitæ genere magna tandem cum laude consenuit. In eadem oratione, atq; alibi sæpe etiam, sororis suæ Marcellinæ meminit: quæ & ipsa pietate, pudicitia, alijsq; præstantibus muliebribus uirtutibus clara fuit, sicut eam laudem ei Ambrosius ubique tribuit. Narrat Paulinus ille, quisquis fuit, in uita Ambrosij, fortè aliquando infante Ambrosio, in domo prætoria in cunis dormiente, apes uisas circa cunas colligi, atq; os ambire dormientis: quod ideo fortasis confectum uidetur, ut significaretur, eximias uirtutes, quæ in Ambrosio postea emicuêre, nõ fuisse sine aliquibus præsagijs. Patrem certè ait, pro omine rem eam inusitatam habuisse, & interpretationem eiusmodi adiecisse: Si superstes mihi erit infans meus iste, aliquid magni erit. Nec dubium est Ambrosium ob eam rem accuratius & diligentius à patre, ab ipsis cunis ad uirtutem fuisse assuefactum. Sed pater, antequã adolescentiæ annos Ambrosi⁹ ingrederetur, decessisse uidetur. Quo defuncto, cum matre uidua & sorore Ambrosius Romam profectus est, & aliquandiu ibi in literis discendis uersatus est. ædes etiã se ibi habuisse indicat ipse, libri octaui Epistolarum epistola sexagesimaquarta. Sed in literis cum progressus mediocres fecisset, ad eloquentiæ studia, quæ tum præcipuè florebant, animum adiecit: & causas maturè agere cum laude cœpit. mox à Probo prætorij præfecto, consiliorum & gubernationis socius adscitus est. Inde consulari dignitate insignitus, ex urbe ad regendam Liguriam emissus est, Valentiniani Imperatoris tempore à Probo præfecto, cum hoc seu mandato seu uaticinio, ut postea apparuit: Vade age non ut iudex, sed ut episcopus. Nam cum à Valentiniano Mediolanensi populo præses præfectus fuisset, quo tempore Auxentius episcopus, sed Arianus, ac propter hæresin in multis synodis abdicatus, diem suũ obijt: tum Valentinianus optimus Imperator Ecclesiæ ei quam rectissimè consultum cupiens, synodum episcoporum indixit, quos sic allocutus est: Constare uobis, ô episcopi, qui diuinis innutriti estis literis, & potest et debet, cuiusmodi rebus instructum eum esse oporteat, cui episcopalis dignitas & administratio committenda sit, doctrinæ scilicet ac uitæ integritate, denique qui omnium uirtutum pietatis & honestatis ijs quos docet exempla proponat. Proinde & uos nunc in medium consulite, & talem Ecclesiæ huius episcopum eligite, cuius auctoritati & nos subijciamus, cuiusque reprehensiones ferre non dubitemus. Etenim ut Imperatores simus nos, & rerum potiamur: homines tamen esse nos, & humanis lapsibus obnoxios, fatendum nobis est. Synodus uerò authoritatem & iudicium Imperatori defert: ac iubet, ut is aliquem qui idoneus uideatur, suis suffragijs episcopum eligat. Cui ille: Vestrum, inquit, est negotium: ac uobis id, quibus gratiam suam Deus contulit, curare conuenit. Ego uerò id & uiribus meis maius, & ab officio meo alienũ iudico. Igitur egressi illi, dum consilia ferre de eligendo idoneo episcopo incipiunt, fortè interea populus Mediolanensis, pars Ariani, pars uerò in doctrina sani, in templum frequens concurrit, ac (ut in turba, animis, studijs & uoluntatibus distracta ac dissidente fieri solet) motus cier, non sine periculo, dum utraq; pars suæ religionis episcopum creari expetit. Quæ uerò opinione sua frustrata esset, ea se facturã minatur quæ in seditione designare mos esset. Veritus ibi igitur Ambrosius prẽses, ne quid perturbationis & periculi ciuitati ea populi disceptatio adferret, quasi remedium idoneum adhibiturus, ad templum accurrit, & dissidenti se multitudini immittit. Incipit hortari omnes, ut studia & uoluntates suas coniungant, & contentiones missas faciant: futurum enim id è re & salute communi omnium. Obiter eos & legum admonet, quæ motus & seditiones seueriter prohibeant: ac bonorum, quæ concordiam & pacem comitentur. Hic igitur, seu grauissima & suauissima populus delectatus Ambrosij concione, seu Deo ita (quod uerius uidetur) rem Ecclesiæ disponente, animis coniunctis, & dissensione omni deposita, uno conclamat ore: Ambrosium eum esse, quem episcopum sibi prẽfici omnes communibus suffragijs expetant, neq; alio pacto in doctrina & fide consentire uelit. Reluctatur ibi manibus pedibus q; Ambrosius, tenuitatem suam causatur: & plebem, quòd rem impossibilẽ audeat, obiurgat. Quid absurdius, inquit, cogitari à uobis potest, quàm me, prophanæ functionis hominem, atque in foro

foro tantum uersatum hactenus, præficiendum pastorali muneri: sacrarum denique rerum imperitum prorsus, episcopum constitui: ac, quod magis est, sacris Ecclesiæ nondum initiatum? (erat enim catechumenus adhuc Ambrosius) sed nihil proficit sua ea tam de industria cogitata tergiuersatione, ac uijs, per quas se elapsurum sibi uidebatur, prudenter pertentatis: ex præfecto fit episcopus, synodo approbante: cuius suffragijs baptizatur, atque episcopus confirmatur. Narrat Paulinus ille, Ambrosium infestum Arianorum perfidiæ, postulasse baptizari se ab episcopo catholico: ac postea completis ordine omnibus gradibus Ecclesiasticis, octauo die episcopum pronunciatum fuisse. Sed quod, ut non uidetur aut usitatum fuisse, aut necessarium, ita nec alius præter Paulinum hoc retulit. Hoc indicat Theodoretus libro quarto, capite septimo, Imperatorem populi electione delectatum, approbasse idipsum, ac statim præcepisse baptizari atque initiari Ambrosium. Postea uerò sic precatum: Gratiam tibi habeo Domine omnipotens & Saluator noster, quòd huic uiro, qui haberet à me commissa corpora, tu animas tradidisti, & approbasti suffragium meum. Hæc de occasione & initijs episcopatus Ambrosij, sic recitant Socrates libro quarto, capite trigesimo: Theodoretus libro quarto, capite sexto & septimo: Sozomenus libro sexto, capite uigesimoquarto. De quo ipse aliquibus in locis hoc testatur, ut libro primo Offic. capite primo: Ego raptus, inquit, de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium, docere uos cœpi, quod ipse non didici. Et libro secundo de pœnitentia, capite octauo: Non in Ecclesia, inquit, nutritus sum, non edomitus à puero, sed raptus à tribunalibus, de forensi strepitu iurgiorum ad sacerdotium uocatus sum. Et libro decimo Epistolarum, epistola octuagesimasecunda: Quàm resistebam, ne ordinarer? Sed non ualuit præscriptio. tandem ordinationem meam Occidentales episcopi iudicio, Orientales etiam exemplo probarunt. Indicat autem Hieronymus in Chronico, tempus electionis Ambrosij in episcopum, fuisse annum Christi trecentesimum septuagesimũoctauum, quo tempore episcopatum Romæ gessit Damasus: quemadmodum Theodoretus testatur libro quarto, capite trigesimo.

Commendatur inter uirtutes, quibus in episcopatu eximius fuit, præcipuè in sentiendo ac dicendo animi candor & libertas, qua non multo post electionem erga ipsum etiam Imperatorem usus est, reprehendens, ac durius quidẽ, quæ à prætoribus iniquius gererentur. eamq; libertatem Imperator admirans, placidè ei respondit: Nota mihi tua fuit libertas, quamobrem & electionẽ tuam adiuui: affer ergo medicinam delictis animarum nostrarum. Theodoretus libro quarto, capite septimo. Fuit & acer ac seuerus in urgenda disciplina, & obseruatione legum ecclesiasticarum: ut Sozom. retulit libro septimo, capite uigesimoquarto. Epistola porrò Romanorum episcoporum, quæ libri decimi octuagesimatertia est, qua ab Ambrosio petunt explicationem rationis Paschatis, indicat, eum & in alijs ecclesijs authoritate præstitisse: sicut & metropolitanus fuit, plurium coniunctarum ecclesiarum administratione fungens. Nam qua fuerit eruditione, facundi atq; elegantes ipsius latinè scripti libri testantur: in quibus & alicubi apparet, græcè eum quoque non uulgariter fuisse doctum: quod græcæ uersiones aliquot locorum ex ueteri & nouo Testamento, quibus utitur, probant: ut libro primo Officiorum, capite primo, initium Psalmi, Te decet hymnus Deus in Syon: & locus ex Threnis Hieremiæ, de iugo Domini graui, in oratione funebri de obitu Valentiniani: item illud ex Matthæo, Inuenta est in utero habens de spiritu sancto, libro secundo de spiritu sancto. Priuatas autem uirtutes eius, & in miseros quoscunque beneuolentia & officia crebra & usitata fuisse in eo, uel hoc testatur, quod in epistola quadam ad Theodosium, quæ libri quarti Epistolarum uigesimanona est, ipse inquit: Debeo beneficijs tuis, quibus me petente liberasti plurimos de exilijs, de carceribus, de ultimæ necis pœnis. Ac narrat Sozomenus libro septimo, capite uigesimoquarto, liberatum aliquando ipsius fuisse intercessione & opera paganum quendam, qui post iactata in Gratianum Imperatorem conuicia, capitis damnatus fuerat. Quod denique de miraculis per eum editis Paulinus ille fabulosus, ut certè uidetur, narrator commemorat, in sua laude & loco relinquimus, rametsi pręclaris uirtutibus eum excelluisse non negamus.

Nunc de libris & monumentis eius quædam breuiter monemus. Augustinus libro quinto confessionum, capite decimotertio, libris Ambrosij eloquentiam suauem, eruditam & grauem, atq; ab omni assentatione & blandimentis alieniſsimam tribuit. Origenis autem interpretandi formam imitatum eum in aliquibus, Hieronymus testatur in epistola ad Augustinum, & in Apologia aduersus Ruffinum, ubi Ambrosij libros penè omnes Origenis sermonibus plenos esse scribit. Quamobrẽ fortasis parum æquus fuisse uidetur Ambrosij scriptis, quemadmodũ in nuncupatoria sua Erasmus admonet, cu-

ius uerba adijcimus : Vnus Hieronymus, quanquam illum aliquot locis multa cum honoris præfatione citat, tamen alicubi minus candidè de libris eius sentire uidetur. Siquidem in præfatione in Didymi librum de spiritu sancto ab ipso uersum, taxat libellos cuiusdam de spiritu, ex græcis bonis Latinos non bonos, in quibus nulla uis sit argumentorum, sed tantum orationis facies, exquisitis hinc inde coloribus pigmentata. Rursus in præfatione, qua præfatur in Homilias in Lucam, recitante Ruffino (nam opus hoc intercidit) taxat illum in commentarijs in Lucam, ut uerbis ludentem, sententijs dormitantem, deniq; Gręcorum plumis sese uenditantem. Verùm siue hoc uerè scripsit in Ambrosium (ut inimicus exprobrat Ruffinus) siue in alium: certè à nomine temperauit, quod ipsum uenerandæ cuiusdam est modestiæ argumentum. In Catalogo scriptorum nec laudat eum, nec uituperat: Ne in alterutram, inquit, partem aut adulatio in me reprehendatur, aut ueritas. Ac ne lucubrationes quidem illius recenset, quod tamen in alijs solet. Ex quo diuinare licet, Hieronymo quædam in Ambrosij libris displicuisse, quæ ob singularem hominis authoritatem supprimere maluerit, quàm euulgare. Sed eiusdem etiam de genere sermonis Ambrosij, priusquam scriptorum numerum recitamus, obiter subijcimus: Dicendi character, inquit, nec flaccidus est, nec humilis. quo nomine taxare uidetur libellos de spiritu sancto Hieronymus, excusante Augustino: quòd rem licet grandem, tamẽ subtilem docenti, non laudanti, conueniret oratio demissior. Sed habet interim suos aculeos, ubi res postulat: propius tamen accedens ad argutam iucunditatem, quàm ad λείνωσιν illã & affectus penè tragicos, in quos interdum exardescit Hieronymus & Hilarius. Ac plerunq; totus ferè sermo ex uarijs sententiarum generibus uelut ex tessellis cõtextus est: quo dicendi genere supra modũ delectatus uidetur Seneca. Hoc non minus creber est Ambrosius, sed tamen mollior, ut frustra reclamante Fabio (qui uult orationem esse ueluti luminibus distinctam, non uelut emblematibus compactam) frequenter & diuisionem, & argumentum, & transitum, & conclusionẽ siue clausulã argumentationis per sententiam efferat. Interdum totus apparatus collectionis, hoc est propositio, assumptio, ratio, confirmatio, expolitio, meris constat sententijs. Passim accinuntur epiphonemata: uixq; alius crebrius aut frequentius utitur sententiarũ genere quas appellant νοήματα, in quibus latet aliquid argu ti sensus, quod cum nõ exprimatur, intelligi tur: ob hoc ipsum gratius, quia dictũ obscurius. Porrò densitatis satietatem ac tædiũ excludit uarietas, tam fœlix, ut naturę rem esse dicas, nõ affectationis: quòd hoc dicendi genus à puero imbiberat. Nonnunquã eandẽ sententiã aliter atq; aliter uariatã repetens, uelut infigit animis, quòd elabi nõ uult. Interim plurimũ addit iucunditatis, illa paucis uerbis modulata breuitas. Nusquã enim sermo longis ambagibus uix tandem absoluẽs periodum, obscuritate molestus est, quod in Augustini scriptis offendit Hieronymũ: sed cõmatibus & colis, concentu nõnunquam, numero plerunq; iucundus, tinnulus & cõpositus incedit. Horũ omniũ non pigeret ex ipsius libris exempla proferre, nisi nõ solum perlongũ uideretur, uerumetiã hic intempe stiuũ. Augustinus in libris de doctrina Christiana, quædã huius generis cõmonstrauit. In summa, hæc rhetorices imperitis frustra dicerentur, peritis in procliui fuerit animad uertere.

Cæterùm in tres distributa tomos Ambrosij opera omnia Cuspinianus uidit, de quibus in cõmentarijs in Casiodori consuli bus sic inquit: Quisquis scripta illius sanctissimi antistitis Ambrosij, in tres partes hodie distincta, non uiderit, ille se sciat in literis sacris parũ aut nihil uidisse. Omnes uos sacerdotes admoneo, hortorq;, ut huius diserti simi Doctoris ecclesiæ libros adsiduis manibus euoluatis, in his oleũ & operã ponatis. Sed extant hodie Ambrosij monumenta digesta in quinque Tomos: quorũ quæ primo insunt Tomo, citra controuersiam Erasmus censuit esse Ambrosij γνησίως. Sunt aũt: Officiorũ libri tres, quos Augustinus ad Hieronymum plenos ait esse utiliũ præceptionũ. Ipse uerò Ambrosius de ijsdem hæc retulit lib. 1. Officiorũ, cap. 9. Nostra, inquit, legant, si uolent, qui non sermonum supellectilem, neq; artem dicendi, sed simplicẽ rerũ exquirunt gratiã. De uirginibus libri tres, de quibus hæc Hieronymus in epistola ad Eustochiũ, de custodia uirginitatis: Leges, inquit, Ambrosij nostri quæ nuper scripsit ad sororem opuscula, in quibus tanto se effudit eloquio, ut quicquid ad laudes uirginum pertinet, exquisierit, expresserit, ordinarit. Ait & Augustinus lib. 4 de doctrina Christiana: Ambrosium in libris illis, genere sermonis usum temperato & ornato. Erasmus item: In libris, inquit, de uirginibus & uiduis, uelut in argumento plausibili, magis exprolit, ne dicam ostentat, dictionis argumenta. Sequitur,

Ad uirgines exhortatio, liber unus.
Ad uirginem deuotam, liber 1.
Ad uirginem lapsam, liber 1.
De uiduis, liber 1.
De pœnitentia libri duo: quibus adiecta est breuis

breuis ad pœnitentiam exhortatio.
De fuga seculi, liber 1.
De bono mortis, liber 1.

¶Secundo Tomo insunt: Libri duo de uocatione omnium gentuim, quos Erasmus censuit non esse Ambrosij: idq; constare ait ex phrasi: ex eo item, quòd Pelagianorum libri isti meminerint, quos Ambrosius nõ nouerit: tum quòd Hieronymus librorum Ambrosij contra Pelagium in Catalogo nõ meminerit. Esse tamen libros bonos, & aurum pro auro suppositum ait, hominis alicuius exercitati, atque ingenij sani & acuti, uetusti etiam, quod indicet alia uersio ueteris Testamenti quã citat, quàm hodie sit nostra. Denique stylum sentit non abhorrere à phrasi Eucherij episcopi Lugdunensis. De ijsdem libris & in censura præmissa Tomo primo idem: De libris, inquit, Ambrosij de uocatione gentiũ, nostram opinionem & illud confirmat, quòd Augustinus libris ad Bonifacium, cum ex Ambrosianis lucubrationibus recenseat aliquot testimonia aduersus Pelagianam hæresin, multo pòst exortam quàm illa scriberet Ambrosius: tamen ex his libris, qui uelut ex professo pugnant aduersus illorum dogmata, nullum adfert: ut alterum fuerit necesse, aut Ambrosium extrema senectute congressum cum Pelagianis: aut opus alterius esse, quod mihi fit probabilius. extra controuersiam est, Ambrosium iam uita defunctum, cum Augustinus scriberet aduersus Iulianum. Hos sequuntur,

De fide ad Gratianum, libri 5.
De spiritu sancto ad eundem, libri 3.
De fide contra Arianos, liber 1.
De incarnationis Dominicæ sacramento, liber unus.
De mysterio Paschæ, liber 1.

¶Tomo tertio insunt:

Oratio funebris de obitu Valentiniani Imperatoris.
Oratio funebris de excessu fratris sui Satyri.
Oratio de fide resurrectionis.
Oratio funebris de morte Theodosij Imperatoris.

Epistolarum ad diuersos uarijs argumentis libri decem, in quibus multis usus oratorijs argumentis est: sicut Basilius in epistola ad Ambrosium, uariegatam sermonum eidem picturam tribuit.

Sermones breues ad populum XCII. quos omnes Erasmus iudicat esse suppositititios, quòd nihil prorsus habere uideantur Ambrosiani: & quod inter eos aliquot alio reperiantur numero inter sermones Augustini. IX scilicet, q Ambrosio sit XXV. XXXVII, qui Augustino sit inter sermones de tẽpore LXXVIII: & LXIX, qui sit Augustini inter sermones de sanctis XXXI.

Sermo de Agne cuius sit, inquit Erasmus, nescio. Appendix in fine indicat artificem: Hæc ego Ambrosius, &c. Quis enim unquã appellauit diuina uolumina, præter scripturas canonicas?

Vltimus de Baptismo diui Augustini, citra controuersiam impostoris est, ac blateronis: adeò nihil est illis Ambrosianũ. Verùm dum Augustinum in baptismo statim ornat cuculla nigra & cingulo coriaceo, satis indicat de quo grege fuerit, qui hæc confinxit. Nam hac specie pingũt etiam illum bonum uirum ij, qui nunc uulgo dicuntur Augustinenses. Simili stulticia adiecit, Augustinum esse religionis exordium. Si religionem sentit monachismum, bis fallitur: cum Augustinus nec monachus fuerit, nec exordium huius instituti, si monachus fuisset. Postremò, nullus illa ætate monachismum appellauit religionem. Sed impudentius est, quod addit iam, uaticinans ex eo multas religionis constitutiones oriri posse, & eum à posteris diuinis honoribus colendum. Quis unquam Christianus homini tribuit honores diuinos?

¶ Quarto tomo continentur:

In Hexameron libri sex, De quibus Hieronymus in epistola ad Pammachium & Oceanum: Nuper, ait, sanctus Ambrosius sic Hexameron illius Origenis compilauit, ut magis Hippolyti sententias, Basilijque sequeretur. Testatur & Erasmus, libros eos Ambrosij Paraphrasin quandam magna esse ex parte operis Basilij homiliarum in Hexameron.
De dignitate humanæ conditionis, liber 1.
De Paradiso, liber unus.
De Cain & Abel, libri duo.
De Nohe & arca, liber unus.
De Abraham, libri duo.
De Isaac & anima, liber unus.
De Iacob & beata uita, libri duo.
De Ioseph patriarcha, liber unus.
De benedictionibus patriarcharum, liber 1.
De Nabuthe Iesraelita, liber unus.
De Helia & ieiunio, liber unus.
De Tobia, liber unus.
De Interpellatione, libri quatuor.
Apologia Dauid, liber unus.
De Salomone, liber unus.
De his qui initiantur mysterijs, liber unus.
De Sacramentis Ecclesiæ, libri sex.
De dignitate sacerdotali, liber unus.
Apologia Dauid, liber unus.
De interpellatione Dauid, liber unus.
Precationes præparatrices ad Missam duæ.
Commentarij in Psalmum CXVIII.

Ex his libellum de Salomone, argutũ & eruditũ, dissonare à stylo Ambrosij Erasmus censuit: quod & de duab. precationibus præ-

paratricibus ad missam statuit. Libros item duos, alterum de Apologia, alterum de interpellatione Dauid, ex phrasi dignosci iudicauit, non esse Ambrosij: tametsi autor eum æmulari conatus sit. Eundem autem sibi uideri ait authorem esse eorum librorum, qui fuerit superiorum de uocatione gentium.

¶ Tomus quintus, decem complectitur libros commentariorum in Euangelium Lucæ, & cõmentarios in omnes epistolas Pauli, ea excepta quę ad Ebręos scripta est. Nam paginam descriptam ex commentarijs in epistolam ad Ebræos, quæ aliquando missa sibi fuerit ex Anglia, Erasmus ait phrasi magis retulisse aut Remigium, aut Angebertum, aut alium eius uitæ scriptorem, quàm Ambrosium. In illis igitur omnibus nihil esse alienum ab Ambrosio, præter argumenta in singulas epistolas, idem pronunciat. Qui etiam tradi à quibusdam testatur, historiam Hegesippi de excidio Hierosolymorũ, cõuersam è gręco ab Ambrosio esse: sed quod uix sit credibile.

Idem & de libris Ambrosij hodie desideratis hæc annotauit. Augustinus libro quarto ad Bonifacium, aliquot adiecit testimonia ex Ambrosij commentarijs in Esaiam: quod opus hactenus inueniri non potuit. Meminit eorum commentariorum Ambrosius ipse libro secundo commentariorum in Lucam. Idem cõtra Iulianum, inquit, refert eius uerba ex cõmentarijs in Psalmum quadragesimumoctauum: nec hos hactenus inuentos. Idem aduersus eundem libro secundo, crebrò refert testimonium ex Ambrosij libro de Sacramento regenerationis, ut de philosophia: nec hunc uisum. Trithemius Abbas refert illius libros undecim in Psalmos, quos tamen negat sibi uisos. Idem recenset librum de iudicijs, de quadragintaduabus mansionibus: nec hos repertos. Et librum Hymnorum & præfationũ, qui intercidit. Meminit denique, ne & hoc prætereamus, libelli scripti ab Ambrosio ad infantem excitatum à se ex mortuis Florentiæ, Paulinus.

¶ De plerisq; porrò doctrinæ partibus Ambrosius rectissimè sensit, ac docuit: cuius rei testimonia ex ipsius scriptis quædam breuiter subijcimus. Primùm de authoritate scripturæ grauissimè monet libro tertio Hexameri, capite tertio: Nihil scilicet statuendum, quod non sit expressum in sacra scriptura. Ego quid facere, inquit, potuerit Deus, nunc prætermitto: quid fecerit, quod apertè scripturarum autoritate non didici, quasi secretum prætermitto. Libro primo Hexameron, capite sexto: Satis sit, inquit, ad scientiam, quòd scripturarum diuinarum series comprehendit. In libro de paradiso, capite duodecimo, docet diuinis mandatis nihil esse aut detrahendum aut addendum.

Postea de Deo, de tribus personis, multa habet perspicua testimonia: ut libro tertio de Spiritu sancto, capite decimoquarto: Secundum sententiam, inquit, nostram, quia unus Deus, una diuinitas, & unitas intelligitur potestatis. sicut unum Deum dicimus & patrem rerum deitatis nomine confitentes, nec filium denegantes, ita etiam spiritum sanctum à deitatis non excludimus unitate: & tres deos nõ asserimus, sed negamus, quia pluralitatem non unitas facit, sed diuisio potestatis. Et libro secundo de Sacramentis, capite septimo: Sicut peccatum dimittit pater, sic dimittit filius, sic & spiritus sanctus. In uno autem nomine baptizari nos oportet, hoc est, in nomine patris & filij & spiritus sancti. Noli mirari, quia dixi: unum nomen, ubi est una substantia, una diuinitas, una maiestas.

De Christo, libro primo de uirginibus ad Marcellinam: Dominus in corpus hoc ueniens, contubernium diuinitatis & corporis, sine ulla concretæ confusionis labe sociauit. Et libro primo de Sacramentis, capite quinto: Memento quòd dixerim, Christus carnem susceptt, non sicut carnem, uerè carnem Christus susceptt. De Christi merito, libro primo de Abraham, capite tertio: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, hoc est, Dei filius, sacerdos patris, qui sui corporis sacrificio patrem nostris repropitiauit delictis. Libro tertio Officiorum, capite decimoquarto: Qui erat filius Dei, ex Deo patre natus, filius hominis factus est, natus ex uirgine: qui quasi serpens exaltatus in cruce, medicinam uulneribus infudit humanis. De spiritu sancto uero Deo cum patre & filio, libro primo de spiritu sancto, capite decimo: Quis potest à patre & filio spiritum sanctum separare, cùm uel appellare patrem & filium sine spiritu non queamus? Et in commentarijs in epistolam primam ad Corinthios, capite sexto: In substãtia, inquit, hoc est spiritus sanctus, quod Deus. Sic libro primo Hexameri, capite octauo, adserit spiritũ sanctum unà cum patre & filio creasse mundum. Quemadmodum & trinitatem totam cooperari ait in hominis salutem, in commentario epistolæ primæ ad Corinthios, capite decimotertio: Trinitatis hic complexio, & unitas potestatis, quæ totius salutis perfectio est. Dilectio enim Dei misit nobis Saluatorem IESVM, cuius gratia saluati sumus: ut possideamus hãc gratiam salutis, communicatio facit spiritus sancti. Hic enim dilectos à Deo, & saluatos gratia Christi, tuetur: ut trium perfectio

ctio, consummatio sit hominis in salutem.

Citat eius testimoniũ de duabus in Christo naturis synodus Chalcedonensis, ex libro ad Gratianum hoc modo: Si mihi non credunt, credant apostolo dicenti: Postquam uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Filium, inquit, suum: non unum de multis, non communem, sed suum. Suum cum dicit, generationis æternæ proprietatem signauit. Hunc postea factum ex muliere adseruit, ut factura non diuinitati, sed assumptioni corporis adscriberetur. factum ex muliere, per carnis susceptionem: factum sub lege, per obseruantiam legis. Generatio autem illa cœlestis ante legem, ista post legem. Et libro secundo ad Gratianum: Seruemus distinctionem diuinitatis & carnis. Vnus in utroque loquitur Dei filius, quia in eodem utraque natura est. Etsi idem loquitur, tamen non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus, loquitur quæ sunt diuina, quia Verbum est. Quasi homo, dicit quæ sunt humana, quia in una substantia loquebatur: Hic est panis uiuus qui descendit de cœlo, panis hic caro est, sicut ipse dixit: Hic panis quem ego dabo, caro mea est. Hic est qui descendit, hic est quem pater sanctificauit, & misit in hunc mundum. Hæc ipsa litera nos docet, sanctificatione non diuinitatem eguisse, sed carnem.

De mundi & rerum omnium creatione, bene dixit, satis esse tantum tenere, quantum scripturarum series comprehendat. libro primo Hexameri, capite sexto: ubi & capite octauo, contra Marcionem, Valentinum & Manichæos probat, Deum non esse autorem eorum quæ in natura mala sunt.

Angelos bonos descendere dixit, ad homines, in adiumenta: libro primo de spiritu sancto, capite septimo. Et sermone primo in Psalmum centesimum decimumoctauũ: Mittit, ait, Dominus angelos suos ad defensionem eorum qui hæredes futuri sunt promissorum cœlestium. ubi & illud addit, Angelos præesse ecclesijs. Diabolum uerò cecidisse è cœlo, ait, inuidia beatitudinis homini concessæ, ac factum inimicum generis humani: libro de paradiso, cap. 12.

De hominis præstantia, libro de dignitate humanæ conditionis, capite primo: Tanta, ait, dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, ut non solo iubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed cõsilio sanctæ trinitatis, et opere maiestatis diuinæ creatus sit homo. Nec ob hoc solum, quòd consilio sanctæ trinitatis sic excellenter à conditore conditus est: sed etiam, quòd ad imaginem et similitudinem suam ipse creator omnium eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit. Et libro sexto Epistolarum, epistola trigesimaoctaua: Processit postremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mente sublimis, ut omni esset creaturæ miraculo. Rursus hominem propria uoluntate auertisse se à Deo, & causam mortis suæ ipsum sibi per se factum, docet in libro de paradiso, capite septimo: & libro sexto commentariorum in Lucam, capite octauo: Homo ipse sibi est autor ærumnæ. nam nisi porci more uixisset, nunquam accepisset in eum diabolus potestatem.

De libero arbitrio, in expositione Esaiæ, citante Augustino libro quarto ad Bonifacium, contra duas epistolas Pelagianorum capite undecimo: Pelagiani dicunt ab homine incipere meritum per liberum arbitrium, cui Deus subsequens gratiæ retribuat adiumentum. etiam hoc refellit uenerandus Ambrosius, dicens in expositione Esaiæ prophetæ: Quia humana natura sine diuina ope imbecilla est ad medendum, Deum auxiliatorẽ requirit. Et rursus in expositione Esaiæ: Orare Deum, inquit, gratia spiritualis est. nemo enim dicit Dominum IESVM, nisi in spiritu sancto. Et in libro de fuga seculi, & libro primo contra Pelagium & Celestium: Non in potestate nostra est cor nostrum, & cogitationes nostræ: quia improuiso offusæ mentem animumq; confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu proposueris. Ad secularia reuocant, mundana inserunt, uoluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore, quo eleuare mentem paramus, insertis inanibus cogitationib. ad terrena plerumque deijcimur. Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio diuino quî fieri potest? Nullo profectò modo. Denique super eadem scriptura dicit: Beatus uir, cuius est auxilium eius abs te Domine, ascensus in corde eius. Et in expositione Euangelij secundum Lucam: Vides utiq;, inquit, quia ubiq; Domini uirtus studijs cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, neq; quicquam incipere sine Domino. Docet igitur & dicit, cooperari Dominum etiam uoluntatibus nostris.

De peccato originis, in expositione Euangelij secundũ Lucã, citãte rursus Augustino lib. 1. cõtra Iulianũ, cap. 2. Fuit Adam, inquit, & in illo fuimus omnes: perijt Adam, & in illo omnes perierũt. Idẽ rursus in Apologia Dauid: Antequã nascimur, maculamur cõtagio: & ante mensurã lucis originis ipsius, excipimꝰ iniuriã, & in iniqtate cõcipimur. Nõ expresit, utrum parentum, an nostris. Et in delictis unumquenq; generat mater sua: nec

hoc-

hoc declarauit, utrum in delictis suis mater pariat, aut iam sint aliqua delicta nascentis. Sed uide, ne utrumq; intelligendum sit. Nec conceptus expers iniquitatis est, quoniam & parentes non carent lapsu. Et si nec unius diei infans sine peccato est, multo magis nec illi materni dies sine peccato sunt. Concipimur ergo in peccato parentum, & in delictis eorũ nascimur. Sed & ipse partus habet contagia sua, nec unũ tantummodo habet ipsa natura contagium.

Idem in expositione Tobiæ: Quis iste, inquit, peccati fœnerator nisi diabol⁹ est, à quo Eua maculata, peccato obnoxia, successionis usuris omne genus deformauit humanum? Et in expositione Psalmi quadragesimioctaui: Alia est, inquit, iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est uulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanę suo uulnere dereliquit, ut omnes illo uulnere claudicemus.

De Lege rectè ait in præfatione commentariorum in epistolam ad Galatas: A' prædicatione Ioannis Baptistæ legem iam cessare, ut sola fides sufficiat ad salutem, abbreuiata ex lege. De eadem memorabiliter inquit in commentario capitis tertij ad Galatas: Apertum est, quia iusticia Dei sine lege apparuit, sed sine lege sabbati & circumcisionis, & neomeniæ & uindictæ: non tamen sine sacramento diuinitatis Dei, quippe cum iusticia Dei de sacramento Dei sit. Nam quando quos lex reos tenebat, iustitia Dei ignouit illis, sine lege utique hoc fecit: quia iniquos lex uindicatura erat, donauit illis peccatũ. Et ne hoc fortè contra legem factum putaretur, adiecit, iustitiam Dei testimonium habere ex lege & prophetis: hoc est, quia ipsa lex ex alia parte olim istud futurum dixerat, quia uenturus erat qui homines saluaret: quod legi concessum non erat, ut peccata donaret.

De Euangelio, in commentarijs in epistolam ad Galatas capite primo: Euangelium bonum nuncium est, ac per hoc & lex uetus Euangelium est, accepta lege factorum: sed hoc potius, in quo quod promissum est, solutum est, per quod peccatores ad indulgentiam conuocantur. Et libro quinto Epistolarum, epistola uigesima: Bonus, inquit, cibus omnium Christus est, bonus cibus est fides, suauis cibus misericordia, iucundus cibus gratia. Hos cibos epulatur populus Ecclesię: bonus cibus spiritus Dei, bonus cibus peccatorum remissio.

De iustificatione coram Deo per fidem solam, absque legis operibus, si quis alius totius huius seculi perspicua & illustria habet testimonia, Ambrosius habet. ut libro secundo de Iacob: Quia non operibus, inquit, iustificamur, sed fide: quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed fidei claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur ueniam delictorum. Et in primo capite ad Galatas: Qui non fecerat legem, sub maledicto erat: & qui fecerat, non iustificabatur apud Deum, quia iustus ex fide uiuit. Et in capite quinto eiusdem epistolæ: Iusticia legis est, si seruantur quæ data sunt. Ideoque qui in his iustificari se uult post fidem, amittit gratiam. Quia ad hoc uenit donum Dei, ut cessantibus operibus legis, iustificaret credentes apud Deum. Et in tertio capite ad Romanos: Per hoc decreuit Deus iustificare hominem, non per legem: quia lex ad tempus iustificat, non apud Deum. Ideo legem seruantes in tempore iusti dicuntur apud Deum: quia fides per quam iustificantur homines apud Deum, non est in eis. Maior enim fides est, quàm lex: Quia lex ad nos pertinet, fides ad Deum. Idcirco lex temporalem habet iusticiam, fides æternam. Et in prima ad Corinthios primo: Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, saluus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.

Opera tamẽ bona subsequi debere fidem, ubi fides fundamenti loco posita est, passim docet: ut in libro secundo de Cain & Abel: & in expositione capitis sexti epistolæ ad Galatas. Ac de operum fine commodè loquitur libro primo de Abraham, capite secundo: Si filij, inquit, Abrahæ sumus, opera Abrahæ faciamus, ut luceant opera nostra bona coram Deo & hominibus.

De pœnitentia, in oratione funebri de obitu Valentiniani: Beatus planè, inquit, qui uel in senectute correxit errorem. Beatus, qui uel sub ictu mortis animum conuertit à uitijs. Beati etiam, quorum tecta sunt peccata. Et libro nono Epistolarum, epistola septuagesimasexta: Vbi pœna præscribitur, debet esse pœnitentia peccatorum: ubi remissio datur, gratia est: præcedit pœnitentia, sequitur gratia. Neque ergo pœnitentia sine gratia, neque gratia sine pœnitentia. Debet enim pœnitentia prius damnare peccatum, ut gratia possit abolere. Ideo typum legis accipiens Ioannes, baptizauit in pœnitentia, Christus ad gratiam.

De Baptismo rectè sensit, ablutionem sceleris licet esse à peccatis omnibus. sicut ait libro primo de pœnitentia, capite septimo: In baptismo remissio peccatorum omnium est. Et libro tertio de spiritu sancto, capite decimonono: In Baptismo peccata donari, non est ambiguum. In Baptismo autem operatio patris & filij & spiritus sancti

sancti est. Ac libro de his qui initiantur, capite tertio ait, in aquis Baptismi operari gratiam inuisibilem. Adprobat & Baptismum paruulorum, sicut suprà diximus, libro decimo Epistolarum, epistola quadragesimaquarta.

De Eucharistia, sermone decimoquinto in Psalmum centesimum decimumoctauum memorabiliter inquit: Solicitus est pro te Christus. dicit ad discipulos: Date illis uos manducare, ne deficiãt in uia. Habes apostolicum cibum, manduca illum, & nõ deficies. illum antè manduca, ut postea uenias ad cibum Christi, ad cibum corporis Dominici, ad epulas Sacramenti, ad illud poculum quo fidelium inebriatur affectus, ut læticiam induat, de remissione peccati: Curas huius seculi, metum mortis solicitudinesque deponat. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit: animus non confunditur, sed consecratur.

De coniugio, postremò Ambrosij testimonium etiam Augustinus citat libro secundo contra Iulianum, ubi: Defendit, inquit, Ambrosi⁹, fatetur & disserit, bonas esse nuptias, in quantum sunt nuptiæ. Citat & aliam ipsius sententiam ex Apologia Dauid cap. 11. Bonum coniugium, sancta copula.

De Antichristo dixit, uenturum eum posteaquam cœperit debilitari & deficere regnum Romanum, quod collapsum ipse sit restauraturus: in Enarratione capitis secundi posterioris epistolæ ad Thessalonicenses.

¶ Sed habet tamen alicubi, quod legentes offendere possit, Ambrosius: cuius rei exempla suprà adduximus. ut quod libro sexto commentariorum in Lucam ait, capite octauo, Diabolum post aduentum Domini bonis nocere nõ posse, sed infirmos & inermes solos aggredi.

Quemadmodum & de libero arbitrio, de quo tamen multis in locis rectè sensit, non sat commodè dixisse uidetur libro primo de Iacob, capite primo, ubi: Non seruili, inquit, ad obediendum constringimur necessitate, sed uoluntate arbitra, siue ad uirtutem propendimus, siue ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut uoluntas reuocat rationem secuta.

Et quod de bonis operibus ait, libro de Helia & ieiunio, capite uigesimo: Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes? redime peccatum tuum. Non uenalis est Dominus, sed tu ipse uenalis es: peccatis tuis uenundatus es: redime te operib. tuis, redime te pecunia tua: uilis pecunia, sed preciosa est misericordia, & cætera.

Videtur & secundas nuptias damnasse, & ministris Ecclesiæ matrimonium interdicere, libro primo Officiorum, capite quinquagesimo: sicut & uiduis dissuadet secundas nuptias, libro secundo Officiorum, capite sexto. Sed & ab Hieronymo reprehenditur in Commentarijs in capite uigesimosexto Matthæi, quòd Petri lapsum excusauit prolixa & friuola narratione, libro decimo commentariorum in Lucam, capite uigesimosecundo: ubi omnino pugnare uidetur, Petri negationem aut hominis, aut filij hominis fuisse, aut sui ipsius, non Christi, aut filij Dei. Verba enim eius sunt: Negauit ex illis se esse, non Christum negauit. Negauerat hominum consortia, non Dei gratiam. Negauerat ex illis se esse qui cum Galilæo erant, non negauit cum Dei filio. Et: Non Christi discipulum se negauit, sed hominis negauit esse discipulũ. Et: Cum illo quem hominem nuncupatis non fui, sed à Dei filio non recessi: &, Maluit uidelicet se negare, quàm Christum: aut quia uidebatur negare Christi societatem, utique se negauit. Certè cum de homine negat, in filium peccauit hominis, ut remitteretur ei, non in spiritũ sanctum. Hieronymi reprehensionem adscribimus: Et iterum negauit cum iuramento, Quia non noui hominem. Scio, inquit, quosdam pij affectus erga Petrum apostolum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negasse, sed hominem. & esse sensum: Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm friuolum sit, prudens lector intelligit: si defendunt apostolum, ut Deum mendacij reum faciant. Si enim iste non negauit, ergo mentitus est Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne quid dicat, Me negabis, non hominem.

Sensit & de paradiso, libro sexto Epistolarum, epistola quadragesimasecunda, non uideri scilicet terrenum, sed esse in homine, quia Salomon dicat: Paradisus conclusus soror mea, &c. Sed & libro primo de uirginibus, & libro primo de pœnitentia, sentire uidetur Heliam rediturum, & futurũ præcursorem aduentus Dominici.

Etsi autem Ambrosij uigilantia, Italia tota & Gallia (quemadmodum in Chronico suo Hieronymus testatur, & Paulus Diaconus libro duodecimo) ad doctrinæ integritatem, iampridem ab Arianis labefactatam, reducta est: tamen sine maximis certaminibus id non pręstitit Ambrosius. ex quibus acerrimum illud fuit, quod aduersus Iustinam Valentiniani Imperatoris coniugem habuit, cum uix annum in episcopatu suo cõfecisset. Valentiniano enim insidijs interfecto, ebria Arianismo coniunx Iustina, filiũ regni successorem, qui & ipse Valentinianus dico-

dicebatur, Ariano ueneno infecit. Is, ut erat à matre instructus, cum Ambrosio de doctrina statim multa confert: à quo, ut paternæ pietatis uestigia urgeat, ac persuadeat sibi, eiusmodi dogma profiteri Ambrosium, quod cum Christi & Apostolorum traditionibus congruat, admonetur quidem sedulò, sed nec emendatur, nec commouetur. Imò matri, à qua ductabatur, gratificaturus, collecto leuis armaturæ exercitu, templum aliquando, in quo tum erat Ambrosius, obsedit, atque eum inde exire iussit. Cui Ambrosius: Hoc, inquit, sponte mea facturus non sum, neque prodam lupis stabulum ouium mearum, nec tradam templum illis qui in Deum blasphemi sunt. Quod si igitur constitutum habes me occidere, hic intus in me ensem hastámue defige: eiusmodi enim perquàm grata mihi futura mors est. Theodoretus libro quinto, capite duodecimo & tredecimo. Narrat autem Sozomenus libro septimo, capite decimotertio, Ambrosium accusatum apud Valentinianum fuisse à matre, quasi contumelia ab eo affecta fuisset. Quod indignè ferens Valentinianus, militum copias ad templum Ambrosij miserit. Addit & Socrates libro quinto, capite undecimo, Iustinam in exilium deportari Ambrosium iussisse. Ac meminit eius persecutionis Augustinus libro nono Confessionum, capite septimo: eoque tempore se Mediolani fuisse cum matre indicat. Refert autem ipse Ambrosius siue de hac, ut omnino uidetur, seu alia persecutione, hæc libro quinto Epistolarum, in oratione inuectiua in Auxentium: & libro eodem, epistola trigesimatertia ad Marcellinam sororem: Cum esset, inquit, propositum, ut Ecclesiæ uasa traderemus, hoc responsi dedi: Me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere: nec tradere illud quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti: quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. accipiat enim liberi sacerdotalis uocem: Si uult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria.

Proximum ei certamen cum Maximo fuit tyranno, apud quem legatum pro Valentiniano iuniore, quem ex Gallijs Maximus expulerat, bis egit in urbe Treuirorum: apud quem cum acerrimè primùm contendisset, ne adolescentem, cui successionis & hæreditatis iure deberetur regnum, Imperij iusta possessione pelleret: deinde communione etiam ei interdixit, non sine ingenti suo periculo. Cædem enim ei Maximus minatus est: ob quod Aquileiam Ambrosius secedere coactus fuit, ut Paulinus narrat. ex quo loco redijt Mediolanum pòst, cum à Theodosio interfectus Maximus esset.

Attulit & Eugenij tyrannis, post interfectum Valentinianum, Ambrosio pugnas & persecutiones, quæ eum in Ethruriam expulerunt: cum Arbogastus dux Mediolanum ueniisset, ac satis barbaricè minatus fuisset, se templa mutaturum esse in equorum stabula: Romæ uerò antea cum Eugenio Ethnicorum sacrificia iussisset institui. Atque his certaminibus & periculis initia statim episcopatus Ambrosij excepta sunt.

Admiratione deinde digna, & commemoratione, Ambrosij censura grauis & seueritas est, qua in Imperatorem Theodosium usus est: quam ex Theodoreti narratione libro sexto, capite decimooctauo, & Sozomeni libro septimo, capite uigesimoquarto breuiter recitamus. Cum iracundo admodum esset ingenio Theodosius, adeò ut nullo iudicio aut ratione refrenare animi impetum, ad iram interdum uehementius prouocatus, posset: fortè Thessalonicæ inter ludos sedi tione coorta, magistratus aliquot à populo saxis obruti, & contumeliose affecti fuerant. Sozomenus Botherichum quendam, ducem militum, trucidatũ fuisse scribit. Quod cùm Imperatori significatum fuisset, ille furore uictus, militum exercitum in theatrum immisit: qui in promiscua hominum multitudine cædem atrocissimam faciunt, & septem milia trucidant. Venit Mediolanũ paulo pòst Imperator: ubi cum usitato more in templũ ingressurus esset, Ambrosius occurrens, ne intret, eum prohibet, ac retrahit, grauissimè corã frequenti eum cœtu obiurgãs. An nescis, inquit, Imperator, quæ sit atrocitas à te commissi facinoris? Aut non memnisti, alium nobis esse Imperatorem Deum, te superiorem? Ac quæ ista feritas tua, & confidens impietas, ut nihil uereari, tanta cæde hominum innocentũ pedes pollutos tuos, in locum sacrũ inferre: aut manus tuas cruore madentes adhuc, & stillantes, ad percipiendum sacratissimum Domini corpus extendere? atq; os illud tuum, quo non clementiæ solum quæ Imperatorem decet, sed & iustitiæ oblitus, sententiam tulisti de trucidandis tot millibus innocentissimorũ hominũ, precioso Domini sanguini admouere? Abeas igitur, neq; nouo peccato augere impietatem tuam uelis: nec ferre detrectes disciplinam, quam in hoc loco exerceri iussit Dominus. Ita igitur cum lachrymis & gemitu in regiam suam Imperator reuersus, in luctu & lamentatione menses octo exegit, regio ornatu depositio. Nec post tantũ tamen tempus receptus prius est, nisi ab Ambrosio

iterum

iterum duriter reprehenſus, doloris ſui in tẽ pli ueſtibulo, in pauimentum ſe deijciens, & plorans, certa fecit indicia, ac in loco pœnitentium ſubſiſtere non recuſauit: cum quidem pro more intra cancellos, qui locus ſacerdotum ſolus, aliàs uerò Imperatori etiam propter eminentiam patuerat, conſiſtere uolẽs, exire iuſſus eſſet, ac cum cæteris aſſiſtere.

Reprehendit in ea actione acriter etiam Ruffinum equitum magiſtrum, quòd importunius placare eum Imperatori conaretur: Canum, inquit, Ruffine imitaris impudentiam. tantæ enim cædis conſiliarius, frontem perfricuiſti: & abiecto pudore neque erubeſcis, neque formidas, in tanta aduerſus imaginem diuinam admiſſa rabie.

Narrat Paulinus, etiam Stiliconis comitis ſeruum, propter falſas epiſtolas ab Ambroſio excommunicatum fuiſſe: eoque furore in furorem uerſum, à Sathana tandem diſcerptum. Sed & reliqua certamina, quibus eum potiſsimum aula exercuit, adijciamus.

In Callinico caſtro Orientis, fortè episcopi eiuſdem loci iuſſu, Iudæorum ſynagogam populus incenderat. Quamobrem indignatus Theodoſius, in autores animaduerti præcepit: epiſcopo eiuſmodi irrogata mulcta, ut ſynagogam ſuis ſumptibus ipſe reſtrueret. Refert eam rem ad Ambroſium præfectus Orientis: qui datis mox ad epiſcopum literis, & epiſcopi & eorum qui ſynagogam exuſſerant cauſam agit conſtantiſsimè, probans euidentibus argumentis, incendium ſynagogæ impietatis iuſtum eſſe: & peccaturum ſua cum ſalute & regni Imperatorem, ſi quid atrocius ſeu in epiſcopum ſeu autores committeret. Recitat ipſe hanc hiſtoriam libro quinto Epiſtolarum, epiſtola uigeſimanona: in qua Iudæorum improbitatem & perfidiam grauiſsimè damnat.

Tale quiddam & Zonaras retulit tomo tertio, in rebus geſtis Theodoſij: Conſtruxerant, inquit, Iudæi Conſtantinopoli ſynagogam in foro ærario. Quod cum Ambroſio nunciatum eſſet, Theodoſium in Dominico quodam feſto eccleſiam Mediolanenſem ingredientem duriter excepit, hoc modo: Cur, Imperator, eum qui te ex priuato regem fecit, ſuo grege tibi commiſſo, qui caput tuum prius ſqualidum diademate exornauit, tu contumelia adficis: eos à quibus ille reijcitur, ijs præferendo à quibus colitur, ui etiam illata: ut in media urbe, in qua Chriſtus colitur, & crux adoratur, ſynagogam Chriſti interfectoribus ædificent? Vbi tum Imperator: Nunquid, ait, epiſcope in Republica bene conſtituta plebi concedenda eſt, quiduis temerè & impudenter audendi licentia. Cui Ambroſius: At ne illud quidem, inquit, concedendum eſt, ut Iudæi in medio Chriſtianę urbis ſynagogas habeant, & blaſphemis precibus piorum aures obtundant. Ne uerò iſtud decreueris, ſanctiſsime Imperator.

Taxat & in ſcriptis ſuis paſsim Iudæorum improbitatem, ut quos negat habere ſenſum librorum Dei: In commentario in Pſalmum centeſimum decimumoctauum. Et in ſermone decimoſeptimo de Calendis Ianuarijs, ubi non ſolum gentilium, ſed & Iudæorum conſortia dicit eſſe uitanda.

Pugnat aduerſus Ethnicos ſubinde: ſed in primis graui oratione Symmachum confutat, ſenatorem Romanum, qui apud Imperatores Romanos legatum egerat, populi Romani nomine, & oratione ſpecioſa petierat reſtitutionem ueteris idolomaniæ. Ea oratione cum de duobus egiſſet Symmachus: primùm, Romam repetere ueteres ſuos cultus, quorum beneficio ſemper ſeruata eſſet: deinde, reſtituenda eſſe uirginibus Veſtalibus & ſacerdotibus ſua emolumenta, ideo quòd ſpoliationem eorum fames publica ſecuta ſit: Ambroſius ad ſingula reſpondet, monens primùm, non eſſe ſpectandam uerborũ Symmachi elegantiã, cui ob hoc unũ gentilitas plerunque ſtuduerit, ut eo plauſibilius errores defendere potuerit. deinde, quia finxerat Symmachus, Romam ſuam ipſius agere cauſam, & prædicare, quòd ueteribus cultibus aucta eſſet, & orbis imperium ſibi ſubieciſſet: & quòd ea ſacra Hannibalem à mœnibus, à Capitolio Senones repuliſſent. Ambroſius reſpondet: Quia uſque ad urbis mœnia Hannibal acceſsit, quid aliud fecit, niſi quòd dijs Romanis inſultauit? Cur enim obſidionem Romani pertulerunt, ſi deos habuerunt pro urbe pugnantes? Aut quomodo Romanis magis quàm Hannibali profuiſſe ſuos deos quis putat, cum Hannibal eoſdem quos Romani deos coluerit? Quod uerò ad Senonas attinet, certum eſt (inquit) penetrantes nos Capitolij ſecreta, ab anſere, non ab ullo Romano numine proditos fuiſſe. Alijs igitur diſciplinis Roma, quàm ſanguine uictimarum, & pecudum fibris, ſæpe uicit: quæ ſacra ipſi etiam philoſophi riſerunt.

Sed quod dixerat Symmachus, Nihil intereſſe quos ſibi quiſque Deos & religionem faceret: atque æquum eſſe unum putari, quicquid omnes colerent, cum itinere uno ad tantum ſecretum perueniri non poſſet: illud uerò grauiſsimè Ambroſius confutat, unam eſſe & perpetuam religionem, traditam uoce & patefactione Dei. Si-

cut ait ipse: Quod uos ignoratis, id nos Dei uoce cognouimus. Et quod uos suspicionibus quæritis, nos ex ipsa sapientia Dei & ueritate compertum habemus. Tum ad hoc quòd Symmachus contenderat, uetera scilicet reddenda esse, altaria simulachris, ornamenta delubris: aptissimè respondet· Reposcantur hæc à consortibus superstitionis uestræ: Christianus Imperator arma solius Christi didicit honorare. Et si uos idolorum cultores tantum deposcitis reuerentiæ religioni uestræ, ut ab interitu reuocari cupiatis: quanto magis Christiani Imperatores hoc debent religioni suæ, ut incolumem esse & conseruari uelint.

Sed uirginibus Vestalibus sua negantur præmia, ais Symmache, & emolumenta. Quasi uerò uirtus sit, quæ precium expetat: aut uirginitas, præmio magis quàm uirtutis inuitata studio. Ac non æquum potius sit, sub Christianis Imperatoribus eo frui omnes communiter, quod sub gentilibus totum ad se rapuerunt uirgines Vestales.

Sacerdotibus item, quereris, & ministris suis alimenta non præberi: Quin nobis etiam priuatæ successionis emolumenta, recentibus legibus denegantur, & nemo tamen nostrûm conqueritur. At cedo quàm sit honestum, sacerdotem emere sibi ministerij sui ferias, proprij patrimonij damno, ac publicum sibi postea flagitare.

Atqui emolumentis sacerdotum negatis publica fames secuta est. Quasi uerò eiusmodi calamitates antea nunquam accidirint, cum toto grassaretur orbe superstitio gentilis: aut nunc demum gentilium dijs in mentem uenerit suas iniurias ulcisci, cum & ante plurimos annos templorum iura toto orbe sublata sint.

Denique maiorum (inquis Symmache) seruandos esse ritus. At hi errantes & falsi deprehensi, in meliorem religionem mutati sunt: sicut alia omnia, qualicunq; orta initio, in melius postea profecerunt. De Symmachi confutatione tantum.

¶ Porrò quibus cum congressus sit hæresibus, libri testantur in operum suorum tomo secundo. Nam & ueterum hæreticorum, eorum'que qui suo tempori uicini fuerunt, errorum meminit: ut Marcionis, quòd Deum malum habere maluerit quàm bonum. Manichæi uerò sæpissimè, contra cuius hæresim etiam Augustinus ex Ambrosij libro de Isaac & anima citat libro secundo. Contra Iulianum, contra hoc nimirum quòd asseuerauit, malum esse natura & necessitate. Et libro tertio Hexameri, capite septimo: Manibus suis, inquit Ambrosius, ut legimus, te ille formauit: & tu Manichæe alienum tibi adsciscis autorem? Ibidem & contra Photinianos & Eunomianos agit: Pater Deus, inquit, dicit ad filium, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & tu Photiniane dicis, quia in constitutione mundi adhuc non erat Christus? Et tu Eunomiane dicis, quia dissimilis est patri filius? Refutat eorundem errores etiam libro primo Officiorum, capite uigesimoquinto: & libro secundo Hexameri, capite quinto: rursus libro primo de fide, capite primo.

Contra Sabellium item, in apologia Dauid: Dixit Dominus Domino meo. Tacet (inquit) Sabellianus, cum legat Dominum Domino dixisse: intelligat non eundem & ipsum esse cui dicit, & cui dicitur. Nec enim sibi pater dixit, Sede à dextris meis: nec sibi dixit, Ponam inimicos tuos, & cætera.

Contra Nouatianos, grauissimè disputat toto libro primo de pœnitentia: quamobrem & eum librum Augustinus libro secundo contra Iulianum Pelagianum, eo titulo citat, contra Nouatianum. Denique contra Arianos ex professo agit libro peculiari, cui titulum fecit, De fide contra Arianos. Cum ijsdem & alibi sæpissimè committitur: ut libro secundo, de fide ad Gratianum, capite secundo & quarto: & in Apologia Dauid: item libro secundo de Salomone, capite quarto: & libro secundo Hexameri, capite quinto, atque alibi subinde.

Sed nec philosophis pepercit, Platonicis maximè, & Aristoteli: quorum, ut & aliorum errores, cùm recenset, tum confutat in initio Hexameri. Ac citat Augustinus libro secundo contra Iulianum, librum Ambrosij contra Platonem de philosophia: in quo contra Platonicos, negantes carnem hominis esse Dei, defendat corpus perinde ut animá hominis opus esse Dei. defensionis eius uerba Augustinus recitat.

Interfuit autem & sine dubio Synodis plerisque, episcopatus sui tempore celebratis, quas suo capite recensuimus: ut duabus illis frequentibus, quas Constantinopoli Theodosius cæpit contra Arianos & Macedonium. Adfuit certè in Romana Synodo magna, quam ibi Damasus ad condemnationem erroris Eunomij & Macedonianorum coegit: ut Theodoretus indicat libro quinto, capite nono. Quo tempore, proximo autoritatis loco post Damasum in Ecclesijs Occidentalibus fuisse uidetur Ambrosius. Qui & Syricio subsecuto Romano episcopo postea

familiaris fuit: quod aliquot ad ipsum eius epistolæ testantur.

Fuisse & magni nominis uidetur in Ecclesijs Orientalibus, ac multis præstantibus doctoribus familiaris: ut Basilio Cæsarienſi, cuius ad eum extat plena humanitatis epistola, qua mirificè eum commendat, & episcopatum gratulatur: uocat eum uirum sapientia sublimem, generis claritate, uitæ splendore, scientiarum facultate & rebus seculatibus illustrem. Postea humanissimè admonet: Age ô homo Dei, quandoquidem non ab hominibus accepisti, aut doctus es Euangelium, sed ipse te Dominus è medio iudicum terræ desumptum ad præsidentiam Apostolicam transtulit, certa bonum certamen, corrige ac moderare infirmitatem populi, si qua Arianæ uesaniæ labe tactus est, renoua prisca patrum uestigia, &c. Cæteras eius cum plurimis familiarissimas coniunctiones indicant inscriptiones epistolarum eius ad diuersos. Nam quàm charus fuerit quinque laudatissimis Imperatoribus, Valentiniano maiori, Gratiano, Valentiniano iuniori, Theodosio & Honorio, cum quibus omnibus familiarissimè uixit, non est opus commemorare. Theodosium de eo dixisse, Sozomenus retulit libro quinto, capite decimo octauo: Nosse scilicet se, solum Ambrosium dignum episcopi nomine. Sed quàm fuerit celebratus Augustino, quem in Chronico suo Cassiodorus discipulum fuisse Ambrosij affirmare non dubitauit, breuiter adijcimus. Is enim doctorem eum suum dixit, & hominem Dei: in libro secundo contra Iulianum, capite tertio. sicut & in ijsdem libris, plurimis utitur Ambrosij testimonijs. Et contra eundem libro primo, capite secundo, reuerenter affirmat se ab eo baptizatum: Audi, inquit, alium dispensatorem Dei excellentem, quem ueneror ut patrem. in Christo enim IESV per Euangelium ipse me genuit, & eo Christi ministro lauacrum regenerationis accepi: beatum loquor Ambrosium, cuius pro catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, siue operibus, siue sermonibus & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. Idem libro quinto Confessionum, capite decimotertio, appellat eum doctorem ueri. Et libro primo contra Pelagium & Cœlestinum, nominat eum catholicum doctorem. ubi nec inimicos eius ausos fuisse eum reprehẽdere, sic scripsit: Beatus Ambrosius episcopus, in cuius præcipuè libris Romana elucet fides, qui scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus emicuit: cuius fidem & purissimum in scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere. Rursus libro quarto, capite undecimo, contra duas epistolas Pelagianorum: Ambrosium, inquit, Pelagius ita laudauit, ut ne ab inimicis quidem, in eius libris quod reprehenderetur, diceret inueniri. Dixit & Ruffinus libro secundo, capite decimoquinto, Ambrosium Ecclesiæ murum & turrim ualidissimam, Heliæ uirtute & gratia repletum.

Exercitia quædam eius coaceruauit Paulinus: ut quòd prandere nunquam solitus sit nisi in Sabbato & die Dominico, &c. quæ in suo nos loco relinquimus: quòd nõdum, quantum ei narrationi tribuẽdum sit, constitutum habeamus.

Episcopatum postremò Ambrosij XXII fuisse annorum, aut circiter, ex Hieronymi & Hermanni Contracti annorum annotationibus conijcere est. Nam Hieronymus initium episcopatus eius in annum Christi trecentesimum septuagesimumoctauum collocat: Contractus mortem eiusdem in annum tertium Imperij Arcadij & Honorij, quod est anno Christi quadringentesimo. Ac senem admodum se decessisse, ipse indicat libro septimo Epistolarum, Epistola quinquagesimaseptima, ad Seuerum episcopum: in qua uersari se conqueritur in medijs procellis motuum & bellorum (quod de certaminibus, quib. episcopatus eius exceptus est, ueluti diximus, intelligendum uidetur) agentem iam annum tertium & quinquagesimum.

Memorabile est autem, quod Paulini narratio indicat, eo decumbente, Stiliconem comitem dixisse: minari tanti uiri, si decessisset, obitum, Italiæ toti interitum. Ideoque & conuocatis ciuitatis nobilibus persuasisse, ut Ambrosium ægrum accederent, & hortarentur impetrare à Domino uitæ prorogationem. Quibus uerò ille responderit: Non ita uixisse se inter eos, ut uiuere se puderet: nec tamen mori se metuere, quoniam bonũ haberet Dominum.

Cætera quæ aut mortem Ambrosij antecesserint, aut secuta sint, ex eiusdem narratione uideantur: ut quòd diem adeò mortis præuiderit, ac fratribus indicarit: dictarit etiam enarrationem Psalmi quadragesimiquarti, cuius initium est, Deus auribus nostris audiuimus, &c. atque inter dictandum conspecta sit figura Clypei, quæ postea dilabens fulgorem inusitatum in facie sparserit, & ore hausta sit, delegerit quoque successorem senem bonum Simplicianum: & ab hora circiter undecima diei, usque ad illam horam qua emigrauit, expansis orarit manibus, labia solum mouens, ut nec audiri uox aliqua posset.

GERONTIVS.

MEdicus fuit optimus, & diaconus sub Ambrosio Mediolanensi episcopo Gerontius, clarus in episcopatu synceritate & sedulitate, alijsq; ea dignitate præstantissimis uirtutibus. Is seu ex simultate quadam, ut uidetur, cum episcopo suo, seu reprehensione, quòd magicis usus præstigijs, indigna suo officio in pistrino in quod dęmonis adminiculo aliquādo se contulerat, locutus fuisset: ab Ambrosio domi se cōtinere, & peccatum commissum pœnitētia lugere iussus, Constantinopolim abijt, Ambrosium tanquam accusaturus. ubi uerò breui tempore, cum ingenio esset ad dicendum & persuadendum, amicosque sibi comparandum facili & exprompto, ex primatibus in aula Imperatoris quosdam ita sibi adiunxit ac fauentes reddidit, ut opera eorum paulo pòst episcopus Nicomediæ constitutus sit, atque ordinatus ab Helladio Cæsarienſi episcopo, Basilij successore. Qui gratitudinis ergò id ei officij contulerat, quòd intercessione sua splendidum militiæ locum in Palatio, filio suo acquisiuerat. In episcopatu igitur eo talem se tum præbuit, beneficia conferendo in diuites & pauperes, ut ab omnibus amaretur, & suspiceretur: adeò ut luctu publico aclamentis, cum episcopatu remotus esset, desideraretur. Deposuit enim eum Ioannes Constantinopolitanus episcopus, qui Nectario successerat, à quo depositionem eius Ambrosius petierat: sed qui efficere eam nullo modo, quòd charus nimirum multitudini Gerontius esset, potuerat. Sozomenus libro octauo, cap. 6.

PASCIVS.

EPiscopus fuit Pascius Viennensis, uir disertissimus, Miltiadæ Romano Pontifici coætaneus. Adon Viennensis ætate sexta: sub Diocletiano.

MATERNVS, MARINVS,
Rheticius.

IN epistola ad Miltiadem Cōstantinus Maternum & Marinum collegas uocat Miltiadæ: & fuisse episcopi in Gallia alicubi, aut Italia uidentur. inde enim Romam cōuenire ad iudicium de causa Ceciliani Carthaginensis episcopi, Constantinus iussisse se indicat: Eusebius libro decimo, capite quinto. His & Rheticium addit, quem ex Hieronymi & Augustini indicatione, episcopū legimus fuisse Augustodunensem inter Heduos, celebris sub Constantino nominis in Gallijs. Scripsit in Cātica canticorū dissertationes sublimi ore, ut Hieronymꝰ ait in epistola ad Florentium: in quo commentario & hallucinatum eum in quibusdam, indicat in epistola ad Marcellum. Librum præterea contra Nouatianum. Atque hæc duo scripta uisa sibi esse, Hieronymus retulit in Catalogo: neque his amplius Rheticij quicquam. Augustinus contra Iulianum Pelagianum libro primo, capite secundo, ex gestis Ecclesiasticis se habere inquit, magnæ eum fuisse in Ecclesia autoritatis, quandiu episcopatum gesserit. Et addit, unà cum Miltiade in Synodo Romæ contra Donatum dicomicasse, eumque ut authorem schismatis cōdemnasse, & Cæcilianum episcopum absoluisse. Meminit eorum in narratione de ea ipsa Synodo Optatus Mileuitanus libro primo contra Parmenianum. Ostendit & in causa Momensium eum fuisse Romæ sub Sylueſtro, Hieronymus in epistola ad Marcellam: in qua eloquentem eum uocat, sed ineptum interpretem. Quædam etiam in commentarijs eius in Cāticum canticorum reprehendit.

MAXIMINVS.

EPiscopus celeberrimus Maximinus Treuirensium fuit, hospes & amicus Athanasij, quem in Gallias à Constantino deportatum benignè suscepit, ut quocum in fidei ac doctrinæ puritate cōstanter sentiret. Quamobrem & eius scripta orthodoxa, & citra suspicionem sana esse, Athanasius pronunciat oratione prima contra Arianos. Aduersi quiddam de episcopis Orientalibus, Athanasio inimicis, in Synodo Sardicensi passus est, cum in conuenticulo separato Orientalium depositus est: criminib. confictis, quòd Paulo Constantinopolitano communicasset, autorq; illi fuisset Constantinopolim redeundi, denique & Orientales episcopos in Galliam profectos excommunicasset. Sozomenus libro tertio, capite undecimo. Defunctus est Maximinus sub Cōstantio, cum adhuc in uiuis esset Athanasius: quemadmodum ostendit ipse in Apologia ad Constantiū: ubi ut testem eum innocentiæ suæ cum alijs, quòd Constantium apud Constantem nunquam detulerit, citat.

MAVRINVS.

EPiscopus est Arelatensis Adoni Viennensi, ætate sexta, Maurinus, tempore concilij sexcentorum episcoporum congregati Arelati.

RECTIVS.

IVoni in Chronico Rectius episcopus est Augustodunensis sub Constantino, coætaneus Maximo Treuirensi & Osio Cordubensi episcopis.

EVSEBIVS.

MEminit Eusebij cuiusdam Pictauiensis episcopi, in Florib. fuit Hermannus Gigas: de quo tamen apud uetustiores & probatiores historicos nihil legas. Meminit in fine tomi 12 ad Antiochenses Athanasius Eusebij cuiusdam, quē episcopis illis adnumerat, ad

rat, ad quos tomus ille scriptº sit, eumq; Birgillellorum ciuitatis Galliæ nominat episcopum. Eidem ibidé rursus alius Eusebiº est, quẽ Alexandrię cum alijs cõfessioni illi subscripsisse ad hunc modũ refert: Ego Eusebiº episcopus, secundũ exactã uestram utriusq; partis confessionẽ, qua in eandem sententiã inuicẽ conueniſtis, quantũ attinet ad hypostases, fateor me quoq; idẽ statuere: neq; in id solũm calculũ meũ addo, sed etiam in incarnationẽ Saluatoris nostri consentio: eum uidelicet, cum filius Dei esset, hominem esse factũ: & excepto peccato, omnia quę ueteris erant nostræ humanitatis, assumpsisse: idq;, pto ut habet epistolæ argumentũ, meis suffragijs cõfirmo. Deinde quia fama apud exteros increbuit de tabella Sardiniani cõcilij, ne ea ultra Nicænã fidẽ decreta esse putetur, meo suffragio denuncio, quo nihil luxamenti aut noxæ Nicænæ fidei inde oriatur, neq; eam ea de causa proferendam censeo.

LEONINVS.

Presbyter Pictauiensis Antonino Leonino est, Hilario familiaris. Antoninus titulo decimo.

NECTARIVS.

DE Nectario episcopo Viennensi Galliæ hæc Adon ætate sexta: Florebat & tunc tẽporis (sub Cõstantio) Nectarius Viennẽsis ecclesię episcopus, in doctrina fidei eximius: qui in Vasensi illa Synodo uenerabili primº interfuit, & patrem & filiũ & spiritũ sanctum unius esse naturæ & potestatis, deitatis & uirtutis, in Ecclesia prædicauit & docuit. Mortuus est sub Gratiano.

PAVLINVS.

PAulinũ Treuirensem episcopũ inter præcones ueritatis numerat Athanasius. Cõstans enim fuit Nicænæ fidei propugnator, & amicus causæ Athanasij: quod liberrima indicat eius, aliorumq;, ut Dionysij, Liberij, Luciferi, Eusebij apud Cõstantiũ pro defensione cùm rectæ fidei, tum innocentiæ Athanasij, oratio, quam recitat is ad solitariã uitã agentes. Synodo Mediolanẽsi, cũ illis quos diximus interfuit: cumq; animaduertisset Synodũ eam propterea frequentari, ut ruina Niceno dogmati & exitiũ Athanasio pararetur, fraudẽ in negocio esse exclamãs, nec subscribere in Athanasiũ, nec aliam fidei formulam approbare cũ cæteris uoluit. Proinde in exiliũ à Constantio exactus est, anno (iuxta Hieronymi Chronicon) Christi 360, Cõstantij 20. Athanasius apologia ad Constantiũ, & in apologia de fuga sua, & in epistola ad solitariã uitã agentes: Ruffi. lib. 2, cap. 36: Theodorerus lib. 2, cap. 15: Sozom. lib. 4, cap. 9. Exulasse eum in Phrygia, ubi & mortuus sit, Hieronymus scripsit in Chronico, anno Domini 363. Respexit ad id Hilarius Cõstantio obijciens, quòd ad mortẽ usq; Paulinum beatæ passionis, ut uocat, uirũ exilijs fatigarit: in lib. cõtra Cõstantiũ. Regino, corpus eius ad Treuerenses relatum fuisse, scripsit lib. 1.

POTASIVS.

EPiscopus est Mediolanẽsis, Athanasio familiaris, eiusq; innocentię, de calumnijs aduersariorum: quasi Constantium Imperatorem reduxisset, testis. Athanasius apologia ad Constantium.

RHODANVS.

RVffinus Rhodanium habet, Sozomenus Rhodanum, Hieronymus in Chronico Rhodianũ, Galliæ episcopũ: qui in Synodo Mediolanensi decretis Nicænis patrocinatº, & in Athanasium subscribere nolens, exilio à Constantio cum Eusebio, Dionysio, Paulino & Lucifero damnatus est. Ruffinus lib. 1, cap. 20: Sozomenus lib. 4. cap. 9.

SERVATIO, FAEGADIVS.

EPiscopus Tungrorum, quæ ciuitas & Octauia dicta est, Seruatio fuit, laudatæ cõstantiæ in Synodo Ariminensi: cum Fægadio, quem suũ uocat Sulpitius. Nam & post minas atroces quiduis subire periculi & supplicij potius, quàm conceptæ ab Arianis fidei formulæ cõsentire malle se professus est. Expugnata tamen eorum fortitudine ab Vrsacio & Valente artibus & impostoris, editis postea confessionibus, Arium quidẽ cum omni eius perfidia damnarunt: sed filiũ Dei patri æqualem, sine initio ac sine tẽpore esse, pronunciare sunt ueriti. Sulpitius Seuerus lib. 2. Missum eum Seruationẽ, ut uidetur, aliquando legatum à Maxentio ad Constantium, Athanasius indicat in apologia ad Cõstantium. Mortuus est Seruatio sub Valentis imperio, anno Christi 383. Rudimentum nouiciorum.

VICTORINVS.

EPiscopus est Patabionensis Victorinus, Vincentio libro decimoquarto, cap. uigesimosecundo: græcè magis quàm latinè eruditus, autor plurimorum commẽtariorum: ut in Genesin, Exodum, Leuiticum, in Esaiam, Ezechielem, Abacuc, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Apocalypsin: autor item libri contra omnes hæreses.

VINCENTIVS, EVPHRATAS.

POst Synodum Sardicensem, cum fratrem suum Constantium, Constans nihilo factum Athanasio æquiorem & placatiorem cognouisset: misit ad eum cum literis (quibus partim peteret ab eo cognitionem causæ Athanasij, & restitutionem, partim minitaretur se ipsum occupata Alexandria eum restituturũ) duos delectos Sardicensis concilij episcopos, Euphratem Agrippinensem episcopum, & Vincentium episcopum Capuæ, quæ est metropolis Campanię: quibus

contumelioſam mouit fabulam Antiochiæ Stephanus, ſicut in perſecutionibus oſtendimus. Theodoretus libro 2. cap. 8. & 9: Athanaſius epiſtola ad ſolitariam uitam agentes, qui & alijs in locis frequenter Vincentij huius meminit: ut in apologia ad Cõſtantium, ubi teſtẽ eum allegat, ſe nihil calumnioſe in Conſtantium dixiſſe: ibidemq; Conſtantio obijcit, eum uim ab Arianis paſſum, quo ad uſq; fidem dederit, ſe à communione Athanaſij ſibi temperaturum.

GERMANVS

IN floribus temporum Hermanni Gigantis, Germanus epiſcopus Antiſiodorenſis eſt, ex duce Burgundionum: clarus miraculis, quorum aliquot Gigas recẽſet, inter quę aſini ſcilicet etiam mortui reſuſcitationem. Ad propagandum Euangelium in Brytanniam uenit, ſed à rege expulſus eſt. Honores ſibi delatos à Valentiniano Imperatore, & Placita eius matre, contempſit. Diem mortis ſuæ ſibi prædixit ipſe, ac tandem Rauẽnæ obijt: à qua Antiſiodorũ translatus, miraculis tamen claruit. Hæc ille.

HONORATVS, SABINVS.

FAſciculo temporum ſub anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimoquarto, & Vincentio libro 16. cap. nonageſimo, ſunt cõfeſſores Honoratus & Sabinus. Vincentio Honoratus præſul eſt Ambianenſis, miraculis clarus. Alius eſt Honoratus epiſcopus Toloſanus, Vincentio in Speculo, libro duodecimo, cap. 79.

IVSTVS.

EPiſcopus eſt Iuſtus Lugdunẽſis, ſub Gratiano, Iuoni in Chronico, & Adoni Viennenſi: qui ſub Paſcaſio Viennenſi epiſcopo educatum eum ſcripſit, & diaconum eum primùm Eccleſiæ Viennenſis fuiſſe: deinde ad adminiſtrationem epiſcopatus Lugdunenſis translatum: Poſtremò uerò epiſcopatu relicto, coniunxiſſe ſe cum monachis Aegyptijs, inter quos mortuus ſit. Scribit & ad Iuſtum, ſeu hunc ſeu alium, Ambroſius epiſtolam primam libri primi Epiſtolarũ, quem fratrem uocat, & cum eo contuliſſe de ſacra ſcriptura indicat.

SABBATIVS.

DE Sabbatio hæc Gennadius: Sabbatius, inquit, Gallicanæ prouinciæ epiſcopus, rogatus à quadam caſta & Chriſto dicata uirgine, Secũda nomine, cõpoſuit librũ de fide aduerſum Marcionẽ & Valẽtinianũ eius autorẽ, & aduerſus Eunomiũ & eius magiſtrũ Aetium: oſtendens & ratione ſcripturarũ, & teſtimonijs, unum eſſe deitatis principiũ, ipſumq; eſſe & ſuæ deitatis & æternitatis autorem, & mundi ex nihilo conditorem. Simul & de Chriſto, quòd non in phãtaſia homo apparuerit, ſed ueram habuerit carnem, per quam manducando, bibendo, laſſando, plorando, patiendo, moriendo, reſurgendo, uerus probatus ſit homo. His enim ſententijs Marcion & Valentinianus contrarij exti terunt, aſſerentes duo deitatis principia, & Chriſtum ueniſſe in phantaſia. Aetio uerò & Eunomio diſcipulo, oſtendit patrem & filiũ non duarum eſſe naturarum & diuinitatis parilium, ſed unius eſſentiæ: & alterum ex alterò, id eſt, ex patre filium, alterum alteri coæternum: cui credulitati Aetius & Eunomius contradicunt.

MAVRILIVS.

ANdegauẽſis eſt epiſcopus Maurilius Vincentio, claris ortus parẽtibus: & à D. Martino Turonenſe ab incunabilis ſacris literis inſtitutus. Lectoris officio ſub Ambroſio epiſcopo Mediolanenſi functus eſt: ſub Iuliano uerò, ſacerdotis dignitatem à Martino accepit. Vincentius lib. 17, cap. 20.

NICETA.

ADoni, Niceta epiſcopus Viennenſis eſt, in dogmate fidei p̃clariſsimus, ſub Theodoſio. Adon Viennenſis ibidẽ: Iuo in Chronico: Petrus de Natalibus, ex Martyrologio Adonis Nicetiũ habet Lugdunenſem epiſcopum, uirtutibus & miraculis clarum, tandemq; martyrem.

NEPOTIANVS.

IVoni Nepotianus epiſcopus Auernorum eſt, ſub Theodoſio.

PROCVLVS.

PRoculum ſanctum doctiſsimũq; uocat Põtificẽ in monaſterio alicubi quodã Galliæ, Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum monachũ Gallũ: Habes, inquit, iſtic ſanctũ doctiſsimumq; Pontificẽ Proculũ, qui uiua & præſenti uoce noſtras ſchedulas ſuperet, &c. In epiſtola ad Ruſticum, de uiuendi forma.

SEVERINVS.

EPiſcopus eſt Colonienſis Seuerinus, ſub Theodoſio, coætaneus D. Ambroſio & Hieronymo: Ottoni Phryſingenſi lib. 4. cap. 18. Fuit hic Seuerinus alter legitimus epiſcopus Colonienſis Eccleſiæ, poſt Maternũ. Quod aũt tam longo tempore nullus in eo loco epiſcopus fuerit, uariæ cauſæ recenſentur in Catalogis epiſcoporũ Colonenſiũ: ut quòd ad paganiſmũ mox fuerint reuerſi. Alij habent, quòd Ariana labes iſta loca prorſus infecerit. Alij ſuſpicantur, propter perſecutionem epiſcopos iſtos latuiſſe. quæ omnia in incerto relinquimus.

VRBICVS.

IVoni in Chronico, Vrbicus Auernorũ eſt epiſcopus, ſub Theodoſio.

VICTORINVS.

RHetor Maſſilienſis Victorinus, in Geneſin commentatus eſt, à principio libri uſq; ad obitum patriarchæ Abraham, libris quatuor:

quatuor: pio quidē, sed exigui ponderis sensu. Mortuus est Theodosio & Valentiniano regnantibus. Gennadius.

ASTREMONIVS, HILDVS, NEpotianus, Arthemius.

HOs omnes episcopos fuisse Auernorum, indicat Chronicon Iuonis.

CLAVDIVS.

Piscopus est Lugdunensis Claudius, post Eluſtum, sub Theodosio. Iuo in Chronico.

ALETIVS, ALENTIVS.

EStapud Hieronymum utrunq; nomen, & Alentij & Aletij. In epistola ad Ripatium, quæ tomo primo continetur, Alentium diaconum uocat fratrem sanctum. In epistola uerò ad Algasiā, Aletij meminit presbyteri, quem prudēti disertoq; sermone præstare indicat. Fuit autem Algasia in extremis finibus Galliarum, cum ad Hieronymum Bethleem scriberet.

EXVPERIVS.

Eminit frequēter, ut familiarissimi, Hieronymus Exuperij, Tolosanæ urbis episcopi, eumq; sanctum & probatæ ætatis ac fidei uirum dicit in epistola ad Furiam. Commendat autem eum à beneficentia in pauperes: & imitatorem appellat uiduæ Sareptanæ, qui omnem substantiam Christi uisceribus erogarit, in epistola ad Rusticū. De eodem & in epistola ad Gerontiam sic ait: Non possum absq; lachrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut hucusq; non rueret, sancti episcopi Exuperij merita præstiterunt. Eidem & Zachariam se interpretatū scribit Hieronymus, in præfatione libri tertij commentariorum in Amos prophetam.

FELIX.

Piscopus fuit Comensis. extat ad eum epistola Ambrosij, lib. 1 Epistolarum epistola quinta.

PACIANVS.

Piscopus fuit Pacianus Barcilenæ, sitæ in Eugis montis Pyrenei, doctrina, eloquētia & castitate clarus. Scripsit uaria, ex quibus liber est cui titulum fecit περὶ βοσ. Quædam etiam cōtra Nouatianos. Decessit senex admodū, sub Theodosio, relicto filio Dextro, qui historicos libros ad Hieronymum scripsit: nondum eo sibi tempore, quo Catalogum contexuit, perlectos. quemadmodum ipse affirmat in Catalogo.

FIRMINVS.

Vtori Fasciculi tēporū, Vincētio & Hēnrico de Erfordia, Firminus est episcopus Ambianorū, q in Gallia Belgica Ptolemæo sunt, ad quos à Beluacis populo uicino, cum magno apud eos fructu Euangelium docuisset, uenit, & intra 40 dies, mille homines baptizauit. Ob cōfessionē capite trūcat⁹ est, à Sebastiano præfecto. Hæc de Firmino illi.

FELIX TREVIRENSIS.

TReuirensium episcopus Felix, cœnobiū uetus Mariæ ad martyres dictum, à martyribus per Rictionarum ducem ibi quondā trucidatis. & anno Christi 291 conditum, in ecclesiam beatæ Virgini dedicatam conuertit, sub annum Christi 380.

AGRITIVS.

AGritius Antiochenus patriarcha Treuerim accersitus, eiusque urbis episcopatui p̄fectus est ab Helena, anno Domini 333, Cōstātini imperij anno 23: quo tēpore monasterium S. Ioannis, postea S. Maximino dedicatum, conditum est. Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ. Est & episcopus Treuirensis, ante Maximum: Vincentio lib. 14, cap. 7.

IOANNES ANTIOCHENVS.

AGritij patriarchæ discipulus & comes fuit Ioannes, cōstitutus ab ipsa Helena Augusta, Abbas primus monasterij à se fundati, anno Domini trecentesimo trigesimotertio. Ioannem secutus est Abbas alter Fibitius, & tertius Odiberdus, sub quo latuisse dicitur per integrum ferè octennium in Maximini inferiore crypta ad puteum, quem hodie adhuc Athanasianum uocant, Alexandrinæ urbis episcopus Athanasius, à Constantio Imperatore Arianæ hæreseos defensore acerrimo proscriptus. Idem ibidē. Habet Agritij & Felicis exorcistæ Treuirensiū nomina, catalogus eorū qui interfuerunt secundæ Synodo Arelatensi, in tomo 1 Conciliorum.

HISPANICI DOctores.

IVVENCVS.

EX insigni maximeq; illustri familia Iuuencū presbyterū, genere Hispanū, fuisse, Hieronymus annotauit, sub Cōstantino principe. Quanquā Crinitus præcipuè eū floruisse scripsit sub Imperatorib. Cōstantio & Constante: quo tempore etiā Flauiū Vopiscū, qui Imperatorū aliquot Romanorū uitas descripsit, uixisse prodidit. Edidit, quod hodie etiamnū extat, quatuor uoluminū opus, historiā Euangelicā à quatuor Euangelistis cōpositam, uersib. hexametris translatū, cuius tum in Catalogo suo Hieronymus, tum in epistola ad Magnū oratorē his uerbis meminit: Iuuēcus presbyter historiā Domini Saluatoris uersib. explicauit, nec pertimuit Euangelij maiestatē sub metri leges mittere. Cōmēdat & in eo uolumine carmē de Magorū munerib. in expositione capitis 2 Matthæi: Pulcherrimè, inqt, munerū sacramenta Iuuēcus presbyter uno uersiculo cōprehendit: *Thus, aurum, myrrham, regiq;, hominiq;, Deoq;, Dona ferunt.* ——

De tempore uerò eius editionis, in Chronico idē sic ait: Sub anno Domini trecētesimo

trigesimo secundo: Iuuencus presbyter Euangelia heroicis uersibus explicat. Ipse etiam Iuuencus, sub Constantino se scripsisse, in conclusione historiæ Euangelicæ, his uerbis indicat:

—— *Pax hæc mihi secli,*
Quam fouet indulgens terræ regnator apertè,
Constantinus. ——

Adijcimus obiter & Criniti, de eo opere Iuuenci indicationē: Scripsit, inquit, quatuor Euangelia hexametris uersibus, qua in re maiori diligentia usus est in seruanda rerū historia, q̄ in demōstranda ingenij sui elegātia. Scripsisse etiam de Sacramentis eodem carminis genere quędam eum, Hieronymus in Catalogo indicat: ac legisse duos eius argumenti, de Sacramentis nimirum, libros Trittemius uidetur, qui & oratione soluta multa eum edidisse testatur. Sed & de hymnis, de quibus nihil hodie extat, Crinitus: Iuuencus, inquit, aliquot hymnos fecit, quibus facilè indicauit, se optimè meritum de religione Christiana.

DE PRVDENTIO.

Vrelius Prudentius Clemens, Hispanus fuit, ex urbe Cæsaraugusta: quemadmodum constat ex Hymno quem in laudem 18 Martyrum ibidem sepultorū scripsit, in quo suum uocat populum Cæsaraugustenses: & urbem ipsam suum decus, suam patriam, suā Cæsaraugustā, &c. Homo fuit ingeniosus, grauis, & moribus compositus, literarum in adolescentia studiosus. Quam tamen ætatem ipse incontinenter & immodestè se transegisse fatetur, in procœmio παθημερινῶν, his uerbis:

Ætas prima crepantibus
Fleuit sub ferulis: mox docuit toga
Infectum uitijs falsa loqui, non sine crimine
Tum lasciua proteruitas, &c.

Postea in foro causas egit, ac consul Massaliæ fuit. Quod & ipsum in eodē procœmio testatur his uersibus:

Exin iurgia turbidos
Armarunt animos, & male pertinax
Vincendi studium subiacuit casibus asperis, &c.

Militauit postremò, ut uidetur, sub Honorio, sicut ait:

Tandem militiæ gradu
Euectum pietas principis extulit,
Adsumptum propius stare iubens ordine proximo.

Quod & ex libris aduersus Symmachum animaduertere est.

In prophanis eiusmodi uitæ generibus se consenuisse, indicat in eodem procœmio, & queritur hoc modò:

Hæc dum uita uolans agit,
Irrepsit subitò canicies seni,
Oblitum ueteris Messaliæ consulis arguens, &c.
Mundum quem coluit, mens tua perdidit.
Non sunt illa Dei, quæ studuit, cuius habeberis?

Forensibus igitur illis & prophanis omnib. abiectis, ad postremum omniū, annum agens 57, res ecclesiasticas uarijs carminum generibus cœpit componere. De ea ætate ipse in procœmio sic:

Per quinquennia cum decem
Ni fallor fuimus, septimus insuper
Annum cardo rotat, dum fruimur sole uolubili.

Per id tempus nihil se egisse præclari, aut scripsisse, mox addit:

Instat terminus, & diem
Vicinum senio iam Deus applicat,
Quid nos utile tanti spacio temporis egimus?

Exegisse postremam illam ætatem suā uidetur sub Valentiniani minoris, & Theodosij, ac filiorum eius, Arcadij & Honorij Imperijs: contemporaneus Ambrosio, Hieronymo & Augustino. Contra Symmachū enim, quem sub Valentiniano Ambrosius cōfutauit, & ipse duob. libris certauit, Symmacho adhuc superstite: sicut colligi potest ex procœmio libri 1 contra eundē, in quo pro eo Christum precatur. Meminit deinde Stiliconis, qui comes Theodosij fuit, cuius etiam Ambrosius meminit. Ad Honorium aūt Theodosij filium sermonem uidetur dirigere in fine libri secundi contra Symmachum:

Te precor Ausonij dux augustissime regni, &c.

Nec diu postea uidetur superuixisse.

Ex Hispania Romam se profectū ad uenerationē martyrū, indicat ipse in hymnis de martyrijs Calsiani, Hippolyti, Petri & Pauli.

Scripsit quędam quæ græcis titulis inscripsit: quod testatur, græcè eum nō fuisse ineruditū. ut ψυχομαχίαν, hoc est animi pugnā. fingit enim in eo libro, uicia pugnare cū uirtutibus, à quibus ipsa tandem superantur. Et καθημερινὸν, diurnarum rerum opus, quod librum hymnorum Gennadius dicit. Item περὶ θεώσεως, de diuinitate seu reb. diuinis opus. Et ἁμαρτιγονίαν, de origine peccatorū: in quo expresse disputat cōtra Marciōis duos deos. Item περὶ στεφάνων opus hymnorum, martyrum aliquot laudationes continens. Enchiridion quoq; rerum & historiarum ueteris ac noui Testamenti, quod διπλοχάου Gennadius dixit, à duplici uidelicet cibo: quod eadem ratione in uetusto quodam exemplari dirrocheum, à duplici refectione inscriptum fuisse, Aldus indicat. Libellus is est non eodem modo excultus & elaboratus, ut cæteri Prudentij libri: itaque non defuere, qui esse Prudentij negare ausi fuerint. Soli græca carent inscriptione libri duo contra Symmachum, idololatriam defendētē, pulcherrimi, in quibus & doctrinā suam, copiamq; & ingenij uim non mediocrē ostendit. Atque hæc hodie extant Prudentij opuscula. Meminit & Hexameri Prudentij, de mundi fabrica

fabricâ usque ad hominis conditionem, eiusque lapsum, Gennadius: sed quod opus nondum repertum est. Nunc de doctrina eius quædam adijcimus.

¶ De una, diuina & æterna essentia, distinctatribus personis, rectè sensit. sicut in initio Psychomachiæ inquit:

Vnum namq; Deum colimus sub nomine trino.

Et in hymno ante somnum:

Ades pater supreme, Quem nemo uidit unquam,
Patriq; sermo Christe, Et spiritus benigne.
O trinitatis huius. Vis una, lumen unum,
Deus ex Dro perennis, Deus ex utroq; missus.

In Apotheosi contra Sabellianos:

Hæc est nostra salus, hinc uiuimus, hinc animamur,
Hoc sequimur, nunquam detracto nomine nati
Appellare patrem, patris & sine nomine nunquam
Natum nosse Deum, nunquam nisi sanctus & unus
Spiritus interfit, &c.

De Christo in Hamartigenia:

Forma patris ueri uerus stat filius, ac se
Vnum ritè probat, dum formam seruat eandem.
Non amor adscitus sociat, nec iungit utrunq;
Coniurata fides: pietas sed certa, genusq;
Vnum, quod Deus est, summam reuocatus ad unam.

De incarnatione Christi, in hymno ante cibum:

Ecce, inquit, uenit noua progenies,
Aethere proditus alter homo.
Non luteus uelut ille prius,
Sed Deus ipse gerens hominem,
Corporeisq; carens uitijs,
Fit caro uiuida sermo patris:
Numine quem rutilante grauis,
Non thalamo, neq; iure thori,
Nec genitalibus illecebris,
Intemerata puella parit.

Rursus in hymno omni hora:

Corde natus ex parentis,
Ante mundi exordium,
Corporis formam caduci,
Membrâ morti obnoxia,
Induit, ne gens periret,
Primoplasti ex germine,
Merserat quem lex profundo
Noxialis tartaro.
O beatus ortus ille,
Virgo cum puerpera,
Edidit nostram salutem,
Fœta sancto spiritu,
Et puer redemptor orbis,
Os sacratum protulit.

Et in Hymno 8 Calendas Ianuarias:

Stragem sed istam non tulit
Christus cadentum gentium
Impunè, ne forsan sui
Patris periret fabrica.
Mortale corpus induit,
Vt excitato corpore,
Mortis catenam frangeret,
Hominemq; portaret patri.

De creatione in eodem Hymno:

Cœlum, diemq; & cætera,
Virtute uerbi effecta sunt
Hæc cuncta: nam uerbum Deus.

Item Deum non esse authorem mali, in Hamartigenia:

Inuentor uitij non est Deus, angelus illud
Degenter infami conceptum mente creauit.

Item de rerum creatarum corruptione & interitu, in Hamartigenia:

Nam uanum, inquit, quicquid sol aspicit, ex elemẽtis
Cuncta solubilibus, fluxoq; creamine constant.

De Angelis benè inquit, conditos eos esse magno numero, & à Deo in suos usus seruari: libro secundo, contra Symmachum. Vocat & aerios ministros in Hamartigenia, ubi & ex eorum numero & ordine diabolũ propria excidisse petulantia, prolixè docet.

De homine perfectissimè condito, & de lapsu eius, ac restitutione per Christum, rectè sensit tum alibi, tum libro secundo contra Symmachum, ex quo loco testimoniũ suprà adduximus. Et in Hamartigenia:

Labi, inquit, hominis, seruare Dei est: meritis pit iste,
Ille abolet pereuntis opus, meritumq; resoluit.

Eidem integram fuisse & rectam potestatem uoluntatis ante lapsum, destructam uerò in uniuersum, atq; in pessima quæq; mutatam, prolixissimè narrat in Hamartigenia:

Nescis, inquit, stulte tuæ uim libertatis ab ipso
Formatore datam? nescisq; ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas?
Et super ingenio proprio, laxeq; soluto
Iure uoluntatis? liceat cui uelle, sequiq;
Quod placitum, nulliq; animum subiungere uinclo?
An cum te dominum cunctis quæcunq; crearat
Præficeret, mundumq; tuis seruire iuberet
Imperijs, cumq; arua, polum, mare, flumina, uentos
Dederat, arbitrium de te tibi credere auarus
Nollet? ut indigno libertatemq; negaret? Et:
Hac pietate uigens, & tanto munere abundans,
Transit propositum fas, & lethalia prudens
Eligit atq; uolens: illud magis utile retur,
Quod prohibente Deo persuasit callidus anguis.
Persuasit certè hortatu, non impulit acri
Imperio: hoc mulier rea criminis exprobranti
Respondit Domino, suadelis se malefabris
Illectam, suasisse uiro. uir & ipse libenter
Consensit, licuit ne hortantem spernere recti
Libertate animi? Licuit. namq; & Deus antè
Suaserat, ut meliora uolens sequeretur. at ille
Spernens consilium, sæuo plus credidit hosti.
Nunc inter uitæ dominum, mortisq; magistrum,
Consistit medius: uocat hinc Deus, inde tyrannus,
Ambiguum, atq; suis se motibus alternantem.

De peccatò originis, in Apotheosi:

Hæc prima est natura animæ, sic condita simplex,
Decidit in uitium per sordida fœdera carnis.
Exim tincta malo peccamine principis Adæ,

Infecit

Infecit genus omne hominum quod pullulat inde.
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
Primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons.

De discrimine legis & Euangelij, in Apotheosi:

— Cadit in faciem plebs non uisura profundæ
Legis in effigie scripta per ænigmata Christum.
At nos detracto Christum uelamine coràm
Cernimus, atq; Deum uultu speculamur aperto:
Nec sub lege graui depressa fronte iacemus,
Sed legis radium sublimi agnoscimus ore.

¶ Interdum tamen etiam non sat commodè loquitur, ut de libertate humanæ uoluntatis in obedientia mandatorum Dei, in Hamartigenia scripsit:

En tibi signatum libertatis documentum,
Quod uoluit nos scire Deus, quocunq; sequendum est,
Sub nostra ditione situm, passimq; remissum
Alterutram calcare uiam. duo cedere iussi,
De Sodomis, alter se præripit, altera mussat:
Ille gradum celerat fugiens, contrà illa renutat:
Liber utriq; animus, sed dispar utriq; uoluntas.
Diuidit huc illuc rapiens sua quenq; libido.

Et quòd in eodem opete de carnis innocentia, ex uiolenta (ut uidetur) interpretatione dicti Pauli Ephesios sexto ait:

Errat, ait, (Apostolus) qui luctamẽ cũ sanguine nobis
Et carne, & uenis feruentibus, & uitioso
Felle putat, calidisq; animam peccare medullis.
Non mentem sua membra premunt, nec terrea uirtus
Oppugnat sensus liquidos, belló ue lacessit.
Sed cum spiritibus tenebrosis, nocte dieq;
Congredimur. — Et:

Nemo habitum naturæ, aut irritamina peccans
Corporis accuset: facile est frenare rebellos
Affectus carnis, nimiosq; retundere pulsus
Materiæ fragilis, &c. —

Item, quòd martyrum merita uirtutibus illis profutura scripsit, in quibus obdormierint, in hymno decem & octo martyrum Cęsaraugustanorum:

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti,
Sola prædiues pietate multa,
Luce frueris.

Quin & inuocat martyres subinde, quemadmodum alibi ostendimus.

Postremò nec satis cautè dixisse uidetur illud in Cathemerino, in hymno ante cibum:

Hoc odium uetus illud erat,
Hoc erat aspidis atq; hominis,
Digladiabile dissidium,
Quòd modò cernua fœmineis
Vipera proteritur pedibus,
Edere namq; Deum merita,
Omnia uirgo uenena domat.

Porrò & hæreses nonnullas confutauit, illas maximè quæ in personam & officiũ Christi fuere blasphemæ, in Apotheosi. ubi cõtra gentilium stultas contentiones & quæstiones de Deo & religione, rectè ait:

Idcirco mundi stulta delegit Deus,
Vt concidant Sophistica:
Deq; imbecillis subiugauit fortia,
Simplex ut esset credere.
Lapis ecce nostro fixus offensaculo est,
Impingat in quem uanitas,
Signum cauenti, non cauenti scandalum.
Hunc sternit, illum dirigit:
Dum plura tentat cæcus incerto gradu,
Incurrit id quod obuium est.
Fax sola fidei est præferenda greßibus,
Vt recta sint uestigia.

Dimicat & in sequenti carmine acriter cõtra Patripasianos, contra quos adserit, filiũ, non patrem, hominẽ factum, passum & mortuum: filium item, non patrem, à patriarchis esse uisum. Et disertè inquit:

— Pater est, quem cernere nulli,
Est licitum: pater est, qui nunquam uisus in orbe est,
Nec mundana inter radiauit lumina: coràm
Verbum conspicuum misit, missumq; recepit,
Cum uoluit: uerbo præstrinxit uiscera puræ
Virginis, & uerbo struxit puerilia membra.
Ipse quidem in terris uirtute & numine præsens
Semper adest quócunq; loci, nec pars uacat ulla
Maiestate patris, nusquam est genitor Deus absens:
Per uerbum sed semper adest. atq; inde Philippo
Christus ait: Tanto tecum iam tempore uersor,
Et patrem te nosse negas? quem perspicis in me.
Est inuisibilis donum patris edere natum
Visibilem, per quem ualeat pater ipse uideri.

Deinde contra Sabellianos grauissimè disputat, & concludit:

Hæc est nostra salus, hinc uiuimus, hinc animamur,
Hoc sequimur, nunquam detracto nomine nati
Appellare patrem, patris & sine nomine nunquam
Natum nosse Deum, nunquam nisi sanctus & unus
Spiritus interfit, natumq; patremq; uocare.
Sic tamen hæc constare tria, ut ne separe ductu
Tres faciam, tribus his subsistat sed Deus unus,
Nec pater ipse autem qui filius, &c.

Postea in Iudęos inuehitur acerrimè, quòd ritus Mosaicos pertinaciter defendant, & inertã salutis spem in legem collocẽt, ut Christum qui & legem & sacrificia abrogauit, soli aspernentur:

— En tibi Christum, inquit,
Infœlix Iudæa Deum, qui sabbata soluens
Terrea, mortales æterna in sabbata sumpsit,
Gentibus emicuit, præfulsit regibus, orbem
Pœsidet, imperij dominam sibi credere Romam
Compulit, & simulachra Deũm Tarpeia subegit.
Disce tuis miseranda malis, quo uindice tandem
Vana superstitio, lex & carnaliter acta
Plectatur, cuius uirtus te proterat ultrix:
Destructó ue iacent Salomonia saxa metallo,
Aedificata manu, iacet illud nobile templum? Et:
Si nostrum contrà quod sit, uis discere templum:

Est

Est illud quod nemo opifex fabriliter aptans
Composuit, &c. —
Sed uerbo factum Domini, non uoce sonora:
Sed uerbo quod semper erat, uerbum caro factum est:
Hoc templum æternum est, hoc finem non habet: hoc tu
Expugnare uolens, flagris, cruce, felle petisti.

Contra Ebionis, Artemonis, Samosateni, Photini & Marcelli sectatores, quos Homūcionitas ipse dicit (qui Christū purum hominē esse, nihil habentē diuinæ uirtutis aut essentiæ, cōtenderunt) pugnat prolixo carmine, ac Christū uerum tum Deū tum hominē esse probat testimonijs scripturę, testimonio Magorū & miraculis Christi: ut incessu per mare, tranquillatione tempestatis, sanatione languorum, miraculosis pastionibus, resurrectione mortuorū, &c. ac memorabili doctrina ea m disputationem concludit inquiens:

Ipse gerit, quod struxit opus: nec ferre pudescit
Factor, quod peperit: corpus loquor, atq; animæ uim.
Finxerat hoc digitis, animam sufflauerat ore:
Totum hominem Deus adsumit, quia totus ab ipso est:
Et totum redimit, quem sumpserat, omne reducens
Quicquid homo est, istud tumulis, ast illud abysso.

Rursus contra hæresim Cerdonis, Apellis, aliorumq; qui phantasticum & imaginariū, non uerum Christo corpus tribuerunt, agit ex professo in eiusdem operis quodam carmine: ubi & Manichæi, qui aërium Christo corpus attribuit, nominatim meminit: ac probat, uerum hominem factum Christum, & carnem humanam uerè assumpsisse:

Ac primùm (inquit) spectа, an deceat quicq̄ simulatū
Adsignare Deo, cuius mera gloria falsi
Nil recipit: membris hic se fallacibus aptans,
Fingeret esse hominem uentosa subdolus arte? Et,
Obijcis æterno Domino, quòd lubricus ad nos
Venerit, adsimulans aliud quàm uerus habebat?
Obmutesce furor, linguam canis improbe morde
Ipse tuam. —
Latranti obsistet Matthæus, rabiemq; refellet,
Qui notat omne genus carnalis stirpis, aduſq;
Corporeum Christum, per sex septena uirorum
Nomina descendens. — Et:
Restat ut aeriam pingas ab origine gentem,
Aerios proceres, Leuin, Iudam, Simeonem,
Aerium Dauid, magnorum corpora regum
Aeria, atq; ipsam fœcundæ uirginis aluum
Aere fallaci, nebulisq; & nube tumentem.

Videtur & postremum eius operis carmen instituisse propter eos propriè, qui negarunt corporum resurrectionem, in quo pulchrè ait:

Noſco meum in Christo corpus consurgere, quid me
Desperare iubes? ueniam, quibus ille reuenit
Calcata de morte uijs: quòd credimus, hoc est.
Et totus ueniam: nec enim minor, aut alius quàm
Nunc sum restituar, uultus, uigor & color idem,
Qui modò uiuit, erit: nec me uel dente uel ungue
Fraudatum reuomet patefacti fossa sepulchri, &c.

Confutat & prolixo libello ui titulum fecit Hamartigeniam, Marcionis hæresin, de duobus dijs aut principijs. Postremò & cum Symmacho senatore, qui pro restauratione ueteris idololatriæ & cultuum Ethnicorum, Senatus Romani nomine apud Valentinianum, Theodosium & Arc adium Imperatores laborauit, congreditur, refutās omnes eius rationes, quibus persuadere illis Priscorum rituum restitutionem conatus erat. Nam quòd dixerat Symmachus, consentaneū esse, seruari ritus & mores proprios alicui genti, & religionem tot seculis confirmatam, & maioribus approbatam: negat illud aut conuenire, aut necesse esse, Prudentius. Cur enim non eodē, inquit, iure obseruanda sint omnia, quæ pro more antiquitas habuit, sed temporis processu in melius commutauit? Deinde probat, Romam non ab initio tot Deos coluisse, sed successu rerum & uictorijs, alios post alios paulatim inuentos esse. Deniq; quomodocunq; ista sese habeant, tempus nunc esse aliquando indicat, ut erroribus abiectis Roma diuina sapiat, ac de sua salute cogitet.

Rursus ad illud quod proposuerat Symmachus, deberi cultum ueteribus dijs, quia eorum beneficio regnum & potētia Romana creuisset: ac uerisimile esse, ex memoria & documentis rerum secundarum esse numinum cognitionem. Respondet: Non semper liberatas & adiutas esse gentes beneficio & tutela numinum quæ coluerunt: Solius uerò Dei prouidentia & auxilio, Romanum imperium in tantam amplitudinem & maiestatem prouectum, ut esset locus Christo uenienti:

Vis dicam, inquit, quæ causa tuos Romane labores
In tantum extulerit? quis gloria fortibus aucta
Sic ualet, impositis ut mundum frenet habenis?
Discordes linguis populos & dissona cultu
Regna uolens sociare Deus, subiungier uni
Imperio, quicquid tractabile moribus esset,
Concordiq; iugo retinacula mollia ferre
Constituit, quo corda hominum coniuncta teneret
Religionis amor: nec enim fit copula Christo
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes. Et:
Hoc actum est tantis successibus atq; triumphis
Romani imperij. Christo iam tunc uenienti
Crede parata uia est. —

Plura de eius historia habere in præsentia non potuimus.

OSIVS.

OSius Cordubæ Hispaniarū episcop⁹ (nec enim altius initiū eius repitur) inter prę cipuos fuit cōfessores post persecutionē sub Diocletiano & Maximino: ex qua & stigmata & notas acceptas, postea per omnē uitā, ut Nicephor⁹ ait, circūtulit: ideoq; & in magna autoritate fuit & admiratiōe apud Constāti

num,

num, à quo cum literis in Aegyptum & Orientem ad componenda diſsidia, quæ de dogmate Arius Alexandriæ mouerat, & conciliandam diuerſitatem quæ in Paſchatis celebrandi ratione Orientalibus fuit, miſſus eſt. Sozomenus libro primo, capite decimo & decimoſexto: Socrates lib. 1, cap. 7: & lib. 3. capite 7. qui partem epiſtolę, quam per Oſium ad Alexandrum Alexandriæ epiſcopum Cõſtãtinus miſit, recitat: ea uerò etiam tota extat apud Euſebium lib. 2 de uita Conſtantini. Atq; hoc Oſij factum ab hiſtoricis primum ponitur: poſt illud uerò ſalutaria eius in Eccleſiam & uera dogmata, ſtudia & actiones in pluribus Synodis, ſicut ordine indicabimus. In Synodo enim Nicæna præclara eius pro fidei ueritate aduerſus Arianos extitêre certamina. Cum autem poſt eam Synodum in diſcrimen ueniſſet, & inſidias Arianorum magnus Athanaſius, Oſius ei perpetuus adfuit iuſtæ cauſæ & innocentiæ ſuæ uindicator, ut dicendum nobis poſtea erit. Extat inter actiones Athanaſij epiſtola Mareoticorum, quę indicat, in Synodo quadam Alexandrina, in qua Iſchyras depoſitus ſit, fuiſſe Oſium, & Athanaſij cauſam fideliter egiſſe. Athanaſius apologia 2. In Synodo deinde Sardicenſi, in qua principem eum fuiſſe actorem Socrates & Theodoretus ſcripſerunt, ſenex admodum, pro Athanaſio uehementer pugnauit, ac liberauit. Recte uerò de doctrina ſentiẽtibus ſubſcripſit: ut oſtendit epiſtola eius Synodi apud Athanaſium apologia ſecunda: & Theodoretus lib. 2, cap. 8. Quin nec Imperatoris minas, qui tum Conſtantius fuit, Arianæ factionis patronus, ueritus eſt: nec blandis ipſius artificijs, quibus ut contra Athanaſium ſubſcriberet, perſuadere ei conabatur, motus quicquam eſt, cum ad ſeſe eum Conſtantius querelis Arianorũ (qui quamdiu ſaluus eſſet Oſius, promouere cauſam & hæreſim ſuam minimè ſe poſſe dixerat) uictus euocaſſet. Sed dimiſſus tum eſt ſine periculo, & ad Eccleſiam ſuam reuerti iuſſus, cum ueris atq; euidentibus rationibus Athanaſij cauſam Imperatori probaſſet. Cum paulo pòſt rurſus ab Ariana factione incitatus Conſtantius, ut erat peſsimorum eorum hominũ indefeſſum in promouenda malicia ſua ſtudium, literas ad Oſium miſit plenas minarum ac terrorum, inſuper & contumeliæ: quibus tantum abeſt ut de ſententia & candore ſuo in Athanaſium depulſus ſit, aut periculum ullum extimuerit, ut & in impietatem Imperatoris liberrimè inuectus fuerit, literis remiſsis planè magni & Conſtantis animi, quas ſubijcere uiſum eſt. Extant ad hunc modum apud Athanaſium in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes.

¶ Ego confeſsionis munus expleui, primùm cum perſecutio moueretur ab auo tuo Maximiano. Quod ſi tu quoq; perſecutionẽ moues, etiam nunc ad quiduis potius ſuſtinendum paratus ſum, quàm ut effundã innocentem ſanguinem, & ueritatem prodam: teq; nequaquam probo talia ſcribentem, & iſtiuſmodi minas denunciantem. Deſinas igitur iſtiuſmodi ſcribere, neq; ſentias cum Ario, neque audias Orientales, neq; Vrſacio & Valenti fidem habeas. quę enim illi dicũt, non ob Athanaſium, ſed ob ſuam hæreſim dicunt. Mihi crede, qui tibi auus ętate eſſe poſſem: fui ipſe in Sardicẽſi concilio, cum tu uſq; frater beatus Conſtans nos omnes eò conuocabat: ipſeq; ultro Athanaſij inimicos prouocaui, quum ad Eccleſiam, ubi ego cõmorabar, aduenirent, ut ſi quid contra eum haberẽt, ederent: promiſiq; eis ſecuritatem, né ue quicquam aliud expectarent, quàm rectum in omnibus iudicium. Idq; non ſemel, ſed bis feci. Quòd ſi nollent rem ab uniuerſa Synodo diſceptari, ſaltem me iudice uterentur: promiſiq; etiam nos, Athanaſium, ſi in noxa reperiretur, omnibus modis eiecturos eſſe. Quod ſi innocens deprehẽdatur, & uos oſtenderit calumniatores, & æquè illum recuſaueritis: ego illi perſuadebo, ut mecum in Hiſpanias ueniat. Athanaſius autem his conditionibus obtemperauit, nihil contrà oblocutus: illi uerò ad omnia æquè diffidẽtes recerſitus, uenit in caſtra tua, omnesq; inimicos ſuos, qui Antiochiæ præſtò erant, ſinguli latim accerſiri iuſsit, ut aut redargueret, aut redarguerentur: & aut ſe præſentem commõ ſtrent ea feciſſe quę obiecerant, aut ne abſentem calumniarentur. Sed ne te quidem hæc ipſis denunciantem ſuſtinuerũt, minimè iſtiuſmodi conditiones admittentes. Cur igitur nunc audis obtrectatores eius? aut cur toleras Valentis & Vrſacij criminationes, pœnitentia & ſcripto profeſſos, ſe calumniam feciſſe? Confeſsi enim ſunt ſuam ſycophantiam, nõ ui adacti, ut ipſi cauſantur, cum nulli ibi milites incumberent, & tuus frater neſciret. Nihil enim tale ſub ipſo agebatur, qualia nunc fiunt: ſed illi ultro Romam uenerunt, & coram epiſcopo presbyteriſq; ibi præſentibus confeſsionem ſuam ſcripto ediderunt, cum prius pacatas literas & amicas ad Athanaſium dediſſent. Quod ſi ijs libet uim caufificari, idq; pro malo habent, nec à te probatur: omitte igitur & tu uiolentiam tuam, nec literas ſcribe, nec Comites mitte, ſed relegatos exilijs libera: ne te de ui quærente, maiorem uim illi ſub tuo nomine exerceant. Quid enim tale à Conſtante actum eſt? Aut quis ibi epiſcopus relegatus? aut quando iudicijs Eccleſiaſticis interfuit? aut quis

quis ipſius Palatinus uim adhibuit, ut contra aliquẽ ſubſcriptio fieret? ut idem Valens cum ſuis aliquid colligat, habeatq; quod obijciat? Deſine quæſo, & memineris te mortalem eſſe: reformida diem iudicij, ſerua te in illam diem purum: ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus Imperiũ commiſit: nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit. & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne, quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date (ſcriptum eſt) quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei, Deo. Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neq; tu thymiamatũ & ſacrorum poteſtatem habes Imperator. Hæc quidem ob curam tuæ ſalutis ſcribo: & de ijs quæ in epiſtolis ſcribis, hanc meam ſententiam accipe. Ego neq; Arianis aſſideo, neq; ſuffragor, ſed eorũ hæreſim anathemate damno: neq; Athanaſij accuſationibus ſubſcribo, quem nos & Romana eccleſia & uniuerſa Synodus innocentem pronunciauit. Nam & tu quoq;, quum rem cognitã perſpectamq; haberes, Athanaſiũ accerſiuiſti: feciſti ei copiam, ut cum honore in patriam & Eccleſiam reuerteretur. Quæ igitur cauſa eſt huius tantæ mutationis, quum ijdem inimici eius ſint, qui antea fuerũt? Et quæ nunc ſuſurrãt, nihil eorum, quum ille preſens eſſet, hiſcere audebãt: ſed ea, antequã accerſeres Athanaſiũ, obmurmurabant. quo tempore à me conuenti, quemadmodũ ſupe rius dixi, ut ederent criminum documenta, nihil in medium adducere potuerunt. Nam ſi quicquam potuiſſent, non ita turpiter aufugiſſent. Quis te igitur induxit, ut poſt tantum temporis, tuarum literarum & ſermonum obliuiſcereris? Inhibe te quæſo, neque aures præbeas malis hominibus, neque ob mutuas inuicem cum illis gratificationes temetipſum reum facias. Quę enim ijs indulſeris, de illis in iudicio ſolus cogeris cauſam reddere. Iſti ſuum inimicum per te ſatagunt iniuria afficere: teq; uolunt miniſtrum ſuæ malitiæ eſſe, ut per te deteſtabilem hæreſim in Eccleſia ſeminent. Non eſt prudentis, in gratiam alienæ libidinis, ſeipſum in certum periculum conijcere. Deſine quæſo, & auſculta mihi Conſtanti. Hoc enim decet & me ſcribere, & te non uilipendere.

Hæ igitur actiones, qua fuerit Hoſius laudabili pietate, religione, fide, cõſtantia, in Eccleſiam ſtudio, ſatis arguũt: de quibus uirtutibus quid Athanaſius, qui & patrem eum epiſcoporũ, orthodoxon ac uerè ὁσιον uocat, cuius uita extra omnem fuerit reprehenſionem & culpam, iudicauerit, ſubijcimus. Sic enim ille in Apologia de fuga ſua, Oſij laudes uno quaſi cõprehenſas faſciculo extulit. De magno, inquit, & grauiſsimæ ætatis uiro, eodemq; confeſſore Oſio, qui uerè Oſius eſt, id eſt ſanctus, ſuperfluũ arbitror mentionem facere. Non enim quicquã latêre poteſt in uiro illo tãtæ claritudinis. In qua enim Synodo ille nõ dux & anteſignan⁹ fuit? Quem non ille rectà tuendo in ſentẽtiam ſuam pertraxit? Quæ Eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumenta retinet? Quis illum mœſtus adijt, ut nõ lætus abierit? Quis indigus ab eo poſtulauit, quin poſtulatũ obtinuerit? Recitat ex Athanaſio eadẽ de Oſio Theodoretus libro ſecundo, capite 15. Fuit alioqui etiam Paulino & Euſtathio epiſcopis Antiochenis familiaris Oſius. ob quod à Synodo orientalium, à Sardicẽſi diſtracta & ſeparata, etiam depoſitus eſt cum Iulio Romano epiſcopo: quemadmodũ Sozomenus indicat libro tertio, capite undecimo.

Diximus, propter quas uirtutes commendatione atq; admiratione omniũ, ut & fuit, dignus Oſius fuerit. Nunc quis caſus in tanto tam illuſtria ornamenta uiro uiciauerit, adijcimus & ipſum. Humani enim aliquid paſſus in ſynodo Syrmienſi eſt, cui neceſſitate coactus inuitus interfuit, quòd plagas & tormenta corpori ſuo ſenio confecto illata, perferre non ualuit: expoſitionibus Arianorum conſenſit, & ſubſcripſit delirio, cum ſenex eſſet maior centenario, ut Sulpitius oſtendit libro ſecundo, adductus, ac per ætatem impotentia cruciatus perferendi uictus. Quem uerò lapſum excuſare in eo non dubitauit Athanaſius: Tametſi, inquiens, Oſius minis Conſtantij conterritus non uidebatur Euſebianis contradicere, uis tamen illa & tyrannica Conſtantij poteſtas, multæq; contumeliæ & interminationes ſatis oſtendunt, minimè eum in noſtri condemnationem conſenſiſſe, ſed ſenij imbecillitate imparẽ uerberibus ad tempus ceſsiſſe, atque ægrè cum Vrſacio & Valente cõmunicaſſe. Fortaſsis & exilij tædiũ, quod per annum, quemadmodũ Athanaſius indicat, ſuſtinuerat, animum eius fregit. Ab exilio enim, in quod Arianorum opera coniectus fuerat, ſtudio eorundẽ Syrmium reuocatus ab Imperatore fuerat, cum dogmatis ſui teſtẽ habere, uel ui uel perſuaſione coactum, eximium & celeberrimũ uirum Ariani ſatagerent. Tametſi Athanaſius ad ſolitariã uitam agẽtes, Firmij eum, tanq; in exilij loco, per annũ ab Imperatore retentũ ſcripſerit. Ad lapſum Oſij quod attinet, autor idem Athanaſi⁹ eſt, eum moriturũ, pro teſtimonio quaſi ſuo uim Arianorum proteſtatũ eſſe, hæreſim ipſam condẽnaſſe: ac publicè omnes monuiſſe, ne aut probarent unquam, aut reciperent. Athanaſius epiſtola ad ſolitariam uitam agentes.

Cum qua indicatione certè nõ conueniunt, quæ Isidorus Hispalensis de crudeli & tragico Osij exitu scripsit: subitò eum scilicet, posteaquã in Gregorij Eliberitani episcopi exilium, qui solus tum fuerit integræ fidei assertor, sententiã ferre uoluisset, ore ac ceruice distortis, concidisse atq; expirasse.

GREGORIVS BAETICVS.

PLatinę in Syricij uita Gregorius Bæticus Iliberidis est episcopus, qui multa in cõmendationem fidei Christianæ scripserit.

IDACIVS, ITHACIVS.

MEminit in narratione de hæreseos Priscilliani in Hispanijs & Gallijs successu, progressu atq; euentu, Sulpitius Seuerus Ecclesiasticæ historiæ libro secundo, Idacij cuiusdam emeritę ętatis, ut ipse ait, sacerdotis, & Ithacij episcopi Sossubensis, quorũ uterq; Priscilliani sociorumque suorum accusator, & hæreseos oppugnator atq; insectator, sed prudens parum & cautus fuerit, ut qui facẽ potius incendio nascenti subdiderint, & hæreticos exasperauerint magis quàm repressserint. De Ithacio hæc indicat: Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio: fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, uentri & gulæ plurimum impertiens. Hic stulticiæ eò processerat, ut omnes etiam sanctos uiros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare ieiunijs, tanquam Priscilliani socios aut discipulos in crimen arcesseret. Ausus est etiam miser, ea tempestate Martino episcopo, uiro planè Apostolis conferendo, palàm obiectare hæresis infamiam, &c. Idaciũ Tritemius Lemicæ Hispaniarũ urbis episcopũ fuisse scripsit, uirũ in diuinis scripturis eruditũ atq; eloquentem: qui propter cędẽ Priscilliani, quam cum Vrsacio (fortè Ithacio) Treuiris accusauerat, in exilium expulsus, in eo mortuus sit. Claruerit autẽ sub Theodosio anno quadringentesimo, ac scripserit librũ aduersus Priscillianum, librum item Chronicorum. Extat hodie Idacij Hispani contra Varimodum Arianum liber, declarationem complectens eruditam articuli de Trinitate & singulis personis.

PATIANVS.

EPiscopus est Patianus Barchionensis (fortè Barcinonensis) Hispaniæ, sanctitate atq; eloquentia celebris: Bergomensi, Supplementi libro nono.

RIPARIVS, DESIDERIVS.

VOcat sanctos presbyteros Ripariũ & Desiderium in finibus alicubi, ut uidetur, Hispanię, Hieronymus in epistola aduersus Vigilantium.

SEVERVS AQVILIVS.

HIspanus fuit Seuerus Aquilius, cognatus Seueri illius ad quem Lactantij extant duo Epistolarum libri. composuit uolumen, quod Catastrophen inscripsit. Platina sub Syricio.

SISYNNIVS.

DIaconus fuit Ecclesiæ alicuius in Hispania Sisynnius, Hieronymo familiaris, ex crebris ad eum legationibus: quamobrem & fratrem suum ubique nominat, ut in scripto aduersus Vigilantium, & in epistolis ad Augustinum, Minerium & Alexandrum.

TIBERIANVS.

TIberianus Bæticus scripsit pro suspicione, qua cum Priscilliano accusabatur hæreseos, Apologeticum, tumenti cõpositoq; sermone. Postea, post suorum cædẽ, tædio ut ictus exilij, mutauit propositum: filiam deuotam Christo uirginem, matrimonio copulauit. Hieronymus in Catalogo.

ADYGINVS.

EPiscopus est Cordubensis Adyginus, Sulpitio Seuero lib. 2.

ABIGAVS.

PResbyter quispiã Hispanus fuit Abigaus, ad quem extat Hieronymi epistola consolatoria, ut cæcitatem in animi acumine patienter ferat: tom. 1.

CARTARIVS.

MEminit Cartarij episcopi Hispanię, quẽ ueterem uocat & ætate & sacerdotio, Hieronymus in epistola ad Oceanum: utrũ à baptismo matrimonium repetens, posset fieri sacerdos.

GREGORIVS HISPANVS.

MEminit in Chronicis Hieronymus, sub anno Christi trecentesimo septuagesimoquarto, Gregorij Hispaniarum episcopi, quem in orthodoxa fide semper perstitisse ait: quemadmodum & Luciferum Carelitanum, & Philarem, Libyę episcopos. Videtur esse idem, quem Gregorium Bæticũ uocat, & episcopum fuisse indicat Iliberidis, ad extremam usq; senectutem: diuersosq; medio cri sermone scripsisse tractatus, interq; eos librum elegantem de fide, quem extitisse suo tempore, dicit in Catalogo.

VALERIANVS, VINCENTIVS.

VIncentio in Speculo libro duodecimo, capite centesimo uigesimoquarto, Valerianus episcopus est Cæsaraugustæ Hispaniæ, quem ob confessionem in exilium expulit Dacianus præfectus. & Vincentius archidiaconus, martyr fortis & gloriosus, cuius martyrium prolixo carmine scripsit Prudentius in περὶ στεφάνων.

SABINVS.

EPiscopꝰ est Hispalẽsis Hispanię Sabinus, Vincentio in Speculo lib. 13 cap. 34. Aliꝰ est eiusdẽ nominis episcopꝰ ciuitatis Asijnę, uir eloquẽtissimꝰ, martyr cũ diaconis duobꝰ, Exuperan-

Exuperantio & Marcello: eidem lib. 12, cap. quinquagesimoquinto & 56.

ITALICI DOCTORES.

FORTVNATIANVS.

AFer fuit natione Fortunatianus, episcopus Aquileiæ sub Constantino. Scripsit Commentarios in Euangelia, breui & rustico sermone. Reprehensione dignum ac detestabile hoc unum egit, quòd Liberium episcopum abeuntem in exilium pro fide, primus solicitauit ac fregit, & ad subscriptionẽ hæreseos impulit. Hieronymꝰ in Catalogo.

VITVS, VINCENTIVS.

ROmani fuerunt presbyteri Vitus & Vincentius, quos in synodum Nicęnam Iulius episcopus, cũ senio lapsus interesse non posset, suo nomine misit. Socrates libro primo, capite decimoseptimo. Epistola supposititia Athanasij ad Marcum Romanum, in tom. quarto operum Athanasij, pro Vitore habet, & Apocrisiarium apostolicæ sedis utrunq; uocat. Mendax uerò etiam narratio ea, in ea parte est, quòd à Sylueſtro missos hos presbyteros ad synodum Nicænam, nugatur.

IVLIANVS.

GEnnadio Iulianus episcopus est Capuanus, quẽ acri fuisse ingenio, & græcè & latinè doctũ, & theologum indicat. Sed qui postea ad hæresin Pelagij inclinarit, scripseritq; aduersus Augustinũ Pelagij cõfutatorẽ, libros quatuordecim: Librũ itẽ aliũ alterius amborum, partes suas defendentiũ: adiunxeritq; sibi ac hęresi suæ liberalitate & beneficentia aliquando in magna fame multos nobiles, maximè uerò religiosos. Mortuus est sub Valentiniano.

DIONYSIVS.

RVffinus lib. primo, cap. uigesimo: Socrates libro 2, cap. trigesimosexto, & trigesimo septimo: Sozom. lib. quarto, capite 9, de Dionysio episcopo Albæ, Italię metropolis, referũt, quòd cum alij multi per fraudẽ Orientaliũ decepti, contra Athanasium pronunciassent, ipse cum secum sentientibus, Eusebio Vercellensi, Paulino Treuerensi, Rhodano, Lucifero & Hilario contra eum subscribere noluerit, animaduertens scilicet nõ de Athanasij solũ ab aduersaria parte agi cõdemnatione, sed de subuersione potius Nicænæ fidei. Quamobrẽ & à Constantio in exiliũ omnes isti propulsi fuerint. Quod idẽ Athanasius aliquoties, ut in apologia ad Cõstantiũ, in apologia de fuga sua, & in epistola ad solitariam uitam agentes, retulit: adscitum nimirum hunc, cum illis quos diximus, Dionysium Mediolanensem, quem uirũ uocat religiosum, subscribere contra Athanasium, & communioni Arianorum consentire noluisse, sed liberrimè omnia de fide & innocentia Athanasij prolocutum: Imperatorẽ etiã ipsum reprehendisse, ob quod in eius locum Constantius Auxentium miserit.

EVSEBIVS VERCELLENSIS.

CElebris atq; illustris fidei ac doctrinę sinceritate maximè, hac ætate Eusebius fuit, Vercellarum (quæ Taurinũ hodie sunt, Liguriæ in Italia, quemadmodũ Socrates refert lib. 3, cap. 5) episcopus: unde Vercellẽsis plerunq; ab aliquibus Italus appellatur. Quanquam in ea ipsa appellatione non inter omnes conuenit. nam Athanasio hic Eusebius episcopus est Marcellẽsis: at sunt Ptolemæo quidem in Liguria Marcellę. Epiphanius libri primi tomo secundo, hæresi trigesima, Fregellensem nominat. Sozomenus uerò lib. quinto, capite duodecimo, Vercellensem ex Libya ea quæ in Italia sit: cũ Ptolemęo sentiens, qui Vercellas Libycis accenset Italię populis, qui sub Insubribus sunt. Natione Sardus fuit, secundum Hieronymi Catalogũ: lector primùm in ecclesia Romana, deinde episcopus Vercellarũ, ubi Ecclesiam simul & monasterium eum gubernasse Ambrosius indicat epistola octogesimasecũda ad ecclesiã Vercellensem. Scriptores huius seculi, Socrates, Theodoret. & Sozomenus, sub Constantio primã eius faciunt mentionem, cuius autoritate in synodo Mediolanensi in exilium actus est, cum Paulino, Dionysio, Rhodano, Lucifero & Hilario, ideo quòd contra Athanasium subscribere noluisset: & non Athanasij damnationem, sed fidei totius euersionem à synodo ea spectari pronunciasset. Ruffinus lib. 1, cap. uigesimo: Socrates lib. 2, cap. trigesimosexto: Theodoretus lib. 2, cap. decimoquinto: Sozomenus libro 5, capite duodecimo: Athanasius apologia ad Cõstantiũ, & in apologia de fuga sua, item in epistola ad uitam solitariã agentes: ubi magno eum cum socijs, quos diximus, Dionysio, Paulino & reliquis, animo exilij sentẽtiam pertulisse, minas Imperatoris insanientis paruifecisse, atq; ipsum liberrimè reprehẽdisse refert: Cogitaret scilicet, regnũ quod administraret, nõ esse ipsiꝰ, sed Dei: meminisse igitur, ne qui dedisset, derepentè rursus adimeret: uideret etiam, ne Romanum Imperium Ecclesiasticis Constitutionibus immiscereret, neue hæresim Arianam in Ecclesiam introduceret. Hilarius, qui synagogam malignantium synodum eam uocat in apologia ad Constantiũ, narrat, Eusebio ad synodum accersito, intra decem dies, quibus de exigendo eo consilia sua consumpserint, non licuisse conuentui interesse: postea aduocatum, iussum esse ut in Athanasium subscriberet. ad quod responderit, Oportere de fide constare prius: quòd compertum haberet, nõnullos qui adessent, labe hęretica

infectos esse. atq; ita simul Nicænam fidem in mediũ posuisse: spopondisseq;, se omnia quæ postulassent tum facturum, si pro fidei professione prius subscripsissent. sed præter exilij sententiam nihil obtinuisse.

Socrates & Sozomenus in superiorẽ Thebæorum regionem relegatum eum scripserũt. Sed Epiphanius Scythopolim exilij Eusebij locũ nominat, ubi eum ad Iosephũ ex Iudæo Christianum conuersum diuertisse ait: seq; eôdem cum fratribus profectum, cũ eo multa collocutum. Testatur & Hieronymus, in Scythopolim eum primùm, deinde in Cappadociam à Constantio fuisse relegatum: anno Christi, quemadmodum in Chronico annotauit, trecẽtesimo sexagesimo, Imperij uerò Constantij uigesimo.

In exilio eo quid cum socijs egerit Athanasius, his uerbis indicat solitariam uitam agentibus: Excusso, inquit, sancti puluere, & oculis in Deum reiectis, nec Cæsaris minas uerebantur, neque ob strictos enses ueritatem prodiderunt, & exilium ueluti ministerij sui officium acceptarunt, pergentes de loco in locum, & de ciuitate in ciuitatem: & nihilominus, quanquã in uinculis essent, euangelizabant, piam quidem fidem deprędicantes, Arianam autem hæresim anathemate damnantes, &c.

Exilium porrò illud sustinuisse eũ sexennium, Hieronymus ostendit: qui reuocatũ eum cum cæteris anno altero Imperij Iuliani scripsit, Christi uerò trecentesimo sexagesimosexto. Reuocatus per Orientem iter fecit, infirmos suscipiens, docens ac confirmans. Inde uerò digressus, Illyricum accessit. deinde & Italiam, eadem agens ingressus est. Socrates lib. secundo, capite tertio: & libro tertio, capite nono: Athanasius ad solitariam uitam agentes. Hinc eum Illyricum, Italiam, Galliasq; ab hæreticis repurgasse, cũ Hilario Ruffinus tradidit libro primo, capite trigesimoprimo.

Theodoretus libro tertio, capite quarto: & Socrates libro tertio, capite sexto, Alexandriam eum restaurandæ doctrinæ & fidei proposito abijsse, & synodum cum Athanasio pro confirmandis Ecclesiasticis dogmatis congregasse. Inde uerò Antiochiam, ubi Luciferum antea reliquerat, redijsse: postremò in Italiã regressum, offensum ordinatione Paulini, ex qua plebis disidiũ ortũ fuerat, quemadmodum suo loco retulimus.

Prẹter Dionysium igitur, Paulinum, Rhodanum, Luciferum & Hilarium, quos exilij peregrinarionis ac certaminum pro recta fide socios habuit, familiariter etiam Athanasio usus est: quemadmodum ex tomo duodecimo ad Antiochenses Athanasij uidere est, Epiphanio item, & Iosepho illo qui in exiliũ abeunti ei hospitium præbuit, ut ex Epiphanio paulo antè ostendimus.

Hieronymus aduersus Vigilantium, & in epistola quadam ad Augustinũ, uertisse eũ in latinum cõmentarios Origenis in omnes Psalmos, scripsit: sed ita, ut hæreticis Origenis reiectis optima quæq; transtulerit. Idem rursus in Catalogo, edidisse eum ait in Psalmos cõmentarios Eusebij Cæsarẹnsis, quos è græco in latinum conuerterit.

Mortuus est, sicut idem indicat, Valentiniano & Valente regnantibus, anno Christi trecentesimo septuagesimo quarto, Imperij Valentis anno septimo. Sunt qui martyrio eum ab Arianis affectum, priusquã obierit, scribunt: ut Regino Pruminensis Annalium libro primo, Volateranus libro decimoquinto anthropolog. Nauclerus, &c. Illi enim, extractum ex ædibus ab Ariana quadam furiosa factione, ac lapidibus obrutum fuisse, narrant: tandem uerò domi cubiculo inclusum, post mensem septimum decessisse. Extant Eusebij huius laudationes duę inter homilias Maximi Taurinensis.

ELPIDIVS, PHILOXENVS.

ALius fuit Elpidius presbyter Iulij episcopi Romani, quẽ cũ Philoxeno presbytero ad Eusebianos Iuli⁹ misit, cõuocaturos ad synodũ Romã: Athanasius apologia secũda.

PANCRATIVS.

HIeronymo in Chronico Pancratius Romanus presbyter est, damnatus exilio à Cõstantio, quo tempore Eusebius, Lucifer, Dionysius & Hilarius ab eodem damnati sunt, anno Christi trecẽtesimo sexagesimo.

ZENON.

VEronensis est episcopus Zenon, miraculis & diuinis uirtutib. clar⁹: de quo in dialogis suis multa cõmemorat Gregori⁹. Mortu⁹ est sub Cõstãtino, ut Bergomẽsis scribit.

CHROMATIVS.

CHromatius quis fuerit, ex Hieronymo sere solo cognosci potest: q in epistola quadã ad eundẽ, nõ obscurè indicat, eũ cũ fratre Eusebio, Iouiniano amico, matre & sororib. uirginib. unà habitasse, seu Romæ, seu quocunq; alio in loco Italiæ. Deinde in alia epistola ad Ruffinũ indicat, eum fuisse episcopũ Aquileiæ. sic enim inquit: Frater meus Paulianus necdũ de patria reuersus est, & puto q, eũ Aquileiæ apud sanctũ papã Chromatiũ uideris. Quod ei nominis frequenter tribuit: nonnunquã & episcopum Aquileiensem diserte uocat. Floruisse eũ anno Domini trecentesimo trigesimoquinto, sunt q affirmẽt.

Extat Chromatij concio de octo beatitudinibus: Tractatus itẽ aliquot in caput quintum Matthæi, ac partem sexti: ex quibus, quid de aliquibus doctrinæ partibus senserit, utcunq; animaduerti potest.

De Deo enim & Trinitate rectè sensit: unũ scilicet esse Deũ, & tres distinctas personas.

De Christo, quòd sit filius unigenit⁹ patris, & uerus homo. Et in explicatione dicti, Vos estis sal terræ: Aquas (inquit) gentes significare, euidenter Apocalypsis retulit, dicendo: Aquę quas uidisti, populi & gentes & turbę & nationes sunt, quæ aliter sanari uel remediũ salutare accipere non poterant, nisi sal in uas fictile mitteretur: id est, Dei sapientia humanũ corpus acciperet. Et ad exitũ mortis humanæ salutis nostræ causa peruenit.

De Spiritu sancto, quòd sit tertia persona diuinitatis, & quòd per gratiam suam illuminet Ecclesiam.

De Creatione, q, omnia sint à Deo cõdita.

De Angelis, quòd sint boni & mali: quòd Diabõlus sit autor, suasor & impulsor ad peccandum.

De lege, quòd tradita fuerit populo Iudaico, & quòd impleta sit per Christum: quòd uerò impletio eius nobis sit impossibilis.

De Euangelio, quòd in eo gratia proponatur. Atq; huc pertinet quod ait, Christũ per Oliueti significationem diuinum misericordiæ suę munus ostendere. Et, Cœlestis sapientiæ uerbum, quod per Apostolos prædicatum est, necessarium est cunctis ad salutẽ. omnes enim, secundum Apostolũ, egent gratia Dei. Rursus ibidem: Cœlestis gratia exteriora hominis atq; interiora perpenetrat: & totum hominem integrũ, incorruptumq; à peccato conseruat.

De legis atq; Euangelij discrimine: quòd in Lege seueritas sit, in Euangelio gratia: Quòd in lege incredulis terror incutiatur, in Euangelio uerò credentibus benedictionum manus infundatur.

De iustificatione dicit, iusticiam fidei, iusticiam Dei & Christi esse.

De bonis operibus rectè sentit, bona scilicet opera fieri debere prælucente fide: item nostra bona opera non esse perfecta.

De pœnitentia rectè sensit, quòd cõtritio debeat antecedere fidem.

De Baptismo: Baptizatos renasci, ac hæredes fieri regni cœlorum. Et in explicatione dicti, Vos estis sal terræ: Apostoli atq; omnes credentes, ait, per aquam baptismi, per fidem Christi, & per inspirationem sancti spiritus Deo renati, ex terrena in cœlestem natiuitatem transierunt,

De clauibus sentit, hæreticos & turpiter uiuentes esse excommunicandos, & pro excommunicatis habendos.

De oratione sentit, eam fieri debere fide. Sentit item, Deum per ministeriũ uocale efficacem esse. Ecclesiã ait supẽr fidem Christi constitutam esse, & per Euangelicam doctrinam aperta prædicatione conspici.

Crucẽ & persecutionẽ sentit inferri Christianis propter fidem.

De coniugio sentit, institutum scilicet esse à Deo, & indissolubili lege seruandum, & adulteram dimitti posse.

¶ Interdum tamen de quibusdam doctrinæ partibus incõmodè & periculosè loquitur: ut quòd operibus mereri homines iusticiam affirmat: quòd nimium extollit & urget uolũtariam paupertatem, quasi per eam diuitias cœlestis regni consequamur. ubi & pauperes spiritu eos interpretatur, qui ultrò bonis seculi renunciant, & substantias suas erogant. Quomodo & in tractatu in caput quintum Matthęi ait: Fidem deuotę paupertatis efficere beatos. Item quòd gradus beatitudinũ, quos Euangelicos uocat, ipse comparat scalæ Iacob: per quam qui ascẽdat, portam inueniat cœli, &c.

Opinio est item, quòd citãs dictum, Recti inhabitabunt terram, & sancti habitabũt in ea: intelligit terram corpus sanctorum transfiguratum.

In expositione dicti, Esto consentiens aduersario tuo citò, &c. ait se accedere eorũ opinioni, qui per aduersarium spiritum sanctũ intelligendum esse docuerint.

Consuetudinem Chromatium cum Hieronymo familiarissimam habuisse, inde apparet, quòd in procemio Paralipomenõ Hieronymus affirmat, se eius impulsu Hebræa Biblia in Latinum sermonẽ transtulisse: ex quib. aliquot libros ei nuncupauit, ut libros Salomonis, commentaria in Ionam, Amos, Abacuc, Tobiam, &c. Hinc & magna reuerentia multis in locis appellat eum beatum, sanctum & uenerabilem Papam: ut in epistolis ad Niciam & Ruffinum. In apologia uerò aduersus Ruffinum, atq; alibi item, nominat eum episcoporum sanctissimum & doctissimum. Ad decrepitam autem processisse ætatem Chromatiũ, hæc ipsa cum Hieronymo familiaritas probat.

CONCORDIVS, CALIXTVS.

PLatina in Damasi historia, Cõcordium & Calixtũ diaconos fuisse ait in ecclesia Romana: quos in synodo Damasus loco suo atque officio remouerit, ideo quòd falso ab ipsis adulterij accusatus fuisset.

VRSINVS.

DIaconus fuit ecclesiæ Romanæ Vrsinus (Sozomenus Vrsaciũ uocat, Vrsicinũ etiam alij) qui Damasum episcopum constitutum, sibiq;, quòd & ipse electionis suffragia habuisset, prælatum impatientissimè ferens, in tantũ furoris erupit, ut imperitis & obscuris quibusdã persuasis episcopis, collecta turbulentorũ ac seditiosorũ hominũ manu, in loco quodã occulto basilicæ quæ Sicinũ (Socrates Sicona) dicebatur, episcopũ

se ordinari extorqueret, legib. ordine & traditione peruersis. Ex qua re seditio tanta populi alterutrum episcopũ expetentis, & conflictus nati sunt, ut plurimis interfectis, humano sanguine repleta sint oratoria: adeò ut Maximus præfectus (Maximinũ habẽt Ruffinus & Socrates) sæuus homo, flagrans alio qui odio & inuidia Damasi, Vrsini tamẽ conatus plurimis supplicio affectis reprimere coactus fuerit. Ruffinus libro secundo, capite decimo: Socrates libro quarto, capite uigesimonono: Sozom. lib. 6, cap. 23: Hieronymus in Chronico, sub anno Christi trecentesimo sexagesimonono. Platina in narratione de Damaso, Vrsinum in Neapolitanam ecclesiam tandem reductum, prodidit.

ALEXIVS.

FAsciculo temporum, Alexius uir sanctus Romæ est, & patientia mira clarus, sub Valente.

BASILIVS, BRITTON.

EPistola synodi Cõstantinopolitanæ, eius quæ Nectarium constituit episcopũ, meminit Basilij & Brittonis, quorundam inter collegas Damasi & episcopos Romanos: apud Theodoretum lib. 5, cap. 9.

EVSEBIVS.

EVsebius episcopus Cremonensis, Hieronymo in epistola ad Pammachiũ: à quo se rogatum indicat Hieronymus, ut epistolam Epiphanij ad Ioannem Hierosolymitanum scriptam, latinam faceret. Idẽ & Commentarios in Hieremiam, & in Lamentationes eiusdem, Eusebio cuidam Cremonensi, forsan eidem, nuncupat.

LEONTIVS.

LEontius Ecclesiæ Nouatianorum Romę episcopus fuit, magnæ apud Theodosiũ Imperatorẽ autoritatis: adeò ut intercedenti ei pro Symmacho, qui librum Imperatorium ad Maximum tyrannum scriptum recitauerat, eoq; læsæ maiestatis reus factus fuerat, Symmachum saluum donarit. Socrates lib. quinto, cap. decimoquarto.

NICIAS.

NIcias hypodiaconus fuit Aquileiæ, Hieronymo familiaris, & peregrinationũ eius comes. Erasmus in argumento epistolæ Hieronymi ad Niciam, tom. 1.

PETRONIVS.

FVit episcopus Bononiensis, religione & studijs monachorum à puero imbutus. Patrem habuit eiusdem nominis prætorio præfectum, hominem eruditissimum & eloquentissimum. Scripsisse putatur Petronius episcopus uitas monachorum Ægypti. Moritur, Theodosio iuniore & Valentiniano regnantibus. Gennadius in Catalogo: anno Christi trecẽtesimo octogesimosexto, secundum Prosperi Chronicon.

PAMMACHIVS.

INPammachio extollendo multus passim est Hieronymus. Romanus fuit, ex patriciorũ nobilissimo genere, Hieronymi quondam discipulus. uxorem duxerat Paulinam, Paulæ, clarissimæ Romanæ fœminæ, filiam: qua defuncta, facultatibus in pauperes distributis, monachum professus est, sicut epistola ad Pammachium super obitum Paulinæ uxoris Hieronymus prolixè indicat. Idem etiam alibi passim (permulta enim ad Pammachium scripsit) uirtutes eius celebrat, ac eruditionem summam, eloquentiam, ardens diuinarum scripturarum studium, pietatem, (christianissimum enim eum uocat omnium nobilium, & Christianorum nobilissimum) uitæ sanctitatem, beneficentiã in pauperes: quam in eo uirtutem maximis effert laudibus, in epistola de obitu Paulinæ. Eius hortatu Hieronymus in propheras cõmentatus est, eiq; plurima monumẽtorum suorum nuncupauit.

SIMPLICIANVS.

FAmiliarissimus Ambrosio Mediolanensi Simplicianus fuit, ipsius testimonio, in epistola secunda ad eum scripta: uir clarus fide, & intelligentia spirituali, assiduus in studio sacrarum literarum, ingeniosus, acutus in demonstrandis philosophorum erratis, et quòd propter rerum diuinarum cognitionẽ totum orbẽ peragrarit. Senex cum esset, Ambrosio in episcopatu successor electus est, approbatione Ambrosij morientis: qui inter Casti, Polemij, Venerij & Felicis de successore Ambrosij deliberationem, de Simpliciano ter exclamauit, Senex, sed bonus. Paulinus in uita Ambrosij.

SABINVS.

ADparet ex epistola quadragesimaquinta Ambrosij, uirũ fuisse eruditũ, & præcipua autoritate alicubi in Italia aut Gallia, Sabinũ: cuius censuræ scripta sua se subijcere Ambrosius indicat, ibidem.

SYRVS.

PResbyter Romanus fuit Syrus, sub Syricio, Ambrosio familiaris, ad quem Roma consueuit excurrere. Ambrosius in epistola ad Syricium.

VINCENTIVS.

FVit hic Vincentius natione Persa, qui sub Cõstantij imperio, cum persecutio Christianos in Persia apprehendisset, fuga elapsus ad Romanos uenerat: apud quos in clerum assumptus, presbyter etiam factus est: curator postea & custos reliquiarum Ioannis baptistæ, quas Imperator Theodosius ante urbem Constãtinopolitanam ex Chalcedone translatas collocauerat. Sozomenus libro septimo, capite uigesimoprimo.

VINCENTIVS *alius.*

VIncentij alius meminit epistola Damasi & Valeriani ad episcopos Illyricos, eúq; multis annis præsulatus integritatem conseruasse testatur: apud Theodoretum lib. secundo, cap. uigesimo secundo. Sozomenus lib. sexto, cap. uigesimo tertio.

ANEMIVS.

EStin numero episcoporũ in synodo Romana congregatorum, ad quos scribit synodus Constantinopolitana sub Theodosio, Anemius: Theodorito libro quinto, capite nono.

RVFFINVS.

RVffinus presbyter Aquileiensis quando ac quandiu fuerit, nusquam ferè à quo quam explicatur. Baptizatum se Aquileiæ fuisse, ipse indicat in Apologia pro fide sua ad Anastasium episcopum Romanũ. Monachum eum dixit Tritemius, inde fortasis, quòd cum Melania Romana illustri fœmina peregrinatus est, & cũ ea Hierosolymis fuit annis triginta septẽ: quemadmodũ ex Heraclide Naucler⁹ indicat, cum quidẽ prius monasteria Ægypti perlustrasset, quod ex epistolis nõnullis Hieronymi ad Ruffinum, & ad Florentium, intelligi potest. Sodalis fuit studiorũ sacrorum Hieronymi, eidemq; familiarissimus, adeò ut fratrem eum suũ Hieronymus, indiuidua germanitatis charitate connexum, dixerit in epistola ad Florentiũ. Sed hæc amicitia quoties deposita, & in acerbissimũ odium mutata: quoties & quomodo iterũ reconciliata, male interdum sarta, & in inimicitias maximas conuersa sit, ut perlongam requirat (quæ nec huius quidẽ loci sit) narrationem, ita ex Hieronymi ipsius q; Ruffini epistolis, inuectiuis & apologijs petenda est. Hæc enim præcipua fuisse uidetur causa dissidij irrecõciliabilis, & nunquã sopiti inter eos conflictus, quòd Origeni fauens Ruffinus, ipsi etiã Hieronymo figurata laudatione in prefatione in libros περὶ ἀρχῶν Origenis, suspicionẽ mouit hæresis Origenicæ, cuius Hieronymus impatientissimus fuit. Indicat tale quiddã Hieronymus in epistola quæ proximè antecedit apologiã in Ruffinum, tomo tertio.

Extat de doctrina & fide Ruffini symbolũ, cum prolixa explicatione, inter opera Hieronymi, tomo 2: & in eodẽ symbolũ aliud breue, in procemio apologiæ Pamphili pro Origene ad hunc modum:

¶ Nos, sicut traditũ nobis est à sanctis patribus, retinemus, quòd sancta Trinitas cõæterna sit, & unius naturæ, uniusq; uirtutis & substantiæ: & quòd filius Dei in nouissimo tẽpore homo factus est, & pro peccatis nostris passus est: & in ea ipsa carne, in qua passus est, resurrexit à mortuis. ꝓpter quod & resurrectionis spem humano generi tribuit. Carnis uerò resurrectionem nõ per aliquas præstigias, sicut nõnulli calumniãtur, dicimus: sed hanc ipsam carnem, in qua nũc uiuimus, resurrecturã credimus, nõ aliã pro alia, nec corp⁹ aliud quàm huius carnis dicimus. siue ergo corpus resurrecturũ dicimus, secundum Apostolũ dicimus (hoc enim nomine usus est ille) siue carnẽ dicimus, secundum traditionẽ symboli confitemur. Stulta enim adinuẽtio calumniæ est, corpus humanum aliud putare esse quàm carnem. Siue ergo caro secundum communem fidem, siue corpus secundum Apostolum dicitur quod resurget: ita credendum est, sicut Apostolus definiuit: quia quod resurget in uirtute, resurget & in gloria. et incorruptibile resurget & spirituale corpus: quia corruptio incorruptionẽ non possidebit. Saluis igitur his prerogatiuis futuri corporis uel carnis, resurrectio carnis credenda est integrè & perfectè: ut & natura carnis eadem seruetur, & incorrupti ac spiritualis corporis status & gloria non infringatur.

Est & in eodem tomo librorum Hieronymi, apologia Ruffini pro fide sua ad Anastasium, fidei complectens confessionem, quam eandem testatur sibi ac suæ ecclesię Aquileiensis esse cum Hierosolymitana, Alexandrina & Romana ecclesijs. habet autem ad hunc modum:

¶ Si quis est qui uel tentare fidẽ nostram cupit, uel audire uel discere, sciat, quòd de Trinitate ita credim⁹, quòd unius naturę sit, unius deitatis, unius eiusdemq; uirtutis atque substantiæ: nec inter patrem & filium & spiritum sanctum sit prorsus ulla diuersitas, nisi quòd ille pater est, & hic filius, & ille spiritus sanctus: Trinitas in personis subsistẽtibus, unitas in natura atq; substantia. Filium quoq; Dei in nouissimis dieb. natũ esse confitemur, ex uirgine & spiritu sancto: carnẽ naturæ humanæ atq; animã suscepisse, in qua passus est, & sepult⁹, & resurrexit à mortuis: in eadẽ ipsa carne resurgẽs, quæ deposita fuerat in sepulchro: cum qua carne simul atq; anima post resurrectionẽ ascẽdit in cœlos, unde & uenturus expectatur ad iudiciũ, iudex uiuorum ac mortuorum. Sed & carnis nostræ resurrectionem fatemur integrè & perfectè futuram, huius ipsius carnis nostræ in qua nunc uiuimus. non, ut quidam calumniantur, alteram pro hac resurrecturam dicim⁹: sed hanc ipsam, nullo omnino eius mẽbro amputato, uel aliqua corporis parte defecta: sed cui nihil omnino ex omni natura sua desit, nisi sola corruptio. Hoc enim promittit sanctus Apostolus, quòd seminetur corpus in corruptione, & resurgat in incorruptione: et seminetur in infirmitate, surgat in

uirtute: seminetur in ignominia, surgat in gloria: & seminetur corpus animale, resurgat corpus spirituale. Hæc nobis de resurrectione tradita sunt ab his à quibus sanctũ Baptisma in Aquileiensi ecclesia consecuti sumus: quæ puta ipsa esse, quæ etiam Apostolica sedes tradere & docere consueuit. Dicimus quoque & iudicium futurum, in quo iudicio unusquisque recipiat propria corporis prout gesit, siue bona siue mala. Quòd si homines recepturi sunt pro operibus suis, quanto magis & diabolus, qui omnibus exitit causa peccati? De quo illud sentimus, quod scriptum est in Euangelio: Quia & ipse diabolus, & omnes angeli eius, cum his qui opera eius faciunt (id est, qui criminantur fratres) cum ipso pariter æterni ignis hæreditatem patientur. Si quis ergo negat diabolum æternis ignibus mancipandum, partem cum ipso æterni ignis accipiat, ut sentiat quòd negauit.

Sed, ut diximus, Origenistarũ hæresim ei manifesto bello Hieronymus imputauit: sed nimis languida, ut uidetur, ratione: eo nimirum, quòd Origenis libros in latinum sermonem transtulerit: cum tamẽ nec defensorem nec assertorem Origenis, neq; primũ se eius interpretẽ esse liquidò affirmet in apologia pro fide sua ad Anastasium: neq; arbitrio suo eam uersionẽ sese instituisse, sed ad fratrum preces indicet. In præfatione uerò in libros Origenis significet, se quæ erronea atq; inter se contraria & discrepantia in Origene fuerint, non protulisse.

Vincentius ex Helinando, in Speculo suo libro decimoseptimo, cap. nonagesimonono retulit, etiam Pelagianę hæreseos Ruffinum ab Hieronymo, præter Origenicam illam, insimulatum.

¶ Ex græcis plurima latinè cõuertit: quædam latinè ipse scripsit, de quibus quę hodie extant, hæc sunt:

Ecclesiastica historia Eusebij Pamphili Cęsarienſis, quam adiectis duobus libris auxit, orsus ibi scilicet ubi Eusebius desinit, à Constantini temporib. usq; ad obitum Theodosij: sicut ipse affirmat in procemio. Sed quos libros Socrates lib. secundo, cap. primo, non adeò laudat: ut in quibus in temporũ ratione errarit, earũ maximè rerum quæ ad Athanasium pertineant.

Gregorij Nazianzeni tractatus de fide, & eiusdem fides Nicæna. Extat utrumq; inter opera Nazianzeni.

Clementis episcopi Romani libri Recognitionum.

Iosephus: de cuius uersione per Ruffinum hæc censuit Gelenius, proximus Iosephi interpres. Huius scriptoris monumenta cum circumferantur, & passim ab omnibus suo merito terantur, Ruffino (ut titulus pollicetur) interprete, mihi nunquá persua deri potuit, antiquitates Iudaicas ab eo uiro uersas: uel quòd nõ referant peritum utriusque linguæ hominem, qualis Ruffinus fuit habitus suo seculo: uel quòd stylo belli Iudaici sint dissimiles.

Apologia Pamphili martyris pro Origene, habetur in tomo 2 operũ Hieronymi: quem librũ Hieronymus primum asseruit esse ex sex illis Eusebij pro Origene, in hoc sub Pamphili nomine à Ruffino publicatum, ut sub persona martyris hæresim introduceret. Hieronymus in Apologia aduersus Ruffinum, & aduersus Pelagianos.

Fragmentum librorum Origenis περὶ ἀρχῶν, extat in secundo tomo Hieronymi.

Libri Origenis περὶ ἀρχῶν: quorum interpretationẽ latinam uehemẽter in eo damnat Anastasius Romanus episcopus ad Hierosolymitanum episcopum, quasi interpretatus eos sit cum periculo & euersione fidei, quod tam frequenter etiam ei Hieronymus obijcit. Extant libri Origenis περὶ ἀρχῶν, in fine primæ partis operum Origenis.

¶ Ex conuersis ab eo, hodie non extantibus, sunt:

Liber de uita monachorum Basilij: quem se interpretaturum, ipse pollicitus est libro secundo Historiæ ecclesiasticæ, capite nono. Et fatetur Ianus Cornarius, in præfatione super duos tomos posteriores Diui Basilij, extare quidem aliqua quæ putentur ex Basilio à Ruffino cõuersa: sed quæ eiusmodi sint, ut non iuxta requisitam in interprete fidem reddita uideãtur, sed cùm inde excerpta, tum pro illius iudicio ex multis libris in unũ congesta appareant.

Orationes aliquot Gregorij Nazianzeni, quarum conuersionis meminit Ruffinus ipse libro secundo Ecclesiasticæ historiæ, capite nono. Eum uerò ut audax facinus Hieronymus ei obijcit, & parum fœliciter à se translatum, ait in Apologia aduersus Ruffinum.

Libri Græci Euagrij latinitate donati, quorum Hieronymus meminit aduersus Pelagianos.

Xysti Pythagorei liber: cuius editionem acerbè Hieronymus exagitat in apologia, ut quem nomine mutato, sub Sixti martyris & episcopi Romani titulo diuulgarit Ruffinus. Porrò pro Xysto & Euagrio, Volaterranus indicauit Sixti & Euangeli sententias: Gennadius uerò, Xysti & Euagrij sententias.

Pamphili liber aduersus Mathematicos, cuius meminit Volaterranus anthropolog. libro decimonono.

¶ Ex cæteris libris & tractatibus quos scripsit,

pſit, nonnulli adhuc ſuperſunt inter opera Hieronymi.ut,

Procœmium in Apologiam Pamphili pro Origene.

De adulteratione librorum Origenis ad Macarium.

Rurſus de adulteratione librorum Origenis,ex ipſius epiſtola. Extat item apologia etiam in fine prioris partis librorum Origenis.

Prologus in libros περὶ ἀρχῶν Origenis,ad Macarium.

Apologia pro fide ſua ad Anaſtaſium, urbis Romæ epiſcopum.

Inuectiuarum in Hieronymum libri duo. Atque iſta omnia habentur in ſecunda parte tomi ſecundi operum Hieronymi.

Symbolum cum expoſitione longa,quod etiam Cypriani libris inſertum eſt. Idq; tam magnificè Gennadius prædicat, ut aliorum expoſitiones ad illam collatæ nihil eſſe uideantur.

Explanatio in benedictiones undecim patriarcharum, qui liber hodie extat in Orthodoxographis.

Exaimus etiam præfationem additam homilijs uigintiſex in Ieſum Naue, quæ ſub Hieronymi titulo extant,putat eſſe Ruffini.

¶Deſiderantur autem ex Ruffini libris, in Oſeam, Amos & Ioab prophetas enarrationes. De benedictionibus patriarcharum liber. De Sacramentis liber. Exhortationis ad Probam liber, quem inter epiſtolas hortatorias Gennadius præcipuum dixit. Epiſtolarum ad diuerſos libri duo. Hæc Tritemius.

Liber de Monachis: in quo multos numerat, inquit in apologia Hieronymus, qui nunquam fuerunt: & qui fuerunt, Origenianæ fuerunt.

De benedictione Iacob liber, de quo hæc Gennadius: Diſſeruit, inquit, benedictionem Iacob ſuper patriarchas triplici, id eſt, hiſtorico, morali & myſtico ſenſu. Affirmat ipſe quoque in epiſtola ad Paulinum epiſcopum Nolanũ, præmiſſa explanationi in benedictiones undecim patriarcharum, ſe ſcripſiſſe de benedictionibus Iudæ.

¶Stylum Ruffini Hieronymus in apologia obſcurum & tardum dixit.

Gennadius,ut & hoc moneamus, ſcripta Ruffini pro apocryphis habita fuiſſe indicat: propterea quòd in Hieronymum inuectiuas ſcripſerit. At in diſtinctione decimaquinta oſtenditur, Ruffini illa reprobari, in quibus de libertate arbitrij ab Hieronymo diſſentiat.

DONATVS.

ROmæ educat⁹ & literis eruditᵘ Donatᵘ, cum Iuliano Imperatore, in perſecutione ſub eodem Imperatore Arethitium fugit: ubi ab epiſcopo Satyro, diaconatus & preſbyterij dignitarem accepit. Tandem & epiſcopus eius loci ordinatus,martyrium fecit. Vincentius lib.13,cap. trigeſimo texto.

GREGORIVS.

PResbyter eſt Spoletanus exercitijs religioſis,ut ieiunijs & orationib.clarus,& martyr in urbe Spoletana ſub Maximino. Vincentius libro duodecimo, capite quinquageſimoquarto. Meminit eius in catalogo martyrum ſub Diocletiano Hermãnus Contractus. Gregorij alterius Hiſpani meminit Hieronymus in Chronico, ſub annum Chriſti trecenteſimum ſeptuageſimumquartum.

EVSTORGIVS.

EPiſcopus eſt Italiæ Euſtorgius, orthodoxus, Athanaſio oratione prima contra Arianos.

FELIX.

HErmia natus patre Felix,Maximi epiſcopi Nolani lector primùm, deinde exorciſta,poſtremò & presbyter fuit:cui Maximus in perſecutione, ut uidetur,ſub Diocletiano ſenectute laſſus, & cruciatũ metuens, cum ſeſe in loca ſecreta abdidiſſet, eccleſiæ Nolanæ gubernationem cõmendauit:in qua tormenta à perſecutoribus atrocia multa perpeſſus,confeſſor tamen conſtans perſeuerauit: & poſt mortem Maximi epiſcopi, cum ſucceſſor communi totius plebis uoce eligeretur,presbyter quàm epiſcopus eſſe maluit. Deceſsit tandem tranquilla morte ſub Quinto epiſcopo Nolæ. Petrus de Natalib. libro octauo, capite centeſimo trigeſimooctauo. Extat carmen de Felice, Paulus Nolanus compoſuit, quod non ſatis correctum modò habuimus.

VITALIS.

SCribit Hieronymus ad Vitalem quendã, eiq; ſanctitatem tribuit, tomo 4. Videtur fuiſſe presbyter quiſpiam Romanus.

MACROBIVS.

PResbyterũ fuiſſe Macrobiũ, Gennadius ex Optati ſcriptis ſe cognouiſſe indicat, de ſecta Donatianorum, quorum poſtea Romæ occultus fuerit epiſcopus:ſcripſiſſe uerò in presbyterio ad confeſſores & uirgines librum,moralem quidem, ſed admodum neceſſariam doctrinam complectẽtem, & præcipuè ad ſtudium caſtitatis aptiſsimis ſententijs exhortantem.

HIERONYMVS.

PArentes ſibi fuiſſe Chriſtianos,Hieronymus ipſe teſtatur in præfatione Cõmentarij in Iob. Natus eſt autem, quemadmodũ ipſe oſtendit in Catalogo ſuo, in oppido Stridonis, quod in confinio Dalmatiæ Pannoniæq; ſitum, à Gotthis quondam euerſum eſt ſub Conſtantini imperio, anno Chriſti trecente-

trecentesimo trigesimoprimo. Quod oppidum nonnulli, inter quos est Blondus, idem esse putant cum eo quod hac tempestate uulgus Stridgnam appellat, in Histria Italiæ regione situ, inter Petram pilosam, Portulam & Primontē: quòd ibidem loci hodie adhuc ostendatur Eusebij, patris Hieronymi, monumentum, cum epitaphio laminis inciso. De qua re nos, ut quæ parui sit momenti, non contendimus. Sed Hieronymum Dalmatam, & Stridonensem fuisse, ex ipsius testimonio indicamus. Parentes eius tenuis, ac mediocris saltem certè fuisse fortunę, ipse indicat in epistola ad Nepotianum: ubi se in paupere natum domo, ac rusticano tugurio, uesci coactum fuisse (ait) milio, & cibario pane. Et in epistola ad Pammachium, de obitu Paulæ uxoris, ubi fratrem suum in patriam se ablegasse scribit, ad uendēdas cellulas, à barbaris semirutas relictas. Ipse uerò de patria sua, ut & hoc obiter moneamus, ita scripsit in epistola ad Chromatiū: In mea patria, inquit, rusticitatis uernacula, Deus uenter est, & in diem uiuitur: & sanctior est ille, qui ditior est.

Patri nomen, ut diximus, Eusebius fuit: matris uerò nomē nusquam, quod sciri quidem possit, in scriptis suis expressit. quemadmodum nec sororis suæ: pro qua tamen se miris modis solicitum esse, in epistola ad Chromatium indicat. Fratrem suum Paulinianum uocat, cuius frequenter meminit: comitemq; eum in multis itinerib. habuit, ut postea dicemus.

In pietatis rudimentis à parentibus, & primis literis institutus (sicut ipse testatur in scripto aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, ab ipsis scilicet incunabulis catholico lacte nutritum esse) Romam puer missus est, ubi baptismum se accepisse testatur in epistola quadam ad Damasum: & liberalibus disciplinis excultum fuisse, libro secundo commentariorum in Ezechielem: cum optimis suiq; similimis condiscipulis, quos amicos postea perpetuò coluit, Pammachio, Bonoso, & Heliodoro. Ac frequentasse puerū se scholam Grammaticam tum, scribit, cùm in persecutionis ardore sub Iuliano, Iuliani subitus nunciatus fuisset interitus. Et addit, audiuisse se tum quendam ex Ethnicis ludentem dicere: Quomodo Christiani dicunt Deum suum esse patientem, & ἀνεξίκακον? Nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius: ne modico quidem spacio indignationem suam differre potuit. Forsan is Donatus fuit, grammatica professione id temporis, cum Victorino rhetore celebris. In apologia enim aduersus Ruffinum, Donatum eum præceptorem suum uocat: & in Commentarijs in Ecclesiasten, Donatum se ait audiuisse exponentem Terentij fabulas: ut sine causa dubitent, qui utrum Donato grammatico eo præceptore usus sit Hieronymus, in dubium reuocant, quemadmodum Erasmus indicat.

Romę quàm diu fuerit, sciri usq; adeò exactè non potest. In adolescentiæ tamen annis progressus fuisse uidetur, cum inde profectus est. qua ætate se discendi cupidissimū, ac cognoscendi scripturas studio flagrantissimum fuisse, aliquoties indicat: ut in epistola ad Pammachium, & Oceanum, & in proœmio in Abdiam.

Roma autem discedens, peregrinationes uarias suscepit cum Bonoso: & in Galliam uenit adolescens, sub Valente, ut ipse indicat libro secundo aduersus Iouinianum, sine dubio propter studia: conductus etiam comite Ruffino, sicut ipse indicat. Post studia Romana ad Rheni se digressum ripas, & cōtubernalem habuisse ibi Ruffinum: in epistola ad Riparium. Treueris se aliquando commoratum, ibidemq; propria manu descripsisse Hilarij de Synodis librum, testatur in epistola ad Florentium, & in præfatione in Paralipomena ad Domnionem. Matiorem deniq; Galliæ partem, quàm diligentissimè ab eo perlustratam, ex epistola ad Gerontiam apparet: ubi tum de situ, tum de urbibus Galliæ exactè loquitur. Ex eo itinere in patriam etiam, & Romam diuertit. In prefatione uerò in Paralipomena ad Domnionem, totam se lustrasse Iudæam scribit. Postremò inter deliberandum de suscipienda professione monastices, in Syriam abijt cum Heliodoro comite, instructus ingenti bibliotheca: sicut ipse affirmat in epistola ad Eustochium. ubi se fratri cuidam ex Ebræis ad Christū conuerso, in disciplinam dedidisse, atque apud eum in cognitione Quintiliani, Ciceronis, Frontonis, & Plinio institutū fuisse narrat: sed magna cum difficultate & labore, adeò ut sæpe desperarit: nōnunquam etiam cessauerit, & contentione discendi, studia, quæ pridem abiecerat, rursus instituerit. in epistola ad Rusticum monachum.

Interea tamen ad uicinas diuersas excurrit terras. Abijt Hierosolyma, ibiq; fuit aliquandiu. Fuit & Antiochiæ: fuit in solitudine Chalcidis, in qua ab Arianis, quorum omnia plena loca erant, tres ab eo hypotheses exigentibus, uarijs modis adflictus fuit. qua de re quædam in duabus epistolis Damasum monet, Romanum episcopum. Tandem uerò satius esse ducens inter feras quàm homines improbos & impios agere, in horridam sese inter Syros & Agarenos solitudinem abdidit: quemadmodum ipse testatur in epistola ad Eustochium. Conuersatus cum eo ibi aliquandiu Heliodorus est, quem

quem comitem sibi in eo itinere fuisse diximus: sed is seu solitudinis tædio, seu moroſioris ingenij Hieronymi pertæsus, Hieronymo relicto ad suos redijt. Ac meminit discessionis eius Hieronymus ipse in epistola ad Iulianum diaconũ, ubi: Sanctus, inquit, frater Heliodorus hic adfuit, qui cum mecum uellet incolere, meis sceleribus fugatus abscessit.

Vius in Syria, priusquam sese abderet, hospitio Euagrij monachi, cuius reuerẽter passim crebrò meminit, ab eodemq; institutus est. Sibi uerò postea in tuguriolo suo uiuẽs, uigilijs, ieiunijs, & orationibus, certaminibus etiã atq; corporis adflictionibus aduersus lasciuiam & ardentes naturæ suæ impetus (quos sæpe accusat ipse, & damnat: ut in epistola ad Eustochium & Rusticum) dedit operam, legit dies noctesq;, & scripturam sacram ad unguem edidicit: incepit & scribere. Eo enim tempore allegoricè interpretat⁹ est Abdiam, cum historiam nondum intelligeret: sicut ipse testatur in præfatione posterioris editæ interpretationis in eundem.

Ibi simul & Ebream linguam didicit, cuius ab adolescẽtia sese fuisse studiosum, multo labore ac sudore, & indefatigabili meditatione, dicit in epistola ad Eustochiũ: adeò etiam, ut id studij in quadam præfatione pristinum nominarit. Ei uerò linguę, etiã Chaldææ cognitionem adiunxit, qua Daniel & Iob conscripti sunt. Didicit & peculiarem Syrorum linguam, Ebreæ nonnihil adfinẽ: sicut ipse indicat in explicationibus nominum Ebraicorum, in nomine Mammona.

Inter hęc dum sacris literis dedicatus, à lectione tamen ethnicorum librorum, ut Ciceronis, Platonis, Plauti, & aliorum sibi non temperat, ardenti & periculosa aliquando febri ad desperationẽ usq; conflictans, raptus, adduci se ad turbam circumstantem tribunal cuiusdam præsidentis, uisus sibi est: ubi rogatus à præsidente, quis esset? Christianũ se esse confessus est. Obiurgatus ibi primùm à præside (à quo audijt: Mentiris, non enim Christianus es, sed Ciceronianus) cædi ab eodem deinde iussus est. deprecantibus pro eo adstantibus, ut ueniam adolescentiæ errori daret iudex: iuramentum dare coactus est, nunquam se posthac lecturum Ethnicorum libros. Commemorauit ipse hoc somnium in epistola ad Eustochium, de custodia uirginitatis: ubi, quia seriò id agit, ut ab immodico studio profanorum librorum uirginem deterreat, rem ueram esse simulat, ut qui experrectus, scapulas senserit liuentes, & ex plagis dolorem. Sed somnium fuisse, & noctis ludibrium, idem confitetur in apologia aduersus Ruffinum. Extruxit ex hoc figmen to Hieronymi laudationem Bessarion Nicę nus, sicut indicat Erasmus: quòd eloquẽtia excelluerit, quia ceu Ciceronianus uapularit. Sed quod in quodam de Hieronymo colloquio Theodorus Gaza illusit, ironicè respondens, Hieronymum præter meritũ uapulasse: innuens nimirũ, eum non satis fuisse Ciceronianum.

Ex Syria, posteaquam ibi quadriennium uersatus fuisset, exercitijs illis uacans quę supra retulimus, Romam per Epiphanium Cypri & Paulinum Antiochiæ episcopos retractus est, ob Ecclesiæ necessitates: sicut ipse testatur in epistola ad Principiam. Quo tempore presbyteri (quod ipse nomen multis in locis agnoscit) dignitatem accepisse uidetur. Tametsi ipse in scripto aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, non obscurè indicare uidetur, sibi ab eodem Ioanne manus esse impositas. ut uero non sit absimile, eum aut Hierosolymis, aut in Bethleẽ presbyteri dignitatem accepisse. Nam quod Sabellicus Enneadis septimæ libro nono prodidit, Hieronymum scilicet natum annos uiginti in presbyterorum ordinem lectum fuisse à Liberio, incertum est, & historiæ non satis congruum. Puer enim adhuc grammaticã scholam frequentauit eo tempore, cum Iulianus interijt: & biẽnio pòst Liberius in uiuis esse desijt. Mendaciũ autem prorsus est, quod narratio de Hieronymi uita, Cyrilli cuiuspiam, Cardinalem eum Romæ factum finxit: cum eo tempore ne nomen quidem Cardinalis notum adhuc fuerit. Vtrum autem ad annos triginta nouem iam tum processerit, cum presbyter ordinatus fuit (quod Vincentius scripsit libro decimooctauo, capite decimoquinto) in medio relinquimus. Fortè ibi tum à libellis Synodicis Damaso fuit episcopo, cuius officij meminit ipse in epistola ad Gerontiam, sic scribens: Ante annos plurimos, cum in chartis Ecclesiasticis iuxta rem Damasum Romanæ urbis episcopum, & Orientis atq; Occidentis Synodicis consultationibus respondentẽ, &c. Eo ipso tempore in familiaritatem uenit nobiliũ fœminarum Romæ, ut Marcellę, Sophroniæ, Principiæ, Paulæ, Eustochij, quibus se familiariter conuixisse affirmat ipse triennium, diuinosq; libros pro ingenio suo illis exposuisse: in epistola ad Asellam. Adeò deniq; euasit celebris, ut omniũ iudicio propter uirtutẽ, religionẽ, atq; excellentẽ eruditionẽ dign⁹ iudicatus sit, qui Damaso succederet: quemadmodum ipse retulit in epistola ad Asellã. Sed nec calumnijs & inuidia multorum caruit: nec insidijs etiam adeò Arianorum, qui se falso nomine Origenistas nominabant. Illi enim in amicitias nobilium fœminarum sese insinuabant, & Hieronymum, quòd Origenem laudasset, in societatẽ pertrahere

trahere conábantur. Fuit tum Romæ quoque Ruffinus, nunquam Hieronymi synce-rus amicus. Is fœminis præcipuis, Paulæ, Melanię, Eustochio persuaserat, ut familijs relictis, monachorũ institutũ amplecterẽtur. Quare ingens sibi multorũ odiũ, & obtrectationes cõflauit, sicut ipse testatur in epistola ad Asellã: cum suspicionẽ quidã ei mouerẽt, quòd Paulam amaret: alij subordinarẽt, qui in uulgo spargerent, Hieronymũ cum Paula rem habere. Auxit & hoc ei calũnias, quòd edito libro ad Eustochiũ de uirginitate, falsissimè taxaret clericos, monachos, & uirgines suo indignas nomine. Alij denique post alios aliorũ eum uiciorũ insimulabãt, & insectabãtur. quòd in eadẽ ad Asellã epistola ipse indicat: Ego probrosus, inquit, ego uersipellis & lubricus, ego mendax, & Satanæ arte decipiẽs. Osculabãtur mihi manus quidã, & ore uipereo detrahebãt: dolebãt labijs, corde gaudebãt. Ac mox alius incessum meũ calũniabatur, & risum: ille uultũ detrahebat, hic in simplicitate aliud suspicabatur, &c.

His igitur de causis Roma relicta, Syriam repetijt, cum comitibus Paula (ut ex eiusdem Epitaphio apparet) fratre Pauliniano, & Vincentio presbytero: quemadmodum ipse affirmat in apologia aduersus Ruffinũ, ubi eius profectionis rationem & ordinem commemorat. Rhegium primò uenit. deinde per Maleas & Cycladas in Cyprum appulit, ubi hospitio & consuetudine usus est Epiphanij episcopi. Ex Cypro Antiochiam uenit: ubi Apollinarium Laodicenum se audijsse, ab eoq; in scripturis sacris eruditum fuisse, indicat in epistola ad Pammachium & Oceanum. Conuersatus ibidem & cum Paulino est episcopo. A quo digressus in media hyeme, & frigore asperrimo, uenit Hierosolymam. Inde in Ægyptum contendit, & lustrauit monasteria Nitriæ. Abijt etiam Alexandriã impulsu Paulæ, & sumptibus: ibiq; audiuit Didymum. Fortasis autem inter crebras illas peregrinationes, etiam Constantinopolim petijt Alexandria relicta, ubi audiuit Gregorium Nazianzenum, quem sępissimè suum appellat præceptorem: ut in apologia aduersus Ruffinum: ubi se Gregorio uiro eloquẽtissimo magistro gloriari & exultare ait: item in libris aduersus Iouinianum, & in epistola ad Domnionem, Gregorium (inquit) Nazianzenum & Didymum in scripturis sanctis catechistas habui. Erasmus compertum sibi negat, quo nam in loco Nazianzenum Hieronymus audierit: Cum ipse expresè indicet in principio libri tertij Commentariorum in Esaiam, audijsse se eum Constãtinopoli: De hac uisione, inquit, ante annos circiter triginta, cum essem Constantinopoli, & apud uirum elo-

quentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc eiusdem urbis episcopum, sanctarũ scripturarum studijs erudirer, scio me breuem dictasse, &c. Postremò Bethleem uenit, quo in loco sedem senectuti suæ elegerat: ubi magno labore & precio comparasse sibi nocturnum præceptorem Barrabanum quendam Iudæum, qui interdiu docere Christianos, metuens Iudæos, nõ fuerit ausus, scribit in epistola ad Pammachiũ & Oceanũ. Indicat & multis se nũmis redemisse Lyddæũ quendam præceptorẽ, prẹcipuæ autoritatis apud Hebrẹos, in prẹfatione in librũ Iob: cuius etiã in Cõmẽtarijs in Amos meminit. Sed ubi eũ audierit, nusquã, quod sciam, exprimit. In Commẽtarijs deniq; in Nahũ significat, se multo tẽpore inter Hebræos eruditũ esse.

Atq; ita tandem ex præstantissimorum præceptorum doctrina simul & assiduitate, labore & diligentia, in uestigandis ac meditandis scripturarum sensibus (cui se se studio addictum ab adolescentia fuisse, in epistola ad Domnionem narrat) iudicio confirmato, & præsidio quasi comparato, Theologi nomen profiteri cœpit, & ad enarrandum scripturas animum adiecit.

Cum aũt in cõfinio Bethleemitico Paula quatuor extruxisset monasteria, ipse cõmuni opera cũ Paula, illis præfuit: illi maximè, quod uirorũ fuit. nam tribus reliquis, quæ uirginum erant, Paula fuit gubernatrix. Uixit ibidem loci cum Paula uiginti annis, omne tẽpus consumens orandi psallendiq; consuetudine, uertẽdis sacris uoluminibus, atq; ediffẽrendis diuinis scripturis, quas fratribus & mulieribus assiduè prælegebat. Obijcit ei Ruffinus, quòd nobilium pueros sibi cõmissos, in poetarum ac rhetorũ libris instituerit. Sed id ipse nec negat, nec refellit.

Certamina ibi plurima sustinuit, ab Arianis sibi (qui se tum Origenistas, quemadmodum diximus, nominabant) illata: quæ acerbissimo in eum odio, ingeminauit ei Ruffinus, factionis Origenistarũ signifer. Quamobrem fidem suam cum Romana & Alexandrina ecclesia cõsentientem, ad Marcũ presbyterum Romæ scribere coactus est. epistola ea ad Marcum inter libros eius extat. Scripsit de pugnis illis & exagitationibus Arianorum, duabus epistolis ad Damasum. Atq; huc pertinet, quod in epistola ad Riparium, acriter se aduersus Arianos dimicasse scripsit, sed infeliciter: adeò ut cesserit tandem, ne eorum imposturis corrumperetur. Sed miris eũ modis exercuit dissidiũ illud quod ei cum Ioanne Hierosolymitano, ad cuius dictionem Bethleem pertinebat, ob suspicionẽ hæresis Arianæ interceptit: qui & calumniã ei ob id struxit, quòd fratrem Paulianũ, natum annos uix triginta, presbyterum ordi-

nari

nari Hieronymus curauerat in Syria, ut uiderur: damnauitq; in eo, quòd infra legitimã ætatem ad id dignitatis fratrem euexisset. Interea tamen in magna autoritate apud omnes ubiq; pios erat, adeò ut publicum Christiani orbis oraculum, antrum illud haberetur Bethleemiticum Hieronymi: & ab eius autoritate & iudicio, quicunq; in intelligendis sacris literis quippiam desideraret, penderet. Innotuit tum plurimis præstantibus uiris, qui scriptis permoti suis, non amicitia solum Hieronymi, sed & cõspectu frui satagebãt. Expetijt enim familiaritatem eius ibi primùm Augustinus, misso ad eum Alipio: cum emetiri tantum ex Africa in Palæstinã itineris, tametsi maximè cuperet, ipse non posset. Venit eò & Orosius Hispanus presbyter, ab Augustino missus: sicut testatur Augustinus in libro de animæ ratione, ad Hieronymum. Ipse uerò Orosius in fine historię suæ, quædam se ex eius colloquio didicisse affirmat. Meminit eius colloquij Hieronymus in quadam epistola, tomo 3. Vidit eum ibi & Sulpitius Seuer°, uidit Apodemius ex Gallia, uiderunt & alij complures: quorum in literis suis mentionẽ facit Hieronymus. Paula cum diẽ suũ obijt, ipse in extrema fuit senectute, quẽadmodũ in Paulę testatur Epitaphio. Nunc quæ scripserit, enumeramus.

De scriptis Hieronymi.

Permultã se scripsisse, testatur ipse in scripto aduersus Pelagianos, ubi: Multi sunt (inquit) anni, quod ab adolescẽtia usq; ad hanc ætatẽ, diuersã scripsi opuscula: semperq; hadui studio, audientibus loqui, quod publicè in Ecclesia didiceram: nec philosophorũ argumenta sectari, sed Apostolorum simplicitati acquiescere: sciens illud scriptũ, Perdam sapientiã sapientum, &c. Recitat ipse prolixum Catalogum librorum, quos ad annum usq; Theodosij decimumquartum scripsit, in fine Catalogi scriptorũ Ecclesiasticorum, quos postea indicabimus: prius autẽ de conuersis sacris libris quædam, ex ipsius & aliorum testimonijs, monebimus.

In Apologia aduersus Ruffinum, & in epistola ad Lucinium, ait, se septuaginta interpretum editionem, plurimis annis à se diligentissimè emendatam, studiosis tradidisse. Nouum etiã testamentum græcæ restituisse autoritati: quod ex Greçorũ fontibus sic restitutum, probauit Augustinus, sicut ipse de se in quadam ad Hieronymum epistola affirmat. Indicat etiam se consilium dedisse Hieronymo, de trãsferendis in latinũ Græcis Bibliis. Non consuluisse autem, ut Vetus testamẽtum ex Ebræorum literis transferret: sed quod consilium Hieronymus repudiauit, ac de conuersis ex Ebræorum fontibus Veteris testamenti libris, nonnulla in diuersis locis subinde monuit: ut libro primo contra Iouinianum, ubi conuersa à se in latinum dixit Biblia. In epistola uerò ad Pammachium sic ait: Libros sedecim Prophetarum in latinũ de Ebræo sermone uerti. transtuli nuper Iob in linguam nostram. Lege eundem græcum & latinum.

In Apologia eadem etiam hæc de consilio uersionis Bibliorum in linguam latinam sic monet: Audiant canes uiri, me in hoc uolumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut ea quæ in illa aut obscura sunt, aut omissa, aut certè uitio scriptorũ depraua ta, manifestiora nostra interpretatione fierẽt. De fide uerò & religione in trãslatione adhibita, in præfatione in libros Regum sic ait: Mihi omnino conscius non sum, inquit, mutasse me quippiã de Hebraica ueritate. Et in epistola ad Sophroniũ: Confidenter dicam, inquit, & multos huius operis testes citabo, me nihil duntaxat sentẽtiæ de Hebraica ueritate mutasse. In præfatione in libros Paralipomenon ait, se cõmuni opera aliorum Hebræorũ, laborẽ transferẽdi Biblia ex Ebræo suscepisse, & ad eos profectum se esse in omnes Ecclesias. Narrat se ibidem in Tyberiade cum Iudæo quodam præstanti de libris duobus Paralipomenon contulisse, à ceruice ad extremũ usq; unguẽ. Librum Iob bis se uertisse affirmat: semel nimirum ex Septuaginta, deinde ex Hebraica ueritate: in prefatione in Iob. Addit & ibidẽ, usum se ad intelligendum eum librum conducto magno precio Hebræo quodam Lyddæo, cuius & suprà inter præceptores Hieronymi meminimus. De eadẽ porrò translatione Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 43: Temporibus nostris (inquit) Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritissimus, non ex Græco, sed ex Ebræo, in latinum eloquiũ scripturas Veteris testameti cõuertit. Sed eius tantũ literarũ laborem, quamuis Iudæi fateantur esse ueracem, Septuaginta uerò interpretes in multis erasse cõtendunt. Idem lib. quarto de doctrina Christiana ait, Hieronymi translationem maximè consonã esse Ebraicæ literæ. Dubitari igitur hodie non immerito à multis iudicamus, utrũ illa sit in libris omnib. Hieronymi editio, quæ nostra ætate inscripta diuo Hieronymo uulgò circumfertur, ab Hebraicæ uerò ueritatis tramite crebrò digreditur. Monet in eam sententiam quædam Erasmus, quæ adijcimus: Vetus, inquit, testamentum omne Hebraicæ reddidit ueritati. Tametsi ea qua nunc utimur editio, non uidetur eruditis usquequaq; incorrupta: quòd quædam illinc deprehendantur addita, quæ Hieronymus negat apud Hebręos haberi: quædam secus uersa, quàm

Hieronymus ſcripſit uertenda: ut ſemel atq; iterum indicauimus in Scholijs, quæ traditionibus Hebraicis addidimus. Quanquã ex libris Eſdræ uidetur unum duntaxat uer tiſſe, iuxta Hebræos: Neemiam & Eſdram uinco uolumine complectens. ſic enim ſcri bit in præfatione: Nec quenquam moueat, quòd unus à nobis liber eſt editus, nec apocryphorum tertius & quartus libri ſomnijs delectetur. Tobiam quem inter Hagiographa recenſet, ex Chaldæo uertiſſe uidetur, quemadmodum & Iudith.

De Pſalterio deniq; diuerſis modis ab Hieronymo edito, prolixè quædam Sigisbertus monuit in Chronico, ſub anno Domini trecenteſimo octogeſimoſecundo. Primùm uulgatum quoddã, & in omnibus Eccleſijs uſitatum Pſalterium translatum, ex Septuagin ta correctũ ait. Rurſus uerò eo deprauato, aliud ab eo compoſitum eſſe, quod partim à Septuaginta editione non multum diſcrepa ret, partim cum Hebraico textu plurimũ cõueniret: quod Gallicanum uocatum fuerit Pſalteriũ, ideo quòd in Gallicis Eccleſis cani Damaſus inſtituerit. Sed duo hæc Pſalteria cum ad proponenda teſtimonia de Chriſto contra Iudæos, præterea quæ in Hebræorum libris continentur, nihil recipientes nõ ſufficerent, redditum ait ab Hieronymo tertium quoddam, de Hebraica ueritate in latinum, uerbo ad uerbum, quod Hebraicũ dictum, & à Sophronio in græcum translatum ſit. Hæc Sigebertus.

Quæ Eraſmus in cenſuris librorũ Hieronymi breuius indicauit: Pſalterium, inquit, bis correxit ex editione Septuaginta, obelo ſignatis quę ſupereſſent, aſteriſco quę ex Hebraicis uoluminib. addidiſſet. Teſtis eſt præfatio, cuius initium: Pſalteriũ Romę dudum poſitus, &c. Meminit utriuſq; à ſe conuerſi Teſtamenti in Catalogo ſuo, his uerbis: Nouum teſtamentum græcæ fidei reddidi, Vetus iuxta Hebraicam tranſtuli.

Porrò libros Hieronymi omnes partitus eſt Eraſmus in tres præcipuè claſſes (nam de quarta, quæ tum ſuſpecta, tum ſuppoſititia, tum aliena ab Hieronymi nomine complectitur, nihil dicemus) Quarum prima, paræneticos & paradigmaticos, hoc eſt, qui ad monitiones, inſtitutiones, & argumenta quæcunq; alia ad uitam piè ac honeſtè inſtituendam continet, complectitur. Secunda elenchiticos, & apologeticos, qui ad refellendos hæreticorum errores, & maleuolorum calumnias pertinent, continet. Tertia enarrationes ſacrorum uoluminum. Prioris argumenti libros Tomus habet primus, ut hodie extat: pars etiam tertij & quarti. Alterius uerò argumenti tomus tertius, & poſterioris libri omnes, qui inſunt tomis quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octauo, & ultimo.

¶ Quæ primo tomo inſunt citra controuerſiam Hieronymi γνήσια & propria, Eraſmi cenſura, hæc ſunt:

Ad Heliodorũ ſodalẽ de uita eremitica epiſtola. Meminit eius in Catalogo operũ ſuorum, & exhortatoriã uocat. Scripſit eam admodum adoleſcens, ac penè puer, quemadmodum ipſe teſtatur in epiſtola proximè ſequenti: illud addens, ſeſe in ea calẽtibus adhuc rhetorum ſtudijs, pro illius ætatis ratione, ſcholaſtico flore luſiſſe. Eraſmus.

Ad Nepotianum de uita clericorum & ſacerdotũ epiſtola. Citantur ex ea in decretis multa, compluribus in locis.

Ad Heliodorum, epitaphium Nepotiani.

Ad Ruſticum monachũ, uiuendi forma.

Ad Florentium, epiſtolæ duæ breues.

Ad Lætam, de inſtitutione filiæ.

Ad Demetriadẽ, de ſeruanda uirginitate. Scripſit eam epiſtolam, ſicut ipſe teſtatur, iam ferè decrepitus. Cenſet autem Eraſmus, eius orationem à præcedentibus Hieronymi Epiſtolis nonnihil uariare. Sed nihil pronunciat.

Ad Saluinam, de ſeruanda uiduitate.

Ad Furiam, de uiduitate ſeruanda.

Ad Gerontiam uiduam, de Monogamia.

Ad Paulinum, de inſtitutione monachi.

Ad Marcellam, de laudibus Aſellæ.

Ad Principiam uirginem, Marcellę uiduę Epitaphium.

Paulæ & Euſtochij epiſtola ad Marcellã, ut Bethleem commigret, Hieronymi opera ſcripta. Eraſmus.

Ad Marcellam epiſtola, ut Roma relicta, in rus Bethleemiticum ſeſe conferat. (lis.

Ad Euſtochiũ, de acceptis ab ea munuſcu

Ad Marcellam, de acceptis munuſculis.

Ad Paulum Concordienſem.

Ad Euſtochium, de cuſtodia uirginitatis. Edidit eam epiſtolam bis: ſemel Romæ, deinde poſt decennium, impulſu Nepotiani in Bethleem, quemadmodum ipſe ait in epiſto la ad Nepotianũ. De eadẽ epiſtola ad Demetriadem ſic ſcribit: Ante annos circiter triginta de uirginitate ſeruanda edidi librum, in quo neceſſe mihi fuit ire cõtra uitia, & ꝓpter inſtructionẽ uirginis, quã monebã, diaboli inſidias patefacere. Qui ſermo offendit plurẽs mos, &c. Et in Apologia ꝓ libris aduerſus Iouinianũ: In lib. ad Euſtochiũ multo duriora de nuptijs dixim⁹. Conciliaſſe ſibi Hieronymũ, odiũ acerrimũ multorũ ea ipſa epiſtola, quòd liberi⁹ in ea reprehẽderit clericos, monachos et uirgines, ſuprà meminimus: quod & Ruffinus inter cętera ei crimina obijcit, ꝙ in ſuſcepto de inſtitutione uirginis argumẽto, omniũ omnia crimina ꝓdiderit. Meminit huius

huius epistolæ & Seuerus Sulpitius in quodam dialogo, sed cum laude. Erasmus. Indicat Hieronymus in Catalogo, eum librũ conuersum fuisse in Græcum, à Sophronio.

Ad Marcellam, de ægrotatione Blesillæ.

Ad Marcellam, de exitu Leæ. Meminit eius epistolæ in epitaphio Paulæ, atq; Romæ scriptam à se fuisse ostendit, eo nimirũ tempore, cum illuc per Epiphaniũ & Paulinum episcopos è Syria retractus, Marcellæ cæteriſq; nobilibus fœminis Romæ innotuerit.

Ad Paulam, super obitum Blesillæ filiæ. Meminit eius consolatorię ipse in Catalogo librorũ suorum. & in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum indicat, se eam consolationem ad Paulam scripsisse Romæ.

Ad Pammachium consolatio, super obitu Paulinæ uxoris.

Ad Eustochium uirginem, epitaphiũ Paulæ matris.

Ad Lucinium epistola.

Ad Theodoram, epitaphiũ Lucini Betici.

Ad Oceanum, epitaphium Fabiolæ.

Ad Theophilum Alexandrinum.

Ad Abigaum.

Ad Castrutium.

Ad Iulianum.

Ad Exuperantium hortatoria.

Ad Castoriam materteram.

Ad Iulianum diaconum. Scripsit hanc epistolam iuuenis ex eremo, quam primùm relicta patria adijt, Heliodoro comite.

Ad Theodosium, & cæteros Anachoritas. Scripsit & hanc iuuenis ex deserto Syriæ.

Ad uirgines Hermonenses.

Ad Ruffinum.

Ad Chromatium.

Ad Chrysogonum monachum.

Ad Antonium, de Modestia.

Ad Rusticum, seu uerius ad quendam cuius nomen Hieronymus data opera prætermisit: ne in narratione de lapsu, famam eius notaret. Erasmus.

De uitando suspecto contubernio. Indicat ipse in narrationis eius fine, & in alia quadã epistola, argumentum illud à se declamatorio modo tractatum.

Obiurgatio grauis in Sabinianum diaconum.

Ad Euagriũ, de muliere septies icta. Lusit in ea epistola Hieronymus artificio scribendæ historiæ, & exercitio styli. Erasmus.

Vita Pauli eremitæ. Lusit in eo argumento Hieronymus exercitandi ingenij gratia. Meminit eius narrationis in librorũ à se scriptorum Catalogo ipse.

Vita sancti Hilarionis.

De uita Malchi captiui monachi. Meminit utriusque narrationis in librorum suorũ Catalogo.

Est in numero librorum Tomi prioris, ad Celantiam matronam, de forma piè uiuendi epistola: quam nõ esse Hieronymi, Erasmus pro re certissima affirmat. Suspicatur autem esse Paulini episcopi Nolani: & rationes nõnullas recitat in argumento, à quibus tamen rursus uariat in tertio librorum, qui tomis Hieronymi insunt, ordine.

Est & epistola titulo ad Augustinum, quę incipit: Cum in urbe leges, &c. de qua censet, nec constare à quo, nec ad quẽ sit scripta: stylumq; magis referre Augustinum, quàm Hieronymum. Sed nec clausulam quidem epistolæ concordare cum Hieronymi cõsuetudine: Ad quos nos perducat, qui uiuit et regnat in secula seculorum, Amen.

De Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymi.

Catalogus scriptorum Ecclesiasticorũ ad Dextrum, Hieronymi citra controuersiã est. Incipit ab Apostolis: post quos, celebres scriptores usq; ad eam ætatẽ qua Hieronymus ipse scripsit, enumerat. Vertit idẽ opus græcè Sophroni⁹, qua etiã lingua extat. Meminit eius libri his uerbis in epistola ad Desideriũ: Scripsi, inquit, librũ de illustrib. uiris ab Apostolis usq; ad nostrã ætatẽ, imitat⁹ Tranquillum, græcumq; Apolloniũ. Et post Catalogum plurimorum, me quoq; in calce uoluminis, quasi abortiuũ & minimũ omnium Christianorũ posui: ubi mihi necesse fuit, usque ad 14 annum Theodosij principis, quæ scripserã, breuiter annotare. Meminit eiusdem & in apologia aduersus Ruffinũ, sed cũ Ruffini malę fidei reprehensione, his uerbis: Ante annos fermè decẽ, cum Dexter amicus meus, qui prętecturã administrauit prętorij, me rogasset, ut autorum nostræ religionis ei indicem texerẽ, inter cæteros tractatores posui & hunc librum à Pamphilo editum, ita putans esse, ut à te & eius discipulis fuerat diuulgatum. Sed cum ipse dicat Eusebi⁹, Pamphilum nihil scripsisse, &c.

De Hieronymi Chronicis.

Eusebij Cæsarienſis Chronicon Hieronymus, ut historiam eius, probauit, ac de græco in latinam linguã transtulit. Meminit eius in Catalogo, & in apologia aduersus Ruffinũ, & in epistola quadã ad Damasum. Adiecit autem etiam ipse Chronicon aliud continuũ, Eusebij Chronico: ibi scilicet incipiens, ubi Eusebius desinit, ab anno trecentesimo trigesimo Christi, usq; ad annũ trecẽtesimũ octogesimum primũ, annos complectens 50.

De illis quæ ex Origene ab Hieronymo translata, γνήσια uidentur Erasmo.

Extant inter Origenis opera latina facta, quædam, quorum interpres fuit Hieronymus, Erasmi iudicio: ut in Hieremiam homiliæ quatuordecim, cui operi iniustè adempta

est præfatio Hieronymi. Homiliæ item tredecim in Ezechielẽ, Erasmi indicatione, cũ inter opera Origenis habeantur etiam quatuordecim: & in catalogo suo Hieronymus meminerit tot in utrumq; prophetã homiliarũ, uiginti scilicet octo: pro quibus Erasmus in censuris de Hieronymi libris, uigintiseptem tantum numerauit.

Homiliæ in Lucam trigintanouem, cum præfatione Hieronymi.

In epistolã Pauli ad Romanos, commentariorum Origenis libri decem: Hieronymo interprete, cum eiusdem præfatione.

Videtur ipse eius trãslationis meminisse in apologia aduersus Ruffinũ, ubi adolescentem se, homilias Origenis quas ad populũ ille declamitauerat, trãstulisse ait simpliciter. Itẽ, septuaginta homilias eius se trãstulisse.

TOMVS SECVNDVS.

¶ Quæ secũdo tomo insunt omnia, Erasmus, ut ab Hieronymo aliena, tametsi quædam non inerudita prorsus sint, seperauit. Censuram eius subijcimus.

Secundũ uolumen in tres diuisimus classes: in quarũ primã retulim⁹ quædã nõ inerudita quidem illa, nec indigna lectu, sed tamẽ falsò inscripta Hieronymo. In proximã aliena, sed quæ suis titulis autorẽ testãtur. In tertiam, uelut in sentinã reiecim⁹, ineptissimas ineptias impostoris haud scio cuius, de quo meritò dubites, infantior ne sit, an indoctior, an impudentior. is mihi certè, quisquis fuit, uidetur dignissimus, quẽ publicis odijs ꝓsequantur omnia secula: qui de omniũ ætatum ingenijs tam malè senserit, ut sperarit neminem futurum qui possit insani rabulæ nænias, ab eloquentissimi, doctissimi, suauissimiq; uiri libris dignoscere. In nuncupatoria præmissa primo tomo.

Idem in censura ad lectorẽ, præfixa tomo secundo: Habes in hoc tomo, lector optime, primùm ea, quæ tametsi docta sunt, tamẽ hactenus falsò inscripta fuerunt Hieronymo. Deinde uaria opuscula prius admixta libris Hieronymianis, sed tamen suis titulis indicantia cuius authoris sint. Tertio loco, permulta meo iudicio non admodum dĩgna, in quib. pius & erudit⁹ lector ociũ aut negociũ suũ collocet: & tamẽ hactenus impudẽtissimè Hieronymo, Augustino, Cyrillo, Eusebioq; inscripta. Quod si quis nõ accedit nostro in hac re iudicio, nihil est quòd obturbet. habet omnia quæcunq; prodita fuerant in superiorib. editionibus, nõnullis etiã adiectis: & habet eadẽ tum nitidius excusa, tum emẽdatius, quàm unq̃ antehac fuerint. Fruatur suo quisq; iudicio. Admoniti sunt, qui quærũt elegantiora: nõ læsi sunt, qui ueteri gustu malunt esse contenti.

Nunc catalogũ omniũ eorũ quæ secundo tomo cõtinentur, subijcimus: quorũ singulorum censuras qui expetent, ex eodẽ tomo præfixas unicuiq; libro cognoscant.

In prima serie tomi secundi sunt hæc.

Ad Demetriadẽ uirginem: de uirginitate.

Augustini & Alipij ad Iulianam, Demetriadis uirginis matrem, superioris epistolæ (tate.
castigatio.

Ad Gerontij filias, de cõtemnẽda hęreditate.

Ad Marcellam, ut aduersa toleret, exhortatio.

Ad uirginẽ in exilium missam, cõsolatio.

Ad amicum ægrotum.

Ad amicum ægrotum, de uiro perfecto.

De cognitiõe diuinę legis, ad amicũ quen (dam.

De tribus uirtutibus.

Ad Paulam & Eustochium de assumptione beatæ Mariæ uirginis, sermo.

De assumptione B. Marię uirginis, sermo.

De honorandis parentibus.

De septem gradibus Ecclesiæ.

De laude uirginitatis.

De his quæ Deo in scripturis sanctis attribuuntur, seu de membris Dei.

Damasi symbolum.

Symboli explanatio ad Damasum.

Explanatio fidei ad Cyrillum.

Symbolum Ruffini.

Ad Præsidium, de cereo Paschali.

De uera circumcisione.

De celebratione Paschæ.

In Susannam lapsam obiurgatio, cum inuectione ad corruptorem, & consolatione ad lapsam.

In Euagrium obiurgatio, quòd Leuitam lapsum non consolatus sit.

De decẽ tentationibus populi Israelitici.

Explanatio in Psalmum quadragesimum primum.

Explanatio in Psalmum centesimum decimumseptimum.

Ad Dardanum de diuersis generibus Musicorum.

De resurrectione Domini, sermo.

De Natiuitate Domini, sermo.

De Epiphania Domini, sermo.

Sermo de Quadragesima.

In Vigilia Paschæ de agni esu, sermo.

De resurrectione Domini, sermo.

Ad Eustochium, de uinculis beati Petri.

De obseruatione Vigiliarum. Ex hac homilia bonam partem transscripsit in Regulã monachorum lupus quispiam, alba (quod aiunt) amusi quiduis congerens, quo longius redderet uolumen.

Ad Militem, ut Christo militet.

Ad Pammachiũ & Oceanũ, exhortatoria.

Ad quendam, qui in seculo pœnitebat.

De diuersis generibus leprarum.

De duobus filijs, frugi & luxurioso.

Secunde

Secundæ seriei Tomi secundi hæc insunt, aliena scilicet, sub suis tamen titulis.

Paulini, ad Sebastianũ eremitam epistola.

Apologia Pamphili martyris pro Origene, quam falso à Ruffino ipsius autore tributam, Hieronymus aliquoties in apologia cõtra Ruffinũ, & aduersus Pelagianos testatur.

De adulteratione librorũ Origenis, Ruffini epistola ad Macarium.

Eádem de re, ex Origenis epistola.

Prologus Ruffini in περὶ ἀρχῶν Origenis, ad Macarium.

Fragmentum librorũ περὶ ἀρχῶν Origenis.

Ruffini ad Anastasium Romanæ urbis episcopum, apologia pro fide sua.

Anastasij Romani episcopi, ad Hierosolymorum episcopum de Ruffino sententia.

Inuectiuarum Ruffini in Hieronymum liber primus & secundus.

Augustini quæstio ad Hieronymum, ex epistola Iacobi, de eo quod scriptum est, Qui totam legem seruauerit.

Eiusdẽ ad Hieronymũ, de ratione animæ.

Eiusdem, de origine animæ, ad Optatum.

Eiusdem, de pastoribus Homilia.

Valerij, de non ducenda uxore ad Ruffinũ epistola.

Gennadij Catalogus illustrium uirorum.

Regula monachorum ex Hieronymi scriptis consarcinata, per Lupum quendam Oli uetanum, cum adprobatione Martini quinti Pontificis: cum titulis, de obediẽtia, de tribus generibus monachorum in Ægypto, de castitate, de paupertate, de utilitate paupertatis, de correctione & doctrina præsidentis, de solitudine, de laudibus & utilitate eremi, de periculo uitæ solitariæ, de periculo habitandi in urbibus: de abstinentia, & præcipuè à carnibus: de abstinentia philosophorum antiquorum sacerdotũ, aliorumq; sanctorum. De temperatis ieiunijs: de contemplatione, oratione, & lectione: de uigilijs, de uestibus, de laboribus manuũ: de laude religionis, & de inductione ad eam: de laude & detractione uitanda, & periculis huius uitæ: de iuramento, uindicta, mendacio, stultiloquio prohibendo. De patiẽtia, recõciliatione, & mortuis non lugendis: de tribulationibus & opprobrijs perferendis: de timore ultimi iudicij, & defectu huius uitę: de uirtute humilitatis & simplicitatis, &c. De humilitate Christi imitanda, de iusticia & uitæ rectitudine. De fide, spe & timore: de charitate & pace, de infirmis & pauperib. recreandis, de pœnitentia & misericordia Dei. Finis cõcludẽs Regulam: quam impudẽtissimus impostor, quisquis is fuit, fingit ab Hieronymo cẽtenario scriptã: cum Prosper tradat, eũ unũ & nonaginta natum annos, uita decessisse. Erasmus.

Dialogus sub nomine Hieronymi & Augustini, ex utriusque scriptis ab incerto autore collectus.

De corpore & sanguine Christi, Homilia incerti autoris.

Homilia super Euangelium Matthæi, incerti autoris.

Petri Pauli Vergerij Iustinopolitani de diuo Hieronymo sermo.

Tertiæ seriei Tomi secundi insunt hæc:

Ad Tyrasiũ, super morte filiæ consolatio.

Ad Oceanum, de perferendis opprobrijs hortatoria.

Ad eundem, de uita clericorum.

Damasi ad Hieronymum epistola.

Hieronymi ad Damasum respõsio. Extat utraq; & in primo tomo Conciliorum.

Scriptorũ eccleſiasticorũ ad Desyderium catalogus. (morũ.

Ad Paulam & Eustochiũ, de uirtute Psal-

Ad Damasum, de oblationibus altaris.

Regula monachorum, comprehensa capitibus quadraginta uno.

Chromatij ac Heliodori episcoporum ad Hieronymum epistola.

Ad eosdem, Hieronymi responsio.

De natiuitate sanctæ Mariæ.

Eusebij de morte Hieronymi ad Damasum narratio.

Augustini ad Cyrillũ Hierosolymitanũ, de magnificentijs Hieronymi.

Cyrilli ad Augustinum, de miraculis Hieronymi.

Vita diui Hieronymi, incerto autore.

TOMVS TERTIVS COMPLECTENS ἐλεγκτικὰ & ἀπολογητικά.

¶ De perpetua uirginitate Mariæ aduersus Heluidiũ. Meminit eius libri in Catalogo: item in epistola quadã ad Eustochiũ, his uerbis: Quãtas molestias habeãt nuptiæ, & quot solicitudinib. uinciãtur, in eo libro quẽ aduersus Heluidiũ de beatæ Marię perpetua uirginitate edidim⁹, dixi. Et in apologia pro libris aduersus Iouinianũ: Dum adhuc uiueret, inquit, sanctæ memoriæ Damasus, librũ cõtra Heluidiũ de perpetua beatæ Mariæ uirginitate scripsim⁹, in quo necesse fuit nobis ad uirginitatis beatitudinẽ prædicandã, multa de molestijs dicere nuptiarũ. Indicat & libro 13 Commentariorũ in Ezechielem, se Romæ aduersus Heluidium hæreticum in adolescentia paruum scripsisse librum.

Aduersus Iouinianũ libri duo. Meminit eorum in Catalogo, & in epistola ad Furiam his uerbis: Scio me ante hoc fermè bienniũ edidisse libros contra Iouinianum, quibus uenientes è contrario quæstiones, ubi Apostolus concedit secunda matrimonia, scripturarum autoritate contriui.

Pro ijsdem libris aduersus Iouinianũ apologia ad Pammachium. Ait in ea, se à quibusdam

busdam reprehensum fuisse, quòd nimius fuisset, & plus uirginitati quàm matrimonio tribuisset.

Pro ijsdem apologeticon ad Domnionẽ, contra monachum, in Hieronymum declamitantem, quòd in libris illis contumelioſè scripsisset aduersus matrimonium.

Ad Pammachium, pro libris aduersus Iouinianum epistola.

Aduersus Vigilantium, ad Riparium presbyterum uelitatio.

Aduersus Vigilantium, de colendis martyrum reliquijs liber conuicijs plenus.

Ad Marcellam, aduersus Montanum.

Ad Riparium.

Ad Damasum, de hypostasibus Arianorũ: epistola scripta accuratè, cum primùm in Syriam profectus esset, & non procul ab Antiochia sedem suam posuisset.

Ad eundem, eadem de re.

Orthodoxi & Luciferiani dialogus. Meminit eius in Catalogo.

Ad Auitum, quid sit cauendum in libris περὶ ἀρχῶν.

Ad Pammachium, aduersus errores Ioannis Hierosolymitani.

Aduersus Ioannem Hierosolymitanum, ad Theophilum epistola.

Ad Pammachium & Oceanum, de erroribus Origenis.

Ad Ruffinum.

Ad Pammachium & Marcellam, apologia aduersus Ruffini calumnias.

Eiusdem apologiæ aduersus Ruffinum liber secundus.

Ad ipsum Ruffinum apologia.

Aduersus Pelagium, ad Ctesiphontem.

Aduersus eundem, dialogorum libri tres.

Ad Marcellam.

Ad Vigilantium hortatoria, ut resipiscat.

Ad Tranquillinum, Quatenus legendus Origenes.

Ad Marcum presbyterum Celadensem, de fide sua.

Ad Pammachium & Marcellam, de opprimendis Origenistis.

Ad Alipium & Augustinum.

Ad Augustinum gratulatoria.

Ad Augustinum alia.

Ad Marcellinum & Anepsychiam epistola familiaris.

Ad Oceanum: An qui alteram uxorem à baptismo duxerit, possit fieri sacerdos.

Ad Magnum oratorem Romanum, quatenus utendum literis prophanis.

Ad Euagrium, de discrimine inter episcopum, sacerdotem, presbyterum & diaconũ.

Ad Augustinũ, de mẽdacio in literis sacris.

Ad eundem epistola alia.

Ad eundem familiaris alia.

Ad eundem alia, de Orosio presbytero, hospite suo.

Ad eundem salutatoria alia.

Alia rursus ad eundem.

Ad Asellam, deprecatio criminis amoris in Paulam.

Alia, in Orosium obtrectatorem.

Ad Pammachium, de optimo genere interpretandi. Meminit eius libri in apologia aduersus Ruffinum.

Ad Marcellam, defensio interpretationũ.

Quæ in eodem tomo insunt, non Hieronymi, hæc sunt.

Ad Aproniũ epistola: cuius stylus suspect' est Erasmo, quasi qui Hieronymi nõ sit, &c.

Epiphanij epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, quam in odium Ioannis eius & Ruffini Hieronymus latinã fecit. Meminit eius in apologia aduersus Ruffinũ, & se eam transtulisse indicat Theophili iussu.

Præfatio Ruffini in libros περὶ ἀρχῶν Origenis.

Pammachij & Oceani ad Hieronymũ epistola, ut se purget à calumnijs Ruffini, & probet alienum se ab erroribus Origenistarum.

Theophili Alexãdrini epistola ad Epiphanium, ut Synodo cõuocata, Origenistarum hæresim damnet.

Hieronymi ad Theophilũ responsio, quã docti alicuius præter Hieronymum censuit esse Erasmus, iudicio ex stylo.

Theophili ad Hieronymũ alia, de explosis & damnatis Origenistis.

Hieronymi ad Theophilum.

Eiusdem tituli ad eundem alia.

Theophili alia ad Hieronymũ, de ejicendis hæresim Origenistarum clam fouentibus.

Epiphanij ad Hieronymum nunciatoria, de damnata per Theophilum Origenistarũ factione.

Augustini ad Hieronymum epistola, de mendacio & translatione ex Hebraica ueritate, quam improbat Augustinus: nefas scilicet esse ducens, à Septuaginta autoritate uspiam discedere. Monuimus & hæc suprà.

Augustini eadem de re, alia rursus.

Rursus eadem de re, alia: Qua etiam noui Testamenti ex græcis probat fontibus restitutionem: sed idem fieri in ueteri Testamento ex Hebræorum literis dissuadet. Monuimus & hæc suprà.

Augustini ad Hieronymum alia.

Eiusdem alia rursus ad Hieronymum, ut concordiam tueatur.

Augustini ad Præsidium, ut epistolá Hieronymo reddendam curet.

Augustini ad Hieronymum alia rursus, de mendacio.

TOMVS QVARTVS.

¶ Quartus Tomus cõplectitur ἐξηγηματικὰ, hoc

hoc est, ea quæ ad enarrationem diuinæ scripturæ faciunt. Sunt autem hæc:

Ad Paulinum, de studio sacrarũ literarum.
Præfatio in Pentateuchum uersum.
In Iosue uersum præfatio.
In libros Regum uersos præfatio.
In Paralipomena uersa præfatio.
In eadem præfatio alia ad Domnionem & Rogatianum.
In Esdrã & Nehemiã præfatio ad eosdem.
In Tobiam præfatio, ad Chromatiũ & Heliodorum.
Præfatio in Iudith.
In Hester uersum præfatio.
In Hiob præfatio, ex Hebræo uersum.
In Hiob è Septuaginta uersum præfatio.
In Prouerbia Salomonis præfatio.
In Ecclesiasten uersum præfatio.
In Esaiam ex Hebræo uersum præfatio, ad Paulam & Eustochium.
In Hieremiam uersum præfatio.
In Ezechielem uersum præfatio.
In Danielem uersum præfatio.
In duodecim prophetas uersos præfatio.
In Ioelem præfatio.
In quatuor Euangelia castigata præfatio, ad Damasum.
Ad quæstiones Damasi responsio.
De Melchisedech, ad Euagrium.
De quadraginta mansionibus Israelitarũ ad Fabiolam.
Ad eandem, de uestitu sacerdotum.
Ad Dardanum, de terra promissionis.
De Ephod bad, ad Marcellam.
De iudicio Salomonis pueri, ad Ruffinũ.
De Salomone et Achaz patribus ante tempus, ad Vitalem.
De Tharsis, ad Marcellam.
De ordine & titulis psalmorũ, ad Sophronium.
Emendatio Psalterij in certis locis, ad Suniam & Fretelem.
De decẽ mysticis nominibus Dei, ad Marcellam.
Ad eandem, Quid Hebræis sit alleluia.
Ad eandem, Quid sit Sela.
Expositio psalmi octogesiminoni, ad Cyprianum.
Expositio psalmi quadragesimiquarti, ad Principiam.
Expositio psalmi cẽtesimi uigesimisexti, ad Marcellam.
Expositio primæ uisionis Esaiæ, ad Damasum.
Ad eundẽ de Seraphim & calculo radenti.
Responsio ad quęstionẽ Damasi, de Osanna.
Ad eundem, de frugi & luxurioso filio.

Meminit eius libri contra Iouinianum libro secundo, his uerbis: Super parabola de frugi & luxurioso filijs, libellum quendam Damaso episcopo, dum adhuc uiueret, dedicaui.

De tribus quæstionibus, ad Amandum.
De quatuor quęstionibus, ad Marcellam.
Ad eandem, de blasphemia in Spiritum sanctum.
De duodecim quæstionibus, ad Nedibiã.
De undecim quæstionibus, ad Algasiam.
Homiliæ duæ Origenis ab Hieronymo uersæ, ad Damasum.
Expositio loci Pauli: Non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur. ad Minerium & Alexandrum.
De duabus quæstiunculis, ad Paulinum.
Ad Desyderium epistola familiaris.
Ad Paulam Vrbicam, interpretatio alphabeti Hebraici.
Traditiones seu Quæstiones Hebraicę in Genesim. Meminit ipse eius operis libro commentariorũ in Esaiam. Ipse de ijsdem in procemio earũ sic ait: Lectorem obsecro, ut in libris Hebraicarũ quæstionũ, quas in omnem scripturã sanctam disposui scribere, non quærat eloquentiã, non oratorum lepõrem: sed magis inimicis pro nobis respondeat, nouo operi ueniam concedendam. Meminit earum & in Catalogo. de eo Erasmꝰ sic censuit: Nonnihil suspicor, hoc opus à studioso quopiam abbreuiatũ fuisse: propterea quòd Hieronymus in locis Hebraicis, subinde relegans nos huc, testatur se copiosius quædã in hoc libro tractasse: cum ea aut prorsus nõ inueniantur, aut pauciss imis attacta.
Traditiones seu quæstiones Hebraicæ in libros Regum.
Traditiones seu quæstiones Hebraicæ in Paralipomena.
Loca Hebraica uersa ex Eusebio. Meminit eorum in Catalogo.
Loca Actorum.
Nomina Hebraica secundum ordinem literarũ ex Philone, sed omissis quibusdam, nonnullis immutatis: demũ additis nonnullis ab Hieronymo, sicut ipse testatur in præfatione. Citatur ab eo locis aliquot, liber Hebraicorum nominũ: & quædam interpretationes reprehenduntur, quas tamen inuenimus in hoc opere. Meminit eius libro septimo cõmentariorũ in Esaiam, et in Catalogo.
Quæ huic Tomo insunt ab Hieronymo aliena, sunt Quæstiones tres ueteris legis Damasi, & eiusdem Quæstio de Osanna.

Erasmi de traditionibus seu quæstionibus in libros Regum & Paralipomena, censura.

Traditiones Hebraicę in libros Regũ et Paralipomenõ, quanq̃ Hieronymꝰ in prefatione, quã prefixit traditionib. Hebraicis in Genesim, polliceri uidetur, se similia traditurũ in omnes sacrę scripturę libros: tamẽ mihi nõ

uidetur hoc opus esse Hieronymi, quamuis eruditũ, & ad cognitionẽ sacræ scripturæ uehementer conducibile. Primùm, nulla præfatio testatur autorẽ. Deinde stylus dilutior est, ac facilior Hieronymiano. Ad hæc Hieronymus diligentius docet, & plus inculcat græcarũ & hebraicarum uocũ. Postremò hic quisquis fuit, alicubi propemodum fatetur se nescisse hebraicũ. Proinde an hæc è græco fortassis Eusebij doctus aliquis uerterit, aut ex Hieronymianis & aliorũ cõmentarijs collecta sint, omissis his quę lectorẽ latini tantũ sermonis gnarũ torquere poterant: alijs conijectandum relinquo. Hæc in ordine & indicibus librorum Hieronymi Erasmus.

Idem ante initium traditionum earũ sic: Quæstiones seu traditiones hebraicæ in libros Regum, parum liquet quo autore: nisi quod probabile est, quædam ex Hieronymi cõmentarijs, quos in præfatione pollicetur, per studiosum quempiam decerpta.

Eiusdem de locis ex Actis Apostolicis censura.

Hoc opus ob eruditionẽ mihi planè Hieronymi uidetur, nisi quodam in loco citaret Hieronymum: uerùm hoc ipsum, haud scio an è marginali spacio annotatum, in contextum traductum sit: quemadmodum sæpenumero factum deprehendimus.

TOMVS QVINTVS, COMPLECTENS *commentarios in Prophetas quos Maiores uocant.*

¶ In Esaiam cõmentariorũ, iuxta utranq; translationem, ad Eustochium libri octodecim. Meminit in ijsdem libris explanationũ uisionum Esaiæ, in epistola quadam ad Eustochiũ, hoc nomine: Visiones Esaiæ obscurissimas, nuper historica explanatione disserui. Meminit eiusdem operis lib. septimo cõmentariorum in Esaiã, ubi explanationẽ eã uocat historicã. Ait & de uisione Esaiæ cap. 63, lib. 3 Commentariorum in Esaiam: Ante annos circiter triginta, cum essem Constantinopoli, & apud uirum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum sanctarũ scripturarũ studijs erudirer, scio me breuẽ dictasse subitumq; tractatum, &c.

Indicat autem ipse, se eos commentarios in Esaiam dictasse notarijs suis, iam senio cõfectum: in procœmio libri decimi eorundem commentariorum.

In Hieremiam commentariorum libri sex, ad Eusebium.

In Lamentationes Hieremiæ libri tres, de quibus hæc in posteriori editione Erasmi censura est: In Lamentationes Hieremiæ libros tres, priore editione recẽsueram⁹ inter gnesia, credentes totum Commentariorum opus unius esse autoris, quemadmodũ & in cæteris prophetis. Doctus quidã admonuit, sibi uideri Bedę: cuius hoc præcipuũ fuit studium, ut ex ueterum libris contexeret suorum commentariorum ueluti centones. Et in his quędam reperias ex Gregorij libris ad uerbum descripta.

Præfatio Commentariorum in orationẽ Hieremiæ.

In Ezechielem commentariorũ libri quatuordecim. Meminit eorũ in epistola ad Magnum cellinum & Anapsychium, tom. 3.

In Danielem Commentariorũ liber unus, quem Augustinus lib. uigesimo de Ciuitate Dei, capite uigesimotertio, satis eruditè & diligenter conscriptum testatur.

TOMVS SEXTVS, COMPLECTENS *commentarios in prophetas, quos dicunt Minores.*

¶ In Hoseam commentariorũ libri tres, ad Pammachium.

In Ioelem commentariorum liber unus, ad eundem.

In Amos commentariorum libri tres, ad eundem.

In Abdiam commentarius, ad eundem.

Indicat ipse in præfatione, hunc Commentarium à se iuuene scriptũ, postea fuisse retractatum.

Commentarij in Ionam, ad Chromatiũ.

Commentariorum in Micheam ad Paulam & Eustochium libri duo. Meminit eorũ in Catalogo.

Commentarius in Nahum, ad easdẽ. Meminit eius in Catalogo.

Commentariorũ in Habacuc libri duo, ad Chromatium. Meminit eorum in Catalogo.

Commẽtarius in Sophoniam, ad Paulã & Eustochium. Meminit eius in Catalogo.

In Aggæum commentarius, ad easdem. Meminit eius in Catalogo.

Commentariorũ in Zachariam libri tres, ad Exuperium.

Commentarius in Malachiam, ad Minerium & Alexandrum. Interpretatũ se utrũq; anno sexto consulatus Arcadij & Anicij, admonet ipse in procœmio in librum tertium Commentariorum in Amos.

Quæstiones in Abacuc, quæ cõmentarijs in eundẽ prophetã adiunctæ sunt, Bruno ex stylo censet non esse Hieronymi: sed ex eius scriptis ab aliquo studioso collectas.

Porrò de diuersis iudicijs multorũ super enarrationibus suis, Hieronymus ipse hæc protulit in præfatione in Micheam: Mihi, inquit, in explanatione scripturarum sudanti, accidere uideo, ut alij quasi parua contemnant, & quicquid dixerimus contrectare despiciant: alij odio nominis nostri nõ res, sed personas cõsiderent, magisq; aliorũ silentiũ quàm rerũ studiũ probẽt. Sunt qui audacter nos facere adserant, quòd arripiamus opus, quod

quod nullus ante nos Latinorum tentare ausus sit, Quidam in eo se disertos arbitrantur, & doctos, si alieno operi detrahant: & nō ipsi quid possint, sed quid nos tantum possimus, dijudicent.

Quid deniq; de Commentarijs suis sentiri uelit, nō obscurè declarat, ubi Micheę caput secundū enarrans ait: Exposui, iuxta quod mei ingenioli patiebantur angustiæ. Et paulo pòst: Si quis autem in lege Domini die ac nocte meditatus, maius habuit studium, maius ingenium, otium gratiamq;, & potest de præsenti capitulo probabilius aliquid dicere, nō inuideo, nō aspernor: quin potius cupio ab eo discere, quod ignoro: & libēter me discipulū profitebor, dummodo doceat, & nō detrahat. Sic nec dissimulat quidē, ubi in difficilibus & obscurioribus Prophetarū locis quippiā nō assequitur: sed ingenue cōfitetur. Quemadmodū libro sexto, & duodecimo Commentariorū in Ezechielē ait: Ignosce lector difficultati locorū: aut si melius quid inuenire potes, doce: libēter discimus, quod nescimus. Et ibidem: Ignosce lector difficultati, & ueniam tribue pauperi intelligentię.

TOMVS SEPTIMVS.

¶ Septimus ea complectitur, quæ partim citra suspicionē putātur esse Hieronymi, partim aliorū. Hieronymi sunt, cōmētarij in Ecclesiasten, quorū Hieronymus ipse meminit in Catalogo, & in scripto aduersus errores Ioannis Hierosolymitani. In epistola quoq; ad Marcellinū, his uerbis: Lege opuscula mea, & maximè in Ecclesiasten cōmentarios: & liquidò peruidebis, me ab adolescētia nunq; alicuius autoritate deterritū, acquieuisse hęreticę prauitati. Eos igitur ex ipsissima Hieronymi officina ꝓdijsse testatur Bruno. cuius de cōmētarijs in parabolas Salomonis, priori loco in hoc tomo collocatis, etiā hæc censura est: Nō clā me est, candide lector, cōmētarios in ꝓuerbia Salomonis Hieronymi non esse. Nā id uel hinc deprehenditur, q, tota dicendi figura, ab Hieronymiana dictione modis omnib. dissidet. Quin Gregorius semel atq; iterū in hoc opere citatur. Vetustissimi quidā codices in membranis scripti, Bedę uendicabāt. Certè cuius cuius sint, Hieronymi nō esse, ipsi clamant. Eadē fermè Erasmus: In Prouerbia, inquit, Salomonis libros tres, uel hinc apparet nō esse Hieronymi, q, in his citetur Gregorius: quanquā & alioqui omnia longè lateq; dissident ab Hieronymianis. Is qui adornauit Venetā editionē, graue putat argumentū, quòd hinc quædam citantur in epistolis decretalibus Hieronymi nomine. Suspicatur autem, à Beda è diuersis collectū opus: cui coniecturæ non admodū reclamo.

De quatuor homilijs in Cantica Canticorū, quę commentarios in Ecclesiasten in hoc tomo subsequūtur, id rursus censent uterq;: Homilię quatuor in Cantica canticorū, quas è uolumine Epistolarū in hunc tomū retulimus, sint Origenis, nec ne, nolo in p̄sentia disputare. Certè multa sunt, quæ eas Latini hominis esse, nō Græci, cōprobant. Illud ausim affirmare, etiāsi Gręci hominis sint, Hieronymū nō uertisse. Bruno. Eadē ꝓpemodū Erasmus: In Cantica, inquit, canticorū homiliæ quatuor, absq; p̄fatione in nōnullis exēplaribus Hieronymū autorē præferebāt: quemadmodū testatur & Merlinus, autor editionis apud Lutetiā Parrhisiorū, operū Origenis. Verùm Hieronymi nō esse, primùm ipse stylus palàm arguit. Deinde q, nulla sit addita p̄fatio, quomodo in duas homilias nō neglexit. Neq; uerò Hieronymus in Catalogo testatur, se scripsisse quatuor homilias in Cantica, sed duas duntaxat: nimirū ex Origene uersas. Pręterea an Origenis sit hoc op⁹, addubitari potest: q, Hieronym⁹ in p̄fatione quā p̄fixit duab. illis à se translatis, testatur Origenē bis scripsisse in Canticū canticorū: adolescentē homilias duas, deinde copiosissimū cōmentariū decē explicatū uoluminib. Hoc autem quatuor absolutū est homilijs: nisi fortè præfationi tribuuntur duo uolumina, & singulæ homilię bina uolumina cōplectuntur.

Rursus de Commentarijs in Iob, postremo loco in hoc tomo collocatis, hęc Bruno: De Commentarijs in Iob, quos antiquissimus codex è bibliotheca sancti Galli huc allatus Hieronymo tribuebat, idem mihi dicere licet, quod Erasmus noster de Pandectis Iustiniani quodā loco scribit: uidelicet centones esse, & inæquales Glossariorū rhapsodias. Et Erasmus inquit: Commētarij in Iob itidē à studioso quopiā è uarijs collecti sunt, fortasis à Beda. nam liber caret præfatione.

TOMVS OCTAVVS.

¶ Octauo Tomo insunt Commentarij in Psalteriū, Hieronymo falsò adscripti: etiāmsi non omnino uacāt eruditione, quēadmodū Amerbachi⁹ cēsuit. Addim⁹ de illis & Erasmi iudicium: Cōmētarij quos habem⁹ in omne Psalterium Hieronymi titulo, palàm ipsi præ se ferūt, q, nō sint unius autoris. Si quis autē meū requirat iudiciū, nihil illic esse arbitror Hieronymi: uerùm una pars est hominis, quisquis fuit, planè docti, & sermonis expoliti, longè tamē discrepantis ab Hieronymiano. nam hic minus habet nitoris ac lenitatis, pl⁹ neruorū: deinde ubiq; copiosior ac diligentior, & magis ostentans suas opes. altera pars est locuteleij cuiuspiam, ac penè dixerim rabulæ, & nisi me fallit nasus, eiusdē qui sermones suos Augustini nomine nobis dedit, pręter alia multa bella. Cui⁹ rei si quis gustū cupiat sumere, in ipsa statim præfatione cōferat initia cum fine, & uidebit subitò

nouum

nouum scriptorem. Quanquam & ea coniectura arguebat nõ esse Hieronymianũ opus, q, nec titulus, nec epistola cuiusquã habeat nomen. Vnde suspicor, illũ suã nullo edidisse titulo, & librarios Hieronymi nomẽ addidisse. Et fortasis hic est ille, cuius meminit Gennadius, quẽ ait nõnulla uertisse Origenis, sed data opera titulis ademptis: cuius esse suspicor & annotationes in libros Regũ ac Paralipomenon. Sed ut, quod cœperã, absoluã: qui uoluerit impostură deprehendere, legat attentè commentarium in Psalmum septuagesimumseptimũ. Rem quidẽ ille sumpsit ex Commentarijs in Matthęũ: cæterùm eam suis ornauit flosculis. Ineptit suis dialogismis, delirat exclamationibus, balbutit acyrologijs, superfluit perissologijs. legat in Psalmum 80, in Psalmũ 90: ubi doctè scilicet exponit, quid sit σύμπλωμα, cũ plures cadunt. Verùm ut in genere dicã, ipsa battologia & dictionis character hominem ubiq; arguit.

Appendici huius tomi inest Psalteriũ qua druplex: Hebræum uidelicet, cum Hieronymi uersione, uulgo Hebraica ueritate appellata: & Græcũ, cũ translatione uulgata autoris incerti, nõnunquã διὰ διὰ πασῶν ab exemplari græco dissidens. Bruno Amerbachius.

TOMVS NONVS.

¶ Quæ Hieronymi esse γνήσια, hoc est, legitima & genuina, tum ex stylo, tũ ex testimonijs ex illis ipsis alibi citatis, Bruno & Erasmus censuerunt, sunt hæc:

Commentarij in Matthæum ad Eusebiũ. Meminit eorum ipse in epistola ad Hedibiã.

Commentariorum in epistolam ad Galatas libri tres. Meminit eorum in Catalogo. Augustinus prolixa epistola, quædam in ijsdem commentarijs, de officiosis scilicet mendacijs in scripturam sanctam admissis, reprehendit: & Hieronymum hortatur, ut canat palinodiã, sed quæ Hieronymus excusat. In eadem uerò causa Erasmus putat neutrum alterum intellexisse, in præfatione in Chrysostomum. Lutherus uerò in enarratione capitis secundi ad Galatas, in eo ipso negocio Paulũ affirmat ab Hieronymo non satis intellectum.

Commentariorum in epistolam ad Ephesios libri tres. Meminit eorum in scripto aduersus errores Ioannis Hierosolymitani his uerbis: In explanatione epistolæ ad Ephesios, arbitror sensum animi mei prudentibus explicitum. Et in apologia aduersus Ruffinum sic: In commentarijs ad Ephesios sic Origenem & Dydimũ & Apollinarium secutus sum, qui certè contraria inter se habent dogmata, ut fidei meæ non amitterem ueritatem.

Commentarij in epistolam ad Ticium & Paulam, & Eustochium.

Commẽtarij in epistolã ad Philemonẽ, ad easdem. Meminit utriusq; libri in Catalogo.

De Spiritu sancto Didymi liber, latinè conuersus ab Hieronymo. Ipse de eo in Apologia aduersus Rufinum meminit his uerbis: Didymi, qui certè in Trinitate catholicꝰ est, librum de spiritu sancto in Latinam linguã interpretationem eius libri primùm à Damaso fuisse impulsum: qui priusquam absoluerit eam, diem suum obierit.

In eodem Tomo, quæ ab Hieronymo aliena putantur, hæc sunt.

Canones Euangeliorum Eusebij.

Cõmẽtarij in Marcũ, planè suppositicij, & Hieronymo impudentissimè inscripti, quãdo ne pilũ quidem habent Hieronymianæ eruditionis. Bruno. In eo commentario nihil inuenies, quod iure tribuas Hieronymo. Erasmus. Idem & alios adhuc in Marcũ cõmentarios reperiri indicat, Hieronymi tumulo, sed in quibus deprehendantur quædam ex Gregorio decerpta.

Euangelium Lucæ sine commentarijs, sed ex uetustis exemplaribus aliquanto emendatius, in hoc additum, ut respondeat canoni quatuor Euangelijs communi. Bruno, Erasmus.

Euangelium Ioannis eodem adiectũ consilio, sine commentarijs.

Commentarij in omnes Pauli epistolas, collecti à studioso quopiam nõ indocto, sed admixtis quibusdã alterius parum eruditi. Præfationem addiderat nescio quis ad Heliodorum, Hieronymi nomine, uehemẽter infulsam & infantem. Erasmus. De ijsdẽ Amerbachius hæc in censura huic Tomo præfixa. Cõmentarios in omnes diui Pauli epistolas, Hieronymo uendicabat codex quidã obsoletæ uetustatis, Gotthicis Characteribus exaratus: sic sanè pplexis, & iã præ uetustate euanidis, ut coacti fuerimus in elementariorũ ordinem rursus descendere, & quod in ludo puelli faciũt, literarijs apiculis noscitãdis operã dare. Sed & ij indigni sunt iudicandi, q Hieronymo tribuantur. Quando enim sic ineptit Hieronymus, ut hic interpres, quis is demum fuit? quando sic balbutit, ut hic frequentissimè solœcissat? Et aliquanto pòst: Quanq; in ijs ipsis in Marcũ & Paulũ cõmentarijs quædã inuenire licet, quæ doctis etiã placere possint: nimirũ ex Hieronymi penu deprõpta, à studioso uidelicet aliquo, q cũ pcurrisset Hieronymianas lucubrationes, in hoc multa sublegerit, ut deinde suis admisceret, quo ueriꝰ huiꝰ fuci merito Hieronymꝰ uideri posset. Et rursus aliquãto pòst: Cæterùm ut detur, etiã inter multas paleas aliquod granulũ repiri: cũ tantũ superfit Hieronymi scriptorũ, istos cõmentarios nigro calculo

calculo notamus: & indignos censemus, in quibus legendis studiosi bonas horas male collocent.

De his quæ ex Origene uersa, falsò tributa sint Hieronymo, Erasmi censura.

Quæ ex Origene translata, falsò adscribi Hieronymo interpreti, partim ex styli ratione, partim ex defectu præfationũ, partim ex indoctis aliquorum iudicijs, Erasmus putet, hæc sunt:

In Genesin homiliæ septendecim, ex Origene uersæ.

In Exodum, homiliæ tredecim.

In Leuiticum, homiliæ sedecim.

In Numeros, homiliæ uigintiocto.

In Iesum Naue, homiliæ uigintisex.

In libros Iudicum, homiliæ nouem.

Commentariorum in Iob libri tres.

In Mattheũ, homilię trigintasex Origenis.

Quæ præfationes in libros Biblicos falsò adscribantur Hieronymo.

Indicat Erasmus etiã præfatiões aliquot, quæ nõ in tomis quidem, sed in Biblijs quibusdã habeãtur, falsò tribui Hieronymo. ut:

Duas præfationes in Psalterium: quarum alterius initiũ sit, Dauid filius Iesse: alterius, Liber Psalmorum.

Duas rursus præfationes in Prouerbia Salomonis, quarum initia: Tribus uoluminibus, tres libros.

Præfatio in Iob, cuius initiũ: In terra quidem habitasse Iob.

Præfatio in Marcum: Marcus Euãgelista.

Præfatio in Lucam: Lucas Syrus.

Præfatio in Ioannem: Hic est Ioannes.

De libris Hieronymi amißis, ex indicatione Erasmi.

¶ Libri postremò Hieronymi, qui uel temporũ iniuria, uel hominũ incuria, uel æmulorum inuidia interciderunt, quorum tamẽ subinde Hieronymus meminit, sunt hi:

Libri Clementis, Apostolorum comitis, in latinũ uersi sermonem, efflagitante Gaudentio: cuius operis meminit in peroratione Commentariorum Origenis in epistolã ad Romanos.

Interpretatio in Prophetã Abdiam prior, quam scripsit adolescẽs, & nondum satis in diuinis exercitatus literis. Meminit huius operis in præfatione quã promisit posterioribus in eundem prophetam Commẽtarijs.

Libri quatuor περὶ ἀρχῶν Origenis, quos testatur à se uersos: deinde corruptos librariorum uitio, ad Pammachij preces denuò trãstulit, quos opinor ob inuidiã Origeniani nominis suppressos. Nam quos hodie legimus, Ruffini sunt interpretis. Meminit eius interpretationis frequẽter: ut in epistola ad Lucinũ, in apologia aduersus Ruffinũ. In libro aduersus errores Ioãnis Hierosolymitani, & in epistola ad Pammachiũ & Oceanũ his uerbis: Quid laboris in libris transferendis περὶ ἀρχῶν sustinuerim, uestro iudicio derelinquo: dum & mutare quippiã de Græco non est uertentis, sed euertẽtis: & eadem ad uerbum exprimere, nequaquam eius qui seruare uelit eloquij uenustatẽ. Et ibidẽ: In libris, inquit, περὶ ἀρχῶν simpliciter quod in Græco habebatur expressi.

Epistola quædã ad Paulam, cui annexuerat indicem, siue elenchon omniũ operũ Origenis, conferens ea cum operibus Marci Varronis πολυγραφωτάτου: cuius & alibi meminit. Ex eo Ruffinus hæc recensẽt secundo inuectiuę suæ libro: Quęritis uidelicet, ut ad Adamantium, nostrumq; calcenterũ ueniamus: qui tanto in sanctarũ scripturarũ labore sudauit, ut iustè Adamantij nomẽ acceperit. Vultis nosse quanta ingenij sui reliquerit monumenta? sequens titulus indicat. Scripsit in Genesim libros, &c. nã extat liber in tomo huius operis secundo inter aliena.

Euangelium Hebraicum, Nazarenorum, siue Ebionitarum, quod sibi exhibitũ ex bibliotheca Cæsarienſi, transtulit in linguam Greçam ac Latinam, & ex eo locis compluribus quædam adducit.

In libro Hester, quem uertit ex Hebræis, alphabetũ addiderat ex minio, usq; ad theta literã, diuersis in locis, ad eum modum ordinem Septuaginta notans studioso lectori, cum ipse Hebraicum ordinem sequi mallet. Atq; hæc laboris pars nobis perijt.

Librum Iob bis uertit: primùm ex editione septuaginta, obelis iugulans quæ apud Hebræos non haberentur, & asteriscis illustrãs quæ ex Hebræorũ uoluminibus essent addita. Atq; huius laboris, qui nobis perijt, extat tamẽ testis præfatio, cuius initium: Si aut fiscellã iunco texerẽ. Rursus ex ipsis fontibus, hoc est, Hebræo, Arabico, Syroq; sermone, quòd is liber mixta quadã lingua cõscriptus sit. Huius laboris extat præfatio testis, cuius initium: Cogor per singulos, &c. Hoc obiter admonere uisum est, quòd in uulgatis codicibus inuerterint has præfationes. Cæterùm hæc editio, qua nunc utimur, utra sit, mihi parum liquet.

Psalteriũ bis correxit: primùm Romę agẽs: rursum in Bethleemitico rure, obelis & astẽriscis notãs quę supereſsẽt in editiõe Septuaginta, aut quę ipse ex Hebręorũ fontib. addidisset. Quanq̃ sunt q̃ dicãt, hũc laborẽ extare.

Prouerbia Solomonis & Ecclesiasten pri⁹ ex editiõe Septuaginta castigarat per obelos & asteriscos: qui labor nobis perijt. Testatur in præfatione, cuius initiũ: Iungat epistola.

Danielem Hebraicis scriptum literis, sed sermone Chaldæo, ex ipso fonte transtulit: sed obelo iugulatis, historia Susannæ,

næ,hymno trium puerorũ, & fabula draconis.Notas abiecimus.

Nouum Testamentũ Græcæ fidei reddidit:qui labor si extaret, aut non fuisset nobis eadem in re laborandũ,aut certè illius studio plurimùm fuissem⁹ adiuti. Condidit & canonẽ quatuor Euangeliorũ, quid inter illos conueniret aut dissonaret, quid cui deesset.

In Catalogo scriptorũ illustriũ testatur,se scripsisse tractatus sex à Psalmo 10. usq; ad decimumsextũ: hoc est,in singulis illius ordinis tractatus singulos. Sic enim legitur in uetustissimis exemplaribus,assentiẽte & interprete Græco Sophronio. Id operis apparet interijsse. Nec enim has breues quas habemus annotatiũculas in Psalmos,uero consentaneum est ab eo tractatus uocari: maximè cum habeamus aliquot eiusdẽ tractatus: uelut ad Cyprianum, in Psalmum octogesimumnonum:ad Principiam, in quadragesimum:ad Marcellam,in centesimũ uigesimũsextum. Atq; huius fuisse generis probabile est, quos ibi dixit tractatus. Scripturam diuinam fuæ linguę hominib.tradidit: hoc est, Dalmaticè uertit. At hodie piaculum existimant, sacras literas uulgata legi lingua.

Theophili liber Paschalis eruditus & eloquens, ab Hieronymo uersus, ut indicat in epistola, cuius initium:Ex eo tempore.

Canon Hebraicæ ueritatis, cuius meminit in epistola ad Lucinium.

Emendauit editionem Septuaginta, ut testatur in eadem.

Bis scripsit in Mattheum, ut indicat in epistola,cuius initium:Satis miror.

In epistola ad Domnionem, significat se uertisse Commẽtarios Alexandri. Is qui sit, tum qui fuerint Commentarij, nusquam ab eo clarius expressum est.

Multos deniq; Hieronymi libros Trithemius numerat,quorum aliquot etiam initia apposuit, sed qui in Tomis non habẽtur:nec de illis quicquam in prolixa quamuis illa de libris Hieronymi cõmemoratione, Erasm⁹ aut monuit,aut censuit. Nec uero simile est, eos à Trithemio monacho unquã uisos.ut,

De octogintaquatuor hæresibus liber,cuius initium : Simoniaci à Simone. Idem ferè est initiũ tomi secũdi libri primi Epiphanij.

In epistolã Pauli ad Romanos,libri quinq;.
In duas ad Corinthios epistolas,libri duo.
In epistolã ad Thessalonicẽses, li. quatuor.
In epistolam ad Colossenses,liber unus.
In duas ad Timotheum,libri tres.
In epistolam ad Hebræos,liber unus.
In epistolas Canonicas,libri septem.
In acta Apostolica liber unus.

¶ Adijcimus ad finem Hieronymi eruditionis & industriæ commẽdationem, quam in præfatione in tomum secundũ librorum eius Erasmus texuit, in hunc modum: In optimo Theologiæ genere primas tenet diuus Hieronymus (de Latinis loquor) & ita primas tenet, ut omnes post se longo relinquat interuallo: & adeò neminem habemus, quem ullo pacto cum hoc cõferre possimus, ut inter tam innumerabiles theologos uix quenquam habeat & ipsa docta Græcia, qui nostrum æquet Hieronymum: si modò non unam aliquã laudem,sed uniuersas eius dotes simul expendas. Tantam uno in homine reperias secularium, ut uocant, literarum cognitionem,tantam omnis antiquitatis peritiam,tot linguarum absolutam scientiã,tam admirandam locorum & historiarum omnium noticiam,tam non uulgarem mysticorum uoluminum eruditionem,tantum inimitabilis eloquentiæ,tam exactum ubiq; iudicium, tam sacrum afflati pectoris ardorẽ, rerum adeò diuersarũ tam digestam ac præsentem memoriam, tam felicem iuxta ac diuitem mixturam, denique tanto lepore condita seueritatem: ut quemadmodũ per se facundi,si cum Cicerone conferantur,protinus uideãtur obmutescere: ita cæteri doctos res, quos citra collationem suspicimus, cum Hieronymo cõpositi, uix sapere, uix loqui, uix uiuere uideantur. Atq; id quidem haud in illorum contemptum, sed in Hieronymi gloriam dictum uideri uelim: qui suarum ex cellentia uirtutum,aliorum laudem non minuit,sed admotus obscurat. Reliquos ut limpidos riuos admireris : hic ceu diues quodam & aureum flumen, uniuersas opes secum uoluit ac defert. Et in eadem præfatione, quanquã nimium hyperbolicè: Sunt in Hieronymo, inquit, peculiaria quædam, quæ nemo Christianorum nec habuit, nec affectauit:Ingenij diuina quædã uis, mira facunditas,ardor incomparabilis,eloquentia, sanctimonia,diuinarũ literarũ cognitio, studiorum feruor, &c. Quam laudẽ plurimorũ, scilicet quibus excelluerit, donorum & uirtutum, etiam alibi ei tribuit:ut in uita eius, Philelphum confutans, qui eloquentia Hieronymum extitisse cẽsuerit, nihil de cæteris eius ornamẽtis adijciens : in quo loco & Augustino superiorem fuisse pugnat.

Ipse etiam de ingenij sui integritate hæc pronunciauit in libro aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, ubi : Ab adolescentia, inquit, in monasterij clausus cellulis,magis esse uolui aliquid,quàm uideri. Nimis tamen acerbum eum fuisse,& acrius interdum quàm Christianum decuerit excanduisse, sensit olim Augustinus, & nostra memoria Franciscus Philelphus. Erasmus. Quin & tantam eius fuisse inuidiam, ut ab ea obruetur uirtus doctrinæ, Palladius sibi à Possidonio in aurem dictum scripsit.

DE HIERONYMI DOCTRINA.

DE SCRIPTVRA, pronunciat aliquot grauissima testimonia. ut in epistola ad Iulianum, quæ inter epistolas Tomi primi extat: Ad scripturarum sanctarum grauitatem confugimus, ubi uulnerum medicina est, ubi morborum certa remedia.

Libro primo Commentariorum in Ezechielem cap. 1. In Euangelijs nihil est quod non luceat, & splendore suo mundum illuminet: ut etiam quæ parua putantur, & uilia, Spiritus sancti fulgeant maiestate.

In Commentarijs in primum caput ad Ephesios: Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in diuinis scripturis, plena sunt sensibus. In caput quintum ad Galatas: Nulli sine uerbo Dei credendum est. In epistola ad Magnum oratorem, doctrinas uocat Herculis clauam. In epistola ad Nepotianum: Diuinas scripturas sæpius lege, imò nunquã de manibus tuis sacra lectio deponatur: discce, quod doceas. Et libro primo aduersus Iouinianum: Est in uerbis simplicibus semper diuinarum scripturarũ sensus augustior.

De Deo.

Enarrans dictum Ecclesiastæ quinto: Cor tuum non festinet ad proferendum uerbum in cõspectu Dei, ait eo pręcipi, ne aut loquentes, aut cogitantes, plus de Deo quàm possumus opinemur, sed sciamus imbecillitatem nostram: quòd quantum distat cœlum à terra, tantum nostra opinatio à natura illius separetur.

In Epistola ad Damasum: Quis Dei potest scire principium, qui antequam istum mundum conderet, interim fuerit in æternitate: quando thronos, dominationes, potestates, angelos, &c. condiderit?

In Commentarijs in Ionam: Deus natura sua misericors est, & paratus ut saluet clemẽtia, quos non potest saluare iusticia.

De Trinitate.

Magna fiducia prædicat se profiteri eandẽ fidem, quam profiteatur Oriens & Occidẽs, in epistola ad Marcum presbyterum: ubi & de Trinitate dicit, se tres subsistentes, ueras, integras, perfectas personas indefessa uoce pronunciare: epistola extat tomo tertio. Rursus in epistola quadam ad Damasum, in eodem tomo, significat se amplecti & propugnare fidem synodi Nicænæ de tribus personis. Ac disertè ait: Sufficiat nobis dicere unã substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Et lib. 3. Commentariorum in Ezechielem: Trinitas, cum patris, filij, & spiritus sancti diuidatur nominibus, tamen una sibi diuinitate coniungitur. Et alibi: Omnipotens Deus pater, & filius, et spiritus sanctꝰ, unus atq; trinus, unus uidelicet in natura, trinus in personis, solus inuisibilis, solus immensus atq; incomprehensibilis, &c.

DE CHRISTO, In tertium caput ad Galatas: Christus cum secundum Deum unum sit ipse cum patre, secundum mediatoris officium alius ab eo intelligitur. In expositione catholicæ fidei: Sic confitemur, in Christo unam filij esse personã, ut dicamus duas perfectas & integras esse substantias: id est, deitatis & humanitatis, quæ ex anima continetur & corpore. Libro sexto Commentariorum in Ezechielem: Cum inquit Christus, Pater quod dedit mihi omnibus maior est, & nemo potest rapere de manu patris mei: ex eo perspicitur una patris filijq; potestas, uirtus atque substantia. Si enim de filij manu, quæ dedit pater, nemo potest rapere: & hæc eadem in patris manu sunt, quæ non rapiuntur ab eo: liquidò comprobatur, omnia patris & filij esse communia: et in filij manu tenere patrem, sicut patris manu tenentur quæ filij sunt. Libro decimoquarto Cõmentariorum in eundem: Filius Dei suscepit corpus humanum, & per peccatum destruxit peccatũ, qui pro nobis dolet, & portat infirmitates nostras. Et libro decimoquarto Commentariorum in Esaiam: Quod pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificãs per sanguinem crucis suæ.

DE SPIRITV SANCTO, ad Hedibiã quæstione nona: Quicquid patris & filij est, hoc idem & spiritus sancti est. Et ipse spiritus sanctus cũ mittitur, à patre & filio mittitur. In alio atq; alio loco spiritus Dei patris, & Christi spiritus appellatur. Vnde & in actibus Apostolorum, qui Ioannis baptismate fuerant baptizati, & credebant in Deum patrem & Christum, quia spiritum sanctum nesciebant, iterum baptizantur: imò tunc uerum accipiunt baptisma. Absq; enim spiritu sancto, imperfectum est mysterium Trinitatis. Libro secundo Commentariorum in Esaiam, capite quarto, ait: Spiritum sanctum in baptismo abluere sordes, & remittere peccata. Libro primo Commentariorum in Lamentationes Hieremiæ: Videndum (inquit) nobis est, ne propter iniquitates nostras habitaculum pectoris nostri deserat inhabitator Spiritus sanctus.

DE CREATIONE. Libro nono Commentariorum in Ezechielem, capite uigesimooctauo: Quod scriptum est, Perfectus in uijs tuis à die conditionis tuæ, ostendit omnem creaturam bonam à Deo conditam, & perfectam habuisse uirtutem: ut deinceps macula non sit naturæ, sed uoluntatis.

In Commentarijs in Ecclesiasten, capite tertio: Idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus est, & iussit humanis usibus elemen-

ta seruire, ut homines hæc uidentes, intelligant esse prouidentiam, & timeant à facie Dei, dum ex rerum æqualitate, cursu, ordine atq; constantia intelligunt creatorem. Inuisibilia enim Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, &c. Libro decimotertio Commentariorum in Esaiam: Non aliam ob causam Deus creauit terram, nisi ut hominum esset habitaculũ, qui suum adorarent & intelligerent creatorem. Libro nono Commentariorũ in Ezechielem: Omnis creatura bona est à Deo condita, & perfectam habuit uirtutem: & macula non naturæ est, sed uoluntatis. Libro primo Commentariorum in epistolam ad Ephesios, capite primo: Volens Paulus ostendere, quòd Deus uniuersa sit machinatus ex nihilo, non conditionem, non creaturam atque facturam, sed καταβολήν, id est, initium fundamenti ad eum retulit, ut non iuxta Manichæum, & cæteras hæreses, quæ factorem & materiam ponunt, aliquid, unde creaturæ factæ sint, anteceſſerit creaturas, sed omnia ex nihilo substiterint.

DE ANGELIS BONIS. Sensit omnes angelos in mutabili natura à Deo conditos esse: id enim probari ex lapsu aliquorum eiusdem naturæ. Sed post eos lapsos, qui lapsi sint, nullum eorum amplius cecidisse: quia ad obedientiam & amorem Dei omne eorum liberum arbitrium conuerterint. In Commentarijs in Hiob. Ibidem & de officio angelorum: Ipsis est cura, inquit, iniuncta à Deo, ut diuersis hominibus uel nationibus defensionis siue custodiæ suæ opem ferant. Et in Commentarijs in Danielem: Duplex, ait, angelorum officium est. aliorum qui iustis præmia tribuunt, aliorum qui singulis præsunt cruciatibus. Libro tertio Commentariorũ in Matthæũ: Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu natiuitatis, in custodia sui angelum deputatum.

DE LAPSV ANGELORVM MALORVM. Libro primo Commentariorum in epistolam ad Galatas, capite primo: Angeli sunt mutabiles, qui non seruauerunt principatum suum, sed relinquentes proprium domicilium, in iudicium magni diei uinculis æternis sub caligine reseruantur. In Commentarijs in caput trigesimum Esaiæ ait: Diabolus seipsum ab initio decepit, regnum suum arbitratus æternum, cum eum gehennæ maneant supplicia. In Commentarijs in Ionæ caput quartum, Negat restare Diabolo pœnitentiam & restitutionem. In Commentarijs in Ecclesiasten, capite secundo. Omnibus per pœnitentiam ad integrum restitutis, solus Diabolus in suo permanebit errore. Cuncta enim quæ sub sole facta sunt, illius arbitrio & spiritu malignitatis euersa sunt, &c.

DE HOMINE. Initio expositionis capitis octaui Ecclesiastæ, bonos ait à Deo homines conditos, sua sponte ad peccatum delapsos esse. In Commentarijs in Ionam: Cum Deus quasi quandam pulcherrimam domum seruituro sibi homini extruxisset, deprauatus est homo propria uoluntate, &c. In caput Esaiæ quadragesimumseptimum: Ex quo perspicuum est, naturam bonos, uoluntate malos fieri: homo in semetipso errauit, non natura, sed mentis arbitrio.

DE LIBERO ARBITRIO. Libro secundo aduersus Iouinianum: In bonis, inquit, operibus perfector est Deus. Non est enim uolentis, neque currentis, sed miserentis & adiuuantis Dei. Et libro primo aduersus Pelagianos: Fidelis est Dominus, qui seruabit uos, & custodiet à malo. Ergo non liberi arbitrij potestate, sed Dei clementia conseruamur. Libro secundo contra Pelagianos: Non liberi arbitrij potestate, sed Dei clementia conseruamur: manet, data impossibilia naturæ, possibilia gratiæ. Ibidem: Frustra semper oramus, si in nostro arbitrio est facere quod uolumus. Et in epistola ad Cyprianum: Homo à principio conditionis suæ Deo utitur adiutore: & cum illius sit gratiæ quòd creatus est, illiusque misericordiæ quod subsistit & uiuit, nil boni operis agere potest absque eo qui ita concesit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret, ne libertas arbitrij redundaret ad iniuriam conditoris: & ad eius contumaciam, qui ideo liber conditus est, ut absque Deo nihil esse nouerit.

PECCATVM ait inesse omnibus hominibus, quantumuis sanctis, libro tertio aduersus Pelagianos, ubi ait: In prophetis quoque unctis spiritu sancto inuentum esse sermonem peccati. Et ex Ignatio citat, Apostolos ipsos, & Martyres, super omnes homines fuisse peccatores. Addit etiam: Fac aliquem baptizatum, uel statim, uel in ipsis diebus morte subtractum: & concedam tibi, quod concedere non debeo, nec cogitasse aliquid, nec locutum, in quo errore & ignorantia laberentur. Num ideo sine peccato erit, quia uidebitur non supersse, sed fugisse peccatum? ac non potius, quia Dei misericordia de peccatorum carcere liberatus, migrauit ad Dominum? Idem epistola octogesimaoctaua: Affectus & perturbationes, quàm diu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne

carne circundamur, moderatè regere possumus, amputare non possumus. Et in epistola ad Rusticum: Iob qui iustus & immaculatus ac sine querela in principio uoluminis sui scribitur, postea & Dei sermone, & confessione sui, peccator arguitur. Si Abraham, Isaac & Iacob, prophetæ quoque & Apostoli nequaquam caruêre peccato, si purissimum triticum habuit mixtas paleas, quid de nobis dici potest? In enarratione capitis sexti ad Galatas ait, etiam spirituales peccare posse.

De Peccato originali ait, in explicatione capitis secundi epistolæ ad Ephesios: Nos dicimus omnes homines natura filios iræ, uel propter corpus humilitatis, corpusque mortis, & quòd ab adolescentia mens hominum apposita sit ad malitiam: uel quòd ex eo tempore, quo possumus habere noticiam Dei, & ad pubertatem uenimus, omnes aut opere, aut lingua, aut cogitatione peccemus. Libro sexto Commentariorum in Ezechielem: Punit Deus filios in tertiam & quartam generationem, quia patrum extiterunt æmulatores, & oderunt Deum, hæreditario malo & impietate in ramos quoque de radice crescente. Quin & Augustinus libro primo, capite quinto, de origine animæ, pronunciat Hieronymum de peccato originali sentire iuxta catholicam fidem. & citat dictum eius ex Commentarijs in Iob: Tenemur rei in similitudinem præuaricationis Adæ.

DE LEGIS CEREMONIALIS abrogatione, libro aduersus Pelagianos: Mandata, inquit, in lege obseruare debemus, quæ ad uitam & mores corrigendos pertinent, de quibus dictum est: Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos. Quæ autem ad ceremonias legis & ritus sacrificiorum pertinent, relinquenda sunt. Libro primo Commentariorum in Esaiam, capite primo: Dicendo se hostias non quæsisse, ostendit quia lex spiritualis sit: & omnia quæ Iudæi carnaliter faciunt, à nobis impleri spiritu. In epistola ad Damasum: Lex iusticiæ tenax, clementiam non habebat. Sed quicunque adulter, homicida, fraudator, & (ut breuiter dicam) mortali crimine tenebatur, nulla uenia pœnitentiæ laxabatur à crimine, &c. Omnes igitur declinauerant, simul inutiles facti erant, &c. Vbi autem abundauit peccatum, superabundauit gratia. Et misit Deus filium suum, factum ex muliere, qui destructo medio pariete, fecit utraque unum: & auferitatem legis, Euangelij gratia temperauit. Libro tertio aduersus Pelagianos: Multis testimonijs suprà didicisti, legem nullum potuisse complere. Si autem Apostolus ad comparationem gratiæ Christi, quæ prius lucra arbitrabatur in lege, reputauit quasi stercora, ut Christum lucrifaceret: quanto magis nos scire debemus, ideo Christi & Euangelij gratiam successisse, quia in lege nemo iustificari potuit? Quæstione octaua ad Algasiam: Quomodo medicina non est causa mortis, si ostendat uenena mortifera, licet his mali homines abutantur ad mortem, ut uel se interficiant, uel insidientur inimicis: Sic lex data est, ut peccatorum uenena monstret, & hominem malè libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improuidus, & per præcipitia labebatur, freno legis retineat, & compositis doceat incedere passibus, ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ. In Commentarijs super tertium caput Ecclesiastæ: Lex quippe rigida, imbenigna, non parcens, peccantem interficit: Euangelij gratia miseretur, & ad pœnitentiam prouocat.

DE EVANGELIO. In Commentarijs in tertium caput ad Galatas: Scientes quòd non possimus ex legis opere, sed ex Christi saluari fide, credidimus in Christũ: ut quòd lex nobis non dederat, fides tribueret, quam habebamus in Christo.

DE IVSTIFICATIONE. Libro aduersus Pelagianos: In Deuteronomio perspicuè demonstratur, non in operibus nostris atque iusticia, sed Dei misericordia nos conseruari, dicente Domino per Mosen: Ne dicas in corde tuo, &c. In Commentarijs in Iob: Ab infernalibus ergastulis, inter immensas abysi aquas constitutis, nullus homo merito suo liberatus est, nisi gratia Domini nostri IESV Christi. Libro quarto Commentariorum in Esaiam, & libro quinto Commentariorum in Ezechielem: Non ob merita, sed ob gratiam & fidem Christi, Deo reconciliati sumus. In explicatione capitis quarti epistolæ ad Romanos: Conuertentem impium per solam fidem iustificat Deus, non per opera bona quæ non habuit. Libro aduersus Pelagianos: Mariam beatam dicit esse non proprio merito atque uirtute, sed Dei in se habitantis clementia. Ibidem: Secundum propositum gratiæ Dei, qui proposuit gratis per solam fidem peccata dimittere. Et ibidem: Vt omnes qui ex gentibus credunt, filij sint Abrahæ, dum & illis sola fides ad iusticiam reputatur.

DE BONIS OPERIBVS, in expositione tertij capitis ad Galatas: Bona opera ideo facimus, non quia iudicem formidamus: sed quia scimus ea ei placere, in quem credimus. Libro decimoquarto Commentariorum in Ezechielem: Omnis homo, uniuersa

uersa creatura, quamuis ad perfectionem ue nerit, tamen indiget misericordia Dei: & ple nam perfectionem ex gratia, non ex merito posidet. Idem alibi: Quis potest credere si ne bonis operibus? non tamen meritum bo norum operum adducit ad fidem: sed fides incipit, ut bona opera consequantur.

DE POENITENTIA. In Commentarijs in Ioelē: Benignꝰ est & misericors Deus, malens pœnitentiā peccatorum, quàm mor tem: patiens & multus in misericordia: qui non humanam imitatur impatientiam, sed longo tempore nostram præstolatur pœnitentiā, & prę̄stabilis siue pœnitens super ma licijs, ut si nos egerimus super peccatis pœni tentiā, & ipsum pœniteat cōminationis suę, & mala quæ comminatus est nobis non infe rat: nostræque mutatione sententiæ & ipse mutetur. In epistola ad Rusticum: Iusti uocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit. Et non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si conuertatur ad pœnitentiam, peccata donantur. Et ibidem: Mors & uita sibi cōtraria sunt, & tamē pœnitentia copulantur. In Esaiæ caput decimumquintum: Initium salutis est, sua intelligere & flere peccata. In Ieremiæ caput trigesimumprimum: Vide quantum sit auxi lium Dei, & quàm fragilis humana cōditio, ut hoc ipsum quod agimus pœnitentiam, ni si nos Dominus antea conuerterit, nequa quam implere ualeamus. Idem in Commentarijs in Danielem: Pœnitentia est secun da tabula post naufragium. Quia si quis ue stem innocentię in baptismo perceptam pec cando corrupit, pœnitentię remedio repara re potest.

DE BAPTISMO, quem aquam remissionis dicit, in epistola ad Oceanum inquit: In eo scilicet omnes sordes emundari, & homi nem totū renouari. Et ibidem: Latus Chri sti percutitur lancea, & baptismi atque mar tyrij pariter Sacramenta funduntur. Et libro quarto Comment. in Ezechielem, cap. 16. Ba ptismum ait nihil prodesse sine fide.

DE EVCHARISTIA testimoniū. Paulò antè libro decimoquarto Commentario rum in Ezechielem disertè ait, ali nos carnibus Domini, & sanguine eius potari. Idem alibi: Singuli accipiunt Christum Dominū, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet singulis. Quæstione secunda ad Hedibiam ait: Audiamus, panē quem fregit Dominus, deditq; discipulis suis, esse corpus Domini Saluatoris, ipso dicente ad eos: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Et calicem illum esse, de quo iterum locutus est: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui Te stamenti, qui pro multis effundetur. Si ergo panis qui de cœlo descendit, corpus est Domini: & uinū quod discipulis dedit, sanguis illius est, &c.

DE ORATIONE. Libro septimo Commentariorum in Esaiam, capite sexagesimo secundo: Cauete ne unquam in ore uestro si leat oratio. Ne detis silentium Domino, sed semper molesti sitis opportunè importunè, & imitemini interpellatricem duri iudicis. Si enim ille mentis ferociam assidua impre catione deposuit, quanto magis pater cœle stis bona dabit petentibus se? In enarratione capitis septimi Matthæi: Si petenti da tur, & quærens inuenit, & pulsanti aperitur: ergo cui nō datur, & qui non inuenit, & cui non aperitur, apparet quòd non bene petie rit, quæsierit, pulsarit. Pulsemus itaque ianuam Christi, de qua dictum est, Hæc porta Domini, iusti introibunt per eam: ut cum intrauerimus, aperiantur nobis thesauri absconditi, &c.

DE MINISTERII reuerentia, libro decimo Commentariorū in Ezechielem: Magnoperè formidandum est, ne ad officium hoc accedamus indigni, & assumpti à popu lo negligentiæ nos demus atque desidiæ: & quod his peius est, delicijs uentriq; & ocio seruientes, honorem nos accepisse putemus, non ministerium. Et ibidem: Ne dicamus, quid prodest docere, si nolit auditor facere quod docueris? Vnusquisq; enim ex suo ani mo atq; officio iudicatur. Tu, si locutus non fueris: ille, si audire contempserit.

De officio ministrorum, in epistola ad Fabium: Tanta debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei, ut & gressus eius, & motus, & uniuersa uocalia sint, ueritatē mente con cipiat, & in toto eam habitu resonet, & orna tu: ut quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina populorum. In epistola ad Nepotianum: Sermo presbyteri, scripturarum le ctione conditus sit. Nolo te declamatorem esse, & rabulam, garrulumq; sine ratione: sed mysteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditissimum.

DE ECCLESIA, in expositione capitis quarti ad Galatas: Omnes, inquit, ædificati sumus super fundamentum apostolorum et prophetarum, continente nos angulari lapide Iesu Christo Domino nostro. Libro duodecimo Commentariorum in Esaiæ caput quadragesimumprimum, ostendit in Ecclesia esse diuersitatem gratię spiritualis, eamq; nulla gratiarum uirtute destitui.

De Ecclesia una & eadem ubiq;, in epistola aduersus errores Ioannis Hierosolymitani: Quod scribit nos pergere tecum Romā, & Ecclesiæ communicare ei à qua uidemur communione separati: nō necesse est, ut tam longè. Et hic in Palæstina eodē modo ei iungimur.

gimur. Et ne hoc quòd procul sit, in uinculo Bethleem, presbyteris eius, quantum in nobis est, communione sociamur.

Libro secundo Commentariorum in epistolam ad Galatas, capite quarto ait: unam & eandem esse Ecclesiam ueteris & noui testamenti.

DE CRVCE & calamitatibus Ecclesiæ. In uita Malchi: Ab aduentu Saluatoris usq; ad nostram ætatem, id est, ab Apostolis usq; ad nostri temporis fecem, Christi ecclesia nata & adulta persecutionib. creuit, martyrijs coronata est. Et postquã ad Christianos principes uenit, potentia quidem & diuitijs maior, sed uirtutibus minor facta est.

DE ADIAPHORIS. In epistola ad Lucinum differit de consuetudinibus Ecclesiæ, quæ contra fidem non sunt, in ijs unamquãque prouinciã in suo sensu abundare posse.

DE CONIVGIO aliàs ferè aliter atq; aliter sentit, modò cõcedens & laudans, modò prohibens & improbans. Libro primo aduersus Iouinianum ait: Ecclesia matrimonia non damnat, sed subijcit: nec abijcit, sed dispensat. In eodem libro: Tantum abest, inquit, ut matrimoniũ damnarit, ut secundas etiam & tertias nuptias concesserit.

De coniugio sacerdotum allegat exemplum sui temporis, quòd plurimi sacerdotes matrimonijs utantur: & Apostolus episcopum describat unius uxoris maritum, & filios habentem. Libro eodem.

DE MAGISTRATV, in enarratione capitis decimitertij ad Romanos: Constituitur, inquit, potestas à Deo, ut iustè iudicet, & ut peccatores habeant quod timeant. Et ibidem: Dicendo, Minister est tibi boni causa, ostendit, in his quæ recta sunt, iudicibus obediendum, non in illis quæ religioni contraria sunt.

DE RESVRRECTIONE sentit, animas restitutũ iri ijsdem corporibus, quę prius deposuerint: libro octauo Commentariorum in Esaiam. Et non animas solum, sed & corpora cõmutari in substantiam glorificatam. libro decimoquarto Commentariorum in eundem. Item, Veram futuram ueræ carnis resurrectionem, in pijs æquè atq; impijs: libro decimooctauo Commentariorum in eundem.

Et in procemio libri eiusdem: Corpora, inquit, incorrupta & immortalia resurrectura confiteor, ut mutent gloriam in substantiam. Sicq; recto incedendum est tramite, ut nec ad sinistram nec ad dextrã declinemus: id est, nec Iudaicum, nec hæreticum sequamur errorem. quorum alij, qui carnis sunt, solas diligunt carnes: alij ingrati beneficiorũ Dei, habere detrectant quod Christus & natus habuit, & resurgens.

In Commentarijs in Iob: Scio quòd redemptor meus uiuit. Hoc igitur clypeo Ecclesia, quæ incarnationem unigeniti Dei ueram confitetur, & resurrectionem mortuorum uerissimè credit futuram, se munit & protegit, & inimicos suos conuincit atque debellat. Vbi sunt illi qui dicunt, nos in resurrectione alia corpora habituros? Audiant istum uirum, ore Dei laudatum, dicentem: Quem uisurus sum ego ipse. Ego ipse Iob, qui in stercore iaceo, & totus uulnerum sanie computresco: Ego inquam Iob, iam corruptus atque uulneribus dissolutus, in hac carne mortali, incorrupta resurrectione futura glorificatus, uidebo Deum.

DE EXTREMO IVDICIO. Sancti qui in aduentu Saluatoris fuerint deprehensi in corpore, in ijsdem corporibus occurrent ei: ita tamen, ut inglorium & corruptiuum & mortale, gloria & incorruptione & immortalitate mutetur: ut qualia corpora surrectura sint, in talem substantiam etiam uiuorum corpora transformentur. Ad Marcellam.

Et libro quarto Commentariorũ in Matthæum, capite uigesimoquarto: Signum Dominici aduentus est, Euangelium in toto orbe prædicari, ut nullus sit excusabilis: quod aut iam completum, aut in breui cernimus esse complendum. Non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quanquã non habuerit prædicatorem, tamen ex uicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare.

DE VITA AETERNA. Confutat aliquoties somnia Iudæorum de corporali & uoluptuoso piorum regno in terris post resurrectionem: ut libro quinto Commentariorum in Ezechielem, capite decimosexto. ubi: Nos liquidò, ait, confitemur post secundum aduentum Domini Saluatoris, nihil humile, nihil futurum esse terrenum, sed regna cœlestia quæ in Euangelio promittuntur.

DE INFERNO. Sentit restare pœnas illis qui in hac uita nõ egerunt pœnitentiam, libro decimooctauo Commentariorum in Esaiæ caput sexagesimumquintum. Qui, dum in hoc uiuit corpore, ueniam peccatorum non fuerit consecutus, & sic de uita excesserit, Deo perit, & esse desistit, licet sibi subsistat in pœnis. Et libro eodem Commentariorum in caput sexagesimumsextum eiusdem: Diaboli, & omnium negatorum atque impiorum, qui in corde suo dixerunt, Non est Deus, credimus æterna tormenta.

DE ANTICHRISTO. In Cõmentarijs in Danielis caput undecimũ: Antichristus multa deceptis munera largietur, & terram suo

exercitui diuidet: quosq; terrere non quiuerit, subiugabit auaritia.

Et ibidem: Multæ ei uel urbes, uel prouinciæ daturæ sunt manus. Romam uocat Babylonem & purpuratam meretricem, in præfatione in Didymi librum de Spiritu sancto. In epistola ad Principiam, uocat eam maledicam ciuitatem, & uiciorum palmam. Et libro quinto Commentariorum in Esaiam, capite uigesimotertio: Antichristum appellat organum Diaboli.

CONTRA PRIMATVM, in epistola ad Euagrium, docet omnes episcopos pari potentia esse præditos: ac diserte exæquat Romanum episcopum alijs minimorum oppidulorum episcopis. Quinetiã clarè probat, episcopos nõ diuino, sed humano iure presbyteris superiores esse. Fuisse enim olim idem presbyterum & episcopum. Scribit & super Galatas, quòd Paulus nequaquam Petrum obiurgare ausus fuisset, nisi se ipsi parem esse nouisset.

DE ASTROLOGIA, &c. Libro decimotertio Commentariorum in Esaiam, capite quadragesimooctauo: Sta, inquit Esaias, cum incantationibus tuis, &c. Septuaginta manifestius transtulerũt: Stent, & saluam te faciant astrologi cœli, qui uulgò appellantur Mathematici, & ex astrorũ cursu lapsuq; siderum, res humanas regi arbitrantur. Isti igitur qui supputant menses, annosq; dinumerant, & horarum monumenta librantes, futurorum scientiam pollicentur, dicant tibi quid sit quod super te Dominus cogitauerit. Illisq; tacentibus quid uenturum sit, Propheta respondit: Ecce facti sunt quasi stipula, ignis deuorauit eos: ut qui salutem alijs promittebant, sua ignorabant supplicia. Item paulò post: Possumus dicere, quòd multo utilior sit ignis & incendium Babyloni, quàm fuerunt Magi, Gazareni, Astrologi & incantatores. Hic enim eos per pœnas atque supplicia ad pœnitentiam prouocat, illi per errorem ducunt ad superbiam.

HIERONYMI OPINIONES & Næui.

¶ Primùm in scripturarum enarrationibus hæc ei nota impingitur, quemadmodum & Origeni, quòd scripturæ simplicissimæ simplicissimos sensus, in plures partitus sit: quod mysteriũ iniquitatis Lutherus dixit, in expositione psalmi uigesimisecundi. Item in præfatione in Psalmos: & in præfatione in Esaiam, pronunciat eum historiam frigidius tractare, ac sæpe nimium aberrare à regula fidei.

DE ANGELIS, ὠριγενικῶς sensisse uidetur: extitisse scilicet eos ante mundum conditũ. Sic enim ait in enarratione capitis primi epistolæ ad Titum: Sex millia nondum nostri orbis implentur anni, & quãtas prius æternitates, quanta tempora, quantas secularum origines fuisse arbitrandũ est, in quibus angeli, throni, dominationes, cæteræq; uirtutes seruierint Deo, & absq; temporum uicibus atque mensuris Deo iubente substiterint?

Libro primo Commentariorum in epistolam ad Ephesios, capite primo: & libro secũdo Commentariorum eiusdem epistolæ, capite quarto: sentit, non hominibus tantum, sed & angelis profuisse crucem & sanguinẽ Domini. Neq; enim scire possumus, inquit, quomodo & angelis, & his qui in inferno erant, sanguis CHRISTI profuerit: & tamen, quin profuerit, nescire non possumus. Libro secundo Commentariorũ in epistolam ad Ephesios, cap. 3. sentit angelos nunquam cognouisse ad liquidum, mysterium incarnationis CHRISTI, antequam fieret. Contra Augustinum in Genesi: Quia omnes angeli, statim ut conditi fuerunt, cognouerunt in contemplatione creatoris sui, quicquid ipse creator facturus esset. citat Haymo lib. 3. in Esaiæ caput sexagesimumtertium.

DE HOMINE. Videtur & hoc non satis dixisse commodè in enarratione primi capitis epistolæ ad Galatas, explicans illud Pauli: Segregauit me de utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam, ut reuelaret filium suum in me: Non est ipsum, inquit, Reuelaret filium suum in me, quod si diceret, reuelaret filium suum mihi. Cui enim quid reuelatur, huic illud potest reuelari, quod antea eo nõ erat. In quo uerò reuelatur, illud reuelatur quod prius fuit in eo, & postea reuelatum est. Simile est illud in Euangelio: Medius in uobis stat, quem uos nescitis. Et alibi: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientẽ in hunc mundum. Ex quo perspicuum fit, natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quenquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & iustitiæ, reliquarumq; uirtutũ. Vnde multi absque fide & Euangelio Christi, uel sapienter faciunt aliqua, uel sanctè.

DE LIBERO ARBITRIO. In primũ caput ad Ephesios: Quia nullus absque propria uoluntate saluatur, liberi enim sumus arbitrij, uult nos bonũ uelle: ut cum uoluerimus, uelit in nobis & ipse suum implere consilium. Citatur à quibusdã & hoc Hieronymi dictum, quo papistæ ad stabiliendũ liberum arbitrium strenuè abusi sunt: Qui dixerit Deum præcepisse impossibilia, anathema sit. Quod à Luthero prolixè confutatum est, Tomo secundo. ubi & sic pronunciat: Cum in nouo Testamento propriè regnare debeat ministeriũ Spiritus, id est, prædicatio

dicatio gratiæ, ut Apostolus ait: optandum fuit, ut hoc uerbum aut Hieronymus nunquam dixisset, aut in tenebris sepultum mãsisset. Christianis enim nõ conuenit nisi gloriam Dei prædicare, & magnificare: hoc est, confiteri nostram imposibilitatem, & Dei posibilitatem.

DE PECCATO. In caput septimum ad Romanos: Si cum lex non esset, peccatum in me mortuum est, insaniunt qui de Adam per traducem asserunt ad nos uenire peccatum. Propterea hic dicit, peccatũ mortuum est: quia in infantibus, qui sine lege sunt, nõ uiuit: id est, impunè committitur.

Libro quarto Commentariorum in Ezechielem, capite decimosexto: Anima nostra quàm diu in infantia constituta est, peccato caret.

Libro decimosexto Commentariorum in eiusdem cap. 18. ait, stimulos cogitationũ Deum non punire. Ibidem: Astra quoque non sunt munda in conspectu Dei.

Ait & Lutherus in Commentario in epistolã Petri, hoc ipsum quod in doctrina Christiana certò statuendum sit, in sanctis scilicet remanere peccatum, ab Hieronymo nunquã fuisse intellectum.

DE LEGE, de Iustificatione. In caput tertium ad Galatas sentit, Corneliũ, Spiritum sanctum accepisse per opera legis naturalis: & per eam quoq; Abraham & Mosen & cæteros sanctos iustificatos esse.

Libro octauo Commentariorum in Esaię caput uigesimumprimum: Non sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur.

DE BONIS OPERIBVS. In epistola ad Demetriadem: Dispares sunt in regno cœlorum per singulorum merita mansiones. Diuersitas enim operum, diuersitatẽ facit præmiorum: quantumq; aliquis hic in humilitate fulserit, tantum ibi fulgebit in honore.

Libro secundo aduersus Iouinianum: Re uera grandis iniusticia Dei, si tantum peccata puniret, & bona opera non susciperet.

Libro sexto Commentariorũ in Esaiam: Adflictio corporis peccatorum indulgentiã deprecatur. In epistola ad Rusticum ait, Petrum trinam negationem amaritudine abluisse lachrymarum.

¶ In doctrina de POENITENTIA, nimium tribuit contritioni, in Commentarijs in orationem Hieremiæ: Peccato commisso, inquit, & non per condignam pœnitentiam & correctionem uitæ emendato, merita uindicta succesit. Quia quod homo pœnitendo non corrigit, diuinę ultionis sententiam expectabit. Reprehenditur ob hoc etiã, quod pœnitentiam in commentarijs in Danielem secundam dixerit post naufragiũ tabulam; Quasi uerò baptismus non sit pœnitentia.

ECCLESIAM fundatam esse ait super Petrum, libro primo aduersus Iouinianum. Et libro duodecimo Commentariorũ in Ezechielem: Super Petrum apostolum Dominus Ecclesiæ fundamenta solidauit.

CONIVGIO, pro uirginitate nimium decertans, iniquior est, omnem ei dignitatem prorsus adimens: digamiam uerò, & nuptias secundas uel tertias, eodem propè loco quo scortationem habet, libro aduersus Iouinianum.

Libro decimooctauo Commentariorum in Esaiam: Non est uoluntas pura secundi matrimonij, quæ fornicationis comparatione uilescit. In explicatione septimi capitis epistolæ prioris ad Corinthios: Peccare eos ad condemnationem ait, qui posteaquam Deo castitatẽ semel uouerunt, postea tamen nubant. Sic & ab iterandis nuptijs uehementer deterret Saluinam uiduam, in epistola ad Saluinam, & in epistolis ad Furiam & Gerontiam.

DE HVMANIS TRADITIONIBVS. Libro secundo Commentariorum in lamentationes Hieremiæ: Is uerè & non ex parte perfectus est, qui & in eremo squalorem solitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrũ æquali magnanimitate sustentat.

In epistola ad Demetriadem, prçcipit Demetriadi, ut in monasterium se abdat, nihil metuens parentum autoritatem. Sic nimium extollit monachatum in epistola ad Iulianum & Exuperantium. Quo modo etiã, non sine acerba multorum reprehensione & obtrectatione, nobiles fœminas ad professionem monastices Romæ solicitauit & adegit, quemadmodum suprà retulimus.

IEIVNIO NIMIVM TRIBVIT. ut libro secundo aduersus Iouinianum: Quod ebrietas perdiderat, inedia reperit. Ex quo ostenditur, posse nos per ieiunium redire in paradisum, unde per saturitatem fueramus eiecti.

Opinionem DE RELIQVIIS ueneran dis, nimis tuetur asperè in scripto contra Vigilantium.

INFERNVM ubique sensit in medio terræ esse, ut in Commentarijs in Ionam, ubi ait: Quomodo cor animalis in medio est, ita & infernus in medio terræ esse perhibetur.

DE ANTICHRISTO. In Commentarijs in Danielem, capite duodecimo: Antichristus tribus & semis annis, hoc est, mille ducentis nonaginta diebus sanctos persecuturus est, & postea corruiturus in monte inclyto & sancto.

SANCTOS contendit esse ubiq;, in epistola aduersus Vigilantiũ: Sequuntur agnũ

quocunq; uadit. Si agnus ubique, ergo & si qui cum agno sunt, (scilicet sancti) ubique esse credendi sunt. In Commentarijs in Iob ait, sanctos claros esse apud Deũ gloria meritorum suorum.

In Cõmentarijs in Ecclesiasten, exponens dictum hoc, Mortui nihil sciunt amplius, & non est in eis merces: malè torquet eum locum ad mercedem mortuorum in purgatorio. Vbi & ait: Mortuos, quamuis nihil sciãt quę agantur in mundo, tamen scire quid rerum agatur in cœlo.

DE HIERONYMI CERTAMINIBUS.

¶ Pugnat in scriptis suis hinc inde Hieronymus aduersus Iudæos, Ethnicos, ut Iulianum & Porphyrium: hæreticos, ut Arium et Origenistas, Rufinum & Ioannem Hierosolymitanum, Luciferianos, Pelagianos, &c. Cęteros etiã, ut Marcionistas & Sabellianos.

Iudæorum somniũ illud de regno Christi delicioso in terris per annos mille, cõfutat in Quæstionibus ad Hedibiã. Et in enarratione duodecimi capitis Esaiæ, lib. 5 Commentariorũ in eundem, ubi: Iudæi, inquit, cassa in futurum uota differunt, post Antichristum, à mille annis hæc explenda memorantes. Nec mirum si ista confingant, qui spreta ueritate Christi, organũ Diaboli Antichristũ receperi sunt. Deniq; cõtra omnes eorum deprauationes, fabulas & uanas spes sæpissimè disputat, maximè in enarrationibus Prophetarum, tomo quinto & sexto.

Iuliani deinde Augusti (quem in epistola ad Magnum oratorem, septem libros scripsit in Parthica expeditione euomuisse aduersus Christianos) deliria cõfutat subinde: ut lib. 3. Commentariorũ in Oseę caput tertium: & in Commentarjs in Matthęi caput primum, ubi Iulianũ inquit obiecisse Christianis Euangelistarũ dissonantiã: quòd Matthæus nimirũ dixisset Ioseph filiũ Dauid, Lucas autẽ appellarit filium Leui. Quod eum ex insciticõsuetudinis scripturæ calumniatũ fuisse disputat, in qua alter Iosephi pater sit secundũ naturã, alter secundũ legem. Scimus enim, inquit, hoc per Mosen Deo iubente præceptum, ut si frater aut propinquus absq; liberis mortuus fuerit, alius eius accipiat uxorẽ, ad suscitandum semen fratris uel propinqui sui. In Commentarijs in eiusdem Matthæi caput nonũ ait, Porphyriũ & Iulianũ stultos dixisse eos, qui tam faciliter Christum secuti sunt: & imperitos uocasse Euãgelistas, quòd talia prodidissent. Sed cur non secuti sint, inquit, cum tantæ uirtutes, tantaq; signa præcesserint, quæ Apostolos antequã crederent, uidisse nõ est dubiũ. Certe fulgor ipse & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se uidentes trahere poterat aspectu. Porphyrij uerò, cuius etiã libros citat, calumnias, in Commentarijs in Danielem (quem librũ totum, ut suspectum, & à Græcis mendacibus confictum, calumniatus erat) sæpissimè cõfutat. Refellit & id quod Porphyrius reprehenderat, Paulũ scilicet iniustè & procaciter fecisse, quòd Petrũ apostolorũ principem obiurgasset: cuius calumnię etiam in epistola quadam ad Augustinũ Hieronymus meminit, in Commentarijs in epistolam ad Galatas.

Hæreticis tam se acrem & inimicũ opposuit, ut in procemio librorum aduersus Pelagianos scripserit, Hæreticis se nunquam pepercisse: & omni egisse studio, ut Ecclesię hostes, suos quoq; hostes faceret. Contra Marcionistas, & quicunq; Vetus testamentũ reiiciunt, obijcientes ex illo, Ego Dominus, &c. uisitans iniquitatem patrum in tertiã & quartam generationem: disputat lib. 5 Commentariorũ in Ezechielis caput decimum octauũ. Quam bonus, aiunt Marcionistæ, & iustus Deus legis & prophetarum, qui quiescens & silens ad peccata patrum, reddit his qui non peccauerunt? Imò quanta in eo crudelitas, ut iram suam ad tertiam & quartam extendat generationẽ? Quibus nos, inquit, respondebimus, & in hoc Dei creatoris clementiã demonstrari. Non enim truculentiæ est & seueritatis, iram tenere usq; ad tertiam & quartam generationem: sed signum misericordiæ, pœnam differre peccati, &c.

Contra Sabelliũ ait in Commentarijs capitis quarti epistolæ ad Ephesios, ex eo Paulli, Vnus Dominus, una fides, unũ baptisma: Quomodo alia est fides à baptismate, Deo & Domino: sic baptisma, Dominus & Deus, à lia sunt à tribus singulis, quæ pariter nominantur. Hoc aũt dico propter Sabellium, qui eundem Deum patrẽ arbitratur, & filiũ, confunditq; personas, dum eandẽ diuinitatẽ in utraq; deprehendit. Ecce manifestissimè unus Domin⁹ fili⁹, & unus De⁹ pater uocãtur.

Montani dogmata refellit quadã ad Marcellam epistola. Contra eundem etiam libro secundo Commentariorũ in Esaiam disputat his uerbis: Montanus dicit, Prophetas in ecstasi locutos. Contrà Salomon dicit, Sapiens intelligit quæ profert de ore suo. Ergo etiam ipsi sciebant quid dicerent. Si enim ignorant Prophetæ, quod negare non possumus: quomodo sapientes prophetę instar brutorũ animantiũ quid dicerent ignorabant? Moses enim, omni eruditus sapientia, loquebatur ad Dominum. Et de Daniele ad principem Tyri dicitur: Nunquid sapientiores Daniele? Et Dauid gloriatur: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Aduersus Arij insaniam & portenta, & homiusianismum, plurimis in locis grauissimè disserit.

disserit. ut libro nono Commentariorum in Ezechielis caput uigesimumoctauum : Ad Deum, inquit, dicitur, Quis similis erit tibi? Aliud est enim similitudo, aliud æqualitas. Vnde sæuissima hæresis est, quæ in Christo tantum patris similitudinem confitetur, auferat naturam. Nos autem in filio non solum similitudinem dicimus, sed æqualitatem. Vbi autem æqualitas est, ibi eadem natura atq; substantia. Et libro secundo Commentariorum in epistolam ad Ephesios, capite quarto: Sin existimãt (inquit) Ariani, quòd Deus pater solus est Deus: eadem cõsequentia, solus erit Dominus IESVS Christus: & nec pater erit Dominus, nec filius Deus. Sed absit, ut non sit uel in dominatione deitas, uel in deitate dominatio. Vnus est Dominꝰ, & unus est Deus: quia patris & filij dominatio una diuinitas est. Item in Commentario in caput tertium epistolæ ad Titum: Aduentum gloriæ magni Dei, &c. Vbi est, inquit, serpens Arius? ubi Eunomius coluber? Magnus Dominus IESVS Christus Saluator dicitur, non primogenitus omnis creaturæ, nõ uerbum Dei & sapientia, sed IESVS Christus: quæ uocabula assumpti hominis sunt. Neq; uerò alium IESVM Christum, alium uerbum dicimus, ut noua hæresis calumniatur: sed eundẽ & ante secula, & post secula, & ante mundum, & post Mariam, imò ex Maria, magnum Deum appellamus Saluatorem nostrum IESVM Christum, &c.

Agitatus est autem Arianorum factionibus, cum in Syriã primùm uenisset. & Sabellianismi quidem accusatus ab illis est: quãobrem fidem suam cum Romana & Alexandrina consentientem, Marco Romano presbytero probare coactus fuit, quemadmodũ in epistola ad Marcum ipse testatur. Meminit etiam in epistola quadam ad Damasum. Tametsi in epistola alia ad Riparium significet, se in Palæstina acriter certasse cum Arianis, sed infœliciter, adeò etiam ut cesserit tandem, ne ex impostoris eorum uitij quicquam & corruptionis contraheret.

Odium illud in Arij hæresim, etiam Origenis libris inimicum eum acerbissimũ reddidit, adeò ut in Origenẽ totius mundi inuidiam & execrationem cõcitasse se scribat, in apologia aduersus Ruffinum. In epistola ad Pammachium & Oceanum, uenenata dicit Origenis dogmata, alienaque à scripturis sanctis, ut quibus uim faciant. Ac seorsim enumerat errores eius in libris περὶ ἀρχῶν, in epistola ad Auitũ, in apologia aduersus Ruffinum, & libro aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, ubi & errorem eius damnat de resurrectione mortuorum. In epistola ad Pammachiũ & Oceanum indicat, à quibusdam uitio sibi obiectum, quòd Origenem laudasset. Sed laudasse se eum in explicatione loci cuiusdã moralis, id fatetur quidem: Sed laudaui, inquit, interpretem, non dogmatisten: ingenium, non fidem: Philosophiam, non Apostolum. Si qui scire uolunt meum super Origene iudicium, legãt in Ecclesiasten Commentarios, &c. & intelligent me semper eius dogmatibus contraisse.

Ex eo ipso fonte, immicitię aduersus Ruffinum irreconciliabiles natæ sunt, cum quo tamen puero arctissima ei fuit consuetudo: quemadmodum indicat in epistola ad Florentiũ. Ac prima quidem quæ cum eo intercessit simultas (quæcunq; eius causa fuit) utcunq; sedata est: Sed cum hæreseos eum, propterea quòd Origenem laudasset aliquãdo, insimulare, & in societatem pertrahere Ruffinus niteretur, rescissa male sarta gratia, in manifestas inimicitias erupit. Legantur de eo bello, Hieronymi apologiæ, & Ruffini inuectiuæ, libri equidẽ uirulentissimi: quibus tamen addiderat Ruffinus epistolã, prẽter indignissima cõuicia dirasminas, iudicia, exilium, mortem deniq; denunciantẽ, ni taceret. Tam atrocem etiã fuisse epistolã eam quæ nũc intercidit, ex Hieronymi apologia animaduertere est. Deniq; nihil nõ insidiosi in eũ machinatus est. Subornauit & armauit multos, quod ex epistolis eius clarũ est, q; eum conuicijs lacesserent: ut Vigilantiũ, Palladiũ, Magnũ oratorẽ Romæ, Domnionẽ & Pammachiũ: qui libros Hieronymi suppresserunt, ne uenirent in manus hominũ: & admonuerunt literis, ut quædã emendaret, ea præsertim quib. nimiũ extulisset uirginitatem. Quin & Augustinꝰ ipse ab eo alienior fuit, sed postea studia sua cum eo cõiunxit. Ruffini deniq; causa, amor scilicet & defensio librorũ Origenis, inimicitias etiam illas peperit aduersus Ioannẽ Hierosolymitanũ: quem epistolis primùm aliquot, modestè sic satis tamen, admonuit, ut Origenis fauorem abijceret. Sed postea cõsilio suo nõ acquiescentem, ut hæreticũ publico scripto proscidit. Præter eos uerò, alios multos Hieronymo fuisse aduersarios & calumniatores, subinde queritur: ut in uita Malchi monachi, in qua rem sibi esse dicit cũ maleuolis & obtrectatoribus suis, qui se non fugientẽ quidẽ persequ desinãt: & in procemio in quæstiones Hebraicas, indicat exerceri & exagitari se ab inuidis et maleuolis, per quos ne quidẽ latẽs & remotus ab urbibus, à foro, litib. & turba, quiescere possit. Queritur et in Africa et Romæ à calumniatoribus suis circumgestatam epistolam, quasi sua scriptam manu, in qua fingatur agere pœnitentiam, & confiteri, in transferendis Biblijs Hebraicis, adolescentem se ab Hebræis seductum fuisse. Sed quod mendacium esse probat, in Apologia

gia aduersus Ruffinum. In præfatione item in Iosue ait, uersionem Bibliorum opus esse periculosum, & obtrectatorum suorum latratibus patens, qui adserant, in suggillationem Septuaginta interpretum se noua pro ueteribus cudere.

Sed ut inuisus multis fuerit, charus tamẽ & amicus plurimis etiam fuit, rectè de fide sentientibus: quos se patrum honore complecti ac uenerari, professus est in scripto aduersus errores Ioannis Hierosolymitani. Familiarem inter alios multos habuit & coluit Damasum Romanum episcopum, cui uiuo libros à se scriptos nuncupauit: sicut in libro aduersus Iouinianum indicat, ut librum contra Heluidium, &c. Epiphanium item Cyprium, Theophilum Alexandrinũ, Augustinum, quem in epistola ad Marcellinum & Anapsychiam uirum uocat sanctum & eruditum, & ad eum in epistola quadam ita scripsit: Mihi decretum est te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaq; dicta quasi mea defendere. De familiaritate & consuetudine cum Pammachio, Chromatio, Heliodoro: & præstantibus fœminis, Paula, Marcella, Melania, Eustochio, Principia, alijsq;, nihil attinet admonere. Cũ illis enim quàm uixerit familiariter, magna ex parte suprà dictum est. Pammachiũ in Proœmio in Abdiam, luce sibi chariorem uocat. Amabilem episcopum quendam, inter omnes quos terra genuit sibi uocat amantissimum, in nuncupatoria libri quinti Commentariorum in Esaiam. Innocentium uerò quendam in Syria adeò familiarem habuit, ut partem eum animæ suæ, & alterum oculum dixerit, in epistola ad Ruffinũ. Sed quos, quamq; multos, claros, nobiles, eximios & præstantes uiros amicos habuerit & coluerit, epistolæ eius testes sunt.

DE HIERONYMI EXERCITIIS.

QVemadmodũ plenũ superstitionis hoc ipsum fuit, quod Ecclesiasticas functiones fugiens, monasticen colere ac profiteri, exemplo nocenti, & ad errorẽ similem multos, ueluti suprà monuimus, inuitanti, maluit: ita durissimas in eo uitæ genere molestias tum expertus est, tum falsa sanctitatis & religionis persuasione sibi ipsi accersiuit & auxit. Enumerat ipse quasi catalogũ molestorum exercitiorum seu afflictionum, in epistola ad Eustochium: horridum scilicet calore solis habitaculum, saccum, membra deformia, cutem squalidam, lachrymas et gemitus quotidianos, humi dormitiones, aquam frigidam, cibum incoctum, ieiunium, famem, &c. Scribit & ad Pammachiũ, obrui se perpetuis molestijs, in diuersorio iuxta monasterium, cui præfuit, ædificato, ob frequentes monachorum turbas eò cõfluentes. cuiusmodi quiddam & in epistola ad Augustinum queritur: Nos, inquit, in monasterio cõstituti, uarijs hinc inde fluctibus quatimur, & peregrinationis molestias sustinemus. De cæteris, ac præstantioribus quidem exercitijs suis, in scripto aduersus errores Ioannis Hierosolymitani hæc prædicat: Nouimus canones Ecclesiasticos, non ignoramus ordines singulorũ, & lectione & quotidianis exemplis usq; ad hanc ætatem multa experti sumus. Testatur & alicubi se triginta totos annos in meditatione diuinarũ scripturarum cõsumpsisse, certè ad extremá usque senectutem docendi scribendiq; labores sustinuit. Sigisbertus annorum spacio quinquaginta sex, libros eum suos composuisse scripsit, de quo non pugnamus.

Ad extremam se peruenisse senectutem, quantumuis imbecillo fuerit, sicut ipse ait in Commentarijs in caput duodecimum Zachariæ, corpusculo, testatur ipse in epistola ad Nepotianum de uita clericorum, ubi canicie candidum se circumferre caput, & aranicie candidum se circumferre caput, & aranicie candidum se circumferre caput, & aran

sancto dicemus, ne quis blasphemiter intelligens meum dogma dixerit: Omnia enim à sancta scriptura dicuntur, & sunt.

2 Confutationem sententiæ Candidi Arianj, de generatione diuini uerbi, scriptam (ut uidetur) ante libros contra Arium: certè Candidi responsio, qua epistolã Marino misit Arij et Eusebij, occasionem ei præbuerũt, stylum in Arium stringendi.

3 Hymni tres de Trinitate, in quibus ingenij diuini acumen ostendit.

4 Tractatus de Homousio recipiendo.

5 Carmen eruditissimum de Macchabæis: ex quo facilem eum in scribendo carmine fuisse, non obscurè animaduerti potest. Atque hæc scripta partim in Hæreseologia, partim inter Orthodoxographa (sic enim uocantur quædam uolumina, in quibus diuersorum doctorum libri collecti ac simul impressi sunt) habentur.

Hieronymus etiam commentarios eum in epistolas Pauli scripsisse, in Catalogo indicauit. & in proœmio commentarij in epistolam ad Galatas, ubi de ijs commentarijs hæc censuit: Non ignoro, inquit, C. Marium Victorinum, qui Romæ pueros Rhetoricam docuit, edidisse commentarios in Apostolum: sed quòd occupatus ille eruditione secularium literarum, scripturas omnino sanctas ignorauerit.

De quibusdam tamen doctrinæ Christianæ partibus sat commodè locutus est. de autoritate scripturæ grauiter inquit, de generatione uerbi aduersus candidum: Venerandam eam esse, eiusq; autoritati inniten-dum & credendum.

Deinde Deum sensit unum esse, qui uerus sit pater, filius & spiritus sanctus, quodque eius opera inuestigabilia sint. Ibidem.

Ac recitat illustrem confessionem de Trinitate, in libro primo contra Arium, de qua supra diximus. Et de æquali atq; æterna diuinitate patris & filij, hæc initio libri secundi contra Arium perspicuè dixit: Deum omnipotentem omnes fatemur Christum IESVM. Nos nunc: mox tamen fatebuntur omnes, quibus fides in Christũ est. Et Deum fatemur patrem, & Christum filium: de utroq;, quòd sint ambo, & singuli. Quippe ut pater Deus, filius IESVS Christus, tota talis religio est, & spes tota, & in isto fides. Sed cum fatemur singulos duos, unum tamen Deum dicimus, & ambos unum Deum, quòd & pater sit in filio, & filius in patre. Etenim IESVM filium tum dicimus: & antequam de Maria nasceretur, fuisse filium confitemur.

Libro secundo contra Arium: Dictum est de una substantia, tres esse subsistentias, ut ipsum quod est esse, subsistat triplici-ter, ipse Deus & Christus, id est, λόγος & spiritus sanctus. Postea exponit significationem & differentiam substantiæ & subsistentiæ.

In tractatu de generatione uerbi dicit, Christũ uerum filium Dei ineloquibili à patre motu genitum, τὸν ὄντα, modis omnibus perfectum. Ibidemq; bene dixit: Quomodo filius & pater simul sint, quærere non oportere, sed sufficere si credatur. Item: Quis sit modus generationis siue filietatis eius, confiteor ego Deo, cuius hoc potentia factum est. Christum in carne fuisse, & ante incarnationem uisum esse, & apparuisse, ait libro quarto aduersus Arium: Christum in carne fuisse omnia Euangelia declarant, Apostolus omnis, omnes Prophetæ. Cum eum prædixerunt futurum Christum, in carne futurum prædixerunt: quippe cum & ante carnem dicant, & esse uisum, & apparuisse, ut Abrahæ, Iacob. Et ipse in carne dixerit: Abraham uidit diem meum, & gauisus est. Et Apostolus in sacro isto ac mysterijs pleno loco declarat maximè, filium Dei ante carnem, & postea sumpsisse carnem. ad Philippenses secundo.

De Christi merito, libro primo aduersus Arium: IESVS Christus, inquit, hoc est λόγος incarnatus, mysterium salutis nostræ egit. hic nos liberos fecit, redemit. in istum credimus secundum crucem, & iuxta resurrectionem à mortuis Saluatorem nostrum. Idcirco Paulus dicit: Non enim iudicaui quicquam scire in uobis, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum. Et aliquanto pòst: Omnia igitur CHRISTVS Dominus noster, caro, sanctus spiritus, altissimi uirtus, λόγος. Ipse compleuit mysterium, ut omnis uita cum carne adimpleta lumine æterno, recurrat ab omni corruptione in cœlos.

De homousio rectè disputat contra Arianos, obijcientes, in scripturis illud non reperiri: haberi scilicet in scriptura multa similia, ex quibus fieri liceat homousion. Liceat, ait, de lectis non lecta componere. ὁμοούσιον lectum negatis: sed si aliqua similia, uel similiter denominata lecta sunt, iure pari & istud denominatum accipere debemus. Libro secundo contra Arianos. Rursus libro quarto contra Arium: Vitam, inquit, ex Dei uita attulit Christus in carne, ut carni etiam subueniret. Aliud testimonium de Christo, libro primo: Verbum & uox filius est, ipse uita, ipse λόγος, ipse motus, ipse νοῦς, ipse sapientia, ipse existentia & substantia prima, ipse actio potentialis, ipse ὄν: primum uerò ὄν, ex quo omnia ὄντα, & per quem, & in quo, qui est medius in angulo Trinitatis, patrem declarat præexi-

præexistentem, & complet sanctum Spiritum in perfectionem.

Rectè & de Spiritu sancto sensit, quòd sit tertia persona diuinitatis, ac natura Deus cum patre & filio: in eodem tractatu. & libro primo contra Arium, ubi & de officio eius dixit, uocem eum appellans uocis: id est, ista concionantem, quæ à Christo accepit. Et in hymno primo de Trinitate: Iungit & saluat omnia, ac docet uerum Deum CHRISTVM sequentes: Christo renatos sanctus iungit spiritus. Et initio libri primi contra Arium, Spiritum sanctum doctorem uocat fidelium. Libro quarto inquit: Propter hominum obrutam sui & Dei memoriam, opus est Spiritus sancti, si accesserit scientia: & intelligere, quæ sit latitudo Dei, quæ longitudo, quæ profunditas & altitudo, & confirmata fuerit charitas & fides in Christum per spiritum sanctum, quia scientia est, fiet saluus. Plenè namque ipse dicit testimonium de Christo: & docet omnia, & est interior Christi uirtus, scientiam tribuens, & ad saluationem proficiens, unde alter paracletus. Etenim mortuis per peccata hominibus, uita prius danda fuerat, ut erigerentur in Deum per fidem, quod erat iam uiuere ex Dei uita, quam attulit Christus in carne, ut carni etiam subueniret. Quare confirmatis hominibus per fidem in Christum filium Dei, etiam scientia danda uidebatur & de Christo, & perinde de Deo. Item de mundo, ut eum argueret. Quæ cum intellexissent, facilius ad Dei lucem hominis sui diuinorumque intelligentia liberarentur, terrenorum mundanorumque contemptu & desiderio, quod excitat scientia diuinorum. Venit ergo posterior, id est, fides posterior operari cœpit. Recedente enim Christo, qui per miracula & per præcepta seminauerat fidem, quòd ipse Dei filius esset, & uitam in se credentibus daret, completa sunt spiritu omnia, & fides cognitione in Christum adulta succreuit, ipso Christo semper præsente. sic enim dixit: Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit loquetur.

De fide creationis bene dixit libro tertio aduersus Arium: Nosse se uoluit Deus, ideoque mundum opera sua diuina constituit, ut eum per ista omnia cernere-mus.

De angelis, quòd sint, quòd conditi sint, nec ociosi spiritus sint, libro quarto aduersus Arium ad hunc modum: Suprà in æthere, inquit, atque cœlo actiones sunt, atque actionibus uiuunt, sed genita etiam quòd futurum fuerant facta. Ex ortu enim suo in operationes proprias, suasq; dimissa, suos actus naturæ continentis contagione discurrunt. Item: Angeli ex animis & supra animos sunt.

De hominis conditione loquitur ad sententiam Mosæ, libro primo aduersus Arium. Ac de hominis lapsu clarè affirmat, Homines per peccata mortuos fuisse: Libro quarto.

De fide, de fidei effectu, de iustificatione per fidem, aliquot habet erudita testimonia. Vt libro primo: Credere in Dominum, & filium eius, uitam est æternam habere. Et in fine eiusdem libri: Corpus, inquit, oportet purgare cum anima, ut accipiat lucem æternam, & æternam uitam. Hoc autem perficit fides in Christo. Item libro quarto: Vita uera Christus est, & credentibus in se dat uitam ueram: hoc est, æternam. & adest apud Deum credentibus in se, quòd Dei sit filius, idque per fidem. Ideirco per Christum reconciliamur Deo. Et ibidem: Confirmari ait homines per fidem in Christum filium Dei. Item, Fidem operari cœpisse, post Christi ab hominibus recessum.

De Eucharistia, libro secundo ait: Quod accipimus, Domini corpus est. Et libro quarto: Subiunxit Christus, Hic est panis qui de cœlo descendit. Deinde uitam esse, & æternam uitam, sic testatur, sic docet: Nisi acceperitis corpus hominis, sicut panem uitæ, & biberitis sanguinem eius, non habebitis uitam in uobis. Qui autem edet carnem eius, & bibet eius sanguinem, habet uitam æternam. Omne ergo quod Christus est, uita æterna est, uel spiritus, uel anima, uel caro. Horum enim omnium ipse λόγος est: λόγος autem principalis uita est. Ergo etiam ea quæ induit, uita sunt, unde ista & in nobis uitam æternam merebuntur per spiritum, quem Christus nobis dat.

De Oratione libro secundo sic ait, & quatam petitionem interpretatur: Nos Christiani, hoc est, qui in Christum credimus, docemur in Euangelio, quomodo Deum patrem rogare debeamus. In qua oratione cùm multa petimus, tum panem petimus. Sic enim dictum est: Hic est panis qui de cœlo descendit. Hanc uitam & Christi & Dei, id est æternam, quo nomine ipse dicit? ἐπιούσιον ἄρτον: ex eadem οὐσίᾳ panem, id est, de uita Dei consubstantialem uitam.

De resurrectione & corporum immutatione libro primo sic: Futurum est, nostrum corpus et carnem resurgere, et induere incorruptionem, & fieri spiritualis caro: sicuti & Saluator noster iuxta omnia & fuit, & resurrexit, & ascendit. & futurum est ut ueniat: et post resurrectionem immutabimur, accipientes spirituale indumentum.

De quibus interdum incommodè dixerit, suprà ostendimus: quibus ista adijcimus, quòd

quòd de Spiritu sancto nō sat dixit commode,& usitatè: Non falletur, si quis subintellexerit, sanctum spiritum matrem esse Iesu, & suprà & deorsum. Quanquam quomodo uelit accipi hoc ipsum, explicat ipse in fine libri primi. Item, quòd appellationem & actionem Spiritus sancti ad Christum transfert non satis distinctè, lib. 3: Ego rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit uobis, ut uobiscum sit in omne tempus. Quid est paracletꝰ, qui adserat adstruatq; apud patrem homines omnes fideles atq; credētes? Quis est iste? Vnus ne solus spiritus sanctꝰ? an idem & Christus? Alium paracletum dabit uobis Deus. Dum dixit alium, se dixit alium: dum dixit Paracletum, operam similē declarauit, & eandem quodammodo actionem. Ergo & Spiritus paracletus, & Spiritus sanctus alius paracletus, & ipse à patre mittitur: Iesus ergo Spiritus sanctus. Tametsi libro quarto distinctius loquatur: Quodammodo idem Iesus, idem Spiritus sanctꝰ, actu scilicet agendi diuersi, quòd ille docet intelligentiam, iste dat uitam.

Etsi autem ex professo contra Arij & Eusebij Nicomediēsis illius, Arij patroni & antesignani, furores & deliria scribit: tamen obiter aliorum etiam aut cum Ario sentientium, aut alio modo diuinitatem Christi, & sincerum de Trinitate dogma impugnantium hæreticorum meminit: eorumq; opinionibus & erroribus ueras ex scriptura sanctis, & Nicænę synodi decretis, sententias opponit: ut Photini, suiq; satellitij, Valentini, Patripasianorum, quorum dogma serpentinum uocat, eiusq; confutationem sępe repetit: Marcelli, Pauli Samosateni, Vrsacij & Valentis, quos Arij uocat reliquias: Lucianistarum, Illyricianorum, & Basilij, ut uidetur, Ancyrani illius, qui pro homousio substantiæ nomen supponebat, uelut ipse indicat libro secundo aduersus Arium. Refutat Paganorum de multitudine deorum insanos errores, in tractatu de Homousio recipiendo. Tantū de Victorino ex certis autoribus habere potuimus. De Romanis episcopis, inferius dicemus, reliquis doctorib. expeditis.

DE ALIIS EVROPAEIS *Doctoribus.*

SALOMONICVS.

EXtat ad Salomonicū episcopū epistola Marcellini Romani, in tomo Conciliorum.

RVSTICVS.

EPiscopus in Occidente alicubi fuisse uidetur Rusticus, contemporaneus Arnobio: apud quem hoc Episcopi nomē legitur in prologo commentarij in Psalmos.

THEOPHILVS.

GOthorum fuit episcopus Theophilus, ante Vlphilam, qui in synodo Nicæna præsens, ei fidei consentiens subscripsit. Socrates lib. 2, cap. quadragesimoprimo.

GAVDENTIVS.

OCcidētalis uidetur fuisse episcopus quispiam Gaudentius, quem separati Orientales episcopi ab Occidentalibus deposuerunt, crimine intentato, quòd inimica quædam in Cyriacum, cui successisset, molitus fuisset, & ab ipsis depositos in precio habuisset. Sozomenus lib. 3, cap. undecimo.

LAVRENTIVS.

MEminit Arnobius aliquoties episcoporum sui temporis, Laurentij cuiuspiam & Rustici: quorum hortatu indicat se scripsisse commentarium in Psalmos, in Præfatione eius operis.

MVZONIVS.

EPiscopus fuit ob ætatem præcipua autoritate in synodo Ariminensi, in qua primas obtinuit, & Nicænam fidem propugnauit. Hieronymus aduersus Luciferianos.

NICOLAVS.

CÆsariensis est episcopus Nicolaus, Hermanno Gigliti, in Temporum floribus.

PAEDAROTAS.

AThanasio Pædarota Heraclienſis est episcopus orthodoxus. Athanasius oratione prima contra Arianos.

PANCRATIVS *alius.*

EPiphanio Pancratius Occidētalis episcopus est, qui in synodo Seleuciana ὁμοούσιον subscripsit, cum Basilio Ancyrano, Georgio Alexandrino & alijs. Epiphanius libri tertij tomo primo, hæresi septuagesimasecunda.

SYLVESTER.

DAciæ episcopus est Sylvester, orthodoxus, & uir Apostolicus Athanasio, oratione prima contra Arianos.

EVTROPIVS.

ADrianopolitanus fuit episcopus Eutropius, fidei professione syncerus, uir bonus, atque in omnibus perfectus, Christiq; amantissimus, ut Athanasius ait: & Eusebio Ariano hostis, aduersus quem subinde acriter pugnauit. & Adrianopolim transeuntib. suasor & hortator assiduus fuit, ne impietati Eusebij aures præberēt. Hinc in eum tum Imperatoris uxor, tum Eusebius cum factione sua exarserunt, & in exilium propulerunt. Athanasius epistola ad solitariam uitam agentes. Item in Apologia de fuga sua: ex qua idem de Eutropio retulit Theodoretus libro secundo, cap. decimosexto.

VLPHILAS.

POst Theophilum, Gotthorum episcopus factus est Vlphilas, uir orthodoxus, & Nicænæ primùm fidei professor & propugnator, qui Gotthorū maximā partem ad fidem Christianā cōuertit, magno suo cū periculo:

in quo tamen ſubeundo conſtantiæ & diligentiæ in pietate promouenda experimenta multa dedit, ut etiam ipſius induſtriæ in propagando apud Gotthicam gentem Chriſtianiſmo, perſecutionem uehementē Gotthorum rex Athanarichus mouerit. Literarum Gotthicarū inuentor ipſe fuit, & in linguam barbaram ſacrarum literarum conuerſor & interpres, quæ magna fuiſſe ad promouendam doctrinam Chriſtianam iuuamenta quis non uideat? In ſinceritate tamen fidei tandem non perſtitit. Sed cum in nulla re ab orthodoxis diſcreparet primùm, in ſynodo Acacianorū Conſtantinopoli ſub Conſtantio, per imprudentiam Eudoxianis & Acacianis conuerſatus eſt: tametſi communione cum epiſcopis interim illis qui ad fidem Nicænam pertinerent, uſus ſit. Sed cum fortè Gothi ab Hunnis ſub Valētis imperio expulſi, in Romanorum prouincias ſeſe infudiſſent, & pro ſedibus impetrandis legationem ad Imperatorem mittere neceſſe haberent, Vlphilam cum cæteris legatis miſerūt Conſtantinopolim: ubi ab Eudoxianis, ipſo etiā Eudoxio, tum blanditijs, tum pecuniarum illecebris inductus Vlphilas, ac perſuaſus, diſſidij omnis inter doctores religionis cauſam eſſe inanes & ab ambitione ortas cōtentiones, nullā autē dogmatis differentiā, Arianis cōmunicauit, eamq; totā gentem ab Eccleſia catholica ſeparauit: Gothis facilè ſibi de præceptore optima quæq; pollicentibus, nec erroris aliquid in doctorem ſuū cadere poſſe temerè ſtatuentibus.

Nicephorus libro nono, capite quadrageſimoquarto, interfuiſſe eum ſynodo Nicænæ, & decreta eius ſuo confirmaſſe ſuffragio ſcripſit: quod ab alijs probatioribus autoribus nuſquam dicitur. Sed Theophilum ei ſynodo interfuiſſe, & ſubſcripſiſſe, cuius exemplum Vlphilas poſtea ſecutus Nicæna dogmata profeſſus ſit, Socrates retulit lib. 2, cap. quadrageſimoprimo. Reliqua de Vlphila tradiderunt, Socrates idem lib. quarto, capite trigeſimotertio: Theodoretus libro 4, cap. trigeſimoſeptimo: Sozom. lib. 6, cap. 37.

VALERIVS, VEL VALERIANVS.

VAlerianus Theodoreto, Valerius Sozomeno, epiſcopus quiſpiam Occidentalis eſt, ſynodum Romæ frequentans contra Auxentiū Mediolanēſem cum Damaſo, cumq; eodem autore epiſtolæ Synodicæ ad Illyrici epiſcopos. Theodoretus lib. 2, cap. 22: Sozomenus lib. 6, capite uigeſimotertio. Extat ad eundem & alios quoſdam in ſynodū Romæ congreſſos, epiſtola Synodica concilij Conſtantinopolitani ſub Theodoſio, apud Theodoretum lib. 5, cap. 9. Meminit Valeriani, quem Papam uocat Hieronymus in epiſtola ad Chromatium tomo primo, & Prudentius in hymnis περὶ στεφάνων, quod opus Valeriano nuncupauit.

IVLIVS, IVLIANVS.

HErmanno in Floribus temporū uiri ſunt ſancti Iulius & Iulianus fratres: qui autoritate accepta à Theodoſio Imperatore, templis extruendis operam dederunt.

IRENAEVS.

EXtant Ambroſij ad Irenæum quendam, quē filiū uocat, epiſtolæ decem: in quibus quæſtiones ex utroq; teſtamēto deſumptas explicat.

PRISCIANVS.

NOmen hoc ſolum epiſtola ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Theodoſio oſtendit, & epiſcopum fuiſſe indicat, qui Synodi decreto cum Cyriaco & Euſebio, epiſcopis & ipſis, miſſus ſit cum Synodi cōſtitutionibus ad epiſcopos Occidentales Romæ congregatos. Theodoretus lib. 5, cap. 9.

SELENAS.

VLphilæ Gothorum epiſcopi amanuēſis fuerat Selenas, natus patre Gotho, matre uerò Phryge: quamobrem & patria lingua & græca in docēdo expeditè uſus eſt. Factus eſt autem etiam ſucceſſor Vlphilæ in epiſcopatu: & cum Pſathyrianis, qui patrē ſemper fuiſſe patrem, etiam filio nondum exiſtēte, docebant, ſenſit. Socrat. lib. 5, cap. 23: Sozom. lib. tertio, capite decimoſeptimo.

SOPHRONIVS.

SOphronius uir apprimè eruditus, laudes Bethleē adhuc puer, & nuper de ſubuerſione Serapis inſignē librū cōpoſuit, de Virginitate quoq; ad Euſtochiū, & uitam Hilarionis monachi: Opuſcula mea in Græcū eloganti ſermone tranſtulit: Pſalteriū quoq; & Prophetas, quos nos de Hebræo in latinum uertimus, Hieronymꝰ, inquit: in Catalogo. Extat ad eum Hieronymi epiſtola de autoribus ac titulis Pſalmorū, in tomo quarto.

SEVERVS.

SEueri ſcriptoris cuiuſpiam meminit breuiſimè Hieronymus, eūq; coætaneū ſuū facit, ſed errore deceptū Chiliaſtarū: Nuper, inqt, noſter Seuerus in dialogo cui Gallo nomē impoſuit, pollicetur ſibi & expectat aureā Hieruſalē poſt mille annos. Hieronymꝰ lib. 11 Cōmentariorū in Ezechielis caput 26.

VENERIVS.

MEminit Venerij, quem beatū uocat epiſcopū, Hieronymus in Apologia aduerſus Ruffinum. uocat eundem coepiſcopum ſuum Anaſtaſius Romanꝰ, in epiſtola ad epiſcopū Hieroſolymorū de Ruffino, in tomo ſecundo Hieronymi.

SATVRNINVS, SISINNIVS.

VIncentio eidem diaconi ſunt Romani Saturninus & Siſinniꝰ, & martyres ſub Maximino: libro duodecimo, capite centeſimo quinquageſimonono.

SYRIA.

CYRIACVS.

REcenſetur inter orthodoxos Cyriacus epiſcopus Myſiæ ab Athanaſio, oratione prima contra Arianos.

MARCELLVS, MARCELLINVS.

VIncentio in Speculo Marcellus diaconus eſt, & martyr in Thuſcia ſub Maximino. Marcellinus presbyter eſt, idēq; martyr Romæ. Vincentius lib. duodecimo, cap. quinquageſimoquinto, & capite ſeptuageſimoquarto & ſeptuageſimoquinto: Nauclerus Generatione undecima.

PIGMENVS.

PResbyter eſt Romanus Pigmenus, præceptor Iuliani Imperatoris, Vincentio in ſpeculo libro decimoquarto, cap. trigeſimo quinto. Pro Chriſti fide à Iuliano poſtea in Tyberim ſubmerſus eſt, eodē autore lib. eodem, cap. trigeſimooctauo.

PRISCVS, PRISCILLIANVS.

EIdem eodem libro, cap. 38, Priſcus presbyter eſt Romanus, & Priſcillianus clericus, martyr uterq; ſub Iuliano.

CLAVDIVS.

PRouinciæ Pincernorum epiſcopus Claudius, in ſynodo Ariminenſi epiſcoporum omnium iuſſu prælegit blaſphemias Valentis Ariani. Hieronymus libro aduerſus Luciferianos.

HEORTASIVS.

SArdenſis fuit epiſcopus, iuxta Sozomenum: Socrati ex Macedonianis illis eſt, qui fidem Nicænam receperunt, ad quos Liberius ſcripſit. Sozomenus eum in ſynodo Acacianorum Conſtantinopoli depoſitum tradidit, non ut prauè docentem, ſed ut Eccleſiarum turbatorem, & in leges eccleſiaſticas delinquentem. Sozomenus lib. 4, cap. uigeſimoquarto: Socrates lib. 4, capite duodecimo.

EVSEBIVS.

EVſebius quidā Antonino & Vincētio eſt in Speculo lib. 4, cap. duodecimo: Romanus presbyter, qui Liberiū hæreſeos conuincit. Tandem uerò Conſtantij iuſſu incluſus, poſt menſes ſeptem mortuus eſt.

EVTROPIVS.

EVtropium presbyterum (quem & monachū Tritemius dixit) eloquentia claruiſſe anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimonono, Valentiniani aūt & Valentis duodecimo, Hieronymus tradidit in Chronico. Scripſit ad ſorores à parētibus ob profeſsionem monaſticæ diſcedentes, conſolationū libros duos, eleganti ſermone: quemadmodū Gennadius teſtatur. Epitomen quoq; rerū Romanarū à Iano, ſeu (ut in nūcupatoria ſua ad Valentē ipſe affirmat) ab origine urbis uſq; ad Valentinianū libros decē, qui hodie etiamnum extant. Gennadius in Catalogo: Volaterranus Anthropologiarū lib. 16: Ludouicus Viues lib. 5 de Diſciplinis.

GERMANVS.

CLarus fuit ſub Valente Germanus, Altiſiodorenſis epiſcopus: qui Rauennæ poſtea deceſsit. Sabellicus Enneadis ſeptimę libro nono.

AVITVS.

EXtat ad Auitum epiſtola prolixa Hieronymi, de illis quæ in libris Origenis περὶ ἀρχῶν cauenda ſint: tom. 3.

AMABILIS.

AMabili epiſcopo Hieronymus nucupauit libros quinq; Commentariorum in Eſaiam: atq; in eius prologo ſignificat, ſe rogatum ab eo ut uiſiones decē Eſaiæ hiſtorica explanatione diſſereret.

APODAMVS.

MEminit Apodami Martyrologi, ut uidetur, Prudentius: & indicat eum ſcripto quodam celebraſſe triumphum martyris primitiui, in hymno de octodecim martyribus περὶ στεφάνων.

DESYDERIVS.

EXtat ad Deſyderium presbyterum epiſtola Hieronymi tomo tertio, quem honeſtū & eloquentem uocat uirum: eumq; ut ad ſe in Bethleem uiſendum ueniat, inuitat.

DOMNIO, ROGATIANVS.

ESt & Domnionis nomē celebre, ex epiſtola apologetica Hieronymi ad eundē, aduerſus Monachū uituperantē libros Hieronymi contra Iouinianū. Apparet aūt, aut epiſcopum fuiſſe alicubi, aut monachum Domnionem, quia eum patrem appellat. Et in epiſtola ad Deſyderium, uocat eum Loth ſui tēporis, & uirum ſanctiſsimū. Coniungit frequenter cum Domnione Rogatianum. utrique enim nuncupat aliquot in libros ſacros præfationes: ut in librum Paralippomenon, in Nehemiam & Eſdram, &c. tom. 4.

FOEGADIVS, DELPHINVS.

EXtat ad Fœgadiū & Delphinū epiſcopos epiſtola Ambroſij quinquageſimaquinta, libri ſeptimi Epiſtolarum, tom. 3.

EVSEBIVS, PRISCIANVS, *Cyriacus.*

NOminantur hi epiſcopi in ſynodica cōcilij Cōſtantinopolitani ſub Theodoſio. Fuerunt legati eius ſynodi ad epiſcopos Romæ congregatos. Theodoretus lib. 5, capite nono. Cyriacum Sozomenus epiſcopum fuiſſe Adanorum, & præceptorem Nectarij, retulit lib. 7, cap. decimo.

VIGILANTIVS.

DE Vigilantio presbytero hęc ſcribit in epiſtola Hieronymus ad Paulinum: Sanctū, inquit, Vigilātiū presbyterū qua auidita te ſuſceperim, meli⁹ eſt ut ipſi⁹ uerbis quàm

meis discas literis. Qui cur tam citò à nobis profectus sit, & nos reliquerit, non possum dicere, ne lædere quempiam uidear. Tamen quasi prętereuntem et festinantem paululum retinui, & gustum ei nostræ amicitiæ dedi: ut per eum discas, quid in nobis non desideras.

Vigilantius siue idem, siue alius, fuit Barcilenensis Ecclesiæ in Hispania presbyter: cui eloquentiam & sermonem politum tribuit quidem Gennadius, sed scriptorum scientiam detrahit. Ait etiam, prauo eum ingenio exposuisse Danielis uisionem, & alia quædam tradidisse hęretica nota digna: quę cuiusmodi sint, ex Hieronymi scriptò contra Vigilantium intelligi possunt. Scripserat enim librum, in quo docuerat, non esse martyrum reliquias adorandas, nec ad eorum monumenta tanta cum superstitione uigilandum. Quæ omnia confutat Hieronymus tanta cum acerbitate & conuicijs, ut in eo ipso scripto etiam patroni, & acerrimi Hieronymi propugnatores modestiam desiderent.

BRITIVS.

MArulensis est episcopus Britius, qui pro Christi nomine multa apud eam urbē pertulit, sed placida tandem morte obdormiuit: Sabellico Enneadis septimæ lib. nono: & Bergomensi lib. 9.

FLORENTIVS.

EXtant ad Florentium eruditum, ut uidetur, hominē, aliquot epistolę Hieronymi, ex quibus colligi potest quædam ab eo scripta fuisse. Eius certè opera in libris mittendis Hieronymus usus est.

LVCINIVS.

BEticus fuit natione Lucinius, uir pius & eruditus, præterea diues, qui opibus suis Hieronymi familiam iuuit, & Bethleem adire decreuerat. Quod eius propositum Hieronymus laudat in epistola ad eundem, tomo primo. Est & ibidem epitaphium Lucini, ad Theodoram eius uxorem.

CASTRVTIVS.

ESt ad Castrutiū Pannonium Hieronymi consolatoria, ut oculorum cæcitatem patienter & Christianè ferat, tomo 1.

IVLIANVS.

DIaconus quispiam fuit Iulianus. extat ad eum epistola Hieronymi, tomo primo.

OCEANVS.

AMicorum par amicissimorum Hieronymo, ut apparet, fuerunt, Pammachius, de quo diximus, & Oceanus: ad quorū utrunque multa scripsit, eorumq; tum iudicijs tū consilijs sæpenumero adiutus est. Extat utriusq; simul epistolium ad Hieronymum, quo hortantur, ut à calumnijs Ruffini, & hominum suspicionibus se purget, ostendatq; se ab Origenistarum errore alienū: tomo tertio scriptorum Hieronymi. Laudat eius doctrinam & probitatem in epistola ad Alypiū & Augustinum, tomo eodem.

TRANQVILLINVS.

ESt ad Tranquillinum Hieronymi epistola, admonens quatenus legendus sit Origenes, tomo tertio.

MARCVS, ZENOBIVS, CYRILLVS.

MArcus presbyter Celadēsis, exposuit suā fidem, consentientem cum Romana & Alexādrina, cum in Syria Arianorum factionibus exagitaretur: epistola extat tomo tertio. Meminit in eadem epistola & fratris Zenobij, quem se perinde ut Marcum testes habere suæ fidei dicit. Meminit & Cyrilli, quē sanctum uocat. Extat ad eundem explanatio fidei tomo secundo.

DARDANVS.

ESt ad Dardanum epistola Hieronymi, de terra repromisionis, tomo quarto.

SVNIAS, FRETELLAS.

EXtat ad Suniam & Fretellam prolixa epistola, docens quibus in locis editio septuaginta dissonet ab Hebraica ueritate, & quid in interpretum discordi uarietate potissimum sit sequendum. tomo quarto.

CYPRIANVS.

STudiosissimum presbyterum uocat Cyprianū Hieronymus, eiq; nuncupat explanationem psalmi octogesimi noni. tomo quarto.

MINERIVS, ALEXANDER.

SCribit ad Minerium & Alexandrum, expositionem dicti Pauli: Non omnes quidem dormiemus, &c. tomo quarto.

VECTERIVS.

VEcterio cuidam nuncupati sunt Commentarij incerti autoris in Iob, qui inter libros Hieronymi habentur: tomo septimo.

DE ROMANIS.

MARCELLINVS.

MArcellini Romani episcopi breuissimè meminit Eusebius lib. 7, cap. tricesimo secundo: ubi Caio eum successisse, & à persecutione, quā Diocletianus et Maximinus mouerāt, apprehēsum esse ait: in qua uerò præstantissimū se præbuisse Marcellinū, Theodoritus scripsit lib. 1, cap. 3. Quod tamē cum narratione aliorum de Marcellini defactione, ut mox dicemus, non conuenit. Damasus Romanū eum fuisse indicat, patre natū Proiecto. Episcopatus ei⁹ initiū Hieronymus in annū reiecit Christi ducētesimū nonagesimūseptimū, Diocletiani uerò imperij decimū. Pręclari quicq̄, uehemētia pſecutionis, sicut

sicut Damasus narrat, præpeditus, in Ecclesia agere nõ potuisse uidetur. Ostentat duas eius epistolas liber Conciliorũ, quib. eandẽ, quam cæterorũ decretalibus, autoritatẽ tribuimus. Fingit collector Conciliorum, scriptam ab eo Marcellino priorẽ epistolam ad Salomonẽ quendam episcopũ, de pari essentia, omnipotẽtia et honore patris et filij: cum esse alicubi, qui filium inferiorẽ autoritate patre cõtenderent, Salomonis Marcellinũ monuisset. Quo tamẽ tempore, sub Marcellino scilicet, nulla adhuc de Ario hæresis eius autore fama fuit. Altera ad Orientales episcopos epistola, primùm decreta aliquot continet, de uitanda cõtentione cum fratribus, eorumq; persecutione: de iurgijs inter Christianos coortis, deferendis ad Ecclesiam: & ne quis clericꝰ absq; episcopi sui ꝓmissu, quenq; ad iudiciũ forense pertrahat: nec laicus quisquam clericũ accusare ausit. cui decreto, ut autoritatẽ, subijcit integrũ propemodũ quartũ & quintũ caput epistolæ Pauli ad Ephes.

Duas ei Damasus ordinationes tribuit, quibus episcopos creasit quinque, presbyteros quatuor.

De defectione eius, seu lapsu potius ex infirmitate, narratio prolixa in libro Conciliorum docet: Cum thuris granum, tormentis adactus, idolis adoleuisset, facere id uisus, sacerdotum concilio proditus, atq; aliquot ac cusationib. & testium frequẽti numero compulsus, negauit constanter primùm: postea uerò lapsum cognouit, seipsum condẽnauit, atque animaduerti in se pœnis impietate dignis à synodo Sinuessæ collecta, ut Platina narrat, petijt. Ductus igitur erroris pœnitentia, cum Diocletianũ liberè reprehendisset, capitali supplicio martyr affectus est cũ Claudio, Cyrino & Antonino, iuxta Damasum & Marianum: cum episcopi Romani locum tenuisset annis 9, iuxta Damasum: 8, secundum Marianũ. Vrspergẽsis quatuor eum duntaxat Romanæ sedi præfuisse annis scripsit, passumq; anno Christi 304. De eius pœnitentia & martyrio Mantuanus sic:

At scelus id mox erubuit, sensuq; recepto
Incepit damnare Deos, extollere Christum:
Nec mors horribilis uisa est, sed sponte cucurrit
In medios hostes, iugulumq; tetendit ad ensem,
Fortior in pugnam post signa amissa reuersus,
Victor, & ornatus uiridi discessit oliua.

MARCELLVS.

SVccessorem in Romano episcopatu Marcellini, Marcellũ, Eusebius nec in historia Ecclesiastica, nec in Chronico suo agnoscit: sed Marcellino plures annos q̃ nouẽ, ad Eusebij usq; successionẽ tribuit. Romanũ genere & hunc fuisse, ex patre Benedicto, Damasus tradidit. Initiũ uerò episcopatꝰ eius, annum facit uigesimũ Diocletiani Chronicon Henrici. Extant eius epistolæ duæ in libro Conciliorũ. Altera ad Antiochenses, in qua statuit, ut in plerisq; alijs, ab autoritate primariæ sedis Romanæ nõ esse discedendum, sed ad eã omnia negocia Ecclesiastica esse referẽda: nullã itẽ cõuocandã esse synodũ sine eiusdẽ autoritate. uerùm cõficta uidetur posterioribus seculis, sicut & altera. Nã hac ætate nihil tale cõstitutũ esse, tota historia & ueteres scriptores testantur. Altera, ad Maxentium tyrannum scilicet, in qua primùm commendat Christianam charitatem, collectis undecunq; sententijs de Charitate: deinde repetit constitutionem, de non habendis synodis sine autoritate sedis Romanæ: & ne quis episcopus iniuria affectus, alibi quàm in legitima synodo causam suam dicat. item: Ne audiantur accusationes episcoporum, nisi quorum uita & fides extra suspicionem probata sit. Quæ scilicet commodum fuit scribi à Christiano episcopo ad tyrannũ gentilem: aut quasi tantum potuerit esse libertatis Christiano in persecutione publica & uehemẽti. Eadem epistola apophthegma recitat illud, quod in multorum decretis extat: Boni principis & regis esse, ecclesias contritas atq; scissas restaurare, nouas ædificare, & Dei sacerdotes honorare atque tueri. Cæterùm decretis illis adscripta duo sunt ibidem alia ex Gratiano. Primum: Traditos monasterijs non esse retinendos inuitos, sed liceat eis regredi ad suos: ita tamen, ne si postea ad monasterium redire uoluerint, recipiantur. Secundũ: Ne quis episcopus neq; in causa ciuili, neq; criminali, ad iudicẽ politicũ pertrahatur. id quod est contra ordinationem Dei.

Iussus Marcellus à Maxẽtio ut episcopum se esse negaret, & idolis dæmonum sacrificaret, ueluti Damasus recitat, risit eum. Quamobrem indignatus tyrannus, enecauit eum fœtore iumentorum. Quod Balæus hoc modo retulit. Marcellus Romanus pastor erat, Ecclesiam pascens prudentia & doctrina, ac uir secundum cor Dei, ut cum Propheta loquar, & plenus operib. Christianis. Hic Maximianum Augustum piè admonuit, atq; auertere nitebatur à persecutione sanctorum. Augustus autem magis induratus, ipsum fustibus cædi iussit, & urbe expelli. Intrauit ergo Lucinæ uiduę domum, ibiq; ecclesiam occultam tenuit: quod audiẽs tyrannus, ex eadem domo iumentorũ stabulum fecit, & curam eius episcopo Marcello cõmisit. Epistolis inde, sine alio uerbi ministerio ecclesiã gubernauit, ad sordida officia damnatꝰ. Et in pędore atq; immũdicijs quotidie cruciatꝰ, anno Domini trecẽtesimooctauo spiritũ seruatori Christo reddidit tandẽ: cum Romanũ episcopatum administrasset annis quinque, mensibus sex, diebus uno & uiginti, secun-

dum Damasum & Marianũ. Exemplaria uetustiora de Romanis pontificibus, adscribũt Marcello annos quatuor, sicut collector libri Conciliorum indicat.

EVSEBIVS.

EVsebij Romani episcopi, nec Eusebius in historia sua, nec Socrates, nec Theodoretus, nec Sozomenus denique meminerunt: nisi quòd in Chronico Eusebius de eo breuissimè quædam annotauit, ut postea dicemus. Damasus natione Græcum fuisse eum, natũ patre medico tradidit, ac præfedisse Romæ temporibus Constantini: Eusebius uerò in Chronico, in primum Galerij Maximini annum, episcopatũ eius reposuit, Christi uerò trecẽtesimum octauum. Extant in libro Conciliorũ eius tres epistolæ decretales: prima ad episcopos omnes Gallię, secũda ad Ægyptios, tertia ad episcopos Tuscos & Campanos, qua constituit celebrationẽ annuam diei festi inuẽtionis Crucis, suo tempore inuentæ quinto nonas Maij. Tametsi Marianꝰ scripserit, crucẽ Domini sub Constãtio Constantini patre inuẽtam esse. Decernit deinde, hæreticos ad conuersionem redeuntes, recipiendos esse, & recõciliandos Ecclesiæ per manus impositionem episcopi: si tamen constet eos in fidem prius sanctæ trinitatis baptizatos esse. Quod ipsum Romæ obseruasse Eusebiũ, Damasus indicat. Repetit eandem constitutionẽ in epistola etiam ad episcopos Gallicos. In illa quam ad Ægyptios scripsit, statuit, nõ esse reprehendendũ pastorẽ ab ouibus suis, nec accusandũ, nisi à recta fide exorbitet. Legem deinde fert, expulsos aut spoliatos pastores, in nullã Synodũ aut iudiciũ uocãdos esse, nisi restitutis prius omnib. quę sint ijs erepta, &c. Recitat idem liber quatuor alias cõstitutiones, descriptas ex Gratiano & alijs: non prohiberi scilicet puellas despõsas, monasticen, repudiato matrimonio, profiteri. Et, nõ in serico, sed linteo panno sacrificiũ altaris cõsecrandũ: item, Non soluenda esse ieiunia legitima, &c. Sed quorũ fidem & autoritatẽ (ut & omnia cætera quæ ex eo libro ne quid temerè spreuisse uideamur desumpsimus) lectori æstimandã relinquimꝰ. Quædã enim palàm historiæ huiꝰ temporis repugnãt: quędã uerò superstitiosa, et uerbo Dei cõtraria sunt. Ordinationem huic unam Damasus tribuit, qua crearit presbyteros tredecim, diaconos tres, episcopos quatuordecim. Administrasse uerò episcopatũ eum Romanum mensibus tantum septem, in Chronico suo disertè Eusebius indicat. cui numero mensem unum Marianus Scotus adiecit: ut mirum sit, quamobrẽ Damasus sexenniũ gubernationi eius annotarit. Quem & Platina secutus est: qui numerus tamẽ annorum, marginali annotatione correctꝰ est, qua biennium tantum facit episcopatui Eusebij. Decessit sexto nonas Octobris, secundũ Marianum. Sabellicus Enneadis septimę lib. octauo, iussu Maximini interfectum eum, ex alio rum autoritate retulit. Sed eiusmodi adiectione correxit: Non uidere se, quomodo id admittere possit temporũ ratio, cum eo ipso tempore, quo necatũ à Maximino Eusebiũ hunc prodiderint, Maximinus Herculeꝰ cognomento dictus, ipse dudum interierit.

MILTIADES.

EVsebio trigesimus successit episcopus Romanus, sub annũ Domini trecẽtesimum nonũ, Galerij Maximini alterum, iuxta Hieronymum. Apher fuit natione, iuxta Damasum. Epistolam decretalẽ unam collector libri Conciliorum tribuit ad episcopos quosdam Hispanos, in qua pro coccysmo omniũ ferè Romanorũ episcoporum, edicit, nõ esse cõmittenda iudicia temerè de quibuscunq; clericis: appellandũ esse ad sedem Romanã. Verùm hæc non habet historia huius temporis, sicut ex Synodis & alijs narrationibus apparet. postea admonet necessaria sanè eruditione, capitalia & inter se cõiuncta esse sacramenta baptismi & manuũ impositionis: aut præstantiorem adeò manuũ esse impositionem, quia à præstantiorib. & summis pontificibus adhibeatur. Statuit præterea, Damaso referente, non esse ieiunandũ die Dominico. Idem & Manichæos Romę à se deprehensos scribit: sed utrum confutarit, aut ad societatem reduxerit, nõ addit. Post ordinationẽ unam obijt, eodem autore: cum præfuisset annis rribus, mensibus septem, diebus octo: iuxta Chronicon Hieronymi, annis sex: secundum Marianũ & Zonarã, quatuor. Placentina, ex eodemq; alij, Maximini iussu martyrio affectũ Miltiadem scripsit: quod rectè Sabellicus Enneadis septimæ lib. 8 annotauit, non quadrare ad temporum rationẽ. Galerij enim Maximini imperiũ biennio solo durauit. Quemadmodum nec hoc cum temporum ratione cõuenit, quòd Maxẽtij, Licinij & Maximini temporib. fuisse eum prodiderit, de Constantino autem nihil addiderit: cum tamẽ exemplum epistolæ Constantini, scriptæ ad Miltiadem de cognoscenda Cæciliani & episcoporũ Afrorum causa, apud Eusebium extet lib. decimo, cap. quinto.

SYLVESTER.

SYluestrum natione Romanum, patrem habuisse Ruffinum, Damasus cum cæteris eum secutis tradidit. Addidit Antonius titulo nono, matrem ei fuisse Iustam, re & nomine. Adolescens presbyterum quendam Curionem, rectè credentem, eruditum ac pium sectatus est: apud quem pietatis fundamenta iecit, ut Metaphrastes scripsit. solidius autem eam postea percepit à Timotheo Antio-

Antiocheno quodam, quem Romæ peregrinantem hospitè habuit, & benignè complexus est: sicut in ea ætate, beneficentia & pietate in hospites & pauperes celebris fuit.

Annum agens trigesimũ, à Miltiade episcopo diaconus ecclesiæ Romanę ordinatus est. Quando crudelitatè Maxentij seu Constantini nondum conuersi, ut Metaphrastes narrat, fugiens urbem sponte deseruit, & solitarius in monte uixit, uti Nauclerus, Platina & alij narrarunt. Vincentius à Tarquinio urbis præfecto incarceratum eum, quòd idolis sacrificare noluisset, & post punitum miraculosè præfectum, liberatum à Miltiade dixit: lib. decimotertio Speculi, cap. quadragesimosexto. Miltiade mortuo, populi suffragijs inuitus ac repugnans episcopus designatus est, cõsulibus Crispo & Constantino: ut Sozomenus ostendit lib. 1, cap. 2: Anno Christi, secundum Hieronymũ, trecẽtesimo decimosexto, Constantini imperij 5, quamuis Beda episcopatũ Sylvestri cœpisse decimosexto Constantini anno tradiderit.

Factus itaq; episcopus, docendi munere fideliter functus est, & uitiosa in ordine ecclesiastico multa emẽdauit. Clericos enim usuris ciuilibus uacantes, ad precationes retraxit. Miraculis claruit etiam, quibus multos ad fidem conuertit. Quòd Constantinum lepra infectũ baptizarit, & donationes ab eo regnorum, terrarum & aliarũ preciosissimarum rerum acceperit, hæc quomodo fidem excedant, & impudentissima sint cõmenta, diu post Constantinum & Sylvestrum nata, suo loco retulimus. Hic nec de miraculosa conuersione Iudæorum, per tauri scilicet à præstigiatore Iudæo necati resuscitationem, quicquam dicimus: sed peti nugosam illam narrationem ex Nicephoro uolumus ab illis, qui figmentis delectantur. Tametsi eam rem Metaphrastes uerecundè satis narrarit, si quisquam alius, inserta erudita disputatione Sylvestri cum Iudæis, quæ ex Iustini dialogo cum Tryphone Iudęo descripta uidetur: ac de Deo, de Trinitate, de Christo, duabus naturis in Christo, de lapsu hominis, de restitutione & alijs aliquot partibus doctrinæ, illustria habet testimonia & explicationes. ut, Dicimus unum Deum, qui in tribus personis aut hypostasibus colitur & adoratur. Et, Deus qui produxit omnia, cum ad bona opera produxisset & formasset hominem, ubi eum uidit declinare ad omne uitium, non neglexit suarum manuum figmentum, quod peribat: sed ei placuit, ut suus filius qui manet ab illo inseparabilis (est enim ubique Deus) ad nostros quoq; ueniret fines, factus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Item; Oportebat diabolum uinci ab eo, qui ab ipso victus fuerat. Homo autẽ ab illo victus fuerat. Et: Hominem qui sic natus fuerat, cum uicisset malignus, se insolenter iactabat, ut qui diuino insultasset figmento. Oportet ergo à tali rursus homine uinci & cadere eum, qui est princeps & autor mali. Talis autem est Dominus Iesus, non natus naturæ legibus, sed ut ille ex terra incorrupta, ita Dominus ex utero incorrupto, & uentre uirgineo & sancto. Et quomodo ille fuit uiuificatus diuina insufflatione: ita hic etiam sanctissimo & uiuifico spiritu constitit, perfectus homo in omnibus, sine peccato, &c. Et rursus de occasione lapsus: Per intemperantiam & gloriæ cupiditatem illum decepit. Item, de duabus naturis in Christo: Non duarum, inquit, naturarum in Christo commixtionem, neq; confusionem opinamur, sed unionem quidem, utraq; autem natura suas inconfusas seruante proprietates. Et, Cum perfectũ hominem suscepisset Dominus noster Iesus Christus, & anima quoque, & mens in ea, est assumpta, & carne patiente unà quoq; dolere animam humanæ naturæ legibus, nos quoque dicimus. Cum carne autem Domini pati id, cui non est innatum ut patiatur, dico autem diuinitatem, nunquam dixerimus.

Constitutiones Sylvestri magno numero, suaq; fide laborantes, liber Conciliorum, Luitprandus, Gigas, Platina & alij commemorant: ex quib. minori negocio peti, quàm huc describi possunt. Antoninus ex Gelasio indicat, Sylvestrum instituisse solennitatem feriæ quintæ, propter ascensionẽ Christi, propter cœnæ institutionem, & quòd eo die ecclesia chrisma cõficiat. Omnium uerò dierũ per septimanã appellationes, ut Solis, Lunę, Martis, &c. mutasse in ferias: ut Polydorus indicat lib. 6, cap. 5. Metaphrastes uerò nomina dierum Hebræis usitata retinuisse eũ tradit, solius primi diei appellatione mutata, quẽ Dominicũ dixit. Sabellicus Enneadis septimę lib. 8, instituisse Sylvestrum ait, chrismatis consecrationem per episcopum, eiusq; usum ad signationem baptizatorum, & unctionem morientium. Statuisse item, ne quis presbyter in foro causas ageret: & ut clericorum quisq; ordine uno, unaq; uxore contentus esset.

Post synodum Nicænam, Romæ synodũ aliam habuisse Sylvestrum ex mandato Constantini, episcoporum ducentorum septuagintaseptem, in eaq; cõdemnasse damnatos antea, Arium scilicet, Photinum & Sabellium, cum Calixto quodam, liber Conciliorum ostendit. Enumerat ptæterea alias plures synodos diuersis in locis sub Sylvestro celebratas. Et epistolam habet synodi Nicænæ ad Sylvestrum, Sylvestriq; uicissim ad

ſynodum eandem: cum conſtet, ſynodum Nicænam non ſub hoc Sylueſtro, ſed ſub Iulio frequentatam, quemadmodum ſuo loco probauimus.

Deceſsit abſq; martyrio, ordinationibus ſacris ſeptẽ perfectis, quibus creauit presbyteros uigintiquinq;, diaconos trigintaſex, epiſcopos ſexagintaquinque, cum præfuiſſet epiſcopatui Romano annis uigintitrib⁹: aut iuxta Marianũ, uigintiquatuor, mẽſibus decẽ, diebus undecim. Liber cõciliorũ, Luitprandus, Platina, Euſebij & Hieronymi Chronica, Sylueſtro tribuere uidẽtur annos nouendecim.

MARCVS.

MArcum in Eccleſia Romana præcipua fuiſſe autoritate uirũ & presbyterũ, fortaſſe ſub Miltiade, epiſtola Conſtantini ad utrunq; indicat. Cuius exemplũ recitat Euſebius libro decimo, cap. quinto. Epiſcopũ eum deinde Romanum poſt Sylueſtrũ octo duntaxat fuiſſe menſibus, Hieronymus in Chronico oſtendit, ſub anno Chriſti trecentesimo trigeſimoquarto. Quod ad epiſtolam Athanaſij ad Marcũ, eiusq; uiciſsim ad eum reſcriptam attinet, quæ in poſtremam partẽ operũ Athanaſij reiecta ſunt, cognitio facilis eſt, ſuppoſititia ea eſſe, ſi quis tum res ipſas, tum puerilẽ maximè, ineptã & indoctã orationem ſpectet: aut ſi epigraphin ſaltem quis intueatur. ut, Domino ſancto & apoſtolici culminis, uenerando Marco ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis, atq; uniuerſalis eccleſiæ, Athanaſius, &c. Certè nec eiuſmodi præconiorũ aut titulorum faſtu & ampullis Athanaſius, ad epiſcopos quoſcunq; ſcribẽs uſquã uſus legitur: nec demonſtrari un⁹ aliquis in omnib. eius ſcriptis locus poteſt, in quo epiſcopũ Romanum pro uniuerſalis Eccleſiæ agnoſcat præſide. Quale & hoc eſt in ipſo contextu epiſtolæ, ab impudentiſsimo nebulone cõfictum: Optamus ut à ueſtrę ſanctæ ſedis autoritate, quæ eſt mater & caput omnium eccleſiarum, &c. Vt id interim prętereamus, quod de numero Capitulorũ concilij Nicæni dicitur ab utroq;, quam id minimè cum probatioribus narrationibus de ſynodo Nicæna conueniat.

Porrò Romanum fuiſſe Marcum, ex patre Priſco, Damaſus indicat, qui epiſcopo Hoſtienſi & conſecrationem Romani epiſcopi, & pallium tradiderit, cum id nondum fuerit: templa cõdiderit, ordinationibusq; duabus functus ſit, cum præfuiſſet annis duobus: cũ Hieronymus tamẽ & Marianus Scotus octo ei tantum adſignarint, ut diximus, menſes. Symbolum Nicænum poſt lectionem Euangelij à clero & populo decantari, inſtituiſſe eum, Platina, Polydorus, Bergomenſis & alij referunt.

IVLIVS I.

IVlium Damaſus Romanum fuiſſe, natum patre Ruſtico, ſcripſit. Epiſcopus conſtitutus eſt poſt Marcum, anno Chriſti trecentesimo trigeſimoquarto, Cõſtantini uigeſimo quinto, ſecundum Hieronymi Chronicon. Quæ tamẽ ratio euertitur, ſi ſub hoc Iulio ſynodum Nicęnam fuiſſe, quemadmodum ex Athanaſij apologijs conijcitur, putemus. Athanaſius oratione prima contra Arianos, orthodoxũ eũ uocat, & uirũ Apoſtolicũ: ac fuiſſe quidẽ profeſſorem ſincerũ, acerrimumq; defenſorem Nicænorum dogmatum, Athanaſij cauſa, quam fideliſsimè egit, ut poſtea dicemus, teſtatur. Scriptorum eius hodie nihil extat, præter epiſtolam unam ad Orientales, apud Athanaſium apologia ſecũda. Duæ in libro Conciliorum ſuppoſititiæ, ut uidetur, extant: de quibus infrà. Bergomenſis libro nono, epiſtolam utilẽ & ab omnibus approbatã ſcripſiſſe eum indicat, ad Dionyſiũ quendam de incarnatione Domini, ſed de qua ex alijs autoribus nihil conſtat.

Certamen ei grauiſsimum fuit, quod pro defenſione innocentiæ Athanaſij, & aliorũ, qui ab Arianis & Euſebianis in ſynodo quadam Antiochena eiecti fuerant (ut Paulus Conſtantinopolitanus, Aſclepas Gazenſis, Marcellus Ancyranus, & Lucius Adrianopolitanus) ſuſtinuit. Primùm enim Antiochenæ ſynodo, in qua damnati fuerant illi, Iulius non interfuit, ut qui ne uocatus quidem fuerat: quod & illis poſtea, ut erratum certum obiecit. Deinde cum ad eum Euſebiani calumnias in Athanaſium compoſitas perſcripſiſſent, ac tum iudicium eius, tum ſynodum ab eo petijſſent: & ipſis Euſebianis diem, ad quam Romæ adeſſent, dixit, & Athanaſium uocauit. Quẽ cum ibi eſſe cognoſcerent, uenire ipſi conſcientia ſcelerum ſuorum deterriti recuſarunt. Iulius igitur ſynodum epiſcoporum Italorum, uicinorumq; conuocauit, ac tum Athanaſij, tũ cæterorum qui ſecum eò uenerant, cauſis ſeorſim diligenter excuſsis, cum rectè eos de tota doctrina in ſynodo Nicæna comprobata ſentire cognouiſſet, ad communionem recepit, ſingulisq; eccleſias datis literis reſtituit: atq; Orientales duriter reprehẽdit, quaſi iniuſtè uiros innocentes damnaſſent & proſcripſiſſent. Extat eius reprehenſionis exemplar, epiſtola ad Orientales apud Athanaſium apologia ſecunda: & breuis quædam indicatio apud Sozomenum libro tertio, capite octauo. Ex qua extructa uidetur longa epiſtola ſub Iulij ad Orientales nomine, in libro Conciliorum: quæ & ab epiſtola, quam Athanaſius habet, diuerſiſsima eſt, & multa habet ab ea cauſa, quam tum egit Iulius, aliena: ut gloriationem de primatu

primatu episcopi Romani, & decreta. Ad eas literas Eusebiani aliam continuò synodum Antiochiæ collegerunt, ex qua literas uicissim reprehensorias Iulio remiserunt, duriter obiurgantes, quòd contrarium ipsorum factis ipse statuisset, cum tamen episcoporum Romanorum consilia nunquam ipsi uituperassent, ac ne in simili quidem casu, quando scilicet Nouatum olim Romanus episcopus expulisset, ac quæ in reprehensionem Romani episcopi alia scripserunt: ex quibus longissima epistola in libro Conciliorum cõficta, ut omnino quidem uidetur, extat. Sed Iulius cognitionis & sententiæ suæ de Athanasio cęterisq; suffragatores postea & comprobatores habuit, quicunq; in synodo Sardicensi sincera dogmata profitebantur: cumq; literis suis eorũ causam apud Orientales nihil promouisset, Constantem ea de re certiorem fecit, cuius autoritate & Athanasius & cæteri sedibus suis restituti tandem sunt, quemadmodum suo loco alibi ostendimus. Athanasius apologia secunda: Socrates lib. secundo, cap. decimoquinto: Theodoretus libro secundo, cap. quarto: Et deinceps Sozomenus lib. 3, capite sexto, septimo, octauo & decimo. Epistola gratulatoria Iulij pro Athanasio restituto, ponitur à Socrate libro secundo, capite uigesimotertio: & Sozomeno libro tertio, capite uigesimo.

Quod autem à se damnatos, Athanasium reliquosq; in cõmunionem Iulius recepisset, ob eam rem Orientales in synodo Sardicensi separatim congregati, Iulium deposuerunt. Sozom. lib. 3, cap. 11. In exilium actum eum etiam à Constantio Damasus commemorat, ubi per menses decem ad Constantij usq; mortem fuerit. Sed de eo probatiorum scriptorũ nemo quicquã indicauit: nec cum sequentibus conuenit, quibus ostenditur, uiuo adhuc Constantio Iulium decessisse.

Ostentat porrò liber Conciliorum alterã epistolam Iulij ad Orientales, plenam constitutionibus: quas ex ea peti ab illis, quibus lubet, uolumus: sicut & illa quæ ad finem narrationis de Iulio, ex Gratiano & Iuone adiecta sunt. Damasus ædificationes ei basilicarum & cœmiteriorũ tribuit, cum ordinationibus tribus presbyterorũ octodecim, diaconorum trium, episcoporum nouem.

Mortuus est, ut uidetur, in extrema senecta: quo tempore Constantius, tyrannis Magnentio & Syluano repressis, in Italia ad componenda discidia illa ipsa, quæ in causa Athanasij erant, Occidentalium episcoporũ cum Orientalibus synodum indixerat: cum sedi Romanæ præfuisset annis quindecim, iuxta Socratem & Damasum, qui menses adiecit duos cum diebus aliquot: secũdum Marianum annis decem & sex, mensibus nouem. In Sozomeni narratione mendum est. pro quindecim enim habet triginta quinq;. Socrates libro secundo, capite trigesimoquinto: Sozomenus libro quarto, capite octauo. Obijt anno Domini trecentesimo quinquagesimoprimo, iuxta Balæum.

Gennadius scripsisse eum tradit ad Dionysium, quandam epistolam de incarnatione Christi: quæ utilis quidem illo tempore uisa sit aduersus eos, qui ita dũas per incarnationem in Christo asseruerint personas, sicut naturas: nunc autem pernicioſa sit, fomentum enim sit Eutychianæ & Timothianæ impietatis. Adduxisse ex eadẽ epistola testimoniũ de persona Christi uidetur Cyrillus Alexandrinus in Apologetico suo, hoc modo: Prædicatur ad cõpletionem fidei, & incarnatus ex uirgine Maria Dei filius, qui & habitauit in hominibus, non in nomine energiam operans. Hoc enim in prophetis est, & in epistolis: Perfectus Deus in carne, & homo perfectus in spiritu, non duo filij: unus quidem germanus filius, qui suscepit hominem: alter uerò mortalis homo assumptꝰ est à Deo, sed unus unigenitus in cœlo, unigenitus super terram. Citat idem autem testimonium ex epistola eius ad Prosdocium synodus Chalcedonensis contra Eutychem.

LIBERIVS.

ROmanum fuisse Liberium, patre Augusto natum, Damasus, atq; ex eo cæteri retulerunt. Narratio de Liberij actis in libro Conciliorum, indicat eum diaconum primum fuisse in ecclesia Romana, à Marco episcopo Iulij antecessore ordinatum. In episcopatu Romano, Iulio successit anno Christi (secundum Hieronymi Chronicon) trecentesimo quinquagesimosecundo, Constantij duodecimo. Nicænæ fidei professor fuit constantissimus, & propugnator acerrimꝰ, sicut infrà ostendetur. Extat confessio eius orthodoxa de Deo patre, de Christo, de spiritu sancto, in epistola quadam ad Athanasium, inserta operibus Athanasij ad hunc modum.

Liberij Romani epistola ad Athanasium, Deum uerum perfectum hominem assumpsisse.

¶ Est igitur nostra confessio, optatissime Athanasi, Verbum Dei filium, secundum naturam, ex Deo, eodemq; patre suo, genitum esse, non creatum, semper in imperio collegam Deo & patri, & indefinẽter regnũ obtinere in infinita secula Amen. Spiritũ quoq; sanctum uerè ex Deo naturaliter Deum, indiuisibilem à Deo, secundum diuinas scripturas: ut sit uerè pater, uerè filius, & uerè spiritus sanctus: neq; transferri debere unumquodque nomen à suo significato, cui assignatum est, quo uera sit trinitas sub una deitate,

deitate, ſub una poteſtate, & una ſubſtantia. Non enim diſpertitur Filius aut Spiritus ſanctus à patria ſubſtantia, quę implet cœlum & terrã. Eſt igitur, ut dixi, Trinitas in una ſubſiſtentia, non diuiſa, ſed per eſſentiam una, deitate una, potentia una, & regno una, una quoq; gloria, una item imagine, una deniq; ſpiritu: ſpiritus enim nõ diuiditur. Anathema igitur dices Sabellij & Arij dogmata, & ſuprã annotatas hæreſes, ad æternã pœnam, ſecundum Saluatoris uocem. Huic igitur confeſsioni, frater Athanaſi, quæ uera fides in ſancta catholica & apoſtolica Eccleſia cenſetur, ſi mecum ſentis coram iudice Deo & Chriſto, quæſo ſubſcribas, quò certiores reddamur, num eiuſdem nobiſcum ſuffragij ſis, eademq; ſtatuas de uera fide: ut & ego ſecurior efficiar, tuaque mandata inhæſitanter obeam. Id tibi quoque cognitum uelim chariſsime, filios ueritatis confiteri impatibilem eſſe deitatem, & de aduentu Verbi & Dei in carne ita ſentire: Verbum ſcilicet genitum ex patre Deo, hominem perfectum abſque peccato aſſumpſiſſe ex Maria uirgine ſecundum Euangelia in Chriſto Ieſu, AMEN. Eſt & prolixior fides eiuſdem, quadrans ad ſententiam ſymboli Nicæni, in narratione de actis Liberij, in libro Conciliorum, hoc modo:

¶ Liberius urbis Romæ epiſcopus & prę-ſul, ſemper in fide Trinitatis fixus, patrem & filium & ſpiritum ſanctum prædicans & laudans. Filium namque Deum de Deo, & lumen de lumine, totum à toto, plenum à pleno, non creatum, ſed genitum, non ex nihilo, ſed ex patre, unius ſubſtantiæ cum patre. Sanctum uerò Spiritũ, Deum & Dominum noſtrum, non genitum, neque ingenitum, non creatum, neq; factum: ſed de patre procedentem, patris & filij ſpiritum, ſemper cum patre & filio coæternum ueneramur. Vnum tamen Deum, quia ex uno patre totum quod patris eſt, Deus natus eſt filius: & in patre totum quod ineſt, totum genuit filium pater. Pater filium generans, non minuit nec amiſit plenitudinem ſuæ deitatis. Totum autem quod Deus pater eſt, id eſſe et filium ab eo natum certiſsimè confitentes, cum ſpiritu ſancto unũ Deum pijſsimè confitemur. Credimus quoq; IESVM Chriſtum Dominum noſtrũ, Dei filium, per quem omnia facta ſunt quæ in cœlis, & quę in terra, uiſibilia & inuiſibilia, propter noſtrã ſalutẽ deſcendiſſe de cœlo, qui nunquã deſinit eſſe in cœlo. Et natum de Spiritu ſancto ex uirgine Maria, Verbum carnem factum, non amiſiſſe quod erat, ſed cœpiſſe eſſe quod non erat: non demutatum, ſed Deum permanentẽ, etiam hominẽ natum: non putatiuè, ſed uerè: non aereum, ſed corporeũ: non phantaſticũ, ſed carneum, oſſa, ſanguinem, ſenſum & animam habentẽ: ita uerum hominẽ, & aliàs ut uerum Deum, unum eundemq; uerum hominem fuiſſe, nullo modo ambigimus confitendum. Hunc eundemq; Dominum IESVM Chriſtũ adimpleſſe legem & prophetas: paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixũ ſecundum ſcripturas, tertia die à mortuis reſurrexiſſe, aſſumptum in cœlos, ſedere ad dexteram patris, inde uenturum iudicare uiuos & mortuos expectamus, & ſeculum per ignem.

Nicænæ enim fidei quia pertinaciter adhę ſit, & in Synodo trecentorum epiſcoporum Mediolani contra Athanaſium ſubſcribere noluit, ab Arianis confectum ei exilium eſt. Ruffinus lib. primo, cap. uigeſimoprimo, & uigeſimoſecundo: Theodoretus lib. ſecũdo, cap. decimoquinto. Athanaſi⁹ in epiſtola ad ſolitariã uitam agentes, refert, Conſtantium arte prius rem cum Liberio tractaſſe, quàm in exilium propulerit. Miſiſſe enim Romam eunuchum Euſebium, inſtructũ literis, quibus exilium ei minitaretur: & muneribus, quibus eum ad cõſentiendũ cum Arianis, & ad ſubſcribendũ damnationi Athanaſij permoueret. Sed quas literas minaces floccifecerit Liberius, munera uerò à ſe repulerit: adeò ut & illata ea ab eunucho in templum Petri Apoſtoli, eijci iuſſerit, ut uictimam blaſphemam. Quamobrem indignatus Imperator, inſidias facere Liberio, & perſecutionem parare iuſſerit, ſeductumq; eum dolo è Roma in caſtra ſibi iſti. Qua ex re tametſi motus ingentes Romæ orti ſint, ad Imperatorem tamen pertractus eſt: apud quem nec minas, nec exilium, nec mortem denique ueritus, pietatis cauſam egit animoſe ac confidenter. Hæc enim eius ad Imperatorem fuit oratio: Deſine, inquit, perſequi Chriſtianos, ne tenta per me hæreticam prauitatem in Eccleſiam introducere. ad omnia potius ſuſtinenda parati ſumus, quàm nos Chriſtiani eò deueniamus, ut Ariani appellemur: ne coge nos fieri Chriſti perduelles. Hoc tibi ſuademus, ne pugnes contra eum qui tibi hoc Imperium dedit: ne pro gratia illi impietatẽ referas: ne perſequere illos, qui in eum credunt: & ne tu quoq; audias, Durum eſt tibi cõtra ſtimulum calcitrare. Atq; utinam uel ſic audias, ut & tu quoq;, quemadmodũ Paulus, credas. Ecce præſtò ſumus, uenimus antequam cauſam aliquam contra nos fingerẽt. Ideo enim iter accelerauimus, certi de exilio, in quod à te mittendi ſumus, ut ante obiectum crimen ſupplicium patiamur: quo omnibus euidentius conſtet, reliquos omnes eodẽ modo, quo nos, afflictos eſſe: cauſas q; ipſis crimini datas, fictas fuiſſe ab inimicis, & omnia in illos per ſycophantiam eſſe tentata, nihilque ibi niſi mendacia

uersata fuisse. In eam sententiam maxima cum libertate atque omnium admiratione apud Constantium causam suam Liberium dixisse, Athanasius autor est. Theodoretus hoc fuisse colloquium & certamen Liberio cum Constantio, retulit libro secundo, capite decimosexto: ex quo integrum illud narrationi de Liberio inserere uisum nobis est.

¶ Cõstãtius Imperator inquit: Nos, quòd Christianus esses, dignum te iudicauimus episcopatu urbis nostrę: & ideo accersiuim⁹, ut hortaremur te, nefariæ dementiæ impij Athanasij abnegare societatem. Hoc enim orbis terrarum comprobauit, & decreto synodi alienum ab Ecclesiastica societate pronunciauit. LIBERIVS episcopus inquit: Imperator, Ecclesiastica iudicia cum summa iustitiæ obseruatione fieri debent. Quare si tuæ pietati placet, iudicium cogi impera, ubi, si damnandus Athanasius uideatur, sententia in illũ ordine modoq; Ecclesiastico feratur. Nã fieri nequit, ut condemnetur à nobis, de quo iudicium datum non sit. CONSTANTIVS imperator inquit: Totus orbis terrarũ condemnauit scelera illius, sed ipse à primis temporibus omnes eludit. LIB. episcopus inquit: Quotquot subscripsêre, haud ipsi uiderant quæ facta essent: sed gloriæ & metus, & à te infamiæ causa. IMP. Quid est gloria, metus, infamia? LIB. Quicunque gloriam Dei non diligentes, præferentesque illi munera tua, quem nunquam oculis aspexerant, absq; iudicio condemnarunt: quod est Christianis indignũ. IMP. Atqui coràm est cõdemnatus in Tyria synodo, & condemnatus quidẽ ab episcopis omnib. totius orbis terrarũ. LIB. Coràm ille nunquã est cõdemnatus. Quotquot enim tũc cõuenerũt, & eũ damnauerũt, fecêre hoc nulla ratione, cũ ille de iudicio recessisset. EVSEBIVS eunuchus inquit: In synodo certè Nicæna declaratum est, illum à Catholica fide esse alienum. LIB. Quinq; tantummodo iudicarunt sociorum nauigationis ipsius in Mareote, quos miserãt ut aduersus reum scripturas compararent. horum duo mortui sunt, Theogonius & Theodorus: reliqui tres adhuc uiuunt, nempe Mares, Valens, Vrsacius. Ab his ipsis, missis huius rei causa, Sardicæ suffragia collecta sunt: qui synodo etiam libellos obtulêre, petentes ueniam, quòd in Mareota per calumniam scripturas secum confecissent in Athanasium: quos libellos etiamnum in manibus habemus. Vtris igitur ut adiungamur, persuaderi nobis cõuenit? Iis ne qui prius damnarunt, & postea petierunt ueniam: an his, qui illos nunc damnarunt? Inquit EPICTETVS episcopus: Imperator, non facit iste uerba tecũ, quò tantæ sibi curæ sit fides, aut ecclesiastica iudicia: sed ut apud senatores Romanos gloriari possit, oratione cõclusum à se esse Imperatorem. Tum, IMPERATOR Liberio: Quota, inquit, pars tu es orbis terrarum, qui solus facis cum homine scelerato, & orbis terrarum ac mundi totius pacem dissoluis? LIB. Non diminuitur solitudine mea uerbum fidei. Nam & olim tres solum inuenti fuêre, qui edicto resisterent. EVSEBIVS eunuchus: Facis tu, inquit, Imperatorem nostrũ Nabuchodonosorem? LIB. Minimè quidem: sed sic tu absq; ratione condemnas hominẽ, qui in iudicium adductus non fuit. At ego prius generalem orbis subscriptionẽ proponi uolo, qua cõfirmetur fides exposita Nicææ. Atq; ità reuocatis fratrib. nostris de exilio, & restitutis in suũ quoq; locũ: si turbas cõsensu cum apostolica fide suo, in ecclesijs excitare uideantur, tũ uniuersos cõuenire Alexandriæ, ubi & reus & accusatores & defensores illorũ sunt, & inquisitio in illos disceptatioq; instituti poterit. Inquit EPICTETVS episcopus: Sed nec publica uehicula sufficere poterunt episcoporum itineribus. LIB. Neq; indigent publicis uehiculis Ecclesiastica: suisq; episcopis ad mare mittendis quæq; Ecclesia suffecerit. IMP. Quorum forma est expressa, retexi nequeunt: plurimùm enim Episcoporũ calculus ualere debet. Tu es unus, qui amicitiam tueris scelerati illius. LIB. Nunquam auditum, inquit, est, absente reo pronunciasse de scelere iudicem, tanquam priuato irritatum erga illum odio. IMP. Ille quidem læsit uniuersos, sed neminem æquè ac me. Qui non cõtentus interitu iunioris fratris mei, nunq̃ cessauit beatum Constantẽ impellere ad inimicitias nostras: sed nos summa mansuetudine & instigantis & instigati impetus tulimus. Nullus mihi tant⁹ successus cordi est, neq; aduersus Magnentiũ, neq; aduersus Syluanũ, atq; scelesti huius à rebus ecclesiasticis amotio. LIB. Ne ulciscare inimicitias, Imperator, in episcopis. Man⁹ enim Ecclesiasticorum, sanctificationi uacare debent. Proinde si tibi uidetur, iube in suũ quemq; locũ restitui episcopos: & si fuerint cõgruentes uisi cum illo qui tuetur rectæ sententiæ fidẽ, expositam Nicææ, tũ conuentu habito tractẽt de pace mundi: ne innocentem uirũ oppressisse uidearis. IMP. Vnum est quod quæritur: uolo enim tibi gratum esse consensum cum ecclesijs, & Romam reuerti. Quare consule paci: & cum subscripseris, redito Romam. LIB. Vale iam dixi fratribus Romanis: potiores enim sunt mihi leges Ecclesiasticæ, quàm uita Romæ degenda. IMP. Habes igitur spacium trium dierum, quo deliberes, uelis ne post subscriptionem Romã reuerti:

reuerti: an aliquem locum, quò traducaris, eligere. LIB. Trium dierum, uel etiam mensium spacium, rationem non immutat. Quare mittas me licet quò libet. IMPERATOR post duos dies requisitum Liberium, & perseuerantem in sententia, imperauit relegari Berrhœá, quę est in Thracia. LIBERIO abeũti misit Imperator solidos quingẽtos in sumptus. Liberius, illi qui attulerat, Abi, inquit, redde Imperatoti: opus enim his est, militibus ipsius. Similiter & Regina misit ei totidem: quos & ipsos referri iussit ad Imperatorem, quod esse illi opus diceret ad expeditiones. Si autem opus his Imperatori non fuerit, det (inquit) Auxentio & Epicteto, quibus opus est. Cumq; ab illis noluisset accipere, detulit alios ei Eusebius eunuchus. Cui Liberius: Deuastatis ecclesijs, inquit, orbis terrarum, tunc mihi eleemosynam offers, ut condemnato? Quin tu abi, & Christianus prius efficere. Missus igitur exulatũ in Thraciam est, anno Imperij Constantij (secundum Hieronymum) uigesimoprimo, Christi trecentesimo sexagesimoprimo. Exulauit autem Berrhœæ, Thraciæ urbe, biennium: ut Theodoretus & Sozomenus indicant. Damasus, Platina, atque ex ijs alij, triennio eum exilium in Thracia pertulisse tradunt. Præcipuos autem & instigatores Imperatoris, & exilij Liberij paratores, Vrsacium fuisse, & Valentem, quibus post Synodum Ariminẽsem potestatem liberam Constantius dederat persequẽdi, quotquot decretis eius Synodi non subscripsissent, Sozomenus retulit lib. quarto, capite decimonono. Reuocatus inde post biennium est, quemadmodũ Theodoretus indicat, & Athanasius apologia secunda, & in epistola ad solitariam uitam agentes. Causæ uerò reuocationis ab alijs aliter recensentur. Socrates libro secundo, capite trigesimoseptimo, paulo pòst Liberium reuocatũ scripsit, eo quòd populus Romanus per seditionem, Felicem, quem successorem ei surrogarant Ariani, expulisset. Theodoretus libro secundo, capite decimoseptimo narrat, matronas primariorum Romanorum, de consilio maritorum suorum, pro restituendo Liberio apud Imperatorem interceſsisse: quarum precibus ille motus, Liberio redeundi copiam fecerit, sed communem eum gubernationem cum Felice habere iusserit. Quod cum dicterijs populus incesisset, uno ore conclamans, unus Deus, unus Christus, unus episcopus: Felix in aliam urbem secesserit, relicta uniuersa administratione Liberio. Quę & Sozomeni sententia est libro quarto, capite decimoquinto: qui Liberium ad preces Occidentalium episcoporum ab Imperatore reuocatum tradit. Qui de defectione Liberij, cuius Socrates & Theodoretus planè non meminerũt, obscura quædã addit, quibus diuersa tamen statim subijcit. Nos reliquorum testimonia de Liberij defectione ad Arianos, breuiter commemoramus.

Athanasius in epistola ad solitariam uitam agentes, disertè indicat, Liberium post exactum in exilio biennium, inflexum, minisq; mortis ad subscriptionem contra Athanasium inductum fuisse. In quo eum tamẽ excusat: uerba eius adscribimus. Verùm illud ipsum, inquit, & eorum uiolentiam, & Liberij in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, cum liberos affectus haberet, satis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem eius sententiam extorta sunt, eæ iam non metuentium, sed ita cogentium uoluntates habendæ sunt. Quanquam hæc de subscriptione in Athanasiũ, ad quam impulsus Liberius sit, non de consensu in dogmate cum Arianis dici uidentur. Ac facit huc propemodum Ruffini sententia, quam & ipsam adscribimus: Liberius, inquit, urbis Romæ episcopus, Constantio uiuẽte regressus est: sed hoc, utrum quòd acquieuerit uoluntati suæ ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, à quo proficiscens fuerat exoratus, pro certo compertum non habeo. Quod tamen in Chronico suo Hieronymus uberius ostendit, Liberium nimirum uictum exilij tædio, in hæreticam prauitatem subscripsisse: quæ etiam uerba Marianus Scotus habet. Idem rursus in Catalogo suo, ex Sophronio retulit: Liberium à Fortunatiano episcopo Aquileiẽsi fractum, & ad subscriptionem hæreseos compulsum fuisse. Ait & Balæus, ex Hieronymi testimonio, Liberium ex ambitione in hæresin Arianam lapsum, à fidei integritate recessisse. Platina, Liberium tum Imperatori, tum Arianis manus dedisse, significantius adhuc retulit. Gigas, martyrio Felicis (quod tamen quàm sit incertum, suprà retulimus) Liberium motum, hæresi subscripsisse ait, atq; Arianis consensisse. Sed quod, ut incertum, in medio relinquimus.

Quæ deinceps Liberij fides aut uita ad episcopatus sui finem fuerit, perspicuè, quod sciamus, nusquam proditum est. Lingua uel manu subscripsisse eũ magis quàm mente, quod de iuramento cuiusdam Cicero dixit, omnino uidetur: quemadmodum & Athanasius eum excusauit. Constantẽ certè in professione fidei Nicęnæ manssisse, exemplum Macedoniorum, qui cõsensum cum sede sua & communionẽ cum ecclesia Romana secũ inierũt sub Valente, indicat. Quam historiam prolixè Socrates cõmemorat lib. quarto, cap. undecimo & duodecimo: ubi & exemplum literarum Liberij ad episcopos Macedo-

Macedoniorum, de resipiscentia eorum recitat, in qua apertissimè profitetur, catholicã & Apostolicam eam esse fidem, quæ inde à Nicæna synodo illibata atq; inconcussa permanserit. Meminit eius receptionis Macedoniorum, Basilius epistola septuagesimaquarta: & Epiphanius libro tertio Tomi primi, hæresi septuagesimaquinta.

Recitat, præter hoc Liberij ad episcopos Orientales Macedoniorum scriptum, liber Conciliorum unum atque alterum adhuc: sed quorum neutrum, siue res quis spectet, siue uerba, simile aliquid habet exemplo scripti Liberij, quod Socrates posuit. prius est ad Athanasiũ & Aegyptios, qui ex synodo priores scripsisse ad Liberium finguntur de Arianorum molestijs: quod tamen scriptũ inter Athanasij scripta nusquam habetur. In eo & fides Nicæna commendatur: & quibus supplicijs in Arianos, tranquillitatem ecclesiarum perturbantes, animaduertendum sit, præcipitur. Vrgetur & autoritas sedis Romanæ pro uniuersali Ecclesia: quod tamen insolentię nondum sibi tum arrogarunt Romani episcopi, quod apud probatos quidem legatur scriptores. Alterum scriptum, epistola est ad omnes uniuersaliter episcopos monitoria, ne quis persecutionibus fractus Ecclesiam suam deserat, sed duret & patiatur: de quo utroque iudicium lectori liberum esto.

Sequuntur eiusdem Liberij constitutiones, quas ex uetusto quodam codice descripsisse se cõuasator ille indicat. Prima, ne quis iurgia cieat in diebus ieiuniorum. Secunda, ut in quadragesima coniugati à coniugibus abstineant: quia nihil prosit ieiunium, cõiugali opere pollutum scilicet. Tertia, ut famis aut pestilentiæ tempore, ieiunijs, eleemosynis, & precationibus Deus placetur.

Commemorantur ibidem & aliæ eius actiones, ex Damaso, & narratione de Liberij actis: ut quòd ędificarit & exornarit templa: quòd baptizarit multa hominũ milia in Pascha & Pentecoste: postremò, quòd ordinationes duas celebrarit, ac crearit presbyteros octodecim, diaconos quinq;, & episcopos diuersorum locorum nouendecim. Posteaquã sedem Romanam administrasset annos sex, menses tres, dies quatuor, secundum Damasum: annis uerò decem & nouem, iuxta Marianum. Hieronymus in Chronico, ab initio episcopatus Liberij annos numerauit octodecim.

FELIX II.

ROmanus fuit Felix genere, patre natus Anastasio: quemadmodũ Damasus indicat. Primùm autẽ Liberij episcopi diaconus fuit. Postea Liberio in exilium à Constantio expulso, in locũ eius ab Arianis surrogatus, & cõmunione eorũ cõmaculatus est, sub annum Domini trigesimumquintum, iuxta Hermanni Chronicon: uir alioqui catholicus, & qui incorruptã seruaret Nicęæ expositam fidem, nisi quòd in suspicionem uenit, propterea quòd eligi se ab hæreticis, & coniungi cum illis passus est: ob quod ab eo se separarunt Romani ciues, eoq; docente nemo eorum templum ingressus est. Ruffinus lib. 1. cap. 22. Theodoret. lib. 2. cap. 17. Sozom. libro quarto, capite undecimo.

Congressus tamen cum hæreticis fortiter est, ut ne Constantio quidẽ ipsi pepercerit, sed hæreticum ac secundò baptizatũ ab Eusebio Nicomediensi declararit. In synodo etiam quadragintaocto episcoporũ Arianos, Vrsacium & Valentem Constantio consentientes, condemnarit: si uera sunt quæ Damasi nomine in libro Conciliorum referuntur. Est in eodem libro epistola episcoporũ Aegyptiorũ ad Felicem, qua certiorem facit eum de iniuria & infestatione Arianorum. quibus ipse per epistolã ujcisim respondet: & hortatur, ut persecutiones patienter ferãt. Alia rursus ad eosdem est, cõstitutiones XXI sanciens: de non accusandis episcopis apud magistratum ciuilem, de spoliatis aut ui expulsis episcopis restituendis, de non admittendis testimonijs aduersus religiosos infamium: de frequentandis synodis ab episcopis, aut mittendis legatis, si comparere ipsi non possint: quibus primatibus & quibus archiepiscopis liceat esse, &c. Citat eius testimonium de Christi persona, in Apologetico suo Cyrillus. itemq; synodus Chalcedonẽsis, ex epistola ad Maximinianũ episcopũ & clericos Alexandriæ, hoc modo: De incarnatione uerbi, & fide, credimus in Dominũ nostrum IESVM Christum, ex Maria uirgine natum: quoniam ipse est æternus Dei filius, & uerbum, & non homo à Deo susceptus, ut alter esset pręter ipsum. Nec enim hominẽ assumpsit Dei filius, ut esset alter pręter ipsum: sed Deus existens perfectus, factus est simul & homo pfectus, incarnatus ex uirgine, &c.

Ordinationem unam confecit, qua presbyteros creauit XXI, diaconos V, episcopos per diuersa loca XIX. Cum ad interceſsionẽ Romanarum mulierum Liberius reuocatus esset, uterq; simul aliquandiu episcopatum gesserũt, ad Felicis usque mortem, quę paulo pòst quàm Liberius redijsset, secuta est: sicut Sozomenus indicat libro quarto, capite decimoquinto. Sed Theodoretus Felicem in aliam se contulisse urbem, cum Liberius rediisset, scripsit: libro secũdo, capite decimoseptimo. Contrà Socrates libro secundo, capite trigesimoseptimo, per seditionem à Romano populo expulsum Felicẽ scripsit: sicq; Liberium reuocare, Imperatorẽ coactũ.

Damasi narratio in libro Conciliorum de Liberio, ostendit, Felicé à Constantio, quòd cum Liberius reprehẽdisset, in synodo cum Vrsacio & Valente episcopatu depositum esse. Quo relicto, Felix secesserit in prædiolum suum in uia Portuensi: ibiq; in pace requieuerit, quarto Calendas Augusti. Sed in narratione de Felice ait, Felicem propter reprehensionem à Constãtio capitis damnatum, & supplicio affectum esse, cum multis clericis ac fidelibus, occultè, iuxta muros urbis Coronæ, ad lacus Traiani, tertio Idus Nouembris: cum Romanæ sedi prę fuisset anno uno, mensibus tribus, & diebus tribus.

Conradus Halberstadensis in suo Chronico narrat, Leonem quendam Felici succes sisse in episcopatu Romano. Verùm Antoninus tit. 10. cap. 3. ait, eam rem esse incertã, ac suspicatur uel Antipapam fuisse, sic nominatum: uel Liberiũ etiam dictum esse Leonem, qui Felicé præcesit. & hinc esse, quòd in catalogo Pontificum passim huius Leonis nulla mentio fiat. Referunt autem historiam mirabilem. Leonem Papam Arianum, coegisse synodum. eò cum Hilarius Pictauiensis quoq;, siue non uocatus, siue (ut alij uolunt) tardius quàm par erat uenisset, Leo prohibuit, ne cæteri episcopi aduenienti Hilario, ut moris erat, assurgerent. Quod cum Hilarius uidisset, nõ dari sibi ullum inter reliquos locum, uoluit humi considere, erumpens in hæc uerba: Domini est terra, & omnis plenitudo eius. Sed mox terra se in altum eleuans, locum sedendi Hilario cæteris æqualem præbuit. Leo id conspicatus, maiori indignatione accensus est, ac dixit ironicè: Tu ne es Hilari⁹ Gallus? At ego sum Leo pontifex Romanus. Modestè respondit Hilarius, se Gallum non esse, sed in Gallia episcopali munere fungi: neque hoc ignorare, ipsum Leonem esse, uerùm non de tribu Iuda. Eam responsionem Leo crimen læsæ suæ Maiestatis reputans, cum stomacho inquit: Ego tibi ostendã quòd sim Leo, ubi rediero. Mox enim intestinorum tormentis extimulatus, cloacam petijt. Verùm in ea, perinde ut Arius, intestinis effusis interijt. Eadem recitat Hermannus Gygas. Verùm cum reliqui præstantiores historici huius rei nullam fecerint mentionem, nos quoq; in dubio relinquemus.

DAMASVS.

DAmasum Hispanum fuisse, pleriq; prodiderunt: nisi quod Platina, et narrationes de Romanorum episcoporum uitis, quæ in tomis Conciliorum extant, Romanum adserunt, natum patre Antonio quodam. Episcopatus eius initium in Iulianici imperij tempus, ex recentioribus sunt qui reijciant: ut Platina, idem & Sabellicus Enneadis septimæ libro octauo. Quod uerò Nauclerus ut inconueniens refutat: & ad episcopatum sub Valentiniano peruenisse, à Socrate libro quarto, capite uigesimonono scribitur, anno Christi (iuxta Hieronymi Chronicon) trecentesimo sexagesimonono, quo scilicet tempore Valens ab Eudoxio Ariano deceptus, seditionem mouit aduersus orthodoxos: & terræmotus per totum orbem terrarum factus est, ut Contractus indicat. Fuit autem electio eius turbulenta maximè, ideo quòd competitor Damasi Vrsinus quidam, ecclesiæ Romanæ diaconus, obscuris aliquibus, interq; eos flagitioso & audaci cuidam episcopo persuasisset, ut in occulto quodam ecclesię loco post Damasi electionem episcop⁹ & ipse ordinaretur: quę temeritas in summum abijt periculum, ac seditionem, adeò ut sanguine templa quædã repleta tum sint, cũ accessisset sæuitia Maximi præfecti: Rufino teste lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 10. & loco iam memorato Socratis. Sed abijcere conatus suos Vrsinus, & plebem seditione motam compescere coactus est. Platina, in ecclesiam Neapolitanam traductum Vrsinum, quem Vrsicinum ipse nominat, tradidit.

De ingenio & scriptis eius, in Catalogo suo hæc Hieronymus & Suidas retulerunt: Damasus Romanæ urbis episcopus, elegans in uersibus componendis ingenium habuit, multaq; & breuia heroico metro edidit, quorum tamen ullum neuter nominauit. Extat autem in secundo Tomo operũ Hieronymi epistola, de tribus quæstionibus ueteris legis: sed falso, Erasmi etiam testimonio, Damaso adscripta. Ibidem & symbonio, Damaso adscripta. Ibidem & symbolum Damasi nomine legitur. Rursus aliud epistolium breuissimum, quo declarationem eius, Osanna filio Dauid, ab eo Damasus requirit, insertum est Hieronymi scriptis quarti Tomi. Idemq; deinde in epistola ad Eustochium, librorum Damasi de uirginitate, inte hoc modo meminit: De uirginitate, inquit, libellos legas papæ Damasi uersu prosaq; compositos. Meminit & Enarrationũ in XVI prophetas Damasi, rudimentum Nouitiorum: quarum uerò hodie nihil alicubi extat.

Apud Theodoretum libro secundo, capite uigesimosecundo, eius de fide ad Illyricos epistola scripta ex synodo Romana sub Constantio, extat: & alia ad synodum Constantinopolitanam sub Theodosio congregatã, de cõdemnatione Apollinaris & Timothei, apud eundem libro quinto, capite nono. Alia item fidei confessio, missa ad Paulinum episcopum Thessalonicensem, contra hæreticos, apud eundem libro eodem, cap. 10. Rursus ad Paulinum Antiochenum episcopum

pum alia Damasi, in operibus Clementis Romani. & Tomo primo Conciliorum continetur epistola hoc titulo: Quòd Christus integrum hominem susceperit, sine peccato: Et quòd unus sit Christus ante secula ex patre natus, & in tempore ex uirgine editus. Alia item ad Hieronymum de interpretatione Psalmorum, & propagando ad ecclesiam Romanam ritu psallendi. Et alia prolixa ad Stephanum episcopum Mauritaniæ, titulo de autoritate sedis Apostolicæ, & episcoporum accusatoribus: quæ & in primo tomo Conciliorum legitur. Atq; iterum alia de Chorepiscopis ad Prosperum Numidiæ archiepiscopum, aliosq;: quæ & ipsa in libro Conciliorum habetur. Alia denique ad episcopos Italiæ, quæ tum Clementis operibus postposita est, cùm in libro Conciliorum continetur.

Trithemius, & pleriq; eius generis scriptores, uel ante, uel post eum, aliorum etiam quorundam meminerunt scriptorum: ut libri de gestis Pontificũ, quos ante se Damasus habuit, qui in tomo Conciliorum habetur: Epistolarum item ad diuersos, quæ sine dubio illæ sunt quas recensuimus, ac de quibus iudicium lectori liberum relinquimus: exceptis illis quas ex Theodoreto, probato scriptore, protulimus. Carminum etiam diuersorum, quorum & Hieronymus ac Suidas, ueluti ostendimus, meminerunt. Scriptores denique recentes, Gesnerus & Lycosthenes, Damasi Brocardium seu Brocardorũ librũ de contrarietatibus, in Elenchis suis annotarunt: qui cuiusmodi sit, ignoramus.

De Damasi fide & doctrina, luculenta ex epistolis & symbolis eius testimonia recitat Theodoretus: ex quo aliquot commemorabimus. Sensit rectè omnino de tribus in diuinitate personis, ac de unaquaque separatim, ad mentem autoritatemq; dogmatum Apostolicorum, Nicenęq; synodi explicationem & professionem, quemadmodum ipse testatur. Nã in epistola ad Illyricos, apud Theodoretum libro secundo, capite uigesimo secundo, disertè ait: Fidem suam atq; ecclesiæ Romanæ, fundatam esse in doctrina Apostolorum, eoq; firmissimo muro, quem Arianæ maledicentiæ uniuersisq; machinationibus diabolicis opposuerint patres sanctissimi CCCXVIII in concilio Nicæno. Ac postea ait: Credi oportere patrem & filium esse unius essentię, unius diuinitatis, unius uirtutis, unius potentiæ, unius characteris, itemque unius substantiæ ac essentiæ Spiritũ sanctum quoq;. Testatur & Flauianus Antiochenus presbyter coram Paulino, Apollinari & Meletio (apud eundem lib. 5. cap. 3.) Damasum in confessione unius essentiæ, tres substantias de trinitate manifestè prędicare: tum quòd integram humanam naturam assumpserit Deus Verbum asseuerare: & in rescripto ad episcopos in synodo Cõstantinopolitana cõgregatos, Damasus perspicuè asserit, Christum filium Dei, humano generi per suam passionem absolutissimã contulisse salutem, ut hominem totũ à peccato occupatum, à toto peccato liberaret. Eum denique de Trinitate articulum contra hęreticos omnes uendicat & tutatur in cõfessione fidei Catholicæ ad Paulinum Thessalonicensem, apud eundem lib. eodem, capite sequẽti: ut mirum sit, qua temeritate tot inutiliũ ceremoniarũ sanctiones multi ei tribuerint, de quibus pòst dicemus. Quanquam autem fratres uocat reliquos, ad quos scribit episcopos omnes, insolentius tamẽ de ecclesia Romana sensisse uidetur, in ea cuius proximè mentionem fecimus ad Constantinopolitanum conuentum epistola, quam sic incipit: Quòd debitam reuerentiam Apostolicę sedi uestra habet charitas, uobis filij charissimi præstatis ipsi plurimum, &c. Theodoretus libro quinto, capite nono.

Constitutiones eius duas has, Epistola sequens ad Paulinũ Thessalonicensem cõmemorat: Eos qui de ecclesijs ad alias ecclesias transierint, tantisper pro alienis à cõmunitate nostra habebimus, donec in eas urbes redierint, quarum pręsulatus primùm accepêre. Sin quis in alterius, qui sedẽ mutauerit, locum suffectus fuerit, reuersus ille prior in suam urbem, tantisper dignitate pontificali priuatus esto, dum successor ipsius obdormiscat in Domino. Narratio porrò ex lib. Pontificali de Damaso, ait eum constituisse Psalmodias diurnas & nocturnas per omnes ecclesias. Plura deinde decreta epistolæ eius explicant, sed ueterem canunt cantionem. repetunt enim ex superiorum episcoporum constitutionibus, leges de iudicijs Ecclesiasticis, de synodis referendis ad autoritatem sedis Apostolicæ, de non criminandis sacerdotibus, &c. Hæc uerò ex Gratiani & Iuonis annotatione liber Conciliorũ pro decretis Damasi recitat. Primùm: Si accusator in accusatione defecerit, talionem recipiat. Secundò: Si quis episcopum, aut presbyterum, aut diaconũ falsis criminibus impetierit uel accusauerit, & probare nõ poterit, nec in fide dandam ei cõmunionem censemus. Tertiò: Ecclesiarũ oblationes sub Laicorum dominio non detineantur. Quartò: Spiritũ sanctũ blasphemant, qui sacros canones uiolant. Quintò: Vt quisquis metropolitanus infra tres menses consecrationis suæ, ad fidẽ suam exponendã, palliumq; suscipiendũ, ad Apostolicã sedem nõ miserit, commissa sibi careat dignitate, &c.

Commemorant & alias Damasi constitu-

tiones Nauclerus, Sabellicus, Platina & alij: nimirum quòd in fines Psalmorum adijcien dum indixerit, Gloria patri, &c. Quodq; in principio celebrationis, dicere cõfessionem instituerit. Ac multa alia, quæ in gubernatione egerit, narratio ex libro Pontificali exponit: ut ædificationes & exornationes templorum, restaurationes martyrum monumentorum, ordinationes presbyterorum XXXI, diaconorum undecim, episcoporum per diuersa loca sexaginta duorũ. Verùm de his rebus aliàs diximus.

Certamina pro doctrinæ puritate multa habuit laudatissima. Primùm, synodum egit Romæ, in qua fidem Nicænam confirmauit, Auxentiumq; Mediolanensem Arianum condemnauit, & fidem ex Nicęnorum patrum dictatione repetitam ad ecclesias & episcopos per Illyricum scripsit. Theodoret. lib. 2. cap. 22. qui & lib. 4. cap. 30. tradit, eum coniunctis cum Ambrosio Mediolanensi operis, pugnasse fortiter pro sacris dogmatis, & hæreticos in diuersis ac remotis locis inclamasse: rectè uerò sentientes, in ultimas etiam relegatos terras, scriptis suis cõfirmasse. In expositione uerò fidei ad Paulinum, apud eundem lib. 5. cap. 10, damnat expresè Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonianos, Photinum & Marcellum. Apollinarij hæresin Romæ in frequenti condemnauit synodo. Ruffinus lib. 2. cap. 20: Theodoret. lib. 5. cap. 9. Sozom. lib. 6. cap. 23. anno Christi, quemadmodum Hieronymus ostendit, trecentesimo septuagesimonono. De certamine, quod ei post electionem cum Vrsicino competitore fuit, suprà diximus. Familiaritas ei præcipua & uetusta cum Hieronymo fuit, cuius opera in scriptionibus literarum synodalium usus est: sicut Hieronymus ipse testatur in epistola ad Eustochium. Deinde autem insignibus compluribus testimonijs Hieronymus subinde, quanti autoritatem Damasi fecerit, indicauit: ut in Apologia pro libris suis aduersus Iouinianum, ubi Damasum uocat uirum egregium, & in scriptu ris eruditum, uirginemq; uirginis Ecclesiæ doctorem. In præfatione uerò in quatuor Euangelia, summũ eum uocat sacerdotem. Testantur postremò tot dedicationes scriptorum Hieronymi, quæ Damaso peculiariter nuncupauit, quanta inter utrumq; animi & uoluntatis fuerit coniunctio. Rursus Damasus ipse, ardens eius sedulitatis probat ingenium, in breui eo epistolio, cuius suprà meminimus. Est & autor Sabellicus Enneadis septimæ lib. 9, à Damaso Hieronymi scripta accepta, primùm illustrata & autoritate donata fuisse. Sed & Athanasius in epistola ad episcopos Africæ, Damasum, dilectissimũ & comministrum suum uocat, atq; studium eius in congreganda synodo Romæ contra Arianos cõmendat. Agit & gratias, quòd ea quæ de Auxentio scripserat, pro ueris habuerit: quodq; Vrsacium & Valentem, eorumq; gregarios, ut hęreticos excluserit, unitatemque Ecclesiæ seruauerit. Meminit & Gregorius Nazianzenus Damasi, ac beatũ eum appellat, in epistola ad Clidonium.

Cum Petro Alexandrino quanta ei fuerit amicitia, communis illa probat Apollinarij commendatio, quam suprà retulimus ex Theodoreto. Ac narrat Socrat. lib. 4. cap. 22. Petrum elapsum ex carcere, post ordinatum ab Arianis Lucium, Romam ad Damasum confugisse: Damasum uerò per literas Petri ordinationem cõprobasse, eumq; Lucio expulso ecclesiæ suæ reddidisse: quemadmodũ idem indicat lib. 4. cap. 37. ubi & Mosæ Saraceni fidem approbatam fuisse ab hoc Damaso retulit. Cum Ambrosio, celeberrimo Mediolanensiũ episcopo, qua diligentia in toto occidente cõtra hæreses decertarit, suprà indicauimus. Flauiano Antiocheno deniq; cui prius ipse, propterea q, nõ sat iustis rationibus post Euagrij mortẽ, episcopatũ Antiochiæ occupasset, succẽsuerat, Theophilo intercedente recõciliatus est. Socrat. li. 5. ca. 15.

De periculo suo, quod cum indignitate et cõtumelia à diaconis suis, Concordio & Calixto, narrat ipse in libro pontificali (si is tamen est, quem de episcoporũ Romanorũ uitis conscripsit) cõmemorant ex eo & alij, ut Sabellicus Enneadis septimæ lib. 9: nimirũ quòd adulterij ab illis accusatus, causam suã dicere in frequenti episcoporũ cõuentu coactus, sed absolutus tandẽ sit, accusatoribus proscriptis. Mortuus est octogenarius sub Theodosio, Hieronymo & Suida testib⁹, postea quã episcopatũ gessisset annis XVIII (Socrat. lib. 7. cap. 9.) Anno Christi, iuxta Nauclerum, trecentesimo octuagesimoquinto: secundũ Prosperi uerò continuationẽ, anno Christi 387, Imperij Gratiani cum filio Theodosio, quinto.

SYRICIVS.

ROmanus natione Syricius, patrẽ habuit Tiburtium. In episcopatu Damaso successit, anno Imperij Gratiani & Valentiniani sexto: Christi anno 387, secundũ Prosperi. Extant eius in lib. Conciliorũ epistolæ decretales quatuor, ex quib. dogmatica prima ad Humeriũ Tarraconensem episcopum rectè cẽsuit, baptizatos ab Arianis, si ad Ecclesiã redeant, minimè esse rebaptizãdos, sed sola manus impositione recipiendos. De pœnitentia statuit, apostatas & idolorũ cultu pollutos, si pœnitentiã agant & declarẽt, esse recipiendos si: qui uerò post pœnitentiam in priores sordes deuoluantur, à cõmunione

nione mensæ Dominicæ esse separandos. Quin & monachis & monachabus, si exilicitis complexibus liberos susceperint, pœnitentiam dandam, & reconciliationem indulgendam esse: quam & sacerdotibus simili lapsis errore, non negandam censuit. Ritus plurimos & constitutiones ex epistolis ipsis peti uolumus: quarum ea quæ ad ecclesiam Mediolanensem scripta est, etiam inter Ambrosij epistolas extat. Rectè monuit, in ordinatione cautionem & diligentiam adhibendam esse, ne temerè et inconsideratè ordinentur seu diaconi, seu presbyteri illi, quorum fides non sit explorata, & doctrina examinata, aut qui sint neophyti. Constituit item maritos, si honestè & probè uixerint, ad omnes ordines promouendos esse. Sed consuetudinis coniugalis usum, post ordinationem acceptam interdixit. Item, ne clerici flagitiosi etiam post debitam pœnitentiam ad dignitatem aut ordinem, quem prius gesserunt, rursus admittantur: ne puellam desponsam alius ducere expetat: ne quis episcopum ordinet, sine sedis Apostolicæ autoritate. Digamiam prohibuit, adeò ut nec laicum post uiduam ductam in clerum admitti uoluerit. Antiphonas Psalmis admiscuit. Balæus.

Certamina cum hæreticis aliquot habuit: Manichæos Romæ deprehẽsos communione priuauit, et exilio damnauit. Iouinianum hæreticum cum sectatoribus suis Auxentio, Geminatore, Felice, Photino, Marciano, Iannario & Ingenioso, extra Ecclesiam in perpetuum damnauit: de qua re ad ecclesiã Mediolanensem scripsit. Damasus de constituto quodam, ut uocat, ab ipso contra omnes hæreses composito, atque in omnes prouincias distributo scripsit.

Familiaris Ambrosio Mediolanensi fuit episcopo, cuius ad Siricium aliquot extant epistolæ: ut quæ in ordine quadragesimana est, & quinquagesimaquarta, in qua patrẽ eum suum nominat.

Post ordinationes quinq;, quibus presbyteros creauit uiginti sex, diaconos decem & sex, episcopos per loca diuersa XXXII, mortuus est circa annum Domini quadringentesimũ, posteaquã Romanæ sedi præfuisset annis quindecim: iuxta Socrat. lib. 7. cap. 9. & Sozom. lib. 8. cap. 25. & Damasum: decimosexto uerò, secundũ Prosperi Chronicõ.

BRITANNICI DOCTORES.

RESTITVTVS.

REstitutus Britannus, Londinensis archiepiscopus uxoratus, & Hilario Pictauiensi episcopo pariter coniugato notus, Arelatensem in Gallijs synodũ adijt religionis gratia, anno Domini trecentesimo quinquagesimo, in qua liberis diaconorũ coniugijs, etiam post susceptos, ut tunc erant, ordines, cum cæteris & ipse consensit, eaq; statutis legibus pacificauit. Balæus centuria prima & decima, in qua hæc de Restituto ad hunc modum repetit: A Brytannorum rege Constantio missus, Arelatensi Galliarum interfuit synodo, anno à Christi natiuitate trecentesimo quinquagesimo, partim ut de religione apud eos aliquid sciret, partim ut celebrandarum synodorum uideret formam. Ex qua hæc secum statuta, in Brytanniam attulit: Scilicet, ut si diaconi in ordinatione sua protestarentur se uxores ducturos esse, illis liceret facere, atque simul in ministerio permanere: & ut metropolitani arbitrio synodus conuocetur, ac celebretur cum alijs multis. Erat Restitutus homo pro sua ætate multipliciter doctus, ac uita modestissimus: qui inter alia scripsit ad suos Brytannos, de Arelatensi synodo librum unum: ad Hilariũ Pictauiensem epistolas plures. Claruit anno suprà dicto, sub Constantio, &c.

KEBIVS CORINIVS.

KEbius Corinius Britannus, Salomonis Cornubię ducis filius, uirtute et ingenio pręclarus, maiori literarũ, ut tunc erant, q̃ paternarũ opum studio tenebatur. Sed quoniã rariusculum est (ut Lelandus habet) uidere prophetã inter suos habitantẽ, reputari, censeri, aut in precio haberi, foris apud exteros ingenij periculum facere omnino cõstituit. Galliã ergo petijt, & Pictonũ inuisit urbem, numero doctorũ uirorũ celeberrimã: cui tũc præfuit Hilarius põtifex sanctus, Theologorũ planè decus eximiũ. Kebius hinc anchorã altius figendã existimans, gratiã eius antistitis modis omnib. sibi cõparare satagebat. tandemq;, quod uoluit, maximè impetrauit: illius nempe familiaritatem ac beneuolentiã. Nõ ut ab eo episcopus in Monã insulã designaretur, ut idem Lelandus habet: quoniã à populi suffragijs pontificũ electio tunc pendebat, nõ ab extremæ gentis antistite. Venodotas ergo & Monadas, gentes Cambrię uersus Boreã, patriæ redditus, exemplis & sana informauit doctrina. Scripsisse fertur ad Hilariũ Pictauiẽsem epistolas plures, & alia. Claruit anno salutis humanæ 380. Balæus, scriptorũ Britanniæ centuria prima.

DE MONACHIS.

ASIATICI.

MONACHI PER SYRIAM, PALÆSTINAM, BITHYNIAM, & RELIQUA ASIÆ LOCA.

Sub Constantino magno.

EVTYCHIANVS.

CElebris Sozomeno monachus Eutychianꝰ est, in Bithynia, circa Olympũ,

religione Nouatianus: quem clarum fuisse dono medicandi, atq; alijs miraculis ait, & magni nominis atq; autoritatis apud imperatorem Constantinum, cui ob pietatem & uirtutem charus, atq; in honore fuit: adeò ut quæcunq; ab eo peteret, obtineret. Sozom. libro primo, capite decimoquarto.

Sub Constantino Iuniore, Constante & Constantio.

ABRILIVS, ALEXION, ALAphion.

COniungit hos tres monachos Sozomenus libro tertio, capite decimoquarto. Et Abrilium Anthedonium uocat, Alexionem à Bethagathone, Alaphionem ab Asalea, eosq; piè ac generosè in philosophia monastica in Palæstina conuersatos, & Christianam religionem in ciuitatibus uehementer Ethnicis plurimũ prouexisse. In tanta etiam apud Palæstinos autoritate & ueneratione fuisse, ut eorum memoriã publico anniuersario die celebrarint.

BARLAAM, IOSAPHAT.

BArlaam heremita fuit: Iosaphat filius regis Auenniri Indiæ, à Barlaam cõuersus. Eorum historiã plenam ineptissimis nugis, peculiari libello narrat Damascenus: sed qui de Barlaam narrationem instituens, constare sibi negat, quis aut de qua gente aut familia Barlaã fuerit. Nec tempus quidem Auenniri regis, aut huius Barlaã indicare potest: quomodo & incertum esse tempus tum Barlaam, tum aliorum monachorum, Vincentius scripsit: qui fabulosam, ut omnino uidetur, eam narrationem retulit libro decimoquinto, capitibus aliquot. Sed cum apud uetustiores & probatiores autores nulla horũ mentio fiat, plura de his uerba facere, ociosum & indignum iudicauimus.

DANIEL, SYMEON.

DAniel & Symeon monachi fuerunt eremitæ, celebres in Syria, nõ procul ab Amidenorum ciuitate, circa montem Gaugalium. Sozomenus libro tertio, capite decimoquarto. Et Symeonem discipulum Ephrem Syri fuisse, idem testatur libro eodẽ, capite decimosexto.

HILARION.

EXtat de uita Hilarionis narratio longa apud Hieronymũ, ad quem lectorem remittimus. Interea uerò, quæ de eo dici satis nobis esse uidentur, breuiter commemoramus. Natus fuit Hilarion parentibus idolis deditis, in uico Thabatha (Sozomenus Thabacam legit) uicino urbi Gazensium in Palęstina. Sozomenus in Cypro eum educatum scribit. A parentibus Alexandriam missus, & Grammatico cuidam celebri traditus est: apud quem in literis & doctrina profecit laudabiliter, maximè uerò in dicẽdi arte, quę famam ei & beneuolentiam apud omnes nõ mediocrem peperit. Sed cum Antonij, celeberrimi tum in Ægypto monachi nomẽ Alexandriæ audijsset, cupiditate & desiderio eius uidendi, in Ægyptum profectus est: & apud eum mensibus duobus cõmoratus, uitæq; genus quod profitebatur ille, ac morũ grauitatem contemplatus, ipse quoq; monastica uita delectatus est. In patriam igitur, monachis quibusdam comitantibus, reuersus, ubi parentes defunctos cognouit, hæreditatis suæ partem fratribus, partem pauperibus distribuit, nulla in suos usus parte reseruata. Postea monasticen professurus, natus annos quindecim, in solitudinem inter Maioniam emporium Gazense, & littus per quod in Ægyptum iter est, sitam, infestam latrocinijs concesit. Sozomenus locum circiter stadia uiginti à patria distasse retulit: ubi habitaculo ex lateribus, testis, iunco & uirgultis cõstructo, latitudine pedum quatuor, altitudine uerò pedum quinq;, ita ut stanti caput inclinare, iacentem uerò pedes cõtrahere necesse esset, ad multos annos philosophatus est: cum quidem in Palæstina & Syria nondum essent monasteria, atq; autoria uitæ generis per Palæstinam & Syriam Hilarion meritò perhibeatur. Sed ad exemplum eius innumerabilia postea in ijs terris monasteria condita sunt.

Miraculis plurimis claruit: quorũ aliquot Sozomenus libro quinto, capite decimo & decimoquinto, plura uerò in uita eius Hieronymus retulit. ut dono medicandi, sanandi à dæmonibus obsessos, auertendi imminentia pericula & calamitates, & ꝓphetiæ. Quibus, ubicunq; esset, gloriã sibi magnã parauit: quam summo fugiens conatu, hospitiũ frequenter mutauit, & in diuersis locis commoratus est. Et enumerant aliquot eius profectiones Sozomenus & Hieronymus, ex quibus mira illa maximè fuit (si nõ planè fabulosa uideatur) quam, post obitum Antonij, cum ante biduum decessisset, seu dono suo quodam peculiari, seu admonitione diuina intelligens, ad montem eum, in quo domiciliũ suum Antonius habuerat, suscepit. Inter cætera eius exercitia commendabile illud præcipuè fuit, quòd sacras scripturas, quas tenuisse eum exactè Sozomenus scripsit, post psalmos & precationes Deo quasi præsente recitare solitus est. Proxima sunt, laborum assuetudo, ocij atq; indulgentię impatientia, continentia: famis, sitis, æstus, frigoris, cæterarumq; molestiarum tolerantia. Vestitus ei saccus fuit, & ex pellibus consuta tunica, quã ab Antonio aliquando dono acceperat. Cibus, quem ante solis occasum nũquã sumeret, carices erant, & herbarũ succi: ut Hie-

ut Hieronymus narrat, & superstitiosi° quidem, ad hunc modum · Vicesimoprimo, inquit, anno usq; ad uicesimum septimum, tribus annis dimidium lentis sextariũ madefactum aqua frigida comedit, & alijs tribus panem aridum cum sale & aqua. Porrò à uicesimoseptimo usque ad tricesimum, herbis agrestibus, & uirgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A' tricesimo autem primo usq; ad tricesimum quintum, sex uncias panis hordeaci, & coctum modicè olus, absq; oleo, in cibo habuit. Sentiens autem caligine oculos suos, & totũ corpus impetigine & punicea quadam scabredine cõtrahi, ad superiorem uictum adiecit oleũ: & usq; ad sexagesimum tertium uitæ suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. Inde cum se uideret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à sexagesimoquarto anno usq; ad octogesimũ pane abstinuit, incredibili feruore mentis, ut eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem (superstitiosam nimirum: Honorem corpori non habentes, Colos. 2.) Domini, quo cæteri solent remissius uiuere. Fiebant autem ei de farina & comminuto olere sorbitiunculæ, cibo & potu uix quinq; uncias appendẽtibus. Sicq; complens ordinem uitæ, nunquam ante solis occasum, nec in diebus festis, nec in grauissima ualetudine soluit ieiunium. A' precando et psallendo si quando uacaret, aut humum fodiebat, aut fiscellas ex iunco contexebat: quòd audiebat, exercitia hæc & disciplinam esse monachorum Ægyptiorum. Lectus ei ad mortem usq; nuda fuit terra, & stratum interdum iunceum. Illusiones diaboli multiplices frequenter expertus est, maximè orans & ieiunans: ut nudas mulieres, instructam mensam dapibus, gladiatorũ spectacula, aliasq; eius generis præstigias, corporis etiam pulsationem. Nec immeritò. seipsum enim sine Dei mandato tentationibus Diaboli exposuit. Nec periculis quidem caruit. Sub Iuliano enim, à Gazensibus requisitus ad mortem est: quo tempore in Brutio, nõ procul ab Alexandria, cum monachis uiuebat. Inde igitur in Siciliam aufugit: ubi lingua ex desertis mõtibus in urbes gestando, uictum sibi quæsiuit. Ex Sicilia ad Dalmatas uenit. Tandem ad Paphum, Cypri urbem, in secretiore quodam & aspero loco philosophatus est: ubi & diem suum obijt, annos natus LXXX. Ex eo autem loco Hesychius, seu Hesychas secundum Sozomenum, quem ex discipulis suis familiarissimum habuerat, reliquias eius clàm subreptas in Palæstinã trãstulit: opus sanè ad superstitionem non infrugiferum & incommodum. Hæc de Hilarione Sozomenus & Hieronymus.

HADRIANVS.

DIscipulus Hilarionis fuit etiam Hadrianus, à quo parum reuerẽter habitus est, ideo quòd post Iuliani necem in Palęstinam reuerti noluisset. Dedit autem contemptus sui pœnam insignem: morbo enim regio cõputruit. Hieronymus in uita Hilarionis.

IVLIANVS.

IVlianum Saba, Syriaca lingua cognomento dictũ fuisse, Theodoritus autor est: cuius se uitam in historia sua, Philotheo prolixè scripsisse testatur. Ac Sozomenus quidem affirmat, Ephraim Syrum historiographum, commentarium de uita eius cõscripsisse, sed horum hodie nihil reliqui est. Monasticen professus est sub Constãtio, circa Edessam Syriæ, mirandis maximè donis clarus: ut expellendi dæmones, & sola precatione omnis generis morbos curandi. Sozom. lib. 3. cap. 14. Sæuiens libidine delendi Christianos Iulianus, cum atrocia multa in eos tum comminaretur, tum moliretur, fertur Iulianus is, ardentibus Deum precibus cum lachrymis, ut conatus hostis immanissimi infringeret, inuocasse: atque inter orandum subitò gaudio mentis perfusum, uultũ omnẽ ad hilaritatẽ cõposuisse. Rogatum autem à familiaribus, qui cum eo tum fuerint, exponeret ipsis, tã derepentè inter lachrymas, gemitus & singultus, obortę sibi tranquillitatis & hilaritatis occasionem, respondisse: Suem nimirum agrestem, uastatorem uineæ Domini, pœnas exoluisse iniuriarũ erga Dominum suum: ac nunc iacere mortuum, ita ut ne cui amplius ab insidijs eius metuendum sit. Idq; postea euentu deprehensum fuisse, eadem hora qua Iuliano monacho id acciderat, q tamẽ quàm longissimè ad fuisset ab eo loco, Iulianum cę sum fuisse. Theodoritus libro tertio, capite uigesimoquarto. Familiaris fuisse uidetur constantibus sanæ doctrinæ inter tumultuationes Arianorum sub Valẽte defensoribus, Flauiano, Diodoro, Aphraatę & Acacio: qui, cum de hoc Iuliano mendacia diuulgassent Ariani, facere scilicet eum secum, ad Iulianũ Acacium miserũt, obsecrantes ut Antiochiã ueniret, & sparsas de se ab Arianis mendacibus calumnias redargueret, ueritatiq; patrocinium ferret. Relicta igitur solitudine Iulianus Antiochiam tum uenit, ac confecta de se mendacia confutauit: tantumq; præsentia sua effecit, ut ad rectè sentientium cœtus uniuersa multitudo accederet. Theodoritus libro quarto, capite uigesimoseptimo. Sozomenus adeò eum domuisse corpus suũ, & macerasse scripsit, ut carnis nihil propemodum, præter cutem solam et ossa circumtulerit. Sozomenus libro tertio, capite decimoquarto.

MARAS.

DIscipulus est Ephraim monachi celebris Maras, Sozomeno lib. tertio, capite decimosexto.

PAVLONAS, ARANAD.

DIscipuli fuerũt Ephraim, eloquentia clari, Paulonas & Aranad. Sozomenus lib. tertio, capite decimosexto: Nicephorus libro nono, capite decimosexto, utrumque ex doctrina sanæ fidei excidisse narrat.

Sub Valentiniano & Valente.

AMMIANVS.

MOnasticen circa Antiochiã exercuit Ammianus sub Valente. Theodoretus lib. quarto, capite uigesimooctauo.

BARGES.

FVit ex monachis illis Barges, qui circa montem Nisibi uicinum Sigoron philosophantes, Greges appellati sunt: quòd herbis iumentorum instar uictitarunt. Sozom. libro sexto, capite trigesimotertio.

BASSVS, BASSONES.

FVerunt monachi in Syria caua: hoc enim nomine, nec pluribus, eorum meminit Sozomenus libro sexto, capite trigesimoquarto.

BARSES.

BArsen inter monachos Syros numerat Sozomenus libro sexto, capite trigesimoquarto: & ait episcopum in suo monasterio fuisse. Theodoretus uerò libro quarto, capite decimosexto, narrat celebrem eius fuisse memoriam Edessæ & in Phœnicia, Ægypto ac Thebaide, propterea quòd plenus Apostolica fuerit gratia, & morbos per preces curandi dono præstiterit. Quod cum celebritatis ei causa fuerit, & ad se undiq; homines attraxerit, exilia aliquot sub Valente expertus sit: ut in insula Arado, & in oppido Aegypti Oxyrincho: postremò in castello quodã hostibus propinquo, cui nomen fuerit Pheno, in quo senex mortuus sit.

BATTHAEVS.

MOnachus fuit in Cœlosyria, tantæ abstinentiæ, tamq; frequenter ieiunans, ut ex eius dentibus uermiculi scaturierint. Sozomenus libro sexto, capite trigesimoquarto. De hoc iudicandũ est iuxta dictum Pauli Colos. 2. In superstitiõe & humilitate, & nõ parcendo corpori, nec honorem ei habendo, quantum carni satis est.

SALAMINAS, PHYSCON, MALAchion, *Crispion.*

QVatuor hos fratres fuisse nobilitate celebres in Palæstina, & philosophiam monasticam professos esse in patria, quam circa Betheleam oppidum in agro Gazeno habuerunt, sub magistro Hilarione: Sozom. tradit libro sexto, capite trigesimosecundo.

EVSEBIVS.

NVmerat Eusebium quendam inter monachos Syros, qui apud Nisibenos ad montem Sigoron philosophati sunt, & Greges, quòd herbis pascerentur, nominati, Sozom. lib. 6. cap. 33.

HELIODORVS.

MOnachus est ex eorum ordine qui Greges dicti sunt, in Syria: Sozomenus lib. sexto, capite trigesimotertio, & trigesimoquarto: qui ieiunia per septimanã integram continuare, & noctes multas insomnes ducere ualuit. Gennadius scripsisse eum unum librum ait, de naturis rerum exordialium: in quo ostendat unum esse principiũ, nec quicquam coæternũ Deo. Nec mali conditorem esse Deum, sed ita bonorum omniũ creatorẽ, ut materia, qua ad malũ usus est, pòst inuenta malitia à Deo sit facta. Nec quicquã materialium absq; Deo conditum credendũ esse, aut fuisse aliarum rerum creatorem præter Deum, qui præsentia sua cum uiderit mutãdam naturam, præmonuerit de pœna.

HALLAS, VEL ALAS.

SOzomenus Alam, Nicephorus Hallam, monachum Syrum quendam nominat, tantæ abstinẽtiæ, ut per annos totos septuaginta panem prorsus non attigerit: ignarus scilicet illius dicti Paulini 1. Timoth. 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendũ quod cum gratiarum actione accipitur. Sozom. lib. 6. cap. 34. Nicephorus libro undecimo, capite quadragesimo.

ACEPSEMAS.

INsolitudine Cyri urbis monasticen exercuit Acepsemas, usus eiusmodi disciplina, ut ad annos sexaginta in conclaui abditus lã tẽret, cum nemine colloquens, neq; alicui se conspiciendum offerens: contra Pauli præceptum ad Ebræos 10. Adiuuemus nos mutuo ad prouocandam charitatem, & bona opera, non deserentes collectionẽ nostri, sicut consuetudo est quibusdam. Theodoret. lib. quarto, capite uigesimooctauo.

ISAAC.

ISaacum monachum Iscalitum uocat Sozom. lib. 6. cap. 40. Paulus Diaconus Isacium uocat libro 12. Solitariam is uitam egit in tuguriolo in finibus Constantinopolitanis, quemadmodũ ex Theodoreti & Sozomeni indicatione clarũ est. Suffragator fuit Nicænę fidei, & assertor constans, ac periculi propter Deum negligẽs, quemadmodum sequens declarat historia. Nam Valentis in Orthodoxos persecutionem ulciscẽs Deus, Scythas aduersus eum armauit, qui Romanas prouincias Thraciã & Macedoniã populati sunt. Contra eos cum expeditionẽ Valẽs fatalem sibi duceret, Isaac ei Constantinopolim egresso his uerbis animose insultasse dici-

dicitur: Quonam abis Imperator, bello aduersus Deum suscepto, eiusq; ob eum furorem tuũ auxilio destitutus? An nescis, quot hominum in blasphemiam linguas armaueris, & quot pios ac laudatos uiros ex ecclesijs expuleris: ob quorum scelerum uindictam barbaros aduersus te nunc Deus extimulauit? Quin tu potius pugnare desine, ac redde prius gregibus optimos pastores: ita sine negocio ad te redibit de hostibus victoria. Sin hac admonitione mea neglecta, ad bellum tamen progredière, re ipsa senties, quàm contra stimulum recalcitrare durum sit. Nam nec saluus, nedum uictor reuertêris ipse, & in discrimen ac interitum certum adduces copias tuas. Iratus autem Imperator: Et reuertar, inquit, & occidam te, suppliciuḿque exigam mendacis uaticinij tui. Cui ille, nequaquam minas eas extimescés: Occide, inquit, si deprehenderis in oratione mea mendacium. Sed non redibis: non enim mendacium per me Deus locutus fuerit. Igitur Imperator cõprehendi eum iussit, & in custodia, donec redijsset, asseruari. Sed infœlici cum barbaris, & temerario congressus cõflictu Valens, fuga saucius elapsus in uicum quendam est, in quo ab hostibus incenso perijt. Quod in carcere cognouisse Isaacum, iisq; qui circa se essent dixisse, incendio iam perire Valentem, Zonaras auctor est. Theodoretus libro quarto, capite trigesimoquarto: Sozomenus libro sexto, capite quarto. Zonaras de Valente.

LAZARVS.

EX monachis Syris circa Nisibenos, ijs quos Greges dixerunt, Lazarus est, postea monasterij episcopus factus. Sozomenus libro sexto, capite trigesimotertio, & trigesimoquarto.

LEO.

INter monachos seu Galatas, seu Cappadocas, clarissimum habet Leonem quendam Sozomenus libro sexto, capite trigesimoquarto. Nicephorus Leontium eum uocat lib. 11. cap. 41. Sozomenus eum Ancyranę postea Eccleśiæ episcopum factum, tradit ibidem.

PAVLVS.

PAulum monachum Syriacum, Sozomenus ait, cum plurimorum in diuersis locis societate monachorum usus fuisset, tandem in loco, lugato dicto, consedisse: contuberniumq; monachorum frequens ac celebre instituisse, in quo senex admodum, ut qui Sozomeni ipsius tempora contigerit, mortuus & sepultus sit. Sozomenus libro sexto, capite trigesimoquarto. Paulum alium habet in Apamiensium regione solitariè philosophantẽ, Theodoretus libro quarto, capite uigesimooctauo.

PRAPIDIVS.

CElebris inter monachos Cappadocas Prapidius senex est, Sozomeno: qui multorum eum uicorum episcopum fuisse, simulque nobilissimo pauperum hospitio, à Basilio extructo, cui ob id Basilidi fuerit nomen, præfuisse, scribit lib. 6. cap. 34.

PETRI.

PEtri duo, Galata alter, alter Aegyptius, monachi sunt in mõte uicino Antiochię. Theodoretus lib. 4. cap. 28.

ROMANVS.

IN eodem mõte etiam Romanus quidam nomine monachum egit. Theodoretus ibidem.

SYLVANVS.

SYluanum natione Palæstinum, in Ægypto primùm philosophatum: deinde in monte Sina aliquandiu habitasse, postremò in Geraris maximũ ac clarissimũ plurimorũ bonorũ uirorum contubernium cõstituisse: Sozomenus lib. 6. cap. 32. tradit.

SOLON.

MOnasticen urbanam Solon professus est Rhinocururæ, cuius ciuitatis episopus etiam fuit, Melani antecessoris monachi simul & episcopi frater, quo & præceptore usus est: monachus factus ex mercatore. Commendatur beneficẽtia in pauperes, apud Sozomenum lib. 6. cap. 31.

SIMEONES.

MOnachus est in Apameensium regione Simeones, apud Theodoritum libro 4. cap. 28. Alius item Antiochenus monachus eiusdem nominis, ibidem.

SEVERVS.

ESt & Seuerus monachus in monte ad Antiochiam sito: Theodoreto libro quarto, capite uigesimooctauo.

THEODORVS.

MOnachus est in Syria caua Theodorus, qui ab incolis, cum nondum Christiani essent, contumelias & plagas perpessus est: Sozomeno lib. 6. cap. 34.

VITVS.

MOnachus fuit & episcopus ecclesiæ Caris, qui etiam Constantino notus quondam fuit. Quem aiunt, cum primùm eum cõspexisset, dixisse, uirum eum frequenter sibi in uisionibus ostensum fuisse: seque per eas iussum, ut eius dictis obsequeretur. Sozomenus libro sexto, capite trigesimotertio. Nicephorus libro undecimo, capite quadragesimo, hanc narrationẽ inuertit. Refert enim, Vito huic Constantinum in uisionibus oblatum fuisse. Et quòd Vitus homines cohortatus sit, ut quod Constantinus statuisset, obsequenter facerent.

VALENTINI.

MEminit Valẽtini monachi in Syria caua, quem

quem Emiſenum alij, Arethuſanum alij natione fuiſſe dixerunt: alterius rurſus Valentini à Tittis Apameorum oriundi, monachi ibidem. Sozomenus libro ſexto, capite trigeſimoquarto.

ZOZIMVS, *uel Zozimas.*

MOnachus Palæſtinus fuit Zozimus, inuentor Mariæ Aegyptiacæ: ſicut in ea narratione dicemus. Fulgentius lib.6.

ZENON, ABDALEOS, ABDOS.

EX monachis ijs quos greges dixerunt, circa Niſebenos ad montem Sigoron philoſophantibus, ſunt, Zenon, Abdaleos, & Abdos. Sozomenus libro ſexto, capite trigeſimotertio.

ZENO.

MOnachus eſt Zeno in monte ad Antiochiam: Theodorito libro quarto, capite uigeſimooctauo.

ZEVGMATIVS.

EIdem & Zeugmatius eſt monachus admirabilis, apud Cyreſtenſes: qui quamuis cæcus eſſet, tamen ſedulò circuiuit oras, docens & confirmans, lupisque repugnans. Theodoritus ibidem.

EVLOGIVS.

SOzomeno libro ſexto, capite trigeſimoquarto, Eulogius monachus eſt Syrus: qui epiſcopus tandem ab ijs, apud quos claruit, in monaſterio creatus eſt.

GREGORIVS.

MEminit Gregorij, quem presbyterum uocat, & abbatem monachorũ, Epiphanius in epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum, quam latinam fecit Hieronymus.

Monachi ſub Gratiano & Valentiniano.

MOSES.

MOnachus eſt Moſes in monte ad Antiochiam, Theodorito libro quarto, capite uigeſimooctauo.

MARCIANVS, MARIANVS.

THeodoreto Marcianus monachus eſt in ſolitudine Chalcidenſi, Marianus uerò monachus alius Antiochiæ: libro quarto, capite uigeſimooctauo.

MALCHVS.

EIdem Malchus eſt monachus in monte amœno ad Antiochiam. Theodoritus ibidem, cuius uitam prolixiori narratione cõſcripſit Hieronymus, exercendi ingenij magis (ut Eraſmus rectè cenſuiſſe uidetur) cauſa, quàm rem, ut eſſet, ſimpliciter explicandi propoſito. Ait autem, hunc Malchum oriundum ex uico Maronia, Antiochiæ propinquo: à parentibus primùm coactum, ut uxorem duceret: ijs non obſecutum, monachum fieri potius uoluiſſe. Ab ijs igitur digreſſum, cum uiatico in ſolitudinem Chalcidenſium ueniſſe, ac Monachorum eorum quos ibi inuenerit, diſciplinæ ſe tradidiſſe, & manuum labore uictum quæritaſſe, corpuſq; ſuum ieiunijs caſtigaſſe. Ex eo uerò loco poſt annos aliquot, pręſide maximè inuito & dehortante, cum iam patrẽ ſuũ mortuum intellexiſſet, profectum, à Saracenis captum, atq; ouibus paſcendis præfectum fuiſſe: habuiſſe autem et ibi monaſticæ diſciplinæ loco ſua exercitia, ut aut oraret, aut Pſalmos, quos in monaſterio didiciſſet, caneret. Cum autem aliquot annis liberaliter & fideliter ſeruijſſet, gregesq; domini auxiſſet, tandem præmij loco à domino mulierem quandam captiuam, eandemq; dominiſeruam, uxorem ducere coactum eſſe. cumqua in ſpecum ubi ſeceſsiſſet, mortem conſciſcere ſibi uoluiſſe: ſed ab ea ne id faceret, retractum eſſe: poſtea uerò cum ea de contubernio quidẽ, ſed profeſsione caſtitatis perpetua, conuenerit. Præfuiſſe autem aliquandiu domini gregibus: ac ſubreptis aliquando duobus hircis eximijs, & carnibus eorum ad uictum ſegregatis, ex pellibus utres formaſſe, & flumen tranſijſſe, ac in ſpecum leonum ueniſſe: & dominum eius illum inſequentem, ac ex ſpecu extrahere conantem, à leæna cum ſeruo quodam alio laceratum eſſe. Verùm nos huius narrationis fidem liberam lectori relinquimus. Ad poſtremum autem ſic ereptum miraculoſe, in monaſterium ex quo prius exierat, redijſſe: in eoq; reliquæ uitæ ſpacium, uxore uirgine, in eo quidem quod cum illa inierat matrimonio, mulierum contubernio tradita, ſolitarium exegiſſe. Hæc in uita Malchi monachi Hieronymus. Ac mirum ſanè eſt, quòd tot huius hominis ſcelera, prius cõmendanda, quàm damnanda, Hieronymus cenſuerit. Nam parentibus non præſtitit obedientiam, contra præceptum Dei, Honora patrem & matrem. Præceptis hominum & uita monaſtica fruſtra Deum coluit, Matthæi decimoquinto. Interficere ſeipſum in animo habuit, cõtra mandatum Dei, Non occides. matrimonium ſecundum doctrinam dęmoniorum (1. Timoth. 4.) contempſit. Furtum commiſit, contra Dei præceptum, Non furtum facias.

PALLADIVS.

FLoruit cum Euagrio præceptore ſuo Palladius monachus, paulo poſt Valẽtis mortem, ut Socrates iudicat, duris multiplicibus corporis exercitijs & miraculis clarus, quæ in religioſa hiſtoria Theodoritus cõmemorat. Scripſit de geſtis & ſermonibus monachorum & monialium: ut Socrates oſtendit lib. 4. cap. 23. qui liber hodie extat, inſcriptus Lauſiaca hiſtoria. Sed is an Palladij ſit ille, cuius Socrat. meminit, ęſtimãdũ alijs relinquimus.

mus. Theodoritus libro quarto, capite uigesimooctauo, Antiochiæ fuisse Palladium scribit, familiarem Simeoni, Eusebio, Ammiano, eiusdemq; professionis alijs. In sacra uerò historia refert, eum uixisse inclusum in parua quadam domuncula, uicina maximo uico ad Antiochiam, ut uidetur, cui nomen lemme fuerit.

Sub Valentiniano & Theodosio.

MACEDONIVS.

IN montibus Antiochiæ uicinis, priuatam & solitariam uitam egit Macedonius quidam, homo literarum & scripturæ diuinæ prorsus ignarus: hoc in more solum habens exercitij, ut interdiu & noctu precationibus uacaret. Memoriam uerò sui pia quadam libertate & confidentia peperit in hunc modum. Barbarorum incursationibus bellisque assiduis coactus Theodosi⁹ Imperator, tributum aliquando extraordinariũ ab Antiochenis exegerat. Quod indignè & uiolenter illi ferentes, seditione mota, statuã quandam æream Placillæ reginę demoliti fuerãt, ac per magnam urbis partem illudentes traxerant. Quamobrem & libertatem ciuitati Antiochensium Imperator eripuerat, eamq; incensurum se, & uastaturum minatus fuerat. Magistratus etiam quosdam in ipso deprehensos facinore interfecerat. Minas eas uerò per præfectos Antiochensibus miserat, quos Macedonius, fama nimirum Imperatoris adductus, in urbem ex montibus profectus, in media adortus urbe, de equis descẽdere prius iussos, sic allocutus est: Age nunciate, ô amici, Imperatori, nõ Imperatorem solum esse se, uerùm & hominem: quamobrem nõ imperium tantum suum existimet, sed et naturam ei considerandam esse: cumq; sit ipse homo, communis generis subditos se habere. Naturam autem humanam ad imaginem & similitudinem diuinã esse perfectam. Quare ne tam crudeliter atq; immaniter imaginem Dei iugulari præcipiat: irritaturum enim fabricatorem illius imaginis supplicio. Quin & hoc cogitet, hæc ab eo tã iracũdè æreæ imaginis respectu geri. Quãtum autem interfit inter inanimem & animalem, uiuentemque & rationis compotem, neminem, qui quidem excors non sit, latère. Præterea in mentem etiam ei hoc ueniat, facile nobis esse pro una ærea imagine plurimas restituere: ipsum uerò præstare non posse, ut unum saltem pilum interemptorum fabricetur. Quam orationem cum ad Imperatorem præfecti retulissent, iram suam cohibuit: & loco minarum, priorum excusationem scripsit. Theodoretus libro quinto, capite uigesimo.

THEODOSIVS.

EXtat ad Theodosium monachum epistola Hieronymi, ex eremo Syrię scripta, tomo primo. Describit uitam eius Theodoretus in historia religiosa. Natus Antiochiæ, monasticen profiteri cœpit in monte nemoroso, sito ad oppidum Rosum Ciliciæ, studium suum omne ponens in abstinentia, ieiunijs, orationibus, cantionibus, manumque laboribus durissimis: ad quos simul adsuefecit, quoscunque professionis suæ socios habuit. Cum autem locus is, quem uitæ suæ commodum delegerat, incursionibus Barbarorum homines abducentium infestaretur: Antiochiam se contulit, ubi breui uiuens tempore mortuus est. Theodoretus.

AFRICANI MONACHI PER Ægyptum.

Sub Constantino Magno.

ANTONIVS.

LEgitur passim in narrationibus de uitis sanctorum, Antonij uita eo titulo, quasi ab Athanasio conscripta, & ab Euagrio presbytero Latinè facta sit. Et Hieronymus in Catalogo suo, inter opera Athanasij, Antonij uitam numerat. item in uita Pauli Eremitæ ait, de Antonio multa legi scripta tam latinó quàm græco stylo. Affirmat & Augustinus libro octauo Confessionum, capite sexto, librum de Antonij uita repertum aliquãdo in parua casa apud fratres Treuiris. Sed utrum genuina sit illa narratio quæ inter uitas patrum hodie uisitur, dubitandum uidetur: nisi quòd commemoratio de uastatione & persecutionibus Arianorum, similis aliquo modo est narrationibus Athanasij in Apologijs, & epistola ad solitariam uitam agentes. Nos tamen quæ ad præsentem de Antonio tractationem accommoda uidebuntur, ex uulgari illa narratione describemus.

Ægyptius fuit Antonius, natus nobilibus & religiosis parentibus, in uico quodam Ægypti quem Apoconiam Sozomenus libro primo, capite decimotertio uocat: & ab Ægyptijs Heracliam dictam ait. Educatus, ut uerisimile est, à parentibus piè & honestè, pietatis & ipse à prima statim ætate amans fuit, pro more habens, parentes ad templum euntes studiose sectari, & ad ea quæ legerentur diligenter attendere. Cæterum nec infantiæ mollitiem & lasciuiam, nec pueriles nugas, aut cætera quibus illa ætas capitur, curauit quicquã, nec delicijs delectatus est: sed ijs quę præberentur contentus, nihil amplius requisiuit.

Quo animi motu literas discere non expetierit, sed earum rudis perpetuò manserit, incer-

incertum est. Certe eas nec scisse eum, nec curasse, Sozomenus scribit libro primo, capite decimotertio: ac mentem bonam, ut literis antiquiorem, illis prætulisse. Et ad philosophum quendam, mirantem quòd absque libris esset, dixisse, Socrates refert libro quarto, cap. uigesimoquinto: Liber meus, ô philosophe, natura est rerum conditarum, quæ mihi præsto est, quotiescunq; sermones Dei legere uoluero. Meminit eius rei Augustinus in prologo libri primi de doctrina Christiana: Antonius, inquit, sine ulla scientia literarum, scripturas diuinas & memoriter audiendo tenuisse, & cogitando intellexisse prædicatur.

Parentibus defunctis, annum ipse agens circiter uicesimum, cum sorore admodum paruula orbus relictus est: ac primùm tum fororis, tum domus curam suscepit. Deinde cum in ecclesia concionantem fortè aliquando audisset recitare dictum Euangelicum, Si uis perfectus esse, uade ac uende omnia tua quæ habes, ac da pauperibus, & ueni ac sequaris me: ad se dictum illud accõmodauit, atq; quæ habuit hæreditate uendidit, sorori parua parte reseruata. Meminit eius Augustinus libro octauo Confessionũ, capite duodecimo. Ipse uerò ad monasticen animum suum prorsus adiecit, cum quidem rara adhuc essent in Aegypto monasteria, nec quisquam qui hoc uitæ sibi genus delegisset alibi, quàm ipse, non longè à sua uilla, rebus omnibus diuenditis atque inter pauperes distributis, priuatus ac solus uiueret. Quamobrem primus apud Ægyptios monasticæ uitę autor ferè creditur: & affirmat Sozomenus lib. primo, capite decimotertio: & libro sexto, capite trigesimotertio.

Excelluit autem in ea professione omnibus pulcherrimis uirtutibus & ornamentis. Fuit mansuetus maximè, & humanus: prudens item, animi robore & fortitudine præstans, in congressu placidus & comis, moribus gratus, & industrius ad componendum aliorũ etiam mores, animorumq; impetus. Sozomenus libro primo, capite trigesimotertio. Nunquam hilaris nimium, nec tristis: sed temperatã mentem in omnibus quę sibi acciderent, præ se tulit: nunquam aut ira subita concitatus, patientiam uiolauit, aut humilitatem erexit in gloriam. Sapiens uehementer fuit, ingeniosissimus & prudentissimus, tametsi literas minimè didicisset. Vita Antonij, ubicunq; esset, & seu ad eum alij monachorum ueniissent, seu ad alios ipse transijsset, quod utrunq; frequenter fiebat, doctorem egit aliorum, & magistrum. Theodoret. libro quarto, cap. uigesimoprimo.

Celebris fuit & sanationis dono, maximè autem liberationis à dæmonibus: cuius exempla aliquot autor uitæ Antonij recitat, qui & reuelationes eius plures, & uisiones commemorat. ex quibus hanc etiam Sozomenus retulit lib. sexto, cap. quinto: Quòd mulos in templo per uisionem conspexerit sacrã mensam subuertere, cætera uerò quæ in templo essent fœdissimè commaculare ac disijcere. Ex qua paulo pòst futurã Ecclesiæ uastationem per homines iumentis impuris similes, Arianos uidelicet, fratribus prædixit: quę & biennio pòst atrox secuta est. Prędixit tamen & Ecclesię ex turbis illis eluctationem, & gloriam eorum qui fidem Domini seruauissent: Dominus, inquit, rursum miserebitur, et suum citò Ecclesia recipiet ortum, &c.

Initio autem in locis à uilla remotioribus solus habitauit: imitatus exemplum senis cuiusdam, qui uitam solitariam eo modo à prima ætate exercuerat. Ex eo loco ad fratres alios, quos sic uiuere nosset, sæpe commeauit: & ab unoquoq;, quod in eo pium, decens, honestum & egregium deprehendisset, sedulò perdidicit. Cum autem annum ætatis suæ ingressus iam esset tricesimumquintum, in heremum secesit, duriorem quàm antè uitam sibi proponens. Ibi cum per annos latuisset uiginti, ad annum usque ætatis quinquagesimumquintum, in publicum tandem prodijt, ac familiaritatem cum monachis alijs, ad quos sæpe accesit, coluit. Ingressus est & urbes. Alexandrię enim, tempore persecutionis quã ibi Maximinus exercuit, & in qua Petrus celeberrimus ille episcopus martyrio functus est, frequens fuit: ubi, qui ad supplicia & mortem ducerentur, Christianis semper adfuit: atque animose cohortatus est, ne metu impiorum aut impatientia cruciatuum fracti deficerent, adeò ut monachis omnibus ciuitate præfectus interdiceret. Post Petri igitur martyrium in monasterium suum regressus est: sed ex quo, paulo pòst in aliam eremum se contulit, ubi ad montem sublimem habitaculum suum constituit: cuius hanc fuisse rationem Hieronymus tradidit, in uita Hilarionis. Saxeus & sublimis, inquit, mons per mille circiter passus, ad radices suas aquas exprimit, quarum alias arenæ esibunt: aliæ ad inferiora delapsæ, paulatim riuum efficiunt, super quem ex utraq; ripa palmæ innumerabiles, multum loco & amœnitatis & commodi tribuunt. Videres senem (Hilarionem, qui post Antonij obitum ad eum montem accesserat) huc atque illuc cum discipulis beati Antonij discurrere. Hic (aiebant) psallere, hic orare, hic operari, hic fessus residere solitus erat. Has uites, has arbusculas ipse plantauit, illam areolam manibus suis ipse composuit. Hanc pisci-

piſcinam ad irrigandum hortulum multo ſudore fabricatus eſt. Illum ſarculum ad fodiendum terram pluribus annis habuit. Iacebat in ſtrato eius, & quaſi calens adhuc cubile deoſculabatur. Erat autem cellula non plus menſuræ per quadrum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Præterea in ſublimi montis uertice, quaſi per cochleam aſcendentibus arduæ ualde duæ eiuſdem menſuræ cellulæ uiſebantur, in quibus uenientium frequentiam, & diſcipulorum ſuorum cõtubernium fugiens, moratus eſt. Verùm hæ in uiuo exciſæ ſaxo: oſtia tantum addita habebant. Conſenuit autem tandẽ in eo loco Antonius, & mortuus eſt, ut poſtea dicemus.

Hieronymus in Catalogo, dictaſſe eum ſcripſit ſtylo Ægyptiaco epiſtolas ſeptem Apoſtolici ſenſus, ſermonisq;. Quæ utrum illæ ſint, quæ hodie inter Orthodoxographa extant, incertum eſt. Certè ſi tantæ fuit experientiæ Antonius, ac tot exercitatus & agitatus certaminibus, tantæ denique fidei, quantum de eo proditum eſt: parum uidentur dignæ epiſtolæ iſtæ quæ hodie extant, Antonio: quæ perpetua tautologia ſunt, cõpoſitæ ad unam & eandem formam, qua idem omnibus repetitur: hoc ſolum habentes eximium, quòd prædicant magnopere et extollunt meritum Chriſti. Capita tamen quędam ex epiſtolis ijs & narratione de uita Antonij breuiter annotamus.

Fratres inſtituens, ſcripturam illis, nõ ſua aut aliorum proponit exempla: ac dicit, ad omnem auditorum diſciplinam ſcripturas poſſe ſufficere. & hoc optimum eſſe, ſi mutuis ex ijs conſolationibus inter ſe fratres uentur. Sentit & ſcripturam ſeu uerbum ſufficere ad cognitionem Dei. Et illa ſunt ueneratione omni percolenda, illa toto animi affectu retinenda ſunt: quòd hominibus Deus legem ſcripſerit, quòd per filium ſuum proprijs Eccleſias dotauerit eloquijs. Vita Antonij.

Deum ait eſſe unum, & ſecundum eſſentiam ſuam unitatem in idipſum. Epiſtola ſexta.

Trinitatem Patris & Filij & Spiritus ſancti ſolam uocat perfectam, & beatam. Sentit ergo, tres eſſe perſonas. Epiſtola quinta.

De Chriſto, contra Arianos, prædicauit in populo, filium Dei non facturam, non ex ullis extantibus, ſed proprium & unius cum patre ſubſtantiæ: ne creatura potius, aut adoptio, aut appellatio uideretur. impium eſſe dicens, uel mente cõcipere, Erat quando nõ erat: cum uerbum Dei, Deus qui eſt, ſemper patri ſit coæternus: quia ex eo natus eſt patre, qui ſemper eſt. Vita Antonij.

Et quid melius eſt dicere, quàm quòd Dei uerbum manens ut erat, ob ſalutem noſtram humanum corpus aſſumpſerit, ut ſocietate mortalitatis nos eueheret ad cœlum, participesq; naturæ cœleſtis efficeret? Ibidem.

Et Chriſtiana fides, quæ omnipotentiam Dei, clementiamq; ueneratur, conſequenter incarnationem dicit Deo fuiſſe poſsibilem: ita tamen, ut non euacuauerit dignatio dignitatem. Ibidem.

Et: Deus uerus eſt IESVS, & ſalutis humanæ gratia fragilem aſſumpſit naturam.

Rurſus de Chriſti merito grauiſsimè docet. Ait Moſen, prophetas, et patriarchas omnes communi ſpiritu peruidiſſe, plagam humanam inſanabilem eſſe: & per nullam creaturam curari poſſe, niſi per unigenitũ filium Dei, qui ſenſus ſit & imago patris. Epiſtola quarta & ſexta.

Et ipſo, utpote extante noſtro magno & fideli pontifice ac medico uero, qui ſolus ſanare poſſet hanc enormẽ plagã, unde & uoluntate patris exinaniuit ſemetipſum ꝓpria gloria, Deusq; exiſtẽs formã ſerui aſſumpſit, tradẽs ſe propter noſtra peccata. Et, Delicta quidẽ noſtra humiliauerũt eum, ſed liuore eius nos omnes ſanati ſumus. Epiſtola ſecũda. Et: Propter nos pauper factus eſt, cùm dines eſſet, ut nos paupertate illius ditaremur: ſeruitus aũt illius liberauit nos, & infirmitas eius conſtituit ualidos. Epiſtola tertia.

Spiritus ſancti officium ait eſſe, conſolari & conuertere homines ad recuperandas hęreditates amiſſas, epiſtola tertia.

De creatione rectè ait: Deum nihil feciſſe quod malum eſt. Vita Anton.

Deum item adeſſe creaturis ſuis, non uno tantum tempore, ſed ab exordio mundi. Epiſtola ſexta.

Creaturas oportere mirari tantum, nõ colere, ne factura ueneratio creatoris ſit iniuria. Vit. Ant.

De Angelis ait: eſſe eos omnes ab uno creatore. Sed in hoc differre, quòd alij dicantur Archãgeli, alij dominationes, & poteſtates, & Cherubin: ꝓpterea q, cõditoris cuſtodierint uoluntatẽ. Alij uerò diaboli uocẽtur & dæmones, ſatanas, ſpiritus maligni, immundi, principes ſeculi, &c. propter crimẽ & malignas inuentiones. Epiſtola ſecunda.

Et de cauſa lapſus angelorum: Non cœpit ex Dei inſtitutione dęmonũ initiũ: peruerſitas iſta non naturæ, ſed uoluntatis eſt uitiũ. Boni etenim, utpote à Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruere de cœlis: ibiq; in cœni ſordibus uolutati, gentilitatis impias inſtruxêre culturas. Et núc de nobis torquentur inuidia, atq; uniuerſa mala commouere non ceſſant, ne priſtinis eorum ſedibus ſuccedamus. Vit. Ant. Et: Pro certo eſt, quòd ſe nouit diabolus per ſuper-

biam & inanem gloriam cœlitus fuisse deiectum, &c. Epistola secunda. Ibidem de damnatione dæmonum & operationibus multa: Innumeras & diuersas habet diabolus nocendi artes. Vit. Ant.

De ratione uincendi Sathanam, ait: Si irruentes mortem nobis intentare uideantur, irridendi potius sunt quàm timendi: quia cũ sint debiles, minantur cuncta, nec faciũt. Vita Antonij. Et: Vna est ratio uincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis iugis recordatio. in eadem.

Hominem uocat imaginem Dei, & charũ conditori animal. Vit. Ant.

Item, homines ait omnes unius esse substantiæ, & membra unius corporis inter se iuncta, creata ad immortalem & perpetuam uitam. Epistola secunda.

De libero arbitrio sentit, omnes homines initio conditos, esse cum uoluntatis libertate. Epistola secunda. In initio autem Epistolæ primæ, sentit gratiam Dei apprehendere animas per prædicationem uerbi. Et aliquanto pòst, sentit, conuersionis modum referendum esse ad conditorem Deum.

Et de renatis inquit: Nolite quæso uirtutis tanquam impossibile nomen pauere: nec peregrinum uobis aut procul positũ uideatur hoc studium, quod ex nostro, DEI GRATIA PRAECEDENTE, pendet arbitrio. Vit. Ant. Item: Tenendus est, inquit, continuus instituti uigor, habentibus Deum auxiliatorem. sicut scriptum est: Quia omni proponenti bonum, Deus cooperatur. Vit. Antonij.

Peccatum ait esse extra naturam, nosq; illud possidere beneficio, scilicet Liberi arbitrij. Epistola quarta.

De lege ait, Mosen non potuisse perficere ueritatis donum: ideoq; omnes sanctos inuocasse patris bonitatem de salutari nostro, ut in terras se demitteret, pro nostra omniũ salute. Epistola secunda.

De bonis operibus ait: Quicunq; in proximum peccauerit, in semetipsum deliquit. Et qui benefecerit proximo, sibimet hoc facit. Postea ait, bonis operibus commendari à nobis, & quasi testatam fieri bonitatem Dei: Sumus, inquit, uestiti grauissimo corpore isto, alieno inuitamento suscitemus Deum in nobis, ut hoc agentes commendemus illam circa nos bonorum uiscerum essentiam. Epistola secunda.

De ijsdem autem proponens præcepta, orditur semper à fide, post eam uerò opera ut fructus recenset. ut: Credite in RESVM fideliter, mentem à malis cogitationibus, carnem ab immundicijs seruate puram, & iuxta eloquia diuina: ne seducamini in saturitate uentris, odio habete uanam gloriam, orate sæpissime, psallite, &c.

Deinde contra confidentiam operum gratuiter monet, ne quis conscientia rectè factorum sese inflet: & aut alios contemnat, aut iusticiam inde sibi uendicet. Quia non sit iudicandum ante tempus: sed Christo, cui occulta pateant, iudicium relinquendum. Tum quòd in uijs suis, iuxta Salomonem, homines sæpissimè decipiantur, nec possint uel intelligere peccata, uel nõ falli in rationeg estorum: deniq; quòd aliud sit Dei iudicium, non ex corporum superficie, sed ex mentiũ iudicantis arcanis. Vit. Ant.

De Ecclesia ait, uocari eam per uerbũ uirtutis Dei, epistola tertia. Et epistola quarta uocat eam domum ueritatis, ideo constitutam à Deo, ut ad primum initium, hoc est, amissam integritatem, in ea homines conuerteret.

De fine afflictionum ait, Immittere Deum ærumnas & labores, ut peccantes ad pœnitentiam incitet. Epistola prima.

De effectu Martyrij: Nos, inquit, famuli Christi, quo plus premimur, eo magis assurgimus & floremus.

Inter Traditiones de uita solitaria sic inquit: Nemo, cum despexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia: Quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum, breuis ac parua est. Si ergo nec uniuerso orbi renunciantes, dignũ aliquod habitaculis possumus compensare cœlestibus, se unusquisque consideret: & statim intelliget, paruis iugeribus agri, & parietibus, uel modica auri portione contempta, nec gloriari se debere quasi magna dimiserit, nec tædere quasi parua sit recepturus. Vit. Ant.

De peregrinationibus: Græci, inquit, studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos, inanium literarum quærãt magistros. Nobis uerò nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet, in omni sede terrarum constituta sunt regna cœlorum. Vnde & Dominus in Euangelio ait: Regnũ Dei intra uos est. Virtus quæ in nobis est, mentem tantum requirit humanam. Vit. Ant.

De ieiunio dicebat, adhibendam magnopere corpori diligentiam: nec corpus esse penitus enecandum, ne operatio contra uolun tatem creatoris dissolueretur. Vit. Ant.

Aiunt eum aliquando cum fratribus saltando ac discurrendo, corpus, ne quid uitij aut morbi contraheret, exercuisse. Quod iter fortè præterfacientes uehementer offendit, quod eiusmodi ludum tanto uiro indignũ, & leuitatem esse iudicarent. Animaduertens illud Antonius, mandat ex peregrinantibus cuidã, qui baliſtã gestaret, ut eam tonderet. obse-

obsequitur ille, & iusto modo arcum extendit. Iubet Antonius, ut altius extẽderet. Respondet ille: Nequaquam, ne nimium tensus rumpatur. Tum Antonius: Quamobrem igitur, inquit, tu nostro hoc offenderis exercitio, quod hic cum ualetudinis & corporis nostri commodo instituimus? Quod sine dubio si nimiũ affligeremus, corrupturi essemꝰ.

De magistratu: Suadebat iudicibus, ut in sententia proferenda, & odio & gratiæ Dei timorem anteponerẽt. nec ignorare eos debere quod scriptum est: Quocunque iudicio iudicaueritis, in eo iudicabitur & de uobis. in eadem.

Constantino & filijs eius literas scripsit, in quibus monebat eos, ne magnam putarẽt regiam potestatem: ne præsentis carnis imperio tumentes, se homines esse nescirent, & iudicandos à Christo obliuiscerentur. Ad postremum clementiæ circa subiectos, & iusticiæ, curæ quoque inopum admonuit: atque unum sempiternum esse regem omniũ seculorũ IESVM Christũ testatus est. In eadẽ.

De resurrectione, iamiam moriturus dixit: Confido in Domino, Quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resiliet incorruptum. in eadem.

Contra diuinationes & stultas prædictiones rectè ait: Apud delubra dæmonũ quondam credebantur oracula, quæ aduentu Domini nostri IESV Christi indicto silentio obmutuerunt, suosq; perdiderunt captiuos. Et aliquãto pòst: Vt concedamus paulisper, si uera dæmones nunciarent, respondete mihi, quis fructus est nosse ueniẽtia? Nunquid aut sciens hæc aliquando laudatus, aut punitus est nesciens? In hoc unusquisq; sibi præparat seu tormenta seu gloriam, si uel negligat scripturarum mandata, uel faciat. Nullus ob id nostrûm hanc arripuit uitã, ut habeat præscientiam futurorum: sed ut præceptis Domini obediẽs, amicus incipiat esse de seruo. Curandum est non præscire quæ ueniũt, sed implere quæ iussa sunt. in eadem, &c.

Nonnulla tamen interdum incõmodius etiam extulit. ut quòd de operibus dixit in fine epistolæ primæ: Deum aspicere & considerare ieiunia, uigilias, meditationes, preces longas, obedientiam, humilitatẽ & paupertatem spiritus pœnitentis, ac sic tandem misereri. Item quòd sensit, homines in hac uita posse satisfacere Deo pro omnibus muneribus suis: epistola tertia. Deniq; quòd sanctis mortuis tribuit affectus pro nobis, orationem, gemitus & dolores, epist. 5.

Nunc pugnas & certamina eius exponemus: ex quibus frequentissima, omniumq; maxima sunt, quæ in eremo, cum primùm eam ingressus est, contra dęmones sustinuit: quorum ludificationes, uexationes, insidias, uerberationes, atq; omnis generis multiplices impulsiones incredibili modo expertus est: de quibus triumphos tamen semper egit, ut Ruffinus ait libro primo, capite octactauo. Narrat & Socrates libro primo, capite uigesimoprimo, Antonium manifestè dæmonibus reluctatum, & technas ac certamina eorum sæpe expertum esse. Dimicauit autem contra eos oratione, uerbo Dei, fiducia auxilij Christi, qua sæpe insultauit ijs, psalmi illud canens: Dominus mihi auxiliator est, & ego exultabo super inimicos meos. Quemadmodum & de ea fide etiam dixit. Magna & expedita aduersus dæmones esse arma, uitæ integritatem, & intemeratam ad Deum fidem. Exempla certaminum eiusmodi plurima recitat autor narrationis de Antonij uita. Dixit ipse Antonius, dæmones sæpe ut milites armatos in se irruisse, & scorpionibus, equis, beluis, & uarijs serpentibus casam suam repleuisse. se uerò occinuisse: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. atque sic monstra illa uniuersa statim diffluxisse. Aspexerunt & alij procul nonnunquam montem eum in deserto Sarracenico, in quo postremò Antonius confederat, omnem dæmonũ multitudine, ciente strepitus & armorum sonitus, circundari: quam oratione repulit.

Contra Schismaticos deinde & hęreticos omnes acerrimè dimicauit. Arianos autem adeò detestatus est, ut ne accedendum quidem iuxta eos esse diceret, ut qui serpentib. deteriores essent. Damnauit eorum hæresin in publica aliquando concione Alexandrię, ubi ultimam eam dixit esse hæresin, & præcursorem Antichristi. Vit. Ant. Scribit & Theodoretus libro quarto, capite uigesimoseptimo, eum sub Constantio, sub cuius patrocinio inualuerat Ariana hæresis, eremo deserta Alexandriam ueniisse, atq; obambulando per totam urbem publicè prædicasse, ueritatis pręconem esse Athanasium, ueritati uerò aduersari factionem Arianam. Sozomenus libro tertio, capite decimotertio, ait eum constantissimè pro Nicenæ synodi decretis depugnasse. Et in literis ac testimonijs suis sub Constantino pro Athanasio, ait eum Meletianorum accusationes appellasse calumnias: lib. 2. cap. 31.

Conuertit autem ab idololatricis superstitionibus ad religionem uerã Ethnicos multos. Quin & philosophis gentilibus acriter se opposuit. quorũ cum nosset stultas & obscœnas religiones, singulas reprehẽdit, ac sic respondit: Nos Christiani mysteriũ uitæ nostræ, non in sapientia mundi habemus repositum, sed in uirtute fidei, quæ nobis à Deo tributa est per Christum. Vit. Ant.

In æſtimatione porrò magna & autoritate apud omnes fuit, ad quos fama de pietate, religione, & uirtutibus eius peruenisſet. Eſt enim eius amicitia plurimum delectatus Imperator Conſtantinus, qui ad conſilia de rebus eccleſiaſticis ſæpe eum adhibuit, atque ut ex prophetis unum obſeruauit. Dedit & literas ad eum poſt ſynodum Nicænam, ab eo petens ut pro ſe ac liberis ſuis apud Dominum intercederet. Ruffinus libro primo, capite octauo: Sozomenus libro primo, capite decimotertio. Niſi quòd unam tantum ab Imperatore repulſam tulit, cum apud eũ pro Athanaſio irritatum aliquando ab hæreticis, & deceptum, interceſsiſſet: quemadmodum Sozomenus idem indicat libro ſecundo, capite trigeſimoprimo.

De conſuetudine familiariſsima cum eremitis ſui temporis, in Ægypti deſertis omnibus, admonere nihil attinet. Hieronymus in uita Hilarionis, contubernio eum uſum ſcripſit Iſaaci cuiuſdam, qui interpres eius fuerit. quem etiam, poſteaquam obiiſſet Antonius in eo monte, in quo habitauit, cum altero fratre quodam Hilarion inuenit: cum & antea quidem eo autore idem uitæ genus fuiſſet amplexus: ut Sozomenus indicat libro tertio, capite decimoquarto.

Cum Didymo Alexandrino quàm familiariter cõgreſſus ſit, & qua conſolatione triſticiam ex cæcitate releuarit, ſuprà in Didymi hiſtoria oſtendimus. Athanaſio quantum coniunctus fuerit, à quo & pater appellatur in epiſtola ad ſolitariã uitam agentes, ſuprà indicatum eſt. Cum Paulo Thebæo quodam, qui in perſecutione ſub Decio in eremo uiuere cœperat, ſerius ſe cõiunxit, nõ ita multo ſcilicet ante Pauli obitũ, cuius corpus ſepeliuit: Hieronymus in uita Pauli Eremitæ. Diſcipulos plurimos habuit celeberrimos per Ægyptum, Libyam, Palæſtinam, Syriam & Arabiam: ut Sozomenus refert libro primo, cap. decimotertio. Qui & de exercitijs eius hunc in modum ſcripſit ibidem: Voluptatem, inquit, repulit moleſtijs, quas ipſe ſibi faceſſebat. Erat illi cibus panis ſolus, & ſal: potus aqua: prandij tempus ſolis occaſus, cum tamen ſæpius biduum aut dies plures ieiunus maneret. uigilabat noctes integras, precationi uacans uſque ad lucem. ſi ſomnum guſtaret, dormiebat paululum inclinatus: cubabat autẽ humi, nec unctiones nec balnea curans: nudatum propriũ corpus nunquã aſpexit. Iniuria affectis, ut patronus fideliter adfuit, eiusq; rei gratia in urbes ſæpe cõmeabat. interceſsit p multis apud Principes ac magiſtratus, omnibusq; officioſum ſe ac placidũ exhibuit. Similia de eo retulit in Hilarionis uita Hieronymus, & Efrem in ſermone de moderatione riſus; ubi ueſtimẽtum eius interius fuiſſe refert ciſicium, exterius uerò animalis pellem.

Victũ ſibi quæſiuit nõ mendicando, ſed labore manuũ, cum ſcriptũ eſſe ſciret: Non operanti, nec ueſcendũ eſſe. Mercedem uerò operis ſui, panis precio excepto, egentibus largiebatur. Quieſcere ſi quãdo uolebat, iuncto contexto incubuit. Vit. Ant.

Poſtremò, cum iam annos cõpleuiſſet ætatis ſuæ centum & quinq;, euocari ſe à Deo ſentiẽs, fratribus prædixit, adeſſe uitæ ſuę finem: itaq; grauiſsima cõcione hortatus eos eſt, ut à Meletianis ſchiſmaticis, & Arianis hęreticis diligenter ſibi cauerent: ac fidem in Chriſtũ, & patrũ de ea traditiones ex ſcripturis ſanctis extructas, diligenter cuſtodirent. quã concionẽ, iam migraturus ad Dominũ, coram duobus rurſus diſcipulis quos ad ſe uocauerat habuit: à quibus & petijt, ut cauerent ſuum ſepelirẽt, nec in lectulis reſeruarẽt, quod cum funerib. martyrũ & ſanctorũ Ægyptij facere cõſueuerant. Veſtimenta ſua adferri iuſsit Athanaſio, & Serapioni: alterũ enim ueſtimentorũ ab Athanaſio recẽs acceperat. Ac tandem placidiſsimo fine quieuit, (uita Antonij) anno Chriſti 361: Imperij Cõſtantij 21, ſecundum Hieronymi Chronicõ.

IOANNES.

IOannem monachũ quendã Sozom. habet lib. 2. cap. 23: cuius opera Meletiani in accuſando Athanaſio uſi ſunt. Subornatus aũt erat ab illis, ut Athanaſiũ homicidij, quaſi Arſenium occidiſſet, apud iudices accuſaret.

PAVLVS SIMPLEX.

PAulus Simplex diſcipulus fuit Antonij monachi magni, monaſticã profeſsionẽ ea occaſione cõſecutus, q, uxorẽ, quã formoſam habuit, in adulterio deprehendiſſet: quã repudiata, et adultero relicta, in eremũ ad Antoniũ ſe cõtulit, ab eoq; in monaſticis exercitijs inſtitutus eſt: homo alioqui manſuetus, & laborũ tolerans. Dimiſſus tandẽ ab Antonio, ac ſeorſim philoſophari, ut qui non amplius pręceptoris officio indigeret, iuſſus, claruit euaſit miraculis, adeò ut nec ipſo Antonio inferior eſſet. Sozom. lib. 1. cap. 13. Manrullus lib. 4 ſcribit, Paulũ ſimplicem ad interrogationem, Eſſet ne Chriſtus prior prophetis, per triennium nemini quicquam eſſe locutum: offenſum ſcilicet ocioſa & inſulſa quæſtione.

PAVLVS.

PAuli primi, ut putatur, eremitæ uitã, exercendi ingenij cauſa, quemadmodũ Eraſmus indicauit, deſcripſit Hieronymus. Thebæus fuit, natus annos quindecim circiter in perſecutione ſub Decio, orbus utroq; parente cum ſorore nupta relictus locupleti cũ hæreditate eſt: cum quidem Græcis & Ægyptiacis literis inſtructus iam adprimè eſſet.

Inſidias

Insidias autem mariti sororis animaduertēs, prodere eum uolentis ut Christianum, fuga sibi consuluit, et in specum ad radicem Saxei montis se recepit: ubi amœnitatis occasione inductus, omnem solitarius exegit ætatem, orationibus uacans, cibumq; ex palmarum dactylis, uestimentū ex folijs petens. Quem uerò uictum per annos ante obitum sexaginta, dimidiati panis fragmento tamen cōmutauit, sicut ad Antonium ipse dixit. Cum autem ad centū & tredecim annos Paulus iam processisset, Antonius in alia degens solitudine, annos natus nonaginta, diuinitus admonitus ad eum uenit, & aliquandiu cum eo commoratus, paulo pòst mortuum sepultura affecit.

PAVLVS *alius.*

PAulus alius monachus est Hypselitanus, in Hypseliote nomo Ægypti, Athanasio apologia secunda. Athanasio amicus, & proditor fraudis Eusebianorum, de Arsenio ab Athanasio extincto.

SYLVANVS.

HEliæ monachi frater, monachus & ipse est Syluanus, Arsenij proditor: Athanasio Apologia secunda.

THEODORVS.

MOnachus fuit Ægyptius Theodorus, discipulus Ammonis: Sozomenus libro primo, capite decimoquarto.

AMATHAS.

DIscipul⁹ est Antonij monachi Amathas. Hieronymus in uita Pauli Eremitæ.

Sub Constantino Iuniori, Constante & Constantio.

APOLLONIVS.

ISab anno decimoquinto ætatis, quo primùm monasticen profiteri cœpit, in solitudine usq; ad quadragesimū uersatus, tandem ad hominum cœtus transiit, philosophiam docuit: & mirabilibus operibus ac curationibus, quas precibus à Deo impetrauit, claruit. Sozom. lib. 3. cap. 15. Apollonium monachorū patrem uocat Athanasius in epistola ad Dracontiū, & episcopum factū indicat.

ANVB.

ISab eo tempore, quo in persecutione fidē suam constanter confessus est, postea per omnem uitam uerus fuit, ac precando adeò potens, ut quidquid à Deo peteret, cōsequeretur. Sozom. lib. 3. cap. 14.

BENIAMIN.

MOnasticen in Scethi professus est Beniamin, ad extremā usq; senectutem, et clarus fuit dono medicandi: quo absq; ullis medicamentis, cōtactu solo interdū, nōnunquā olei inunctione, additis precibus, quouis laborātes morbo liberauit. Ipse uerò aqua intercute cōtracta, ægrotantes nihilominus curauit: morbū interea suum adeò non ferens molestè, ut se uisentes consolatus sit: ab ijsque petierit, ut pro anima sua Deum precarentur: de corpore suo subinde hoc dictitans, Non profuisse scilicet sibi dum sanum esset, neq; nocuisse posteaquā morbo cōflictari cœpisset. Sedit aūt hydropicus in ampla quadā sella, quoniā decumbere in lecto non posset. Mortuus in tantū intumuit, ut forib. domicilij sui efferri, nisi postib. unà cum forib. ablatis, nequiuerit. Sozom. lib. 6. cap. 29. Ruffinus lib. 2. cap. 8. Beniamin inter monachos Nitriæ numerat, sub Valentiniano.

CRONIVS, CRANION.

CRonium eremitam fuisse in Ægypto, idem narrat, ex eorum numero qui amictu pelliceo pro disciplina usi sunt: libro tertio, capite decimoquarto. Cranionem uerò celebrem fuisse monachum in Scethi, qui ad annum centesimum decimum usq; uixerit: libro septimo, capite trigesimo.

ISAAC, PELVSIANVS.

MOnachos duos Isaacum & Pelusianum, Hilarion profectus ad montem diui Antonij, post eius mortem in hospitio Antonij reperit. Fuerat aūt Isaac Antonij interpres, quemadmodū in eius uita suprà retulimus. Hieronymus in uita Hilarionis.

MACARIVS I.

CElebres sub Cōstantio & Valente in Ægypto monachi fuēre Macarij: quorum hic Ægyptius, alter Nitriæ deserta incoluit: ut Ruffinus indicat lib. 2. cap. 4. Aut Scythiæ montem: ut Sozom. lib. 3. cap. 14. homo grauis ac uenerandus, adeò ut etiamnum puer à monachis diceretur παιδαριογέρων, ob morum scilicet senilem grauitatem. Miraculis multis claruit, ut sanationibus, expulsionibus dæmonum, & resuscitatione mortuorū. Exempla aliquot Ruffinus commemorat uehementer miraculosa, ut periculum propemodum illis sit, ne fidem excedere uideantur. Exercitia multa asperiora sustinuit, de quibus ad Euagriū discipulū suum, cum ad eum is in æstu feruenti uenisset, & aquę haustum ad sitim sedandam petijsset, ipse uerò sufficere sibi umbrā responderet: dixit se annis totis uiginti nec pane, nec aqua, nec somno ad satietatē usq; usum esse. Nam panem, inquit, meum comedi in pondere, & aquam bibi in mensura: & corpus meum parietibus applicando, somni nonnunquam quàm minimum mihi surripui. Socrates lib. quarto, capite uigesimotertio. Lucijs, Ariani nequissimi, sæuitia in exilium compulsus est, sub Valente, ut paulo pòst dicemus. Vixit annis xc, ex quibus lx in solitudine exegit. Sozomenus, ut suprà.

MACARIVS II.

ALter Macarius Alexādrinus fuit, dissimi

leis Aegyptio illi morum comitate & suauitat, qua ad mon asticæ uitæ cupiditatem adolescētes plurimos inuitabat: cæterùm quòd ad dona & miracula attinet, nihil priori inferior. In exilium Macarium utrumq; cum alijs aliquot, quos coniunctos habebant illi, clarissimis monachis, Isidoro, Heraclide, & Pambo, sub Valente Lucius Alexandrinus, lupus magis quàm episcopus, insatiabiliter aduersus orthodoxos furens, expulit in insulam quandam intra paludes Aegyptias sitam, in qua nullus prorsus Christianus erat. Sed eam ingressi pietatis illi athletę, doctrina & miraculis ad Christum plurimos conuerterunt. Feruntur ipsorum dæmonum ad eos uoces, per filiam sacerdotis fani uetusti Iouis, quod in ea insula fuit: quòd sint famuli Christi, & se exigant etiã ex hac in quam uenerint insula. Theodoretus lib. 4. cap. 21. Sed hæc de illis fama cum Alexandriã perua sisset, ac laudis celebritatis q; non parũ ipsorum nomini adderet: Lucius pœnas, si suis exosus factus esset, metuens, in eremum ex insula eos reuocauit. Fuit autem presbyter monasterij Macarius is, sicut & prior alter. utrumq; uerò conspectũ sibi, ab ijs q; benedictionem accepisse sese, Ruffinus gloriatur. Exercitia Macario posteriori huic multiplicia Sozomenus tribuit, quæ partim ipse sibi excogitarit, partim ab alijs præstari audiens imitatus sit: inter ea uerò precationis assiduitatem, quæ tanta fuerit, ut pilos consueto more genibus innasci prohibuerit. Ruffinus lib. 2. cap. 4. & 8. Socrates lib. 4. cap. 23 & 24. Theodoretus lib. 4 cap. 21. Sozomenus libro tertio, capite decimoquarto: & libro sexto, capite uigesimo.

MACARIVS III.

DIuersus à duobus illis Macarijs, etiã tertius quidam esse uidetur, de quo hæc retulit Sozomenus libro sexto, capite uigesimonono. Macarius, inquit, iuuenis (nam hoc eum nomine à superioribus uidetur discernere) cum puer adhuc, oues iuxta locũ Maria pasceret, iocando fortè, quendã ex sodalibus suis, inuitus occiderat. Metuens igitur, ne ad pœnas homicidio dignas abriperetur, in solitudinem per fugam se recepit. ibi cum triennium latuisset, sub dio uiuens, ędiculam tandem sibi construxit. in qua annos 25 philosophiam monasticã professus, ad postremum gratulatus est sibi calamitatẽ, quæ puero olim sibi accidisset: ut quæ occasio, ad exercendam beatam uitam, sibi fuisset.

PAMBO, VEL PAMBVS.

DIscipulus fuit Pãbo Antonij, iuxta Ruffinum & Sozomenum. qui cum cæteris monachis Ægytijs Nicænam fidem constanter profitentibus, ac quiduis potius perferre periculi, q; eam negare uolentibus, in persecutione, quam in monachos Ægyptios Lucius exercuit sub Valente, missus in exilium, inde uerò paulo pòst reuocatus fuit. Contuberniũ suum habuit in cellis, ut Ruffinus ait. Socrates narrat, ad professionẽ monasticã illiteratũ eum accessisse. Itaq; à quodam dictationẽ psalmi alicuius petijsse, qui ei Psalmum 38 proposuerit. ex quo percepto primo uersu, Dixi custodiã uias meas, ne peccem in lingua mea: Pambus statim abiecit, satis se habere inquiens, quòd exerceret. Rogatus uerò aliquando, utrum rebus ipsis uersum eum adimplesset? respondisse, sibi per annos totos decem & nouem negociũ fuisse in accommodando ad opus eo uersu. Ex deinde tandem, Athanasio hortante, Alexandriam se contulit: sicut idem indicat lib. 4. capite 23. Præter Socratem uerò, Pambi meminit Ruffinus lib. 2. cap. 4 & 8. Sozomenus libro tertio, capite decimoquarto: & libro sexto, capite uigesimo.

PVTVBASTES.

ESt inter monachos celebres Ægyptios Putubastes: Socrati lib. tertio, cap. 14. & Sozomeno libro sexto, capite trigesimo.

PITYRION.

PItyriõ eremita in deserta Ægypti Athenis profectus, Sozomeno est libro tertio, cap. decimoquarto.

PAESIVS.

MOnachus Aegyptius Pæsius est, Nicephoro lib. 9. cap. 14. inter eos qui Socrati & Sozomeno sunt, Pamboné scilicet, Heraclidem, Cronium, &c.

SERAPION.

SErapionem, quem Magnum uocat Sozomenus, monachum in Ægypto fuisse, cõtemporaneũ Macarijs, Pamboni, Paphnutio, Pachomio, & alijs, refert lib. 3. cap. 14. Idem & lib. 6. cap. 28, Serapionẽ circa Arsenoitem degisse scripsit, hãbuisseq; sub se monachorum circiter decẽ millia: quos omnes sicinstituerit, ut laboribus proprijs tum sibi necessaria pararent, tum etiam alijs suppeditarent. Idem de Serapione Palladius. Rursus eiusdem lib. capite trigesimo: Serapionis inter monachos meminit, qui contemporanei fuerint Antonio magno. De Serapione exẽplum hoc retulit Marullus lib. primo: Cum nihil præter tunicam & pallium, & Euangeliorum librum haberet, duobus pauperibus obuiam factus, alteri pallium, alteri tunicam dedit. Et cum nudus sederet, interrogatus quis eum spoliasset? protento codice quem manu tenebat: Hic, inquit. Iterum alios mendicantes conspicatus, etiam codicẽ uendidit, & uenditi preciũ illis distribuit, dicens à Domino præceptũ esse: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Necdũ se istud implesse putabat, donec semetipsum quibusdã genti-

gentilibus uendidit: ita tamen, ut ipsos Domino lucraretur. Cumq; eos ad Christũ conuertisset, pecunia, quam acceperat, se redemit. Idem Palladius.

SCARON.

MOnachus est Ægyptius Scaron, coætaneꝰ Paulo, Pachomio, Hilarioni, & alijs. Ortho Phrysingensis lib. 4. cap. 14.

SARMATA.

DIscipulus fuit Antonij Sarmata celebris: sed interfectus est à Saracenis, qui in monasteriũ Antonij irruerant, sub Constantio, Anno Christi trecentesimo sexagesimosecundo. Hieronymus in Chronico.

ARSISIVS.

MOnachus Ægypti est Arsisius, Sozom. lib. 3. cap. 14, sub Constantio. Meminit eiusdem & lib. 6. cap. 30, inter monachos Scethicos, sub Valente.

PATRINVS.

PResbyter est Sozomeno monasterij Patrinus, ex familiaribus Meletianorũ, Athanasio insidiantium. Confecturi enim illi de Arsenio in Athanasiũ calumniã, Arseniũ inuentum apud Patrinũ eum abdunt. Is postea cum Elia quodã monacho deductus, testatur in uiuis esse Arsenium. Sozom. libro secundo, capite uigesimotertio.

PAPHNVTIVS.

MOnachus est Ægyptius Paphnutius, Sozom. lib. 3. cap. 14. sub Constantio. Est & Abbas Paphnutius Bergomensi, sub Valentiniano & Valente: de quo ociosæ & prolixæ commemorationes habentur in uitis patrum, & Palladio: ex quibus, qui uolent, petere possunt.

Sub Iouiniano.

AGATHON.

MOnachus est Agathon in Thebaide, religione, doctrina atque authoritate celebris, Bergomẽsi lib. 9. Athanasius in epistola ad Dracontiũ, inter patres monachorũ, qui episcopi facti sunt, Agathonẽ numerat.

Sub Valentiniano & Valente.

APOLLONIVS.

APollonius quidam per uitam suã mercaturam exercuerat, literarum prorsus rudis: senex autem in Scethim abijt, ac monachorum medicum communem egit, diebus singulis ad decũbentes accedens, illisq; medicamenta & necessaria alia, quæ proprijs pecunijs sibi comparauerat, exhibens. Sozom. lib. 6. cap. 29.

APELLES.

REgionem Ægypti quandã, Achorim Sozomenus nominat, frequentem monasterijs, in qua Apellem monachũ uixisse scribit, miraculis clarum: de quibus, ut memorabile scilicet, illud recitat, oblatum ei noctũ nimirũ dæmonem, mulieris ornatæ specie, à quo tẽtari se de castitate cum ilico animaduerteret, ferrum candens quod in manibus exercebat, in faciem eius illidit: adeò ut uulnere ex ictu stridenti, & lamentabundus dæmon abscesserit. Sozomenus libro sexto, capite uigesimooctauo. Verùm quid de his nugis sentiendum, suprà in capite de Miraculis diximus.

BENVS.

PRæfuit in Ægypto monasticis ordinibus Benus, celebris prophetiæ dono, quiq; à nemine unquã uisus sit aut irasci, aut iurare, aut mentiri: uel leue aliquid, uel præfractũ, uel deiectũ dicere. Sozom. lib. 6. cap. 28. Verùm quis hanc nimiam commendationem non habet pro mendacio? cum certum sit, hunc quoq; hominem ex posteritate Adam fuisse, de quibus scriptura dicit, Omnes peccauerunt, &c.

BONOSVS.

FVerat ab infantia pariter cum Hieronymo educatus, & in literis institutus Bonosus: postea Hieronymi socius, & comes. Sed tandem ad monasticam uitam ab eo incensus, relicta patria, parentib. & amicis, libris solis comitatus, in insulam quandã desertam & horridã secessit philosophaturus, quo tempore in Syria agebat Hieronymus. Meminit eius prolixè Hieronymus duabus epistolis, altera ad Ruffinum, altera ad Chromatiũ: Ecce puer, inquit, honestis seculi nobiscũ artib. institutus, cui opes affatim, dignitas adprimè inter æquales erat, contẽpta matre, sororibus, & charissimo sibi germano, insulã pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes, & nuda saxa, & solitudo terrori est, qui quasi nouus Paradisi colonus incedit. nullus ibi agricolarum, nullus monachorum, ne paruulus quidẽ quem nosti Onesimus, quo uelut fratre in osculo fruebatur, in tanta uastitate adhæret lateri comes, solus ibi, &c. Meminit eius in Chronico quoque, sub anno Christi 381.

COPRES.

COpren monachũ Aegypti Sozom. habet lib. 6. cap. 28. eumq; dono curandi ægritudines quascunq;, dæmonibusq; imperandi, excelluisse refert.

DIOSCORVS.

PRæses fuit cõtubernij centũ monachorũ in Aegypto Dioscorus, familiaris Isidoro & Serapioni, patribus et ipsis monachorum. Sed Dioscorus, quòd presbyter esset, summa diligentia in sacrorum celebratione usus est, examinans atq; explorans singulos ad sacra mysteria accedentes, utrum se ipsos debitè probassent, aut alicuius malefacti cõscij sibi essent. Sozom. lib. 6. cap. 28.

DOROTHEVS.

CElebris fuit inter monachos ad Mareoten,& in finibus Libyę philoſophantes, Dorotheus, patria Thebanus, cuius exercitia aſpera multa Sozomen⁹ expoſuit: Quòd diē ſcilicet inſumpſerit operis cōſtruendi ex lapidibus, quos à mari proximo aſportaret, tuguriola: quę illis habitanda cōcederet, qui ædificare ipſi non poſſent. noctu uerò occupatus fuerit cōtexendis ex palmarum folijs ſportulis, ex quibus uictum ſibi compararit. Quòd cibi quotidianū dimēſum ſibi fuerint panis ſex uncię, cum minutorū olerū manipulo: potus uerò aqua. Quòd per omnē uitā ſuam nunquā in ſtrato, aut lecto, pedib. extenſis dormierit. quodq; ad hunc modum, quamobrē corpus ſuum affligeret, & enecaret, cuidā aliquādo interrogati reſponderit: Quoniā me enecat. Sozom. lib. 6. cap. 29.

DIONYSIVS.

NVmeratur inter præſtantiſsimos monachorum, eorū qui ad Rhinocururā philoſophati ſunt, Dionyſius, à Sozom. li. 6. ca. 31.

EVAGRIVS.

IN Syria primùm monaſticē profeſſum Euagriū apparet. In eam enim cum uenisſet Hieronymus, hoſpitio eius uſus eſt. ac cum poſtea ſibi uicturus, in Syriæ ſolitudinē ſe cōtuliſſet, hoſpitē uicisſim frequenter ſe inuiſentē Euagriū accepit. Quod in epiſtolis ad Ruffinū & Chromatiū Hieronymus ipſe teſtatur, adeò ut & neceſſariū ſuū uocet in uita Malchi monachi. Extāt & eius ad ipſum epiſtolæ. quanquā duos eius fuiſſe nominis Euagrios, ueriſimile eſt: alterū Syriacū, alterū Ægyptiū, de quo nunc dicimus. Fuit is ex ciuitate quadā Iberorū, Euxino portui uicina, & ſacras literas à Gregorio Nazianzeno didicit, eiusq; in eccleſia Conſtantinopolitana diaconus fuit, uir eximius eruditione, atque eloquētia præſtās, cōſultus, ingenio moderato, nec arrogans nimiū, nec cōtumeliæ impatiens. Extat Nazianzeni ad eū de deitate oratio. Relicta aūt Conſtantinopoli, unà cum Nazianzeno Hieroſolymā abijt, indeq; ad monachos Ægyptios in Scethim tranſijt, quorū cōtubernio ſe cupidiſsimè adiunxit. Vſus eſt aūt conſuetudine utriuſq; Macarij, quorū inſtitutione in ſtudio Chriſtianæ religionis plurimùm profecit. Fuit & Ammonio familiaris: Diſcipulum habuit ipſe uiciſſim Palladium, quo cum poſt obitum Valentis floruiſſe eum Socrates tradidit. Cum ad epiſcopatū obeundū aliquando eum Theophilus Alexandrinus impelleret, per fugam elapſus eſt. quod & ante eum Ammonius fecerat. Cui cum Euagrius obieciſſet reum ſe ſcilicet eſſe corā Deo, quòd ut ne epiſcopus crearetur artem ſibi amputaſſet, reſpondiſſe ei Ammonius in hunc modum fertur: An non putas pœnas te daturum Euagri, quòd linguam tu tibi propter philautiam, collato tibi à Deo docendi dono non utens, abſcideris?

Libros ab eo ſcriptos hoc ordine Socrates recenſet. Primus, Monachus ſeu monaſticus, ſecundū Volateranū, uel de practica. Secundus Gnoſticus, uel de eo qui ſcientiā ſit ſortitus, capita complectens quinquaginta. Terti⁹ Cōtradictorius, ex diuinis ſcripturis contra tentatores dæmones deſumptus, & in octo partes ſexcentaq; problemata Progneſtica diſtributus. Quartus, duo uoluminа uerſuum, alter ad cœnobitas, alter ad uirginem: ex quibus monachorū aliquot apophthegmata Socrates ibidem recitat. Socrat. lib. 4. cap. 23. Sozom. lib. 6. cap. 30. Scripta autem eius, & ſententijs & elocutione ad perſuadendum accommodata fuiſſe, Nicephorus tradidit lib. 11. cap. 42. Quamuis in ſana fidei doctrina claudicaſſe eum, id quoque affirmat. Sed nunc Hieronymi iudicium de ſcriptis Euagrij adſcribimus, ex epiſtola eius ad Cteſiphonē, aduerſus Pelagiū: Euagrius, inquit, Ponticus Hyperborita, ſcribit ad uirgines, ſcribit ad monachos, ſcribit ad eum cuius nomen nigredinis teſtatur perfidiæ tenebras: edidit librum & ſententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impaſsibilitatem uel imperturbationē poſſumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis uitio cōmouetur, & (ut ſimpliciter dicam) uel ſapientē uel deus eſt. Huius libros per Orientē xum græcos, & interpretante diſcipulo eius Ruffino, latinos pleriq; in Occidente lectitant. qui librū quoq; ſcripſit quaſi de monachis, multosq; in eo enumerat qui nunquam fuerunt: & quos ſcribit, fuiſſe Origeniſtas, & ab epiſcopis damnatos eſſe, nō dubiū eſt: Amoniū uidelicet, & Euſebiū, & Euthymiū, & ipſum Euagriū, &c. Idē in proœmio aduerſus Pelagianos, Euagriū hunc Hyperboritā Manicheo, Priſcilliano, Iouiniano, & cæteris Syriæ hæreticis annumerat: cumq; ijs ſenſiſſe dicit, poſſe ad perfectionē, ſimilitudinem & æqualitatem Dei humanā uirtutē & ſcientiā peruenire: & ne cogitatione quidē & ignorantia, cum ad conſummationis culmen aſcenderit, poſſe peccare.

EVLAGIVS.

SOzomeno lib. 6. cap. 28, Eulagius presbyter & monachus Ægyptius eſt, quem à diligentia in officio commendat: atq; doni illud habuiſſe eum tradit, ut ad myſteria ſacra accedentium cogitationes pernouerit, delictaque eorum deprehenſa manifeſtè redarguerit, reſipiſcentes uerò poſtea rurſus admiſerit. Eſt & Athanaſio in epiſtola ad ſolitariam uitam agentes, Eulagius ſenex epiſcopus (loci non meminit) pulſus ab Arianis in exi-

in exilium, sub Sebastiano duce Constantij.

ELIAS.

MOnachus fuit religiosus Elias, qui per annos septuaginta primùm solus in lotis desertis monasticam disciplinam professus, postea non procul ab Antinoo, nomi Antinonæ metropoli, philosophatus est, in decrepita maximè ætate: in quâ tamen de ieiunijs et monasticis exercitijs nihil unquam remisit. Fuit autem annorũ circiter centum & decem. Sozom. lib. 6. cap. 28. Est & Helias monachus Socrati lib. 2. cap. 8. Ac meminit eius Athanasius Apologia secunda, ubi fratrem eius Syluanum nominat.

HELLES.

MOnachus in Ægypto Helles fuit, in eo uitæ genere à iuuentute institutus, & miraculis clarus: quorum nullum tamen Sozomenus retulit, præter ridiculum & præstigiatorium illud, quòd ignem in sinu, sine cõbustione uestimenti, gestauerit. Sozomenus libro sexto, capite uigesimo octauo.

HERACLIDES.

ERemita est sub Valentiniano & Valente, in Ægypto celebris, & Antonij Magni discipulus: Socrati lib. 2. cap. 4. & Sozomeno libro tertio, capite decimoquarto: & lib. sexto, capite uigesimo. Heraclides, seu is, seu alius, est monachus religiosissimus. ad Lausum scripsit librum de uitis sanctorum patrum, quem Paradisum inscripsit: apud Vincentium lib. 17. cap. 24.

IOSEPH.

IOseph, Ruffino libro secundo, capite octauo, monachus est Ægypti, in Pispiri, seu monte Antonij.

IOANNES.

IOannes celeberrimus inter Ægypti monachos fuit, à iuuentute in solitudinibus uersatus, literarum rudis, sed memoria tenacissima prẽditus, cui uictus herbę ac radices, potus aqua quocunq; in loco inuenta esset. Excelluit duobus potissimùm maximis donis, medendi nimirũ morbis incurabilibus, & prædicendi futura. Quam de eo famam audiens Theodosius Imperator, ad repressionem Eugenij tyranni profecturus, de belli euentu quæri ex eo curauit: anno Christi trecentesimo nonagesimo sexto, iuxta Prosperum. Qui & uictoriam certam de Eugenio, & mortẽ suam in Italia paulo pòst, prædixit. Fuit autem tum in Thebaide Ioannes: in quam translatus, monasterijs plurimis præfuit. Sozomenus libro sexto, capite uigesimo octauo: Theodoretus lib. quinto, capite uigesimoquarto: & Sozomenus rursus libro septimo, capite uigesimo secundo.

Alius.

VIdetur & in uigesimonono capite libri sexti, de alio loqui Ioanne monacho Sozomenus: quem presbyterũ monasterij sui in Ægypto fuisse, ac dono medicandi, pedibus ac membris luxatis laborãtibus, claruisse indicat.

ISIDORVS.

MOnachum Isidorum Ruffinus in Scethi habitasse retulit. Sozomenus patrem eũ fuisse, & præsidem monastici cuiusdam cœtus, cuius curam sedulam habuerit, & disciplina competenti exercuerit, scripsit. Familiaris fuisse uidetur Serapioni & Dioscoro, qui & ipsi monachorum patres fuerũt: duobus item Macarijs, cum quibus, à Lucio Ariano episcopo persecutore & tyranno exulatum in insulam quandam ab impijs habitatam missus est. Ruffinus lib. 2. cap. 8. Theodoretus lib. 4. cap. 21. Sozom. lib. 6. cap. 28. Apophthegma hoc de Isidoro sic satis arrogans Socrates retulit lib. 4. cap. 23. Habere se scilicet quadraginta annos, in quibus peccatum quidem mente senserit, nunquam uerò nec concupiscentiæ nec iræ consenserit.

MARCVS.

MOnachus est Sozomeno in Scethi celebris Marcus, ab adolescentia placidus, prudens, & sacrarum scripturarum peritus, Deoq; charꝰ, & Macario familiaris: qui de eo retulit, nunquam scilicet eum, à se presbytero panem aut calicem Domini ad mensam sãcram accepisse: sed ab angelo, cuius se manũ ad iuncturam usq; conspicere Marcus dixerit. Sozomenus libro sexto, capite uigesimonono. Sed hæc fabulã, ut alia monastica multa, redolere uidentur.

MELANES.

NVmeratur inter monachos inquilinæ à Sozomeno Rhinocururæ Ægypti, celebris Melanes, episcopus etiã eiusdem urbis: & cõmendatur ab externis operis Ecclesiasticis, nimirum animo in præsenti periculo intrepido ac cõfidenti, & in inimicos etiam insidiatores officio & beneficẽtia prompto. Cum enim ab Arianis missi eò essent qui eum comprehenderent, ac fortè in templo eum offendissent lychnos præparantem, sed non agnouissent, quæsissentq; ubi esset episcopus, ille in ædes suas receptos eos, ut ex itinere fessos, mensa structa, ad quam ipse ministraret, refecit: ac postea episcopum se esse significauit. Quum illi qui ad capiendum eum uenerant admirati, ad quid aduenissent ei retulerunt: ac reuerentia erga eum, facere sese fugiendi sibi potestatem benignè indicarunt. Ad quod Melanes: nequaquam formidare sẽ, inquit, aut obstare, quo minus quod in eum ut facerẽt imperatum eis esset, exequerentur: cõmunem esse eam rectè sentientium de fide fortunam, quã nec ipse subire dubitaret. Sozomenus lib. sexto, capite trigesimoprimo.

MOSES.

MOSES.

MOses Æthiops quispiam ijs temporibus, qui latrocinia sectat⁹ erat, sanguine multorum, quos morte affecerat, madens, casu in desertum Schetin uenit, & solitariam uitam profiteri cœpit: corpus robustum quod sibi erat, innumeris exercitijs subigens. Panem enim modico sine obsonio contentus, pluri mùm operis faciebat. Per diem autem quinquagies orabat. Fertur autem sexenniũ integrum singulis noctibus stans orasse, sine somno: quod ut impossibile, ita fabulosum est. Subseruijsse etiam monachis, remotis inter se spacijs circum se distantibus, afferendo aquam noctu. Quibus omnibus ex latrone laudatissimus factus est monachus, presbyter etiam tandem monachorũ per Schetim. Mortuus est annos natus circiter septuagintaquinque, præstantissimis post se discipulis relictis. Sozom. lib. 6. cap. 29. Ruffino Moses is, ut uidetur, monachus est in Nitria, cum Beniamin: lib. 2. cap. 8.

MOSES *alius.*

CLaruit in eadem solitudine Moses etiam alius, ingenio mansueto prædit⁹, & qui in dilectionis mutuæ officijs præstandis eximius esset. Valuit autem dono etiam sanandi morbis affectos, per orationem. Sozomenus ibidem.

MOSES SARACENVS.

MOsis Saraceni historiam meminimus & suprà aliquoties nos perstrinxisse. Sub Valentis Imperio, cum omnia persecutionibus in orthodoxos immanissimis plena essent, in finibus Alexandriæ et Palæstinæ ferè oberrabat, solitariam uitam agens. Quo tempore Mauuia Saracenorũ regina, ruptis post mariti obitum cum Romanis initis fœderibus, uehementi bello Palæstini atq; Arabici limitis oppida atq; urbes quatere, uicinasq; simul Romanorũ uastare prouincias cœpit. Cumq; frequentibus prælijs Romanos attriuisset exercitus, & peremptis plurimis, in fugam reliquos uertisset, pacẽ per legationẽ orata, ea cõditione arma depositurã se, & belli finem facturam promisit, si monachus, cui Moses nomen esset, genti suę episcopus præficeretur. nam & propter religionem ac fidem, multisq; admirandis operibus clarus maximè Moses fuit. Conditionem igitur eam Romani duces, quibus gratissima fuit, ad Imperatorẽ referunt: qui quæri ilico Mosen, & comprehendi deduciq; iussit Alexandriam, & episcopum ordinari. Pertinebat autem ordinandi ius ad Lucium, qui occupato scelere & fraude Alexandrino præsulatu, episcopum tum egit. Ad quem adductus Moses: Ego quidem, inquit, sacerdotio me iudico indignum. Attamen si quid per me fieri in dispensatiõe sua Domin⁹ uoluerit, meumq; sacerdotium salutare futurum rebus publicis est, Deum testor, me nunquam commissurum, ut Lucius hic sanctorum sanguine pollutas & cruẽtas super me inijciat manus, cuius inuocatione spiritum sanctum nõ uenire certus sum. Tum Lucius: Temeritas ea est, ait, conuiciari, & condemnare eum, cuius tu fidem ignoras. Quin ex me prius disce, quæ mea de doctrina sententia sit. Moses contrà: Ne putes, inquit, ignorari à me fidem tuam, de qua testantur serui Dei, opera & furore tuo per metalla damnati, episcopi in exilium trusi, presbyteri, diaconi extra Christianas terras relegati, bestijs alij, alij etiam ignibus traditi. Nunquid potest uerior esse fides quæ auribus capitur, quàm quæ oculis peruidetur? Apud me uerò certum est, quòd qui facere ista non uerentur, Christo minimè rectè credant. Sic igitur Lucij ordinatione repudiata, ad episcopos exules in montana deductus, & ab ijs ordinatus est. Profectus autem ad Saracenos, Christi fidem apud eos fœlicissimè propagauit. Ruffinus libro secundo, capite sexto: Socrates libro quarto, capite trigesimosexto: Theodoretus libro quarto, capite uigesimotertio: Sozomenus libro sexto, capite trigesimooctauo.

ORIGENES.

DIscipulus Antonij monachi, magni illius & celeberrimi, Origenes fuerat. Claruit autem & ipse magno nomine in monasterijs Scheticis, sub Valente. Sozomenus libro sexto, capite trigesimo.

OR.

MOnachus Ægyptius est Or, Nicephoro libro undecimo, capite trigesimoquarto. Meminit eius Hieronymus aduersus Pelagium, ad Ctesiphontem epistola, & monachum Origenistam fuisse indicat.

PEMENES, PERICHIVS.

FAsciculis temporũ Pemenes & Perichius Ægyptij monachi sunt, sub Valente.

PIOR.

MOnachus est in eremo Scethica Ægypti Pior, Sozomeno: qui morosa uerè, & monacho truce digna de eo retulit. Quòd adolescens paternas ædes ad monasticæs professionẽ egressus, uouerit se ad suos nunquã rediturũ. Quòd post annos quinquaginta, à sorore sua uidendi eius cupida solicitatus, iussus etiã à monachorũ præsidibus, in patriã ad se ut ueniret, uenerit quidem, sed astãs ad fores, cum se paululũ cõtemplari sororẽ iussisset, & oratiunculã recitasset, in solitudinẽ redierit. Sozomenus libro sexto, capite uigesimonono. Examinanda & iudicanda est hęc monstrositas, iuxta præceptũ, Honora patrẽ tuũ & matrẽ tuã. & 1. Tim. 5. Si quis suorũ, et maximè domesticorũ curã nõ habet, fidem

dem negauit, & est infideli deterior. Socrates de Piore ex Euagrio retulit, ambulando eum cibum capere consueuisse. Interrogatũ autem, quamobrem sic uescereturr: aliàs respondisse, nolle se cibo tanquam operis aliquid necessarij facientem uti, sed malle neglectim & obiter. aliàs uerò: Ideo, ne inter uescendum corporalis aliquid delectationis anima perciperet. Socrates libro quarto, capite uigesimotertio.

PETIRVS.

ESt & Petirus monachus Euagrio, naturalium theorematum peritus. Socrates libro quarto, capite uigesimotertio.

PAVLVS.

PAulum Ægyptium monachum in Pherma Scethidis monte habitasse, Sozomenus tradidit, præfectum contubernio quingentorum Fratrum. Nihil autem operis præter preces facientem, neq; quicquam ab aliquo, nisi quantum in uictum diurnum supperet accipientem. sustinuisse autem quasi pro dimenso suo exercitium, per dies singulos trecentas precationes: quarum ut numerum obseruaret, in ore uoluerit totidem lapillos, quorum singulos ad precationes singulas deposuerit. Sozomenus lib. 6. cap. 29. Hæc iudicanda sunt secundum Christi mandatum Matth. 6. Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt. putãt enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur. Paulos alios duos Ruffinus habet lib. 2. cap. 8. quorum alterum in Apeliote, alterũ in Focis monasticen professum scribit.

PACHON.

PAchon monachus est Scethicus, à puero ad senium usq; in solitudine incredibili cum tolerantia conuersatus: Sozomeno lib. sexto, capite uigesimonono.

PIAMMON.

EIdem & Piammon monachus presbyter est, præses monasterij cuiusdam in tractu Ægypti: quem ab angustijs terræ διελπὸν dictum, Nicephorus tradit libro undecimo, capite trigesimoquinto.

PASTOR.

MOnachus est Nitrię pastor, & presbyter, genere, fide, doctrina & miraculis clar⁹. Bergomensi, Supplementi lib. 9.

STEPHANVS.

MOnasticen professus est Stephanus religiosissimè circa Mareoten, non procul à Marmarica, per annos sexaginta. Fuit autẽ familiaris Antonio magno. Et quod ad mores eius attinet, placidus in colloquijs, prudens, & utilis, qui & dolentiũ & morientiũ animos demulcere cõmodissimè posset, & ægritudines quascunq; animorũ ad hilaritatem cõuertere. Quod remedium etiam ipse sibi, sicubi de proprijs ærumnis dolendũ sibi esset, adhibuit. Graui aliquando & incurabili cõflictans morbo, interea dum labefactata membra medicis secanda præbebat, palmarum folia manibus contexebat: admonens obiter adstãtes, ne dolorem sibi aliquem ex suis cruciatibus admitterent: sed cogitarẽt, omnia quæ Dei uoluntate gererentur, bonum aliquando exitum habitura. Nam & hoc sibi constare, profuturum sibi eiusmodi dolorum experientiam. Ac satius esse in hac, quàm futura uita, peccatorum admissorum pœnas luere. Sozomenus libro sexto, capite uigesimonono.

SYNCLETES, ET SYRVS.

SVnt eremitæ Ægyptij & Syncletes, & Syrus, in Fasciculis temporum.

AGATHON, ACHILLES, ARSENIVS.

MOnachi sunt in solitudinibus Ægypti, Fasciculis temporum, sub Valente.

ZACHARIAS.

FAsciculis temporum inter monachos in solitudinibus Ægyptijs Zacharias etiam numeratur.

DIDYMVS.

MOnachus fuit in Thebaide Didymus, hoc exercens religionis, ut separatus ab omnium hominum consuetudine per omnem uitam ageret: quemadmodum ex Euagrio Socrates retulit libro quarto, capite uigesimotertio: Didymus, inquit, cum nonaginta annos uixisset, nulli hominũ ad mortem usq; conuixit. Sed quis non hæc monstra hominum execretur, ut inimicos humanæ societatis, contra totam secundam tabulam decalogi delinquentes: Diligas proximum tuum sicut teipsum? & 1. Corinth. 7. Vnũquemq; sicut uocauit De⁹, ita ambulet.

Sub Gratiano & Valentiniano.

GEBALON, GELASIVS.

FAsciculis temporũ, sub anno Christi trecẽtesimo septuagesimoquarto, monachi sunt in solitudinibus Ægypti.

Sub Valentiniano & Theodosio.

ARSENIVS.

IN commemoratione rerum gestarum Theodosij, Zonaras refert Arsenium diaconum fuisse Romanæ ecclesiæ, uirum & eruditione & uirtute celebrem: cuius disciplinę Theodosius duos filios Imperatores, Honorium & Arcadium, literis & moribus imbuendos, numerata ingenti pecunia tradiderit, cumq; ijs non ut cum Imperatoribus, sed uulgaribus, agere eum iusserit: plagas etiam adhibere, sicubi negligentes essent, & officiũ nõ faceret: planè deniq; pro filijs suis habere. Atq; addit: Imperatorem aliquando de im-

de improuiſo Arſenij ludũ ingreſſum, cum pueros Imperatores in ſellas collocatos, Arſenium autem ſtantem docendi munere fungi deprehendiſſet, grauiter indignatum præcepiſſe, ut pueri poſthac aſsiſtentes diſcerẽt, Arſenius uerò ſedẽs quæ præceptoris eſſent faceret. Quod ab eo poſtea tempore ab illis obſeruatum fuerit. Fortè autem plagas ab eo aliquando pro delicto certo Arcadius acceperat: qui iratus, inſidias, ut fit, præceptori comparauit, ac de eo occidendo cogitauit, percuſſore ſubornato. Quod conſilium Arſenius animaduertens, aula relicta, clam in ſolitudinẽ Scethim ſe cõtulit: ibiq; ſolitariam uitam ſanctè profeſſus eſt. Ab Imperatore autem diligenter quæſitus, inueniri nuſquam potuit. Nicephorus libro duodecimo, capite uigeſimotertio, Arcadiũ ipſum, cum ſanctiſsimè in ſolitudine uiuere Arſeniũ cognouiſſet, miſiſſe ad eum, qui nomine ſuo ueniã delicti ſui ſimul, & benedictionem ab eo peterent, retulit. Addidit etiam, præclara monumenta & libros plurimos ab eo relictos, quorum nullum tamen nominat. Meminit diſciplinæ cuiuſdam Arſenij monachi, Socrates libro quarto, capite uigeſimotertio. Vnde eum alijs monachis ut præceptorem præfuiſſe conijcitur. Arſenius, inquit, iuuenes delinquentes non ſeparabat, ſed eos tantum qui prouecta eſſent ætate. dicebat enim, iuuenem, ſi ſepararetur, reddi cõtemptorem diſciplinæ: adultiorem uerò, ex dolore ſeparationis facilius reſipiſcere.

Arſenius alius fuit Melitianæ ſocietatis epiſcopus, per quem perfidioſam fabulam ſuam Ariani & Meletiani aduerſus Athanaſium egerunt: cuius in hiſtoria perſecutionũ diui Athanaſij crebra facta mentio eſt. Theodoretus lib. 1. cap. 29.

IOANNES.

FAſciculis temporum, in ſolitudinibus Ægypti monachus, Ioannes Breuis Beſſarienſis eſt, ſub Theodoſio.

LVSTRION, LVCIVS.

FAſciculis temporũ Luſtriõ & Lucius monachi ſunt Ægyptij, ſub Theodoſio.

THEODORVS.

ESt & Theodorus Ægypti, ut uidetur, monachus: quem Hieronymo commendat Theophilus Alexãdrinus. In epiſtola Theophili ad Hieronymum, tomo tertio.

MONACHI PER EVROPAM.

Sub Valentiniano & Valente.

FLORENTINVS.

MOnachus eſt inſignis cũ Bonoſo & Ruffino, Florentinus, beneficentia maximè in pauperes celebris: Hieronymo in Chronicis, ſub anno Chriſti trecenteſimo octogeſimoprimo.

Sub Valentiniano & Theodoſio.

ALEXANDER, MINERVIVS.

MOnachis Toloſanæ urbis Alexandro & Mineruio, Hieronymus nuncupauit cõmentarios in Amos.

RVSTICVS.

GAllus fuit natione Ruſticus, qui matris religioſæ fœminę ſtudio, literis primùm in Gallijs diligenter inſtitutus, Romam poſtea miſſus eſt: Monaſticen uerò poſtremò profeſſus eſt. Extat ad eum epiſtola Hieronymi de forma uiuendi monaſtica digna.

CHRYSOGONVS.

AQuileiæ monachus eſt Chryſogonus, ad quem extat epiſtola Hieronymi, inter epiſtolas quæ tomo primo operum eius continentur. Meminit idẽ Chryſogoni alterius, quem ſectatorem uocat Ruffini, in fine libri primi apologiæ aduerſus Ruffinum.

NEPOTIANVS.

HEliodori monachi et epiſcopi nepos fuit ex ſorore Nepotianus monachus & preſbyter. Scripſit ad eum longam epiſtolam, uiuendi formam clericis & epiſcopis dignam complectentem, Hieronymus. Depoſita militia, quã iuuenis exercuit, quicquid habuit peculij pauperibus erogauit, una atq; altera uili ueſte ſolum ſibi reſeruata: atq; auunculo ſuo Heliodoro epiſcopo aliquandiu adhæſit, ab eoq́ue in diuinis literis inſtitutus eſt. Tandem etiam clericus ſub eo factus, per ſolitos gradus presbyter ordinatus eſt. In qua dignitate, mores probatiſsimos ac uirtutes illuſtres præ ſe magna omnium cum admiratione tulit, beneficentiã maximè, atq; omnis generis officia in pauperes & miſeros. Relicto uerò clericatus ordine, domũ poſtea ſe contulit, & monaſticen profiteri cœpit duriſsimis exercitijs, & orando & uigilando, maximè autem meditatione & lectione ſcripturarum & Doctorum: in quarũ cognitione adeò euaſit excellens, ut in diſputationibus & familiarib. alioqui colloquijs, ſi quid in medium productum fuiſſet, ſtatim digno ſceret: atq; Tertulliani eſſe illud, Cypriani iſtud, hoc Lactantij, illud Hilarij, Manutij Felicis aliud, hoc Victorini, illud Hieronymi eſſe diceret. Lectione deniq; aſsidua & meditatione diuturna pectus ſuum, ſicut Hieronymus ait, bibliothecã effecit Chriſti. Extinctus tandem febri eſt: qua quamdiu conflictatus eſt, hilari ſemper uultu conſpectus eſt, adeò ut & auunculum Heliodorum mœſtum ſæpe conſolatus ſit: & plorantibus illis qui ad ſe uiſendum uenerant, ſolus ipſe riſerit. Hieronymus in epitaphio Nepotiani, ad Heliodorum, tomo primo.

MVLIE-

MVLIERES ECCLESIASTICÆ.

EVSTOCHIVM.

CElebratur ab Hieronymo plurimis in locis Eustochium, Romana uirgo, matris Paulæ filia: cum qua Roma relicta Bethleem abijt. In epitaphio Paulæ matris, Iuliã eam quoq;, ab Iuliorũ, qui ab Ænea fuerũt, sanguine dictam, testatur. Eamq; exemplũ unicum nobilitatis & uirginitatis toti orbi propositum, uocat in proœmio in Esaiam. Et in proœmio cõmentariorum in Ezechielem, libri decimitertij, acumen illi ingenij, ac scripturarũ tribuit desideriũ, quò sæpissimè ab eo efflagitarit commẽtarios in Esaiã, sicut indicat in proœmio commentariorũ in Esaiã. Fratrẽ habuit Pammachiũ, & familiares Augustinũ & Alipium: sicut ex epistola Hieronymi ad Alipiũ & Augustinũ apparet.

EVPHRASIA.

CLaruit Alexãdriæ sub principatu Theodosij, abstinẽtia monastica & miraculis, Euphrasia uirgo. Sabellicus Enneadis septimæ lib. 9. Patrem habuerat ex nobili familia Antigonum nomine, matrem uerò Euphrasiam, piam & religiosam fœminam: quibus amissis, in monasterium se cõtulit, ibiq; per annos octodecim ad trigesimum usq; ætatis suæ annum uixit, ac pòst mortua est. Bergomensis lib. 9. Marulus libro 4 retulit, eam, priusquam in Thebaide religioni monasticæ se tradiderit, à parẽtibus nobili cuidã patricij generis iuueni desponsam fuisse. Theodosium igitur misis ad eam literis, cogere ut iuueni nuberet uoluisse. Sed cui ipsa responderit, sponsum se habere in cœlo, nõ in terra: ac certũ sibi esse, omnia extrema perpeti, quàm fallere fidẽ illi datã. Cumq; insuper Theodosi⁹ opulẽtas uiri nuptias donis suis se cumulaturũ pollicitus esset, respõdisse eã: Opes suas esse Christum, munera igitur sua alijs cõferret. Sed hęc & similia facta iudicanda sunt iuxta corpus doctrinæ Christi & Apostolorum, in prima Centuria descriptum.

MARIA ÆGYPTIA.

IMperatorum Valentis & Valẽtiniani temporibus fuisse uidetur Maria, quam Ægyptiam dixẽre, quantum ex Sabellico & Bergomense cõstat. Extat in uolumine de Vitis patrum prolixa de ea narratio, autoris Pauli cuiusdam diaconi Neapolitani, ex qua pauca hæc describimus. Nata in Ægypto ex parentibus Christianis Maria, & baptizata est. Relictis autem, cum ad annum ætatis peruenisset duodecimum, parentibus, Alexandriã se cõtulit, ubi libidinum æstu corpus suum prostituit turpissimis modis. Inde uerò Hierosolymã uenit cum illis, qui ad diem festũ exaltationis crucis cõmeare eò pro cõsuetudine solerent, nulla necessitate, nisi ut in frequenti peregrinantiũ cœtu libidinem expleret. Hierosolymis tamẽ in templo compuncta, pœnitentiam egit, ac uitæ deinde in melioré frugẽ instituẽdæ proposito, posteaquã in æde Ioãnis Baptistæ ad Iordanẽ, cœna Domini usa fuisset, in desertũ abijt: ubi per annos quadraginta septẽ extra omniũ hominũ consuetudinem uixit, nuda oberrans, & tenuissimo alimẽto uictitãs, corpusq; domãs incredibili abstinẽtia, quanquam nõ sine certaminibus, quòd uitæ antè actæ in flagitijs intra annos decem & septẽ uix posset obliui sci. In solitudine nullũ unquã uidit hominem, nisi Zozimũ monachũ quendã Palæstinum, qui ex religionis suæ ritu deserta pererrans, in eam fortè incidit. Atq; tandẽ post biennium ex eo tempore, quo in eam inciderat, mortua inuenta & sepulta est. Hæc de Maria ex eadẽ narratione retulerũt Baptista Fulgosus libro 6, Marulus lib. 4, Sabellicus exemplorũ lib. 2, & Enneadis septimæ libro nono, & alij. Sunt autem reliquæ eius narrationis partes, non fabulis solũ, uerùm & erroribus plenæ: ut quòd beneficio Mariæ uirginis ad meliorem uitam conuersa, oraculis admonita, ac per omnẽ uitam gubernata & protecta sit. In quam sententiam habentur quędam precatiunculæ, quæ Christi merito excluso, ipsam etiã salutem acceptã referunt diuæ uirgini. Fabulis uerò monasticis similia uehemẽter uidentur illa, quòd alimentũ ei in deserto ad annos XVII præbuerint panes duo dimidiati: Quòd Iordanẽ pedibus siccis transierit: quòd inter orandum, intra terrã & cœlũ cubitali sublata altitudine à Zozimo uisa sit: quòd leonis immanissimi ministerio tandem sepulta sit, &c.

MELANIA.

MEminit Melanię sub anno Domini 377, in Chronico suo Hieronymus, & in epistola ad Paulã super obitu Blesillæ filiæ. Fuit autẽ nobilissima fœmina Romana, Marcelli quondam consulis filia. Quæ cum marito nõdum humato, duos simul amisisset filios, incredibili fortitudine, naturã ipsam propemodũ excędente, ab omni sibi dolore temperauit, adeò ut nec illachrymarit, sed deuoluta in pedes tantum dixit: Expeditius tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. Relicto igitur unico filio, prætore tunc urbano, eidemq; omni quã habebat cõcessa possessione, Hierosolymã nauigauit: ibiq; tanto uirtutũ præcipueq; humilitatis fuit miraculo, ut Teclæ nomen acceperit.

MARCELLA.

SAnctorum omniũ decus inclytum, ac Romanę urbis maximè, ut Hieronymus inquit, Marcella, nata illustri fuit familia, in qua & cõsules, & prætorio præfectos memi

nisse posset. matrem habuit Albinã. nam patris nomen Hieronymus non exprimit. nupta post patris mortem, septem tãtum mensibus coniunx fuit: post quos marito orbata, nuptijs in perpetuum renunciauit. nam & Cœrealem, cuius clarum inter Consules Romanos nomẽ fuit, fastidiuit: pudicitiam deinceps per omnẽ uitam professura, nihil morata uulgi iudicia de ea professione, quã Romæ ipsa prima ausa est. In ea igitur monastica professione, uirtutibus atq; occasionibus omnibus quæ ad pudicitiam cõseruandam, & uitam cum religione transigendam facerent, egregiè studuit, pauperes pascens, abstinentię uacans: sacras uerò scripturas inexplebili euoluens auiditate & desiderio, canens subinde ex Psalmo illud: In corde meo abscondi eloquia tua, ut nõ peccẽ tibi. Scripturas uerò ab Hieronymo Romæ didicerat, ad quẽ absentẽ sæpe scripsit, eumq; opibus suis adiuuit. Quædã etiã ad monasticã uitã pertinentia ab Athanasio & Petro, qui Arianorũ immanitate Romã pfugerant, acceperat. Sic uiuẽs, nobiliũ fœminarũ Romę ad idem uitę institutum amplectendũ multas adduxit: ut Sophroniã, & alias. Contubernalibus præcipuè usa est Eustochio, & Paula. Origenistarum, qui Hierosolymis inualescere cœperãt, factionẽ, sanã fidem cõuellentem, ipsa prima ꝓdidit, publicè cõfutauit, ac represit. Vrbe uerò à Gothis capta, à diripientibus fustibus flagellisq; cæsa, salua tamẽ cum cõsortio suo mansit. post quã calamitatẽ, sano, integro ac uegeto corpore in Dño obdormiuit. Hieronymus in epitaphio Marcellæ ad Principiã.

PAVLA.

IN Paulæ laudibus Hieronymus superbit. Nobilissima fuit Romana fœmina, nata patre Rogato, Gręco, nobilissimo, & ex Agamemnonis regis genere originẽ suũ ducẽte. Matre uerò Blesilla Romana, ex Scipionum Gracchorumq; familia. Viro matura, Toxotio uiro clarissimo, sanguinem altissimũ ex Æneę & Iuliorũ cognatione trahẽti, nupsit. cui quinq; Paula liberos edidit: Blesillam scilicet, Paulinã Pammachij uxorẽ, Eustochiũ, Ruffinã, filias quatuor, & Toxotiũ filiũ. Marito defuncto, mundi cõtemptũ profiteri cœpit: atq; in eo proposito Romæ uixit annos quinq;. Deinde cum episcopis, Paulino Antiocheno, & Epiphanio Salaminę Cypri episcopo Roma profecta, peragratis omnib' Iudææ & Ægypti locis, quarũ in scripturis sanctis mentio fit, ac monumentis historiarũ utriusq; testamẽti accuratissimè cõspectis, in Bethleẽ tandẽ cõsedit: ubi per trienniũ in angusto sese continuit hospitiolo. Postea uerò quatuor extruxit monasteria, unum uirorũ, tria uirginũ, quas ad pietatẽ & religionẽ sedulò formauit, cum ad unguẽ sacras scripturas memoriter teneret. Inter quas etiam in multis exercitijs uitæ asperioris, ieiuniorũ, cõtinentiæ (quæ in ea tanta fuêre, ut & mor bos sibi accerseret) orationum, psalmodiarum, (Psalmos autem etiam Hebraicè canebat) uigiliarum cõsenuit: Hieronymi contubernio familiarissimè usa, à quo & enarrationem utriusq; testamenti cum filia Eustochio audiuit, eumq; ut cõmentarios librorũ sacrorum conscriberet impulit, sicut in prœmio libri decimioctaui cõmentariorum in Esaiam Hieronymus affirmat.

Tandem cum in eiusmodi uitæ genere annos exegisset uiginti, mortua est, septimo Calendas Februarij, tertia sabbati post solis occasum. Sepulta est quinto Calendas Februarij, Honorio Augusto & Arestino (Aristeneto, secundum Cassiodorum: qui cùm cõsul sexies esset, Honorius Augustus cum eo consulatum gessit) consulibus: anno scilicet Christi CCCCVIII, posteaquã uixisset in mundi contemptu Romæ annos quinq;, Bethleẽ annos uiginti, atq; omne uitę tempus compleuisset annis LVI, mensibus VIII, diebus XX. Sepulchrum ipsius Hieronymus his consignauit uersibus:

Scipio quam genuit, Paulæ fudêre parentes:
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles:
Hoc iacet in tumulo. Paulam dixêre priores.
Eustochij genitrix, Romani prima senatus,
Pauperiem Christi & Bethlehemitica rura secuta.

In fronte speluncæ:

Aspicis angustum præcisa rupe sepulchrum?
Hospitium Paulæ est, cœlestia regna tenentis.
Fratrem, cognatos, Romam, patriamq; relinquens:
Diuitias, sobolem, Bethlehemiti conditur antro.
Hic præsepe tuum Christe, atq; hic mystica Magi
Munera portantes, hominiq; Deoq; dedêre.

Hieronymus in Epitaphio Paulæ, ad uirginem Eustochium.

DEMETRIAS.

EXtat ad Demetriadem uirginem, Iulianę filiam, quæ se Christo consecrarat, Hieronymi epistola, scripta ab eo ferè decrepito, sicut ipse testatur: in qua de uita & moribus in professione castitatis regendis, eã præcipit.

ASELLA.

PAter Asellæ filiam sibi natam ante annos pubertatis uirginitati cõsecrauerat. Quæ protinus post duodecimum annum monachæ uitam amplexa, Romæ quasi in eremo uixit. Extat de eius laudibus Hieronymi epistola ad Marcellam, tomo primo.

PRINCIPIA.

MArcellæ contubernalis & discipula Principia fuit uirgo. scribit ad eam epitaphiũ Marcellæ Hieronymus tomo primo. extat ad eã explanatio Psalmi quadragesimiquarti, tomo quarto.

FABIO-

FABIOLA.

LAudat Fabiolam nobilem fœminam Hieronymus, quòd poſt lapſum ad Chriſtũ conuerſa, ſanctiſsimã uereq; Chriſtianã egerit uitã. Scripſit ad eandẽ de ueſtibus Aaronis epiſtolam, aliam item de Manſionibus, tomo quarto. Extat eius epitaphiũ, ſcriptũ ad Oceanum, tomo primo.

VIRGINES HERMONENSES.

ADuirgines caſtitatẽ profitentes in monte Hermon, ut uidetur, ſcribit Hieronymus: ac ſignificat, ſe humaniter ab ijs aliquando fuiſſe exceptum, & gratias agit. Epiſtola extat tomo primo.

HEDIBIA, ALGASIA.

ERudita fuit mulier Hedibia, nata rhetore erudito Paterio. Per Apodemium enim in Bethleẽ miſſum, propoſuit Hieronymo duodecim quęſtiones, ex aliquot ſanctarum ſcripturarũ locis: ad quas reſpondet ipſe tomo quarto. Eadem rurſus cum Algaſia quęſtiones ei alias miſit explicandas. Habitauit autem utraq; in extremis Galliarũ finibus.

PVBLIA.

NObiliſsima fuit, & uirtutibus egregijs celeberrima fœmina Publia, mater Ioannis Antiocheni presbyteri, ueneranda canicie ãnus. Quę marito amiſſo, cum quo in matrimonio breui uixit tempore, Magiſtram ſe uirginum, caſtitatem exercentium, profeſſa eſt Antiochiæ. Ea quomodo riſui & contemptui habuerit Iuliani Imperatoris circa reſtituendos idolorum cultus furias, etiam alibi diximus. Cum enim pro more & exercitio familiari haberet, celebrationem Dei, & cantiones quibus cœtum uirginum ſuarum exercebat, accidit ut aliquando ad ædes eius præteriturus Imperator accederet. Quo conſpecto, iubet illa ſtatim cœtum ſuum altiori cane re uoce, uerſus ex Pſalmo, quo infirmitas idolorum inceſsitur: Simulachra gentiũ, argẽtum & aurum, opera manuum humanarum. Et: Similes ijs fiant qui faciunt ea, & uniuerſi illis cõfiſi. Quibus auditis, magno cum dolore indignatus Imperator, mandat, ut prætereunte ſe deinceps canere deſinerent. Sed illa paruipendens Tyranni idololatræ imperium, maiori poſtea cura choros inſtituit, iuſsitq;, quoties Imperator præteriret, animoſe canere: Exurgat Deus, & diſsipentur inimici eius. Quod rurſus Iulianus grauiſsimè ferens, adduci ad ſe eam imperauit, eiq; contumeliæ cauſa per ſatellitem alapas in utramq; genarũ impingi: quam ignominiam ipſa maximi honoris loco habens, domum reuerſa, ſacris in Imperatorem cantionibus, ut antè conſueuerat, deinceps perpetuò illuſit. Theodoritus libro tertio, capite nono.

CAPVT XI.

DE HAERETICIS.

DE MELETIANIS HAEretícis.

MELITIVS.

MELITIVM epiſcopũ ciuitatis cuiuſdã Ægypti cõſtitutũ, paulo antè quàm in rabiẽ ſuã cõuerſus Arius fuerit, Theodoretus indicat lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 8. Floruiſſe aũt eum cũ Petro epiſcopo Alexãdrino & martyre clariſsimo, & ſecundũ ab eo dignitatis & autoritatis locũ in Ægypto obtinuiſſe, confeſsionisq; & carceris ac captiuitatis eius ſociũ fuiſſe, Epiphanius ſcripſit. Qui etiã uirũ eum, ob mores & uitã laudatiſsimã, illuſtrẽ, uenerabilẽ, omnibusq; carũ fuiſſe tradidit. Poſt Petrum uerò martyrio perfunctũ, magna Meletio cũ ſucceſſore Achillæ, qui poſt Petrum epiſcopatũ geſſerat, Alexãdro amicitia fuit, cum quo & cõmunẽ geſsit religionis & Eccleſię curã Alexãdrię: in eo ſolo ab Alexãdro diſsidens, q, proprios cœtꝰ & cõmunionẽ habuit. Cuius rei quã cauſam habuerit, ſuprà in narratione de Melitianorũ hæreſi expoſuimꝰ. Prędicat eius in cõmuni Eccleſiæ cum Alexãdro gubernatione, attentã & circũſpectã uigilantiã Epiphanius, in eo q, Meletiũ primum ex omnibus, Arij fraudes & corruptelas doctrinæ fidei animaduertiſſe, atq; Alexãdro ꝓdidiſſe ſcripſit. Sed quã pietatis & zeli ueri laudem integrã, nõ ꝓpetuò cõſeruauit Meletius. Ambitionis enim & imperãdi accẽſus libidine, aduerſus Alexandrũ ſeditionẽ agitauit: & ordinãdi poteſtatẽ, quæ penes Alexandrũ, officij nomine, tum ſolũ erat, in multis ſibi ciuitatibus petulãter uſurpauit, quẽadmodũ ſuprà dictũ eſt. Tametſi Meletiũ inimicitias nõ aduerſus Alexãdrũ modò, uerùm etiã anteceſſores ſuos Petrũ & Achillam geſsiſſe, ſeq; nulla ꝓbabili de cauſa ab Eccleſia ſeparaſſe, Theodoretꝰ ſcripſerit lib. 1. cap. 6. A quo, ſicut & ab alijs, Epiphanij narratio, ut ferè in pleriſq;, nõ parũ uariat. Nam quòd de turbationib. & exactionib. Meletij per Thebaida & Ægyptũ, Theodoretꝰ & Socrates & Sozomenus cõmemorãt, Epiphanius prorſus tacuit. At quod illi ad motꝰ & ſeditionẽ cõtra Alexandrũ retulêre, hic ad laudẽ ferè pietatis Melitij applicat, cũ in exiliũ & metalla ꝓſcriptũ eũ, ꝓfectiones ſuſcepiſſe narrat: in quib. eccleſias, multis in locis ædificarit, ordinatis paſsim epiſcopis, presbyteris & diaconis.

Certè propter eas res à ſynodo Nicæna, quæ in epiſtola ſua intemperanter petulantem & ferocem Meletium, ac nulla uenia dignum eſſe indicauit, omni poteſtate conci-

liandi aut sibi, aut alijs conferendi honores Ecclesiasticos, exuit & priuauit: quemadmodum Theodoretus indicat lib. 1, cap. 9.

ARSENIVS.

EPiscopus fuit ciuitatis Hypselitarum, & societatis Meletianæ, Arsenius: quē Ruffinus scripsit libro primo, capite decimo septimo, lectorem quēdam Athanasij fuisse. In quo persequendo, postea plurimum operæ suæ Meletianis dedit: qui persona eius ad id calumniæ contra Athanasium usi, resectam dextram manum de cadauere quodā, & conditam in arcula circumferebant, prædicātes Arsenij esse, quem Athanasi⁹ occidisset. Quā impudentem accusationem nec in frequentibus synodis in Athanasiū texere uerebantur, sicut suprà dictum est. Cæterùm Arsenium Meletiani ipsi abdiderāt: Sozomenus lib. secundo, cap. uigesimo tertio. Qui proditus & inuentus, in synodo Tyri unà cum illis contra Athanasium subscripsit. Socrates lib. 1, cap. 32. Extat epistola Arsenij ad Athanasium, missa, ut uidetur, cum post synodū Sardicensem Athanasius ecclesiā suam recepisset, apud Athanasium apologia secunda: in qua erroris sui palinodiā canit, ac se Athanasio subijcit, ad hunc modum:

¶ Athanasio beatissimo Papæ, Arsenius episcopus ciuitatis Hypselitarū, cui aliquando præfuit Meletius, unà cum presbyteris & diaconis in Domino salutē dicit plurimā. Et nos quoq; diligentes pacem & unanimitatem cum Ecclesia catholica, cui tu per Dei gratiam præfectus es, uolentesq; Ecclesiastico canoni pro ueteri instituto subijci, scribimus tibi Papa dilecte: promittimusq; in nomine Domini, nos deinceps non cōmunicaturos cum schismaticis, aut cum ijs quibus nondum pax est cum Ecclesia catholica, siue episcopi sint, siue presbyteri, siue diaconi: neq; cum illis in concilio coituros, neq; literas pacatas ad illos daturos, neq; inuicem ab illis accepturos: neq; citra tuam metropolitani episcopi sentētiam, ullum de episcopis aut alio dogmate communi & Ecclesiastico decretum edituros: sed cessuros canonibus antè susceptis, ad exemplar & modum episcoporum Ammoniani & Tyranni Plusiani, & reliquorum episcoporum. Præterea obsecramus tuam humanitatem, ut nobis quàm primùm rescribas, & de nobis ad nostros in sacris collegas, indicesq; nos iam stare pristinis decretis, pacēq; agere cum catholica Ecclesia, & regionum istarum episcopis counitos esse: credimusq; tuis precibus, ut gratis & efficacibus apud Deum, istā pacem firmā indissolubilemq; perpetuò futurā, secūdum Dei uoluntatem, Domini omniū, per IESVM Christū Dominum nostrū. Totum cœtus sacrorum uirorum, qui sub tua iurisdictione est, nos, & qui nobiscum sunt, salutamus: & quum primùm Deus permiserit, excurram ad tuam humanitatē. Valere te exopto multis temporibus Papa beatissime.

ACHAB, IOANNES, PINNES, *Helias monachus.*

ACha b accusator fuit Athanasij, de cæde Arsenij: Ioānes autem histrio istius sycophantiæ, Pinnes presbyter, & Helias monachus, Arsenium occultarūt: quod corā duce Alexandrino postea confessi sunt. Extat de eo facto epistola Pinnæ presbyteri, apud Athanasium apologia secunda.

DE ARIANIS HAEreticis.

ARIVS.

TRadunt, inquit Epiphanius, Arium Libyn fuisse genere: patre natum (ut ipse in epistola sua apud Theodoretum libro primo, capite quinto testatur) Ammonio. Et Antiochiæ quidem unà cum Eusebio Nicomediensi Lucianum audiuit, presbyterū & martyrē, à quo in literis sacris eruditus est: quemadmodum Nicephorus scripsit libro octauo, capite nono. Qua occasione ad presbyterij dignitatem Alexandriæ peruenerit, ignoratur. Nisi quòd inter presbyteros Alexandrinos primas eum tenuisse, & quòd cauillationum dialecticarū non imperitus, sed in eiusmodi disciplinis exercitatus esset, scripturarum interpretationem concreditam ei fuisse, Nicephorus idem retulit lib. eodem, capite quinto.

De statura & habitu corporis sui, animiq;, hæc inter cætera Epiphanius retulit: Erat, inquit, statura ualde longus, subtristi specie, figuratus ueluti dolosus serpens, qui decipere posset omne innocens cor, per uersutum suum prætextum. Dimidium palliū semper indutus, & stolam: dulcis erat in colloquio, persuadēs semper animas, ac blandiēs. Quibus artibus septingentas breui spacio uirgines castitatem professas, in suam sententiam pertraxit: præter presbyteros septem, & diaconos, quos secū abstraxit, duodecim. Quæ omnia, prius quàm à Meletio proderetur, & ab Alexandro hæresis ipsius animaduerteretur, effecit. Quā quomodo cœperit, ac quo progressu confirmarit, dictū à nobis alibi est.

Hæresi igitur eius deprehēsa, familiariter satis cum eo Alexander episcopus cōtulit, à proposito eum impio & audaci abducere conatus: in quo tamē operā omnē lusit. Quam obrem eum etiā à dignitate & munere sacerdotali remouit. Theodoretus lib. 1, cap. 4: Epiphanius lib. 2. tom. 2. hæresi 69.

Pulsus ita & confusus Arius, in Palæstinā aufugit, ibiq; adulatione & blanditijs sonos erroris sui conciliare sibi studuit. Ac Nicomediā ad Eusebium amicum ueterem ueniens,

uenies, benignè ab eo susceptus hospitio est. Cumq; bene diu apud eum moraretur, totum eum in sententiam suam pertraxit: eoq; quasi præsidio quodam fretus, literas cum collegio suo ad Alexandrum scripsit, quibus hæresin impiam suam excusare uolens, magis prodidit. Venit interea rumor de Ario ad Constantinum regem, qui malo huic, & cõtagio perniciosissimo, quod tum non Alexandriã solùm, sed & urbes alias prouinciásque infecerat, medicari cupiés, Synodum frequentissimam Nicææ indixit: à quo cum dogmate suo Arius damnatus & explosus est. Eusebius lib. 3 de uita Constantini: Ruffinus lib. 1. cap. 1. Socrates, Theodoretus, Sozom.

Presbyter uerò Constantiæ, Constantini sororis, quæ Licinij tyranni coniunx fuerat, Ariano dogmati fauens, Arij absentis causa susceptа, apud Constantiam de eo sæpe per occasionem loquutus est: subinde ita excusans Arij causam, quasi nequaqnã ita sentiret Arius, & à Synodo iniustè cõdemnatus esset. Atq; hoc quidẽ credulæ mulieri persuadere, presbytero difficile tum non fuit. Interea in morbũ letalem Regina incidit. Inuisit Rex ægrotantem. illa opportunitatẽ nacta, presbyterum ei, ut pium ac diligentẽ, & Imperio eius bene admodũ cupientem cõmendat, ac paulo pòst moritur. Presbyter in amicitiam Regis hoc modo cõmendatus, eadem postea apud eum de Ario agere cœpit: Nunquã scilicet dissensisse eum à Synodo Nicæna, sed quorundã calumnijs præter fas & ius oppressum esse. Ibi, Si Arius (respondit Rex) cum Synodo sentit, recipiã eum, & cum dignitate in locum suũ Alexandriæ restitui curabo. Mittit simul literas ad Ariũ, ad hunc modũ scriptas.

¶ Victor Constãtinus Maximus Augustꝰ. Iam olim soliditati tuæ significatũ est, ut in castra mea uenires, quò cõspectu nostro frui posses. Vehementer uerò admiramur, quòd id non confestim feceris. Quapropter iam ascenso publico uehiculo, ad castra nostra properè uenias: ut clementia ac prouidentia nostra potitus, ad patriam reuerti queas. Deus te custodiat, frater. 6 calend. Decẽbris. Socrates lib. 1. cap. 25.

Accessit ad eas literas cõfestim Eusebij suorumq; gregaliũ conatus, quo ad Imperatorẽ ipsum Arius euocatur. à quo iussus, ut scripto plano quodam sententiam suam de fide testaretur, per simulationẽ & dolum, uti diabolus solet, scripturam eiusmodi de sua fide, de industria ad uerba fidei Nicænæ accommodatam, Imperatori exhibuit.

¶ Pientissimo ac Deo dilectissimo Imperatori nostro Constantino, Arius & Euzoius presbyteri. Fidẽ nostrã, Domine Imperator, sicuti Deo dilecta pietas tua mãdauit, scripto hoc exponimus. Ad hunc modum autem & nos, & qui nobiscũ sunt omnes, credere confitemur, sicut hic infrà subijcitur. Credimꝰ in unum Deum, patrem omnipotentẽ: & in Dominũ Iesum Christum filium eius, genitum ex eo ante omnia secula Deum Verbũ, per quem omnia facta sunt, tam quę in cœlo quàm quæ in terra: qui uenit, carnem assum psit, passus est, resurrexit, ascẽdit ad cœlos, & uenturus est ad iudicandũ uiuos et mortuos. Et in Spiritũ sanctum, & carnis resurrectionem, & uitam futuri seculi, & regnum cœlorum: et unam sanctam catholicam Ecclesiam Dei, à finibus terræ usq; ad fines illius. Hanc fidem ex sanctis Euangelijs accepimus, Domino discipulis suis dicente: Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritus sancti. Si uerò ista nõ sic credimus, & uerè patrem & filium & spiritũ sanctum recipimus, sicut credit et recipit omnis Ecclesia catholica, & sacræ scripturæ docent, secundũ quas per omnia credimus: sit Deus iudex noster, & nunc, & in futuro die. Quapropter pietatem tuam, Imperator noster Deo dilectissime, obsecramꝰ, ut nos tanquam Ecclesiasticos, fidemq; & sensum Ecclesiæ ac sanctarum scripturarũ habentes, matri nostræ, uidelicet Ecclesiæ, amputatis quęstionib. & superfluis uocabulis ex illis ꝓmanantibus, per pacificã tuam et religiosam pietatem unias: ut & nos & Ecclesia, pace inter nos restituta, cõsuetas ꝓ trãquillo ac pio Imperio tuo, omniq; genere tuo preces cõmuniter fundamꝰ omnes. Sozom. lib. 2. cap. 27.

Hanc scripturam posteaquam cognouisset Constantinus, quærit, Nihil´ne aliud in animo haberet, & an uerè quod profiteretur sentiret? Respõdit Arius, Affirmare se iureiurando, tenere se fidem Ecclesiæ catholicæ, ac rectè credere. Absoluit igitur eum Imperator, iuratum, non sensisse ea quorum insimulatus ab Alexandro, fuisset Ecclesia eiectus, sic locutus: Si recta est fides tua, probè iurasti: sin impia est fides tua, & iurasti, iudicium de te erit Dei de cœlo. Athanasius oratione prima contra Arianos: & ex eo Theodoretus libro primo, capite decimoquarto. Addit Socrates lib. primo, capite trigesimooctauo, Arium dogma suum in charta quadam descriptum sub ala gestasse, atq; ita per imposturam iurasse, ad eum se modum uerè sentire, sicuti scripsisset.

Nec tamen in Ario recipiendo iudicium suum solum ualere Imperator uoluit: sed consentaneum esse ratus, cognitioni eorum quibus secundum Ecclesiæ legem de talibus causis iudicandi potestas esset, subijcere: mox Ariũ cum suffragatoribus suis Hierosolymã misit ad episcopos tũ ibi fortè congregatos: simulq; scripsit, ut Arij scripturã cõsiderẽt, & an uerè aut resipuerit nunc, aut ab

Alexandro iniuriam antea passus sit, diligenti cognitione & iudicio examinent. Illi igitur, ne quid Imperatoris sententiæ aduersarentur, Arium cum suis in communionem recipiunt. Ac literas mox ad Imperatorem, Alexandrinam etiã Ecclesiam, & episcopos ac clericos per Aegyptũ, Thebaida & Libyã mittũt, hortantes ut ex animo eas reciperẽt, quorũ fidei, quòd recta esset, etiã Imperator testimonium dedisset, cuiq; Imperatoris sententiæ synodus ipsa subscripsisset. Sozom. lib. 2, cap. uigesimoseptimo.

Fretus eo iudicio, de successu simulationis ac deceptionis suæ gaudens, post synodum Hierosolymitanam in Aegyptũ reuertitur. Aliquandiu autem frustra moratus Alexandrię, cum in communionem admittere eum Athanasius nullo modo pateretur, Constantinopolim redijt. Vbi cum solita ui introducere eum conarentur, Alexander, qui tum eius Ecclesiæ gubernationem administrabat, simili illis ui restitit, negans autorem hæreseos, & tot Ecclesiarum turbatorem recipi oportere. Res ad contentiones & pugnas minimè leues deuenit, Eusebianis crebrò minitantibus, nisi Arium Alexander admitteret, fore ut Ecclesia ipse eiectus, in exilio degat, & successor ipsius Ario cõmunicet. Id enim se perfecturos dicebãt: qui tantum prius potuissent, ut ipso inuito, ab Imperatore Arius ultro reuocatus esset. Talia minitantes Eusebiani discedunt, & postero die ui introducere in ecclesiam Arium constituunt. Alexander in armis pietatis maiorem fiduciam collocans, templum cum duobus ex ijs qui secũ conuersabantur, ingreditur: & ad aram prostratus, noctẽ illã totam lachrymans, preces ad Dominum Ecclesiarũ fundit, ne permitteret lupum cum ouibus misceri, qui quæ luporum essent uerè agere cupiens, ouis se nunc pelle cõtexisset. Ferunt autem, eum hæc quoq; uerba orationi adiecisse: Sin autem permittis Domine, ut hęc molitus in Ecclesiam tuam irrepat, per tuum ineffabile consilium (neque enim inuestigari iudicia tua possunt) me famulum tuum à præsenti uita libera. Atque hæc precatus, domũ lachrymans redijt.

Die uerò noctem eam consecuta, procedit cum pompa Arius, fiducia Eusebianorum insolens, petulans ac procax, ut qui se mox in episcopali throno collocandum sibi somniaret. Sed exemplum iudicij Dei admirabile attende. Ducitur quasi triumphabundus Arius. Ad forum Constantini uentũ est, ubi derepentè ex conscientiæ uulnere metus ortus, Arium incesit: eumq; alui laxitas, secretũ de uia locũ petere, cogit. Expectat interea foris, quę eũ ad tẽplũ comitatura erat, pompa: cessat diutius Arius. Quidã igitur introgressi, mortuum eum in sede, dissolutis & excretis intestinis, repererunt.

Hic exitus Arij fuit: quem etsi à turpitudine uendicare hi qui cũ eo sentiebãt, studiosè laborabãt: alijs, subitò quodã ciũ ca pręcordia morbo orto suffocatũ: alijs, prę nimia lętitia, quod res ei sua ex sentẽtia succederet, extinctum: nõnullis, ueneno eũ sublatũ affirmantibus, pœnã tamẽ impietate & flagitijs Arij digną, ac diuinitus immissam pleriq; censuêre. Theodoretus lib. 1, cap. decimoquarto: & hæreticarum fabularum libro quarto: Sozomenus lib. 2, cap. uigesimonono & trigesimo: Athanasius lib. primo cõtra Arianos, & in epistola ad Serapionem: Epiphanius ibidem. Visum est autẽ huc abscribere, quæ de interitu Arij Cœlius Sedulius paschal. lib. 1. commemorat.

Hæc est uera fides, hanc spreuit habere salutem
Arius infelix, qui curua per auia rectum
Flectere uisus iter, foueam delapsus in atram
Corruit, & tetri mersus petit ima profundi:
Tam uacuus sensu, iustæ quàm tempora pœnæ,
Visceribus fusis, uacuus quoq; uentre remansit.
Demens, perpetui qui non imitanda parentis
Iura, caducorum gradibus simulauit honorum.

MENOPHANTES.

APud Athanasium et Menophantes et Menophantus legitur, episcopus fuit Ephesi, qui in synodo magna Niceæ patronum se primùm Arij professus est: postea uerò cõsensu reliquorum territus, fidem quam cum aliis ad Arij mentẽ composuerat, excusit, & contra Arium subscripsit. Theodoretus lib. 1, cap. 7. Arianismum autem non exuit. Eusebio enim se deinde adiunxit: unde & inter principes Eusebianorũ sectę post Eusebiũ ab Athanasio numeratus, depositꝰ est ab episcopatu in synodo Sardicensi, tum ob hæresin in qua cũ Eusebio cõmunicauerat, tũ ob alia crimina. Athanasius apologia secũda: & Sozomenus lib. 3, cap. duodecimo. Postea igitur cum accusatoribus Athanasij se coniunxit, eorumq; conciliabulo interfuit Antiochiæ. Sozom. lib. 4, cap. 8.

EVSEBIVS, THEOGONIUS.

FRater is fuit Eusebij Cęsarien sis: quemadmodum ex Arij epistola apud Theodoretum libro primo, capite quinto constat. Episcopus primùm fuit Ecclesiæ Beryti: quam relicta, Nicomediensem occupauit. Ario familiaris fuit ab ineunte ętate, ut cum quo à Luciano Antiocheno presbytero sacras literas didicerat. Vnde & Collucianistam eum Arius uocat, in epistola quam ad eum excommunicatus primùm ab Alexandro scripsit. Qua accepta, Eusebius sociũ se cõtinuò Ario indiuulsum, hęreseosq; suę propugnatorem acerrimũ adiunxit. Nã & in synodo Nicæna, cum

cum eorum sententijs qui Arium damnauerant, subscriberet, simulanter id fecit, morbũ suum occultans: ex quo uel solo facto de Eusebij ingenio abundè iudicare licet. Socium habuit moribus suis per omnia similẽ, Theogonium Nicænum episcopũ, quo cum communicato fraudulento ac seditioso consilio, cum ad excitandã Arij hæresin ac nouas turbas animũ adiecisset, per impostură effecit apud eum, cui acta & subscriptiones Nicænæ synodi curandæ & custodiendæ traditæ erant, ut subscriptiones suas, sibi ac Theogonio redderet. Sozomen. lib. 2. cap. 21. Mortuo deinde Alexandro Constantinopolitano episcopo, relicta Nicomedia, in episcopatum Alexandri per uim & fraudem inuasit. Theodoretus libro primo, capite decimonono: Athanasius apologia secunda, ex epistola synodi Alexandrinæ. Ob quod facinus, siue quòd publicè uterq; docerent, non debere sentiri filium patri coessentialem esse: siue quòd cum nonnullis Alexandrinis, quos Synodus tanquam non rectè sentientes, donec resipiscerent à cõmunione suspenderat, communicauerant, exilio à Constantino multati sunt. Sozom. lib. 2. cap. 21: Athanasius apologia secũda. Extat Imperatoris ipsius ad Nicomedienses epistola, apud Theodoretum libro primo, capite decimonono, in qua flagitiosissimi Eusebij mores prolixè commemorantur. sic enim Imperator scripsit: Quis imbuit talibus nocentem multitudinẽ? Nimirum Eusebius crudelitate tyrãnica initiatus, &c. Reuocati tamen postea sunt, & Ecclesias suas receperunt, cum resipiscentiæ libellum episcopis exhibuissent. Sunt qui sorore Imperatoris in somnis, aut alioqui uigilantem diuinitùs admonitam esse dicant, Rectè nimirum sentire tum Eusebium, tum Theogonium, ac per iniuriam exilium ferre. Ea igitur re motum Imperatorem, ab exilio eos reuocasse. Sozomenus libro tertio, capite decimonono. Exemplar autem libelli resipiscentiæ sic habet: Conueniebat quidem, ut iam præiudicio reuerentiæ uestræ condemnati, quæ à R. V. iudicata sunt, silentio traderemus. Verùm quoniam absurdum est, calumniatorum accusationem aduersum nosipsos silendo confirmare: ob eam causam de nobis referimus, quòd & in fidem conferimus, & sensum dictionis homousij scrutantes prorsus pacati simus: nec ullo modo hæresi adhæserimus, sed pro cautione Ecclesiarum, quæ menti nostrę succurrebant, submonuerimus: & ipsi pacati, & eos qui nobis acquiescere debebant, pacatos reddentes, fidei subscripserimus. Anathematismo autem non subscripsimus, non quòd fidem reprehenderemus: sed quòd eum qui accusabatur, talem esse non credoremus, per ea quæ ab illo nobis separatim tam per epistolas quàm in faciem coràm dicta fuerant, persuasi. Si uerò sancta uestra Synodus ea de re certa est, non repugnantes, sed ijs consentientes quæ à uobis diligenter sunt explorata, his etiam literis de consensu nostro satisfacimus: non quòd exilium molestè feramus, sed ut suspicionem hæreseos à nobis reijciamus. Quapropter si nos ad faciem uestram admittere ac suscipere dignamini, habebitis in omnibus concordes, & sequaces eorum quæ decreta sunt à uobis. Et quoniam reuerentiæ uestræ eum humaniter reuocare placuit, qui hisce de rebus accusatus est: absurdum nobis uisum est, si reuocato reo, & ad reddendum rationem de ijs quorum gratia accusatus est admisso, contra nos ipsos argumentum culpæ silentio nostro traderemus. Itaque, sicuti R. V. Christi amantem decet, Deo dilectissimum Imperatorem nostro nomine submonere, precesq; nostras illi insinuare, ac ea de nobis, quę uos decent, quantocius consultare dignemini. Sozom. libro 2. capite 16.

Restitutus igitur Eusebius, magno denuò in honore ab Imperatore habitus est. Clementia igitur Imperatoris abusus, magnam sibi libertatem & licentiam sumens, maiores quàm unquam antea in Ecclesia turbas excitauit: totius Arianorum collectionis contra Athanasium (cuius uexator fuit, ut Athanasius inquit in apologia ad Constantinum, acerbissimus) administrator & cõcinnator. Nicephorus libro octauo, capite quadragesimoquarto: Epiphanius libro secundo, tomo secundo, hæresi 68.

Mortuus tandem est sub Iulio Romano episcopo, cum Sardicense concilium per Imperatores Constantium et Constantem conuocatum esset, ut Athanasius indicat apologia secunda.

ATHANASIVS.

ATHanasij, qui Anazarbi episcopus fuit, Arius meminit in epistola sua ad Eusebium: eumq;, quòd secum senserit, anathemate percussum esse queritur. Theodoretus libro primo, capite quinto. Athanasius de synodo Arimini & Seleuciæ, Nazarbonensem eum nominat, ac similes cum Ario blasphemias scripsisse testatur, ac nudius quidem q̃ alios hæresim retexisse. Eum Acaciani furibundi post exautorationẽ in synodo Seleuciana, Basilio expulso, episcopum Ancyræ constituerunt. Sozomenus lib. quarto, cap. uigesimoquarto, & uigesimoquinto. Quo nomine, episcopi scilicet Ancyrani, cum Macedonianis & Acacianis in synodo Antiochiæ sub Iouiniano pro confirmatione fidei Nicænæ, subscripsit. Socrates libro tertio, capite uigesimoquinto.

VRSATIVS, VALENS.

E Piscopi fuerũt, Vrsacius Syngiddonę superioris Mysiæ, Valens uerò Mursorũ superioris Pannonię. Siue uerò in defendẽdo Arij dogmate pertinaciã, siue uarias Ecclesiarum perturbationes, ac seorsim in Athanasiũ exquisitas persecutiones spectes, proximi post Eusebianos fuerũt Valẽs & Vrsaci⁹. Hinc Hilarius libro cõtra Arianos, ait, spiritum Arij ex angelo diaboli in angelum lucis transfiguratum, ad Vrsacium & Valentem defluxisse. Et Athanasius in Apologia secunda, principes eos post Eusebium fuisse dixit sectæ Eusebianorum. Idem in oratione prima contra Arianos ait, utrunq; ab Ario catechismo, ut neophytos, & adolescentes imperitos, ut Hilarius eos uocat, institutos fuisse. Et cum antea ab ordine presbyterorum reuulsi fuissent, postea impietatis commendatione episcopos appellatos esse.

Audacem & impudentem utrumq; fuisse, actiones eorum contra Athanasiũ, quorũ suprà in persecutionibus meminimus, probant. Et miratur Athanasius apologia secunda, audax & improbum flagitium hoc, quòd ab ultimis illis Pannoniæ finibus Tyrũ usq; profecti sint, atq; inde post tantum itineris Alexandriam rursus contenderint, tantum eò, ut se testes Ischyræ adderent, & in Athanasium sentẽtiam ferrent. Nec ab alijs præterquam suæ sectæ hominibus, in honore aliquo aut numero habiti sunt: sicut eos episcopi Eusebiani, qui apud Syrmiũ cõuenerant, & fidem cõposuerant, sanctissimos eos fratres & coepiscopos nuncuparunt.

Quia uerò sectatores essent Arianæ rabiei, ac sceleratiora multo quàm Eusebiani contra Athanasium egissent, à synodo Sardicensi primùm exautorati ac depositi sunt: atq; ita quidẽ, ut non solũ non episcopi deinceps non essent, sed ne digni quidem etiã fideliũ communione haberẽtur. Athanasius apologia secunda: Sozom. lib. 3, cap. duodecimo. Post eam igitur synodum, suiq; condemnationem, Romam (ut qui se semper temporibus & rebus obtinentibus accommodare, ut Nicephorus ait lib. nono, cap. trigesimo nono, scirent) profecti sunt: ac se pœnitentia peccatorum, propter quæ à synodo excommunicati essent, duci simularunt, literas pœnitentiæ Iulio Romano tum episcopo eiusmodi offerentes.

Domino beatissimo Papæ Iulio Vrsatius et Valens.

¶ Quandoquidem satis constat, & nos superioribus tẽporibus multa grauia de Athanasio p epistolas criminatos fuisse: & tuę humanitatis literis admonitos, ut crimina ꝓbaremus, nunq; earũ rerũ documenta afferre potuisse: Ideo cõfitemur tuæ humanitati corã uniuersis nostris fratrib. presbyteris, omnia quæ ante hac ad uestras aures de Athanasio perlata fuêre, falsa & ficta esse, & omnibus modis ab eo aliena: ac proinde recipimus eius communionẽ, maximè quia tua in Deũ pietas ueniam, secũdum genuinam suã probitatem, nostro errori impartiri dignata est. Quin & hoc promittimus, nunquam, si aliquando Orientales, atq; adeò ipse Eusebius uelit malicioſe eum in iudicium uocare, nos citra tuam sententiam eò abituros. Hæretici cum porrò Ariũ, eiusq; propugnatores, qui dicunt, Erat quando non erat Filius, aut eũ ex non ente ad essentiam emersisse, aut qui neget Christum Deum esse Dei filium ante secula, quemadmodum in priori libello nostro Mediolani edidimus, & nunc & semper anathemate damnamus: nostraq; manu denuò protestamur, nos Arianam hæresim eiusque authores in æternum damnare. Ego Vrsacius, quum præsens meæ confessioni interessem, subscripsi: quod itidem & Valens fecit. Athanasius apologia secunda: Sozomenus libro tertio, capite uigesimo tertio. Ad Athanasium uerò hoc modo scripserunt:

Domino & fratri Athanasio episcopo Vrsacius & Valens episcopi.

¶ Nacti occasionem per fratrem & compresbyterum nostrum Museum, istuc ad tuam dilectionem euntem, chare frater, eius opera admodum te ex Aquileia salutatũ uoluimus: optamusq; te saluum nostras epistolas perlegere, cuius rei fiduciam nobis datus es, si tu quoque in scribendo uices obseruaris. scire enim te uolumus, pacem tibi nobiscum esse, & communionem Ecclesiasticam intercedere: cuius rei fidem esse uolumus nostram istis literis inscriptam saluta tionem. Diuina prouidentia seruet te domine dilecte frater. Athanasius & Sozomenus ibidem.

Recepti igitur, & ad communionem admissi iterum sunt. Et ad tempus quidem se ὁμοσίῳ assentiri professi sunt. Interfuerunt etiam paulo pòst synodo Syrmiensi, quæ Photinum damnauit. Attamen simulatam se & fucatam egisse pœnitẽtiam, & Arianissimum occultè circumferre, factum illud eorum in synodo Mediolanensi conuocata à Constantio, non obscurè ostendit. Cum enim magno numero ibi essent Ariani: uenissent autem eò etiam, Eusebius Vercellensis, uir pius & rectè sentiens, clerici item Romani, & Lucifer Sardiniæ episcopus: Eusebius decem diebus, quibus Ariani in Athanasium malicioſa consultarunt, ad synodi consessum prohibitus est accedere: tandem uerò, ubi libitum illis fuisset, admissus. Ibi cum certior fieret, synodum conuenisse, ut in Athanasium subscriberetur: De Sacerdotum

dotum, inquit, fide oportere prius constare. Compertos enim sibi quosdam esse, ex his qui adessent, hæretica labe pollutos. Atque ita fidei exemplum expositæ apud Nicæam in medium deponit, spondens omnia se quę postularent, esse facturum, si pro fidei professione prius subscripsissent. Dionysius igitur Mediolanensis episcopus chartam primus accepit. Vbi uerò profiteri scribēdo cœpit, Valens calamum & chartam è manibus eius uiolenter extorsit, clamans his rebus nihil agi. Hilarius libro ad Constantium Augustum.

Mox palàm ueluti canes ad uomitum reuersi, Arianos se professi sunt: causam illam prætexentes, quasi pœnitentiam, quā simulassent, metus illis Constantis religiosissimi Imperatoris extorsisset: cum tamen nec Imperator ipse, nec Satellitum eius quispiam, aut Notariorum Romę tum, cum pœnitentiæ libellum exhibuerant, adfuisset. Athanasius in epistola ad solitariam uitam agentes.

In Ariminensi igitur synodo, quę post Mediolanensem proximè ab Imperatore conuocata erat, iterum Vrsacius & Valens, quòd aperte præcones se impiæ Arianorum sententiæ pronunciarent, ac totam ueritatis constitutionem subuertere conarentur, damnati sunt ab altera parte, eorum qui fidem & decreta synodi Nicænæ cōfirmare nitebantur. Qua de re dum ad Constantium synodus legatos cum literis mittit, Vrsacius & Valens anteuertunt, & synodum accusant. Imperator uerò, quoniam iam antea Ariano fauebat dogmati, synodo succensuit: Vrsacium uerò ac Valentem, cum alijs qui unà aduenerant, multis honoribus affecit. Ac mox potestatem illis dedit, quicquid colliburisset cōtra Ecclesias moliendi: simul mandans, ut expositionem fidei Arimini lectæ, pro qua tantopere pugnabant Vrsacius & Valens, per Italiam mitterent: ac si qui illi subscribere recusarent, eos ab Ecclesijs arcerent, aliosq; in eorum loca substituerent. Hinc igitur turbationes & innouationes plurimæ per Occidentem natæ sunt. Expulsi ab Ecclesis multi, in exilium missi multi: inter quos Liberius Romanus episcopus, fidei illi subscribere nolens, deportatus est. Relicta deniq; Italia Vrsacius & Valens, cum suo grege ad Orientis partes concesserunt, & apud Nicen ciuitatem Thraciæ cōcilium instituerunt, in quo fidem eorum quam Syrmij primùm, deinde Arimini exhibuerāt, in græcam linguam conuersam publicarūt, & autoritate synodi uniuersalis quondam Nicææ congregatæ commendarunt: similitudine nominis simplicioribus imponere studentes, ut eam esse fidem quæ Nicææ Bithynię tradita olim fuerat, intelligerent. Sed paulo pòst hoc sophisma eorum deprehensum est, ipsique ridiculi facti sunt. Socrates libro secundo, capite trigesimoseptimo: Athanasius in epistola de synodis Arimini & Seleuciæ.

AEITHALAS, ACHILLAS, CARPONVS, *Sarmates, & Arius alter.*

PResbyteri fuerunt paroeciæ Alexandrinæ, abdicati cum Ario, cui initiò adhæserant, ab Alexandro episcopo: quemadmodū & diaconi eiusdē Ecclesiæ hi: EVZOIVS, MACARIVS, IVLIVS, MENAS, ET HELLADIVS. Socrates libro primo, capite sexto: Theodoretus libro primo, cap. 4.

THEONAS, SECVNDVS, *Maris.*

THeonas Marmaricę episcopus fuit: secundus Ptolemaidis Ægypti, quem Athanasius oratione prima contra Arianos Pentapoliten uocat: & in epistola ad solitariā uitam agentes, nominetenus episcopum, hominemq; mortalium omnium teterrimum. Hī duo cum se Ario primùm adiunxissent, unà cum eo ab Alexandro excommunicati sunt. Postea iterum condemnati à trecentis decem & octo episcopis in synodo Nicæna, quòd dictionem ὁμοούσιος reprehendissent, & synodo subscribere noluissent. Socrates libro primo, capite octauo: Theodoretus libro primo, capite septimo & octauo. Damnatus cum his simul & Maris est, Chalcedonis Bithyniæ episcopus: quem Nicephorus lib. octauo, capite trigesimoprimo, discipulū testatur fuisse Luciani Antiocheni martyris. Inter Arianos autem præcipuæ autoritatis eum fuisse inde apparet, quòd à Constantio Imperatore ad cognoscendum Athanasij & Pauli Constantinopolitani causam ad Constantem missus est. Socrates libro secundo, capite decimooctauo: Athanasius de synodo Arimini & Seleuciæ. Senem eum & cæcum fuisse, sub Iuliano alibi retulimus: ac quomodo Iuliano obuiam perrexerit, impium eum & apostatam acclamans. Socrates libro tertio, capite duodecimo.

THEODORVS.

HEracleotā hunc Theodorum nominat, à patria, quæ ei in Thracia Heraclia fuit, seu Perinthus: Theodoretus libro secundo, capite tertio. Est autem & apud Socratem et Sozomenum pro eodem nomine Theodorus & Dorotheus. Clarum eum fuisse eruditione, & in sacra Euangelia commentarios edidisse, Theodoretus tradidit. Episcopū eum primùm in patria Heracleæ fuisse, ex Athanasio apparet apologia secunda: ex qua in Arianorum conciliabulum Antiochiæ contra Athanasium uenit: & ad Constantem

ſtantem cum Mare & Narciſſo legatus miſſus eſt, ut rationem de Athanaſij & Pauli exautoratione redderet. Socrates libro ſecundo: Athanaſius de ſynodo Arimini & Seleuciæ. Depoſitus cum alijs Arianis in ſynodo magna Sardicenſi eſt. Theodoretus libro ſecundo, capite octauo: Athanaſius apologia ſecunda. Sub Valente uerò, Euzoio Arianorum epiſcopo Antiochiæ mortuo, ſucceſſor ab Arianis ſuffectus eſt. Socrates libro quarto, capite uigeſimoquinto: & Sozomenus libro ſexto, capite trigeſimoſeptimo. Ab ijſdem rurſus ſub Theodoſio Antiochia euocatus Conſtantinopolim, ibidem in locum Marini, tanquam eo inſtructior & accommodatior, ſubſtitutus eſt. Socrates libro quinto, capite duodecimo. Quomodo uerò uterq; occaſione quæſtionis Conſtantinopoli ortæ, an priuſquam filius eſſet, potuerit Deus pater appellari, diuiſionem inter Arianos per annos trigintaquinque fecerint, ſuo loco dictum eſt. Sozomenus libro ſeptimo, capite decimoquarto. Sed Theodorus, ſeu Dorotheus, tandem cum annos nouendecim ſupra centum uixiſſet, conſulatu Honorij ſeptimo, & Theodoſij Auguſti altero, ſexto Nouembris mortuus eſt. Socrates libro ſeptimo, capite ſexto. Hieronymus in epiſtola ad Auguſtinum, interpretationes eum reliquiſſe Pſalmorum ſcripſit, & commentarios in epiſtolam Pauli ad Galatas. Recitat & interpretationem eius dicti 1. Corinth. 15. Non omnes quidē dormiemus, &c. in epiſtola ad Mineriū & Alexandrum.

NARCISSVS.

FVit epiſcopus Neroniadis, ſeu Neropolis, Ciliciæ ſecundæ: quam Irenopolim ſuo tempore dictam, Theodoretus ſcribit libro 1. cap. 7. Et alicuius quidem nominis atq; auctoritatis ante Arij turbationes eum fuiſſe, ex epiſtola quadam Conſtantini adparet apud Euſebium libro tertio de uita Cōſtantini. Interfuit enim ſæpe ordinationib. epiſcoporū, alijsq; Eccleſiaſticis actionibus Antiochiæ. In ſynodo uerò Niceṇa ſocium ſe illis adiunxit, qui primùm patrociniū Arij ſuſceperūt, & apoſtolicis dogmatis refragati ſunt. Theodoretus ibidem. Poſtea ſe Euſebio Nicomedienſi adiunxit, & Arij hæreſin impudenter defendere & propagare iuuit: ſicut eum inter ſocios Euſebij numerat Athanaſius in fine apologiæ ſecundæ. Suum uerò perſecutorem & obtrectatorē nominat in alia apologia de fuga ſua. Miſſus enim à Conſtantio in Occidentem ad fratrem, cum Theodoro & Mare Chalcedonenſi, quemadmodū iam ſæpe dictum eſt, iuſtam Athanaſij damnationem in ſynodo Antiochena, cui & ipſe interfuit, fuiſſe pronunciauit, & fidei formulam fraudulentam Imperatori obtruſit. Socrates libro ſecundo, capite decimooctauo. Depoſitus igitur tandem cum cæteris Euſebij ſocijs in ſynodo Sardicēſi eſt. Athanaſius apologia ſecunda.

ISCHYRAS.

HVnc Sozomenus frequēter Iſchyrionem nominat: & quis, qualisq; fuerit, in ſcriptis ſuis Athanaſi⁹ prolixè expoſuit. Mareotis enim eo tempore regio quædam dicebatur Alexandrina, diſtributa in pagos decem, aut paulò plures, quorum Eccleſiæ ſingulæ epiſcopo Alexandrino ſubiacebant. In unū igitur iſtorum pagorum, qui minimus eſſet, & pauciſsimorum hominum, adeò ut non ibi, ſed in proximo pago domus Eccleſiæ eſſet, inſilit is Iſchyras, homo admnem impudentiam natura compoſitus: atque in pupilli cuiuſdam Iſionis nomine, uili domuncula Eccleſiam inſtituit, iactans ſe eſſe ſacerdotem: cum nec presbyter quidem, nec clericus unquam fuiſſet, ſed homo priuatus. Res illa ad eius loci presbyterum defertur, qui eam Athanaſio, perluſtranti fortè eas Eccleſias, renunciat. Athanaſius ſtatim presbyterum illum, cum alio quodam presbytero, ad accerſendum Iſchyram ablegat. Veniunt illi eò, ubi Eccleſiam imaginariam, imaginarius ipſe ſeu ſacerdos ſeu epiſcopus Iſchyras habuit, & mortbo decumbentem eum in cubiculo inueniunt: ob quam rem nihil ei Athanaſij nomine indicant, ſed patri iniungunt, ut filio ſignificet, ne quid tale, quod de eo feratur, amplius deinceps tentet. Is autem ubi à morbo conualuit, atq; à patre & amicis obiurgatur, quòd quæ de ſacerdotio ſuo & Eccleſia ſibi fingat, ſtultè & amenter faciat: Nicomediam ad Euſebianos & Meletianos ſe recipit. Illi contemplati ingenium & mores Iſchyræ, ad calumnias & perſecutionē Athanaſij, in qua tum toti etant, accōmodum, recipiunt eum, & presbyterum dicunt: pollicentes, ſe epiſcopali eum dignitate ornaturos, ſi in Athanaſij perſecutione ſtrenuum ſe præſtitiſſet, quam ille conditionem gaudens amplectitur. Ex eo tempore Euſebiani & Meletiani Iſchyram epiſcopi titulo pro mercede calumniæ remunerarunt, & epiſcopum Mareotæ dixerunt: quo maior ineſſet, quæ in Athanaſium comminiſci iuſſus ab illis eſſet, mendacijs & calumnijs, fides & autoritas. Suggeſſerant enim, ut in Athanaſium fingeret, ſubitam eum in Eccleſiam ſuam apud Mareoten irruptionem feciſſe, ſacram menſam euertiſſe, calicē proculcaſſe, ſacros libros combuſsiſſe, Arſenium occidiſſe: & quæ alia crimina impudētiſsimè ab Euſebianis Athanaſio intentata, Sozomenus commemorat libro ſecundo, capite 25. Quæ omnia poſtea Iſchyras literis ad Athanaſium miſsis ſpontè confeſſus

confessus est, fuisse falsa: sed à Meletianis se, ut talia de Athanasio per calumnias proderet, fuisse coactum. Athanasius apologia secunda: Epistola cõcilij Sardicẽsis apud Theodoretum lib. 2, cap. 8.

EVLALIVS.

PVlso in exilium ab Eusebianis Eustathio Antiocheno episcopo, ab ijsdem in locũ eius lectus & pater eius Eulalius, Ariana labe infectus, qui Cæsariæ Capadociæ episcopus prius extiterat, uita defunctus est. Theodoretus libro primo, capite uigesimoprimo: Sozomenus libro quarto, capite uigesimoquarto.

EVPHRONIVS.

EVlalio ijdem substituerunt Euphroniũ, qui presbyter prius fuerat, & ciuis Cæsariæ Capadociæ: quemadmodũ ex epistola cõstantini apud Eusebiũ lib. tertio de uita Constantini clarum est, ubi & fide uir probatissimus prædicatur. Episcopatu uerò eo per annum solum functus, mortuus est. Sozom. libro secundo, capite decimonono, & uigesimoprimo: Socrates libro primo, capite uigesimoquarto. Zonaras in Maximino scribit, eum per annos octo episcopatui Antiocheno præfuisse: in eo fortasse errans, quòd ante Euphroniũ sedes Antiochena certũ & diuturnum nullum habuerit episcopum, ut Socrates ibidem retulit.

PLACITVS.

EVphronio succesit Placitus, homo nefarius: sicut ex Athanasio refert Theodoretus lib. secundo, cap. uigesimoquarto: cum iam annus ageretur ab obitu Magni Constantini quintus. Theodoretus libro primo, capite uigesimoprimo. Zonaras eum duodecim annis præfuisse scripsit. Sub illis igitur omnibus, quia uirus Arianũ occultè circumferrent, plurimi pietatis studiosi, tum ex sacerdotibus, tum ex plebe Ecclesiasticos cœtus deseruêre, & priuatim cõuenerũt. Theodoretus ibidem.

STEPHANVS.

STephanũ Libycũ hominẽ uocat Athanasius, in epistola de Synodo Arimini & Seleucię. Secut⁹ in episcopatu Antiocheno Placitũ est: de quib. utrisq; Theodoret. lib. 2, cap. uigesimoquarto, ad hunc modũ ait: Placiti & Stephani impia & nefaria Antiochiæ ppetrata facinora, tam multiplicia sunt, ut peculiare narrationis opus, tanquam grauia, desiderare uideantur. Sed de Stephani improbitate suprà quædã, in capite de Persecutione, à nobis dicta sunt. Ex quibus de reliquis ei⁹ moribus iudiciũ fieri potest: quemadmodũ rectè Theodoretus dixit libro secundo, capite nono. Addit Athanasius in epistola ad solitariam uitam agentes, truculentiæ & crudelitatis Stephani, pro hæresi sua mirum exemplum, quo eum, adiutum à socio suo Secũdo Pentapolitano, Barce presbyterum quendam in ipsa Pentecostes die calcibus cõtritum interfeciſſe narrat.

Depositus à synodo Sardicensi est, tum ob hæresim, quòd filium à patre separaret, & unicum à patre suo abalienaret: tum ob fabulam illam sceleratam, quam lusit legatis missis à Constante ad Constantium ex synodo, ueluti diximus. Athanasius ad solitariã uitam agentes: Theodoretus libro secundo, capite nono & decimo.

Redijt postea in synodum Seleucianam, à qua iterum cum illis quibus adhæsit reiectus est. Athanasius de synodis Arimini & Seleuciæ.

LEONTIVS SPADO.

THeodoretus Leontium Phrygium fuisse narrat, hominem ingenio prædituũ admodum uersuto & fraudulento: libro secundo, cap. decimo. Sectatorem eum Luciani martyris fuisse, postea uerò præceptorem Aëtij, cui prophetas, & maximè Ezechielẽ enarrarit, Nicephorus scribit lib. nono, cap. decimoseptimo. Presbyterum eum fuisse Athanasius scripsit, in Laodicensi forsan Ecclesia: ut Nicephorus habet libro nono, capite uigesimo nono. Ab ea uerò dignitate depositus est, cum audax quoddam & temerarium & stultum facinus in proprio corpore cõmisisset. Cum enim in suspicione esset, quasi minus castè cum muliercula quadam, ex eo, ut uidetur, genere quas συνεισάκτους uocarunt, Eustolio nomine, uiueret, iussus est ab eius contubernio abstinere. Is uerò retinendæ illius cupidus, ut suspicionem à se remoueret, seipsum excidit: post quod factum depositus est. Cum autem post Eustathij exilium Eusebiani eos, quos ne in clerũ quidem ob impietatẽ recipi oportebat, in Ecclesias introducerẽt, & episcopos crearent, ut socios eos in impietate sua coniuratosq; haberent: etiã hunc Leontium, quem ne ad Laicorum quidem communionem admitti, ideo quòd se ipsum abscíderat, æquum fuerat, Stephano in Antiochenorum Ecclesia successorem fecerunt, contra leges Niceę conscriptas. Cum autem maxima pars populi Antiocheni Apostolica dogmata studioſe amplecteretur & retineret, Leontius personam moderationis indutus, morbum suum astutè curare conabatur, quanquam tegere & dissimulare ita minimè posset, ut quòd Arianus esset ignoraretur. Cum enim bifariam diuisos cerneret sacerdotes & plebem, unamq; partem in psalmodijs accommodare glorificationi filij coniunctionem ET, alteram autem præpositionem PER filio, spiritui autem IN applicare: ipse ut neutram partem offenderet, glorificationem illã tacitus memorabat,

rabat, clarè tantum proferens clausulam postremam, In secula seculorum, ut exaudiri posset. Fertur autem ibi capite suo, canicie dealbato, contacto dixisse: Niue hac soluta multum erit luti. futurum significans, ut se mortuo, ista psallendi diuersitas in seditionem aliquando desineret, eo quòd successores ipsius multitudini, perinde atque ipse fecisset, obsecundaturi non essent. Sozomenus libro tertio, capite uigesimo.

Huc accessit, quòd Arianos præ alijs complectebatur, & honoribus ac dignitatibus ornabat, quo quisque ex eo numero turpior & sceleratior esset: ueluti Aëtium, quem cum suo etiam periculo in ordinem diaconorum euexit: nihil interea curans, nec honorans eos qui Apostolicis dogmatis adhærebant. Athanasius in apologia de fuga sua, & in epistola ad solitariam uitam agentes: Theodoretus libro secundo, capite uigesimoquarto, ex eodem Athanasio. Mortuus tandem est senex, post synodum Mediolanensem, cum propter dissensiones episcoporum in Occidente adhuc Imperator Constantius ageret: Sozomenus libro quarto, capite duodecimo. Postquam annis octo episcopatum gessisset: Zonaras in Maximino.

ACACIVS.

NVmerat Sozomenus Acacium inter eloquentes & celeberrimos aliquot uiros sub Constantio, libro tertio, capite decimoquarto: & lib. quarto, capite uigesimotertio, non uulgarem eum fuisse ait in consilijs uirum, & in docendo atq; efficiendo potẽtem. Discipulus fuerat Eusebij Pamphili, à quo sacras literas didicerat: quemadmodum eo nomine sæpe gloriatum ipsum, sed per stoliditatẽ, Athanasius ait, in decretis synodi Nicænæ. Sozomenus idem testatur libro eodem, capite uigesimotertio. Præditum fuisse insigni eruditione, etiam Hieronymus in Catalogo illustriũ uirorum annotauit: ubi & μονόφθαλμον, quòd luscus esset, dictũ fuisse monet: ac scripsisse in Ecclesiasten septendecim uolumina, aliaq; quorum ibidem meminit. Successit in episcopatu Cæsariẽsi pręceptori suo Eusebio, sub Constantino iuniore. Socrates lib. secundo, cap. quarto. Et quanquam longissimè primùm se remoueret ab Arianorum & Eusebianorum blasphemijs, media quadam (ut Theodoret. ait lib. 2. cap. 31.) incedens uia: atq; in eo, filium scilicet patri similem esse secundũ essentiam, rectè sentiret, quòd & Antiochię in Encænijs eum cum Patrophilo professum fuisse Athanasi⁹ retulit, de synodo Arimini & Seleuciæ: tamen ab ea sententia postea deflexit, & in Isauria cum Patrophilo scripsit, se ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον, ut uocabula à sacris literis aliena, & nomẽ substantiæ tollere, ut quòd in scripturis non reperirentur. Athanasius ibidem: & Sozomenus libro quarto, capite duodecimo, & uigesimosecundo. Hinc & sociũ Eusebij, ac post eum Eusebianorum sectæ principem Athanasius dixit Apologia secũda. In synodo igitur Sardicensi, omnium episcoporum Occidentalium suffragijs exautorat⁹ est. Sed quod ipse contumaciter neglexit, summo cum omniũ qui sententiam aduersus eum tulerant contemptu. Athanasius apologia secũda: Theodoretus libro secũdo, capite uigesimosexto. Deinde & in synodo Seleuciæ, cuius tamen ipse autor fuerat, quemadmodum Athanasius ait, de Synodo reprehensus primùm, quòd rectam sententiã de filio in contrariam & hæreticam conuertisset, depositus est. Ferunt eum ibi interrogatum, quamobrẽ, cùm prius editis scriptis professus esset, filium patri secundum essentiam similem esse, nunc secundum uoluntatem duntaxat similem contenderet, ineptè respondisse: Neq; ex recentioribus, nec uetustioribus, quenquam ad scriptorũ suorum rationem reddendam adstrictum esse. Sozomenus libro quarto, capite uigesimosecundo. Depositus igitur Acacius, cum suis, Constantinopolim ad Imperatorem confugit: ubi cõciliata sibi prius Imperatoris beneuolentia, miras turbationes instituit. Synodum enim quinquaginta episcoporum conuocauit, in qua episcopos rectè sentientes, non quidem propter fidem, sed alias uarias ob causas exautorauit: & Macedonio coniunctus, persecutiones piorũ durissimas excitauit, quemadmodum suis locis dictum est. Sozomenus ibidem, & capite uigesimotertio, uigesimoquarto, uigesimoquinto, & deinceps.

DE THEOPHRONIO ET *Eutychio.*

EVtychium Epiphanius libro tertio, tomo primo, orthodoxã fidẽ accepisse tradidit à Maximo, Hierosolymitano cõfessore ac episcopo: eamq; ad tempus episcopat⁹ alicui⁹ simulasse, ac propterea nihil cum Acacio cõmune habuisse: tandem uerò dogma suũ neque confessum fuisse, neque negasse, neque turbæ aliquid circa illud mouisse. Plura suprà in capite de Hęresibus, de Theophronio & Eutychio dicta sunt.

ARRIANVS.

EVdoxio successit Arrianus: & episcopatu Antiocheno per quadrienniũ functus est. Zonaras in Maximino, tomo secundo.

EVZOIVS.

EXillis qui Ario res nouas in Ecclesia Alexandrina mouenti adhæserant, fuit etiam Euzoius, qui & ipse eiusdem Ecclesiæ presbyter fuerat: discipul⁹ Acacij & Eutychij, ut Epiphanius ait libro 3. tom. 1. Igitur & cum Ario, tum ab Alexandro, tum à synodo Nicę-

na damnatus fuerat. Theodoretus lib. secundo, cap. trigesimoprimo: et lib. quarto, capite uigesimosecundo. Manfit tamen manifestus per omnẽ uitam Ariani dogmatis patronus: qua de re & honorib. tandem ab illis auctus est. Pulso enim Meletio, qui in Eudoxij locum successerat, Ecclesias Antiochenas ei tradiderunt, & principem Arianæ sectę constituerunt. Theodoretus lib. secundo, capite trigesimoprimo: Sozomenus lib. quarto, capite uigesimooctauo. Vsus & is est Imperatore Valente, suæ doctrinę & partis defensore: atque adeò quidem, ut quotquot ei communicare noluerint, Ecclesijs Antiochenis expulerit, & uarijs supplicijs subiecerit. Socrates libro quarto, cap. secundo. Euzoius autem, etiam Nouatianis infestus fuisse dicitur: quorũ Ecclesiam in Cyzico ad pauimentum usque destruxerat. quam Iulianus postea, qui hęreses omnes ferre potuit, Christia nos non potuit, reparauit. Socrates lib. tertio, capite duodecimo. Mortuus est Euzoius cõsulatu Valentis quinto, & iunioris Valentiniani primo: quo tempore barbari in Thracia, quam paulo antè hospitium à Romanis acceperant, nouas turbas dederunt. Socrates libro quarto, capite trigesimoquinto.

GREGORIVS.

HAbuit post expulsum Athanasium Alexandria duos flagitiosissimos homines, summa ui in episcopatum intrusos, Gregorium alterum, alterum Georgium: quorum historia ita narratur confuse ab Athanasio, ut alterum ab altero uix possis discernere. Nam de Gregorio ad hunc modum narrat in Apologia secunda: Gregorium, inquit, peregrinum & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à presbyteris, Eusebiani episcopum crearunt Antiochiæ trigintasex suffragijs: atque inde deduxerunt Alexandriam, non cum presbyteris, aut diaconis ciuitatis, nõ cum episcopis Ægypti, sed cum militibus: contra canones Ecclesiasticos. Quæ deinde acta feruntur in introitu Gregorij, ostendunt qualis fuerit ordo in eius ordinatione. Temporibus enim ita pacatis, prout renunciant qui inde ueniunt, & quemadmodum episcopi scribunt ipsa Ecclesia incendium passa est: uirgines denudatæ, monachi conculcati, presbyteri & multi ex populo indignè habiti & uiolati, episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati: sacra mysteria, de quibus incusabant Macarium presbyterum, ab Ethnicis direpta, & in terram abiecta sunt, &c. In qua narratione multa insunt, quæ etiam de Georgio narrat in epistola ad orthodoxos de persecutione, & alibi. De Gregorio tamen, illa, quòd manu armata in Ecclesiam introductus sit, uerè dicuntur. Nam cum Constantius persuasus à Constantia Licinij uxore Ariana, Athanasium ante biennium uix ab exilio Treuirensi reuersum, ecclesia exigi iussisset, Athanasius periculum suum prę-uidens, ipse in Italiam ad Iulium episcopum confugit: quemadmodum Theodoretus retulit libro secundo, capite quarto. Postea missus est cum militibus Gregorius, magna cum ciuitatis Alexandrinæ calamitate & clade, & in Ecclesiam ui inductus, per præfectum Syrianum (Athanasius Philagrium habet, Ægypti præfectum) qui per ecclesiam, cum uesperi ad psallendum populus conueniisset, agmen undiq; dispposuit, spe comprehendẽdi in medio cœtu Athanasium: quem tamen prius euasisse Theodoretus scripsit: sed quem miraculosè ex media frequentia clam egressum, Socrates libro secundo, capite undecimo: & Sozomenus libro tertio, capite sexto, tradiderunt. Testatur idem & Athanasius ipse in apologia de fuga sua: ut ex eo citat Theodoretus libro secundo, capite decimotertio. Sic igitur in sedem Alexandrinam Gregorius collocatus est. quod indignè populus ferens, præ dolore ecclesiam, ad Dionysij uocatam, incendit. Socrates & Sozomenus ibidem. Gregorius uerò per Ægyptum, eos qui sibi communicare nollent, duriter afflixit. Sozomenus libro quarto, capite quarto. Sed episcopatum eum non uidetur obtinuisse diu. Qui enim Alexandriæ Arianæ sectæ fuerunt, eum ideo quòd negligenter dogma eorum tutaretur, & propter mala quæ ciuitati ingressus eius attulerat, templi item incendium, transtulerunt: quemadmodum Sozomenus narrat libro tertio, capite septimo.

GEORGIVS.

GEorgius natione Capadox, ex sordidò & uili uitæ genere ad episcopatum, seu tyrannidem potius, Alexandriam peruenit. Circa panem enim, inquit Nazianzenus in oratione funebri in Anathasium, uiliorem ætatem egerat, succidiæq; adeò suillæ promus condus fuerat. Hæc enim ibi de Georgio ad hunc modum narrat: Monstrum Capadocense ex ultimis diebus excitatum, genis malignum, malignius mente, nec penitus liberum, sed permixtum, primò mensæ alienæ seruus, & placentis uendibilis, penitus omnia uentris gratia & facere & dicere: demum rebus se applicuit publicis, mirumq; in modum fidem est consecutus, ita ut carnes suillæ, quibus milites sustentantur, illi concederentur. Inde fidem fingit, ac uentri seruiuit: cumque solum corpus residuum ei maneret, audendum sibi esse censuit: aliamq; ex alia permutans regio-

nem & ciuitatem, quemadmodum solent fugitiui, ad postremũ communis Ecclesiæ malo, tanquam plaga quædam Ægyptiaca, Alexandriam peruenit. Ibi ab oberrando constitit, ac maliciam inchoauit. Et erat inter reliqua nullius precij, non sermonibus præditus liberalibus, non conuersatione urbanus, non forma reuerenti conspicuus: sed solùm fictione inani personatus, prauitate uerò & rerum confusione omnium ualidissimus. Hæc Nazianzenus. Translato autem Gregorio, ueluti iam dictum est, eum Ariani qui Alexandriæ essent, successorem adhibuerunt. Et in honore quidem & precio apud Constantium Imperatorem fuisse eum, ex epistola Imperatoris apparet, ad Alexandrinos scripta, quam Athanasius in Apologia sua ad Constantium ponit. Sed tyrannidem atrocissimam & immensam exercuisse eum cum socio impietatis ac crudelitatis suæ, atque executore Sebastiano duce, suprà diximus: & commemoratione longa exponit Theodoretus libro secundo, capite decimoquarto: ac recitat prolixè Athanasius in Apologia exilij sui. Exosus igitur omnib. ueluti lupus & tyrannus factus, cum uiolentius quàm sacerdotem deceret dominaretur, terribilis omnibus, & aduersus Athanasianos crudelis, cum uinculis ac plagis uiros simul & mulieres affligeret, Alexandria expulsus est: cum in eum populus in Ecclesiam irruisset, parumq; abfuisset quin eum interemissent. In quo motu & discrimine uix seruatus, ad Imperatorem aufugit. Sozomenus libro quarto, capite decimo. Paulo uerò pòst reuersus, cum atrocius quàm unquam antea grassatus fuisset, terribilior etiam multo quàm antea & exosior factus est, cum & ethnicos & Christianos ad religionem, sicuti uolebat, cogeret: Ethnicos uerò præ cæteris maximè exagitaret, festorum illis patriorum celebrationibus interdicens, ac templa eorum ornatibus spolians. Sozomenus libro quarto, capite trigesimo. Mortuo igitur Constantio, & Iuliano Imperatore publicè promulgato, Ethnici, Imperatoris impij & gentilis præsidio confisi, seditionem in Georgium uehementem mouerunt: sed quæ repressa est, cum uinculis Georgius traditus est. Quod supplicij nondum satis esse sacrilego & uastatori templorum Ethnici arbitrati, mane in carcerem irruerunt, & Georgium interemerunt. mox camelo impositum, per totum diem quasi in triumpho cadauer circumductum, contumelijsq; ac probris illusum, circa uesperam igni tradiderunt. Nazianzenus in oratione funebri in Athanasiũ: Sozomenus lib. quinto, capite septimo: Socrates libro tertio, capite secundo. apud quem & exemplar extat epistolæ Imperatoris Iuliani ad Alexandrinos, de hac ipsa nece Georgij: libro eodem, capite tertio.

LVCIVS.

LVcius natione Alexandrinus presbyter, à Georgio quodam ordinatus, secunda quædam Ægypti plaga & flagellum (ut Nazianzenus oratione funebri in Athanasium ait) ueritatis proditor, luporum pastor, qui super ouile ascendit latro, secundus Arius, turbida & ad libidinem pestilens lacuna, impij fontis fluuius largior. Olim Samosatensis, post Eunomium, ecclesiæ fuerat episcopus, lupꝰ uerius atq; insidiator gregis quàm pastor. Quamobrem et in odio omnium qui Samosatis incorruptam seruabant Apostolicam doctrinam fuit, etiam puerorum: qui in eum, ut hæreticum & blasphemum, in publico aliquando foro lusisse hoc modo feruntur. Cõuenerant pueri, lusus pilæ & delectationis gratia. Fortè autem per forum asello insidens incedit Lucius: ubi agitata pro lusus ratione puerorũ pila, per alnni pedes deuoluitur. Qui ingẽti mox uociferatione exclamant, pollutam esse pilam, quia pedes asi ni hæreticum gestantis contigisset. Ignem igitur excitant, pilamq; per eum traijciunt, lustrari eam ita putantes. Theodoretus libro quarto, capite decimoquinto: Sozomenus libro sexto, capite quinto.

Interfecto deinde in tumultu gentilium Georgio, Euzoius eum ex Antiochia perdu-cit Alexandriam: cum iam Athanasius epi-scopatus sui anno quadragesimosexto, post infinitas afflictiones obdormijsset, successoremq; Petrum sua uoce designasset. & episcopum Arianorum ordinat, stipatus exercitu Magni Imperatoris thesaurarij: cuius adiutus præsidio Petrum expulit, & turbas multas Alexandrinis dedit: Socrates libro quarto, capite uigesimoprimo: & Sozomenus libro sexto, capite decimonono. Sed quando ad episcopatum eum Lucius peruenerit, & quę in eo flagitia perpetrarit, ipse ad hunc modum in epistola sua Petrus narrat: apud Theodoretum libro quarto, capite uigesimosecundo.

¶ Gentis, inquit, illius prætor Palladius, qui sectæ esset Gentilis, quiq; simulachrorum gratia periclitari, et aduersum Christum bellum exercere nunquam dubitasset: is igitur coactis memoratis copijs, tali in Ecclesiam impetu ferebatur, ac si barbaros subigandos adoriretur. Tunc quidem, tunc deterrima accidere, quę conatus exponere tantum, subijciente maximum mihi dolorem memoria, ingentem lachrymarum uim profudi. Quod sanè fieret diutisimè, nisi diuina cogitatione à me repressa fuissent. Nam in Ecclesiã quę Theonę uocatur, introgressę copiæ,

copię, pro uerbis grauibus simulachrorũ laudes personabant, pro lectione sacræ scripturæ turpes plausus manuũ & fractas fœdè uoces edebãt: cõtumelias uerò eas erga Christi uirgines usurpabant, quas & memorare lingua nõ sustinet ob turpitudinẽ: & quicunq; audierãt, si non desiperet modò, aduersus illas obturabat aures suas, optabatq; se surdũ potiùs esse quàm audire talem fœditatem. Atq; utinam uerbis tantũ peccarent, ac non reipsa uincerent orationis obscœnitatem. ferri enim conuicia possunt qualiacunq; ab ijs, in quibus cognitio Christi & doctrina diuina manet. Sed isti qui essent uasa iræ, comparata ad interitum, curuato naso obscœnos per nares sonos, clarum & quasi (ut ita dicã) de aquæ fistulis eiaculantes, discerpebant uestes sanctarum Christi uirginum, quarum religiosa exercitatione sanctitatis imago exprimeretur: atque ita, sicut natura tulerat, nudas per urbem totam quasi triumphantes agebant, illudebantque cum obscœnitate pro arbitrio suo: erantque omnino crudelia & barbarica omnia. Quod si quis misericordia motus dehortatione sua obsistere auderet, uulneratus discedebat. Verùm, ô rem calamitosam, multis illarum uis uitiumq; oblatum, multæ illarum pulsatione fustium cum capita tunderentur exanimatæ sunt: quarum neque sepulturæ corpora mandare concedebatur. Multa itaq;, etiamnum quiritantibus parentibus, corpora non comparent. Sed quid ego parua percurro, neque ingentia potius exequor? Cur immoror his, & non festino ad urgentia? ad quorum narrationem, satis scio, admiratione perciti manebitis diu, exanimati nobiscum, stupentes cogitatione mansuetudinis Domini, qui non funditùs hanc uniuersitatem confecerit. Quæ enim, ut scriptum est, neque facta, neque audita sunt in diebus patrum nostrorum, ea super altari ipso perpetrarunt impij. Tanquam enim in proscenio dissolutæ actiones, puerum uirilem sexum abnegantem, & affectantem muliebrem, stibio, sicut scriptum est, oculos litum, & fuco rubentem os, ueluti ipsorum simulachra, confusa uirili ac muliebri figura, imposuêre super sanctũ altare, ubi spiritus sancti aduentũ expetimus: qui illic circulari compositoq; motu huc & illuc manus torquens saltaret: huic illi & clarum arridebant, & nefarias acclamabant uoces. Sed & hoc rati non nimiæ peruersitatis opus, & præterita bella magis quàm nefanda esse, ex ipsis unum notissimæ turpitudinis, nudatum uestibus simul ac pudore, ita ut in lucem edimur, collocant in solio Ecclesiastico, appellantque Concionatorem turpem aduersus Christum. Nam pro diuinis uerbis fœditatem; pro oratione graui obscœnitates, pro pietate impietatem, pro continentia fornicationem memorabat: docens commoda esse uitæ cùm alia, tũ adulterium, uenerem masculam, furta, crapulã, potationes. Inter hæc, cum ego ab Ecclesia discessissem, (quid enim facerem aliud, cum irruerent milites, cùm esset cõducta argento ad seditionẽ multitudo, ubi pecuniæ cupiditas, ubi gentiliũ copiæ, & maximæ promissiones?) tũ igitur noster successor aduenit, episcopatum, ut aliquam dignitatẽ mundanã auro mercatus, Lucius, affectans improbitatẽ & gesta luporũ. Non hunc cõstituerat cõuentus orthodoxorũ episcoporũ, nõ uerorũ clericorũ suffragia, nõ populi postulatio, quemadmodũ Ecclesiasticis iubetur sanctionibus. Aderant autem illi (simpliciter enim ingredi nõ potuit) non aliqui episcopi, non presbyteri, non diaconi; non populi multitudo, non deducebatur à cultoribus uitæ solitariæ cum hymnorũ diuinæ scripturæ cantu: sed cum illo Euzoius erat, qui pridem cũ Ario diaconus in urbe nostra Alexandria, à synodo sancta & magna Nicæna exautoratus fuerat, & nunc præsularis est pestis Antiochenorum. Huic comitabatur largitionũ Comes, cum ingenti militum manu, in omni semper impietate nobilis, nomine Magnus: qui imperãte Iuliano, ecclesiã Berytiorum, quæ illustris est urbs Phœnicum, incenderat: fueratq; coactus eandẽ de sua pecunia restituere, imperante felicis memoriæ Iouiano: neq; multum abfuit quin capite truncaretur, nisi multorum intercessione clementiam Imperatoris obtinuisset. Nunc uestrũ feruorem considerare decet, quem & oro ut ad animaduersionem incitare uelitis, quanta peccata in Ecclesiã Dei commissa fuerint, cum talis, qualem dixi, tyrannus bellum nobis intulisset. simul enim ille à pietate uestra & omnium ubiq; orthodoxorum episcoporum sæpenumero abdicatus Lucius, occupauit iustissimis sibi de causis infensam urbem: non enim hic modò, ut ille maledicus in Psalmis insipiens, dicit, Non est Deus uere Christus: sed & actionibus suis cùm perditus, tũ exitialis est, cũ gaudeat blasphemijs quę in Seruatorẽ nostrũ immittuntur ab ijs q neglecto creatore seruiunt creaturæ. Rectè enim hoc à me dicitur, cum scelestus propè ita ut Græci, à recentium numinum ueneratione non abhorreat. Nam tales laudationes coràm ei accinebant: Faustus aduentus tuus episcope, qui filium negas: Serapis propitius te adduxit, nominantes simulachrũ patriæ suę. Nullum intercesserat momentũ, suprà memoratus Magnus, impietatis illius inseparabilis socius, & acerbus satelles, ac crudelissimus prætor, cogit suæ curæ cõmissas

multitudines: comprehenſosq; presbyteros & diaconos numero decem & nouem, quorum aliqui excederét annũ ætatis ſuæ octogeſimum, quaſi reos flagitij alicuius, aut legum Romanarũ cõtrarij facinoris, in publicum iudicium adducit, ibiq; perpellere adoritur, (ignarus legũ uirtutis Chriſtianorũ) ut paternam, ab Apoſtolis miniſterio patrũ acceptá, fidem prodere uelint, affirmans hęc grata futura eſſe humaniſsimo quoq; Auguſto Valenti: Moueri uos infœlices (clara uoce clamãs) ſinite, ut accedatis dogmati Ariano. Veniã enim uobis numen, etiam ſi ueſtra ſit uera religio, facile daturum eſt, qui non ueſtra ſponte, ſed ui coacti feceritis: coactioni enim ſemper relinquitur defenſio, uoluntatis autẽ eſt accuſatio. Proinde hac ob oculos cõſideratione poſita, accedite libẽter et abſq; cunctatione, ad ſubſcribendũ dogmati Ariano: quod nunc iſte (nomine eum appellans) Lucius prædicat. Neq; enim uos clam eſt, ſi pareatis Imperatoribus, uos pecuniã, opes, honores cõſecuturos: abnuentibus uerò uincula, tormenta, quæſtiones, flagra, carnificinas propoſitas: nec non pecunijs ac poſſeſſionibus ademptis, patria carendũ, & exilij triſtium quorundam locorum condemnationem ſubeundam eſſe. Ita ille uir egregius, temperatis affectu charitatis minis, hortatione ſua omnes deducere à ſententia pietatis nitebatur. At illi nullũ maius tormentum eſſe arbitrati proditione pietatis, ſicuti reuera eſt, compulſi ad reſpondendum, talibus uerbis uſi ſunt, quibus uirtute ac forti animo minas ſimul ac fraudes illius proſtrauerunt: Deſine de cætero, deſine huiuſmodi nos territare oratione, ceſſa inania uerba proferre. Nos enim neq; nouitium uenerantes, neq; recentem Deum, etiamſi tu fruſtra undabundus ſpumes, irruasq; ut uentus uehemens, non depellemur tamen de pietatis uita, quandiu uiuere licebit. Nunquam ſenſimus Deum eſſe à potentia, ſapientia, ueritate remotum: nunquam eum qui modò pater, modò non pater foret, ſecundum iſtum impium Arianum, cum opinione eſſe temporalem aut momentaneum filium. Si enim iuxta ueſaniam Arianorum creatura eſt filius, minimè coeſſentialis patri: ad nihilum recidet etiam pater, qui abſq; filij ſubſtantia, iuxta ipſos, pater aliquando non fuerit. Si uerò ſemper eſt pater, cum ſubſtantia nimirum ex ipſo progeniti ueri, non quaſi defluentis germinis, (pati enim certè Deus nequit) an non demens fuerit, ac rabioſus, qui aſſerit fuiſſe aliquando cum non eſſet filius? per quem omnia, ut gratioſa eſſent, ſunt conſtituta? Noſtri igitur totius orbis patres, (à quibus alienati iſti ſpurij ſunt) ut conuenit congregati Nicææ, extermi-

narunt anathemate prauitatem Arianæ ſententiæ, quam nunc iunior iſte defendit: neque illi, quò tu adigis, diuerſientialem à patre filium prohibuêre, ſed ex eadem eſſentia. quo rectè & piè intellecto, de collatis non paucis ſacræ ſcripturæ locis, coeſſentialem illum confeſsi ſunt. Hæc & huiuſmodi alia cum dicerent, in uincula coniectos multis diebus aſſeruauit, ſi quo modo poſſet à pietatis ſententia dimouere. Sed illi potius, ut in ſpacio ſtrenui in primis athletæ, omni formidine pulſa, perungentes ſeſe rebus à patribus diuina mente fortiter geſtis, confirmabantur in ſenſu pietatis, gymnaſiũ quoddam uirtutis credentes eſſe tormenta. Ad hoc igitur certamen illorum, cum eſſent (ut beatus Apoſtolus inquit) ſpectaculo angelis ac hominibus, accurrit tota ciuitas, uiſuri athletas Chriſti, qui fortitudine uincerent tortoris iudicis flagra, & trophæa excitarent de impietate per ſuam patientiam, & de Arianis triumphos agerent, quos oppreſſos acerbus iſte hoſtis minis ſimul atq; dolis prodere erga Chriſtum impiæ factioni uoluiſſet. Deſperans igitur à tormentis infeſto animo inflictis, omni populo querente, ac multum lamentante, acerbus & ab humanitate prorſus alienus ille, uſitatam turbulentiæ multitudinem rurſum ad iudicium, uel potius inanem condemnationem conuocat, in maris littore: ubi redemptæ mercede aduerſus hos, uoces conſueto more emittebantur à ſimulachrorum cultoribus atq; Iudæis: cumq; nollent manifeſtæ impietati Ariani furoris cedere, fertur ſententia, omni iudicium circumſiſtente populo deplorante, Alexandria eos deſerta Heliopolim proficiſci debere, cuius incolarum ne audire quidem quiſquam Chriſti nomen ſuſtinet: ſunt enim ſimulachratores uniuerſi. Poſthęc, iuſſis nauem illis conſcendere, ipſe ſtans in littore (propè enim in publicis balneis pronunciata ſententia fuerat) ſtrictum oſtentabat enſem, quo ſe terrorem incuſſurũ ſperaret illis, qui ancipiti gladio hoſtes dæmonas ſæpe ſauciauerant: atque ita iubet nauigare, nullo neque commeatu, neq; omnino fugæ ſolatio attributo: quod in primis admirabile ac incredibile ſit, undabundo mari, atque illo ipſo facto, ut opinor, commoto, nolenteq; (ut ſic dicam) miniſterio ſuo illorum iniuſti imperij in parte uerſari: demonſtrabat enim ignorantibus etiam, barbaram iudicis illius uoluntatem. Verè igitur poſſumus de his dicere, Obſtupuit cœlum: nam tota ciuitas, cum hæc fierent, lamentabatur, & nũc quoq; in planctu eſt. Quorum alij manib. alterius de pectore plauſus excitabãt claros: alij manib. oculisq; in cœlũ ſublatis, de ui teſtificabãtur modò nõ his uerbis:

Audi

Audi cœlum, & auribus percipe terra, quàm indigna facinora cõmittantur. Deniq; eiulatu omnia erant plena, & lamentorum carmina ubiq; celebrabantur, deq; lachrymis omnium subitò manabat fluuius, inundatione sua maris penè undas obscurans. Sed cum ille suprà dictus in littore astans iam uela sustollere nautis imperaret, tum confusi eiulatus uirginum, mulierum, senum, adolescentulorum, lamentaq; uehementibus implicata lachrymis, ac uniuersæ multitudinis clamores, accumulatos undabundi maris strepentesq; impetus abscondebant. Illis autem ita Heliopolim uersus iter tenẽtibus, ubi omnes essent superstitiosi, ubi diabolica uoluptaria uigeret uita, ubi horribiles bestiarum sedes, circum ubiq; montibus cœlum attingentib⁹: tum reliqua in media urbe multitudo publicè priuatimq; luctus ac querimonię uerba usurpabat, qui neq; flere permitteban tur edicto prætoris urbis Palladij, qui & ipse esset superstitiosissim⁹. Nam multi ex ijs qui lachrymas profudissent, arrepti, & coniecti in carcerem, deinde lacerati, ictiq; flagris, ac torti, Phẽnesia postea ac Proconnesia in metalla missi fuêre: homines Ecclesiæ cum diuino feruore propugnatores. magna enim pars fuit solitariam uitam colentium, & propter exercitia religionis manentium in desertis locis: cum quibus numero trium ac uiginti, paulo pòst diaconus etiam, qui attulerat nobis communitatis ac consolationis literas ab amico nostro Damaso episcopo Romano, uinctis post tergum manibus publicè à lictoribus trahebatur, tanquam insignis aliquis maleficus: qui magis quàm ullus homicida tortus, saxis & plumbi massis ceruice diu quassata, ad eundem modum ut alij nauem conscendit, cum signum diuinæ crucis fronti afformasset, & neglectus omnisq; curæ expers, in Phennesia metalla, quæ æris sunt, deducitur. Iudice autem insuper etiam tenera puerorum corpora torquente, aliqui inter tormenta iacuêre expertes exequiarum, cum hanc ab illo sibi unam & extremam consolationem peterent parentes, fratres, cognati, denique uniuersa ciuitas. O' uerò singularem inhumanitatem iudicis, uel potius damnatoris: ueritatis pugiles trahuntur cum homicidis, & illorum insepulta manent corpora, strenui athletę proiecti esca iacent feris ac uolucribus: qui patrum misericordia tangerentur propter conscientiam, capitibus tanquam ob scelerata facinora obtruncati fuêre. Quæ Romana lex, quæ Barbarorum sententia, puniuit ob patres susceptum dolorem? Quando ueterum ullus simile facinus designauit? Iussit olim Pharao necari masculi sexus Hebręorum fœtus: hoc expresserat mandatum coniuncta cum metu inuidia. quanto autem his illa humaniora? quanta in optione iniuriæ potiora, quàm in comparatione sceleris minus mala? quamuis sanè inter se scelera inseparabilia sint. Superant fidem quæ memoramus, inhumana, immania, crudelia, barbara, immitia, acerba. Ipsi tamen Ariani furoris ministri, inter hæc læta festa agitabant. Tota autem ciuitate in luctum effusa (non enim erat domus, ut in Exodo legitur, in qua non esset mortuus) haud acquieuere petulantia obdurati, quo minus amplius ad scelera exercerentur. Voluntatem enim incitantes ad deteriora, ad episcopos usque prouinciæ uirus improbitatis suæ protulere, usi satellite iniuriarum Comite largitionum, cui nomen Magno, ut suprà diximus. ac illorum aliquos ad iudicium adduxerunt: alios, quibus ipsis libuit modis circumuenêre: undique omnibus ponẽtes laqueos, ut impietate possent capere: neque quicquam inausum relinquentes, sed circumeuntes ad exemplum diaboli, patris sectæ ipsorum, quærentesq; quẽ deglutirent. Sed cum omnino illos conatus erga cunctos sui frustrarẽtur: tũ undecim Ægyptiacos episcopos, uiros qui ab ineunte usq; ætate exercẽdæ religionis gratia in desertis locis consenuissent, quiq̃ue pietatem fidei inculpabilis prædicarent, & educati lacte piorum dogmatum, uictoria sæpe potiti in congressu dæmonũ, uirtute sua uenerabiles aduersario, in Arianam sectam sapientissima oratione fuissent inuecti: eos igitur, instructi ab istius Magni crudelitate, exules ciecerunt in urbem nomine Diocæsariam, cuius incolæ Iudæi essent, trucidatores Domini. Et tamen, ut Orcus, non saturati morte fratrum, audent dementes ac furiosi ubiq; terrarum monumẽta crudelitatis suæ relinquere, affectantes famã nobilitatis facinoribus. Ecce enim rursus clericos catholicæ Ecclesiæ manentes Antiochiæ, cum qui busdã in solitaria uita spectatis, q, constituissent non relinquere intestata tragica illorũ facta, Imperatorijs obstrepere auribus, effecêre ut Neocæsariam in Pontum mitterentur: qui fortasse, quę illorũ locorũ barbaries, uita etiam sunt spoliati. Tales tempora ista tragœdias tulere, dignas quidem obliuione ac silẽtio: sed narratione comprehensas, ad opprobrium eorũ qui linguas suas uibrarunt contra unigenitum. qui morbo blasphemiæ implicati, nõ modò cõfigere Dominum huius uniuersitatis conantur, sed etiam aduersum pios famulos illius exitiale bellũ susceperũt. Eadem, sed breuius, narrat Nazianzenus in oratione funebri in Athanasium.

Subijcit ibidẽ Theodoret⁹ historiã de Lucio, quã nec nobis hic prætereundam esse duximus. Venit ijsdẽ tẽporib. quib. episcopatũ

Lucius Alexandriæ occupatum ui & armis gerebat, ad cognitionem Euangelij, quem admodũ ſuprà diximus, Mauuia, Saracenorum gentis regina: quæ ab Imperatore Valente petijt, ut Moſen quendam pietate celebrem, in finibus Alexandriæ & Paleſtinæ habitantem, ad ſe mitteret. Imperator petitioni illi Reginæ non cõtradicens, Moſen ad ſe accerſit, & Alexandriam mittit, ibiq; iubet ab epiſcopo ordinationẽ petere. Captus igitur Moſes, ad capeſſendũ ſacerdotium Alexandriã deducitur. Adeſt ibi Lucius, ordinãdi poteſtate & autoritate fungens. Ad quem ductus Moſes, ducibus præſentibus & populis ordinationẽ Moſæ expetẽtibns, cõfeſtim ait: Ego quidem me indignũ tanto munere & agnoſco libens, & cõfiteor. Attamẽ ſi quid diuinæ diſpenſationis Deus per me agi & curari ſic uult, Deum noſtrum teſtor, me nunquam paſſurũ, ut ſanctorũ ſanguine madentes & pollutas manus Lucij mihi imponat.

Cumq; Lucius offenſus diceret, Peccare Moſen, tam facilè condemnantem eum, cuius fidem ignoraret: reſpõdit ille, Deſine (inquit) Luci, doloſis tuis rationib. mihi imponere. Equidem ſatis mihi perſpecta eſt fides tua, de qua teſtificãtur ſerui Dei ad metalla hinc inde damnati, epiſcopi in exilium truſi: presbyteri, diaconi, extra Chriſtiani nominis habitacula relegati: beſtijs præterea alij, alij ignibus traditi. An poteſt igitur uerior eſſe fides quæ auribus capitur, quàm quæ oculis peruidetur? Certũ eſt, Spiritus ſancti gratiam, te inuocante, mihi non uenire. Pugnas enim cum dogmatis Apoſtolicis, illisq; contraria doces. Et qui Chriſto rectè credũt, talia non cõmittunt, qualia tu audes. Hæc & his ſimilia Moſes confidentiſsimè in probrum & contumeliam Lucij locutus, ad alios epiſcopos, quos in exiliũ Lucius pepulerat, deduci ſe iubet, atq; ab illis ſacerdotium accipit. Theodoretus lib. eodem, capite uigeſimotertio: Ruffinus libro ſecundo, capite ſexto.

Geſta ſunt autem hæc omnia quæ de Lucio commemorauimus, Imperatore Valente Antiochiæ cõmorante. Qui poſteaquam inde diſceſsit, Alexandrini improbitatẽ Lucij & ſcelera non amplius ferẽtes, animis confirmatis, & fiducia ſumpta, urbe eum & epiſcopatu expulerunt: ac Petrum reuerſum ex Italia, & literis Damaſi inſtructũ, in locum Lucij uiciſsim ſubſtituerunt. Lucius ad Imperatorem Conſtantinopolim properè abnauigat: ſed haberi ibi ſuæ cauſæ ratio tum non potuit, ideo quòd bellum ei neceſſariũ contra Barbaros, qui iam Thraciam perruperãt, & ſuburbia ipſa Conſtantinopolitana uaſtauerant, gerendũ fuit: cum quibus cõgreſſus, mortuus eſt. Nec uerò deinceps ad epiſcopatum redijſſe Lucius legitur. Socrates lib. quarto, capite trigeſimoſeptimo: Sozomenus libro ſeptimo, capite trigeſimooctauo.

PATROPHILVS.

EPiſcopus fuit Scythopoli, ſimilia per omnia ſentiens ac ſcribens, quæ Arius & Ariani reliqui. Athanaſius de ſynodo Arimini & Seleuciæ: qui & in oratione prima contra Arianos, audaciſsimũ eum uocat ad omnem impietatem: & in apologia ſecunda, ex epiſtola epiſcoporũ Ægypti, odium eius immane & furioſum extitiſſe narrat in omnes orthodoxos, & in primis Athanaſium. Ait & reiectum eum primùm in magna ſynodo Sardicenſi fuiſſe: deinde & in ſynodo Seleuciana, cum intereſſe, cum quidem deberet, noluit, oculorum dolorem cauſatus, depoſitus eſt, eo quòd Dorotheo presbytero ipſum accuſante uocatus nõ obediuit. Socrates libro ſecundo, cap. quadrageſimo: Sozomenus libro quarto, capite uigeſimoſecundo.

Mortuus eſſe creditur ante Iuliani Imperium. Sub eo enim apud Scythopolim reliquiæ eius effoſſæ ſunt, earumque pars reliqua diſsipata: cranium uerò palo altius infixum, contumelia & execratione illuſum, ut Nicephorus ſcribit libro decimo, capite decimotertio.

THEODOTVS.

ATHanaſius utroq; nomine, Theodoſij & Theodoti, pro eodem uti uidetur in epiſtola ad ſolitariã uitam agẽtes, & de ſynodo Ariminẽſi & Seleuciana. Epiſcopus fuit Laodiceæ ſub Conſtantio: Theodoretus lib. primo, capite quinto: Socrates libro ſecundo, capite quadrageſimoſexto. Athanaſius ad ſolitariam uitam agentes, etiam Tripolitanam eum Eccleſiã tenuiſſe ſcribit: & ſenſiſſe eum eadem quæ Arius, teſtatur in ſcripto de ſynodo Ariminenſi & Seleuciana. Arius etiam ipſe in epiſtola ad Euſebium, Theodotũ ijs annumerat, qui priorem eſſe Deum filio tradiderant, atq; anathema propterea facti fuerant. Theodoretus libro primo, capite quinto. Et à communione cum orthodoxis reiectum eum in ſynodo Seleuciana, indicat Athanaſius de Synodo.

GEORGIVS LAODICENVS.

PResbyter fuit Arethuſæ ſub Conſtãtino, ordinatus ab Alexandro Alexandrino epiſcopo: quemadmodum ex epiſtola Conſtantini ad Theodoretum & Narciſſum liquet, apud Euſebium libro tertio de uita Conſtantini. Epiſcopum eum factum eſſe ab Arianis, & Laodicenę Eccleſiæ poſt Theodotum præfuiſſe, Athanaſius teſtatur oratione prima contra Arianos. Et in apologia ſecunda, principem eum dixit ſectæ Euſebianorum. Sicut & unum ex illis fuiſſe, qui dictionẽ homouſij deteſtati ſunt, Socrates indicauit

dicauit libro primo, capite uigesimoquarto. Attamen inconstanti & uersatili eum in doctrina sententia fuisse, & aliàs rectè de filio sensisse, sicut in synodo Seleuciana professus fuerat: aliàs iuxta Arij opinionem, Socrates idem scripsit libro secundo, capite quadragesimosexto. Extat certè epistola eius ad Basilium & Macedoniũ, apud Sozomenum libro quarto, capite decimotertio: in qua manifestè Aëtium, & quotquot filium patri dissimilem dixerunt, damnat. Rursus uerò Eusebianos & Arianos monuit, dicerent quidem filium esse ex Deo: sed sic ex eo esse sentirent, quemadmodum cæteræ creaturæ ex Deo esse dicerentur. Hoc enim de Georgio narrat Athanasius, de synodo Ariminensi & Seleuciana.

Idem in oratione prima contra Arianos, Georgium inter eos recensет, qui à presbyterorum ordine reuulsi fuerint. Et in Apologia secunda dicit, eum depositum fuisse à synodo Sardicensi: ut ex Sozomeno libro tertio, capite decimotertio cõstat, propter eam ipsam hæresin, quòd filium ab essentia patris separasset, & damnatos olim ob Arij hæresin suscepisset.

MARCVS ARETHVSIVS.

INsignis fuit Marcus inter episcopos Syriæ, cum Georgio Laodiceno, quo tempore Eudoxius sub Constantio prẽsulatum Antiochenũ ui occupauit, cum ad hos duos ordinatio pertineret. Sozomenus lib. quarto, capite duodecimo. Interfuit synodo Antiochenę Eusebianorum: à quibus legatus cum alijs ad Constantem missus, & Athanasij condemnationẽ iustam esse asseruit: & fidei formulas, Græcã unam, duas Latinas exhibuit, à Nicæna formula dissentiẽtes, præterea inter sese ipsas contrarias. Socrates libro secundo, capite trigesimo: Sozomenus lib. tertio, capite decimo: Athanasius de synodo Ariminensi et Seleuciana. De martyrio eius, in quo senem admodum interemptum eum, Sozomenus idem scripsit libro 5. capite decimo, suo loco dictum est.

ASTERIVS SOPHISTA.

MEminit Asterij Athanasius oratione secunda contra Arianos, & callidum eum uocat Sophistam, hæreseosq; Arianæ patrocinatorem. Cappadox fuit, qui philosophandi studio, ostentationis & quęstus gratia relicto, ad Christianam religionem animum adiecerat, Luciano martyre prẽceptore usus: ut Nicephorus tradit lib. octauo, cap. 53. Statim igitur Arij opinionem ex professo complexus, libros composuit Arij dogmatibus consonos, quos per ciuitates oberrans ostendebat. Sectabatur autẽ studiosè episcopos Arianos per synodos: eorumq; conatus, quãtum potuit, in hæresi defendenda adiuuabat: dum actus spe quadam, quæ illum tandem frustrata est. Assectam enim se Arianis præbens, fore putabat, ut præclarum aliquem ab ijs episcopatum acciperet. quod uerò parum ei successit. Cum enim in persecutione sub auo Constantij dijs sacrificasset, adhiberi ad rerum sacrarum administrationem non potuit. Hinc & idolorum cultorem & immolatorem dæmoniorum eum Athanasius dixit, in decretis synodi Nicænæ, & de synodo Ariminensi & Seleuciana. Commodius tamen & reuerẽtius de filio locutum, quàm Arianos cæteros, idem scripsit oratione secunda contra Arianos, ubi inquit: Asterius quamuis aduocationem præstet Arianæ sectæ, dicatq; unum esse ingenitum: tamẽ istis contraria allegat, sapientiamq; Dei increatam esse dicit, &c. Socrates libro primo, capite trigesimosexto: Sozomenus lib. secundo, capite trigesimotertio. Scripsit & libros contra Marcellum Ancyranum, quod Hieronymus in catalogo indicat. Platina sub Liberio etiam commẽtariorum eius meminit in epistolam ad Romanos, in Euangelia, & in Psalmos, quę à studiosis eius sectę diligenter lectitari prodidit.

EVGENIVS.

EVgenium Sozomenus libro quarto, capite octauo, inter hæreticos Arianos trigintа recensет, qui Antiochiæ in conciliabulo conspirationem contra Athanasium fecerunt. Fuisse autem episcopum Nicænum, ibidem indicat.

QVINTIANVS.

IN locum Asclepæ episcopi Gazensis, quòd Arianis aduersari putaretur, Ariani Quintianum substituerunt: quo tempore Athanasius Alexandria pulsus, Romam profugus ad Iulium uenit. Sozomenus libro tertio, capite octauo. Hinc Athanasius apologia secunda, ait eum lupi more in ecclesiã Gazensem irruisse: postea uerò in synodo Sardicẽsi, ut non episcopatu solùm, sed & cõmunione fidelium indignum, ut qui filium à patre separaret, amotum esse. Idem Theodoretus libro secundo, capite octauo, in epistola synodi Sardicensis.

CECROPIVS.

EPiscopus fuit Nicomediæ, quem eò ex Laodicæa misisse Constantium, Athanasius refert in epistola ad solitariam uitam agentes. Idem & episcopatum sibi arrogasse per impietatem, indicat in oratione prima contra Arianos. Interijsse eum in terræmotu, quo Nicomedia tota concussa est, post synodum Sirmiensem, cum iam ad aliam synodum Nicomediæ habendam episcopi properarent, narratio Sozomeni indicat libro quarto, capite decimosexto.

EPICTETVS.

HVnc Athanasius Cecropio adiungit, & hostē Orthodoxorū utrumq; nominat. De utroq; enim sic scribit oratione prima cō tra Arianos: De Cecropio & Epicteto hypocrita superfluum est dicere, cum omnibus li queat, ob quas causas, & per quos inimicos Ecclesiæ, etiam isti promoti sint, nimirum qui se calumniarum in Episcopos orthodoxos, quibus insidiæ parabantur, acto res histriones q; præbuerunt. Hi cum essent non nisi in ordine presbyterij constituti, nec uulgo cogniti haberentur: tamen per impietatem episcopatus titulum sibi procurarunt. Eaq; de causa Georgium Cappadocem quendam redemerunt, eo animo, ut eum ad uos mitterent. Illi quidem his machinis utuntur contra ueritatem, non tamen illorū animus latet, etiamsi millies ueluti anguillæ in sinus Mæandros q; lubricent, & se se occultare studeant, quasi non sint Christi perduelles. Igitur denuncio uobis, ut quisq; caueat, ne ab illis decipiatur, aut furtum sui patiatur.

De Epicteto uerò seorsim sic scribit, ad solitariam uitam agentes: Epictetum neophytum hominem, iuuentute ferocem, audacē, in amoribus habet Constantius, eo quòd eū ad omnia scelera promptum alacremq; conspiceret, eiusq; opera episcopis quibus uelit insidias struit. Nihil enim est quod ille graue tur facere, modò Imperatori placeat, etc. Post longam altercationem cum Liberio episcopo, Cōstantius, cum ut Arianis consentiret, impellere eum nequaquā potuisset, in exiliū abire iusit: missis tamen ei muneribus, quę accipere recusans Liberius, adferri iusit Auxentio & Epicteto, quibus ijs opus esset. Theodoret. lib. 2, cap. 16.

EPICTETVS CORINTHIVS.

A priori diuersus uidetur Epictetus Corinthius, de quo suprà inter doctores retulimus. Cū tamen quædā ei corruptelæ adsignentur, huc eum collocare uoluimus.

De hæreticis opinionibus ex Commentarijs Epicteti episcopi Corinthiorum.

De Epicteti commentarijs, hæreticis opinionibus & blasphemijs adeò refertis, hæc indicat Athanasius in epistola ad eundē: Hęc mihi uisum est, inquit, scribere, postquā incidissem in Commentarios à tua sanctitate cō positos, qui utinā nunquā scripti essent, quo prorsus nulla eorū apud posteros relinquatur memoria. Postea has enumerat in ijs deprehensas hæreticas hypotheses.

1 Consubstantiale dicunt corpus ex Maria genitum cum uerbi diuinitate, seu corpus patri coæternum esse, uel cōsubstantiale esse uerbum corpori.

2 Si enim corpus Christi statuamus, aiunt, eiusdē cū uerbo substātiæ esse, Trinitas nihil peregrini, accessu uerbi in se recipiet. Contrà si concedatur, corpus humanū esse, & ex Maria prosatum, necessum est, cum sit alienum, diuersumq; à deitate, & in eo sit uerbū, quaternitatem pro Trinitate ob superaduentū & additamentum corporis constitui. Vel: Is qui dicit ex Maria editū esse Dominicū corpus, non iā Trinitatem, sed quaternitatē in Deitate constituit: ac perinde qui ita sentiūt, ijdem & carnē dicunt quam ex Maria induit Saluator, esse substantiæ Trinitatis.

3 Verbū in carnem & ossa, costas, neruos, & prorsus in corpus commutatum esse, & à sua natura degenerasse dicunt.

4 Fictione, nō reuera, Deum uerbum corpus esse factum.

5 Ipsam Deitatem quę patri est consubstantialis, circumcisam fuisse, & ex perfecta imperfectam esse traditam.

6 Illud corpus quod in cruce pependit, nō corpus humanum, sed ipsam opificem rerū Sapientiam fuisse.

7 Christum nō ex Maria, sed ex sua sibi natura corpus finxisse.

8 Non minoris esse ætatis corpus Deitatis uerbi, sed id ei coæternum perpetuò fuisse, eo quòd ex substantia Sapientiæ conflatum sit, dicunt.

9 Ambigere audent, sit ne Dominus ex Maria editus, substantia Deus, & natura filius Dei: corpore autem ex semine Dauidis, & ex carne Mariæ.

10 Negant eum qui carne passus est, & crucifixus, Christum fuisse.

11 Dicunt carnem illius mortis capacem non fuisse, sed eam fuisse immortalis conditionis.

12 Dicunt uerbum ita in sanctum hominē, ut in aliquē ex prophetis descendisse: ipsum tamen uerbū nequaquā hominem esse factū, desumpto ex Maria corpore: sed alium esse Christū, alium filium Dei, qui ante Mariam & ante secula extiterat filius Dei.

13 Asserunt alium esse filium, aliud esse Verbum Dei

14 Dicebant eum qui ex Maria prodijsset, non esse eundem Christum & Dominum et Deum.

Hæc erant, inquit Athanasius, in tuis cōmentarijs aliter quidem dicta: sed tamē quæ & eandem sentētiam, & eandem uim ad impietatem haberent.

Confutatio 1 Hypothesēos.

¶ Nihil certe tale in diuinis scripturis, quę Deum in humano corpore fuisse aiunt, reperias. Et patres q Niceæ cōuenerunt, non corpus, sed filium ipsum patri coęternum fuisse asseuerāt, idq; ex substantia patris: corpus uerò rursum ex Maria, secundū diuinas scripturas ortum

ras ortũ traxisse, confitentur. Et: Si consubstantiale est uerbum corpori, superfluum est ut Marię uel mentio uel usus habeatur, cum corpus illud ante Mariam constiterit: quemadmodũ & uerbũ, si modò illud est coæternum corpori, secundum uestram disciplinã. Quorsum igitur necessarius fuit uerbi Dei aduentus? an ideo scilicet, ut sibi consubstantiale corpus indueret, uel mutatus, alienatusq; à sua ipsius natura, in corpus degenera ret? Non enim se ipsam Deitas assumit, ut sibi quod consubstantiale sit induat. Sed neq; procauit uerbum, quod aliorum peccata redimit, ut degenerãs in corpus, ipsum pro se ipso in sacrificium offerat, atq; ita redimat. Apagesis: Semen enim Abrahæ apprehendit (ut inquit Apostolus) unde debuit per omnia fratribus assimilari, & assumere corpus qđ nobis esset simile. Ideoq; ꝓ fundamento istius rei subijcitur Maria, ut ab ea hocipsum corpus mutuaretur, quod ꝓ nobis offerret. Eandẽq; Mariã Esaias prophetando demonstrat, &c. Et: Gabriel circumspectè & cũ bona cautione, non dixit, Quod natũ fuerit in te: ne forinsecus introductũ in eã corpus existimari possit. Sed quod ex te, inquit, nascetur, &c. Et: Eiusdẽ rationis est, quòd octauo die circũcisus est: eiusdẽ quoq;, quòd Simeon eũ in ulnis susceperit: eiusdẽ, quòd puer fuit, quòd creuit, & ad trigesimũ annũ ꝓuenit.

Confutatio 2 Hypotheseos.

Hæc cum loquuntur, non sentiunt, ipsos in seipsos impingere. Nam tametsi ex Maria procreatum esse id corpus negent, uerboq; consubstantiale esse affirment, æquè tamen quaternitatẽ, quã simulant sese effugere uelle, cõstituũt. Vt enim filius, secundũ patres, cõsubstantialis patri, nõ est idẽ qui pater, sed filiꝰ cõsubstantialis respectu patris: ita quoq; corpus consubstantiale uerbo, non est idem quod uerbum, sed aliud respectu uerbi: atq; ideo cùm aliud sit, & quartũ in ordine, summam quatuor personarum pro tribus constituit pro ipsorum opinione. Sedenim uera & perfecta & indiuisibilis Trinitas additamentũ recipere nõ potest, quod in illa Trinitas sit quã ipsi cõminiscuntur, &c. Et: Trinitas, uerbo corpus ex Maria assumente, in suo ternario permansit, nullũ in se recipiẽs auctariũ aut diminutionẽ: sed ꝓfecta semper est, & una Deitate Trinitas agnoscitur. Atq; ita fit, ut in Ecclesia unꝰ Deus pater uerbi ꝓdicetur.

Confutatio 3 Hypotheseos.

Corpus quippe in sepulchro erat positũ, cũ Verbũ abijt ut prædicaret spiritibus, q in carne tenebãtur, ut dixit sanctꝰ Petrus. Quæres maximè declarat stultitiã eorũ q dicunt, Verbũ in ossa & carnẽ cõuersum esse. Nam si hoc uerũ esset, qd opus fuisset monumento? Ipsum corpus ꝑ se ꝓfectũ fuisset, ut prædicaret spiritibus in orco positis. Nunc autẽ ipse ꝓfectus est ad prædicationẽ, corpus uerò Ioseph linteo inuolutũ in Golgatha deposuit: ostẽsumq; est cunctis, Verbũ corpꝰ nõ fuisse, sed corpꝰ uerbi corpꝰ extitisse, &c. Et: Non dixit, Quemadmodũ me uidetis carnẽ & ossa existere: sed Habere inquit, ne ipsum Verbũ in istiusmodi res uersum esse crederetur, &c.

Confutatio 4 Hypotheseos.

Non fictione ista agebantur, absit, quemadmodum nõnulli existimauerũt: sed ut uerè, & per uerum Saluatorem hominẽ, totius hominis salus conciliaretur. Nam si fictione et simulachrotenus Verbum in corpore fuit, secundũ istorũ opinionẽ: & si quid fictione agitur, imaginariũ est: sequitur omnino, & apprehensu facile est, hominũ salutem ac resurrectionẽ esse rem opinariã, apparentemq;, nõ ueram ac solidam, secundũ impium Manichæũ. Atqui nõ est inane spectrũ, et res imaginaria, salus nostra. neq; corpori duntaxat, sed integro homini, corpori & animæ, salus est cõparata: Verboq; ipsi uerũ corpus ex Maria secundũ scripturas est genitũ. Verum inq;, quia idem est cum corporib. nostris: & quia Maria, unde est genitũ, soror nostra est, eo q, omnes liberi sumꝰ ex Adamo procreati, &c.

Confutatio 5 Hypotheseos.

Non, ut nõnulli suspicati sunt, substantia ipsa Verbi cõmutata, circumcisionem passa est, cum inalterabilis planè & incommutabilis sit illa, ipso teste Saluatore: Videte, inquit, q, ego idẽ sum. Paulo quoq; id indicante: IESVS Christus heri & hodie, idẽ in secula. Sed neq; corpore circũciso, gestato, uescente, laborãte, in palo affixo et passo, quicq; eorũ sensit impatibile illud et incorporeũ Verbũ Dei.

Confutatio 11 Hypotheseos.

Si mortuus non est, cur Paulus tradidit Corinthijs, quod et acceperat, Christum esse mortuum pro peccatis nostris, secundũ scripturas? Aut quî factum, ut uel ulla ratione resurrexerit, si mortuus non fuit?

Confutatio 12 Hypothesis.

Quòd falso imaginantur & dicũt, q, ut uerbũ in singulos prophetas uenit, ita quoq; in Marię filiũ ueniſſe: superfluũ est, in illis refutãdis uelle operã sumere, cũ eorũ stultitia manifestã sui damnationẽ præ se ferat. Si enim uerbũ ad eũ modũ uenit, cur ex uirgine (quę so) ac non ex uiro & muliere ꝓdijt? Ita enim quisq; sanctorũ genitus est. Aut cur, si ea ratione uenit, nõ ipsius tantũ, sed omniũ mortes dicantur pro nobis fuisse toleratę? Cur item cum ad singulos Prophetas Verbũ deuenerit, solũ duntaxat de Mariæ filio prædicatur, semel eũ in cõsummatiõe seculorũ uẽturũ esse? Aut cur ita ueniẽte uerbo, ut ad priores illos sanctos uenerat, oẽs quotquot erãt, uita ꝓfuncti sunt; et nemo omniũ, nisi Marię filius,

filius, intra triduum resurrexit? Aut cur deniq; fit, ut Verbo pro aliorũ ratione in Christum ueniente, ipse solus Emanuel appelletur, ueluti corpore diuinitatis pleno, ac proinde Deificato: cum Emanuel nihil aliud sit, quàm nobiscum Deus? &c. Et: De reliquis omnibus dicitur, quòd uel creati uel geniti sunt: de solo aũt Mariæ filio scriptũ est, Verbum caro factum est. Ex quibus ostenditur, ad reliquos quidẽ sanctos uerbum factũ esse prophetandi gratia: ex Maria autem ipsum Verbũ carne assumpta hominẽ prodijsse, ita tamẽ ut natura substãtiaq; Verbũ Dei remanserit: secundũ carnẽ uerò ex semine Dauidis, & ex carne Marię, homo genit⁹ ꝓdierit, ut à Paulo dictũ est, quem pater declarauit in Iordane, atq; itidẽ in monte per hæc uerba: Hic est fili⁹ me⁹ ille dilect⁹, in quo mihi gratulor.

Confutatio 10 & 14 Hypotheſium.

Si Deus in corpore non erat, quomodo statim ubi editus erat à Maria, uocatus est Emanuel, quod interpretatum sonat Nobiscum Deus? Cur item Paulus, si Verbum in carne non erat, Romanis scripsit: Ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus in æternum, Amen? Quapropter cõfiteantur se errasse, qui prius inficiati sunt, eum qui in cruce erat Deum fuisse: fidem habẽtes cunctis scripturis, & in primis Thomæ: qui postquam uiderat in eo clauorũ signa, exclamauit, Dominus meus & Deus meus. Dominus enim & Deus gloriæ filius in corpore erat cruci affixo, & ignominiose habito, &c.

MACARIVS, MARTYRIVS, *Heſychius.*

MAcarium presbyterum appellat Athanasius, Martyrium autem & Hesychium diaconos: ac significat eos & Arianos, & Eusebianorum legatos fuisse, apud Iulium Romanum episcopum, contra Athanasiũ. Apologia secunda.

PISTVS.

EX Athanasij calũniatoribus etiam Pistus quidam fuit, qui subornatum se à Meletianis, ut calumnias in Athanasium fingeret tales, quales Ischyras, propria postea manu testatus est. Indicãt hoc in epistola sua presbyteri & diaconi Mareotici, apud Athanasiũ apologia secunda. Iulius uerò Romanus Arianũ fuisse hunc Pistum indicat, eoq; nomine ab Alexandro & cõcilio Nicæno olim condemnatũ: gradumq; ordinis sui accepisse à quodam Secundo. quem ipsum quoq;, ut Arianũ, synodus Nicæna reiecerat. Athanasius ibidem.

AMMON.

AMmonem Athanasius subscriptorem uocat Georgij, tyrannici illius episcopi Alexandrini: quem ob impietatem & scelera multa, ab Alexandro episcopo, & ab Ecclesia iectum fuisse, significat in epistola ad Orthodoxos.

AVXENTIVS, DEMOPHILVS, *Gaius, Germanus.*

HOs omnes cum Vrsatio et Valente sensisse, socios q; fuisse omniũ eorum seu consiliorum, seu fortunę, Socrates tradidit libro secundo, capite trigesimoseptimo: & Athanasius de Synodis Arimini & Seleucię. Vocat & eos omnis disidij & seditionis autores, epistola synodi Ariminensis ad Constantium, apud eosdem.

Venerat aũt Auxentius è Cappadocia Mediolanum, ibiq; à Constantio episcopus hæreticorum constitutus erat in locum Dionysij expulsi: homo ne Romanæ quidem linguæ, sed hæreseos tantum peritus. Athanasius ad solitariam uitã agentes. Scribit multa de Auxentio Ambrosius lib. 5 Epistolarũ, & oratione inuectiua in Auxentium, ubi nomina habere eum sua pro regionibus ait. In Scythiæ enim partibus Auxentium quondam dictum, Mediolani se Mercurium uocare. Narrat & multa de impietate eius Hilarius, libro contra Arianos & Auxentium. Vocat eum blasphemum, & hostem Christi, Satanæ angelum, & perditum fidei negatorẽ.

Hæresin eius non simplicem fuisse, Sozomenus autor est lib. 6, cap. 23: sed consutam partim ex Arianismo, partim Anomianismo, partim ex Pneumatomachismo.

Proditus igitur de hæresi à Gallis & Venetis, Romę in frequenti Synodo depositus est sub Damaso. Sozomenus libro sexto, capite uigesimotertio. Scribit & Theodoretus, eum in multis synodis abdicatum esse. Confessionem porrò ad Valentinianum & Valentem talem edidit, sicut in Hilario ponitur: Credo in unum solum uerum Deum patrẽ omnipotentẽ, inuisibilẽ, impassibilẽ, immortalẽ. Et in filium eius unigenitũ, Dominum nostrũ IESVM Christũ, ante omnia secula & ante omne principiũ natum ex patre Deum, ex uero Deo patre, secundũ quod scriptũ est in Euangelio: Hæc est aũt uita, ut cognoscant te solum uerũ Deum, & quẽ misisti IESVM Christũ. Per ipsum enim omnia facta sunt, uisibilia & inuisibilia. Qui descendit de cœlis uoluntate patris propter nostrã salutem, natus de spiritu sancto ex Maria uirgine secundũ carnem, sicut scriptũ est: & crucifixum sub Pontio Pilato, sepultum, tertia die resurrexisse: ascendisse in cœlos, sedere ad dexteram patris, uenturum iudicare uiuos & mortuos. Et in spiritum sanctum paracletum, quẽ misit Dominus & Deus noster saluator IESVS Christus discipulis, ueritatis spiritum. Deniq; non multo post synodũ Romanam mortuus est. Sozomenus lib. 6, capite

capite uigesimoquarto: Socrates libro quarto, capite trigesimo.

Demophili patriam Nicephorus lib. duodecimo, cap. octauo, scribit fuisse Berrhœam. Depositus in synodo Ariminensi cum Vrsatio & Valente, præfuit postea ecclesiæ Arianorum Constantinopoli, sub Gratiano, ab Arianis in locum Eudoxij surrogatus: Sozomenus lib. sexto, capite decimotertio. Quo tempore Gratianus Imperator in eam curã studiosissimè incumbens, ut omnes gentes sub se in religione concordes efficeret, Constantinopolim ipse accessit, & ad Demophilum misit, qui mandarent, ut secundum concilij Nicæni dogma religionem administraret, & ad concordiam populum in uarias hæreses scissum reduceret: aut si minus huic edicto parêret, ab Ecclesia discederet. Demophilus autẽ facturũ se hoc omnino negauit. Ac cõuocatæ multitudini Imperatoris quidem mandatũ denunciauit, sed extra partes ciuitatis Ecclesiam se deinceps collecturum significauit: legem Christi proponens, quæ ex una pulsos ciuitate, in aliam se recipere iuberet. Socrates libro quinto, capite septimo: Sozomenus libro septimo, cap. 5. Mortuus tandẽ sub Theodosio est. Socrates lib. quinto, capite duodecimo.

Gaium Socrates lib. primo, capite sexto, inter illos numerat episcopos, qui initio statim Ario se adiunxêre.

Germanum, quem sic appellat Socrates libro secundo, capite trigesimo: Sozomenus lib. quarto, capite decimoseptimo Germiniũ uocat, & Athanasius de synodis Arimini & Seleuciæ. Ex eiusdem scripto ad solitariam uitam agentes apparet, eum fuisse è Cyzico. Damnatus uterq; cum Vrsacio & Valete est, in synodo Ariminensi. Socrates lib. 2, capite trigesimosecundo.

DE MACEDONIANIS *hæreticis.*

MACEDONIVS.

MOriens Alexander Constantinopolitanus episcopus, Paulum sibi successorem legerat, cum factio Ariana Macedoniũ ei substituere magis laborasset: de quo Alexander interrogatus responderat, uirũ eum esse aulicum, & ad mores principum accommodatum: Paulum uerò rerum diuinarum scientem, & ad docendum instructum. Suffragijs igitur de Paulo episcopo & successore Alexadri eligendo prævalentibus, episcopus ille factus est, sed dignitatem illam non diu tenuit. Etenim cum Constantinopolim Imperator Constantius ueniisset, & de Pauli electione certior factus fuisset, molestè eam tulit: Paulum indignum esse arbitratus, cui episcopatus committeretur. Synodo igitur conuocata, ab Ecclesia eum repulit. Tum uerò Macedonio frustra laborante, ut episcopatum eũ capesseret, Eusebius Nicomedia relicta eum occupauit, potestatẽ eam occupandi Imperatore ei decernente. Sozomenus libro tertio, cap. 3. & 4. Eusebio paulo post synodum Antiochenã defuncto, qui Constantinopoli Nicænæ synodi dogmati adhærebant, Paulum in ecclesiam duxerunt: Ariani contrà in alia ecclesia cõgregati, Macedoniũ Constantinopolitanum episcopum ordinarunt. Ex qua re motꝰ, bellis nihil absimiles, Constantinopoli frequentes orti sunt. Quæ Imperator Antiochiæ cognoscens, Paulũ ui militari expelli curauit. Idem libro eodem, cap. 7. Proficiscitur Paulus Romam, & injustã expulsionem Iulio episcopo exponit: qui eum literis instructum Constantinopolim mittit, & sedem suam recipere iubet. Imperator contrà Hipparcho præsidi mandat, ut Paulo urbe pulso, episcopatum Macedonio traderet. Relegato igitur Paulo, armata manu Macedonium in ecclesiam ducit, omnibus ingressum eum, ecclesia prius occupata & repleta, prohibere conantibus, adeò ut circiter ter mille homines centum & quinquaginta (ut Socrates testatur lib. 2, cap. 16) conculcati & occisi sint. Hæc cruenta in episcopatum Constantinopolitanum Macedonij irruptio fuit. Sozomenus lib. 3, cap. 9.

Nec mitius quidem Macedonius, episcopatu potens, postea egit. Sæuijt enim atrocissimè in omnes pios, bellum Ecclesiæ concitãs non minus exitiale, quàm eiusdem temporis tyranni mouebant: cum Imperatori persuasisset, ut legibus suis (quarum autoritate, quicquid colliberet, moliretur) se armaret. Profecta igitur sic à Macedonio egregia in Christianissimum gesta sunt, bonorum ac rectè sentientium cædes, exilia, pugnæ, manci pationes, & bella intestina. Socrates lib. 2, capite uigesimosexto, & trigesimooctauo.

Sed nec Arianorũ fauore, nec principis sui beneuolentia & præsidio usus diu Macedonius est. Ariani enim eum repudiabãt. quòd quamuis filium coessentialẽ cum patre esse non fateretur, tamen ne factum quidem aut creaturã dicere sustineret: etiamsi spiritũ sanctum creaturã planè esse affirmaret. ob quod & Pneumatomachꝰ primus dictus est, ut Basilius ait in expositione fidei Nicænæ. Ante eum enim diuinitas sancti Spiritus in quæstionem nõ uenerat. Theodoretus lib. 2, cap. 6. Imperator uerò, tum quòd persecutionẽ eius improbaret, tũ ob turbas Mantiniæ datas, de quibus dictũ alibi est, tum ob tumbã Magni Constãtini temerè & superbè translatam in aliã Ecclesiã succẽseret, episcopatu suo priuauit, cum annum in eo uix egisset. Cui depositiõi accessit etiã Acacianorũ synodũ Ariminẽsem Cõstãtinopoli cõfirmantiũ,

exauto-

exautoratio. Sozom. lib. 4, cap. 2, uigesimo-primo, & uigesimoquarto.

Priuatus igitur episcopatu, non amplius conformiter cum Arianis sensit: sed filiũ patri per omnia similem etiam secundum substantiam esse, dixit. In spiritum sanctũ uerò blasphemus esse non destitit. Idem libro eodem, capite uigesimoseptimo. Denique in loco quodã eregionè urbis Constãtinopolitanæ, Orientem uersus sito, quem Pylas seu Claustra dixêre, priuatam uitam aliquantisper agens, ibi mortuus est. Idem ibidẽ, cap. uigesimosexto. Nicephorus lib. nono, cap. quadragesimosexto.

MARATHONIVS.

PVblicus hic militũ Quæstor fuerat, Macedonij ipsius necessarius: militia deserta, cũ opes per eam nõ mediocres sibi quæsiuisset, Macedonij diaconus factus est: cuius cõsilio pauperũ contubernia, mulierũ simul & uirorũ monasteria & scholas instituit. homo sermonis elegantis, & ingenij ad persuadendũ potẽtis: quibus, seu uirtutibus seu artificijs, Macedoniani ferè excelluerunt. Hęresin Macedonianam, in tantũ studio et pecunijs suis adiuuisse & promouisse dicitur, ut Macedonianos à nõnullis nõ immeritò Marathonianos dictos, Sozomenus putet. Solus enim ille cum contubernio suo in causa fuisse uisus est, quòd hæresis ista Constantinopoli tam diu durarit. Socrates libro secundo, cap. trigesimooctauo: Sozom. libro quarto, cap. uigesimo, & uigesimoseptimo: Nicephorus libro nono, capite quadragesimosecundo. Factus est Marathonius episcopus tandem Nicomediæ, à Macedonio, cum is Constantij autoritate quassationes et perturbationes maximas in ecclesijs Constantinopolitanis, paulo ante synodum Seleucianã exerceret: quemadmodum suo loco dictum est. Socrates & Sozomenus ibidem.

ELEVSIVS.

MIlitauerat in Palatio Eleusius: qui quòd in hæresi cũ Macedonio consentiret, ab eodẽ in ijsdem turbis, quibus Marathoniũ Nicomediensem designauit episcopũ, apud Cyzicũ episcopus ordinatus est. Virũ eũ, sicut & Marathonium, probatis moribus fuisse, Sozomenus tradidit libro quarto, capite uigesimo: sed studiose utrunq; adflixisse, quanquam minus apertè quàm Macedoniani, eos qui filium patri homousion esse sentirent. Quæ tamen de Eleusio narratio, non eadem est apud Socratem & Theodoretum. Is enim libro secundo, capite uigesimoseptimo, Eleusium post synodum Constantinopolitanam, in qua eum Macedonianis pręfuisse Socrates et Sozomenus scripserunt, cum alijs, ut Eustathio, Basilio, Syluano, pro homousij uoce apud Imperatorẽ Constantiũ, acriter dimicasse tradidit: atq; adeò etiam, ut cum Imperator expulsionem & exilium cõminaretur, Eleusius responderit, Esse quidé penes Imperatorem, quid supplicij in pietatem seu impietatem statuere uelit: nunquá autem se facturos, ut à doctrina paterna desciant. Hoc rursus de Eleusio Socrates habet libro quarto, capite sexto. Valens post uictum felici pugna Procopium Constantinopolitanum tyrannum, Nicomediam uenit, ubi iratus Synodo quę paulo antè Lampsaci fuerat, & Arianos deposuerat, Eleusium Cyzicenum ad se uocat, coacto prius conuentu Arianorum quorundam. In quo placidè Eleusium hortatur primùm, ut in Arianam fidem consentiat. Negat ibi tum Eleusius, licere sibi hoc per religionem facere. At ubi minis exilij & publicationis bonorum fremere Imperatorem uidet, perterrefactus, Ariano dogmati consentit. At post consensum pœnitentia statim ductus, Cyzicumq; reuersus, coram omni populo uim sibi factã conqueritur, seq; coactum & nolentem doctrinam suam abnegasse. Hortatur simul, ut alium sibi episcopum quærant Cyziceni. Hinc igitur paulo pòst euenisse idem addit, ut ab Arianis mandato Imperatoris Cyzico Eleusius expulsus, atq; in eius locũ Eunomius surrogatus sit.

Sozomenus etiam lib. 4, cap. uigesimoquarto narrat, Eleusium ab Eudoxio & Acacio depositum esse, in confirmatione synodi Ariminensis, post Seleucianam: non ob fidẽ, sed alias aliquot causas, quas ibi commemorat. At lib. 5, cap. decimoquinto, idem scribit, expulsum eum esse à Iuliano: ideo quòd delubra prophanorum deorũ contumelia affecisset, & uastasset.

SOPHRONIVS.

EPiscopus fuit Pompeiopoli Paphlagonię, hæresim Macedonianam apertè præse ferens, cum Eleusio & Eustathio coniunctus, qui post Constantium, sub Iuliano Macedonianos se dici liberè patiebantur. Sozomenus libro quinto, cap. decimoquarto. Idẽ sub Iouiniano, cum Basilio Ancyrano & Syluano Tarsensi homiusion pro homousio approbat, & Anomianos damnat. Socrates lib. 3, cap. uigesimoquinto: Sozomenus libro 6, capite quarto.

EVSTATHIVS.

EPiscopus Sebastiæ in Armenia fuit: qui patrem habuit Eulalium, episcopum Cæsareæ Capadocię, Socrate autore libro secundo, cap. quadragesimotertio. Dictus est unà cum Macedonio pneumatomachus. Cum enim Macedonius spiritũ sanctũ in diuinitate Triadis comprehendere detrectaret, consensione Eustathij: Et spiritum, inquit, sanctũ neq; ego dicere uolo, quamuis nec creaturã uocare

uocare ausim. Socrates libro secundo, capite quadragesimoquinto. Ingenio fuit admirabili, & ad persuadendũ apto, faciliq;: quãuis ad dicendũ neq; instructus à natura esset, neq; eam artem exercuisset. Sed quantũ persuadendi artificio ualuerit, hæc sequentia testantur. Autor enim Armenijs, Paphlagonibus, ijsq; qui ad Pontum habitant, fuit monasticæ conuersationis. Ac de uita diligenter instituenda, de cibis quibus uel utendum, uel abstinendum esset, de uestitu, de moribus & exacta conuersatione præcepisse dicitur: adeò ut nonnulli Asceticum Basilij Cappadocis libellum, eiusmodi de uita electitia, moribus, uestitu, atq; his similibus prẽcepta proponentem, ab hoc scriptum esse affirmẽt. Cum autem nimium Eustathius circa illas res occuparetur, euenit ei, ut in superstitiosas multas & absurdas & alienas à legibus Ecclesiasticis obseruationes exorbitarit. Nuptias enim etiã damnauit: & in ædibus eorum qui honestè etiã matrimonio coniuncti uiuerent, preces dicere detrectauit. Sed & presbyteros cõiuges tanquam pollutos præ se cõtempsit. Dominicis diebus ieiunauit, Ecclesiasticos cœtus in domibus ubicunq; uellet coegit: ac concessit, ut qui Ecclesias auersarentur, domi communicarent. Diuites in uniuersum à regno Dei exclusos esse pronunciauit. Carnibus uescentes dãnauit, uestitum proprium mutauit: cumq; habitu philosophico ipse uteretur, etiam sectatores suos peregrino cultu uti iussit. Nuptias etiam, ueluti Montanus, soluit. & effecit, ut maritos suos mulieres ultro relinquerent: postea autem, cum se continere minus possent, in adulterij & fornicationis peccatum inciderent. Quin & hoc mulierib. quibusdam prætextu religionis persuasit, ut capita tonderent, ac more uirorum uestitæ incederent. Quorum omnium gratia, Synodus uicinorum episcoporum Gangris metropoli Paphlagonum congregata, Eustathium deposuit, & dogma atq; obseruationes suas anathemate damnauit. Cum quidem & pater ipsius episcopus Cæsariensis, antea eum deposuisset, quòd contra leges Ecclesiasticas stolam indecentẽ gestasset. Sunt tamen qui non Eustathiũ ipsum, sed discipulos suos, tales obseruationes tradidisse affirmant. Socrates libro secundo, capite quadragesimotertio: Sozomenus libro tertio, capite decimoquarto. Reiectum etiam in Synodo Sardicensi Eustathiũ Athanasius scribit, oratione prima contra Arianos. Coniunxit tamen unà cum Macedonianis cæteris, sese Eustathius Homousianis: à quibus ex Synodo Lampsacena & Smyrnensi legatus ad Liberium Romanum episcopũ, cum literis fidem Nicænam profitentibus, cum Theophilo & Syluano missus est. Socrates libro quarto, capite undecimo & duodecimo. Meminit istorum, aliorumq; quę ad uitam Eustathij huius pertinent, Basilius in epistola septuagesimaquarta ad Occidentales, ex qua breuem narrationem perspicuitatis gratia huc adscribimus: Est unus, inquit, ex illis qui plurimum excitant turbarum, Eustathius ex Sebastia minoris Armeniæ. Hic olim institutus ab Ario, cum is Alexandriæ florens, impias aduersus unigenitum Dei blasphemias strueret, sectator illius & inter selectissimos discipulos connumeratus fuit. Posteaquàm uerò ad suos reuersus, à beatissimo Hermogene Cæsariæ episcopo, propter impiam opinionem condemnaretur, confessionem illi obtulit sanæ fidei, atq; ita manus impositionem ab eo obtinuit. Vbi uerò dormitionem accepit Hermogenes, mox ad Eusebium Constantinopolitanum se contulit, qui & ipse nihilo minus impium Arij dogma tuetur. Inde pòst quibusdam de causis pulsus, ad patriam sese recepit, illiq; denuò erroris purgationẽ obtulit: sed ita, ut celata & obtecta mentis impietate, quandam exhiberet uerborum rectitudinem. mox uerò ubi utcunq; adeptus esset episcopatum, anathematismum cõtrà homousion in Synodo Ancyræ habita scripsisse deprehenditur. Ex illa ad Seleuciam profectus, cum illis quos eiusdem habet opinionis ea gesit, quæ omnes norunt. Constantinopoli uerò iterum ad ea quæ ab hæreticis proposita sunt, consensit. Atq; ita episcopatu eiectus, propterea quòd iam in Meletina Synodo depositus esset, uiam sibi ipsi per quam restitueretur excogitauit, eam uidelicet, ut ad uos proficisceretur. Quæ uerò sint illi à beatissimo episcopo Liberio proposita, & ad quæ cõsenserit, nobis clam est: nisi quòd epistolam tulit, per quam restitueretur. ea ubi Tyanę Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est. Iste itaq; iam fidem eam in quam receptus est, depopulatur, cumque illis facit qui homousion condemnant.

EVTROPIVS.

PResbyter Cõstantinopolitanus fuit, professione Macedonianus: ita tamen à Macedonianis separatus, ut proprios seorsim conuentus duceret. Socrates libro quinto, capite uigesimoquarto.

DE NOVATIANIS HAEreticis.

AGELIVS.

HOmousianorum fidem amplectebantur Nouatiani: sed ecclesias proprias, & episcopos per successionem habebant. Horum Cõstantinopoli episcopus fuit hic

Agelius, inde à Constantini Magni temporibus: homo superstitiose religiosus, sine pecunijs uiuens, nudis pedibus & simplici tunica uestitus incedens. His enim rebus absolui uitam Apostolicam arbitrabatur. Socrates libro quarto, capite nono: Sozomenus libro sexto, capite nono: Suidas. Ac sic quidem uiuens admirationi multis erat: cum alioqui indoctior esset, & ad dicendum aut disputandum de dogmate imparatus. Quare cum explicandum aliquid sibi apud alios esset, aut conferendum, ad manum habebat Lectorem eruditum & exercitatum Sisinium, de quo postea dicemus. Socrates libro quinto, capite decimo: Sozomenus libro septimo, capite duodecimo. Nisi quòd præcipua una uideretur fuisse commẽdatio, in professione scilicet sua, constantia. Sunt enim, qui & in persecutionibus sub Ethnicis confessorem fuisse adseuerent. Sozomenus libro eodem, capite decimoquarto.

Cum sub Constantio Ecclesias Constantinopolitanas crudeliter adfligeret Macedonius, ac Nouatianos præcipuè, quòd doctrinam Homousianam adprobabant, intolerabiliter exagitaret, fuga se tum Agelius subduxit. Socrates libro secundo, capite trigesimooctauo. At cum postea Valens, & Homousianos & Nouatianos Constantinopoli expelleret, Agelium exilio multauit. Sed paulo pòst placatus per Marcianũ, reditum ei ad Ecclesiam concesit, & conuentus liberè facere permisit. Socrates libro quarto, capite nono: Sozomenus libro sexto, capite nono.

Annis & ætate confectus tandem sub Theodosio, in morbum incidit. In locum igitur suum ordinat Sisinium Lectorem, & presbyterum Nouatianorum. Cum autem ordinationem eam molestè ferre populus uideretur, & Marcianum præferendum fuisse obstreperet, ideo quòd eius beneficio Nouatianorum Ecclesiæ sub Valente tranquillæ manserant: ordinat Agelius, populi offensam placare studens, & Marcianum. Cúmque paulo pòst ex morbo nonnihil conualuisset, ecclesiam ingreditur, illámque coràm ipse alloquitur, dicens: Marcianum quidem post me habebitis, post eum uerò Sisinium habetote. Ita domum reuersus, cum paululum superuixisset, mortuus est: cum annum Imperij sui sextum Theodosius ageret, ac non multo pòst nasceretur ei Honorius. Præfuerat autem ecclesiæ Nouatianorum Agelius annis quadraginta. Socrates libro quinto, capite duodecimo, & uigesimoprimo.

MARCIANVS.

SIc igitur Agelij in episcopatu successor Marcianus factus est, uir eruditione & moribus celebris, prudens, religiosus & eloquens: qui à Maximo philosopho uinà cum Iuliano Imperatore in philosophicis disciplinis institutus quondam fuerat, postea uerò in curia Imperiali militauerat, & filias Valentis Imperatoris Anastasiam & Carosim grammaticam docuerat. Cuius rei gratia reuerenter eum Imperator Valens habuit: eius que autoritate motus, Agelium pulsum, uti diximus, reuocauit, & ecclesijs Nouatianorum tranquillitatem reddidit. Socrates libro quarto, capite nono: & libro quinto, capite duodecimo: Sozomenus libro sexto, capite nono. Mortuus est Marcianus post Theodosij mortem, cum in regnum Arcadius & Honorius paulo antè succesisset, eodem die quo Ruffinus præfectus occisus est, qui dies fuit uigesimusseptimus Nouembris. Socrates libro sexto, capite primo.

ACESIVS.

EPiscopus Nouacianorum Constantinopoli fuit Acesius, eo tempore quo Ecclesias perturbabat Arij insania. At quia gratia uitate morum & religione apud omnes laudatus erat Acesius, gratus etiam Imperatori fuit: qui & ad Synodum eum Nicænam accersiuit. In qua cum rebus necessarijs, ut uidebatur, transactis, fidei formula conscriberetur, ac subscriberetur, Imperator ad Acesium solum conuersus, quæsiuit eum, an sibi fidei forma & de Paschate celebrando canon constitutus probaretur? Respondit Acesius: Se nihil noui, quod sanxisset Synodus, intelligere. Eandem enim tum fidei formulam, tum Paschatis constitutionem ab Apostolorum ipsorum temporibus se percepisse. Rursus uerò Imperatori interroganti, Quare igitur se à consentientium secum in fide communione segregaret? referebat ille, quæ inter Cornelium olim & Nouatum sub Decio acciderant: ac de persecutione quædam, & canonis austeritate conseruanda urgebat, quòd nimirum communicatione diuinorum mysteriorum digni censeri non deberent, qui post baptisma peccatum mortale committissent. Sed ad pœnitentiam quidem admittendos esse, ita, ne remissionis spem à sacerdotibus, sed ab ipso Deo, qui & possit solus, & potestatem haberet peccata remittendi, expectare iuberentur. Ad hæc festiuè Imperator: Scalas ergo, inquit, ô Acesi, in cœlum pone, & solus ascende. Socrates libro primo, capite decimo: Sozomenus libro secundo, capite trigesimosecundo: Suidas.

DE LV-

DE LVCIFERIANIS.

LVCIFER.

EPiscopus fuit eruditione & autoritate clarus, Caralorum ciuitatis Sardiniæ: quem de fide orthodoxa rectè sensisse inde uidetur, quòd Athanasio familiaris fuit, et in Synodum eius Alexandriam, ex qua ad Antiochenses scripsit, diaconos suos misit Hereniū & Agapetum. Athanasius tomo duodecimo ad Antiochenses. Accersitus uerò ad concilium Mediolanense, sub Constantio, contra Athanasium subscribere noluit: testatus subscriptionem eam non Athanasij expellendi causa, sed fidei destruendæ gratia institutam esse. Quamobrem & cum alijs sic secum sentientibus, à concilio cum Imperatoris autoritate, in superiores Thebæorum partes relegatus est. Socrates libro tertio, capite quinto. Athanasius in Apologia ad Constantium, in apologia de fuga sua, & in epistola ad solitariam uitam agentes, ait: eum post liberrimam impietatis Constantij, & zelo feruidissimo plenam reprehensionem, cum Eusebio & Dionysio exilio mulctatum fuisse. Inde postea sub Iuliano reuersus, cum corruptum & infelicem Ecclesiæ statum inuenisset, commune cum Eusebio Vercellensi, quem exilij socium habuerat, consilium inijt, de emendando corrupto Ecclesiæ canone. Decernitur igitur, ut Antiochiam Syriæ ipse proficiscatur: Eusebius uerò Alexandriam ad Athanasium abeat, conuocandæ Synodi & confirmandorum Ecclesiasticorum dogmatum causa. Mittit eò cum Eusebio Lucifer diaconum suum, dans fidem, se omnia ista amplexurum, quæcunque in Synodo constituta fuissent. Sic Antiochiam Lucifer abit. Quò cum uenit, perturbatam Euzoij & Meletij disidijs hæreticis reperit Ecclesiam. Quibus malis mederi studens, Paulinum ibi uirum moribus & uita probatum, episcopum ordinauit. Paulo pòst, transacta synodo Alexandriæ, Antiochiam uenit etiam Eusebius: & Paulinum ibi episcopum ordinatum offendens, permolestè quidem tulit, ideo quòd se nihil facturum sine Synodi conscientia & consilio Lucifer abeunti ipsi promiserat. attamen nomini & reuerentiæ Luciferi parcens, tacitus abijt. Auxerat dolorem Eusebio, quòd Paulini ordinatio Ecclesiæ isti nihil profuisset, sed disidentem adhuc multitudinem repererat. Hic Lucifer animaduertens, ordinationem Paulini Eusebio non probari, quod contumeliæ sibi loco habebat, iratus ab Eusebio discessit: & quæcunque in synodo Alexandriæ decreta erant, irrita efficere conatus est. Quæ res seu schismati seu hæresi Luciferianæ occasionem dedit. Lucifer enim in Sardiniam postea redijt: atque ex eo tempore, qui se illi coniunxerunt, ab Ecclesia ipsi se segregarunt. De Luciferi hæresi dictum suprà est. Socrates libro eodem, capite sexto & nono: Theodoritus libro secundo, capite decimoquinto: Sozomenus lib. quinto, cap. duodecimo, & decimotertio. Mortuus est sub Valētiniano & Valente, ut in Chronicis suis Hieronymꝰ annotauit, anno salutis CCCLXXIIII.

DE MARCELLIANIS *hæreticis.*

MARCELLVS.

EPiscopus fuit Marcellus Ancyræ minoris Galatiæ, quemadmodum suprà dictum est. Rectè eum initio ac syncerè de religione Christiana sensisse, testimonio ei est epistola synodi Sardicēsis, quæ pulsum eum ab Arianis, Ecclesiæ suæ reddidit. apud Athanasium apologia secunda: & in epistola sua Iulius Romanus episcopus ad Eusebium, Narcissum, Marium, & Macedonium, ubi fidem Marcelli & confessionem in synodo Nicæna spectatam fuisse affirmat, & Arianis eum contradixisse. Hæc enim de Marcello Iulij uerba sunt: Cum à uobis postularetur, ut de fide diceret Marcellus, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet, eum nihil à ueritate alienum profiteri: sed eadem cum pietate, qua Ecclesia, de Domino ac saluatore nostro sentire. neque iam tantummodo, sed olim etiam huius sententiæ fuisse se cōfirmabat: uti & nostri presbyteri, qui tum in concilio Nicęno aderant, de ipsius recta fide contestabantur. Nam & eum tunc quoque in sententijs dicendis dimicasse cum Ariana hæresi, testes fuēre. De uiro igitur quem reiectæ opinionis & syncerę religionis esse testimonijs approbatū est, quid quæso uos facere oportuit?

De hæresi eius, & qua occasione in eam lapsus fuerit, nimis arguta scilicet & contentiosa contra Asterium Arianum disputatione, suprà diximus. Theodoretus libro secundo Inconfusi, affirmat eum cum Artemone, Sabellio & Samosateno contra diuinitatem Christi sensisse. Idem Athanasius in oratione, unum esse Christum. Et ob eum errorem quo initium filio Dei à natiuitate ex Maria tribuerit, quem scripto etiam prodidit, à synodo Constantinopolitana, Ecclesia sua priuatus est, substituto in eius locum Basilio. Quanquam non defuerunt, qui inquirendi & disputandi eum studio magis, quàm ex professo ita adseuerandi, de Christo scripsisse prodiderunt. Quamobrem & à synodo postea Sardicēsi Ecclesiam suam recepit, cum probabilibus rationibus ostendisset, se ad eum modum non sensisse. Viden

tur autem ad eiectionem eius non parum Eusebiani feciſſe, quorum in eum maximum fuit odium, ideo quòd decretis eorum nec in Phœniciana, nec Hieroſolymitana ſynodis, in quibus Arij cauſam tum egerant, conſenſiſſet: nec dedicationi magni templi Hieroſolymis interfuiſſet, propterea quòd communionem eorum auerſaretur. Quam rem contumelioſam ipſi etiam Imperatori Conſtantino fuiſſe, literis calumnioſis ad eum miſsis, Imperatori indicarunt.

DE PHOTINO.

MArcello præceptore uſus Photinus, è minori Galatia ortus, impiam & ipſe de Chriſto, nudo homine, hæreſin diuulgauit, ſeu Ebionem ſeu Sabellium ſecutus. Profiteri autem dogma hoc nouum cœpit ſub Conſtantio, cum epiſcopatum Syrmienſem adminiſtraret. Socrates libro ſecundo, capite octauo: & libro ſeptimo, capite trigeſimoſecundo: Sozomenus lib. quarto, capite ſexto: Theodoretus lib. quinto, cap. undecimo.

Fuit autem Photinus græcis & latinis literis iuxtà eruditus: nam & græca & latina lingua libros ſuos ſcripſit. Ad quam laudem, etiam hæc ingenij ſui beneficia acceſſerunt, facundia ſcilicet expedita, & in perſuadendo ingens uis, qua in opinionem ſuam non paucos pertraxit. Sozomenus ibidem. Quæ omnia ingenij bona, ut Hieronymus ait, uno ſuperbiæ malo perdidit.

Scripſiſſe eum multa, in Catalogo ſuo Hieronymus indicauit: è quibus præcipua dixit fuiſſe uolumina aduerſus gentes, & ad Valentinianum. Socrates etiam libro ſecundo, capite trigeſimo, contra omnes eũ hæreſes ſcripſiſſe tradidit: ſed in hoc ſolum, ut dogma ſuum confirmaret. Quod etiam poſt depoſitionem ab epiſcopis in ſynodo Syrmienſi, defendere pertinaciter non deſtitit. In diſputatione enim à Baſilio Ancyrano uictus, cum etiam poſt damnationem ab epiſcopis humaniter admoneretur, ut dogma ſuum abijceret, illisq; conſentiret, tamen non paruit. Hieronymus eum à Valentiniano tandem expulſum, in Catalogo ſcripſit: fortaſſe hoc ſignificans, quod Gratianus cum Valentiniano iuniore imperium conſecutus, Photinianos ex Eccleſia expulit. Socrates libro quinto, capite ſecundo. Mortuum Photinum in Gallia ſub Valentiniani & Valentis imperio, circa annum Domini trecenteſimum octogeſimum, Hieronymus in Catalogo annotauit.

DE APOLINARISTIS.

APOLINARIVS.

HIeronymus in Catalogo ſuo, Apolinarium filium presbyteri cuiuſdã, eiuſdem nominis, quod & ſuprà retulimus, fuiſſe tradidit. Eum ſe uerò audijſſe docentem Antiochiæ, & coluiſſe, in epiſtola ad Pammachium & Oceanum teſtatur. Nam & Antiochiæ fuiſſe Apolinarium, priuſquam Laodiceno epiſcopatu potitus eſt, Theodoretus indicauit libro quinto, capite quarto. Grammaticis diſciplinis in adoleſcentia operam dedit, ac poëſi maximè. Poſtea uerò ad ſacrarum literarum ſtudia animum adiecit, in quibus explicãdis innumerabiles libros, ut Hieronymus ait, compoſuit. Sed cum fieri non potuerit, quin in tanta copia ſcriptorum multum ac ſæpe errarit, in hæreticas opiniones abſurdas multas incidit, dum ſententias quaſdam à uirtute diuinæ ſcripturę ad humanas fabulas detorſit: quemadmodum illa ſunt, quæ de reſurrectione mortuorum, & carne Chriſti ineptè luſit. Hieronymus eum uigintiquinque probatiſsimis libris Porphyrium confutaſſe ſcribit, in epiſtola ad Magnum oratorem Romanum: quorum etiam in epiſtola ad Pammachium meminit, & egregia uocat uolumina. Item in apologia pro libris aduerſus Iouinianum, ubi & contra Celſum eum ſcripſiſſe indicat. Et in proœmio commentariorum in Oſeam, affirmat ſe legiſſe commentarios Apolinarij in Prophetas, ac dicit nimis eum breuem fuiſſe in interpretando, adeò ut parum eius explicationibus adiuuari lector poſsit.

Legem tulerat Iulianus, quemadmodum dictum alibi eſt, ne in Græcorum literis Chriſtianorum pueri inſtituerentur. Tum uerò Apolinarius hiſtorias antiquas ſacrarum literarum ad Homericum quendã modum uerſibus expoſuit, ad Saulis uſque tempora: Euangelia uerò & Apoſtolica dogmata ad dialogorum formam, ad exemplum Platonis redegit. Quæ res & legem Imperatoris inclementem irritam fecit, & Eccleſiæ plurimùm profuit, cum reiectis Ethnicorum ſcriptis, ſacra hæc pueris diſcentibus proponerentur. Socrates libro tertio, capite decimoſexto: & Sozomenus lib. quinto, capite decimooctauo.

Theodoretus libro quinto, capite tertio, Apolinarij hæreſin ſub Valentinianum collocat: quam prodidiſſe eum occaſione adempti præſulatus narrat, cum quidé Apoſtolica dogmata rectè tueri Apolinarium plerique crederent. Depoſitus enim à Damaſo eſt ob nouitatem dogmatis de carne & anima ſaluatoris, quam reiectus ab epiſcopatu, palàm confidenter profiteri, ducemq; ſe ſuæ ſectæ, eorum qui Apolinariſtæ ab eo poſtea nominati ſunt, conſtituere cœpit. Obijſſe eum ſub Theodoſio, Hieronymus ſcripſit in Catalogo.

VITA-

VITALIVS, SEV *Vitalis.*

DE his suprà in capite de Doctorib. quædam diximus. Theodoretus Vitalem, Sozomenus Vitalium nominat, presbyterum quendam Antiochenum, ordinatum ab Apollinario Antiochię, priusquã se Laodicæam contulisset. Apollinarij enim sectator Vitalius factus erat, cum studio Apostolicorum dogmatum, honestate uitæ, & in officio sedulitate apud omnes clarus & uenerandus fuisset. Causam accedendi ad Apollinarij hæresin hanc habuisse dicitur, admodum puerilem & ineptam. Presbyteri munus administrarat olim cum Fabiano, qui episcopus Antiochię postea creatus est. Is Vitalium pro more episcopum quendam inuisere cupientem, facere id prohibuerat. Quod sui contemptum & ignominiam Vitalius interpretatus, Fabianum offensus reliquit, & ad Apollinarium defecit. Cumque in magna autoritate apud Antiochenos prius sub Meletio fuisset, bona plebis pars reuerentia erga eum ducta, hæresim sibi suam à se persuaderi passa est. Vnde & Vitaliani ab Antiochenis, qui ad Vitalij communionem accessissent, nominati sunt. Sozomenus libro sexto, capite uigesimoquinto: Theodoretus libro quinto, capite quarto.

TIMOTHEVS.

APolinarij sectator etiã Timotheus fuit, quem in epistola sua ad synodum Constantinopolitanã Damasus Romanus prophanum dixit, atque hac formula exautorauit: Scitote prophanũ illum Timotheũ, discipulum Apolinaris hæretici, unà cum impio dogmate, iamdudum à nobis exautoratum, neque nos credere reliquias doctrinæ illius de cætero uspiã ualituras esse. Theodoretus libro quinto, capite nono.

DE AETIANIS HAEreticis.

AETIVS SYRVS *Aëtius.*

AEtius patriam habuit, ut Suidas ait, Antiochiam Cœlosyriæ. Huius pater homo militaris Gregorius, cum in militia aduersis rebus conflictatus tandem interijsset, bona eius, qui tum rerum potiebatur, princeps publicauit. Quare unà cum matre Aëtius ad extremam redactus pauperiem, ad aurificum artem discendam, admodum adhuc puer, se contulit: ut quocunque posset modo, sibi uictum pararet. Ea arte ubi satis est usus, cum natura ad studium & artes illustriores duceretur, ad dicendi disciplinam est conuersus: seque adiunxit Paulino, qui è Tyro Antiochiam pridem uenerat, quem uiuente etiam adhuc Constantino audiuit. Mortua matre, cuius gratia aurum conformanti arti operam nauauerat, totus statim in dicendi studium incubuit: breuique certamen subiens, multos disputando uicit. Postquam autem Eulalius, qui tertius & uigesimus episcopus Antiochiæ à temporibus Apostolorum fuisse traditur, post defunctum Paulinum in Antiochenam sedem est collocatus, Aëtius ingenij beneficio tantum profecerat, ut acrimonia in disputando, & oratione exquisita iam uti posset. Cumq; nulli cederet, multos etiam in disputationib. pro arbitrio exagitaret, ferri diutius ibi non potuit: cum multi dignitate & autoritate præstantes uiri, ab adolescente aurificum adhuc officinam redolente, se uexari dolerent. Multitudo igitur ingens, motu aduersus Aëtium concitato, urbe eum expulit. Quo tempore relicta Antiochia, Anabarzum concessit, atque ibi artem rursus suam ita parandi uictus gratia exercuit, ut non prorsus dicendi certamen omitteret. Accidit tum, ut sophistæ cuidam Aëtij ingenium admirato, artem suam cum eo communicandam uideretur. Ibi igitur Aëtius in sophistæ domum receptus, homini inseruiens, omne (ut fieri solet) famuli ministerium præstitit. Sophista grammaticam & logicen ei tradidit. Ipse uerò cum herum ob minus rectam de diuinis oraculis opinionem argueret, mercedem bene de se meritæ domus, abdicationem tulit. Atque inde eiectus, cum Athanasio Anazarbi antistite uixit, apud quem Euangelistas exactè excutiens legit. Deinde Tarsum, ad Antonium Luciano martyri notum uenit: à quo Apostolum discens, satis diu cum eo, cum adhuc in presbyterorũ ordine Antonius esset, mansit. Cum autem in episcopum Antonius lectus esset, neque iam doctrinæ qua Aëtium erudiebat uacare posset, ille Antiochiam est reuersus. Et ibi cum à Leontio adhuc presbytero prophetas, atque in primis Ezechielem doceretur, propter linguæ intemperantiam, & sententiæ impietatẽ, inde rursus est expulsus. Itaque sophisticam exercens, & certamine cum eis qui clari eo studio erant congrediens, loca multa circumijt. Postea uerò & medicam artem accuratè didicit, Sopole in ea disciplina magistro tum claro usus. Qua percepta, pauperes gratuitò curarauit. Quod si aliquando egeret, noctu ad quempiam artis suæ peritum, ne interdiu à studijs potioribus abduceretur, adibat, & aurum quod accuratiore arte elaborandum esset, petebat: atq; opere celeriter perfecto, & à cõductore operæ suæ mercede accepta, uitam sustentauit. Socrates & Suidas, eum sic oberrantem etiam Alexandriam uenisse

scripserunt, cum iam dogma Arianum prædicare cœpisset: sed paululum ibi moratum post Aristotelicarũ doctrinarum, quarum magistros ibi audiuerat, cognitionem, Antiochiam redijsse: ubi Leontio ad episcopatum Antiochenum euecto, Aëtius ab eo diaconus designatus, & ad munus in Ecclesia docendi delectus est. Variat ab hac narratione Nicephorus, qui lib. 9, cap. 17, eum Alexandriam uenisse scripsit, posteaquam aliquandiu docendi munus in Ecclesia sustinuisset. Cũ uerò Imperatori Gallo, qui ex Constãtio, fratre Constantini Magni (quẽ admodum Lætus tradidit) natus, à Constãtio Cęsar appellatus, sed per insidias postea interfectus est, Antiochiæ occasione artis medicæ, ut Sozomenus refert, innotuisset, Gallus uerò religionis Christianæ studiosos maximi faceret, Aetius, quò gratiorem se Imperatori probaret, in disputationibus etiam de rebus sacris & Ecclesiasticis se exercuit. Quomodo autem Categorijs Aristotelis deceptus, in Arianismum lapsus sit, suprà diximus.

Diaconus igitur à Leontio ordinatus, cõtentiosis disputationib. de Deo, ut erat petulans & audax naturâ, studuit adeò, ut illis etiam qui suæ partis essent, cum intricatos Syllogismos eius intelligere nõ posset, infestus fieret, & heterodoxus haberetur: ut Socrates indicat libro secundo, cap. trigesimoquinto. Georgius certè Laodicęnus Arianus in epistola quadam ad Basiliũ Ancyranum, Aëtium execrandum & hæreticum nominat: apud Sozomenũ lib. 4, cap. 13. Eandemq; ob causam, & quòd multarũ perturbationũ, dissidiorũ & seditionum in Ecclesia autor fuisset, ab Acacianis, seu Eusebianis, ut Athanasius scribit de synodis, ejectus est. Sozom. lib. eodem, capite uigesimoquarto. Condemnatus deinde, & in exilium actus est à synodo Constantinopolitana, autoritate Constantij Imperatoris, tum ob hæresim, tum quòd propter amicitiam cum Gallo Imperatori suspectus esset. Extat ea de abdicatione Synodi eius epistola apud Theodoretũ lib. 2, cap. 28. Reuocatus autem tandem à Iuliano est, placidissimis literis, et iumentis ad reditũ necessarijs missis, ideo quòd Galli fratris sui amicitiã coluisset, eamq; ob rem à Cõstantio pulsus fuisset. Sozomenus libro quinto: Epiphanius lib. 3. tomo primo, hæresi 76.

EVDOXIVS.

SIc quidem is appellatus fuit, qui præstare ex sese nihil minꝰ potuit, quàm de religione bene sentire: homo alioqui Sybaritico luxu dissolutus, ut Theodoretus ait libro 2, capite uigesimoseptimo. Episcopus primùm fuit eloquẽs, & celebris Germanicię, quę urbs in finib. Cilicũ, Syrorũ & Cappadocũ sita fuit. Cum autẽ sectator esset aulæ Imperatoris, & uacare audisset, Leontio mortuo, episcopatũ Antiochenũ, per cubicularios Imperatoris intercessores impetrat, ut in Syriã ei proficisci liceat, simulans eã regionẽ cõsolatione et custodia egere: cũ & alioqui pro more & ingenio haberet, dominandi libidine functiones ex alijs ciuitatibus in alias inuadere: quemadmodũde eo Constantius ipse scripsit apud Sozomenũ lib. 4, cap. 13. Facile igitur hoc ab Imperatore impetrat: cumq; celeriter peruenisset, uacantem episcopatũ Antiochenũ, uelut aper exagitatus inuasit, nihil moratꝰ iudiciũ celebriorũ in Syria episcoporũ, quales tũ fuêre Georgius Laodicenꝰ & Marcus Arethusius, ad quos electio pertinebat. Atq; Imperatoris quidẽ uoluntate & sententia, eorũque qui in aula potiores erãt, Eudoxiũ, tantum sibi iuris & potestatis sumsisse putabatur: sed à se talem episcopũ non missum esse, Imperator ipse ad Antiochenos scripsit. Sozom. lib. 4, cap. 12, & 13: Theodoretus libro 2, cap. uigesimoquinto, uigesimosexto, & uigesimoseptimo.

Sic igitur tyrannico modo episcopus exsese ipso factus, non ut Leontius improbitatem insitam occulebat, sed rabie manifesta in Apostolica dogmata ferebatur: omnis generis calamitatibus eos afficiens, qui cõtradicere sibi ausi fuissent. Theodoretus & Sozomenus ibidem.

Ac pœnas mox quidem per tyrannidem occupati episcopatus daturus fuerat, sicut Imperator minatus ei fuerat, nisi conuentũ episcoporum Nicææ in Bithynia indictũ, terræmotus intercepisset. Theodoretus libro secundo, capite uigesimosexto. Cum autem postea Imperatorem ipse impulisset (quod & Athanasius de synodo Ariminẽsi & Seleuciana indicat) ut synodũ Seleucianam cogeret, in ea pœnas blasphemiæ ac perfidiæ suas dedit. In ea enim, à Basilio Ancyrano, Eustathio Sebastiæ Armeniæ, Syluano Tarsense & Eleusio Cyziceno episcopis accusatus, cum quidem impudenter proprium dogma, quod cum Aëtio commune habuit, coram Imperatore pernegasset, depositus est. Theodoretus libro secundo, capite uigesimoseptimo: Sozomenus libro quarto, capite uigesimosecundo: Athanasius de synodo Ariminensi & Seleuciana.

Tum igitur cõsueta tyrannide in episcopatum Constantinopolitanũ, in quo pridẽ mortuus Macedonius fuerat, insilijt, usus ad hoc opera Acacij & sectatorum eius. In eo quasi prudentius suæ fortunæ consultu-
rus, cùm iã cũ periculo suo didicisset, odisse Impera-

Imperatorē eos, qui de filio ut creatura blasphemè docerent: Eunomium, qui tum inter duces sectæ Arianorū haberi cœperat, & cui unà se Eudoxius copulauerat, clam monuit, ut quam secum foueret sententiā, celaret: Poterimus enim, inquit Eudoxius, per occasionem promulgare aliquādo quæ nunc tegimus. Theodoretus lib. 2, cap. 29. Ac coniuncto quidem studio cum Acacio, omnē mouebat lapidem, ut omnia de quibus Synodus celeberrima Nicæna statuisset, irrita efficeret. Sozomenus lib. 4, capite uigesimosexto. adiumento ad id eo utens, quòd in nonnulla apud Imperatorem Valentem, quem in fidem Arianam baptizaue rat, positus erat gratia, ac plurimùm quidē ualebat. Hinc & synodū apud Tarsum Ciliciæ ab Homousianis pro cōfirmanda fide Nicęna institutam impediuit, eaq; irritatus maioribus malis Homousianos affecit: à quorum persecutione, ne prodigijs quidē auocari se sinebat. Socrates libro quarto, capite decimo, & duodecimo.

Mortuus est Constantinopoli, Valentiniano & Valente tertiò consulibus, posteaquam ecclesiam Constātinopolitanam rexisset, seu potius euertisset, per annos decē & nouem, iuxta Socratem lib. 4, capite 14: undecim uerò, secundum Sozomenum libro sexto, capite decimotertio.

EVNOMIVS.

CApadox fuit Eunomius, ortus ex uico quodam cui nomen Dacora fuit: ut Sozomenus indicat libro septimo, capite decimoseptimo. Venit ex Capadocia Antiochiam, quo tempore sapientis existimatione celebris esset Aetius: ubi à Secundo Pentapolite Ariano commendatus, in amicitiā ab Aetio susceptus, ab eoq; in sacris literis institutus est. Nicephorus lib. 9, capite decimoseptimo. Cuius etiam notarium fuisse Socrates lib. secundo, cap. trigesimoquinto, & Suidas scripserunt. Cum autem in synodo Constantinopolitana Aetius abdicaretur, ipse episcopalem dignitatem ibidem consecutus est. Et pulso apud Cyzicū Eleusio, Ecclesiam eam regendam accepit, sub Valente, ut Suidas refert. Theodoretus libro secundo, capite uigesimoseptimo, & uigesimonono: Sozomenus libro quarto, capite uigesimoquinto.

Ineptum eius laudatorem citat Nicephorus lib. duodecimo, capite uigesimonono, Philostorgium, ex quo hanc de Eunomio narrationem describit: Eunomium plurimùm, inquit, ut diuinum hominem, admiratur ecclesiasticus scriptor Philostorgius. Prudentiam enim & uirtutem eius incomparabilem fuisse, apertè nugatur: & oris formam & corporis partes decētissimas, cum multa uenustate deprædicat, atq; ex ore ēius orationem fluentem margaritis compa rat. Quamuis in laudem eius progressus, balbum fuisse confitetur. Quod uitium tamen in eo ita exornat, ut suauē ei eloquentiam tribuat. Quin & uitiliginem, quæ faciem illius quasi notis quibusdā deformauerat, ornamentum quoddam ori illius attulisse confirmat. Omnes autem alios eius libros diuinis laudibus efferens, præ cæteris excellere epistolas eius dicit.

Præditum eum disputādi facultate fuisse, Sozomenus tradidit lib. 7, cap. sexto. Sed Suidas uerbosum eum magis, & sophisticis nugamentis ex se fingendis deditum fuisse affirmat: per quæ in blasphemias sæpe inciderit, cum contraria dogmatis ueritatis, Arium imitatus, effunderet, exiguam habēs sacrarum scripturarum cognitionem & intelligentiā, ut in quarū lectione non multū uersatus fuisset. Quāobrē & eius rei, de qua disputare sibi proposuisset, scopū haud ferè unquā assecutū esse: adeò ut & in magna illa sermonis copia, perquàm tenues & leues sententiæ fluctuarint. Scripsisse eum septem tomos in epistolā ad Romanos, idem autor est: plurimis quidem in eam uerbis absumptis, sed quibus tamen ab Epistolæ scopo procul aberrarit. Hæc Suidas.

Hæresim quidem suam & impietatem, quemadmodum dictum est, Eudoxij consilio, cui se Aetio relicto adiunxit, aliquantisper celauit, postea uerò manifestè prodidit. Quamobrem & Cyzico, postulante ita Imperatore Constātio, ab Eudoxio inuito, fugere iussus est. Cessit igitur Cyzico, Eudoxio succēsens, quasi cuius opera pelleretur. Atq; ab eo tempore separatos cœtus habuit in ædibus priuatis Chalcedoni, ubi libros suos publicauit & ostendit, multosq; peruersis suis doctrinis corrupit. Quod nō ferēs Imperator Theodosius, cum alioqui neminem heterodoxorū persequeretur, in exilium hunc Eunomium deportari iussit. Theodoretus lib. 2, cap. 24: Socrates lib. 5, cap. 20: Sozomenus lib. 7, cap. 6. Narrat Nicephorus libro duodecimo, cap. uigesimonono, Imperatorem certos homines Chalcedonem misisse, qui Eunomium caperēt. Captū igitur, Halmyridem Mysiæ ad Istrū deportari mandasse. Ex quo loco tamen in patriam suam Cæsaream Capadociæ translatus sit: ubi cum mirificum in eum hominum odium fuisset, quòd libros contra Basilium eius loci episcopum composuisset, in agros suos apud Dacoram Cæsareæ recipere se coactum esse. Vbi cum priuatus aliquādiu uixisset, mortuus tandem sit, & sepulturam consecutus. Idem Sozomenus libro septimo, capite decimooctauo.

VRANIVS.

MEminit Vranij Sozomenus solus, & ex eo Nicephorus. Fuisse eum episcopum Tyri indicat, qui in conuentu Antiochiæ, quem Eudoxius post inuasum Leontio defuncto episcopatum Antiochenum conuocauit: ibiq; palàm utranq; & Homiusij & Homousij uocem reprobauit, patri filium dissimilem esse dicens: & Occidentalium episcoporum autoritatem allegans, qui ita decreuissent: Osium significans, qui Syrmij ad euertendam Valentis, Vrsacij & Germanij opinionem, Homiusij & Homousij uoces non usurpari concesserat, quòd utraq; uox ignota esset scripturis: & essentiam Dei inuestigare, humanæ mentis excederet captum. Sozomenus lib. 4, cap. 12. Depositus est in synodo Seleuciæ, cui interfuit. Idem libro eodem, capite uigesimosecundo.

THEOPHILVS.

EVm epistola episcoporum Ægypti apud Athanasium, Narcisso & Patrophilo accenset, quos immani furore & studio impię doctrinæ Arianæ aduersus omnes episcopos orthodoxos conspirare indicat. Adnumerat Theophilum Castabalensem episcopum Macedonianis, Socrates lib. 3, cap. 25: Quem Macedoniani, cum Eudoxius fultus præsidio Valentis, omnes à se dissentientes grauiter persequeretur, ad Liberiũ episcopum Romanũ cum alijs misertt, cum mandatis & significatione, Macedonianos pœnitẽtiam egisse, ab Anomianis defeciſſe, & Homousianorũ fidem deinceps amplexuros. Socrates libro 4, cap. 11. Nicephorus etiam Theophilum Indum Adiabenẽsem, Ariano dogmati plurimùm addictum fuisse, indicat lib. nono, cap. decimooctauo.

ASPHALIVS.

PResbyter fuit Ecclesię Antiochenę, Aëtianæ hæresi uehemẽter deditus: quem in cõuentu episcoporum Ancyræ, quos ad templi consecrationem Basilius euocauerat, apud Constantium Aëtius legatum habuit. Sozomenus libro quarto, capite decimotertio.

DE AERIO.

DE Aerio, ueluti diximus, perpauca tradita sunt. Epiphanius libri tertij tomo primo, hęresi septuagesimaquinta, condiscipulũ eum fuisse scripsit Eustathij. Cum aũt episcopatus uterq; auidi fuissent, euenisse, ut eò Eustathius prior potiretur, Aerius autem ad eum nõ ueniret. Orta igitur inter eos æmulatio est. quam ut è medio Eustathius tolleret, Aerio blanditus, presbyterum eum constituit, & gubernationẽ Prototrophei cuiusdam in Ponto ei commisit. Sed quam nihili Aerius faciens, æmulationem conceptam aluit, & nec precibus nec blãditijs, nec minis Eustathij pacari se passus est. Tantum de Aerio Epiphanius.

DE PRISCILLIANISTIS.

PRISCILLIANVS.

GNosticorum hæresis, quam Marcus quidam Memphis ex Ægypto profectus, in Hispanias intulerat, hoc tempore, circa annum scilicet Domini (ut Sigisbertus annotauit) trecentesimum octuagesimumsextum: iuxta Chronicon uerò Hieronymi, trecentesimum octuagesimumtertium, sub Gratiano & Valentiniano Imperatoribus, in ijsdem regionibus Priscillianus propagauit: institutus ab Agape nobili muliere, & Helpidio rhetore, qui Marci illius auditores fuerant. Cæterùm Priscillianus de familia nobili ortùs fuit, opibus diues, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, differendi ac disputandi promptissimus. Felix profectò, si non prauo studio corrupisset optimum ingenium. Prorsus enim multa in eo animi & corporis bona uisebantur. Vigilare multum, famem ac sitim ferre poterat: habendi minimè cupidus, utendi parcissimus. Sed idem uanissimus, & plus iusto inflatior prophanarum rerum scientia. Quin & magicas artes ab adolescentia eum exercuisse creditum est. Is ubi doctrinam exitiabilem aggressus est: multos nobilium, pluresq; populares, autoritate persuadendi, & arte blandiendi alli cuit in societatem. Ad hæc mulieres nouarum rerum cupidæ, fide fluxa, & ad omnia curioso ingenio, cateruatim ad eum confluebant. Quippe humilitatis speciem ore & habitu prætendens, honorem sui & reuerentiam cunctis iniecerat. Iamq; paulatim perfidiæ istius tabes, pleraq; Hispanię peruaserat. Quin & nonnulli episcoporum deprauati, inter quos Instantius & Saluianus, Priscillianum non solum consensione, sed sub quadam etiam coniuratione susceperant.

Hæc cum ad Adyginum Cordubensem episcopum fama peruenissent: statim is ad Idatium decrepitæ ætatis sacerdotem refert: remq; eò perducit, ut Synodus Aquitanorum episcoporum apud Cæsaraugustam conuocetur: cuius iudicio Priscillianus cum suis, Instantio, Saluiano & Helpidio, quos diximus, subijcere se ueritus, absens damnatus est. Post hæc, animis ad audaciam conuersis Instantius & Saluianus, Priscillianum in Labilensi (Abylensi habet Hieronymus) oppido episcopum constituunt. Ibi Idatius & Ithacius actius offensi, edictum ab Imperatore Gratiano extorquent, quo hæretici omnes non Ecclesijs solùm & ciuitatibus exigi, sed extra omnes terras propelli iubebantur. Ex

Gnosticis

Gnosticis igitur, qui episcopi uidebantur, Instantius, Saluianus & Priscillianus rebus suis diffisi, sponte locis suis cessêre, reliquos metus disperfit.

Illi uerò itinere ad Damasum, Romanæ urbis ea tempestate episcopum, ut se ei purgarent, suscepto, per interioris Aquitaniæ fines transiêre: ubi apud imperitos impietatis suæ semina sparsêre, maximeque apud plebem Elusanam, sanè tum bonam, & religioni studentem. Inde à Burdegalensibus repulsi per Delphinum, in agro Euchrociæ cuiusdam fœminæ aliquantisper substitêre: atque aliquos erroribus suis infectos, comites sibi adsumpsêre, alienas maximè fœminas: in quibus & Euchrocia erat, cum filia Procula, quam Priscilliani stupro grauidam, partum sibi graminibus depulisse fama erat. Romam igitur cum uenissent, ne in conspectum quidem Damasi admissi sunt, & Saluianum amiserunt. Inde Mediolanum profecti, ab Ambrosio quoque repulsi sunt. Quare consilia mutare coacti, largitionibus Imperatoris aulicos corrupêre: & edictum impetrarunt, ut Ecclesijs suis in Hispanijs restituerentur. Ita reuersi in Hispaniam, statim Voluentium etiam Proconsulem corruperunt, & Ecclesias in libertatem suam receperunt. Laborabat tum quidem acriter Ithacius, quomodo hæreticis resisteret, sed frustra. Quin & accusatus ab his, quasi Ecclesiarum perturbator esset, fugere in Gallias tum coactus est. Interea uerò rumor uenerat, Clementem Maximum, quem Theodosius postea interfecit, intra Britannias imperium sumpsisse, ac breui in Gallias erupturum. In Treuerorum igitur oppidum ingressum Maximum, illico Ithacius adijt: ac Priscillanum & socios eius, quasi qui multorum criminum rei essent, detulit: impetrauitq; ut à nouo Imperatore, ut Galliarum præfectus, & Hispaniarum uicarius, ad quos Maximus literas dederat, synodum Burdegalæ indicerent, in qua Instantius, quia se parum expurgasset, episcopatu suo priuatus est: Priscillianus uerò ad Imperatorem prouocauit. Secuti accusatores Idacius & Ithacius, Priscilliani crima grauissimè apud Imperatorem exaggerarunt: sed Martini Treuerensis episcopi consilio, qui hæreticos episcoporum sententia iudicatos Ecclesijs pellendos, non ui tollendos censuit, nihil in eos uiolenti primùm commisit. Postea uerò à Magno & Rufo episcopis deprauatus, & à sententia minori deflexus, causam præfecto Emodio (Euodio Hieronymus habet) uiro acri & seuero, commisit. Qui Priscillianum gemino iudicio auditum conuictumq; maleficij, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egisse conuentus, nudumq; orare solitum, nocentem pronunciauit: & in custodiam, donec ad principem referret, redegit. Ita rebus ad Palatium delatis, censuit Imperator, Priscillianum socios q; eius, capitis damnari oportere. Ita igitur gladio addictus Priscillianus est, unaq; cum eo Felicissimus & Armenius: qui nuper à Catholicis, clerici Priscillianum secuti, desciuerant. Latronianus quoque & Euthrocia, gladio perempti sunt. Instantius, quem superius ab episcopis damnatum diximus, in Silynam insulam, quæ ultra Britanniam sita est, deportatus. Itum deinde in reliquos sequentibus iudicijs est, damnatique Asarinus & Aurelius diaconus gladio: Tyberianus, ademptis bonis, in Silynam insulam datus: Tertullus, Potamius, & Ioannes, tanquam uiliores personæ, & misericordia digni, quia ante quæstionem se ac socios prodidissent, temporario exilio intra Gallias relegati sunt. Burdegalæ uerò quædam Priscilliani discipula, Vrbica nomine, ob impietatis pertinaciam, per seditionem uulgi lapidibus extincta est. Annum Hieronymus annotauit in Chronico trecentesimum octuagesimumoctauum. Sulpitius Seuerus libro secundo: Hieronymus.

DE PHILOSOPHIS.

MAXIMVS.

EPhesius fuit philosophus, magus & præstigiator: qui Iuliani Nicomediæ discentis fama motus, eò uenit. Ab eo uerò Iulianus philosophica tum percepit, & in prauas de rebus diuinis opiniones inductus est, adeò ut ex Synæro Christiano, nec ab alijs quàm Christianis præceptoribus à pueritia institutus, in simulatorem pessimum, sub Maximi huius disciplina & consuetudine degenerarit. Imperator autem Iulianus factus, eo non modò pro amico, sed & consultore ac ductore, non sine periculo suo usus est. Vanis enim eiusdem diuinationibus somnijsq;, quasi Alexandro ipso superior & celebrior euasurus esset, persuasus & impulsus est, ut in Persia bellum gerens, Regis Persici supplicationes reiecerit, atq; ad interitum sui usq; bellum insolenter cõtinuarit. Quamobrem & consilij nocentis paulo pòst pœnas exoluẽs Maximus, à Valentiniano, tanquam præstigiarum artifex & impostor, necari iussus est. Socrates libro tertio, capite primo, & uigesimoprimo: Theodoret, libro quarto, cap. uigesimooctauo.

THEMISTIVS.

PHilosophus fuit Iuliani tẽporibus, à quo & præfectus Constantinopoleos designatus

tus est, ut Suidas scripsit. Commentatus multis est, in Aristotelem. Coram Iouiniano Constantinopoli librum recitauit consularem: Valenti uerò, cum atrocissimè in Homousianos sæuiret, & nouis quotidie supplicijs eos exagitaret, librum obtulit, quo admonuit, non debere illum molestè ferre differentiam dogmatum Christianorum, quæ collata ad multitudinem & confusionem gentilium dogmatum, quorum supra sint sexcenta, esset perexigua. Præterea sæpe fieri, ut pro conditione dogmatis alicuius, necessariò contentiones nascerentur. Hoc libello nonnihil mitior Imperator factus, Homousianos non amplius morte, sed exilijs mulctauit. Socrates libro tertio, capite uigesimosexto: & libro quarto, capite trigesimosecundo: Sozomenus libro sexto, capite trigesimoseptimo.

LIBANIVS.

SYrus fuit Sophista celeberrimus, à quo Basilius & Gregorius adolescentes Rhetoricas didicere traditiones Antiochiæ. Socrates libro quarto, capite uigesimosexto. Docuit etiam Constantinopoli circa Iuliani tempora. Inde uerò à pædagogis eiectus, aliquandiu Nicomediæ fuit. Iuliano interfecto, Lamentationem scripsit, qua omnia quæcunq; fecerat Iulianus, laudauit, etiam libros quos contra Christianos ediderat. Extat aduersus hoc Libanij scriptum Antilogia prolixa, apud Socratem libro tertio, cap. uigesimotertio.

DOROTHEVS.

SOcrati libro secundo, capite quadragesimo, Dorotheus presbyter est Antiochenus, qui in synodo Seleuciana Patrophilum episcopum Scythopolitanum occupauerat. Idem uerò sub Valente, consulatu quidem Valentis quinto, & iunioris Valentiniani primo, Euzoio Antiochiæ Arianorum episcopo mortuo, surrogatus est: quemadmodum Socrates idem testatur libro quarto, capite trigesimoquinto. Sed rursus sub Theodosio, cum seu sponte sua, seu accersitus eò ueniisset, in episcopum Arianorum, Marino, qui ex Thracia eò uocatus uenerat, repudiato, quòd instructior, ac idoneus magis iudicaretur, lectus est. Vbi postea cum Marino schisma suscitauit, motæ occasione Arianissimæ & uanissimæ quæstionis, utrum priusquam filius extitisset, pater uocari Deus potuisset: quod Marino affirmante, ille negauit. Sozomenus libro septimo, capite decimoseptimo.

DADOES.

DAdoes ex principibus & signiferis fuit sectæ Messalianorum, sub Valentiniano & Valente. Theodoretus libro quarto, cap. undecimo.

EVLALIVS.

EXpulso in exilium Arianorum improbitate & delationibus, Magno Eustathio Antiocheno episcopo, Eulalius abilis in locum eius suffectus, sed eo episcopatu breuissimo functus, mortuus est. Theodoretus lib. 1, cap. uigesimoprimo.

GREGORIVS BERYTI.

GRegorium Beryti episcopum quendam Arius in epistola sua ad Eusebium, secũ facere ostendit, nomenq; eius epistolæ inseruit. Theodoretus lib. primo, cap. quinto.

LVCIANVS.

EPiphanius libro primo, tomo tertio, hæresi quadragesima tertia, ait Constantini temporibus Lucianum fuisse Arianorũ hæresi addictum, quem inter testes suos Ariani citent. Idem rursus libro secundo tomi secundi, hęresi sexagesimanona, Nicomediensem fuisse indicat, quo cum Eusebius signifer Arianæ factionis conuixerit.

MEMNONIVS.

EIdem Semiarius est Memnonius, libro 3 tomi primi, hæresi septuagesimatertia.

PHILIPPVS.

PAtrophili, Scythopolitani episcopi Ariani, successor est Philippus, æquè hæreticus, atque Arianismi uehemens propugnator: Epiphanio libro tertio tomi primi, hæresi septuagesimasecunda.

SYLVANVS.

AVbianorum hæreticorum est episcopus Syluanus, genere Gotthus: Epiphanio lib. tertio, tomo 1, hæresi septuagesima.

FAVSTVS.

EX Arianis illis Faustus quispiã fuit, quos synodus Illyrica, propterea quòd non cõfiterentur filium sanctum q; spiritum esse ex patris essentia, condemnauit. Theodoretus libro quarto, capite nono.

TELEMACHVS.

ESt inter eos Arianos, quos condemnat synodus Illyrica, Telemachus. Theodoretus in epistola synodica episcoporum Illyrici, lib. quarto, cap. nono.

COLVTHVS.

PResbyter fuit in Ecclesia quadam Alexandrina Coluthus, infamis ambitione, quemadmodum & Arius. A quo tamen diuersis lusit opinionibus, adeò ut & Arij socios & coniuratos accusarit: sicut indicat Alexander

lexander Alexandrinus in epistola ad Alexandrum Constantinopolitanũ, apud Theodoretum libro primo, capite quarto. Peruersa autem eum quædam docuisse, Epiphanius indicat: quæ tamen non explicat. Habuisse etiam suos sectatores, qui se Coluthianos dixerint. tametsi non diu durasse Coluthi hæresin, sed mox dispersam fuisse, ostendat libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimasecunda. Epistola presbyterorum & diaconorũ Mareoticorũ ad præfectos Aegypti, apud Athanasium apologia secunda, Coluthum non uerum, sed imaginariũ uocat episcopum, à quo Ischyras ordinatus sit: quem uerò in generali concilio Hosius cum cæteris episcopis iusserit, ut pro presbytero se haberet, qualis antea fuisset. Epistola apud eundem, episcoporum Aegyptiorum, qui cum Athanasio in Synodũ Tyriam Venere, Coluthanos cum Arianis & Meletianis coniungit, eosq; uocat Ecclesiæ catholicæ hostes.

AMAPOBIVS.

MEminit in annotatiunculis in aliquot locos Euangelistarum Arnobius, hæretici Amapobij, à quo multos deceptos fuisse ait: sed tamen, quam fuerit hæresin professus, non explicat. Annotatiunculæ istæ hodie inter Orthodoxographa extant.

ADELPHIVS.

EStex principibus sectæ Messalianorum Adelphius: Theodoreto libro quarto, capite undecimo. Sicut & Dadoes, Sabas, Hermas & Symeones.

POLYCHRONIVS, ASCLEPIADES, *Amantius, & Cleopater.*

HAereticos istos omnes abdicauit Synodus episcoporum Illyricorum sub Valente: quemadmodũ indicat Synodica epistola ad Ecclesias Asiaticas & Phrygias, apud Theodoretum libro quarto, capite nono: Perscripsimus uobis, ut finatis abdicatos à nobis, contactos furore Arij, qui non confitentur filium, sanctumq; spiritum esse ex patris essentia. eorum nomina subiecimus: Polychronius, Telemachus, Faustus, Asclepiades, Amantius & Cleopater.

HELVIDIVS.

HEluidius Auxentij discipulus, Symmachi imitator, homo nec facundus, nec eruditus: scripsit librum, in quo testimonijs diuinæ scripturæ nõ intellectis, probare conabatur, deiparam Mariam posteaquam IESVM citra coniugis operam pepererat, ex Ioseph marito communi more filios aliquot produxisse: eosq; in diuinis literis fratres Domini uocatos fuisse. Et inuenit hic egregius doctor discipulos, hoc est, reperit dignũ patella operculum, qui Heluidiani sint dicti: siue, quemadmodum testatur Hieronymus, Antidicomariani, græco uocabulo, quos latinè possis dicere aduersarios Mariæ. Ita refert Augustinus in libello de hæresibus ad Quoduultdeum. Hunc igitur Heluidium refellit Hieronymus, & confirmat Mariã perpetuò fuisse uirginem, etiamsi hoc non est apertè scriptum in literis diuinis: sed Apostolorum & sanctorũ patrum traditione, ueluti per manus ad nos deriuatum, & omnium Christianorum consensu comprobatũ. Gennadius: Erasmus in argumento scripti Hieronymi aduersus Heluidium.

IOVINIANVS.

IOuinianus ex monacho clericus, homo obscurus, sed diues, nec eruditus tamen, nec eloquens: iam olim extinctam Basilidis hæresin conatus est instaurare, editis super hac re commentarijs, quibus ex diuinæ scripturæ testimonijs perperam intellectis, probare nitebatur, Verè baptizatos non posse relabi in peccatum. Quem errorem adscribit Augustiuus & Pelagio. Hæc cum Romæ doceret, neminem sacerdotem, aut alicuius nominis clericum in errorem potuit trahere: tantum mulierculas quasdam corrupit, adeò ut hoc audito, quædam uirgines sacræ prouectæ iam ætatis nupserint uiris. Porrò quòd ipse non duceret uxorẽ, id negabat se facere, quòd hinc præmiũ aliquod speraret: sed ne molestijs matrimoniorũ irretiretur. hoc est, nõ ut melior esset, sed liberior. Diuus Augustinus errores quosdam cõfert in Iouinianum, quos tamen illi non impingit Hieronymus: utiq; non dissimulaturus, si quid tale docuisset. Nempe Mariam IESV matrem pariendo fuisse corruptam: adhæc, Omnia peccata esse paria quemadmodum habent Stoicorum paradoxa. Verùm appareret Diuum Augustinum nec Iouiniani, nec in hunc Hieronymi libros legisse: tantum rumore populi didicisse, quod nouerat de Iouiniano. Testatur autem, Iouiniani nullam factam esse mentionem, nec apud Epiphanium, nec apud Philastrium, in hæresiarcharum catalogo. Reperisse tamen in quodam libro, qui scriptoris titulum non habebat, Iouinianum inter hæresiarchas annumeratum. Addit, hanc hæresin se iuuene ortam, ac protinus extinctam fuisse, nec ad ullorum sacerdotum deceptionem peruenisse. Apparet autem, huius errorem damnatum fuisse opera Victorini & Pammachij, & antequam aduersus eum scriberet Hieronymus. Attamen hoc argumentum non illibenter arripuit, impendiò semper fauens uirginitati: & ob id nuptijs iniquior, quàm episcopi quidam esse uolebant. Erasmus in argumento libri primi aduersus Iouinianum.

CYRION.

EPiscopus est Dolyches Cyrion, socius in Synodo Seleuciana eius partis quæ Homousion repudiauit: Epiphanio libro 3, tomo primo, hæresi septuagesimatertia.

CHARISIVS.

EIdem ibidem Charisius Azati est episcopus, sentiens & subscribens cum reijcientibus Homousion, in Synodo eadem.

EVTYCHIANVS.

EPiscopus est Patarorum Lyciæ Eutychianus, contra Homousion subscribens in Synodo Seleuciana. Epiphanio libro 3, tomo primo, hæresi septuagesimatertia.

EXERESIVS, ELISSAEVS.

EPiscopus est Gerasorum Exeresius, & Elissæus Diocletianopolis, inter reijcientes Homousion in synodo Seleuciana: Epiphanio ibidem.

GYMNASIVS.

SEmiarius est Gymnasius, inter eos qui confessionem fidei planè Arianam scripserunt, ex synodo Ancyrana ad comministros in Phœnice: Epiphanio libro tertio, tomo primo, hæresi septuagesimatertia.

GELASIVS.

EPiscopus est Gelasius Acacianus, constitutus à Cyrillo Hierosolymitano: libro 3, tomo primo, hæresi septuagesimatertia.

GEMELLINVS.

ESt ex Acacianis & Gemellinus, eidem ibidem.

CAPVT XII.

DE MARTYRIBVS.

MARTYRES SVB DIOCLETIANO ET MAximino.

MArtyrũ sub Diocletiano primus is fuit, qui apud Nicomediam zelo pietatis Imperatorũ Diocletiani & Maximini, qui tum ibi aderant, lata & adfixa cõtra Christianos edicta refixit, ac minutatim discerpsit. Bergomensis Ioannem appellat.

Eum, tametsi Sabellicus & Platina, quẽadmodum suprà diximus, scripserint pelle nudatum, & aceti ac salis in uiscera detecta perfusione necatum esse: tamen hoc supplicij genus ad Petrum martyrem secundum pertinere potius uidetur. id enim de eo Eusebius indicat lib. 8. cap. 6. Verisimile est autem, eum adfixi decreti uiolatorem non uulgari pœna adfectum fuisse, in recenti eo Imperatorum Christiani sanguinis ardore flagrantium furore, & primis persecutionis initijs. Hoc saltem de eo Eusebius Ruffini commemorat: Cum ad Augustum & Cæsarem Diocletianum & Maximianũ relatum esset religiosi & illustris uiri factum, continuò omni in eum crudelitatis genere desęuientes, ne hoc quidem solum efficere quiuerunt, ut eum mœstum aliquis uideret in pœnis: sed læto atq; hilari uultu, cum iam uiscera in supplicijs defecissent, spiritus tamen lætabatur in uultu. Ex quo tortores sui grauius cruciabantur, quòd omnia suppliciorũ genera cõsumebant in eum, quem ne tristem quidem ex his reddere poterãt.

PETRVS, DOROTHEVS, *Gorgonius.*

PRoxima persecutio & crudelitas in aulicos, atq; adeò domesticos ipsos Imperatoris fuit: ex quib. Petrus sacrificare iussus, cũ noluisset, eo quo retulimus modo forti & constanti animo, torméta diuersa & multiplicia superauit: ut flagra, lacerationes usque ad ossium nudationem, aceti sale mixti in purulentas corporis partes suffusionẽ: craticulam, & in ea ad ignem lentum, quo diuturnior esset cruciatus, adustionem. Inter quæ omnia lætus ille & alacris, uictor tandem expirauit. Quod conspicati, Dorotheus cubiculi regij præpositus, & Gorgonius: Cur, aiunt, Imperator, punis in Petro mentis sententiam, quæ in nobis omnibus uiget? Vt quid in illo crimen ducitur, quod omnes nos confitemur? Hæc nobis fides, hic cultus, & unanimis eademq; sententia. Eos igitur ille cum in medium nihilo minus uenire iussisset, similibus penè, ut Petrum, supplicijs affectos, ad postremũ laqueo appensos, necari iussit. Euseb. Ruffini lib. 8. cap. 6.

PHILOROMVS.

PRincipali quadam dignitate & munere militari Alexandriæ Philoromus fungebatur, & in autoritate magna erat. Comprehensus autem ut Christianus, à cognatis & amicis, alijsq; in dignitate constituris, denique & ab ipso iudice obsecrabatur, ut sẽ ipsum, uxorem & liberos suos respiceret. Sed persuaderi ei nequaquã potuit, ut confessionem Christi contemneret, & negationem eius propriæ suæ suorumq; saluti anteponeret. Minas igitur, contumelias, iniurias & tormenta à iudice sibi illata, generose sustinuit: & pietatis suæ præmium, capitale supplicium accepit. Euseb. lib. eodem, cap. 9. Niceph. lib. 7. cap. 9.

ADAVCTVS.

NAtus erat ex illustri apud Italos familia quadam Adauctus, cui gubernationem Reip. Imperatores commiserãt: quam & in magna apud eos autoritate & inculpatè gesserat, propter præclaram tamen pietatis & Christi confessionem, supplicio mortis

mortis affectus, martyr egregius obijt. Euſebius libro eodem, cap. 11.

EVSTRATIVS.

ORtus Euſtratij ex Arabracis, regione Armeniæ uicina, & in Græcis diſciplinis cũ laude inſtitutus, apud Lyſiam Orientis præfectum, qui Imperatorum iuſſu perſecutionem ibidẽ in Chriſtianos exequebatur, ſcribæ ducalis ordinis officio fungebatur. Mirificam autem martyrum conſtantiam contemplatus, in martyrij deſiderium, cum religionem Chriſtianam occultè prius didiciſſet, exarſit. Non alios igitur accuſatores expectans, ſeipſum detulit, & Chriſtianum ſe eſſe ingenuè profeſſus eſt, impiorum Ethnicorum amentiam & uanitatem palàm execratus. Abreptus igitur, & in ſublime extenſus, acriter primùm cęſus eſt. Igne deinde ad uiſcera eius admoto aduſtus, & ſale atque aceto perfuſus, poſtremò uerò teſtarum fragmentis acutis ita attritus eſt, ut unum uideretur corpus eius, & continuum uulnus. Diuino tamen beneficio corpus eius priſtinæ formæ reſtitutum eſt. Tandemque Sebaſtiam abductus, unà cum Oreſte comite igni traditus eſt. Nicephorus libro ſeptimo, capite decimoquarto.

EVGENIVS, AVXENTIVS, *Mardarius.*

HOs omnes Nicephorus comites Euſtratij uidetur appellare. ſcribit autem, ſimiliа cum Euſtratio ſupplicia pertuliſſe Eugenium & Auxentium: quorum, ille quòd impietatem publica uoce taxaſſet, lingua excta, deinde manibus ac pedibus fractis, martyr deceſſerit, hic uerò gladio percuſſus ſit. Mardarius uerò apud Nicopolim per talos in ſublime ſuſpenſus, ſubulisq; ignitis perforatus atque diſpunctus, & facibus inſuper exuſtus, uitam finit. Nicephorus ibidem: & Symeon Metaphraſtes. Qui Auxentium tradit fuiſſe diaconum Eccleſię Auracenorum: ijsq; adiungit martyrem Oreſten, uirum militarem.

SERGIVS, BACCHIVS.

MArtyres fuerunt Sergius & Bacchius, ad finem uſq; uitæ fortes egregiè, & conſtantes: quorum alter fuſtium letalibus uerberibus, alter gladio interemptus eſt. Poſt eos Nicephorus proximè recenſet Eulampium & Eulampiã, martyres Nicomedienſes, Agapen, Irenen, Chioniã & Anaſtaſiam: quam Vincentius libro duodecimo, capite ſexageſimoſexto, ſub præfecto Illyrici, manibus pedibusque palo alligatam & crematam ſcripſit.

GEORGIVS.

CElebris inter martyres eius temporis etiam Georgius fuit, natione Cappadox. Is adoleſcens, in dæmonas Gentilium acriter inuectus erat, Imperatorumq; impietatem deriſerat. Captus igitur, in carcerem & uincula conijcitur: mox ungulis acutis laniatus, calce ardẽti aduſtus, fidiculis diſtractus, mucronibus membratim diſſectus, in quibus omnibus tormentis conſtantiam generoſo martyre dignam declarauit: ac gladio tandem percuſſus eſt. Nicephorus libro eodem, capite decimoquinto.

PROCOPIVS.

CÆſarienſis fuit in Palæſtina Procopius, functus in Oriente ducali dignitate, quã ei Diocletianus tribuerat. Is contra dæmones gentium, eorumq; cultores liberè & animoſe depugnauerat, ſolius Chriſti potentiã laudibus ſupremis efferens. Deinde aurea & argentea idola, quę fieri ſibi curauerat, impietate cognita diminuerat, eorumq; precium inter pauperes diſtribuerat. Ob eam pietatem, innumeras pœnas torturę, fidicularum, ungularum, quibus eius conciſa cutis eſt, ignium, facium, ferramentorũ mucronumq; ſuſtinuit, & tandem gladio percuſſus eſt. Nicephorus ibidem.

IVLITTA.

EXtat inter opera Baſilij oratio de Iulittæ martyre, quam ad martyrium eiuſmodi occaſione quadam peruenisſe narrat. Eripuerat illi potens quidam auarus, atq; ut uidetur præfectus Imperatoris (illi enim plerumq; edictis Imperatorum cõtra Chriſtianos, in ſuum emolumentũ abuſi ſunt) quas poſſederat facultates, agrum, uillam, pecudes, ſeruos, quæ in ſuam poteſtatem omnia tranſtulerat. Refert illa iniuriam ad iudices: dicitur actioni dies: adeſt inſtructus ille quẽ accuſauerat. Incipit ipſa cum dolore de hominis uiolentia et rapinis cõqueri, et probare, quòd facultates nunc ereptas ſibi optimo iure tenuerit. Reſpondet auarus ille, & flagitioſus raptor, actionem eam non ualere: ideo quòd nihil iuris cum alijs commune ſit illi, quæ deos Imperatorũ non colat, & Chriſti fidem non abiuret. Æqua igitur & probabilia dicere uiſus, accuſatus tandem efficit, ut thus & focus in medium adferantur, feraturq; ſententia: Poſſe mulierem legibus legumque præſidio uti, ſi Chriſtum abneget: ſin minus, neque in iudicio, neque in legibus, neque in reliqua politia locum eam habiturã. Ad hæc: Valeat, inquit illa, uita, ualeant meæ facultates. Hæc enim omnia perdere potius malo, quàm una uoce impia & blaſphema in Deum creatorẽ meum deprehendi. Agit & gratias Deo, quòd diuitias fluxas atq; fragiles poſſet nihili facere, & cõfeſsionem Chriſtianam potiorem ducere. Interrogata poſtea aliquoties, hæc tantum reſpondit: Seruam ſe eſſe Chriſti. Accedunt cognati & amici, qui eam ut ſententiam

mutet & abneget exhortantur: quibus illa maledicit. Ad quod continuò iudex, non opibus solum eam suis priuat, sed & rogo adiudicat. Quam sententiá ipsa cupidè, ut rem gratissimam & iucundissimam, recipit, ad flammam properans, ac uultu omni & habitu sermoneq; alacritatem & constantiam egregiam præ se ferens. Ad adstantes uerò mulieres eiusmodi oratiõe utebatur: Ne grauemini pro pietate subire labores, ne ue naturæ muliebris fragilitatem causemini. Ex eadem enim, qua illi, materia sumus, & ad imaginẽ Dei æquè atq; illi conditæ. Non enim caro tantũ ad mulieris constructionem sumpta est, sed & os ex ossibus: ex quo & robur, & cõstantia, & patientia tam nobis ex Deo, quàm uiris debentur. Quæ cum dixisset, in pyram ultro ipsa prosilijt.

MARTYRES XL.

IDem & in alia quadam oratione, de quadraginta militibus martyribus eiusmodi narrationem texit. Venit in quendá locum, quem nõ explicat Basilius, Imperatoris præfectus cum edicto, ne quis Christũ profiteretur: confessus aũt, omnis generis supplicijs, ac tandem etiá morti obnoxius esset. Subornantur qui Christianos exploratos deferãt: collocantur insidiæ, & in mediũ constituuntur gladius, crux, rota, flagella. Oritur ingẽs animis omniũ consternatio, fugiunt alij, alij fluctuant, & alij minis absterrentur, & ad cõspectum cruciatuũ abnegant. alij autẽ in certamẽ quidẽ martyrij descendũt, sed cruciatibus uicti, in naufragio ueluti, confessionis gloriá amittunt. Ibi igitur quadraginta milites, iuuenes generosi, cum præfectus Imperatoris edictũ ostendisset, & obedientiá requireret, liberè & audacter Christianos se esse ultro profitentur, & nomina sua dicunt. Præfectus ad tantam libertatem obstupefactus, dubitat quid faciat. Mox tamen blando eos sermone aggreditur, admonens, ut ętatem suam respiciant, neq; intempestiuam mortem cum dulci uita cõmutent. Deinde pecuniá pollicetur, & honores Imperatoris nomine. Sed ea illi omnia floccifacientes, in longam & liberrimá erumpunt orationẽ: se nec uitæ huius, nec dignitatũ, nec pecuniarũ cupiditate affici: sed Christi, et regni cœlestis desiderio teneri: hoc addentes, se pro charitate & fide in Deum, & rotam, & crucem, & flammas perpeti paratos esse. Irritatus ea oratione barbarus præses, nouum cruciatus genus excogitat. Dispicit stagnum quoddá in media ciuitate, frigori uehementi & flatibus Boreæ horridis expositũ, (nam tum bruma erat) in quo nudos sub dio pernoctare cogit. Illi autem in hoc supplicij genus alacres descendunt, exhortantes sese mutuò, ac Non amictum (inquiunt) exuimus, sed hominẽ ueterem, concupiscentiæ deceptione corruptum deponimus. Gratias agimus tibi Domine, quòd cum isto amictu, simul & peccatum exuere licet. Quoniam ob serpentẽ eum induimus, ob Christũ uerò exuimus. Post hæc nudati in eum locum deducũtur, frigus uehemens experiuntur, rigescunt membra omnia gelu. Posteaquam uerò illuxit, adhuc spirantes, igni traduntur: ac cineres eorũ in fluuiũ proijciuntur. Fortè ex illis unus ualidior uiuus manserat. Cuius miserti lictores, ad matrem eius, quæ tum aderat, se uitá ei donaturos, aiunt. At illa proprijs filium apprehendẽs manibus, currui eum, in quo reliqui iacentes ad pyram ferebantur, ipsa imposuit, admonens, ut cum contubernalibus cæteris suis iter beatũ perficeret. Similem fermè historiam de quadraginta martyribus Sebastiæ Armeniæ in stagno necatis, suprà ex Nicephoro, & Sozomeni lib. 9. cap. 2 retulimus, quæ sub Licinio accidit: eædẽ ne sint, an diuersę, lector iudicet. Circumstantię nõ nihil uariant. Nam hi iuuenes dicuntur, illi uerò coniuges fuerunt: horum cinis in fluuium est proiectus, illorum uerò reliquiæ à muliere quadam Eusebia asseruatæ sunt.

GORDIVS CENTVRIO.

CIuis fuit Cæsarienſis Gordius, miles egregius, & centurio. Is in durissima persecutione, abiecto militari baltheo, exilium sibi ultro elegit: & in desertũ secessit, in quo per annos aliquot uitam egit solitariam & religiosam. Egressus uerò inde die quadam, qua in urbe Martis festa celebrabantur, & cũ populus in theatrũ frequentissimus, certamina uisurus conueniisset, in eminentiorem theatri locum cõscendit, & ingenti uoce exclamauit Apostoli illud: Ecce inuentus sum ab ijs qui me nõ quærunt, his qui me nõ interrogabant palàm apparui. Quibus uerbis significabat, se ad certamen ultro uenisse. Ad hanc uocem turba, omnibus spectaculis neglectis, circumspicit quis esset, sic exclamãs. Agnoscitur Gordius, & silentio per præconem imperato, ad præsidẽ qui tum ibi sedebat, & certamen instituebat, ducitur. Interrogatus quis esset, aut unde & quamobrẽ eò uenisset, singula explicat. Reuersus, inquit, sum, ut palàm ostenderem me edicta tua omnino nihil curare, sed IESVM CHRISTVM spem meã præsidiumq; profiteri. Cumq; accepisset, te reliquos homines crudelitate superare, hoc sanè tempus explendo meo uoto idoneũ sumpsi. Irritatur his uerbis præses, ac quicquid habet furoris in Gordiũ omne conuertit. iubet præsto esse lictores, flagella, rotas, equuleum, & omne tormentorũ genus excogitari. Ad quę Gordius: Quin damnum, inquit, profectò me facere uideor, si pœnis uarijs q; modis extingui, uariaq; pati pro Christo

Christo supplicia nequeo. Magis illa libertate offensus præses, exerceri eum iubet omni genere tormentorum. quorum nullis tamen Gordius expugnari potest. Sed oculos ad cœlum eleuans, illud ex Psalmis accinit: Dominus mihi adiutor, nõ timebo quid faciat mihi homo. Et illud: Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Tormenta deinde in se ultro prouocat: & si quæ supplicijs morę intercedebant, increpat. His igitur cum se nihil efficere Præses uideret, lenitate & illecebris oppugnare animum Gordij inuictum et generosum conatur. Promittit se magna ei, si Christum neget, daturum: ut locum inter milites illustrem, facultates, opes, ac quicquid tandem cupiat. Sed surdo fabula canitur. ille enim Prędis insaniam ridens, penes ipsum esse negat collationem alicuius, quod æternis sedibus dignum sit. Extremo igitur furore percitus præses, ad damnationẽ Gordij accingitur. Qui damnatus, extra urbem concremandus educitur. Proruit simul ex urbe uniuersa multitudo. adsunt qui Gordium amplexantur, exosculantur, & ut suæ parcat iuuentuti flentes exhortantur. Quibus Gordius respondet: Nolite flere super me, sed super inimicos Dei, qui in Christianos continuò grassantur: Ipsos inquam flere, qui ignem nobis parant, sibimet gehennę incendia in die irę thesaurizantes. Meum uero solicitare aut emollire animum desinite. Ego enim pro nomine Domini IESV CHRISTI, mille pericula, milleq; mortes, si necesse sit, adire paratus sum. Adsunt rursus alij, qui ut Christum ore saltem neget, corde uerò retineat, suadent. Quibus ille: Lingua, inquit, quam Christi beneficio retineo, adduci non possum, ut autorẽ suum neget. Corde enim credimus ad iusticiã, ore autem ad salutem confitemur. His addidit & alia quædam, talia maximè, quibus ad amorem & desideriũ martyrij circumstantem se multitudinẽ cohortabatur. Post quæ, uultu alacri & gaudente, coloreq; nusquam mutato, in ignis supplicium uolens se immisit. Narrat Basilius in sermone in Gordium martyrem, militem Cæsariensem.

BARLAAM.

PRædicat in alio quodã sermone Basilius, & Barlaam nobilem & illustrem martyrem, qui flagella lictorum ad torporem usque sustinuit, & laceratione, neruorũ resolutionem, laterumq; perfossionẽ. Ad quæ tormenta omnia cum inuictus staret, lictores eum ad aram, cui impositus esset ignis ad sacrificandum dæmonibus adducũt, & thus ardens manui dextræ, quam firmiorẽ adhuc habebat, imponũt, ad ignem eam admouentes: & fore arbitrantes, ut ignis ui dextra expugnata, thus ardens in aram excuteret. Sed ea spe flagitiosi illi tortores frustrabantur. Nam flamma manum quidem ambedebat: perdurabat autem illa, cineris instar flammã ferens, cum quidem ex Psalmo Barlaam recitaret illud: Benedict⁹ Domin⁹ Deus meus, qui docet manus meas ad prælium.

AGNES.

HAbetur in numero sermonũ D. Ambrosij, unus etiam de martyrio Agnetis, nobilis Romanæ uirginis: sed an is sit Ambrosij, Erasmus dubitauit. Nec enim uerisimile est, tantum doctorem usq; adeò delectatum fuisse narrationibus rerum non necessariarum, quales in eo sermone de passione Agnetis multæ insunt: ut quòd ad lupanar damnatam Angelus cinxerit immenso fulgore, quòd aciem oculorum cupientium eam intueri perstrinxerit: quòd repudiatus sponsus, ingressus ad eam, extinctus, ac postea ab ea ad uitam reuocatus sit: quòd rogo incenso imposita, flammas à se in duas partes secuerit, quæ circumstantes attigerit, ipsa illęsa: quòd gladio tandem percussa, noctu apparuerit, chorum uirginum comptissimarum ducens, & cum parentibus excubantibus ad sepulchrum suum collocuta sit, & miracula postea fecerit: ac quæ alia ociosa multa ei narrationi inserta sunt à monacho aliquo, ut ui detur, somniante. Retulit totam eam narrationem Prudentius in hymnis de coronis, hymno cui titulus est, Passio Agnetis Martyris.

AGRICOLA, VITALIS.

LAudat in alia quadam oratione Ambrosius, quam inscripsit Exhortationem ad uirgines, martyria Agricolæ & Vitalis: quos sub Diocletiano & Maximino Bononię passos alij scripserunt. Seruus Agricolæ Vitalis fuit. Agricola autem cum eo de martyrio pactus, pręmisit eum, ut se ad martyrium offerret. Incidit ille in Christianorum persecutores: qui, ut Christum neget, cogere eum tentant. Recusantem uerò, & Christum constantius confitentem, omni genere tormentorum exercent, adeò ut sine uulnere nulla pars corporis esset. Vitalis inter medios cruciatus, cum se Deo breui oratione primùm commendasset, extinguitur. Postea Agricolam inuadunt, cuius quia mores & uirtutem ipsi etiam hostes admirãtur, passionem eius differunt: quam moram cum martyrij cupidus Agricola molestè ferret, & tortores prouocaret, cruci adfixus est.

EVLALIA.

EMeritana Hispaniæ uirgo Eulalia, tredecim (ut Petrus de Natalibus retulit) annorum, Dacium Maximiani præsidem obiurgarat, quòd impius in Deũ, tanta in Christianorum sanguinem atrocitate fureret. Ideoq; arrepta, & ad aram idolorũ ducta, cum

sacrificare noluisset, rogo imposita, martyrium fecit. Narrat ad hunc modum Prudentius in hymno de laude Eulaliæ uirginis:

Ast ubi se furiata lues,
Excitat in famulos Domini,
Christicolasq; cruenta iubet
Thura cremare, iecur pecudis
Mortiferis adolere deis.
Infremuit sacer Eulaliæ
Spiritus, ingenijq; ferox
Turbida frangere bella parat:
Et rude pectus anhela Deo
Fœmina, prouocat arma uirûm.
Sed pia cura parentis agit,
Virgo animosa domino ut lateat,
Abdita rure & ab urbe procul,
Ne fera sanguinis in precium,
Mortis amore puella ruat.
Illa perosa quietis opem
Degeneri tolerare mora,
Nocte fores sine teste mouet,
Septaq; claustra fugax aperit,
Inde per inuia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris
Per loca senta situ, & uepribus,
Angelico comitata choro:
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium,
Scindere qui tenebrosa potens,
Nocte uiam face perspicua
Præstitit, intereunte Chao.
Non aliter pia uirgo uiam
Nocte sequuta diem meruit:
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica cum fugeret,
Et super astra pararet iter.
Illa gradu cita peruigili,
Millia multa prius peragit,
Quàm plaga pandat Eoa polum.
Mane superba tribunal adit,
Fascibus adstat, & in medijs
Vociferans, rogo quis furor est
Perdere præcipites animas,
Et malè prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremq; negare Deum?
Quæritis ô miseranda manus
Christicolum genus? En ego sum
Dæmoniacis inimica sacris,
Idola protero sub pedibus,
Pectore & ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus & ipse nihil.
Illa nihil, quia facta manu:
Hic, manuum quia facta colit,
Friuola utraq;, & utraq; nihil.
Maximianus opum dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, uoueatq; suis
Numinibus caput ipse suum,
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius,
Sanguine pascitur innocuo:
Corporibusq; pijs inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet & excruciare fidem.
Ergo age tortor adure, seca,
Diuide membra coacta luto.
Soluere rem fragilem facile est,
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor attrapere præcipitem
Lictor, & obrue supplicijs.
Sentiat esse deos patrios,
Nec leue principis imperium.
Quam cuperem tamen, ante necem,
Si potis es, reuocare tuam
Torua puellula nequitiam,
Respice gaudia quanta metas,
Quæ tibi fert genialis honor.
Te lachrymis labefacta domus
Prosequitur, generisq; tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quòd occidis in tenero:
Proxima dotibus & thalamo.
Non mouet aurea pompa thori,
Non pietas ueneranda senum,
Quos temeraria debilitas,
Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitij.
Aut gladio ferière caput,
Aut laniabere membra feris,
Aut facibus data fumificis,
Flebiliterq; ululanda tuis
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis,
Thuris & exiguum digitis
Tangere uirgo benigna uelis,
Pœna grauis procul abfuerit.
Martyr ad ista nihil, sedenim
Infremuit, inq; tyranni oculos
Sputa iacit: simulachra dehinc
Dissipat, impositamq; molem
Thuribulis pede prosubigit.
Nec mora, carnifices gemini
Iuncea pectora dilacerant,
Et latus ungula uirgineum
Pulsat utrinq;, & ad ossa secat
Eulalia numerante notas.
Scriberis ecce mihi Domine,
Quàm iuuat hos apices legere,
Quia tua Christe trophæa notant,
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Hæc sine fletibus & gemitu
Læta canebat, & intrepida,

Dirùs abest dolor ex animo,
Membráq; picta cruore nouo
Fonte cutem recalente lauant.
Vltima carnificina dehinc,
Non laceratio uulnificâ
* Oretenus, nec arata cutis,
Flamma sed undiq; lampadibus
In latera stomachumq; furit,
Crinis odorus † & in iugulos
Fluxerat, inuolitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia,
Virgineúsq; latêret honos,
Tegmine uerticis opposito.
Flamma crepans uolat in faciem,
Perq; comas uegetata caput
Occupat, exuperatq; apicem:
Virgo citum cupiens obitum
Appetit & bibit ore rogum.

* al. Cratetenus.

† ut

CASSIANVS.

CAsiani martyris mentionẽ facit Petrus de Natalibus lib. 7. et episcopũ eum fuisse dicit Brixiẽsem in Italia: in foro uerò Cornelij postea scholas puerorum rexisse, ubi & passus sit. Martyrium eius hoc modo narrat Prudentius, in hymno de passione Casiani martyris in foro Corneliano:

Præfuerat studijs puerilibus, & grege multo
Septus magister literarum sederat.
Verba notis breuibus comprendere cuncta peritus,
Raptimq; punctis dicta præpetibus sequi.
Aspera nonnunquam præcepta, & tristia uisa,
Impube uulgus mouerant ira & metu.
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantiæ est.
Ecce fidem quatiens tempestas sæua, premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu è medio moderator alumni
Gregis, quòd aris supplicare spreuerat.
Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nosset, alto tam rebellis spiritu,
Respondent, agmen tenerum ac puerile gubernat,
Fictis notare uerba signis imbuens.
Ducite, conclamat, capitium ducite, & ultro
Donetur ipsis uerberator paruulis.
Vt libet illudant, lacerent impunè, manusq;
Tingant magistri feriatas sanguine.
Ludum discipulis uolupe est ut præbeat ipse
Doctor seuerus, quos minis coercuit.
Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
Adest acutis agmen armatum stilis.
Quantum quisq; odij tacita conceperat ira,
Effudit ardens felle tandem libero:
Conijciunt alij fragiles, inq; ora tabellas
Frangunt, relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetq; ab ictu curua tumens pagina.
Inde alij stimulos, & acumina ferrea uibrant,
Qua parte aratis sulcis scribitur.
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innouatur area.
Hinc foditur Christi confessor, & inde secatur,
Pars uiscus intrat molle, pars scindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixêre cruentæ,
Totidemq; guttæ uulnerum stillant simul.
Maior tortor erat, qui summa pupugerat infans,
Quàm qui profunda perforata uiscera.
Ille leuis, quoniam percussor morte negata
Sæuire solis scit dolorum spiculis.
Hic quanto interius uitalia condita pulsat,
Plus dat medelæ dum necem propè applicat.
Este precor fortes, & uincite uiribus annos:
Quod defit æuo, suppleat crudelitas.
Sed male conatus tener, infirmusq; laborat,
Tormenta crescunt, dum fatiscit carnifex.
Quid gemis? exclamat quidam: tute ipse magister
Istud dedisti ferrum, & armasti manus.
Reddimus ecce tibi iam millia multa notarum,
Quæ stando, flendo, te docente excepimus.
Non potes irasci quòd scribimus: ipse iubebas,
Nunquam quietum dextera ut ferret stilum.
Non petimus toties te præceptore negatas,
Auare doctor, iam scholarum ferias.
Pungere puncta libet, sulcisq; intexere sulcos,
Flexas catenis impedire uirgulas.
Emendes licet inspectos longo ordine uersus,
Mendosa fortè si quid errauit manus.
Exerce imperium, ius est tibi plectere culpam,
Si quis tuorum te notauit segnius.
Talia ludebant pueri per membra magistri,
Nec longa fessum pœna soluebat uirum.
Tandem luctantis miseratus ab æthere Christus,
Iubet resolui pectoris ligamina.
Difficilesq; moras animæ, ac retinacula uitæ
Relaxat, arctas & latebras expedit.
Sanguis ab interno uenarum fonte patentes
Vias secutus, deserit præcordia.
Totq; foraminibus penetrati corporis exit,
Fibrarum anhelans ille uitalis calor.

ALBANVS.

REceperat Albanus in Britannia hospitio clericum quendã, persecutionem duorũ tyrannorum Diocletiani & Maximiani fugientem, nõdum conuersus. Contemplatus autẽ clerici illius in pietate & religione studium, ductus ipsius exemplo, admonitionibusq; edoctus, eandem cum eo religionem profiteri & ipse cœpit. Fortè interea ad præfectum Imperatoris fama peruenit, latitare apud Albanũ confessorẽ Christi. Mittit is igitur statim, qui diligentius inquirãt & adducant. Veniunt illi ad Albani ædes. qui indutus hospitis sui habitu, pro eo sese offert: & ad iudicem ducitur, qui tum dæmonum sacrificijs intentus erat. Quærit cuius sit familiæ? Respondet Albanus: Quid ad te iudex, cuiꝰ sim generis? Christianus sum, Christianorũ officijs uaco. Rursus iudex quærit, quî uocetur? Respõdet is, Albanũ se uocari à parentibus, & Deum uerum ac uiuum omnium conditorem adorare se et colere. Iubet

igitur eum iudex sacrificare idolis. Ad quod ille: Sacrificia, inquit, uestra dæmonum sunt sacrificia, nec cuiquã opitulari possunt: imò quicunq; quo tu iubes modo sacrificauerit, cruciatus ęternos apud inferos pro mercede recipit. His uerbis irritatus iudex, Albanũ loris cædi à tortoribus iubet. Pòst cum uerbera eum nõ patienter modò & animosè, sed & cum gaudio ferre uidet, gladio percutiendum pronunciat. Quæ porrò in hac narratione apud Bedam sequuntur, de exiccato alueo ab Albano, dum ad locum supplicij iret: de complanato monte, & excitato fonte, ociosa uidentur: quibus, quam quisque uolet fidem adhibeat. Nobis nec utilia, nec necessaria relatu uisa sunt. Beda libro primo, historię Ecclesiasticę gentis Anglorum, capite septimo.

QVIRINVS.

EPiscopus fuit Siscię (Eusebius Scesiam uocat) Pannoniæ superioris. Eius martyrium, quod sub Maximino fecit, anno Domini CCCXIIII, ut Eusebi⁹ annotauit, descripsit Prudentius in Hymnis περὶ στεφάνων:

Insignem meritis uirum
Quirinum, placitum Deo
Vrbis mœnia Siscię
Concessum sibi martyrem,
Complexu patrio fouent.
Hic sub Galerio duce,
Qui tunc Illyricos sinus
Vrgebat ditionibus,
Fertur Catholicam fidem
Illustrasse per exitum.
Non illum gladij rigor,
Non incendia, non ferę
Crudeli interitu necant,
Sed lymphis fluuialibus
Gurges dum rapit, abluit.
Non refert, uitreo æquore,
An de flumine sanguinis.
Tingat passio martyrem:
Acquè gloria prouenit
Fluctu quolibet uiuida.
Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis episcopus
In præceps fluuio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Delectum placidissimo
Amnis uertice suscipit,
Nec mergi patitur sibi,
Miris uasta natatibus
Saxi pondera sustinens.
Spectant eminus è solo
Doctorem pauidi greges:
Nam Christi populus frequens
Riparum sinuamina
Stipato agmine sepserat.
Sed Quirinus ut eminens
Os circuntulit, heu suos
Exemplo trepidos uidet:
Nil ipse proprij memor
Inter stagna periculi,
Confirmat pia pectora,
Verbis mirificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Ne constans titubet fides,
Aut pœnam putet emori. Et paulo pòst:
Orantem simul halitus,
Et uox deserit, & calor.
Scandit spiritus ardua:
Fit pondus graue saxum,
Corpus suscipiunt aquæ.

ROMANVS.

IRruerat Galerius cum præfecto Asclepiade in Antiochenorũ urbem, eo proposito, ut omnes ibi ad abnegandũ Christũ armis et ui cogeret. Fortè tum Christiana plebs in cœtum conuenerat: ad quam illicò accurrit Romanus, nuncians adesse eos qui impetum et uim in Christianos essent facturi. Adhortatur igitur cœtum omnẽ ne trepidet, aut imminenti periculo cedat. Efficit autem, ut ille Christianus grex matrum, uirorũ, paruulorum, uirginum conspiret: sitq; omnibus una sententia & uoluntas, fidem tueri, & libenter emori, ut Prudentius ait.

Refertur ad prętectum, armatam militum manũ à plebe nihil minus extorquere quàm fidem Christianam posse: ideo quòd ducem habeat Romanum, per quem in contumaciã armentur omnes, ut iugulos retectos obstinatè obijciant, glorioſa morte pro Christo perire expetentes. Iubetur igitur è turbæ Romanus extrahi, & adduci, ut causam solus pro cæteris dicat. Paret ille, & manus colligandas ultrò exhibet. Cumq; iam ad Imperatorem uentum est: An tu, inquit ille, solus es, qui in contumaciam & seditionem plebem cõcitas, & causa es quamobrem omnes interimi necesse erit? Tu ergo prior supplicium lues: atq; ipse prior feras, quod ferendum cæteris suasisti. Respondet Romanus: Amplecti se præfecti sententiam: nec recusare se, quin pro toto cœtu solus hostia fiat, quocunq; suæ crudelitatis modo. Quod enim ab Ecclesia suo consilio armata manus repulsa sit, ideo factum esse, quòd nihil minus liceat, quàm seruis idolorum ac dæmonum, potestatem sanctam intrandi domum facere, purumq; orationis locũ polluti. His incensus dictis Asclepiades, in equuleo eum suspendi & euiscerari iubet. Sed suggerunt lictores, uirum esse eum primarium, quem tali affici supplicio non liceat. Flagris igitur eum & plumbatis cædi mandat. Ille interea ictus gaudens hymnum dicit, ac nequaquam sibi nobilitatis nomine parci iubet: Absit, inquit, ut me nobilem sanguis parentum

rum præstet, aut lex curiæ: generosa Christi secta nobilitat uiros. Deinde ingenti animo & libertate in præfectum inuehitur: et Deos Ethnicos, superstitionemq; omnem idolorum risu, ludibrijs, & contumelia exagitat: Deumq; Christianorum, ut Deum solum, uerum, pia & prolixa oratione prædicat. Qua uehemẽter offensus Asclepiades, latera eius mucronibus scindi iubet, usq; dum ossa albentia appareant. Incipit ad hęc Romanus: Nequaquam sibi dolere quascunq; laniationes: dolere autem se, tam tetro errore corruptum præfectum, cæteros seducere. Mox longissima rursus oratione de Deo, de Christo, de æterna salute Christo credentium, de uanitate idolorum, de hominum humanarumq; rerũ fragilitate concionatur. Ad quod præfectus, ictus in os conuerti, & uerbositatem labijs contusis coerceri iubet.

Implet (igitur) *iubentis dicta lictor improbus,*
Charaxat ambas ungulis stridentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis,
Hirsuta barbis soluitur carptim cutis,
Et mentum ad usq; uultus omnis scinditur.

Sed Romanus: Gratias, inquit, ago tibi ô præfecte, quod amplioris mihi oris patefeci-ti meatus, quibus Christum prædicare possim. Tot ecce laudant ora, quot sunt uulnera. Repressus hac constantia præfectus, à torturis quiescere lictores iubet, & ignem minatur, cõuicijs martyrem impetens, illudq; addens: Christum, quem cruci affixum ipse prędicet, recentem esse, cum gentium dij uetustate commendentur. Nactus hinc occasionem Romanus, longam iterum orationẽ texit, de æternitate Christi, de assumpta natura humana, de morte & satisfactione Christi pro hominibus.

Hic se, inquit, uidendum præstitit mortalibus:
Mortale corpus sumpsit immortalitas,
Vt dum caducum portat æternus Deus,
Transire nostrum posset ad cœlestia.
Homo est peremptus & resurrexit Deus.
Congressa mors est membra gestanti Deo:
*Dum nostra tentat, * cessat immortalitas.* * cesit immortalib.
Stultum putatis hoc sophistæ seculi:
Sed stulta mundi summus eligit pater,
Vt stultus esset seculi, prudens Dei.

Post hæc, aliaq; multa Romanus ait: Cædò præfecte, puerũ aliquem septennem, quę ætas nec odijs nec uitijs alijs, quæ cõmunia esse adultis solent, obnoxia est, auditurus quid is dicat. Probatur hoc Asclepiadi, qui è turba statim puerũ accersitũ in Romani cõspectũ sistit. Quærit is: Dic fili, utrum tibi uideatur uerũ esse, & cõgruẽs, unum ne Christum, & in Christo patrẽ colere, an adorare deos infinitos? Respondet puer: Illud certè, quicquid est, quod Deũ esse homines perhibent, unũ esse necesse est, quod cum uno unicum sit: cumq; Christus hoc sit, Christum esse uerum Deum necesse est. Plures enim Deos nec nos pueri credimus.

Stupens ad hoc præfectus, puerũ quærit, quo ista autore didicerit? Respondet ille, ex matre, à qua simul cum lacte hausisset, Christo credendum esse. Matrem igitur cõtinuò acciri iubet Asclepiades. uenit illa, puerũ in sublime arripi mandat, & matre spectante loris durissimè cædi. Adstant qui à lachrymis & cõmiseratione temperare sibi nequeũt. Sola mater de filio datum spectaculũ sine fletu, gaudens & alacris intuetur. Quin & aquæ haustum poscentem filiolum obiurgat: Calicem eum expectaret, quem occisi in Bethleẽ olim bibissent infantes, lactis & papillarum immemores. Præterea & Isaacum respiceret, paruulũ patri unicũ: qui cum immolandus aram & ensem aspexisset, ultro tamen mactaturo patri colla præbuisset. Interea cutem cũ capillis à uertice tortor reuellit. Acclamat mater: Patere fili, mox enim ad eum uenies, qui caput nudatũ nunc tuũ per contumeliam, regio uestiat diademate. Ad hæc & alia matre monente, puer lætus, uirgas & dolores uulnerum ridet. Prefectus, quia nullis tormentis puerum uinci cerneret, in carcerem eum concludi præcipit, Romanumq; tanquam mali huius autorem acerbius torqueri iubet.

Sic igitur nouus cruciatuum actus Romanum excipit.

Illum recentes per cicatricum uias,
Denuò exarabant: quaq; acutum traxerant
Paulo antè ferrum, mox recrudescentibus
Plagis apertas persequebantur notas.
Quos iam superbus uictor ignauos uocat:
O non (inquit) *uirile robur, ô molles manus,*
Vnam labantis dissipare tam diu
Vos non potesse fabricam corpusculi?
Vix iam cohæret, nec tamen penitus cadit,
Vincens lacertos dexterarum inertium.
Citius cadauer dentibus carpunt canes,
Longeq; morsus uulturum efficacior,
Ad deuorandas carnis offas mortuæ.
Languetis imbelli fame, ac fatiscitis:
Gula est ferina, sed socors edacitas.

His ut ultimam ferat sententiã præses exardescit: Si, inquit, mora tibi molesta est, parabitur citò tibi ignis, ne quid dubites: perdetur simul tecum & puer, quem rebellionis tuæ socium & testem appellasti. Ducuntur ad supplicij locum Romanus & puer simul. Romanus à foro abreptus, respectans ait: Appello ab ista tua, præfecte impie, crudelitate, ad Christum meum: non quòd mortem metuã, sed ut probetur, quàm nihil hoc sit quod tu iudicas.

Peruentum ad cædis locum est, puerum, quẽ in cõplexu mater foràs extulit, carnifex

poſcit. Dat illa, præter oſculum nihil morata. Et uade, inquit, nate dulciſsime. Mox, cer uicem dum enſe carnifex ferit, accinit illa: Precioſa in cõſpectu Domini mors ſanctorũ eius: Ecce ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Hæc ubi dixiſſet, caput amputatum pueri in palliũ explicitũ excipit, & pectori applicat.

Interea in altera parte pyra ingens cõſtruitur, in quam iniectus Romanus, futurum dixit ut non cremaretur. Statim igitur imber coortus (ſi uerum eſt) ignes extinguit. Iubet accerſi carnificem præfectus, qui linguã Romano execet. Venit ille, linguam ex faucibus imis protrahit. Loquitur ille nihilominus: Chriſtum, inquit, loquenti lingua nunquam defuit. Et, Linguam loquelæ ne miniſtram poſtula.

Stupet ob hæc inſanus præfectus, & carnificem, quaſi qui ferrum in ore eius fruſtra uerſarit, ſeu arte breue aliquod uulnus intulerit, & linguam uocis organum non exemerit, accuſat. Iubet ille præfectum digitos in fauces inſerere & linguæ retinacula ſcrutari. Iubet et periculum eum facere in bruta pecude, & explorare utrũ lingua exempta ſonus aut ſtridor aliquis maneat. Tandẽ tum martyris animoſitate, tum miraculis præfectus uictus, abripi eum in carcerẽ et ſtrangulari iubet. Prudẽtius in hymnis de coronis martyrũ.

SEBASTIANVS.

ORtus ex Narbonenſi Gallia Sebaſtianus miles, primæ cohortis Diocletiani princeps et moderator, Chriſtianus fuit: qui multos Chriſti martyres exhortationibus ſuis ad Conſtantiam animauerat, & in fide retinuerat. Delatus igitur apud Imperatorem, comprehendi iuſſus eſt, ac in apertum campum deduci: ubi à militibus ſagittis transfixus, corpus uerò eius in cloacam abiectũ eſt. Bergomenſ. lib. 8. Petrus de Natalibus lib. 2. cap. 106. Meminit Sebaſtiani martyris Ambroſius in commentarijs in Pſalmum 118. Symeon Metaphraſtes ſocios Sebaſtiano martyrij hos omnes adnumerat: Marcum et Marcellinum fratres, Nicoſtratum cum uxore Zoe, Tranquillinum Seniorem cum uxore Martia, Traglinum, Claudium, Caſtorem, Tiburtium, Caſtullum, &c.

CATHARINA.

NArrationi de martyrio Catharinæ, Alexandrinæ uirginis, alij alias nugas affinxerunt: quemadmodũ narratio Petri de Natalibus multa habet palàm impudẽtia & blaſphema, de eius conuerſione facta per appariti onem Mariæ & Chriſti in ſomnis. Bergomenſis narrat, eam ad cõſpectum multorum Chriſtianorũ, qui ad prophana ſacrificia flentes impellerentur, infremuiſſe. & in faciẽ Imperatori Maxentio audacter reſtitiſſe, ac de crudelitate eum obiurgaſſe: quamobrẽ in carcerem ilico abripi eam iuſſerit. Addit autẽ, nocte prima angelũ ad eam acceſsiſſe, hisq; uerbis ad conſtantiã martyrij animaſſe: Conſtanter age grata Deo puella, quia tecum eſt Dominus, pro cuius honore certamen ſuſcepiſti. ipſe enim impetũ uerbi infundet in os tuum, cui aduerſarij reſiſtere non ualebunt. Sed hoc in medio nos reliquimus. Quemadmodum & illud, quòd quinquaginta philoſophos diſputãdo uictos cõuerterit, ac martyres fecerit, unà cum Porphyrio Maxentij neceſſario, & Fauſtina Imperatoris uxore. Tandẽ uerò ipſa tormenta uaria, ut equuleũ, & gladios diſtentos per rotã, experta, obtrũcatione capitis martyriũ ſuum cõpleuit, circa annum Domini (ut Antoninus iudicat) CCCX. Martyrium eius prolixè ſcripſit Symeon Metaphraſtes.

PANTHALEON.

MEdicus fuit illuſtris Nicomediæ, Chriſtianum ſe profeſſus ſub Diocletiano in eadẽ urbe: poſt cruciatus in equuleo, & lampadarũ exuſtiones, gladio percuſſus eſt. Bergomenſ. in ſuppl. Chronicorum lib. 8.

CHRISTOPHORVS.

CHriſtophorꝰ eunuchus ab eremita quodam iuſſus eſt migrare ad quendam fluuium: ac per eum, quia ingenti eſſet ſtatura, peregrinantes tranſportare. Quo munere dũ aliquandiu functus fuiſſet, noctu tandẽ puer uenit, qui ſe per flumen deferri ab eo petijt. Exportatus autem ad littus, dixit ſe Chriſtũ eſſe. Hæc narratio de Chriſtophoro peruulgata eſt: ſed quam hiſtoriam eſſe, nos nõ affirmamus: cogitationem tamen pij alicuius eſſe hominis putamus, de Eccleſia. Cæterum Chronicon quoddam Hartmanni narrat, Chriſtophorum incomparabilis magnitudinis & uirtutis uirũ hoc tempore in Samo ciuitate Lycię, pro Chriſto mortem pertuliſſe: ac primùm uirgis ferreis attritũ, deinde flammis exuſtum, ac ſagittis confoſſum, & tandẽ capite cæſum eſſe. Idem Bergomenſis habet.

BARBARA.

IIſdem temporib. Barbara, nobiliſsima uirgo in Thuſcia, poſt carceris ſqualores, neruorumq; inciſionẽ, lampadas laterib. admotas, alioſq; cruciatus multos & diuerſos, ad extremum gladio percuſſa eſt. Bergomenſis ibidem.

VINCENTIVS.

VIncentius Hiſpanus fuit, Leuita ſanctiſſimus, qui hoc tempore martyrium fecit Valentiæ ſub Daciano præſide: quemadmodum ex hymno Prudentij uidere eſt. Bergomenſis in ſupplemento, de eius martyrio ex ſermone quodam Diui Auguſtini hæc citat: Magnum & admirandum ſpectaculum noſter animus cœpit; nec immaniſsimã & per-

& pernicioſiſsimam, ſicut ſolent in theatris, quarũcunq; nugarũ, ſed planè utiliſsimã & fructuoſiſsimã uoluptatẽ oculis interiorib. hauſimus, cum beati Vincentij paſsio legeretur. Iuuat uidere inuictã martyris animã cõtra inſidias antiqui hoſtis, contra ſæuitiã Daciani, cõtra dolores mortis, carnis acerrima conflictatione certantẽ, & in auxilio Dei cuncta ſuperantẽ. Nã Dacianus ipſe, ſanctiſſimũ hominẽ in eculeo primùm leuatũ toto corpore diſtẽdi fecit, diſtẽtumq; diuerſis uulnerib. cruciari, cruciatũ etiã pectinib. lacerari, carnifices q; ad crudelius ſæuiendũ uerberibus fecit urgeri. Eiuſdem deinde corpus in craticula poſitũ, uncinis ferreis aperiri, & ardentes laminas infigi, ac ſale ignito aſpergi, laceratumq; in teterrimo carcere fecit includi: ibiq; teſtas acutiſsimas cõgeri, in lignoq; pedes eius affigi, & ſine humano ſolatio derelinqui. Idẽ in alio ſermone: Beatus Vincentius uerè Vincẽtius fuit. fortiſsimè enim omnia mortis pericula uicit. Vicit in uerbis, uicit in pœnis: uicit in cõfeſsione, uicit in tribulatiõe: uicit exuſtꝰ, uicit ſubmerſus: uicit uiuꝰ, uicit & mortuꝰ. Sed in Auguſtini probatis ſermonibus hodie iſta non leguntur.

THEODORVS.

CHriſtianus eſt, in urbe Amaſia Helleſpõti, & martyr ſub Diocletiano celebris: Vincentio lib. 3. cap. 93.

FAVSTVS.

AEgyptiꝰ fuit Fauſtus martyr, ſub Diocletiano. Nicephorus lib. 8. cap. 5.

GEREON CVM SOCIIS.

MArtyr eſt ſub Maximino Gereon cum ſocijs trecentis decẽ & octo, in cãpis Coloniæ uicinis, Petrus de natalib. lib. 9. cap. 47.

MENAS.

AEgyptius fuit Menas, profeſsione miles: qui abiecta militari zona, in deſerta loca aliquãdiu ſub Diocletiani perſecutione ſeſe abdidit, ieiunijs, uigilijs, & ſcripturarũ diligenti meditationi uacãs. Inde uerò egreſſus ad Cotyenſũ urbẽ, cũ ſpectaculũ quoddã ex more publicũ celebraret, clara uoce è ſublimi Chriſtianũ ſe eſſe proclamãs, ad Pyrrhũ præſidẽ ductus eſt. Ab eo de fide ſua interrogatus: Cõuenire, dixit, Deũ cõfiteri, quoniã lux ſit, & tenebræ in eo non ſint. Hoc enim Paulũ docere, dicentẽ: Corde quidẽ credi ad iuſtitiã, ore aũt fieri cõfeſsionẽ ad ſalutẽ. Varijs deinde, atq; ijs quidẽ atrocib. affectꝰ ſupplicijs, præſentẽ & fortẽ ubiq; oſtendit animũ, inter cruciatus & minas in ore habẽs illud: Nihil eſt quòd mea quidẽ ſententia cõferi poſsit cum regno cœlorũ. Neq; enim totus mundus poteſt, æqua lance expenſus, uni cõparari animæ. Et: Quis nos ſeparabit à charitate, quæ eſt in CHRISTO IESV? afflictio, an anguſtia? Et: Habeo perſuaſum à Domino meo & rege, nõ timere eos qui corpus occidũt, animã aũt nõ poſſunt occidere: illũ aũt potius timere, qui poteſt corpus & animam perdere in gehenna. Poſt multiplicia demũ tormẽta, cũ extrema in eum ſententia pronũciata eſſet, ut gladio percuteretur, ad locum ſupplicij deductus dixit: Ago tibi gratias Domine Deus, quòd me dignatus ſis cõſpici ſociũ precioſæ tuæ mortis: & nõ dederis deuorandũ hoſtib. agreſtibus, ſed effeciſti perpetuò purã in te ſeruare fidẽ. Symeõ Metaphraſtes tomo 5. Sequitur ibidẽ Timothei Alexandrini longa de miraculis Menæ martyris narratio, quam prolixitatis uitandę gratia huc inſerere noluimus.

MENAS ALIVS, HERMOGENES, & *Eugraphus.*

ALius eſt Menas Atheniẽſis martyr fortis, cũ Hermogene præfecto, mirabiliter inter tormẽta Manæ cõuerſo & Eugrapho, miniſtro Manæ, eidem ſub Imperatore eodem.

SAMONAS, GVRIAS, ABIBVS.

MArtyres ſunt, Samonas ex uico Ganade ortus, Gurias ex Sarcigitua, Edeſſæ Meſopotamię educati: & Abibus ex Theiſæa uico, conſtantiſsimi: Metaphraſtæ, ſub Diocletiano & Antonino præſide.

COSMAS, DAMIANVS.

MArtyres ſunt eidem, ſub eadem perſecutione, Coſmas & Damianus, orti ex partib. inferioris Aſiæ, & educati (cũ pater eorũ deceſsiſſet) à fœmina honeſta, caſta, moderata, pia & fideli, Theodote. Per omnẽ uerò uitam cõtinentia, pietate & uirtutibus Chriſtianis conſpicui.

HIERON, CVM SOCIIS.

CAppadox, Tyanenſis patria, Hieron martyr: cũ aliquot alijs cõfeſſoribus, eſt ſub Maximino, in urbe Melitinæ: Metaphraſtę.

MAVRITIVS, CVM LEGIONE *Thebæa.*

VEnit ex Syria in Galliam & Italiã Mauritius, dux eius legionis quę Thebęa diceretur, euocatꝰ à Maximino, occaſiõe ducẽdę expeditiõis cõtra Bagaudas rebelles: ſeu inſidijs potius, ut ueriſimile eſt, tyrãni, qui in iſtis partib. ſequiri facileꝰ poſſe in Chriſtianos, q̃ in Oriẽte, ſibi perſuaſerat. Romã igitur primùm ingreſsi cũ Mauritio milites Thebani, à Marcello ibi ſancto epiſcopo, in fide confirmati ſunt: dato iuramẽto, ſe uitã potiꝰ ipſam hoſtib. relicturos, q̃ de fide accepta ceſſuros eſſe. Exercitũ deinde Imperatoris p Alpes in Galliã uſq; ſecuti. Caſtra tũ Cæſariani cõſtituere nõ procul ab oppido, quod Ottodorũ dicebatur: ubi dæmonib. ſuis Maximinꝰ ſacrũ inſtituit, conuocauitq; omnes ad id tum Orientis tum Occidentis milites: ſeriò mandans, per deorũ aras iurarent, pugnare uelle ſe & aduerſus Bagaudas rebelles, & Chriſtianos

nos dijs Imperatorum inimicos perſequi. Nunciatur mandatum Imperatoris Thebano quoq; exercitui, qui ad Rhodanum amnem, in loco quem Agaunum dixere, conſederat: ſed Ottodorũ accedere non uult. Quia ſecum ſinguli certò conſtituunt, animos q; obfirmant, eo loci extingui ſe, quàm aut dijs ſacrificare, aut contra Chriſtianos arma ſumere, malle. Quod & animo intrepido Maximino accerſenti eos, ſacramenti militaris nomine & religione, reſpondent. Ibi tum ira percitus tyrannus, decimum quemq; eius legionis gladio cædi iuſsit: cui illi certatim ingenti cum lætitia ceruices obiecere ſuas. Addidit hoc ipſum factum, magnum et animi & fidei robur Mauritio, qui milites cõfeſtim grauiſsima concione ad conſtantiam & fortitudinem exhortatus eſt. Qui rurſus accerſiti, Imperatori reſponderi iuſſerunt: Suſcepiſſe ſe arma pro reipublicæ defenſione, non aduerſus Chriſtianos. Quod ad ſacra uerò idolorũ attineret, uitam eripi ſibi potius commiſſuros, quàm Deum ſuum pernegaturos, aut dæmonum ſacrificijs religionem ſuam contaminaturos. Iubet igitur ad ſupplicium poſtulari tyrannus iterum decimũ quemq;. Cum nec tum uerò de ſententia ſua cederent Chriſtianiſsimi milites, immiſit in legionem exercitum ſuum omnem, tam pedeſtrem quàm equeſtrẽ, Maximinus: ac cinctam undiquaq; iugulari præcepit. Petrus de Natalibus libro octauo, capite centeſimotertio: Vincentius lib. 12. cap. 2. Symeon Metaphraſtes, qui ſeptuaginta tantũ fuiſſe Mauritij milites ſcripſit. Citatur ex Ambroſio, in quo tamen non reperitur, breuiſsima de Martyribus illis narratio, in hunc modum: Caterua fidelium diuino luſtrata lumine, ab extremis terræ finibus ueniens, tibi Domine fideliter ſupplicauit. Et tam corporeis bellatorũ mucronibus circumſepta legio, quàm ſpiritualibus etiã armis uallata, ad martyriũ uigili conſtantia properauit. Hos peſtifer tyrannus, ut eos metu perterreret, ad internicionẽ ſupplicij decimauit gladio: atq; poſtmodum conſtanter eos perdurantes in fide, uniuerſos pariter capite plecti præcepit. Sed hi tanto charitatis ardore feruebant, ut eiectis armis, flexo poplite paſsim gratulantes, ſpiculatorũ tela hilari corde ſuſciperent. Inter quos beatus Mauritius, tuæ fidei amore ſuccenſus, decertando martyrij eſt coronam adeptus. Viſum eſt & aliam narrationem de Thebæorũ pietate, cõſtantia & martyrio, ex cõfeſsione, et apologia Eccleſiæ Magdburgenſis, edita anno 1550, huc inſerere. De Thebæis ſcriptũ eſt in uita Mauritij, cũ Diocletianus & Maximianus Auguſti, infenſiſsimi Chriſtianis, iuberent ipſos quoque Thebæos arma capere ad ſubiugandos rebelles Romani Imperij: tunc Thebæ os ſecundum præceptũ CHRISTI, quod iubet reddere DEO quæ ſunt DEI, & Cæſari quæ ſunt Cæſaris, incertos adhuc, quib. rebellib. bellũ pararetur, miſiſſe quidẽ ad Imperatorẽ electã militũ legionẽ, uerùm cũ hoc mandato, ut in bellis iuſtis Imperatorẽ iuuarẽt: cõtra Chriſtianos nequaquã arma mouerent, ſed ipſos potius defenderent contra iniuſtam uiolentiã. Huic legioni dux erat deſignatus Mauritius.

Venit igitur Mauritius cũ legione ad Imperatorẽ Maximianũ, iamq; totus eius exercitus ad Ottodorũ cõgregatus, accipit mãdata, ut omnes inito fœdere cõiurarẽt cõtra rebelles Romani Imperij, maximè Chriſtianos: quos rebelles propterea tantum iudicabat, quòd fidem Chriſti abijcere, & idolis immolare recuſarent.

Tunc Mauritius & omnes pij milites, facta ſeceſsione renunciãt Imperatori, ſe nihil ea in re ſeditioſe facere. eſſe quidẽ ſe milites Imperatoris, & ad defenſionẽ reipublicæ armis paratos: ſed fidẽ Chriſti nequaquã deſerturos, aut cõtrà facturos. inq; hoc ſanctiſsimo ꝓpoſito ita perſeuerãt fortes Chriſti milites, ut q inuadẽtis reliq totius exercitus manus effugere nõ poterãt, omnes ibi martyriũ potius ꝓpſi ꝓpria uolũtate ſuſciperẽt, q̃ alijs inferrent, aut dominũ uitæ ſalutis q; autorẽ abnegarẽt.

INDES ET DOMNAS, CVM *multitudine uiginti milliũ martyrũ.*

MArtyres uicies mille paſſos Nicomediæ ſub Maximino, inter quos Indes fuerit, & Domnas, Metaphraſtes refert.

CYRVS, IOANNES, ATHANASIA *cum filiabus, Theoctiſte, Theodota & Eudoxia.*

ALexandrinus fuit Cyrus, profeſsione Medicus, q perſecutionẽ Diocletiani & Maximini in Ægypto fugiẽs, in Arabiã ſeceſsit, ibiq; monachũ ſe ꝓfeſſus eſt, doctrina & miraculis clarus. Cui ſe poſt annos aliquot ſociũ adiũxit Ioãnes Edeſſa oriundus: militia, quã prius exercuerat, relicta. Interea eadem adhuc ſæuiẽte perſecutione in urbe Canope Ægypti, ob cõfeſsionẽ in uincula cõijciũtur, Athanaſia, pia & Chriſtiana quędã fœmina, Cyro nota, cũ filiab. trib⁹, Theoctiſte, Theodota & Eudoxia. Quarũ omniũ infirmitati metuẽs Cyrus, ad cõfirmãdas eas, eõdẽ loci cũ Ioanne cõtendit: quo tẽpore Ægypti prę-fecturã adminiſtrauit Syrianus dux, cui⁹ improbitatis & truculẽtiæ in Chriſtianos, uirgines etiã & mulieres, Athanaſi⁹ quoq; meminit in Apologijs ſuis, & epiſtola ad Solitariã uitã agentes. Accuſati igitur ab Ethnicis, quaſi eorũ perſuaſione deos atq; Imperatorum religionẽ uirgines cõtumaciter deſpicerent, & ad ſacrificandum adduci nõ poſſent, comprehenſi, & poſt editam conſtantem con-

confessionem, gladio percussi sunt: cõdemnatis ad mortem etiam Athanasia, cum filiabus. Symeon Metaphrastes.

FAVSTA, EVELASIVS, MAXIMINVS.

Maximinus.

CYzici fuit Fausta uirgo, diuitibus nata parentibus, & ab ijs ad pietatẽ Christianam studiose educata. Orphana uerò relicta sub Maximino, comprehensa, & cruciatibus multiplicib. subiecta est ab Euelasio Palatij primario, quẽ inter tormenta conuertit. Deinde à Maximino prefecto, qui & ipse precibus Faustę ad Dominum conuersus, cum utriusq; martyrium obijt. Metaphrastes.

THYRSVS, LVCIVS, CALLINICVS.

Philemon, Apollonius, Asilas, Leonides, Arrianus.

ORti ex Bithynia, clari genere & honoribus, Thyrsus, Lucius, Callinicus, illustre fecerunt martyriũ: Apollonius item Lector, & Philemon tibicen, miraculose cõuersus, dum ab Apollonio, ut pro se sacrificaret, substituitur. Sed & Asilas & Leonides sub Arriano præside Thebaidis, qui post multiplicibus cruciatibus martyres eos afflictos, tandem etiam neci datos, ipse quoq; subitò conuersus, martyrio perfunctus est. Symeon Metaphrastes.

IVLIANA.

NIcomediensis uirgo prestãti forma, Christianã fidẽ constanter professa, et nuptias Eleusii Senatoris idolis dediti, quòd dæmonum cultum abijcere, & eundem secũ deum adorare nollet, aspernata: post uaria tormenta, certamina etiam cum diabolo, martyrio tandem illustri functa est sub Maximino. Symeon Metaphrastes.

CHRYSOGONVS, ANASTASIA,

Agape, Irene, Chionia & Theodota.

ROmanus quidam fuit Christianę pietatis studiosus Chrysogonus, præceptor Anastasiæ nobilis fœminæ Romanæ, quę à patre coacta gentili, quãuis nupta marito Publio, pudicitiã tamen & fidem Christianã tutata est: & martyres uinctos omnibus officijs cõplexa, ad constantiã etiã animose exhortata est. Post Chrysogonũ interfectũ, fecit ipsa quoq; celebre martyriũ Aquileiæ, quò sese ultrò martyrij auida contulerat: cum supplicijs & morte prius fuissent ibi affectæ clarissimæ uirgines, quibus indiuulse toto martyrij tempore adfuit, Agape, Irene, Chionia & Theodota. Symeon Metaphrastes.

ANYSIA.

PVella fuit Thessalonicensis Anysia, nata parentibus locupletibus & Christianis. Martyr fit in tumultu promiscuo gentilium in templo, posteaquã edictũ Maximinus cædibus Christianorũ obsaturatus proposuisset, quo impunè liceret cuique interficere Christianos ubicunque locorum deprehensos. Symeon ibidem.

CYPRIANVS, IVSTINA.

INter martyres sub Diocletiano & Maximino, Vincẽtius Cyprianum & Iustinam uirginem numerat. Cyprianus ciuis fuit Antiochenus, turpissimus primùm magus, diabolo à parentibus consecratus à puero: postea conuersus & baptizatus ab Anthino, tantũ in pietate profecit, ut diaconus, presbyter, ac tandem episcopus Antiochię ab Anthino constitutus sit. Vincentius lib. 12. cap. centesimo uigesimo, uigesimoprimo & 2.

GLYCERIVS.

NIcephoro lib. 7. cap. 6. Glyceri⁹ inter martyres Nicomedienses est, qui sub Diocletiano & Maximino supplicio extremo pro confessione adfecti sunt. Vocat autem præcipuum presbyterorũ Nicomedienſiũ martyrum, qui post uaria torméta gladio ad extremum percussus sit.

FELIX, FORTVNATVS, ACHILLEVS.

Achilleus.

FElix presbyter, Fortunatus & Achilleus, diaconi sunt in urbe Valentia, martyres sub Diocletiano: Vincentij Speculi libro tredecimo, capite quadragesimoprimo.

ARTHEMIVS.

ARthemius Romæ fuit, carceris Martyrũ præfectus sub Diocletiano: qui à Petro exorcista conuersus, martyrium et ipse fecit, gladio percussus ab Ethnicis. Vincentius libro 12. capite 74 & 5.

CYRIACVS.

EIdem lib. 12. cap. 99 diaconus est Romanus sub Marcello episcopo, et martyr sub Diocletiano.

CARPOPHORVS, ABVNDVS.

CArpophor⁹ Thuscus presbyter & Abundus diaconus, martyres sunt in urbe Spoletana sub Diocletiano: Bergomensi libro 8. Vincentio libro duodecimo, capite centesimo quinquagesimonono.

CLAVDIVS, SYRINVS, ANTONIVS.

Antonius.

CVm Marcellino episcopo Romæ martyrium simul fecere, et trucidati sunt, Claudius, Syrinus, & Antonius. Sabellicus Enneadis septimæ libro octauo.

CVCVSATVS.

MArtyr est in urbe Barcinona, post cõstantem fidei professionem, Cucusatus: Vincentio libro duodecimo, cap. nonagesimoprimo & secundo.

FELIX.

EPiscopus est Apuliæ, cum Adaucto & Ianuario presbyteris, & Fortunato & Septimo lectoribus, martyr sub Diocletiano in urbe Venusina Apuliæ: Bergomensi libro octauo.

DE

DE MARTYRIBVS sub Licinio.

HERMYLVS, STRATONICVS.

DIaconus Hermylus, & Stratonicus familiaris eius, carceris custos, ob egregiam confessionem Christianæ fidei, à Licinio tyranno post cruciatus multos suffocati sunt in Istro. Metaphrastes.

THEODORVS.

EXercitus dux Theodorus, spectata fortitudine uir, Heracleæ in Ponto habitans, Mariandinorum genti præerat. is quòd euocatus ad Licinium non uenisset, hospitnm ipsum habuit, eiusq; deos comminutos egentibus dedit. Hunc Licinius, etiamsi egregiè charum haberet, multis tamẽ affecit cruciatibus. Nam & in crucẽ eum egit, & subulas in meatus secretiores corporis eius immisit, postremoq; capite truncauit.

Alius hic est à tyrone illo, qui in Amasea ciuitate sub Bringe, Maximiani pręfecto, holocaustum factus, supplicium ignis fortiter pertulit.

Sicuti & ille, qui Pergæ in Pamphilia crucifixus, uitam finijt. Nicephorus libro septimo, capite quadragesimoquarto.

MILLES.

MArtyrium tempore Constantini fecit & Milles: qui militiam primùm professus apud Persas, Christianam deinde fidem amplexus, & Persicæ cuiusdam ciuitatis episcopus factus est: in qua cum neminem ad Christianismum conuertere posset, post uerbera & afflictiones multas, quas ab incolis sustinuit, maledictionem ei ciuitati imprecatus, eam deseruit. Quæ paulo pòst à rege Persarum subuersa fuit, propterea quòd in eum primates eius grauiter quædam deliquissent. Sozomenus libro secundo, capite decimoquarto. Symeoni Metaphrastæ martyres Persici sub Sapore fortissimi sunt, Acindynus, Pegasius, Anempodistus, & Epidephorus. Eidem etiam Sadoth episcopus in Persia, Symeonis successor, cum clericis & monachis eius regionis centum uiginti & octo martyr est, anno secundo persecutionis sub Sapore.

ABEDECHALAAS, ANANIAS.

CVm persecutionẽ in Persia exerceret Sapores, duos hos senes decrepitos cũ Symeone episcopo comprehendi, & ad supplicium duci iussit. Ananię autem, cum fractus & tremebundus uideretur, Pusices quidam præfectus artificũ regiorũ, acclamauit proprio cũ periculo: Modico momẽto, ô senex, oculos claude, & fortis esto: prope enim est, ut Dei lucem uideas. Sozomenus libro secundo, capite decimo.

DE MARTYRIBVS sub Iuliano.

AEMYLIANVS, DOMITIVS.

DOroscoli, quæ celebris urbs Thraciæ est, Aemylianum in certamine uictorem, Capitolinus præses totius Thraciæ rogo impositum concremauit. Theodoretus libro tertio, capite septimo: & Nicephorus libro decimo, capite nono. Eidem ibidem & Domitius martyr est, monachus celebris, quẽ in spelunca sua latentẽ præteriens, quispiã inhumanissimè lapidũ aggere obruit.

MARCVS ARETHVSIVS.

MArci uerò Arethusij tragœdia, Aeschyli ac Sophoclis magnitudinem eloquentiæ desiderat, qui illius afflictiões digna expositione exornent. Hic enim, imperante Constantino, simulachrorũ quoddam templum euerterat, ac in eo loco ecclesiam ædificarat. Arethusij autem, Iuliani animaduersa uoluntate, inimicitias erga illum suas detegunt. Ac fugere ille quidem primùm, iuxta Euangelicum præceptum, conatus est. Sed ubi suorum quosdam pro se comprehendi sensit, reuersus, sanguinarijs illis ultro sese obtulit. Qui cum illum cæpissent, neq; misericordia senectutem, neq; pudore studium uirtutis prosecuti, hominem uita & doctrina ornatum, primùm nudant, & corpus illius pulsant, totumq; uerberibus lacerant: mox in fœtidas cloacas abijciunt. atq; inde retractum, pueris stilis compungẽdum proponunt. Postremò in corbem collocant, iusculoq; & melle inunctum suspendunt sub dio, in grauissimo æstu, pabulũ uespis & apibus. Atq; hęc ideo faciunt, ut alterutrum horum extorquerent ab eo: nimirum ut uel templum subuersum restauraret, uel ædificationis impensas restitueret. At ille, ut grauissimos perferre cruciatus cogeretur, tamen facturum se quicquam, quod peterent illi, recusabat. Rati deinde pauperem esse eum, nec pecuniæ tantum persoluere posse, dimidium se remissuros ei aiunt, si reliquum solueret. Verùm ipse suspensus, puerorũ stilis saucius, & à uespis apibusq; depastus, nõ modo non prodebat dolorẽ, sed etiã impios eos ridebat: eosq; humiles & terrenos esse dicebat, se uerò arduum & sublimem. Tandem postulantibus non magnam pecuniæ summam, respondebat: Ad impietatem obolum conferre unum, perinde ualet, ac si quis conferat omnia. Ita igitur uicti, dimiserunt eum. Idem lib. eodem, capite eodem.

THEODORVS.

CVm in Iulianum, Christiani reliquias Babylæ martyris, ueluti diximus, ex Daphne Antiochiã transferentes, quædam libera & alta uoce ex Psalmis succinuissent: tanta ille rabie & furore correptus est, ut sequenti

sequenti die Christianos eos omnes comprehendi, in carceres conijci, pœnisq; & cruciatibus affici iusserit. Dederat id negotij Salustio præfecto, qui quanquã gentilis esset, tamen immane eiusmodi & intemperans facinus Imperatori dissuadebat. Cum autẽ moderari eum iræ suę nõ posse animaduerteret, iuuenẽ quendam feruida pietate, Theodorũ nomine, ut primus occurrit, comprehendit, & à prima luce ad horam usq; decimam, tanta crudelitate & tot mutatis carnificibus torsit, in eculeo, loris, laterum perfossionibus, alijsq; immanib. tormentis, ut apud nullam ætatem factum simile extet. Cum autem in eculeo sublimis Theodorus, hinc inde lateribus instãte tortore, nihil faceret aliud, quàm quòd uultu securo & hilari psalmũ, quẽ pridie cœtus uniuersus cecinerat, iteraret: nec se quicquã effecisse crudelitate sua Salustius uideret, uinctũ eum in carcerẽ coniecit, & ad Imperatorem abijt, ac quid egerit nunciat. Monet uerò Imperatorem, ne quid tale facere pergat. Futurum enim ut Christianis gloriam, sibi uerò infamiam & ignominiam, si sic sæuire in eos pergat, conciliet. Dimissus itaq; Theodorus est, & Antiochiam postea uenit. ubi interrogatus ab aliquibus, ecquos sensisset in eculeo & tormentis dolores? respondit: Initiò se quidem nonnihil percepisse doloris, sed mox adfuisse sibi iuuenem quendã, qui sudanti sibi & sudores absterget, & aquã frigidã frequenter suffunderet. Qua re ita delectatus fuerit, ut cũ de eculeo deponi iussus esset, mœstior factus fuerit. Ruff. lib. 1 cap. 36: Theodor. li. 3 ca. 11: Sozom. lib. 5, cap. 20.

ARTEMIVS.

DVx fuit sub Iuliano Artemius Ægyptiacorum militũ. Is magistratum sub Constãtino gerẽs, simulachra plurima deiecerat. Eum autẽ Iulianus non facultatibus solum & dignitate spoliauit, sed & post plurimos miserandos cruciatus, capite ad postremùm truncauit: aliam quidẽ prætexens eius culpam, quasi autoribus cædis fratris sui Galli socius fuisset: sed reuera ideo, quòd Artemij pietatem sibi in posterum etiam obfuturam uerebatur. Theod. lib. eodẽ, cap. 18: Niceph. libro decimo, capite undecimo.

EVSEBIVS ET NESTABVS *fratres.*

GAzæi, qui prę cęteris paganismi studiosi maximè fuerunt, fratres duos Eusebiũ & Nestabum Christianos, domi latitantes comprehenderunr, ac carceri primùm traditos flagellarunt. Deinde cum in theatrum conuenissent, uehementer aduersus eos uociferati sunt, quòd templa eorum labefactassent: illisq; ad destructionem & contumeliam paganismi, præteritis temporibus abusi fuissent. Inter uociferandum autem, dum mutuò sese ad illorum cædem incitant, ira accensi, seq; inuicem, ut in seditione fieri solet, adhortantes, ad carcerem decurrunt, indeq́ue extractos fratres crudelissimè interimunt: iam pronos eos, iam supinos raptantes, & ad pauimentũ illidentes, ac partim la pidibus, partim fustibus, partim alijs rebus, quas utcunq; furor obiecisset, cædentes. Aiunt autẽ & mulieres è textrinis egressas, radijs eos pupugisse: et coquos qui in foro erant, alios cum illusione ollas plenas feruenti aquã focis ereptas in eos effudisse, alios eos uerubus transuerberasse. Postquã autem eos abundè laceràssent, & capita eorũ sic contudissent, ut cerebrum ex illis in terram effueret, traxerunt eos extra ciuitatem, in eum locum quo bestiarum cadauera abijci solent, igneq; succenso corpora eorũ combusserũt: ossiumq; reliquias quas ignis nõ absumpsisset, inter ossa camelorum & asinorũ miscuerunt, ne inueniri facile possent.

NESTOR.

NEstor cum fratribus illis cõsobrinis suis conuersatus, atque unà cum illis à populo Gazæorum comprehensus, uincula ac flagella tum quoq; expertus fuerat. Tractus postremò per ciuitatẽ extra portas, spirans adhuc quidẽ, morti tamẽ uicinus, proiectꝰ est. Quod beneficij loco, illi qui traxerant, moti pulchritudine corporis eius, sibi cõferre uisi sunt. Hinc eum aliqui sublatũ ad Zenonem, qui & ipse fratrũ Eusebij & Nestabi cõsobrinus erat, duxerunt: apud quem inter ipsa ulcerum & plagarũ medicamina mortuus est. Sozom. lib. 5. cap. 9.

EVPSYCHIVS.

CÆsariẽsis fuit, ex Cappadocũ nobilibus: occisus à Cæsariensibus propter templũ Fortunæ, cui destruendo operam ille suam cum alijs collocarat. Propter quam demolitionem, Cæsariẽses in maximã Iuliani offensam et indignationẽ incurrerãt: illi pręcipuè, qui manus suas templo ei destruendo adhibuerant. Quo factũ est, ut alij eam ipsam ob causam occisi, alij perpetuis exilijs damnati sint. Sozom. lib. eodem, cap. 11.

DE MARTYRIBVS SVB *Isdigerde Persarum rege.*

HORMISDA.

EDidit in persecutione, quam Isdigerdes Persarũ rex mouerat, Hormisda quidam nobilis Persa, gente Achæmonides, qui patrem præfectum magni nominis habuerat, eiusmodi illustre testimonium. Cum enim Christianum eum esse rex cognouisset, ad se accersitũ, seruatorẽ suum Deum abnegare iubet. Ad quod ille: Nec iustũ (inquit) Imperator, nec utile imperas. Quomodo enim, qui Deum, omniũ Dominũ, contemnere & abnegare docetur: non etiam regem, ut ho-

minem, despiciat? Ac si supplicio dignum iudices imperij & autoritatis tuæ contemptorem: an non multo maioribus pœnis subijciendum censes eum, qui omnium negauerit creatorem? Tum rex, quem æquum fuerat Hormisdæ admirari sapientissima dicta, opibus suis & dignitate spoliatum, ad cameles exercitus eum damnauit, iubens ut eos nudus duceret. Paret uolũtati regis Hormisdas, & multos dies camelos regit. Cum autẽ aliquando rex è superiori tabulato prospiceret, uidet optimum Hormisdam solis radijs fuscatum & puluerulentum, camelos ducere. recordatus igitur patris Hormisdæ, qui illustrem præfecturam quondam gesserat, adduci ad se eum iubet, linea tunica indutum. arbitratus autem fractum eum partim priori suo malo, partim mollitũ benignitate regis, abnegare denuò iubet fabri filiũ. Ibi indignatus & zelo diuino incensus Hormisda, uestem discissam ad pedes regis abiecit, talia addens: Si propter munus lineum illud tuũ deserere me speraſti pietatem, en tibi donũ tuum cum impietate, quam possides. Hanc eius fortitudinem & spiritum rex contemplatus, nudũ eũ è regno suo expulit. Theod. lib. 5. cap. 39.

BENIAMIN.

IDem rex & Beniamin diaconum comprehensum in carcerem includi iusserat, & biennium iam integrum in eo asseruatus fuerat: cum fortè legatus Romanorum alijs de causis in Persiam ad regẽ uenit, qui pro diacono intercedens, liberationem ei à uinculis impetrat. rex enim precibus legati obsecutus, dimittit eum ea conditione, ne cum Magis doctrinam Christianam cõmunicet. Ibi Beniamin: Quis ista, inquit, præstare possit? Quomodo enim lucẽ, quam consecutus ego sum, alijs impertiri nõ possim: cum sacra testetur Euangeliorum historia, quãto dignus supplicio sit occultator talẽti sui? Sed ad hęc tum rex animum non aduertens, solui eum iubet. Diaconus igitur, quemadmodum antea consueuerat, docere perexit, omnibusq; lumen salutis impertijt. Idq; per anni spaciũ assidue agit. Quo elapso, quid faceret Beniamin regi indicatur. Rex accersitum eum, iterum iubet abnegare Deũ, quẽ coleret. Tum ille, Qua re dignũ rex ducat, interrogat eũ, qui à regno suo deficiens, alienũ eligat? Cũq; respondisset rex, morte talem dignum, extremoq; supplicio se iudicare: sapienter Beniamin concluſit, Quam igitur pœnam mereri eum censes, qui sit desertor Creatoris sui, & deitatem, debitumq; illi honorẽ, alicui conseruorum suorum tribuat? Hac oratione accensus rex, uiginti calamos acui, ac unguib. digitorum manuum atq; pedum eius infigi iussit. Cumq; hoc supplicij pro ridiculo haberi ab eo conspicaretur, alium calamũ acutum impingi uerendis illius, & extrahendo atq; immittendo inenarrabiles cruciatus ei excitare præcepit. Post hoc uerò supplicium, rex impius atq; immanis, stirpem ramosam in meatus naturæ diacono adigi iussit, quo extremo cruciatu uictus athleta fortissimus expirauit. Theodoret. ibidem.

MARTYRES SVB CONstantio.

MARTYRIVS, MARCIANVS.

PAuli Constãtinopolitani episcopi, quẽ sub Constantio Ariani sceleratè expulerunt, & exulantem postea interfecerunt, Macedonio in eius locum surrogato, domestici fuerunt Martyrius hypodiaconus & Marcianus psaltes, ac sacrarum scripturarum lector. Cum autem expulsione Pauli populus Constantinopolitanus exacerbatus, & in seditionem prouocatus, Hermogenem præfectum, cui mandatum Paulum eijciendi Imperator dederat, interfecissẽt: Macedonius Martyrium & Marcianum præsidi, ut autores tumultus in quo occisus esset Hermogenes, tradidit: à quo extremo supplicio affecti sunt. Feruntur autem magno animo mortem eam sustinuisse. Quamobrem & monumentum illis insigne, ut martyribus, à populo Constãtinopolitano ante urbis muros positum est. Sozomenus libro quarto, cap. tertio: Socrates libro secundo, capite duodecimo & tredecimo.

MARTYRES SVB *Valente.*

NICETIVS.

GOthus fuit Nicetius genere, qui apud Gothos & cõfines nationes in Germania Istro conterminas, religionis Christianę doctrinam primus propagauit. Captus autẽ à Gothis ad Danubium, cum deos eorũ adorare nollet, crematus est. Auentinus libro secundo, ex Petro de Natalibus, ut uidetur, qui hunc Nicetium, seu Nicetum, ut habet, à Theophilo Gothorum episcopo, qui syno do Nicænæ interfuit, doctũ in fide Christiana & baptisatum scripsit: postea uerò sub Athanarico Gothorum rege, qui sub Valentiniano ad fidem Christianam cum suis conuersus est, constanter Christum prædicasse: quo tempore Theophilo episcopo Vlphilas succesſerat. A Gothis autem circa Danubiũ, qui ab Athanarico propter religionem defecerant, igne suffocatum tradit. Petrus de Natalibus libro quinto, capite quadrageſimo.

CA-

CAPVT XIII.

DE MIRACVLIS.

NOnparum admirationis habet tota Ecclesiæ huius seculi historia. Si enim cogites, Deum suam Ecclesiam contra tot ac tantos hostes & tyrãnos, Diocletianum, Maximinum, Maxentium, Licinium, Iulianum & similes tutatum esse: & subinde excitasse pios Imperatores, qui Christianã religionem amplexi & uenerati sint, quales fuerunt Constantinus Magnus, & filius eius Constãs, Iouinianus, Theodosius: Deinde si animo tecũ perpendas, qua ratione puritas doctrinæ cõseruata sit per Alexandrum, Athanasium, Hilarium, Basilium, Ambrosium, & similes numero pauciss imos sinceros episcopos, cõtra tantã hæresiũ Lernã, quas excellẽtissimorũ doctorũ autoritas, & multitudo astipulatorum, & Imperatorũ & aularum edicta & neruus propugnabat: Dei infinitam sapiẽtiam, bonitatem & potentiã miraberis. Id uerò cum nõ sit huius instituti prolixius exponere, lectorem monuisse sat habemus de præcipuis quibusdam miraculis, quæ hoc seculo acciderunt.

Cæterùm ea quæ mirabilia hoc seculo accidisse, passim apud autores commemorantur, diuersi sunt generis. Quædam enim narrantur ab autoribus qui hoc seculo uixerũt, & ea certò comperta habuerunt: quędã uerò ab ijs qui seculis inferioribus fuerunt, & qui rumores & fabulas postea confictas ex apocryphis hauserũt, & historijs superiorũ temporum sine iudicio inseruerunt. Huius generis miraculosas narrationes apud Zonaram, Nicephorũ, Vincẽtium, & alios posteriores historicos plurimas reperias: quibus haud facilè sine suspicione falsitatis fidem adhibeas.

DE MIRACVLIS SVB *Diocletiano.*

NArrat Eusebius libro octauo, capite septimo, se in persequutione Diocletiana in Palæstina, & in Tyro Phœniciæ, spectasse suis oculis, quòd ferocissimæ bestiæ, ut ursi, pardi, tauri, & similes, quibus martyres erant obiecti, licet fame & ferro ignito ad furorem irritatæ essent, tamen ad martyres aut accedere noluerint: aut in eos impetũ faciẽtes, obturatis faucibus resilierint: & alios quidem accedentes extrinsecus arripuerint & malè tractarint, solis uerò martyribus pepercerint. Nicephorus eandem referens historiam lib. primo, capite septimo, quo rem efficeret admirabiliorẽ, ex suo cerebro affingit, taurũ cuidã martyri lingua pedes lãbisse, & religiosè quodãmodo ab eo discessisse.

In Syria terræmotus factus est, quo apud Tyrum & Sidonem passim labẽtibus tectis, multa millia hominum prostrata sunt. Eutropius libro decimo. Idem Eusebius in Chronico annotat, factum esse anno Domini trecẽtesimo: & Orosius libro septimo. Sabellicus Enneadis septimæ libro octauo, affirmat hunc terræmotum accidisse decimonono anno Imperij Diocletiani.

Vincentius libro duodecimo, capite quadragesimo, & quadragesimoprimo, in fabulosa narratione de Lucia & Geminiano, terræmotus & aliarum rerum mirabilium meminit: & libro duodecimo, capite quinquagesimoquarto, terræmotum Spoleti factum esse. idem libro duodecimo, capite septuagesimoprimo, cum paterentur Vitus & Modestus, tonitru & terręmotum factum esse affirmat. Sed cum ipse hoc seculo non uixerit, nec certos eius rei habeat autores, quantum mereatur fidei, lector iudicet.

Illud uerò quis nõ omnino fabulosum & idololatricum, uerboq; Dei contrarium esse olfaciat, quod Platina & Hermannus Gigas de Floribus temporum, nugantur, sine ullo ueterũ testimonio, Petrum in somnis apparuisse Marcello presbytero, & præcepisse corpus Marcellini honorificè sepeliri, & pro sancto coli?

Zonaras etiam tomo secundo, sub Diocletiano narrat rumorem, quem haud ex certo aliquo autore acceperit: quòd Constantio Chloro ægrotanti, & ob cæterorum filiorũ ineptam indolem mœsto, angelus astiterit, & præceperit, ut Constantinũ Magnum imperio præficeret.

DE MIRACVLIS SVB CONSTANTINO *Magno.*

A Constantino & exercitu eius, cum esset in expeditione aduersus Maxentium, crucem in cœlo conspectam esse, Eusebius autor est: ex quo sequẽtes historici sunt mutuati, cuius rei descriptionem libuit ex ipso subijcere. Sic autem eam rem narrat lib. primo de uita Constantini: Cum hæc penes se expenderet, ac rectè reputaret, quomodo hi qui multitudine deorum confisi fuerant, usq; adeò multis exitijs obnoxij fuissent, ut nec genus ipsis, nec germen, nec radix, nec nomen ullum aut memoria inter homines supereſſet: Deus uerò patris sui conspicua illi & quàm plurima uirtutis suæ documenta dedisset: sed & consideraret etiam, quàm turpem sortiti fuerint exitum, qui iampridem cum tyranno bella gerentes, cum multitudine deorum aciem instruxerant: quorum alius re infecta è conflictu secesſit, alius uerò etiam in medijs exercitibus cæsus, morti traditus est. Cum hæc inquam omnia animo secum ipse conferret, stultum fore circa eos morari, qui dij non sunt, & post tantum ueritatis experimentum in erro-

rem seduci, ideoque solum paternum sibi Deum colendum esse arbitratus est. Inuocabat itaque hunc precibus suis, orans ac supplicás, ut seipsum sibi, quis nam esset, ostenderet, ac dexteram suam negocijs propositis porrigeret. Hæc autem oranti, ac indesinenter supplicanti Imperatori, ostentum quoddam diuinum summa admiratione dignum apparet: quod forsan haud facile crederetur, si ab alio quopiam narratum esset: cum uerò ab ipso Imperatore uictore nobis, qui ista iam scripto recensemus, diu postea, quando cognitionem ac consuetudinem ipsius consecuti sumus, narratum sit, ac iureiurando affirmatũ: quis nam fidem isti narrationi dare detrectabit? præsertim cum etiã temporis successus certum illi ueritatis testimonium attulerit. Circa meridionalis solis horas, die iam declinãte, ipsis se dicebat oculis in cœlo supra solem trophæum crucis è luce constructum, ac scripturam additam uidisse, sic dicentem: IN HOC VINCE. Quo conspecto, & se stupore correptũ esse, ac totum exercitum, qui aliquò proficiscentem assequebatur, & miraculum spectabat, hæsitádoq; ad se dicebat, Quid nam sibi uult hoc ostentum? Cum uerò ipse cogitabundus esset, deq; eo quod uiderat plurima in animo uolueret, & nox ipsum iam irruens apprehendisset, dormienti sibi Christum Dei, unà cum signo quod in cœlo uiderat, apparuisse, ac præcepisse dicebat, ut signum sibi iuxta formam eius quod in cœlo apparuisset, compararet: illoq; contra hostium conflictus auxilij loco uteretur. Mox orto die, ubi surrexisset, amicis arcanum hoc exposuisse: ac conuocatis auri ac lapidum preciosorum opificibus, in illorum medio sedisse, imaginemq; signi depinxisse, & ut auro illã ac lapidibus preciosis exprimerent præcepisse. Signũ hoc & nos aliquando uidimus: erat autem tali figura elaboratum. Erat hasta in sublime erecta, & auro circundata: cornu habebat transuersum, ad formam crucis factum, supernè in summo apice corona ex lapidibus preciosis & auro contexta, circundata erat: sub quo salutaris appellationis symbolum erat. duo uersus nomen CHRISTI primis characterib. significabant, R litera in medio uacante, quę in galea posterioribus etiam temporibus Imperator ferre solebat. In trãsuerso aũt cornu, quod in hasta transfixũ erat, uelamen quoddam pendulum suspensum erat, regalis scilicet purpura, quæ uarietate preciosorum lapidum inter se cohærentiũ, ac splendore lucis fulgurantium, auroq; multo inserto cooperta, indicibilem exhibebat spectantibus pulchritudinem. Itaq; uelum hoc de cornu pendens moderatam habebat tam longitudinis quàm latitudinis circumscriptionẽ. Ipsa uerò hasta sursum erecta, ad initiũ inferius admodum protracta, supernè uerò in sublime sublata, sub crucis trophæo ad extremitates usq; circundantis illud ueli, pij Imperatoris imaginem ad pectus usq; aureã, unà cum liberorum imaginibus præferebat. Socrates libro primo, cap. secundo, eandem historiam commemorans dicit: Constantinum uidisse columnam lucidam sub specie crucis, cui erant inscriptę literæ dicẽtes, IN HOC VINCE: eumq; interrogasse eos quos secũ habebat, an ipsi quoq; uidissent: ac illos affirmasse, se quoq; uidisse. Sozomenus uerò lib. primo, capite tertio: Paulus diaconus libro undecimo: licet ex Eusebio idem referãt, tamẽ affirmant eum uidisse per soporem, ad Orientem partem in cœlo signum crucis igneo fulgore rutilare: & cum esset ea uisione exterritus, adstitisse angelos dicentes, ἐν τούτῳ νίκα Constantine: quod est, In hoc uince.

Monuerat Deus Constantinum per signũ crucis, & literas additas, IN HOC VINCE, de agnitione & inuocatione ueri Dei, & Domini nostri IESV CHRISTI: in cuius rei memoriam id signum uexillo inscribi curauit, ueresset tanquam symbolum religionis Christianæ. quamobrem Deus etiam non ob superstitiosam hominum opinionem, quasi in eo signo uis inesset, sed propter agnitionem Dei, fidem, inuocationem, & professionem ueræ religionis fecit, ut quædã mirabilia circa id signum acciderent. Nam Eusebius lib. secundo de uita Constantini commemorat, trophæo crucis aciem Constãtini præcedentis, Licinium bis esse uictum. Imperatorem enim selectioribus satellitibus, quos secum habebat, & corporis uiribus, & animi uirtute, moribusq; pijs prędítos, numero nõ infra quinquaginta iniunxisse, ut lãceis suis signũ circundarent & cõplecterentur, ita ut quisq; per uices humeris suis portaret: & si quam exercitus sui aciem laborare & defatigari uidisset, iussisse trophæum crucis quasi auxiliare quoddam medicamẽtum eò deferri, & cõfestim cœpisse suos hostibus fieri superiores. Hæc Imperator ipse (inquit Eusebius) illis qui cõmentarios scribebant, longo pòst tempore, cum ocium nactus esset exposuit: illudq; memoratu dignum narrationi suæ adiecit. In medio, inquit, belli conflictu hoc aliquando accidit, ut exercitu repentino sonitu ac tumultu consternato, is qui signum gestabat in humeris, prę metu anxius esse cœperit: illudq; alteri postea, ut è bello fugeret, tradiderit. Vbi aũt ille signum recepisset, iste qui fugiebat iam extra signi custodiã cõstitutus, telo p inteſtina traiectus cõfoditur, uitaq; spoliatur. Cum hic aũt metu et incredulitatis pœnã dedisset, illicq; iã mortuus iaceret, alter q salutare trophæũ tulerat, uitę suę custodia potitus

potitus est, ita ut sępenumero telis contra ipsum iactis ipse lator seruatus sit, trophęi uerò hasta missa iacula exceperit. Et erat hoc supra modũ admirabile, quòd in breuissima hastæ circumferẽtia appulsa hostiũ iacula, in ipsa quidẽ hasta fixa penetrarãt, uerùm ipse lator à morte liberabatur: ita ut nullo unquã sint iaculo tacti, qui huiusmodi ministerium obibant. Hęc autẽ non à nobis proferuntur: sed ipso Imperatore ad alios ea commemorãte, ad nostras aures peruenerunt.

Zonaras tomo tertio, de imperio Constãtini: & Nicephorus libro septimo, capite trigesimotertio: & libro octauo, capite tertio: & commenticia donatio Constantini, fabulantur, Petrum & Paulum apparuisse Constantino, eumq; hortatos esse, ut accersat Syluestrũ. fore enim, ut suscepta religione Christiana, & baptismo, à lepra liberaretur. idq; eũ fecisse, & cum baptizaretur, subita luce lo cum esse illustratum, & sonum ueluti psalterij & lyræ suauem concentum exauditũ: & Constantinum manu è cœlo tactum, à lepra mundatũ, ex aqua baptismi recenti carne indutũ, quibusdam quasi piscium squamis in unda relictis, egressum esse. Sed hæc ueterũ & probatorum autorum testimonio carent, ac suppositicia censentur.

Cum Licinius esset in expeditione aduersus Constantinum, ostentum quoddam mirabile circa ciuitates tyranno subiectas apparuisse ferunt: nempe uarias armatorum Constantini acies, in ipsa meridie, ciuitates quasi, quæ iam bello uicissent, pertransire: idq; tum uisum est, cum reuera nemo dũ militum illius uspiam cõpareret. Eusebius lib. secundo de uita Constantini.

Sozom. lib. 1, cap. 8, uulgari rumore ferri narrat, Deũ in bello cõtra Gotthos & Sauromatas (quod gestũ est anno Constantini uigesimoseptimo, Domini trecentesimo trigesimosexto) p somnia et ostenta Constantino indicasse, quanta prouidentia ei adsit, & res eius promoueat. Nicephorus lib. 7, cap. 47 dicit, Constantinũ in bello cõtra Byzantios, cũ iã bis uictus esset, iterũ uidisse signũ crucis, in cœlo stellis effigiatũ, hac inscriptione: IN HOC SIGNO HOSTES OMNES VINCES. idq; postridie sic accidisse. Idem lib. 7, cap. 49 autor est, eũ in bello contra Scythas, tertiò crucem illã uidisse. Et Zonaras tomo tertio de Constantino inquit: Ferunt Constantinũ in prælijs cum Licinio & Maxentio cõmissis, uidisse armatum equitem, signum crucis pro uexillo ante aciem suam præferentẽ: ac rursus Adrianopoli duos ei uisos adolescentes, qui hostiũ phalanges cæderent. Item circa Byzantiũ noctu omnibus dormientibus, conspectum ab eo ignem, qui fulguris instar uallum exercitus sui collustraret.

Narrat Nicephorus libro octauo, cap. uigesimotertio, in Nicæna synodo Chrysantũ & Musoniũ episcopos è uita prius decessisse, q̃ Nicænæ fidei subscripsissent. Patres itaq; synodi ad monumenta eorũ accessisse, & scriptũ manibus tenentes, tanq̃ ad uiuẽtes & audientes dixisse: Bonũ certamen sancti patres nobiscũ certastis, cursum peregistis, fidẽ seruastis. Si igitur ratũ esse debet, quod à nobis actum est, quoniam nunc nullo interposito obstaculo Trinitatis splendore illustrati, clarius id perspicitis, peropus est uos nobiscũ libello subscribere. Hæc cum dixissent, libellum obsignatum ad tumulum deposuisse, noctemq; totam insomnem egisse. Et postridie ad locum redeuntes, signa inuiolata inuenisse: et libello resignato, subscriptiones illorum reliquis insertas cognouisse, recentes adhuc, & in hęc uerba cõceptas: Chrysantus & Musonius, qui cum patribus omnib. in sancta prima œcumenica synodo Nicæna consensimus, quamuis corpore translati, manu tamẽ propria nos quoque libello subscripsimus. Sed hæc non tantum testimonio eorum qui tum uixerunt destituuntur, uerùm etiam aliena sunt à pietate & fide patrũ Nicenæ synodi.

Celebratur ab Ambrosio, in oratione funebri de obitu Theodosij: & Ruffino lib. 1, cap. 8: & Socrate lib. 1, cap. decimoseptimo: & Theodoreto lib. primo, cap. decimooctauo: & Sozomeno libro secundo, cap. primo, miraculosa crucis in qua pependit CHRISTVS inuentio. Eusebius uerò, qui eo tẽpore uixit, & qui libro tertio de uita Constantini etiam meminit Helenæ, & loci Resurrectionis CHRISTI, iussu Imperatoris repurgati, ne uerbũ quidẽ ea de re facit. & uideretur eius prorsus ignarus fuisse, nisi in Chronico eius hæc extarent annotata: Anno Domini trecẽtesimo uigesimoquinto, Imperij Constantini decimi sexti, Helena Constantini mater, diuinis monita uisionibus, beatissimũ crucis signum, in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymã reperit. Verùm quàm facile hæc à posteriorib. inseri potuerũt? Quia aũt antiquiorem non habemus eius rei narratorem Ambrosio, placuit ex ipsius uerbis eam historiam connectere.

Sic inquit sub finem orationis funebris de obitu Theodosij: Helena mater Constantini, anxia pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinauit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis. Venit ergo Helena, cœpit reuisere loca sancta. infudit ei spiritus, ut lignũ crucis requireret. Accessit ad Golgathã, & ait: Ecce locus pugnę, ubi est uictoria? Quæro uexillum salutis, & non inuenio. Ego, inquit, in regnis, & crux Domini in puluere? ego in aulis, &

ruinis Christi triumphus? Aperit itaq; humum, decutit puluere: tria patibula confusa reperit, quæ ruina cõtexerat, inimicus abscõderat. Sed non potuit obliterari Christi triũphus. incerta hęret, ut mulier: sed certam indaginem spiritus inspirat, eo quòd duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum. sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret & inuerteret. Redit ad Euangelij lectionem, inuenit quòd in medio patibulo prælatus titulus erat, IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Hinc collecta est series ueritatis, titulo crux patuit salutaris. Inuenit ergo titulum, Regem adorauit: non lignum utique. quia hic gentilis est error, & uanitas impiorum. Sed adorauit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo. Quæsiuit clauos, quibus crucifixus est Dominus: & inuenit. De uno clauo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad deuotionem uertit. Misit Constantino filio suo diadema gemmis insignitum, quas preciosior ferro innexas, crucis redemptionis gemma cõnecteret. Misit & frenum: utroq; usus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros reges. Verùm Erasmus iudicat, hæc scripta non esse Ambrosij: Meritò igitur de fide laborat historia. Ruffinus uerò, qui paulo post Ambrosium uixit: & Socrates, Theodoretus, & Sozomenus, in cæteris quidem consentiunt: uerùm quædam siue de suo, siue aliorum cerebro addunt: nempe quòd titulus à cruce auulsus, non potuerit denotare crucem. quamobrem Macarium Hierosolymorum episcopum, præmissa oratione ad Deum, sigillatim illas tres cruces, unam post aliam, primariæ cuidam fœminæ, iam propè uicinæ morti imposuisse. Sulpitius Seuerus in libro secundo sacræ historiæ: & Sozomenus libro secundo, capite primo: & post eum Nicephorus lib. octauo, capite uigesimonono, etiam mortuo cuidã impositam esse nugantur, & ex recuperata ualetudine innotuisse, quæ nam esset crux Domini: & Helenam unam portionem crucis theca argentea inclusam, ad memoriam illic uisere cupientibus reliquisse: alteram autem Imperatori misisse: quam solus Socrates libro primo, capite decimoseptimo, ex uulgari rumore & testimonio incolarum Constantinopolis asseuerat, Constantinum (ita persuasum, quòd ea ciuitas foret salua, in qua portio crucis asseruaretur) accepisse, & in sua ipsius statua condidisse, quam Constantinopoli in foro, de suo nomine dicto, in purpuream & magnam columnam collocauerit. Sed cum superstitiosa illa opinio Constantino pio Imperatori haud competat, ut qui mediocriter in doctrina Christiana instructus, nouerit non in ligno uim aliquam esse conseruandæ ciuitatis: sed si quid fecit, ad memoriã conseruandam passionis Domini fecit: relinquatur ea Socrati & alijs hominibus superstitiosis, qui doctrinæ puritate amissa, ex antiquitatis uestigijs, superstitiosas & idololatricas uenerationes fabricarunt, comminiscentes uarios & miraculosos euentus: quales Nicephorus libro octauo, capite trigesimosecundo, de tertia cruce à Constantino in columna marmorea Constantinopoli in ἀγορᾷ πωλίῳ, hoc est foro panario collocata commemorat: quòd eius uirtute sanati sint, qui rigore inflammationis uexarentur, & oculorum doloribus & suffusionibus premerentur, & quòd angelus Domini ter quotannis per altissimum intempestæ noctis silentium, uelut fulgur ad eam descenderit, & circa eam suffitum secerit, & hymnum trisagion cecinerit, ac rursum ueluti stella micans subuolarit. Idem libro octauo, capite quinquagesimoquinto narrat, ad tumbam Constantini Magni, & statuam ipsius in porphyretici marmoris columna positam, magna miracula edita esse, ut nulla ægritudo contrectatis eis non cederet. Verùm hæc superstitiosa sunt, & hoc seculo non acciderunt, & non carent suspicione monastici figmenti.

Cum Constantinus Imperij sui anno decimo, Christi uerò trecentesimo uigesimoprimo, in campo qui est ante Ilium ad Hellespontum, supra Aiacis sepulchrum descripsisset spacium ædificandæ urbis, noctu oraculo admonitus est, ut Byzantium Thraciæ ultra Chalcedonem Bythyniæ repararet. Sozomenus libro secundo, capite tertio: Nicephorus libro septimo, capite quadragesimooctauo: & libro octauo, capite quarto. Zonaras uerò & alia ea de re nugatur, tomo tertio, de Imperatore Constantino: quòd postquam oraculo admonitus esset, ut urbem extrueret, eique nomen de suo nomine faceret, primùm in Sardica, deinde in Sigæo, denique in Chalcedone id opus inchoarit. Sed aquilas deuolasse, fabrorumque funiculos arreptos, freto superato iuxta Byzantium deiecisse: idq; aliquoties factitasse. & eo augurio Constantinum motum, isthuc architectos transtulisse. His uerò, ut ædificationem istius urbis planè miraculosam efficeret, Nicephorus libro octauo, capite quarto, etiam hoc cõmentum adijcit: De ea, inquit, illud quoque memoriæ proditum est, ut Imperator ipse pedibus, hastam manu tenens, ambitũ mœniaq; eius definiens circumijt, quòd comitibus eius ulterius quàm cõueniret, pomœria urbis proferre

proferre uideretur, quendam ex eis ad eum accesisse, atq; rogasse: Quò usq; tandem here? illumq; disertè respondisse: Eò usq;, dum qui me præcedit ductor constiterit. Vnde satis constabat, cœlestem quampiam ei præijsse uirtutem, quæ eum, quod fieri deberet, instrueret.

Michaelem in traiectu, & in eo loco qui Sostheniũ appellatur, apparuisse in somnis Constãtino illic cubanti, & dixisse: Ego sum Michael archidux Domini Sebaoth uirtutũ, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti auxilia arma contuli: & eam ob causam Constantinum ibi duas ecclesias archangelo Michaeli extruxisse, autor est Nicephorus libro septimo, capite quinquagesimo. Hermãnus Gigas, id factum anno Domini trecentesimo trigesimo, annotat. Hæc cum à probatis autoribus, qui hoc seculo uixerunt, ignorentur, ad superstitiones confirmandas excogitata à posterioribus, non multum fidei apud ueritatis studiosos mereri possunt. Meminit etiam eius loci Sozomenus libro secundo, capite tertio: & Michaelem appellari dicit, eo quòd Michael ibi apparuisse credatur. quod etiam ipse eo probare nititur, quòd multi uarijs morborũ generib. correpti, ibi Deo supplicantes sint sanati: cuius rei gratia commemorat fabulam de Aquilino & Probiano. Verùm hæc omnia superstitiosa sunt, & ad Constantini seculum non pertinent: sed Sozomeni tempore, siue propter superstitionẽ euenerunt, siue conficta sunt.

Ruffinus libro primo, capite decimo, ex Bacurij regis gentis Iberorum, quæ habitat ad Pontum Euxinum, relatu narrat: tempore Constantini Magni eam gentem, per fœminam quandam captiuam, regis filium oratione curantem, de religione Christiana reginam instruentem, beneficium quoddam à Christo regi illi exhibitum, cõuersam templum ædificare cœpisse: & structis muris, cum iam columnæ essent duæ impositæ, & tertia foret eleuanda, non potuisse eam loco moueri. Sed fœminam illam oratione sua impetrasse, ut columna illa, quam tot machinæ & tot homines mouere non poterant, altero die esset erecta, & supra basim libratè suspensa, nec tamen superposita, & ipsis hominibus spectãtibus sensim super basim suam, summa cum libratione considêret. Eadem referunt ex Ruffino Socrates libro primo, capite uigesimo: & Sozomenus libro secundo, capite sexto. Theodoretus uerò libro primo, cap. uigesimotertio, cum etiam ipse historiam de cõuersione Iberorum commemorat, hæc quæ miraculose circa columnã euenerint, præterijt: fortè eam ob causam, quòd haud uera esse cognouit, aut iudicauit.

Cum Constantinus præcepisset, ut omnibus ecclesijs decimæ soluerentur de omnibus rebus, uox in aere audita est: Hodie uenenum infusum est Ecclesiæ. Autor est Hermannus Gigas. Malleolus autem de nobilitate asserit, manum in Laterano uisam esse ad parietem, cunctis uidentibus simul ac legentibus, scribere: Hodie uenenum Ecclesię infusurus. idq; eo die factum esse, cum Constantinus magnus Sylueſtro pontifici dederit ecclesiæ Romanæ palatiũ Lateranum, urbem Romã ac Italiæ prouincias. Idem Nauclerus libro secundo, Generatione undecima affirmat: ac colligit, non tam ad res donatas, quàm ad iurisdictionem secularem, & superbiam, quam diuitię pariunt, eam uocem, si tamen unquam audita sit, referendam esse.

Biennnio ante mortem Constantini, Cometa inusitatæ magnitudinis fulsit. Eutropius libro undecimo: Orosius libro septimo, capite decimonono.

DE MIRACVLIS SVB FILIJS *Constantini.*

ANno primo Constantij, Christi uerò trecentesimo quadragesimoprimo, Sapores rex Persarum, cum obsideret Nisibin, uidit stantem in muro quendam ornatu Imperatorio, splendoremq; conspexit purpuræ ac diadematis: ac suspicatus adesse Romanorum Imperatorem, cunctis interminabatur supplicium, qui nunciarant eum abesse. Illis uerò affirmantibus se uerum nunciasse, & Constantiũ Antiochię esse, uisionis significationem intelligẽs: Deus, inquit, pugnat pro Romanis. Theodoretus libro secundo, capite trigesimo: & Zonaras tomo tertio, de Imperio filiorum Constantini.

Anno quarto Constãtij, Domini uerò trecentesimo quadragesimoquarto, multæ urbes Oriẽtis terræmotu terribili conciderũt. Hieronymus in Chronico. Socrates libro secundo, capite septimo & decimo narrat, quinto anno post mortem Constantini, consulibus Marcello & Probino, Antiochiæ celebratam synodum, damnasse Athanasium: & fidem Nicænam uerbis quidem probasse, sed re ipsa damnasse, & aliam substituisse. Et paulo pòst, Deum eam impietatem terrę motibus in Oriente passim excitatis, maximè uerò Antiochiæ, quæ integrum annum concussa sit, puniuisse. Eadem Sozomenus lib. tertio, cap. decimoquarto refert. Eutropius uerò libro undecimo, etiam terræmotũ in Beryto Phœniciæ ciuitate factum esse scribit, & plurimã partem eius oppidi corruisse: eaq; calamitate multos gentiles terrefactos, Ecclesiã ingressos esse, & spopõdisse se Christianam religionẽ amplexuros, si liberẽtur.

Anno septimo Constãtij, Domini uerò trecẽtesimo quadragesimoseptimo, Neocęsarea

in Ponto terræmotu subuersa est, excepta ecclesia ac episcopo, cæterisq; qui ibidē reperti sunt. Hieronymus in Chronico: & Eutropius lib. 11: Orosius lib. 7.

Anno Constantij octauo, Domini uerò trecentesimo quadragesimooctauo, Dyrrachium Dalmatiæ terræmotu corruit, & tribus diebus & noctibus Roma nutauit, pluri mæq; Campaniæ urbes uexatæ sunt. Hieronymus in Chronico: Eutropius libro undecimo, de Constantio.

Anno eiusdem decimo, Domini uerò trecentesimo quinquagesimo, sol defecit: absque dubio denuncians sequuturam cladem, quam Romani à Persis acceperunt. Hieronymus in Chronico.

Apud Daphnen, amœnum illud & ambitiosum Antiochiæ suburbium, uisu relatuq; horrēdum natum est monstrum: infans ore gemino, dentibus cum binis, & barba, quatuorq; oculis, & breuissimis duabus auriculis: qui partus ita distortus, monebat rempublicam in statum uerti deformem. Marcellinus lib. 19.

Anno Constantij decimoseptimo, Domini uerò trecentesimo quinquagesimoseptimo, in die Pentecostes, cum Gallus à Cōstantio Cęsar creatus, & in Syriam ablegatus, Antiochiam ueniisset, signū crucis in cœlo splendidè refulgens apparuit, non sicut Cometes radijs defluens, sed corpore multę lucis, mediocriter & densum & perspicuum, longitudinem habēs uelut ex Cranio seu Golgatha usq; ad montem Oliuarum, ac circiter quindecim stadijs cœlum ea regione complectēs: latitudinē uerò longitudini correspondentem. Sozomenus lib. quarto, capite quinto: Hieronymus in Chronico: Eutropius libro undecimo: Nicephorus libro nono, capite trigesimosecundo.

Porrò ea quæ Sozomenus libro quarto, capite tertio, de Martyrio & Marciano circa hoc tempus occisis narrat, quòd monumento eorum ante muros Constantinopolitanos, quod à Ioanne incœptum sit, & à Sisinnio perfectum, locus ille qui antea inuius fuisset propter spectra, sit purgatus, & insulani à dæmonibus illic liberati, fabulosa & superstitiosa sunt.

Cum Iulianus circiter annum Constantij uigesimum, Domini uerò trecentesimū sexagesimum, esset Cæsar creatus, & in expeditione esset aduersus Barbaros, & in quādam ingrederetur ciuitatem, corona laurea, quibus solent ciuitates ornari, inter columnas pendens, rupto fune super caput eius decidit, eumq; aptissimè coronauit: quòd cuncti clamore suo, Imperij ei fore signum interpretati sunt. Eutropius lib. undecimo: Socrates libro tertio, capite primo.

Anno Constantij uigesimotertio, Domini trecentesimo sexagesimotertio, consulibus Tatiano & Cerealio, uicesimaoctaua mensis Augusti, cum Imperator mutata sententia de Nicæa, suasu Basilij, Nicomediæ Bithyniæ synodum indixisset, terræmotus id oppidum subuertit. Socrates libro secundo, capite trigesimonono: & Hieronymus in Chronico. Theodoretus libro secundo, capite uigesimosexto, hæc de Nicæa narrat, sed deceptus est errore famæ: ut apparet ex Sozomeno libro quarto, capite decimosexto. Etenim fama, (inquit) sicuti solet, mala ista his qui procul erant, non hactenus tantum annunciabat, quatenus acciderant: sed spargebat in uulgus, & Nicæam & Perinthum & reliquas ciuitates uicinas, & Constantinopolim, calamitatis huius factas esse participes. Idem narrat, Deum Arsatio cuidam antea reuelasse, cladem illam futuram: illum uerò, cum alijs hominibus exposuisset, & hortatus esset ad pœnitentiam & preces, esse derisum. Quare Deum non tantum terræmotu id oppidum concussisse: sed etiam igne inflammasse, & in cinerem redegisse.

Cum Constantius propter bellum Persicum esset Antiochiæ, & Iulian⁹ ad eum iret, uindemia iam collecta, circa occasum pleiadum, uuæ denuò sunt prolatæ: & imber ex aëre descendens, in eius simul ac cæterorum uestem singulas crucis signaculo guttulas formauit. id uerò alij aliter sunt interpretati. Nam ipse pro bono omine habuit: alij uerò dicebant, uuarum signum præter tempus, significare perditionem Imperatoris, ad instar huiusmodi botrorum, & parui temporis fore eius imperium. Per cruces uerò, calamitates Ecclesiæ denotari. Eutropius libro undecimo, de Constantio: Sozomenus libro quinto, capite primo.

Anno Domini trecentesimo sexagesimoquarto, Constantij uerò uigesimoquinto, cum moreretur Constantius Mopsocrenus, magno terræmotu bona pars Constantinopolis diruta est. Eutropius libro undecimo. Honorius uerò, eodem terræmotu multas etiam Orientis ciuitates esse deiectas affirmat. Nec est dubium, quin Deus tot terræmotibus, qui acciderunt sub hoc Imperatore, testatus sit, sibi Arianas blasphemias aduersus filium DEI omnino displicere.

Posteriores quidam autores, quia nimij uitæ monasticæ & sanctorum defunctorum fuerunt præcones, rumusculos undecunque arreptos annotarunt, ad res illas nouas & uerbo Dei minus consonas commendandum. Hinc Sozomenus libro tertio, capite decimoquarto: Ferunt, inquit, de Papchomio monacho, quòd apparitione diuini angeli

angeli admonitus sit, colligere iuniores monachos: & libellum illi dederit, continentem regulas uitæ monasticæ. Et de Hilarione narrat, quòd ad monumentum eius etiamnum multi ægroti & dæmoniaci curentur: idq; tam apud Cyprios fieri, ubi primùm educatus, quàm apud Palæstinos, quò translatus sit. Verùm hæc inter signa mendacia, quib. superstitiones & Antichristi idololatriæ confirmandæ erant, in secunda ad Thessalonicenses epistola, capite secundo, suum habeant locum.

Extat inter opera Athanasij libellus de passione imaginis Christi, in quo cõmemoratur, Iudæos in Syria, in urbe Berytho, imaginem CHRISTI olim à Nicodemo compositam, & uastata Hierosolyma in Syriã translatam, crucifixisse: & lancea dextrum eius latus perfossum, aquam & sanguinem emisisse, & hydriam compleuisse. Eo uerò cruore Iudæos unxisse paralyticum, & alios quamplurimos ægrotantes, eosq; subitò pristinæ ualetudini restitutos esse. Quamobrem Iudæos conuersos, religionem Christianam suscepisse, & baptizatos esse à metropolitano: qui etiam cruorẽ illum uitreis ampullis exceptum, per Asiam, Aphricam & Europam miserit. Sed librum illum Athanasij nõ esse, facilè ex phrasi agnoscitur. Nec id hoc seculo accidisse, ab autoribus fide dignis annotatur.

DE MIRACVLIS SVB *Iuliano.*

QVæ Iudæis, instaurare templum Hierosolymitanũ molientibus, permissu Iuliani, acciderint prodigiosè, infrà suo loco exponemus. Narrat Theodoretus lib. 3, cap. 2, Iulianũ in adolescentia sua, metu tyrannidis Constantij, q propinquos suos iugulari curabat, in Lectorũ cœtũ sese abdidisse, & in eo sacros libros populo recitasse, ac tandẽ ędẽ martyrum extruere cœpisse. Verùm martyres perspecta eius animi peruersitate, molestè eius labores tulisse: & fundamenta eius templi, antequã cõsecraretur, imitata animi eius mutabilitatem, collapsa esse. Sed portentum hoc quidẽ fuisse, concedi possit. Verùm quòd eam rem sanctis martyribus adscribit, qui non sunt καρδιογνώσται, & qui dormire dicuntur, erroneum est.

Cum Constantius Gallum in Oriente Cęsarem fecisset, Iulianus in spem potiundi Imperij uenit. Discurrebat autem per Græciam, & quærebat uates & ariolos, eosq; consulebat de rerum euentu. Cum autem in quendam incidisset, qui polliceretur sibi prędicturum futura, & in simulachrorum adita introductus esset, inuocabat ille magus dæmones. Apparebant autem subitò illi, & quidem forma (ut solent) atra & horrida. Iulianus metu perculsus, ilicò frontẽ signat cruce. Ad eã rem dæmones subitò disparent, Dominici trophæi & sui stragis memores. Sed præstigiator obiurgat Iulianum, ob metum: & cùm Iulianus uim crucis admiraretur, ex animo eius eam opinionẽ illo sophismate euellebat, quòd dæmones non ob crucem euanuissent, sed odio facti eius. Theodoretus libro tertio, capite tertio: Sozomenus libro quinto, capite secundo.

Pythius Daphnæus à Iuliano consultus, de euentu expeditionis in Persas: respondit, se à uicinis mortuis impediri: ijs uerò aliò translatis, se uelle prædicere futura promittebat. Erat autem in eo luco sepultus Babylas, & alij martyres. Iulianus itaq; Christianis cõcesisit, ut reliquias Babylę aliò trãsferrent. Hac uerò re diabolus paulatim superstitionem de mortuorum reliquijs, earumq; uirtute instillare incautis hominum mentibus studuit. Nam cum à Deo prohiberetur fascinare homines, is astutè per mendacium & fallaciam eam uim sanctis mortuis affinxit, ut superstitionem reliquiarũ, sicut dictum est, confirmaret. Verùm non multo pòst, cum Babylas inde esset translatus, fulmen cœlitus demissum, totum templum Apollinis incendit: & eius simulachrum ligneum quidem, sed auro obductũ, in cineres redegit. Quo Deus uerus testatus est, de fictitij Dei & idoli uanitate: & quòd non sancti mortui, sed Deus qui in cœlis habitet, dæmonem illum represserit. Theodoretus libro tertio, capite undecimo: Sozomenus lib. quinto, cap. decimonono, uigesimo, & uigesimoprimo.

Narrat Theodoretus libro tertio, capite decimoquarto, se ex quodam sene, qui filius fuerat cuiusdam Sacerdotis, audiuisse, quòd cum in adolescentia à patre aufugisset Antiochiam, ibiq; à Melitio Christianam religionem percepisset, à patre uerò quæsitus & repertus, domumq; retractus, & post multa uerbera cubiculo inclusus esset, numine quasi correptus, & diuina auctus uirtute, omnia paterna idola in eodem cubiculo collocata contriuerit. Cum autem metueret patris reditum, eiusq; ob idola indignationẽ, ad CHRISTVM deprecabatur, ut se respiceret, & perfringeret seras, & fores panderet. Nam tua, inquit, causa hæc passus sum, & feci. Quæ cum dixisset, resiliebant seræ, & aperiebantur fores.

Sozomenus libro quinto, capite secundo, ex relatu aliorum narrat: aliquando accidisse, cum Iulianus exta gentilium more ad indagandum religionis Christi euentum inspiceret, ut signum crucis corona circundatum, in ijs inueniret. Ea uerò res cæteros diuinatores turbabat, qui augurabantur,

tur, religionem & doctrinam crucifixi fore ſempiternam, propterea quòd corona, qua crux erat inuoluta, uictoriæ: & circulus initio & fine carens, perpetuitatis eſſet ſymbolum. Sed magiſter præſtigiarum coniectabat, crucem circulo incluſam ſignificare religionis Chriſtianę anguſtias & carceres, quibus incluſa exitium ſit ſortitura. Meminit etiam huius Gregorius Nazianzenus, prima oratione infamatrice in Iulianum. Idē libro & capite eodem refert, ſuo tempore adhuc in uiuis fuiſſe, qui indicarint, ſe ex alijs, qui ſuis oculis ſpectarint, audiuiſſe, quòd cum Gallus & Iulianus Maximæ martyris monumentum maxima æde cingere inſtituiſſent, & partiti id opus fuiſſent, ut alter alterum excellere magnificentia & honore certarent, Galli quidem ædificationem ſucceſsiſſe: uerùm Iuliani opera alia ſubruiſſe: alia, ex fundamentis producta, ubi pauimentum attigerint, non ſubſtitiſſe. terra enim, ut Gregorius Nazianzenus in oratione prima infamatrice in Iulianum ait, euomebat id quod à Iuliano laboratum erat. & Nicephorus refert libro decimo, capite primo, cementa & materiam aliam eiectam, & in terram tanquam uento ualido proſtratam eſſe, & quoldam etiam lapides coniungi conglutinariq; non potuiſſe: & multos inde coniectaſſe, Iuliani animum erga religionem minus eſſe ſyncerū, ſed propter Gallum, eum pietatem ſimulare. Sed fortè etiam ea de re Deus teſtatus eſt, ſibi mortuorum ſanctorum ſuperſtitioſum cultum non placere. Optatus narrat libro ſecundo contra Parmenianum, Donatiſtas in perſequutione iuſsiſſe, Euchariſtiam orthodoxi epiſcopi canibus fundi: ſed eos canes in rabiem uerſos, dominos ſuos dilaniaſſe.

Cum Iulianus Cæſareæ Philippi, amota imagine Hæmorrhouſſæ, de qua diximus in priori Centuria, ſuam ipſius ſtatuam ſubſtituiſſet, nimirum ut ſuperſtitioſam herbæ illius uim ſenſim ſibi adſcriberet: ignis uehemens cœlitus delapſus, ſtatuam Iuliani circa pectus diſcidit, & caput unà cum collo deiecit, telluriq; facietenus infixit, quatenus media circa pectus fuerat diſrupta. Imaginem uerò Chriſti Ethnicos trahendo tum temporis confregiſſe: eamq; à Chriſtianis eius loci collectā, in Eccleſiā collocatā eſſe, narrat Sozom. libro 5, capite 21. Sed uidetur etiam ea fulmine confracta eſſe: ut extaret teſtimonium, ſuperſtitionem illam, qua ſtatuis uis aliqua tribuitur, Deo non probari.

Cæterùm ea quę Sozomenus eodē in loco narrat, de fonte circa Emahus, poſtea Nicopolim dictam, ubi Chriſtus cum Cleopha poſt reſurrectionem ambulans, in alium ſe uicum properare ſimulauit, & ubi cum diſcipulis aliquando lauarit pedes, quòd eam acceperit uim, ut eſſet medicina omnis generis morborum, non modò hominibus, ſed etiam animātibus: planè ſunt ſuperſtitioſa, & inferiori ſeculo, in quo Sozomenus uixit, attribuenda.

Rei admirandæ loco narrat Zonoras, tom. tertio in uita Iuliani, quòd Tarſi columnas Æſculapij, à ſacerdote Chriſtiano, ædificio oratorij inſertas, cū eas permiſſu Iuliani Ethnici repeterent, euulſerint quidem è contignatione, & ad ianuas aduoluerint: ſed ulterius promouere nequiuerint, ideoq; re infecta diſceſſerint: & quòd poſt mortem Iuliani ab epiſcopo Ægæ, oppidi Ciliciæ, leui opera in ſuum locum reſtitutæ ſint.

Solent & reuelationes, & apparitiones, & uiſiones nonnihil admirationis mouere. Sed ea quæ hoc ſeculo accidiſſe quibuſdam priuatis hominibus commemorantur, plerāq; ſuperſtitionem & uanitatem redolent. Huius generis eſt, quod Sozomenus libro quinto, capite nono refert: Deum mulierculæ cuidam Gazæ habitanti reuelaſſe, Euſebij & Neſtabi martyrum oſſa, inter camelorum & aſinorum iacere cadauera: & iuſsiſſe eas reliquias colligere, & aſſeruare.

Simile & illud eſt, quod Nicephorus libro decimo, capite duodecimo commemorat, quòd cum Iulianus res in foro Antiochiæ uenales, uidelicet panes, carnem, poma, placentas, ſacrificiorum ſanguine contaminaſset: Deus arcano modo Theodorum martyrem ſub Maximino interfectum, ad epiſcopum Euzoium miſerit, & abſtinere à rebus illis in foro uenalibus, & triticum in ollis coquere & comedere iuſſerit.

Huic affine etiam illud eſt, quòd Naucle rus libro ſecundo, Generatione decimatertia narrat: Baſilium Cæſareæ Cappadociæ epiſcopum, cum ob minas Iuliani, quibus Cæſaream, reuerſus ex bello Perſico, ſubuerſurum ſeſe dixerat, indicto ieiunio triduo in templo Mariæ uirginis, Deo ſupplicaſſet, in ſomnis uidiſſe Mercurium militem dudum defunctum, mandato Mariæ uirginis occidere Iulianum. & ea uiſione commotum, adijſſe ſepulchrum Mercurij martyris, & arma ibi pendentia non reperiſſe. Ædituum autem interrogatum, quò arma eius peruenijſſent: reſpondiſſe, ſe neſcire. & ſacramēto adfirmaſſe, ueſperi ea adhuc adfuiſſe. redijſſe itaq; Baſilium in montem, & nocte excitaſſe alios, eisq; dixiſſe, Iulianum eſſe interfectum. eo nuncio excitatos, uenisſe ad Mercurij ſepulchrum, & lanceam eius priſtino loco reſtituram, & cruore fœdatam reperiſſe. Sed ad confirmandam inuocationem

nem Mariæ uirginis, & mortuorum uenerationem, hæc à posterioribus conficta esse, ex eo constat, quòd eius rei neque ipse Basilius, neque alij uetustiores meminerunt scriptores. Et quòd ex historia Basilij constat, eum tempore Iuliani Cæsareæ non potuisse agere episcopum, cum post aliquot multos annos Imperij Valentis, episcopus creatus sit: ut refert Sozomenus libro sexto, capite decimosexto: & Hermannus Gigas in suis floribus temporum, sub Iuliano, hanc fabulam non de Basilio, sed de Blasio quodam episcopo Cerasteusi contexit.

Huc pertinere etiam uidetur uisio de morte Iuliani, quam amicum quendam Iuliani uidisse, Sozomenus indicat lib. sexto, capite secundo. Quòd cum ad eum (inquit) in Persia existentē properaret, & in loco quodam uiæ publicæ diuertisset, ac penuria domestici hospitij coactus, in Ecclesia, quæ illic erat, dormiret, noctu ad eum, siue uigilantem siue dormientem, multi ex apostolis & prophetis congregati, de contumelia Imperatoris aduersus Ecclesias conquesti sint, ac quid faciendum esset inter se cōsultauerint: & postquam ea de re multis deliberassent, ac ueluti perplexi essent, duo in medium surgentes, aliosque bono animo esse iubentes, ac festinanter tanquam ad destruendum Iuliani imperium properantes, concilium illud reliquerint: & quòd homo ille, rerum istarum admirabilium spectator, susceptum iter deinceps negligens, ut quis esset uisionis illius futurus exitus uideret, rursus eodem loco dormierit, iterumq; eundem conuentum uiderit. ad quem subitò ueluti ex itinere reuersi, ingressi sint illi qui præterita nocte contra Iulianum pugnaturi discesserant, ac reliquis annunciarint esse eum occisum. Eodem autem die Didymus philosophus ecclesiasticꝰ, Alexandrię degens, ac propter Imperatoris aduersus Ecclesias obstinationem contristatus, cùm quòd ille seductus esset, tum quòd Ecclesiæ contemnerentur, ieiunauit, & Deo hac de causa supplicauit. & quoniam ea cura premebatur, nihil cibi ne nocte quidem ingruente accepit: sed sic in sede constitutus, in somnum incidit, ac uelut in ecstasim raptus, uisum est ipsi, uidere se equos albos in aere cursantes: & eos qui illis insidebant, quasi præconis uoce clamantes, annunciate Didymo, hoc die, circa hanc horam, occisum esse Iulianum: & is hoc Athanasio episcopo significet. Hac uisione accepta, surrexit & comedit. Et hæc quidē cùm ab amico et familiari Iuliani, tum à philosopho uisa, sic gesta esse percepit: & neuter ex illis in his quæ uidit, à uerirate aberrauit, sicut postea patuit.

Pridie quàm perijt Iulianus, Ethnicus quidam ex ordine iudicum Antiochię iuxta prætorium excubans, uidit congeriem stellarum, literas in hanc sententiam exprimentem: HODIE IVLIANVS IN PERSIA OCCIDITVR. Notato tempore, postea cognitum est, eodem die fuisse eum interfectum. Zonaras tomo tertio, in Iuliano.

Narrat Aurelius Victor, in Iuliano, terræmotus uetuisse expeditionem Iuliani in Persidem: & nocte, diem qua interijt præcedente, ingentem globum cœlo labantem uisum esse, qui significarit infœlicem belli euentum.

MIRACVLA SVB VALENTINIANO & VALENTE.

ANno secūdo Imperij Valētiniani, Christi uerò trecentesimo sexagesimonono, ut annotat Hieronymus in Chronico, & primo cōsulatu Valentiniani & Valentis (ut indicat Socrates libro 4. cap. 3.) terræmotus per totum orbem factus, afflixit multas ciuitates, & mare terminos suos mutauit: quibusdam enim locis usq; adeò exundauit, ut loca quæ antea peruia fuerant, undis opplerit: & alia loca ita deseruit, ut arida sint repertа. Nam Sicilię & multarum insularū urbes, & innumerabiles populos oppressit. Alexandriæ mare subinde discedēs & recurrēs, recursu suo consuetos terminos transilijt, & prolixo spacio aridam inundauit: ita ut in fastigijs tectorum, post undarū delapsum, scaphæ marinæ sint inuentæ. Ac narrat Marcellinus se unam uetustate corruptam uidisse.

Hieronymus in Chronico, & in uita Hilarionis: Socrates lib. quarto, capite tertio: Sozomenus libro sexto, capite secundo: Paulus Diaconus libro duodecimo: Orosius libro septimo. Meminit etiam Nazianzenus in oratione funebri Cæsarij fratris, & dicit: Nicæam etiam tum esse concussam, & præter Cæsarium, paucos alios periculo esse liberatos.

Consulatu Licinij & Iouiani, & quarto Imperij Valentiniani, Christi trecentesimo septuagesimoprimo, delapsa est grando Constantinopoli, secunda mensis Iulij adeò magna, ut manum adimpleret, & lapidibus similis esset. Hanc autem grandinem multi ab irato Deo deiectam esse dicebant, ob Valentis scelus: quòd synceros quosdam doctores, Eudoxio communicare detrectātes, exilio multasset. Socrates libro quarto, capite decimo: Hieronymus in Chronico: Paulus Diaconus.

Eodem anno apud Atrebatas uera lana pluuiæ immixta, è nubibus destillauit. Hieronymus in Chronico, Paulus Diaconꝰ, Orosius libro septimo. Hermannus Gigas in tertium Imperij Valentiniani annum id reijcit.

Anno

Anno Imperij Valentiniani & Valentis quinto, cum uterq; consulatum secundò gereret, Christi uerò trecentesimo septuagesimosecundo, terræmotus circa Bithyniã fiebat: & Nicæa, quæ sæpe antea corruerat, undecima mensis octobris funditùs est subuersa. Factũ hoc esse anno duodecimo post ruinam Nicomediæ, Socrates libro quarto, capite decimo numerat. Verùm iuxta Hieronymi Chronicon decim⁹ duntaxat fuit. Paulò post hunc terræmotum, etiam Germæ ciuitatis Hellesponti multæ partes alia concussione terræ subrutæ sunt: & uidebantur isti terræmotus indicia esse futurarum perturbationum Ecclesiæ. Socrates ibidem.

Anno imperij Valentiniani septimo, Christi trecẽtesimo septuagesimoquarto, magna fuit Cæsareæ siccitas: quã ingens fames subsequuta est. Basilius sermone tertio in diuites, & Hieronymus in Chronico.

Zonaras tomo tertio, de imperio Valentis: & post eum Nauclerus, Generatione decimatertia, commemorant de Basilio, quòd cum legatione fungẽs pro catholicis episcopis expulsis, apud Valentem nihil promouisset, in hæc uerba tandem eruperit· Iudicium huius controuersiæ Deo est permittendum, Imperator. Claudatur templum accuratè. Ariani foris stantes precentur Deum. id si ultro eis patuerit, habento: sin minus, concedatur & nobis precari Deum. Quod si ualuæ ultrò apertæ fuerint, statuendum erit, sacram ædem à Deo nobis esse attributam. Sin ea nec nobis aperta fuerit, sic etiam ad Arianos pertineto. Placet Imperatori sententia, consentit, ædes Nicæna undique clauditur. Precantur Ariani Deum. Cum satis diu nugati essent, ædes non aperitur. Cum autem tandem re infecta, hæretici recessissent: uenit Basilius cum suis, & facta oratione, præcinit illud Psalmi: Attollite portas principes uestras, & introibit rex gloriæ. Ad eas uoces contriti sunt uectes, & rupta sunt claustra, ac uento irruente apertæ sunt portæ. Sed si hæc ita acciderunt, mirum quòd uetustiores autores, qui aliàs prolixi sunt in laudibus Basilij, ea non annotarunt.

Vita monastica, quæ hoc seculo parum piè cœpit, uarijs apparitionibus & illusionibus diabolicis occasionem dedit: quas pro rebus mirabilibus ætas posterior celebrauit. Sic Sozomenus narrat libro sexto, capite uicesimooctauo, Apellem quendam monachum circa Achorim, in monasterijs Ægypti, multa edidisse miracula: & aliquando cum noctu operas fabriles fecisset, spectrum dæmonis forma pulchræ & exornatæ mulieris ei apparuisse, & ad libidinem incitasse. Sed illum candens ferrum ex camino arreptum, in faciem Dæmoni impegisse, atq; ita spectrum illud fugisse, & stridore & lamentatione suum dolorem testatum esse. Simile & illud est, quod idem libro eodem, capite uicesimonono nugatur: Piammonem monachum, cum sacra administrasset, uidisse angelum ad mensam adstare, & eos qui ex monachis adessent in librum annotare, absentes uerò expungere. Sed quis non olfaciat, hæc fabulis quàm ueritati similiora esse?

Simile & illud est, quod idem autor libro septimo, capite uicesimoprimo narrat: quòd cum Valens Constantinopolim caput Iannis Baptistæ, in Cilicia apud monachos Macedonianæ hæreseos reseruatum transferre iussisset, uehiculum ad Pantychium prædium Chalcedonense ita constitisse, ut ulterius promoueri nulla ui aut arte potuerit: ideoq; in pagum Cosilai depositum esse. Sed & hæc uel ob superstitionem euenerũt: uel à superstitiosis hominibus ficta esse, ad confirmandam ueneration em mortuorum, quis non animaduertat?

Iuo in Chronico suo annotat sub Valentiniano, quendam Arianum in concione Ambrosij uidisse angelum ad aures eius adstantem, & ea quæ dicenda essent suggerere.

Theodoretus narrat libro quarto, capite decimosexto, Barsis episcopi Edessẽi lectulum in Arado relictum, ægrotis in eum collocatis, pristinam ualetudinem per fidem restituisse.

Orta est hæresis Messalianorum sub Valente: ut Theodoretus indicat libro quarto, capite undecimo. Epiphanius narrat libro 3, tomo secundo, in Phœnice Ecclesiam horũ fulmine ictam esse.

MIRACVLA SVB THEODOSIO & Gratiano.

ANno sexto Imperij Gratiani, Domini uerò trecentesimo nonagesimotertio, signum in cœlo quasi columna pendens ardens q; per dies triginta apparuit, ut annotat Prosper in Chronico. Huius uerò prodigij descriptionem uidetur Nicephorus lib. duo decimo, capite tricesimoseptimo, afferre in hunc modum: Inopinata & insolens stella, inquit, in cœlo mediæ noctis tempore prope Luciferum refulgens apparuit, circa eum ipsum qui Zodiacus dicitur, circulum. Ea quòd propter coruscantes radios ingens & lucida esset, non admodum Lucifero cessit. Paulatim uerò ad eam ingens etiam aliarum stellarum uis aggregabatur. Spectaculum id si uidisses, apum examini, quæ circa ducem suum in orbem obuolitant, contulisses. & quæ ueluti ex mutua & uiolẽta concussione ab omnibus eis emicuit lux, in unã quandam

quandam commiſta flammam euadebat & gladij prorſus ancipitis, magni & horrendi, cum terrore quodam relucens, faciem reddebat. Quod enim reliquæ ſtellæ in idem reciderent uiſum, & una, eaque ſola quæ primùm conſpecta fuerat, habitu toto ueluti radix aut capulum aliquod appareret, & quodammodo fulgorem exhibitæ illius ſtellæ omnem proferret, perinde atque ex lucerna funiculus ardens, ſic flamma in ſublime tollebatur. Hoc quidem uiſum ſic nouum quoddam præbuit ſpectaculum. Motus autem eius prorſus à ſtellarum omnium curſu differebat. Primùm etenim ex eo unde diximus loco, moueri incipiens, unà cum Lucifero & oriebatur & occidebat. Deinde paulatim ab illo abſiſtens, ſegniter & pedetentim quaſi ad urſas conuerſum, curſum tenebat, & ueluti ad ſpectãtes obliquè ad ſiniſtrã ſua gradiebatur uia. Ambitum quidem eundem cum ſtellis alijs, ad quas acceſſerat, communem perficiebat: proprio autem motu, qui ad quadrageſimum productus eſt diem, uix tandem ad urſam maiorem peruenit. Atque in media aſtri eius parte, ubi poſtremũ refulſiſſet, euanuit. Quo tempore enſifera, ſeu potius enſis formam referens, hæc ſtella apparuit.

Circa id tempus Nilus in Ægypto adeò excreuit, ut metus eſſet, ne & Alexandriam & Libyam inundaret. Sozomenus lib. ſeptimo, capite uiceſimo.

Sozomenus libro ſeptimo, capite uiceſimotertio refert, famam increbuiſſe, quòd nocte quæ eam diem anteceſsit, quo Antiocheni, Theodoſij eiusq; uxoris ſtatuam in tumultu deieciſſent, ſpectrum forma muliebri altæ magnitudinis & aſpectu horrendum, per plateas urbis circumcurſauerit, & aërem horriſono flagello uerberauerit, ac ſi quis equos aut alias beſtias ad furorem extimularet.

Quod idem narrat libro eodem, capite quinto, de apparitione Mariæ uirginis in templo Conſtantinopolitano Anaſtaſia dicto: quæ hoc ſeculo fuit domuncula, in qua Gregorius Nazianzenus tradebat ſynceram de Trinitate doctrinam: inferiori ætate proculdubio contigerunt, & ex opinione ac ſuperſtitione ſuam ducunt originem.

Theodoſium non ita longè antè quàm ad Imperium uocaretur, in ſomnis uidiſſe Meletium Antiochenum epiſcopum, chlamydem ſibi induere Imperialẽ, & coronam capiti ſuo imponere: idq; ſomnium narraſſe cuidam amico, & euentum comprobaſſe diuinum fuiſſe, narrat Paulus Diaconus libro duodecimo.

Idem etiam Theodoſio, cum in Alpibus eſſet conſtitutus, cum Eugenio ſigna collaturus, in ſomnis apparuiſſe duos uiros ueſtibus candidis exornatos, & equis albis inſidentes: & iuſsiſſe, ut die illuceſcente pugnam iniret: ſe enim ad id deſtinatos eſſe, ut uictoriam ad eius partes inclinarent, & hoſtes cæderent. & quidem nomina ſua indicaſſe, quòd alter eſſet Ioannes Euangeliſta, alter uerò Philippus apoſtolus. Idem etiam quẽdam militem eadem nocte ſomniaſſe, refert Theodoretus libro quinto, capite uiceſimoquarto: Paulus Diaconus decimotertio, in Theodoſio: & Nicephorus libro duodecimo, capite triceſimonono.

Sozomenus autem & Nicephorus, ut qui præ alijs fabuloſos uulgi rumuſculos ſuæ narrationi intertexere ſtuduerunt, referunt: quòd eo tempore, quo collectis belli copijs Imperator cum Eugenio congreſſus eſt, quidam dæmoniacus in templo Ioannis Baptiſtæ Conſtantinopoli, in ſublime raptus, Ioanni Baptiſtæ conuiciatus ſit, & capitis amputationem exprobrando exclamauerit, dicens: Tu me uincis, & exercitui meo inſidiaris. Sed cum hæc à Socrate & Theodoreto, & Ruffino, qui propius ad hanc ætatem anteceſſerunt, ignorentur, quis nõ ſuſpicetur inferioribus ſeculis conficta eſſe? aut ſi quid tale accidit, à diabolo eſſe eiuſmodi pręſtigias offuſas oculis hominum, ad confirmandam mortuorum inuocationem & ueneration em? quemadmodum idem autor non ueretur nugari, Theodoſium Ioannem Baptiſtam in templo ad eius honorem ædificato inuocaſſe, eiusq; auxilium contra hoſtes imploraſſe: quod idololatricũ, & tam pio Imperatore indigniſſimum eſſe, iudicare quilibet facilè poteſt. Nam Ruffinus mirabilem illam Theodoſij uictoriam, precibus eius quas ad Deum fudit, adſcribit libro ſecundo, capite triceſimotertio. Narrat enim compertum eſſe, quòd poſt illam Imperatoris uocem (Tu omnipotens Deus noſti, quia in nomine CHRISTI filij tui ultionis iuſtæ, ut puto, prælia hæc ſuſcepi: ſi ſecus, in me uindica. Si uerò cum cauſa probabili & in te confiſus huc ueni, porrige dexteram tuis, ne fortè dicant gentes, ubi eſt Deus eorum?) uentus ita uehemens exortus ſit, ut tela hoſtium in eos qui iecerant, retorqueret. Sozomenus libro ſeptimo, capite uiceſimoquarto: Nicephorus libro duodecimo, capite trigeſimonono.

Sub Theodoſio etiam hoc mirabile accidiſſe commemorat Sozomenus libro ſeptimo, capite uiceſimoſexto: Duo quidam pauperes, Epiphanium aliquò abire obſeruantes, & ut plus aliquid ab eo reportarent ſatagentes, alter ad terram ſeſe proijciens, iacebat ueluti mortuus: alter adſtans plo-

rabat, & quasi propter socij sui mortem lamentabatur, querebaturq; de paupertate, quòd mortuum sepelire non posset. Epiphanius iacenti requiem apprecabatur, & quæ ad sepulturam necessaria erant largitus: Sepulturam, inquit ploranti, cura, & à lachrymis cessa ô fili. non enim in præsenti resurget. Et quod iam accidit, irrefragabile est, ac prorsus magno animo ferri debet. his dictis præterijt. Pòst, cum nemo appareret amplius, iacentem in terra, qui adstabat, pede pulsans, simulque laudans quòd pulchrè mortuos esset imitatus: Surge, inquit, ut diem hunc ex laboribus tuis in delicijs transigamus. Quum ille uerò nihilo secius in terra iaceret, & amplius neque clamantem audiret, neque pro uiribus pulsantem ac uersantem se sentiret, concitato cursu ad sacerdotem ueniens, quo usi essent artificio significat, ploransq; & capillos uellicans orat, ut socium suum excitet. Epiphanius, ut quod acciderat, haud molestè ferret hortatus, hominem à se dimittit.

Post uictum Eugenium, non ita longè ante obitum Theodosij in castello Emahus, natus est puer perfectus, ab umbilico & sursum diuisus, ita ut haberet duo pectora & duo capita, & unusquisq; duos sensus: & unus edebat, alter non edebat: & quando unus dormiebat, alter uigilabat. Interdum simul dormiebant: quandoq; inuicem sese percutiebant, simul autem flebãt uterq;. Vixerunt annis ferè duobus: & cum unus esset mortuus, alter adhuc quatuor dies uitam duxit. Paulus Diaconus libro tertiodecimo, de Imperio Theodosij. Videtur & Hieronymus huius monstri meminisse. nam ad Vitalem inquit: Nostra ætate Lyddæ duplex natus est homo, duorum capitum, quatuor manuum, uno uentre, & duobus pedibus.

Terræmotus graues & ingentes, pluuias & caligines tenebrosiores solito, obitũ Theodosij præcessisse, Ambrosius annotauit in oratione de exitu & uita et uirtutib. Theodosij, tomo tertio.

Hieronymus in libro aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, meminit cuiusdam eclipseos ante paucos menses in Pentecoste factæ: quæ tanta fuerit, ut totus mundus iam iamq; uenturum iudicem formidarit.

Idem in Ioelem inquit: Nostris temporibus uidimus agmina locustarum terram texisse Iudæam: quæ postea misericordia Domini inter uestibulum & altare, hoc est, inter crucis & resurrectionis locum, sacerdotibus & populis Dominum deprecantibus, atque dicentibus, Parce populo tuo: uento surgente in mare primum, hoc est in mare mortuum: & nouissimũ, hoc est illud quod ad Occidentem est, & quod ducit in Ægyptum, in cuius littore sunt Gaza, Ascalon, & Azotus, &c. proiectæ. Cumq; littora utriusque maris aceruis mortuarum locustarum, quas aquæ euomuerant, implerentur, putredo earum & fœtor in tantum noxius fuit, ut aerem quoque corrumperet, & pestilentia tam iumentorum quàm hominum gigneretur.

Monasticum & superstitiosum planè est, & confictum ad uirginitatis nimiam commendationem, quod Hieronymus in epistola ad Lætam nugatur: aliquando ad Prætexatam uxorem Himerij patrui Eustochij uirginis, in somnis ueniisse angelum, eamque increpasse, quòd obtemperans marito suo, uirginis cultum mutasset, & neglectum cinem mundano more pexuisset: uincere cupiens uirginis propositum, & matris desiderium. & inter cætera dixisse: Tu ne ausa es uiri imperium præferre Christo? Tu caput uirginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ iam arescent, ut sentias excruciata quid feceris: & finito mense quinto, ad inferna ducêris. sin autem perseueraris in scelere, & marito simul orbaberis, & filijs. Hæc autem omnia per ordinem expleta esse: & seram miseræ pœnitentiam, uelocem signasse interitum.

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS *externis.*

GENTIS Iudaicę in historia huius sæculi crebrò fit mentio: & habitasse ex ijs quosdam in multis Asiæ regionibus, ut in Palæstina, ad Diocæsaream, Diospolin, & Tiberiadem, Antiochiam, & in Persia & India, Nicephorus libro octauo, capite trigesimoquinto: & in multis partibus Africæ, ut Alexandriæ: nec in paucis Europæ urbibus, ut Constantinopoli & Romæ, patebit ex sequentibus. Et Nazianzenus oratione prima de reconciliatione monachorum dicit, eos suo tempore per totum orbem terrarum dispersos esse. Subiecti autem fuerunt Imperatoribus Romanis, ij qui sub eorum uixerunt imperio: id quod apparet ex legibus, quas Imperatores hoc sæculo siue pro eis, siue contra eos tulerunt, ut postea dicetur. Et Hieronymus libro secundo commentariorum in Esaiam inquit: Iudæi capti sunt, & usque hodie seruiunt, & non deposuerunt seruitutis iugum: nec iudices habent

bent proprios, Romanisq; subijciuntur iudicibus, in tantum, ut de principibus eorum, qui esse uidentur in populo, Romani principes iudicent. Idem in Danielem inquit: Iudæos adhuc hodie seruire cognoscimus. Ac eos qui in Persia fuerunt, regi Persarum fuisse subiectos, apparet ex historia apud Sozomenum libro secundo, capite octauo: ubi Simeonem Seleuciæ episcopum apud regem accusasse dicuntur. Et Hieronymus testatur, suo adhuc tempore decem tribus Iudæorum, olim abductas, in ciuitatibus Medorum & Persarum exulare, & captiuas teneri: libro quinto in Ezechielem, & libro sexto in Hieremiam. Imperatores hoc seculo alios alijs æquiores habuerunt. Constantinum Indæis, eorumque religioni fuisse infensissimum, uel ex epistola eius apparet, quæ extat apud Theodoretum libro primo, capite decimo, in qua appellat eos inimicissimam turbam, & dicit eos Dominum interemisse, & mentibus captos esse: & non ratione, sed cæco impetu duci, eaq; amplecti, quò quemque insita rabies sua impellat. Cum autem eos qui ex eorum numero ad Christianam transirent religionem affligere, & lapidibus obruere cœpissent: Constantinus legem, constituta graui pœna, nimirũ cremationis, tulit, ne quid molestiæ inferrent ijs, qui deserta Iudaica superstitione, ueram doctrinam amplecterentur. Extat ea lex in Codice, de Iudæis & cœlicolis. Templum Hierosolymitanum sub hoc Imperatore instaurare, temerario ausu factio quædam Iudaica cœpit. Verùm Constantinus re cognita, eorum opera disijci curauit: & tum architectos & fabros, tum reliquam multitudinem, ut perduellionis reos, seuerè castigauit. Infamiæ enim notam eis inusit, & aures præcidit, & corpora eorum mutilauit, eosque tanquam fugitiua mancipia circumduxit ad ludibrium & terrorem alijs: quemadmodũ indicat Chrysostomus in oratione de Iudæis. Vrbe etiam Hierosolyma ijs interdictum fuisse, apparet ex Sozomeno libro quinto, capite uigesimosecundo, ubi ea de re apud Iulianum conqueruntur. Et Hilarius in psalmum quinquagesimumoctauum, de suo tempore (uixit autem sub Constantio & sequentibus aliquot Imperatoribus) loquens inquit: Etiam nunc ingressu ciuitatis eiusdem, edicto Romani regis inhibentur. Sed tamen Iudæis conuersis ad Christianam religionem, Constantinum fauisse, apparet ex historia Iosephi, quem comitis dignitate ornasse, & sumptibus ad ædificandam ecclesiam in Tyberiade iuuisse dicitur: apud Epiphanium libro primo, tomò secundo, hæresi tricesima.

Rege Persarum Sapore clementiore & fauentiore, ij qui in Persia erant, usi fuisse uidentur. nam eum Iudæi unà cum Magis ad persequendum Christianos incitarunt, ut supra in loco de Persecutione, ex Sozomeni libri secundi capite octauo diximus. Testis etiam est Hieronymus, Persas nunquã quicquam crudele in Iudæos commisisse. Patris exemplum sequuti filij Constantini, nec ipsi Iudæis admodum dediti erant. & quamuis nõ prorsus Iudæos esse uetarent, aut eos suo imperio eijcerent: tamen cauebant legibus, ne ij qui ex Iudæis nati nõ essent, eorum collegio & hæresi associarentur. Quare edicebant, ne quis Iudæus seruum aliquem ex alia hæresi emeret, quod si quis transgrederetur, futurum illum publicum seruum. Si uerò aliquis non modò emisset, sed etiam circumcidisset seruum ex alia hæresi emptum, capite plectendum eum esse, bonis omnibus confiscatis. Sozomenus libro tertio, capite decimoseptimo.

Cum ob seditionem Magnentij tyranni, Iudæi Diocæsariani omnia perturbationum in Romano Imperio plena esse animad uerterent, ipsi opportunitatẽ sibi oblatam rati, arma capiunt, noctu interficiunt milites præsidiarios, Palæstinam perrumpunt, & iugum Romani Imperij à ceruicibus suis remouere instituunt. Sed commodùm aderat Antiochiæ Gallus Imperator. is misso exercitu, Iudæos opprimit, cæsis multis hominum millibus, usque ad innoxiam ætatem: & ciuitates eorũ, Diocæsaream, quæ & Sepphurim appellatur, Tyberiadẽ & Diospolim, plurimaque alia oppida partim igni tradit, partim diruit, & ad seruitutem pristinam eos redigit, anno Imperij Constantij decimoseptimo, Christi uerò trecentesimo quinquagesimoseptimo, ut annotat Hieronymus in Chronico: Socrates libro secundo, capite trigesimotertio: Sozomenus libro quarto, capite septimo.

Sub Iuliani Imperio animos recipere, & cristas erigere Iudæi cœperunt. Nam is Imperator, cum à religione Christiana defeciisset ad ethnicam idolorum uanitatem, persequutor quidem erat hominum ordinis à se deserti, uerùm Iudæos beneuolentia prosequebatur: ut testatur Sozomenus libro quinto, capite uicesimosecundo. Vt autem suum erga eos declararet amorem, scripsit ad patriarchas & duces & populum Iudæorum, & hortatus eos est, ut pro se & Imperio suo orarent, & quosdam ex suorum numero ad se ablegarent. Opinatur Sozomenus eum id feciisse, non tam quòd religionem Iudaicam probaret, quàm quod ea re Christianis ægrè facturum sese putarit: aut quòd existimarit, se Iudæos faci-

lius ad ſuam, quam parabat, Ethnicam religionem adducturum. Iudæi autem animo Imperatoris cognito, continuò ad eum legatos mittunt. Eos, ubi aduenissent, interrogat, cur neglecta lege Moysaica, sacrificia nulla celebrent? Illi respondent: Suis sacrificijs præfinitum esse certum locum, nimirum Hierosolyma & templum. quare cum id oppidum & templum dirutum, ipsiq; inde procul abiecti essent, fas sibi non esse alijs in locis immolare. Iulianus sperans, se IESV CHRISTI uaticinium, de nunquam iterum instaurando templo, mendacij conuicturum, datis pecunijs publicis, templum illud Solomonis restituere, & perinde atque maiores suos, secundum priscam consuetudinem Iudæos sacrificare iubet. Hanc orationem magna cum uoluptate & lætitia Iudæi excipiunt, & ad omnes suæ professionis & sectæ homines, in toto orbe terrarum, ea de re perscribunt, cohortantes ut sese accingant, ad recuperandam patriam, religionem & libertatem, ac instaurandum templum.

His excitati Iudæi, abiectissimi hominum omnium, animum recipiunt, & in spem ueniunt, Dei auxilio se omnia in pristinum statum reducturos: qua quidem adeò efferuntur, ut quasi triumphum ante uictoriam cantantes, Christianis passim insultent: & apertè minitentur, se grauioribus malis & calamitatibus eos affecturos, quàm ipsi olim à Romanis accepissent. Et quidem non parum Christianos passim afflixerunt, Imperatore conniuente. Nam Damasci duas incenderunt basilicas, & plures alias, ut Gazæ & Ascalone & Beryti, & uicinis in locis, & Alexandriæ: ut refert Ambrosius in epistola ad Theodosium, quæ in libro quinto epistola uicesimanona est. Ex omnibus igitur terris cateruatim Hierosolymam magna celeritate & alacritate, etiam ex remotissimis locis contendunt: sumptus ad ædificationem contribuunt tum Iulianus, tum Iudæi, tum Iudaicæ mulieres, quæ in eam rem omnem suum muliebrem ornatum sponte contulisse dicuntur. Instrumenta habebant uaria, ut ligones, falces, corbes ex argento factos. Aderat etiam quidam eius negocij ab Imperatore constitutus præfectus, ad opus promouendum. Iuuabant etiam eos Græci quidam (ut Nicephorus refert libro decimo, capite tricesimosecundo) somniantes opus illud perfici posse. Ad laborem infinita hominum multitudo adhibetur: operas faciunt, non modò uiri, sed etiam mulieres. Primùm purgant locum, & mulieres puluerem sinu exceptum exportant. Materias & rudera prioris structuræ disijciunt, spe nouæ extructionis. Fodiunt, & aggerem efferunt. Aduehuntur & præparantur Imperatoris largitione ligna, lapides, lateres cocti, argilla, calx, & alia ad ædificationem necessaria. Cum autem gypsi & calcis aliquot mille modij essent in aceruum congesti, ex improuiso, turbo cum fragore & procellis incidens, uniuersam materiam dispergebat. Erat tum temporis Cyrillus Hierosolymorum episcopus. is cum uideret conatus Iudæorum, & multi ex pijs essent solliciti de euentu, consolabatur suos: atque ex Danielis & Domini nostri IESV CHRISTI uaticinio prædicebat, Iudæorum ædificationem non feliciter cessuram. Sententiam uerò eius comprobat euentus. nam cum iam rudera omnia remouissent, & fundamentum attigissent structuræ prioris templi, & altera die super id fundamentum ædificaturi essent, noctu oritur terræmotus, qui lapides in fundamento ueteris structuræ templi positos funditus euomit, & cunctos unà cum contiguis ædificijs disijcit. Ædes etiam quæ templo uicinæ erant, & publicæ porticus in quibus lauabant, subitò dirumpebantur: & multi homines, tum qui propter opus faciendum aderant, tum qui spectandi gratia accesserant, lædebantur: quorum alij confestim peribant, alij semimortui, ac uel cruribus uel manibus mutilati, alij alijs corporis membris miserè confecti inueniebantur. Hoc Dei irati signo non absterrentur Iudæi: sed rursus opus aggrediuntur, tum ob Imperatoris mandatum, tum ob studium & cupiditatem recuperandæ suæ fortunæ. Verùm quid accidit? Ignis siue cœlitus delapsus, ut Socrates: siue ex templi fundamentis ut globus emicans, (ut Nazianzenus, Ruffinus, Theodoretus, & Sozomenus referunt) siue accedere coactis, siue puluerem egerentibus, ut quidam ambigunt, occurrens, operarios multos ambusit: & instrumenta, ut malleos, serras, ascias, & materiam ad ædificandum necessariam absumpsit, incendio illo per totum diem durante. Cum nec sic quidem ab opere discederent, noctu in cœlo signum crucis fulget: & uestibus Iudæorum qui præsto erant, omnium cruces atri coloris imprimuntur: quas cum abluere & abstergere tentarent, non poterant. Quæ res eos mouet, ut aliqui ex eis Christum agnoscant esse Deum, eique displicere templi instaurationem: & ab opere desistant, & ad religionem Christianam accedant. Reliqui uerò indurati & excæcati, domum sese recipiunt, indignè ferentes, rem minus prosperè cecidisse. atq; ita templi illius fundamentum,

tum, quod instaurari posse somniabant, iuxta IESV CHRISTI prophetiã penitius euulsum est, ne lapis super lapide relictus uideatur: in testimonium, Messiam esse exhibitum. Narrant Ruffinus libro primo, capite uicesimooctauo: Socrates libro 3, capite uicesimosecundo: Theodoretus libro tertio, capite uicesimo: Sozomenus libro quinto, capite uicesimosecundo: Zonaras, Nicephorus, & alij. Gregorius Nazianzenus, oratione secunda infamatrice in Iulianum, hoc addit, suo tempore quosdã huius miraculi spectatores & mystas, ostendisse uestimẽta, quę crucis fuissent signata notis.

Iulianum sequutus Iouinianus, pius Imperator, Iudæis & gentibus, ne sua sacra palàm exercerent, interdixit: Sed cùm eius imperium intra spacium octo mensium esset finitum, succedentes Imperatores, Valentinianus & Valens, Gratianus & Theodosius, Iudæis non quidem æquè ut Iulianus addicti fuerunt: sed tamen aliquanto clementiores, quàm par erat. Nam Valens Antiochiæ degens, Iudæis & gentibus licentiam concessit, sua sacra ut uellent tractandi. Theodoretus libro quarto, capite uicesimoquarto: Paulus Diaconus libro duodecimo.

Synagogas Iudæorũ merito hospitij gaudere, ideoq; milites in eas irruere non debere, sanxerunt Valentinianus & Valens, l. tertia. Cod. de Iudæis & cœlicolis.

Immunitatem etiam, quam antiquitùs Iudæi habuissent, restituunt eis Gratianus, Valentinianus & Theodosius, l. quarta, tit. eodem.

Hac Imperatorum lenitate & indulgentia abusi, sese passim insolentiores aduersus Christianos exhibuerunt. Alexandriæ Iudæi prætorem, Petrum successorem Athanasio datum, ab ecclesia expellentem, sedulò iuuant. Theodoretus libro quarto, capite uicesimo, & uicesimoquarto. Et Constantinopoli cum Theodosius abesset, prouincijs occidentalibus Iudæi, à præfecto urbis, homine ethnico, muneribus & blanditijs impetrant, ut sibi liceret synagogam in foro ærario extruere. Et cum essent in opere, populus præfecto maledicit ob impietatis concessionem. Verùm ille conuicia nihil curat, & Iudæi interea synagogam perficiunt: Facta seditione, populus Synagogam incendit & cremat. Ambrosius libro quinto, epistola uicesimanona ad Theodosium, uidetur annuere, episcopum Constantinopolitanum pro autore incendij esse habitum. Præfectus ad Imperatorem, quid accidisset, perscribit. Is autem re minus bene considerata, sententiam aduersus incendiarios profert: quòd debeant sumptus in ædificatione synagogæ factos, Iudæis persoluere: & id seruitutis ferre, ut Iudæi illic Synagogam extruant & possideant. Hanc sententiam cum Ambrosius refutasset, & ob eam Imperatorem redarguisset, quòd pro Iudæis contra Christum pugnet: Theodosius mutauit, & Byzantijs mulctã remisit, & Iudęos intra urbem Regiam synagogam tenere uetuit. Zonaras tomo tertio, de Theodosio.

Siue igitur ab episcopis rectius edocti, siue à Iudæis seditiosis & turbulentis hominibus irritati Imperatores, postea sese aduersus eos, eorumq; superstitionem seuerios exhibuerunt.

Nam Theodosius & Valentinianus, l. decimasexta, Cod. de Iudæis, imperant, ut Iudæorum primates, qui in utriusq; Palæstinę synedrijs morãtur, uel in alijs prouincijs degunt, periculo suo anniuersarium canonem de synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant, ad eam formam, quam patriarchæ quondam coronarij auri nomine postulabãt: & hoc quod de Occidentalibus patriarchis conferri consueuerat, suis largitionibus inferatur. Item l. ultima, eodem titulo, sanciunt, ne Iudæi ad dignitates & publica officia admittantur: & ut liceat quidẽ eis ueteres synagogas fulcire, sed non nouas fabricare.

Idem Theodosius, cum Honorio & Arcadio, etiam edixit pœna capitali, ne Iudæi cum Christianis matrimonium contrahant, l. quinta, Cod. de Iudæis. aut si uelint cum Christianis contrahere, seruent morem Christianorum. l. sexta, Cod. eodem.

Apparet, eos inuitos legibus Romanis paruisse, ex eo, quòd Ambrosius in epistola ad Theodosium lib. quinto, epistolã uicesimanona ait: Iudęos negare, se teneri legibus Romanis, & eas leges crimina putare.

CAPVT XV.

DE ALIIS RELIGIONIBVS *extra Ecclesiam Christi.*

DE IVDAISMO.

EX gentis Iudaicæ, in reprobũ sensum tradita, etiam hoc seculo suam superstitiosam religionẽ mordicùs tenuit & coluit: licet tamẽ subinde aliqui ex ijs ad Ecclesiã uerã accederẽt, ut suprà suo in loco dictũ est. Vt aũt in diuersa orbis terrarum loca Iudæi dispersi erant, ita etiam pluribus in locis Iudaismum obseruarunt.

Capita doctrinæ retinuerunt eadem, quę superioribus seculis habuerunt.

De Scriptura.

Se libros ueteris Testamenti, Moysis & Prophetarũ amplecti, Iudæi ꝓfesi sunt: Hieronymus in ꝓfatione in Ioná. Et habuerũt aliquot translationũ exemplaria, quarum aliam quintam, aliam sextam, aliam septimã appellabant translationem: Hieronymus in capite tertio ad Titum. Præter eos etiã suas quasdã habuerunt traditiones pharisaicas, quas δευτέρωσεις appellabãt, & Rabakibę & Simeonis, & Hillæ: ut Hieronymus testatur ad Algasiam. Habuisse etiam Iudæos in Tyberiade libros quosdam noui Testamenti, ut Euangelium Ioannis & Matthæi, & Acta apostolorum hebraicè, sed inter apocrypha repositos & deprauatos, Epiphanius libro primo, tomo secundo, hæresi tricesima, ex relatu Iosephi cuiusdam Iudæi conuersi indicat. Nouo tamen testamento Iudæos obtrectare, Athanasius in oratione contra Arianos indicat.

De Deo.

Dicunt solũ uerũ Deũ esse, quẽ ipsi colãt: Zonaras tom. tertio, de Constantino. & execrantur idololatriã gentiliũ, quòd creaturæ potius quàm Deo inseruiant. Athanasius in oratione cõtra gregales Sabellij: & Nicephorus lib. 7, cap. tricesimosexto. Et negant Deũ patrẽ esse, & filiũ habere. Hilarius de trinitate lib. quinto. Et Christianis obijciũt, quòd plures deos præter unũ colant. Athanasius in oratione contra gregales Sabellij.

De Filio DEI.

Filium Dei ignorant. Hilarius de Trinitate libro quinto. eumq; prorsus negant: & ijs qui per filium patrem uenerantur, pluralitatem deorum obijciunt. Athanasius in oratione contra gregales Sabellij. Iudæi cõfitentur Deum, & negant filium. Hieronymus in quartum caput Ezechielis.

De Messia.

Messiam esse exhibitum, & Danielis prophetiam & alias impletas esse negant. Eusebius de demonstratione euangelica libro octauo: & Hilarius in psalmum centesimum tricesimumprimum. Negant Messiã ex uirgine nasciturum: & illud Esaiæ, Ecce uirgo concipiet, interpretantur, Ecce puella conciet. Basilius in sermone de humana Christi generatione. Negant etiã, Messiã sub maledicto Dei esse debere, & patiendo peccata generis humani expiare, Hieronymꝰ in tertiũ caput ad Galatas. Iudæi expectationem uenturi Christi habent, sed illum passurũ nõ arbitrantur. Athanasius sermone tertio cõtra Arianos. Negant Alma apud Esaiam significare uirginem. Hieronymus in Esaiam.

DE IESV CHRISTO.

IESVM CHRISTVM nõ modò negant esse Messiã, sed etiã multis conuicijs & blasphemijs eũ ꝓscindũt. Dicunt enim, eũ fuisse hominem maleficum, & pręstigiatorem. Zonaras tom. tertio, de Constantino. Et ei ter per singulos dies, mane scilicet, & in meridie, & uelperi, sub nomine Nazarænorũ maledicũt in synagogis suis. Hieronymus lib. decimotertio & decimoquarto in Esaiã, & ad Pammachium & Oceanum: & Epiphanius libro primo, tomo secundo. Ad Christi mentionẽ non inflectunt genua sua. Hieronymus lib. tertio in Esaiam.

De Creatione.

Negant omnia esse per filium Dei creata. Athanasius in oratione cõtra gregales Sabellij: Iudæi angelos conseruos nostros, authores nostræ creationis faciũt. Et illud Genesis tertio, Faciamus hominem, sentiunt non ad filium esse dictũ, sed ad angelos adstantes. Basilius homilia nona in Hexaemeron.

De Angelis.

Iudęi sequũtur dęmones, & beneficia Dei ad illos referunt. Hieronymus in Oseam.

Iudęi iurant per angelos, eosq; uenerãtur honore & obsequio Dei. Hieronymus in caput quintum Matthæi.

De Lege.

Sentiunt, suas ceremonias adhuc esse necessarias ad salutẽ, & nullo modo abrogandas. Hieronymus ad Augustinum.

Somniant, circumcisionem necessariò obseruandam. Epiphanius in libro de mensuris. Sic & discrimina dierum & temporum: Hieronymus in quartum caput ad Galatas. & ciborum: idem ad Algasiam. & paschatis festum: Theodoretus libro primo, capite decimo.

Censent, etiam alijs in locis, extra templũ Hierosolymitanũ, sibi non licere sacrificare. Theodoretus lib. 3, cap. uigesimo: Sozom. libro quinto, cap. uigesimosecundo: Socrates libro 3, cap. uigesimo.

De Captiuitate sua.

Sentiebãt, se in ultimo tẽpore, scilicet post annos quadringẽtos triginta, ex dispersione per Romanos facta, reductum iri, & ædificaturos templum & Hierosolyma: & Deũ suis manibus Romanorũ filios & filias eis traditurũ, ut uendant eos Iudæi, nõ Persis & Æthiopibus & cæteris nationibus uicinis, sed Sabæis, genti longissimæ: quia Dominus locutus sit, ut populi sui ulciscatur iniuriã. Hieronymꝰ in Ioëlẽ. Idẽ testatur historia de conatibus Iudæorum in instaurãdo templo sub Iuliano, de qua paulo antè diximus.

De Gentibus.

Sentiunt, gentes non pertinere ad regnũ DEI: & indignè ferunt, cognitionem diuinã ad eas translatam. Hilarius in Psalmũ quinquagesimumoctauum.

De

De Christianis.

Christianorum religionem dicunt esse nouam. Nicephorus libro septimo, capite trigesimosexto. Et Christianis pro infamia obijciunt, quòd Saluator eorum sub Dei maledicto fuerit. Hieronymus in tertium caput ad Galatas. Et usq; hodie in synagogis suis sub nomine Nazaræorum, blasphemant populũ Christianum. Hieronymus in Amos. Et nomen Christianum ter per singulos dies, sub nomine Nazaræorum anathematizant. Hieronymus lib. 2 in Esaiam.

Iudæi & Samaritani Christianos immundos arbitrantur, eorumq́ue contactum fugiunt. Hieronymus libro decimooctauo in Esaiam.

De Traditionibus.

Traditiones Pharisaicas & Rabinorum, superstitiosè sibi obseruandas censent. Vnde apud Hieronymum ad Algasiam inquiunt: Rabakiba, & Simeon, & Hille nobis tradiderunt, ut bis mille pedes in Sabbatho ambulemus.

De Magistratu.

Iudæi negant se legibus Romanis teneri, & leges crimina uocant. Ambrosius libro 5, epistola uigesimanona.

De Magia.

Magiæ studium & incantationes magnifecerunt & exercuerunt: ut patet ex historia apud Epiphanium libro primo, tomo secundo, hæresi tricesima.

De Melchisedeck.

Sentiunt, Melchisedeck bonum quidem & iustum uirum, ac sacerdoté altissimi fuisse: sed ex scorto natum esse, ideoq́; nec nomẽ matris aut patris in sacris literis expressum. Epiphanius lib. secundo, tomo primo, hæresi quinquagesimaquinta.

De Extremo die.

Iudæi secundum aduentum Messiæ confitentur & sperant, sed frustra. Lactantius libro septimo, capite primo.

De uoluptuoso Iudæorum millenario.

Iudæi somniant inter cætera delyramenta in aduentu Christi sui, & in mille annorũ regno, Sodomam restituẽdam in antiquum statum, ita ut sit quasi paradisus Dei, & quasi terra Ægypti: & Samariam pristinam receptura fœlicitatem, ut de Assyrijs reuertantur in terram Iudæam. Hierusalem quoque tunc esse fabricandam: & omnes filias eius, urbes uidelicet & uiculos & castella, quæ sub ipsius futura sint potestate, florituras, ut prius floruerunt. Et ipsam Hierusalem auro & argento & preciosis lapidibus extruendã, de qua & Esaias uaticinetur: Constituam iudices tuos sicut prius, & consiliarios tuos sicut à principio: & posthæc uocaberis ciuitas iusticię, mater ciuitatum, fidelis mons Zion. & nostra loquatur Apocalypsis, & Dauid cãtet: Benefac Domine in bona uoluntate tua Sion, & ædificentur muri Hierusalem. Et in alio loco: Ædificabuntur ciuitates Iudæ, & habitabũt & commorabuntur ibi, & semen eorum in æternum dirigetur. Hieronymus in decimumsextum caput Ezechielis.

De Gog & Magog.

Iudæi putant Gog Ezechielis tricesimooctauo, esse gentes Scythicas immanes & innumerabiles, quæ trans Caucasum montem, & Mæotidem paludem, & prope Caspium mare ad Indiam usq; tendãtur: & has post mille annorum regnum à Diabolo commouendas, & uenturas in terram Israel, ut pugnent contra sanctos, multis secum gentibus congregatis. Hieronymus in Ezechielis capite tricesimooctauo.

DE RITIBVS ET CEREmonijs Iudaicis.

HAbuerunt Iudæi hoc seculo, sub omnibus Imperatoribus adhuc passim, in ijs ubi degebant locis, suas synagogas: ut testatur Hieronymus ad Pammachium. & licuit quidem eas Imperatorum cõcessu tenere & frequentare: sed tamen sub finem huius seculi, Theodosius & Valentinianus ediderunt, ne nouas ædificarent, ut suprà diximus. In synagogis suis eos gazophylacia, & in ijs prẽter pecuniam, etiam libros sacros habuisse, constat ex narratione Iosephi apud Epiphanium lib. primo, tomo secundo, hæresi trigesima. Imagines aut statuas in ijs eos non tulisse, colligi potest ex Ambrosij epistola uigesimanona libri quinti.

In eas autem diebus Sabbathi conueniebant secundum legem Moysi, ad legendam & tractandam sacram scripturam, & ad preces faciendas. Videntur etiam synagogis pro scholis usi esse, in quibus sapientes eorũ certis dieb. traditiones suas exponere solebant. Hieronymus ad Algasiam. In synagogis etiã suis ter p singulos dies, mane scilicet & meridie & uesperi, sub nomine Nazaræorũ anathematizabãt, tum IESVM Christũ ipsum, tũ alios Christianos, dicẽtes: Deus maledic Nazaræis. Hieronymus in Amos, & libro decimotertio et decimoquarto in Esaiam: & Epiphanius libro primo, tomo secundo.

Circumcisione utebantur secundum legem. Sed ne alios præter Iudæos circũciderent, suæq́; sectæ adiungerent, Constantius cum fratribus suis lege interdixit. Sozomenus libro tertio, cap. decimoseptimo: Qui à Iudæis ad Samaritas profugiunt, iterum circumciduntur: similiter & qui à Samaritis ad Iudæos trãsfugiunt. At hoc adhuc grauius est, quòd etiam à circumcisione præputiati fiunt, arte quadam medica per instrumentũ attracto-

attractorium, Spathisterem appellatũ, internam membrorũ cuticulam attrahi sinentes, futuramq; admittentes, & glutinatorijs circundatis, præputiũ rursus superinducũt. Habes & testimoniũ apud sanctũ Apostolum, ubi hæc uerba hoc modo dicit: Circumcisus aliquis uocatus est? ne attrahatur ipsi præputium. In præputio aliquis est? ne circumcidatur. Hanc autem traditionẽ diabolici inuenti, Esau fratrẽ Iacob reperisse aiunt, ad abnegationem Dei, & ad deletionẽ characteris patrum ipsius. Epiphanius libro de mensuris.

Bis eos Pascha in uno anno celebrare, Constantin⁹ in epistola sua (quę extat apud Theodoretũ lib. primo, cap. decimo) indicat. Celebrabãt autẽ Pascha decimaquarta die mensis primi, iuxta ueterem ritum. Socrates lib. quinto, capite uigesimoprimo.

Obseruarunt absq; dubio & alias festiuitates in lege mãdatas, licet in historijs huius seculi non fiat earum mentio. In Palæstina diebus festis solebant ungere capita. Hieronymus in sextum caput Matthæi.

Non sacrificabant uictimas, quia templo carebant: ut ipsi testantur coram Iuliano, apud Theodoretũ lib. tertio, cap. uigesimo: & Socratem libro, & cap. eodem: & Sozomenum lib. quinto, capite uigesimosecundo.

Nemo ex Iudæis mendicabat: ut testatur Iulianus in epistola ad Arsacium, apud Sozomenum libro quinto, capite sexto.

Legis præcepta scripta in membranulis, circumdabant capitibus suis. Hieronymus libro septimo in Ezechielem.

Non parcebant Iudæi corporibus suis in assumptione ciborũ, contemnentes interdũ quæ habebant, & quærentes quæ non habebant: ex qua necessitate debilitates & morbos sibi interdum contrahebant. Hieronymus ad Algasiam. Vescebantur uitulis pro altilibus & lactentibus. Hieronymus lib. secundo contra Iouinianum.

In more etiam, sua adhuc ætate, Iudæos habere, Hieronymus libro tertio in Hieremiam testatur, ut in luctibus incîdant lacertos, & caluitium faciant. Et libro secundo in Hieremiam inquit: Hic mos usque hodie permanet in Iudæa, ut mulieres sparsis crinibus, nudatisq; pectoribus, uoce modulata omnes ad fletum concitent. Hieronymus libro secundo in Hieremiam.

In Sabbato, ultra bis mille pedes non ambulabant. Hieronymus ad Algasiam.

Solebant quotannis eo die quo Hierosolyma capta est, eò uenire, & desolationem urbis deplorare. Hieronymus in Sophoniæ caput primum: Legamus Iosephum & prophetiam Sophonię, illius cernimus historiam: & hoc non tantum de captiuitate dicendũ est, sed usque ad præsentem diem, perfidi coloni post interfectionem seruorum, & ad extremum filij Dei, excepto planctu prohibẽtur ingredi Hierusalem: & ut ruinam suæ eis flere liceat ciuitatis, precio redimunt: ut qui quondam emerant sanguinẽ Christi, emant lachrymas suas. Et ne fletus quidem eis gratuitus sit, uideas in die quo capta est à Roma nis & diruta Hierusalem, uenire populũ lugubrem, cõfluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisq; obsitos, in corporib. & in habitu suo iram Domini demonstrantes. congregatur turba miserorũ, & patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναστάσει eius, de Oliueti monte quoq; crucis fulgẽte uexillo, plangere ruinas templi sui populũ miserum: & tamen non esse miserabilem. adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines: & miles mercedẽ postulat, ut illis flere plus liceat. & dubitat aliquis, cum hæc uideat, de die tribulationis & angustiæ, de die calamitatis & miseriæ, de die tenebrarum & caliginis, de die nebulæ & turbinis, de die tubæ & clangoris? Habent enim in luctu tubas: et iuxta prophetiam, uox solẽnitatis uersa est in planctum. Vlulant super cineres sanctuarij, & super altare destructum, & super ciuitates quõdam munitas, & super excelsos angulos templi: de quibus quondã Iacobum fratrem Domini præcipitarunt. Hæc de captiuitate dicta sint Iudæorum.

DE REGIMINE ECCLESIASTICO *Iudæorum.*

AD rem ecclesiasticam Iudæorũ pertinebat templũ & Hierosolyma: uerùm ut superioribus seculis uastata, et Iudęis erepta, ita nec hoc seculo in potestatem Iudæorum redierunt. Conati quidem aliquid sunt sub Constantino, sed malè eis cessit, ut suprà diximus. Et Eusebius dicit, se uidisse illam antiquitùs celebratam Sion, iunctis bobus à Romanis uiris arari, & Hierosolymam instar pomorum custodiæ desertam, ad extremam redactã solitudinem. Eusebius libro sexto de demõstratione Euangelica. Postea sub Iuliano, cum suis rebus fauentem haberent Imperatorẽ, & publicis sumptibus templi instaurationẽ iuuantẽ, diuinitùs repressi sunt: in testimoniũ, quòd Messias esset exhibitus. Et Nazianzen⁹ in oratione prima de recõciliatione monachorũ dicit, Iudæis tantum patêre accessum ad illa loca, ut una die desolationem eorum deplorent, & non ut idẽ habitent. Et Hieronymus in Sophonię caput primum: Qui diuina in templo tractaret, sacerdotes erant, ex certa tribu ad eam rem destinati: sed ut superioribus seculis descriptiones tribuum interierunt, ita nec hac ætate restitutæ sunt. Rectè igitur Hilari⁹ in psalmũ quinquagesimũoctauũ dicit, Iudæos sine templo & sine sacerdote & sine regno esse.

esse. Verùm quia Iudaica colluuies passim p-
mansit, eaq; obstinatè & pertinaciter in suo
errore perseuerauit, in societatem quandam
& ordinẽ, quo diuturnior esset sua superstitio, & propagari posset ad posteros, coierũt, ut
alij alijs præessent & gubernarẽt. Gubernatores aũt illi alij appellantur duces seu principes, apud Hieronymũ lib. 2 in Esaiam: & apud Sozomenum lib. 5, cap. 22. Alij Patriarchæ seu primates: ut cõstat ex loco Sozomeni allegato, & ex l. decimasexta, Cod. de Iudęis & cœlicolis. Erat aũt patriarcharũ summa dignitas, & à Gamaliele originem trahebat, & ad hæredes propagabatur. Tempore Constantini eam obtinuit quidam iuuenis nomine Ellel. Illis autem patriarchis adiuncti erant collegæ, quos Apostolos appellabant. Officium patriarcharum erat, præesse Synedrijs, hoc est consistorijs Iudæorum, & controuersias de lege cognoscere, & iudicare, & primitias ex alijs prouincijs & synagogis colligere per suos Apostolos: ut apparet ex narratione Iosephi Iudæi conuersi, apud Epiphanium libro primo, tomo secundo, hęresi tricesima: & ex l. decimasexta, Cod. de Iudæis. Deinde habebant etiam suos doctores, quos Sophos, id est sapientes appellabant. Horum officium erat, certis diebus traditiones discipulis exponere, quod illi dicebant *δευτέρωσιν*. Et uidentur hi adhuc reliquiæ seu umbra fuisse sectæ pharisaicæ. Hieronymus ad Algasiam, quæstione decima. Præpositos synagogarum fœdo operi delegatos sapientissimos quosq; habent, qui sanguinem uirginis siue menstruatæ, mundum uel immundum, si discernere oculis non potuerint, gustu prælibant. Hieronymus ad Algasiam, quæstione decima.

Hebrææ linguæ studiosi ab ineunte ætate erant, & pueri uocabula sui sermonis uernacula penitissimis sensibus imbibere solebant: ut ab exordio Adam usq; ad extremũ Zorobabel, omnium generationes ita memoriter uelociterq; percurrerent, ut eos suũ putes referre nomen. Hieronymus in tertiũ caput ad Titum.

Iudæi re ipsa scripturæ historiam simpliciter, quasi fabulas, adolescentulis tradere solent. Cumq; iam magis ætate quàm habitu scripturarum creuerint, altiora & latẽtia dogmata per secundarios docent. Eusebius de præparatione euangelica libro duodecimo, capite secundo.

Solebant ob accentum & pronunciationem Christianos hebraicè loquentes irridere. Hieronymus in tertium caput ad Titũ. & si quam uerborum, & non sensus discrepantiam, in literis eorum reperiebant, id uehementer exaggerabant. Hieronymus in Ezechielis tricesimumseptimum caput.

Cæterùm ut superioribus seculis peruersa illa gens Iudæorum, ita etiam hoc, omnes suos neruos & conatus eò intendit, ut Christianę religioni impedimẽta apponeret, idq; non uno modo. Nam suis calumnijs doctrinam & religionem Christianorũ suspectã apud omnes reddere conati sunt, ut nouã, & planè impiam. Si quos ex suis ad eam accessisse cognouerunt, lapidibus eos obruerunt: ut patet ex lege Codicis, de Iudęis & cœlicolis. Si ex gentilibus eam amplexos audirẽt, eos quoq; reprehendebant. Cum enim Constantinus factus esset Christianus, Iudæi Helenæ familiares iusserunt, eam ad filium scribere, & obijcere, quòd malè sibi prospexisset, quòd ad nouam Nazaræorum religionẽ animum applicasset. Nicephorus libro septimo, capite tricesimosexto: & Zonaras de Constantino. Disputationibus etiam suis doctrinam Christi labefactare conati sunt. unde Romæ cum Sylueſtro disputasse dicuntur à Nicephoro lib. septimo, capite trigesimosexto. Ne baptizati quidem Iudęi, omnes synceri fuerunt: cuius rei exemplũ est in Sabathio, qui cum Christianus & Nouatianus factus esset, conatus est fieri episcopus, & celebrationem Paschatis cum Iudæis conformare. Socrates libro quinto, capite uigesimoprimo. Et recitat exemplum Hieronymus in caput tertium ad Titum, de Iudæo, qui simulabat se conuersum esse, ut simplicium corda peruerteret, dicendo Matthæum & Lucam in genealogia Christi discrepare. Cum non possent disceptando uincere, uim data occasione tentarunt, & Christianos miseris modis afflixerunt. Hinc est, quod Hieronymus in quartum caput ad Galatas inquit: Iudęi plus persequuti sunt Christianos, quàm gentiles. Et in Abdiam: Legimus, uidimus, quotidieq; comprobamus, quando persequutio contra Ecclesiam oritur, multo peiores persequutores Iudæos & hæreticos in Christianos fieri, quàm ethnicos. Item: Videmus exulare hæreticos, & gaudere Iudæum, & unum esse de persequutoribus, & in Ethnicorum numero eos computari.

Sed eorum uanitati, calumnijs & blasphemijs, ac furori aduersus ueritatem & doctrinam IESV CHRISTI, opposuerunt sese tum pij omnes, tum maximè uerò doctores Ecclesiarum: in quorum numero sunt Eusebius Pamphili, qui libro octauo, demonstratione secunda, refutat eorum assertionem, quòd prophetia de septuaginta septimanis Danielis nondum sit impleta, cum tamen ab eo tempore propè millesimus agatur annus: & accusat eos impietatis & cæcitatis. & Lactantius libro septimo,

capite

capite primo dicit, eos legere scripturam, sed non intelligere: & frustra expectare lætum CHRISTI aduentum, cum eum quem humilem uiolarunt, sensuri sint in potestate uictorem, & ab eo sint ad æterna supplicia destinati.

Pugnauit etiam Athanasius contra Iudæos. nam in epistola ad solitariam uitam agentes ait, Iudæos omissis scripturis, fabulis & genealogijs decertare: & in oratione contra gregales Sabellij dicit, Iudaismũ quidem esse contrarium gentilitati, sed tamen eum extra ueritatem consistere: multa quidem & magnifica Iudæos contra idololatriã dicere, & iusta, cum eos execrentur, quòd creaturæ potius quàm Creatori inseruiant: sed tamen non ideo superstitionẽ incessunt, pro pijs habendos esse, dum filium Dei, per quem omnia creata sint, inficiẽtur: ijsq; qui per filium patrem uenerantur, pluralitatem deorum obiectent.

Et Basilius homilia nona in Hexaëmerõ, refutat Iudæorum opinionem, qua negantes filium Dei, fingunt Deum in creatione dixisse ad angelos, faciamus hominem: & acerbe inuehitur in eos, obijciens eis, quòd semper exercitatam paratamq; linguam habuerint, & mentem, ad omne quoduis falsum dicendum, atq; fingendum: & quòd non patienter religionis rectæ sententiam perfidi accipiant: sed ut ferarum eæ quæ summo persequuntur hominem odio, cum in caueis includuntur, fremunt, stridٍent, atq; sæuitiam quidem naturæ feritatemque suam ostendunt, explere ueram rabiem nequeũt: sic & inimicam gentem ueritatis Iudæos, in angustum intrusos, effugia quærere. Et in sermone de humana generatione Christi, refutat opinionem Iudæorum, quòd Messias nasciturus sit de puella: & probat, in sacra scriptura Alma pro uirgine accipi: & ex historia Euangelistarum, Mariam puram fuisse uirginem, neque à Iosepho neque ab alio contactam.

Hieronymus etiam passim Iudæorum delyria infringit & expugnat. nam contra id quod affirmant, se habere sacras scripturas, ideoq; se errare non posse, inquit in Prophetam Amos: In toto orbe terrarum porrectum est silentium Iudæorum: ubicunq; fuerint, musitant potius quàm loquuntur: & cum blasphemia eorum contra Dominum saluatorem, ad cœlum usque peruenit, omnis interpretatio scripturarum muta est, & silens, & aures non penetrat audientium. Item in caput octauum Amos: Ablata est ab eis lex, & prophetæ æterno conticuerunt silentio: mouentur à mari ad mare, & ab Oceano Britannico usque ad Oceanum Athlanticum: id est, ab occidente ad meridiem, & ab aquilone usque ad orientem, toto orbe peregrini, uerbum DEI non ualent inuenire. In præfatione in Ionam uerò idem ait: Condemnatur generatio Iudæorum, credente mundo: & Ninitue pœnitentiam agente, Israel incredulus perijt: illi habent libros, nos librorum Dominum: illi tenent prophetas, nos intelligentiam Prophetarum: illos occidit litera, nos uiuificat spiritus: apud illos Barrabas latro dimittitur, nobis Christus filius Dei soluitur. Et in epistola ad Marcellam dicit, Præsidia angelorum & gratiam Christi ab ijs recessisse. Et in epistola ad Pammachium & Oceanum inquit: Si expedit odisse, & gentem aliquam detestari, miro odio auersor circumcisos. Vsq; enim hodie persequuntur Dominum nostrum IESVM Christum, in synagogis Sathanæ.

Contra opinionem de necessaria rituum Moysaicorum obseruatione, Hieronymus ad Augustinum inquit: Ego, reclamante mundo, libera uoce pronuncio, ceremonias Iudæorum & pernicioſas esse, & mortiferas Christianis: & quicunque eas obseruauerit, siue ex Iudæis, siue ex gentibus, eum in barathrum diaboli deuolutum iri. Finis enim legis Christus, ad iusticiam omni credenti.

Contra opinionem de discrimine ciborum, inquit in epistola ad Algasiam: Non honorant semetipsos, cum omnia munda sint mundis: nihilq; possit esse pollutum, quod cum gratiarumactione percipitur: & idcirco à Domino sit creatum, ut saturitate et impletione carnis humanos artus uegetet atq; sustentet.

Contra opinionem de Iudæorum, post annos quadringentos triginta, reductione ex captiuitate Romana, in Ioelis caput tertium pugnat in hunc modum: Ægyptus in desolationem erit.) Et in hoc loco Iudæi grauissimo somno dormiunt: in ultimo tempore, quando non Christum, sed Antichristum susceperi sunt, uindictam sui in Ægyptios, qui uicini sunt, & in Romanos, quos interpretantur Idumæos, spe uanissima confingentes: ut scilicet, quomodo Pharao, & omnis eius exercitus, qui per quadringentos & triginta annos populum Dei captiuum tenuit, in mari rubro submersus est: sic etiam Romani, qui eodem annorum spacio Iudæos possessuri sunt, ultione Domini deleantur. Hoc illi spe sibi cassa promittant: neque enim possunt exponere, quare, cum in orbe tantæ sint nationes, duæ solum gentes Ægyptiorum & Idumæorum expetantur ad pœnam: aut cur pro Idumæis intelligantur Romani, cum eadem licentia mentiendi è diuerso possimus

mus asserere, sub Idumæorum uocabulo uel Persas, uel Elamitas, uel Francos, Alemannos, gentesque alias significari. Nos autem dicamus, tempote Dominicæ resurrectionis, uel die iudicij (utrumque enim recipimus) & Ægyptum & Idumæam, in eo quod Ægyptus & Idumæa sunt, destruendas.

Et de somnio Iudaico, de uoluptuoso mille annorum regno in terris, inquit in Ezechielis caput decimumsextum: Nos horum perfectam scientiam Dei iudicio relinquentes, imò liquidò confitentes, post secundum aduentum Domini Saluatoris nihil humile, nihil futurum esse terrenum, sed regna cœlestia, quæ primò in Euangelio promittuntur: hoc dicimus, quòd in Ecclesiæ statu cuncta creata sint, & quotidie compleantur. Sodoma reuertitur in antiquum statum, quando naturæ suæ reddita, gentilis prius & impia anima intelligit creatorem. Samaria recipit antiquam beatitudinem, hæreticorum errore contempto, & iuncta doctrinæ & fidei Christianæ. Cumq; illæ reuersæ fuerint: & Hierusalem, uisio pacis, quæ interpretatur Ecclesia, reuertetur in pristinum statum. de qua scriptum est: Factus est in pace locus eius. Et: Hierusalem quæ ædificatur ut ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Et in Apostolo: Quæ autem sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Et in eodem: Accessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem cœlestem, & milia angelorum frequentium. Et reuertetur cum filiabus suis, quæ in toto orbe dispersæ sunt.

Et in Micheæ caput quartum, eandem opinionem refutat his uerbis: Hæc Iudæi necdum expleta cernentes, in futuro sibi Christi pollicentur aduentu, & dicunt uniuersas nationes Iudaico populo seruituras: ipsumq; imperium Romanorum, quod sub nomine interpretantur Edom, conterendum esse ungulis suis, & cornibus uentilandum: quod quàm sit stultum, ex omnibus scripturis facile comprobatur.

Idem in septimum caput Micheæ, refutat opinionem Iudaicam, quòd in die illa qua Christus ædificaturus sit maceriam Hierusalem, scripturas sanctas legis & prophetarum, quas nunc teneant gentes, ab ijs sit ablaturus, & traditurus populo Iudaico.

Et in Sophoniæ caput secundum, refutat Iudæorum opinionem, quòd ante finem mundi, uicturi sint gentes. Sicubi, inquit, artati fuerint in historia, ut doceant completum esse, quod dictum est, Statim transiliunt: ad futura Christi tempora, & omnia quę non possunt exponere, post multa secula sibi repromittunt, & dicunt: & Moab, & filios Ammon, & Ægyptũ, & Philistim, & Idumæam, quæ nunc insultant Iudæis, eo tempore puniendas. Interrogemus ergo eos, quare has potissimum gẽtes Deus puniat: & non totum orbem, in quo Iudæi longè lateq; dispersi sunt? Si enim meretur Moab corripi Iudæis insultans, & filij Ammon & reliquæ gentes in circuitu: quare Gallia non corripitur? quare Britannias in comminatione non ponit? Cur Hispaniæ ea pœna alienæ sunt? quam ob causam de Italia nihil dicitur? de Aphrica cur tacetur? Et, ut semel dicam, cum totus orbis Iudæos captiuos teneat: quid solæ gentes tantum commisere flagitij, quæ in circuitu eius sunt, ut solæ potissimùm nominentur? Hæc contra Iudæos, & generalem in omnibus prophetis, ubicunq; aduersum gentes aliqua prophetia dicitur, explanationem.

Et in Zachariæ caput undecimum, dicit ex textu Prophetæ, Non eruam eos, &c. Audi Iudæe, qui tibi uanissimas spes repromittis, & non audis dicentem Dominum, atq; firmantem, Non eruam de manibus eorum: quòd æterna sit apud Romanos tua futura captiuitas. & Pascam pecus occisionis, ut semper Iudæi nutriãtur ad mortem, propterea quia Dei sententia est.

Et in tertium caput ad Galatas, Hieronymus Iudæis obijcit, quòd sacros libros corruperint. & ex illo Deuteronomij uigesimoseptimo: Maledictus omnis, &c. abiecerint uocem יְיָ ne sub maledicto esse uideantur.

Et in primum caput ad Titum dicit, Sapientes Iudæorum sine autoritate scripturæ, & sine ulla assertione nationis anilia & fabulosa fingere. Et in caput duodecimũ Matthæi dicit, Iudæos nunc multo maiori dæmonũ possideri numero, quàm olim in Ægypto, ante legis noticiam.

Eusebius etiam Emisenus, editis scriptis Iudæos refutauit: ut testatur Hieronymus de uiris illustribus.

Ambrosius quoq; passim oppugnat Iudæos, & accusat eos quòd sensum librorum Dei non habeant. Et in sermone decimoseptimo de Calendis Ianuarijs, uetat Iudæorum consortia: Non solum gentilium, sed & Iudæorum consortia uitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio. Hi etenim arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures iudicum & publica inquietant: & ideo magis prævalent, quo magis sunt impudentes. Et in epistola ad Theodosium Imperatorem, quæ est in libro quinto uicesimanona, in qua obiurgat Imperatorem, quòd iussisset Iudęorum synagogá Constantinopoli

tinopoli ab episcopo accensam, ab eodem instaurari, & in populũ uindicari, grauiter in Iudæos inuehitur, & dicit eos in omnis generis prosilire calumnias, & circa diuina esse mendaces, & negare se legibus Romanis teneri, eaq; crimina putare: & synagogas eorũ esse perfidiæ loca, & domos impietatis, & receptacula amentiæ, quæ Deus damnarit.

Hilarius etiam in Iudæos, Psalmum centesimum tricesimumprimum non de Christo, sed de Dauide accipientes, inuehitur inquiens: Audent Iudæi, aduentum Domini nostri, quo in corpore salutem humano generi reddidit, abnegantes, hunc Psalmum ad Dauid referre: ut in passione Domini impij, ita & in prophetiæ scientia imperiti, legentes & non intelligentes, habentes & nescientes, uenerãtes & nõ obedientes. Qua enim religionis simulatione, ppheticarũ literarum libros uenerẽtur, multis cognitũ est. Cõtrectare legẽtes manu nõ audẽt, lintheo substernunt, ad finẽ sacramẽti testes adhibẽt: & hoc eò proficit, ut maiore irreligiositatis crimine eorũ, quib. tantus honor debetur, dicta aut contaminent, aut dissimulent, aut nesciant. Hoc eò dictum est, quia cũ in prophetis longè postea quàm Dauid corpore excesserat, scriptũ habeant, (in Hieremia ita: In illa die dicit Dominus, contribulabo iugũ à ceruice eorũ, uincula eorũ disrumpam, & non imperabuntur ipsi adhuc alijs dijs, & operabũtur Domino Deo suo. Et Dauid regem ipsorum suscitabo illis, & rursum suscitabo illis Dauid regem oriẽtem iustum, & regnabit rex, & intelliget & faciet iusticiam & iudicium super terram. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel commorabitur fidens. Item in Esaia: Et excitabo pastorem super eos unum altum, & pascet eos seruus meus Dauid. Et erit his pastor, & ego ero illis in Deum, & Dauid princeps in medio eorũ. Ego Dominus locutus sum. Et disponam ad Dauid testamẽtum pacis) nolunt credere quod docentur: neq; his fidem habent, quibus debere uenẽrationem cõfitentur. Et religiosi quomodo erunt, autoritatem abnegantes religioni? Dauid cum patribus quiescebat, ipse testamentum datæ per Mosen legis cognouerat: tanto postea Deus per prophetas locutus est, Dauid excitandum regem, pastorem, orientem iustum, in cuius diebus Saulus Israel sit, ad quem Deus testamentum pacis disponit. Ergo est Dauid nõ hic Iesse filius, psalmorũ ex parte cõscriptor: sed Dauid, ob custodiã gregis sui pastor. Pastor enim bonus pro ouib⁹ suis animam ponit. Ob æterni regni gloriã rex, cui dictũ est: Rabbi, tu es rex Israel. Ob iudicem Dei, iustus: Pater enim non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Ob lumen mundi, oriens: Erat enim lux uera, quæ illuminat omnem hominẽ, uenientem in hunc mundum. Ob filij dignitatem, testamenti pacis hæres: Omnia enim mihi data sunt in cœlo & in terra. &, Pacem meam relinquo uobis. Confiteantur ergo necesse est Iudæi, longè post tempora Dauid, esse hæc prædicata.

Contra opinionem Iudaicam, quòd Melchisedeck sit filius scorti, eo quòd nomen neq; patris eius neq; matris sit expressum, pugnat Epiphanius lib. 2, tom. 1, hæresi 55, opponens exempla Raam meretricis, & Zanibrę scortatoris, & Casbitę meretricis, quorũ nomina extent scripta, etiamsi alieni sint, & nõ de genere Israel orti. Et libro secundo, tomo secũdo, hæresi sexagesimaseptima inquit: Nos matrem Melchisedeck in traditionibus reperimus, itemque patrem. Erat enim hic ex generibus Sidonis & Chananæorum.

Prudentius in Apotheosi carmẽ aduersus Iudæos scripsit, et objicit eis, quòd blasphement Dominum IESVM CHRISTVM, cuius passio sit significata per Paschalem agnum, & qui promissus sit Abrahę: & quòd scriptu ram carnaliter intelligant, & sint gens blasphema & surda.

DE GENTILIVM RE-*ligione.*

MAnsit etiã hoc seculo Ethnicorũ religio. Nã licet Cõstantinus, & post eũ filij eius, idolorũ tẽpla claudi iusserãt: tamen Iulianus ea reserari & instaurari præcepit. Aboleuit quidẽ iterum id mandatũ postea secutus Iouinianus, & Valẽtinianus: uerùm collega huius Valens in Oriente, tũ Iudæis tum gentibus suam superstitionem publicè exercendi facultatem dedit. Ac licet Theodosius templa idolorum, nõ ut priores claudi, sed planè destrui, & solo ęquari mãdauit: tamẽ nec ea ratione prorsus omnes Ethnicę superstitiones abolitæ ubiq; terrarum sunt, neq; omnes ijs abiectis ad Christianismũ accesserũt, sed plurimi in suorũ maiorũ religione præfractè perstiterũt. Adeò difficulter inueterati errores & prauæ cõsuetudines è mẽtibus hominũ euelluntur. Viguit aũt Ethnicismus in omnibus tribus orbis terrarũ partibus: ac quidem etiam ijs in locis, ubi Ecclesia habuit sua hospitia. Quod ut manifestũ fiat, ordine loca commemorabimus.

ETHNICISMVS PER *Asiam.*

HIerosolymis ab Hadriano usq; ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Resurrectionis Christi, simulachrum Iouis: et in rupe Crucis, statua Veneris ex marmore facta, à gentibus colebatur sacrificijs & immolatiõib. quibusdã uictima-

uictimarum. Hieronymus in epistola ad Paulinum. Sed eum locum repurgari, & templũ Veneris destrui, ibiq; ædem sacram, in quã Christiani conuenirent, Imperator Constantinus, eiusq; mater Helena, curarunt. Eusebius libro tertio de uita Constantini: & Socrates libro primo, capite decimoseptimo: et Sozomenus libro secundo, cap. primo: Ruffinus lib. 1, cap. 7.

Gazæi & tempore Constantini, & postea multo magis sub Iuliano, Ethnicæ superstitioni addicti fuerunt. Sozomenus lib. quinto, capite tertio: Theodoretus libro tertio, capite sexto. Ac testatur Sozomenus lib. septimo, capite decimoquinto, sub Theodosio adhuc, Gazæos & Rhaphiotas in Palæstina Ethnicam superstitionem defendisse.

In Bethelia uico Gazæorum erat templũ antiquum, nomine Pantheon, in suprema eius loci parte, colliculo humana opera cõgesto situm, uniuersum uicũ undiq; excellens. Sozom. lib. 5, cap. 15.

Maiumæ, quæ erat naualis Gazæorum statio, usque ad Constantinum gentiles erant: sub eo autem conuersa, nomen Constantiæ accepit. Eusebius libro quarto de uita Constantini: quod postea Iulianus ei abrogauit, eamq; Gazensibus subiecit. Sozomenus lib. 5, cap. 3.

Ascalone sub Iuliano gentiles sacerdoti bus Christianis & mulieribus uirginitatem professis, aluos dissecuere, & completas hordeo porcis obiecerunt. Theodoretus libro tertio, capite sexto.

Anthedonam ciuitatem maritimam, circiter uiginti stadijs à Gaza distãtem, sub Iuliano paganismo deditam, & circa cultũ statuarum superstitiosam fuisse, Sozom. lib. quinto, capite nono scribit.

Sebastæ etiam gentiles sub Iuliano fuisse, apparet ex Theodoreti libro tertio, capite sexto. Et Epiphanius scribit, in Sebaste, quæ quondam Samaria dicebatur, filiam Iephte pro numine adorari, & in eius honorem quotannis festiuitatem celebrari: libro secundo tomi primi, hæresi quinquagesimaquinta.

In Sicimis seu Neapoli indigenas sacrificium facere in nomen puellæ, idem libro tertio tomi secundi, hæresi septuagesimaoctaua indicat.

De Ethnica superstitione ad quercũ Mambre, Sozomenus lib. secundo, capite quarto scribit. Sed Constantinus iussit eos idololatricos cultus aboleri, & ecclesiam ibidem extrui, ut patet ex eius epistola ad Macarium, & cæteros Palęstinæ episcopos, apud Eusebium lib. tertio de uita Constantini.

Cæsarea Philippi incolas gentiles habuit, & Iulianus ibi statuam suam collocari in locum statuæ IESV Christi mandauit. Sozom. libro quinto, cap. uigesimoprimo.

Heliopoli ad Libanum montem Veneris templũ gentiles frequentabant, & pro more patrio uigines suas cuiuslibet stupro exponebant. Sed id templum destruxit Constantinus, & eam cõsuetudinem abrogauit: uerũ nihilominus etiam sub Theodosio quidam ibi paganismum acriter defendisse dicũtur. Sozom. lib. 7, cap. decimoquinto.

In Aphacis circa Libanum montem & Adonin fluuium, ad quandam inuocationem certo die, à summo uertice Libani, ignis instar œstri progressus, in uicino flumine mergebatur. Dicebant autem esse Vraniam, eo nomine Venerem appellantes. Sozomenus libro secundo, capite quinto.

In Tyro Hercules colebatur. Nicephorus libro nono, capite quadragesimoquinto. Et patet ex Maximini edicto apud Tyrios affixo, Iouem Maximum ibidem cultum esse, & Tyrios ethnicę superstitionis fuisse obseruantissimos. Eusebius libro nono, capite septimo. Sed Constantinus postea ibidem tẽplum sumptuosissimũ Christianis extruxit. Eusebius libro quarto de uita Constantini.

Phœnicum gentiliũ passim fit mentio. nã apud Sozomenum libro secundo, cap. quarto, ad quercum Mambre Phœnices conuenire dicuntur. & Hieronymus libro secundo aduersus Iouinianum dicit, Phœnicum gentes diabolum pati. Athanasius Phœnicum idololatriæ meminit in oratione cõtra idola.

Chaldæos Belum colere, Arnobius libro octauo aduersus Gentes indicat.

Arabes tempore Constantini ad quercum Mambre idololatriam exercuisse, Sozom. libro secundo, capite quarto indicat: & Arabũ gentilium Hieronymus in libro secundo cõtra Iouinianum meminit.

In Arabia, Petræos & Acropolitas sub Theodosio adhuc pro templis suis impense dimicasse, Sozomenus libro septimo, capite decimoquinto indicat: & quosdam in Arabia Petræa, Robom & Edom inhabitantes, Moysen propter diuina signa Deum putare, & adorare ipsius imaginem, Epiphanius libro secundo tomi primi, hæresi quinquagesimaquinta scribit. Idem libro tertio tomi secundi, hæresi septuagesimaoctaua indicat, superstitiosas quasdam mulieres in Arabia à partibus Thraces, more gentilium Mariam adorare.

Regnauit & in Syria Ethnicismus. Arnobius enim libro octauo contra gentes dicit, Syros colere Astarten. Et Syrorum sub Theodosio, pro templo Apameæ ad fluuium Axium sito decertantium, meminit Sozomenus libro sexto, capite decimoquinto. Fuisse autem Apameæ templũ

Iouis, Theodoretus libro quinto, capite uigesimoprimo indicat. Et in Aulone regione Apameorũ, ut Sozomenus habet. Nicephorus uerò in ualle Aulocremis, libro duodecimo, capite uigesimoseptimo.

Antiochiæ sub Maximino, Theotecnus persecutor Christianorũ, simulachrũ quoddam Iouis, tanquam Dei amicitiæ, incantationibus quibusdam & præstigijs statuit, ac ceremonias impuras illi, initiationesq; execrabiles, & detestabiles expiationes excogitat: & portenta oraculorum illius, quæ uidebatur edere de affligendis Christianis, ad ipsum Imperatorem deferri curabat. Eusebius libro nono, capite tertio. Sed Licinius postea, cum Antiochiam ueniisset, ex sacerdotibus & prophetis eius statuæ, tormentis exquisiuit, qua fraude usi essent, & Theotecnum interfecit. Eusebius libro nono, capite undecimo. Et postea Antiochię & Daphnæ sub Constantino templa idolorum clausa sunt. Sed Iulianus ea reserauit, & ibi consuluit ipse Pythium Daphnæum, in cuius honorem ibi statua erat collocata. Theodoretus libro tertio, capite nono & undecimo. Et de Daphne Sozomenus libro quinto, capite decimonono hæc refert: Daphne insigne Antiochiæ suburbium, nemore multarum cupressorum cingitur, & alijs quoque plantis mixtim unà cum cupressis exornatur. Et tellus illa utrinque à montibus benefragrantia & uaria florum genera sub arboribus producit. Tectum autem quoddam, imò magis umbra, loco illi undique imminet, propter densitatem ramorum ac foliorum: non permittens, ut solares radij terram attingant. Locus hic iucundus est, & admodum delectabilis, copia ac uenustate undarum, temperaturaq; tempestatum, ac mitium uentorum flatibus. Fabulantur hic Gentiliũ eruditi, Daphnem Ladonis fluuij Arcadiæ filiam, cum Apollinem amatorem fugeret, in arborem eiusdem nominis esse conuersam. Apollinem uerò, cum ne sic quidem ab affectione amoris liberatus esset, dilectam ramusculis coronasse: & quamuis arbor esset, complexum esse: eumque locum assidua frequentatione, haud minus quàm quicquam aliud ipsi charum, in precio habuisse. Hoc itaque suburbium, Daphnem, cum tale esset, accedere, turpe iudicabatur probis hominibus. Ipse siquidem situs, & natura loci, ad ignauiam & uoluptatem inuitabat. & fabulæ hypothesis, amatoria existens, modica occasione accepta, morbum amantium iuuenibus alioqui corruptis duplicabat, qui fabularum prætextu grauiter incendebantur, & absque pudore libidinosa facta aggrediebantur, nec castitatem complecti ualentes, neque castos eo loco uidere sustinentes. Etenim si quis sine amata in Daphne morabatur, stupidus & expers gratiæ, ac quasi scelus quoddam & abominabilis auersandusq; iudicabatur. Et aliàs is locus Ethnicis uenerabilis, ac in multo precio erat. Erat enim illic elegans Daphnæi Apollinis imago, & templum magnificè ac preciose elaboratum, quod Seleucum Antiochi patrem, cui cognominis est ciuitas Antiochena, extruxisse ferunt. Affirmatur autem ab illis qui ista colunt, fluere illic aquam diuinationis è fonte Castalio, qui consimilem & energiam & appellationem cum eo sortitus sit, qui in Delphis habetur. Et quòd Adrianno, cum adhuc priuatus esset, de futuris Imperij rebus eo loco fuerit prædictum. Ferunt enim eum, cum foliũ Daphnes fonti immersisset, hausisse futurorum scientiam, in folio literis expressam. Vbi uerò Imperium nactus esset, fontem hunc obturasse, ne & alijs ex eo, quæ futura essent, præscire liceret. Paulus Diaconus libro duodecimo, sub Valentiniano refert, permissu Valentis gentiles Antiochiæ Iouis cultũ atq; Dionysij, sacraq; Cereris celebrasse publicè, per mediam plateã bacchantes & circũcursitantes.

Ernesæ sub Iuliano gentiles occuparunt Christianorum oratorium, & consecrarunt Dionysio Cynidi, quod mollem sonat: ibique posuere ridiculum simulachrum, eius gemini sexus. Theodoretus libro tertio, capite septimo.

Arethusæ in Syria. nam ibi templum idolorum Marcus episcop⁹ destruxit, sub Constantio. sed tempore Iuliani ob eam rẽ damnatus est, & iussus ut templum suis sumptibus instauraret. Verùm is maluit mortem oppetere, quàm obolum cõferre ad templi idolatrici restaurationẽ. Sozom. lib. 5. cap. 10.

In Cœlosyria. nam ibi pagani monachos quosdam afflixisse dicuntur. Sozomenus libro sexto, capite trigesimoquarto.

In Mesopotamia. Cum enim Julian⁹ Carras ueniisset, reperit ibi templum Iouis, quod à paganis frequẽtabatur. in id autem ingressus cum suis, ad ianuas & claustra disposuit milites & custodes, ne quis accedere posset. ille uerò intus sacrificauit, & orauit. Sozomenus libro sexto, capite primo. & mulierẽ capillis suspendit, amputatis manibus, eiusq; uterum aperuit, ut Persarũ uictoriam in ieco re eius inspiceret: ut postea sub Iouiniano, cum id templum apertum esset, cognitũ est. refert Theodoretus lib. 3. cap. 26. & Paulus Diaconus in Iuliano, libro undecimo.

In Assyria. nam Assyrios Iunonem & Venerem colere, Iulius Firmicus Maternus ad Constantium & fratrem eius scribit, in libro de Abolendis gentium idolis. In

In Cilicia. nam delubri dæmonis Cilicum à Constantino destructi, Eusebius libro tertio de uita Constantini meminit. Sed Sozomenus lib. secundo, capite quinto: & Zonaras tomo tertio, templũ Asclepij dicit ibi fuisse antiquissimum & celeberrimum.

In Lycia. Athanasius enim de humanitate Verbi, oraculorum Lyciorum meminit.

In Mileto Licinius uatem Apollinis Didymæi consuluit, de euentu belli contra Constantinũ. qui respondit Homericis uersibus: O senex, reuera ualde te iuuenes conficiunt bellatores, & robur tuum dissolutũ est, grauis uerò senectus tibi imminet. Sozomenus libro primo, capite septimo.

In Miso metropoli Phrygiæ templum à Constantino occlusum, sub Iuliano à præside Amachio reseratur & expurgatur, & à paganis colitur, persecutionem ibidem Christianis patientibus. Socrates libro tertio, capite decimoquinto: & Sozomenus lib. quinto, capite undecimo. & testatur Iulius Firmicus, Phryges matrem Deorum colere. idem Arnobius lib. 8 aduersus Gentes affirmat.

Cyziceni gentiles in Mysia, à Iuliano petebant restitutionem suorum templorum: & non modò eam, sed etiam insuper Eleusij episcopi & Christianorum proscriptionem & ejectionem impetrabant. Sozomenus lib. quinto, capite decimoquinto.

In Cappadocia. nam Cæsareæ ad Argium metropoli Cappadocum, templum Iouis & Apollinis & Fortunæ fuit. Ante Iulianum Iouis et Apollinis templa sunt destructa à Christianis. Sub Iuliano uerò, etiam Fortunę templum est subuersum: ob quam causam Julianus Ethnicos, qui ibi erant, licet pauci numero, grauiter reprehendit ob ignauiam, quòd non obstitissent, & aliquid pro Fortuna periculi & laboris sustinuissent. Sozomenus libro quinto, capite quarto.

In Media. nam apud Gelos, mala facientes à legibus eorum laudari, Epiphanius libro tertio, tomo secundo, de fide catholicæ Ecclesiæ, testatur.

In Persia. nam Persas ignem colere, Iulius Firmicus ad Constantium & fratrem eius scripsit. & simulachrum Mithræ: ut Epiphanius libro secundo, tomo secundo, hæresi sexagesimasexta indicat. Ac Persas gentiles magna ex parte fuisse, patet ex persecutionibus quas in Christianos exercuerunt: de quibus suprà suo loco.

In India. nam Indorũ gentiliũ polygamiæ Hieronymus meminit lib. primo aduersus Iouinianum: & magorum atque incantatorum in India mentionẽ facit Epiphanius libro secundo tomi secundi, hæresi sexagesimasexta. Indos Liberũ patrem colere, Athanasius in libro contra idola scribit.

Idem de humanitate Verbi, meminit oraculorum apud Cabiros in India.

GENTILISMVS PER *Africam.*

ETsi in Africa multæ passim fuerunt Ecclesiæ, ut suprà suo loco ostensum est: tamen adhuc etiam passim gentilium uigue runt superstitiones. Vnde Iulius Firmicꝰ scripsit ad Constantium & fratrẽ eius, magnam partem Aphrorum Iunonẽ & Veneré colere.

In Ægypto sub Theodosio pagani sacrificare Nilo prohibiti, seditionẽ moliebantur. Sozomenus libro septimo, capite uigesimo.

De Ægyptijs passim extant testimonia. nam Lactantius lib. quinto, cap. uigesimoprimo, dicit eos bestias colere. Et Hilariꝰ commentarijs in Matthæum canone primo affirmat, Ægyptũ idolis plenam esse, & omnigena deorum mõstra uenerari. Vbium autem in Ægypto, in quib. maximè gentiliũ superstitiones celebratę sunt, harũ ferè fit mentio.

Alexandriæ, ubi antrum Mithræ sacrum: Socrates libro tertio, capite secundo. & Serapis: Sozomenus lib. quinto, capite septimo. & ad ripam maris circa Alexandriã coli mortuos nautas Timagenem & Canobum, & eius uxorem Eumenuthin, Epiphanius in Anacephalæosi indicat.

Asti metropolis Prosopitæ, ubi Dionysiũ: Butici, ubi Harpocratẽ. Epiphanius lib. 3. tomo 2. Memphis, quam Hieronymus adhuc suo tempore metropolim superstitionis Ægyptiæ esse dicit, lib. nono in Ezechielem.

Heliopolis: Eusebius de præparatione Euangelica, cap. 3. Menuthidis, Sai, Pelusij, Bubasti, Abydis, Pharbeti, Busiridis, Sebennyti, Diospolis: Epiphanius. Anubis, ubi hominẽ adorarũt. Euseb. de præparatione Euangelica, cap. 2. Elephantinopolis, ubi simulachrũ cærulei coloris, uiri corpus, caput arietis habens, colebatur: Eusebius de præparatione lib. tertio, capite tertio. Castelli Ægypti Anamis, ubi homo pro Deo cultus, sacrificia comedit: Eusebius ibidem.

Et turbam Neogrorum in Ægypto sepulchrum Ioseph custodire, & colere & adorare adhuc suo tempore, & ex ipsius simulachro immundos spiritus colligi: Iulius Maternus Firmicus scribit ad Constantium.

Carthaginenses Saturnum colere humanis uictimis, Lactantius lib. primo, capite uigesimoprimo scribit.

Lybes arietem cognomento Ammona colere, Athanasius libro contra idola testatur.

Æthyopum nationes in diabolo saginari, Hieronymus libro secundo cõtra Iouinianum scribit.

DE GENTILISMO IN INsulis maris mediterranei.

In Salamine insula templũ Palladis fuis-

se, & Agraulam Cecropis filiam cultam esse humano sanguine: Eusebius libro quarto de præparatione Euangelica, capite septimo ex Dionysio annotat.

In Cypro Venerem coli, Iulius Firmicus Maternus scripsit in libro ad Imperatores Constantium & Constãtem, de errore prophanarum religionum.

In Papho Venerem honorari, Athanasius in oratione contra idola indicat.

Rhodios olim Saturno hominem sacrificare solitos esse, Eusebius refert libro quarto de præparatione Euangelica, cap. 7.

In Creta Curetes Saturno pueros sacrificasse olim, Histrius scripsit, referẽte Eusebio lib. 4. de præparatione Euangelica, cap. 7. Et Athanasius in oratione contra idola monet, Cretenses Iouem uenerari, & Saturnum immolatis filijs placare.

In Eleusine Cereris & Proserpinæ mysteria exerceri, Epiphanius lib. 3, tom. 2 de fide catholicæ Ecclesiæ indicat.

In Delo Iulianus consuluit oracula, an expediret bellum contra Persas suscipere. Paulus diaconus lib. undecimo: & Theodoret. lib. 3, cap. uigesimoprimo.

In Samo Epiphanem sacrificijs & festis solennibus gentiles uenerari, testis est Epiphanius libro primo, tomo secundo, hæresi trigesimasecunda.

In Chio Dionysiũ Omadiũ coli immolatione hominis, refert Eusebius libro quarto de præparatione Euangelica, cap. 7.

Cephallenes etiam Epiphanio sacrificare, Epiphanius lib. 1, tom. 2, hæresi trigesimasecunda narrat.

DE GENTILISMO PER *Europam.*

DE Græcia ait Arnobius, quòd ritibus annuis adoret & celebret Liberũ: lib. septimo aduersus Gentes. & Iulianũ in Græcia discurrisse, & uates ac diuinos quęsiuisse, eosq; consuluisse de spe imperij potiundi, Theodoretus lib. 3, cap. 2.

Athenis sub Iuliano Gentiles mysteria quædam construxisse, & inspectores uiscerum pueros imberbes & masculos & fœmellas mactasse, & carnes eorum gustasse, Socrates narrat libro tertio, capite decimotertio. Simulachri Serapij, eusq; sacerdotũ meminit Epiphanius lib. 2, tomo primo, hæresi sexagesimaquarta.

Bœotiorum oraculorum meminit Athanasius de humanitate uerbi. Apud Thebas diuino honore affici Liberũ, qui olim ob tyrannidem & magicas artes à Lycurgo in mare proiectus sit, Iulius Firmicus testatur, in libro de errore prophanarum religionum.

Delphis Apollinis erat templum, propter oracula quæ à dæmone ibi reddebantur, celebre: sed Constantinus simulachra & tripodes inde sustulit. Eusebius libro tertio de uita Constantini: & Sozomenus libro secundo, capite quinto. Iulianus autem postea Delphos misit, & de euentu belli Persici dæmonem consuluit. qui respondit: omnes nũc excitati sumus dij, ut feramus trophæa, Thera iuxta fluuiũ, sed horũ ego ductor sum futurus ferus bellipotens Mars. Theodoretus lib. 3, cap. uigesimoprimo.

Meminit et Athanasius Delphicorum oraculorum, in libro de humanitate Verbi.

Apud Pythios etiam Apollo oracula reddere solebat. & dicit Athanasius, Pythia responsa apud omnes in admiratione fuisse: oratione de humanitate uerbi. & Epiphanius testatur, Archemori apud Pythios sua fuisse mysteria: lib. 3, tom. 2, de fide catholicæ Ecclesiæ.

In Isthmo Achaico Athamanti & Melicertæ de Ino natis sacra fieri, Epiphanius testatur ibidem.

Epidaurios Aesculapium uenerari pro DEO, Arnobius libro octauo aduersus Gentes scribit.

Arcades Mercurio diuinos exhibere honores, Athanasius in oratione contra idola refert.

Apud Lacedæmonios Marti homines mactari & offerri, Eusebius libro quarto de Præparatione Euangelica, capite septimo commemorat.

Ad Epiri urbem Dodonam, Iulianus misit consultum Apollinem. Theodoretus lib. tertio, cap. uigesimoprimo. Meminit Athanasius oraculorum Dodonæorum, oratione de Humanitate uerbi.

Apud Thessalonicenses & Macedones sacra Corybantum uigere, Iulius Firmicus in libro de errore prophanarum religionum testatur.

Constantinopoli in templo Fortunæ Iulianus sacrificauit, teste Paulo diacono lib. undecimo, de Iuliano.

Romæ ecclesia Christi quidem celebris fuit hoc seculo, ut suo loco ostensum est: sed tamen nihilominus ea in urbe, senatus & nobiliores, & maxima pars uulgi, Ethnicis superstitionibus addicta fuit. Ac testatur Arnobius libro octauo aduersus Gentes, Romanos uniuersa idolorum genera colere. & Prudentius libro primo contra Symmachum inquit:

Et tot templa Deũm Romæ, quot in orbe sepulchra
Heroum numerare licet: quos fabula manes
Nobilitat, noster populus ueneratus adorat.

Et ibidem prolixum catalogũ simulachrorũ, Romæ diuinis honoribus ex Senatus decreto affectorũ cõtexit: & cessasse idolorũ cultum tum primum Romæ, cũ Constantinus Maxen-

Maxentium deuicerit, idem libro eodem teſtatur. Sed Symmachus in epiſtola ſua ad Valentinianũ & Theodoſium affirmat, Conſtantium Imperatorẽ nihil decerpſiſſe ſacrarum uirginum priuilegijs: ſed repleuiſſe nobilibus ſacerdotia, Romanis ceremonijs nõ negaſſe impenſas: & per omnes uias æternæ urbis lætum ſequutum eſſe Senatum, uidiſſe placito ore delubra, legiſſe inſcripta faſtigijs nomina Deorum, percontatum eſſe templorum origines, miratum eſſe conditores. & quanquam alias religiones ipſe ſequutus ſit, tamen has ſeruaſſe Imperio. Huic aſtipulatur Athanaſius in oratione contra idola, ubi dicit: Senatum Reges ſuos intra Deorum numerum cõſecrare. Et Hieronymus, Romæ tutelæ ſimulachrum in ſingulis domibus cultum eſſe, aſſerit libro decimoſexto in Eſaiam. Et uſq; ad Theodoſium duæ turpes conſuetudines, ethnicæ ſcilicet, in ſpelunca latronũ captiuos tenendi peregrinos, & in lupanari adulteram obſcœnis coitibus puniendi, adhuc in uſu fuerunt: quas Imperator eò ueniens abrogauit. Socrates libro quinto, capite decimooctauo. Et apparet ex epiſtola Symmachi, adhuc ſub Valentiniano & Theodoſio & Arcadio, Senatũ Romanum fuiſſe idololatrię Ethnicę deditum. eius enim nomine petit, ut Imperatores iubeant Romæ in Curia aram Dijs parari, & ſumptus ad ſacrificia dari, & ſacrorum miniſtris & uirginibus Veſtalibus ſuos prouentus reddi, & ueterem religionis ſtatum inſtaurari & permitti. Extat epiſtola illa Symmachi pro ſacris patrum apud Ambroſium, & apud Prudentium. Idem libro primo, epiſtola quinta, poſtulat curules ludos ac ſcenicas uoluptates celebrari.

In Albano monte olim niueos, nunc uerò ruffos tauros offerri, Senatus ſanctione cõſtitutum eſſe, Arnobius libro ſecundo aduerſus Gentes ſcribit.

Hetruriam genitricem & matrem ſuperſtitionum appellat Arnobius, libro ſecundo aduerſus Gentes.

Gallos Mercurium colere, Arnobius lib. octauo contra Gentes affirmat.

Celtas & Occidentaliores omnes adhuc ſuo tempore homicidio ſacrificare, Euſebius libro quarto de prępparatione Euangelica, capite ſeptimo refert.

Paganos apud Gothos idololatricos cultus inſtaurare conatos eſſe, in Faſciculo temporum annotatur, ſub Theodoſio.

Scotorum gentilium, more pecudum fœdè laſciuientium, meminit Hieronymus libro ſecundo contra Iouinianum.

Scythas Tauricos Dianam colere, Arnobius libro octauo contra Gentes, & Athanaſius in oratione contra idola affirmant.

CAPITA OPINIONVM *Gentilium.*

DE LIBRIS EORVM.

NOn utebantur ſacris Eccleſiæ libris, ſed Poetarum & Philoſophorum, Dialecticorum & Rhetorum, & aliarum artium commentarijs. Nam Iulianus cum uideret Chriſtianos legere Ethnicorum libros, & inde occaſionẽ ſumere eos refutandi, lege prohibuit, ne Chriſtianorum pueri in poetis ac reliquis commentatoribus Ethnicis & philoſophicis artibus inſtituerentur. Socrates libro tertio, capite duodecimo: Theodoretus libro tertio, capite octauo: Sozomenus libro quinto, capite decimooctauo. & Arnobius libro ſecundo, multos autores enumerat, quibus Gentiles credant: ut Thaletem, Heraclitum, Pythagoram Samium, Platonem Socraticum, Ariſtotelem, Panætium, Chryſippum, Zenonem, Epicurum, Democritum, Metrodorum, Archeſilaum, Carneadem, Plotinum, Numenium, & ſimiles: & ſub Maximino in ſcholis libros quoſdam de Ieſu & Pilato contumeliæ gratia confictos, pueris traditos eſſe, Euſebius libro nono, capite ſeptimo teſtatur.

DE DEO.

GEntilium quidam ſentiebant, naturaliter inſitam eſſe Deorum notionem. Iamblichus de myſterijs Ægyptiorũ cap. primo.

Alij uerò negabãt inueſtigari poſſe, Deũs ne ſit an non: & inueſtigationẽ eius eſſe inanem laborem, cum Simonides Hieroni interroganti, quid & quales arbitraretur Deos eſſe? reſponderit, quòd ſibi, quanto inquiſitio tardior pergeret, tanto ueritas fieret obſcurior. & quòd Socrates interrogatus de cœleſtibus, reſponderit: Quod ſupra nos, nihil ad nos. Arnobius libro octauo contra Gentes.

Alij negabant prorſus Deum eſſe. Hilarius in ſexageſimumprimũ Pſalmum, & ſexageſimumquintum.

Vnum eſſe uerum & magnum & primum Deum, quidam aſſeruerũt: ut Orpheus apud Lactantium libro primo, capite quinto. & Gentes apud Arnobiũ libro ſecundo: & Græci apud Epiphanium lib. tertio tomi primi, hæreſi ſeptuageſimaſexta, unum magnum Deum cõfitentur, cæteros appellant paruos Deos. Et Iamblichus libro de myſterijs. Illum antem magnum Deum alij ſentiunt ex aere natum eſſe: ut Orpheus apud Lactantiũ lib. primo, cap. quinto, ubi eũ Protogonon, quòd ante ipſum nihil ſit genitum: & φάνητα, quòd cũ adhuc nihil eſſet, ipſe primus apparuerit, & ex aëre immenſo natus ſit, appellat.

Alij uerò aſſerunt, eum ſuam eſſentiam ipſummet genuiſſe, ideoq; patrẽ ſui & eſſen-

tię appellari. Iamblichus de myſterijs, capite trigeſimonono. & Iulius firmicus Maternus iunior in præfatione libri quinti matheſeôn dicit, Deum ſibi patrem ac filium uno uinculo neceſsitatis obligatum eſſe.

Ex hoc porro magno & primo Deo, qui ſibijpſi ſufficiés ſit & immortalis, natos eſſe alios Deos ſentiebant. Inquit enim Iamblichus libro de Myſterijs, cap. 16: Mens diuina per ideas ſuas Deorum cœleſtium procreat animas, atq; per eas cœleſtia corpora, & utraque ſibi coniuncta perpetuò retinet.

Deos autẽ illos à primo Deo ortos, inter ſe unitos eſſe, & ubiq; ſibi inuicem ineſſe, & in quolibet eſſe potentiam infinitam, & naturam indiuiduam, incomprehẽſibiléq;, & ubiq; præſentẽ: Iamblichus de myſterijs cap. ſexto, & decimoſexto.

¶ Diuiſiones Deorum has ferè faciunt: Vnus eſt magnꝰ Deus, alij ſunt parui. Epiphanius libro tertio tomi primi, hæreſi ſeptuageſimaſexta.

Deus primus dat omnibus omnia, Dij uerò omnibus aliqua largiuntur. Iamblichus de myſterijs cap. decimoſeptimo.

Alij ſunt uiſibiles, alij inuiſibiles. Iamblichus de myſterijs capite decimoſeptimo.

Deos alios materiales, alios immateriales ponimus. Materiales ſunt, qui materiam in ſe comprehendunt atq; exornant: Immateriales autem omnino, qui à materia ſegregati penitus ſunt. Secundum igitur ſacerdotiã artem incipi ſacrificia à dijs materialibus decet. Non enim aliter ad immateriales Deos patet aſcenſus. Iamblichus libro de Myſterijs, cap. trigeſimotertio.

Alios eſſe ſuperos Deos, alios inferos: & illos læto & albo delectari colore, hos uerò furuo: Arnobius lib. ſeptimo contra gentes. Et Prudentius infernorum meminit lib. primo contra Symmachum.

Alios eſſe mares, alios fœminas: Arnobius idem libro tertio & ſeptimo contra Gentes.

Plures itaque Deos coluerunt Gentes: Lactantius libro quinto, capite decimo. Nec exiſtimarunt id peccatum eſſe: idem libro quinto, capite decimonono. Ob ignorantiam ueri DEI: idem in Epitome diuinæ inſtitutionis, capite tertio. Imò ſenſerũt, unum & eundem Deum ab omnibus coli, ſed diuerſa ratione: & parum referre, qua quiſque prudentia uerum requirat. uno enim itinere non poſſe perueniri ad tantum ſecretum. Symmachus in Epiſtola ad Imperatores pro ſacris patrum, apud Ambroſium lib. quinto, epiſtola trigeſima.

De diuerſitate Deorum gentilium, Athanaſius in oratione contra idola inquit: Non apud omnes ijdem exiſtimãtur dij: ſed quot ſunt gentes, totidem Deorum genera confinguntur. Eſt quoque ubi eadem regio, atque adeò eadem ciuitas inter ſe diſsideat in ſuperſtitione idolorum. Phœnices certè Aegyptios Deos non agnoſcunt: neque Aegyptij eadem cum Phœnicibus ſimulachra adorant: nec Scythæ Perſarum, nec Perſæ Syrorum numina recipiunt. Pelaſgi Threijcios Deos repudiant, Thraces Thebanos ignotos habent. Indi contra Arabes, Arabes contra Aethiopes, & Aethiopes uiciſsim contra illos in ratione Ceremoniarum diſſentiunt. Syri Cilicum deos non colunt: & Cappadocum gentes, alios præter iſtos, deorum nominibus appellant. Diuerſos item Bithynij, diuerſos Armenij commenti ſunt. Et quid opus multis? Qui in continente ſunt, alios ab Inſulanis deos uenerantur. In ſumma, quælibet ciuitas, et uicus, uicinorum numina non agnoſcens, ſua præſtituit, eaq; ſola deorum loco habenda exiſtimat.

Arnobius libro octauo aduerſus gentes, idem affirmat. Inde adeò per uniuerſa imperia, prouincias & oppida, uidemus ſingulos ſacrorum ritus Gentiles habere, & Deos colere municipes: ut Eleuſinios Cererem, Phrygas Magnam matrem, Epidaurios Æſculapium, Chaldæos Belum, Syros Aſtarten, Dianã Tauros, Gallos Mercurium, uniuerſa Romanos.

Gentiles à Deo uero aberrantes, alij Cœlo, Soli, Lunæ, reliquiſque ſtellis diuinos honores conſecrarunt: eos non ſolum numina, ſed & aliarum quoque rerum autores arbitrati. Athanaſius in oratione contra idola. Chaldæi mundum ſuperiorem Deum eſſe dicunt, & ſtellas deos appellant. Ambroſius libro ſecundo de Abraham, capite tertio.

Aegyptij ſolem Oſyridem, & lunã Iſidẽ uocant, eoſq; ut Deos adorant. Euſebius libro tertio de Præparatione Euangelica, cap. ſecundo: & Hilarius in pſalmũ ſexageſimũ primum. Et Arnobius Solem & Lunã deos gentiles eſſe dicit, lib. 1.

Alij æthera & aerem, eaq; quæ in aere ſunt, Deos appellarunt. Athanaſius contra idola.

Alij elementa, principiaq; illa quibus corpus conſtituitur, calorem, frigus, ſiccitatem & humiditatem, & fontes & amnes pro numinibus celebrarunt. Athanaſius contra idola. Et Euſebius libro tertio de præparatione Euangelica, capite ſecundo indicat, Aegyptios dixiſſe, Aquam & ignem ueneranda eſſe, ut elementa humanæ ſalutis.

Prudentius lib. primo cõtra Symmachũ:

Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile gignunt,

Id duxere deos: colles, freta, flumina, flammas.
Hæc sibi per varias formata elementa figuras
Constituere patres, hominumq; uocabula mutis
Scripserunt statuis, uel Neptunum uocitantes
Oceanum, uel Cyaneas caua flumina Nymphas,
Vel syluas Dryadas, uel deuia rura Napæas.
Ipse ignis, nostrum factus qui seruit ad usum,
Vulcanus perhibetur, & in uirtute superna
Fingitur, ac delubra Deus & nomine & ore
Assimilatus habet, nec non regnare caminis
Fertur, & Aeoliæ summus faber esse uel Aetnæ.

Et Hilarius in Psalmum sexagesimumprimum: Nilo Ægyptij sacrificant. Sozomenus libro septimo, capite uigesimo: Eusebius libro primo de uita Constantini. Persæ ignem colunt: Iulius Firmicus.

Alij homines, eorumq; simulachra, tum uiuentium, tum mortuorum, in deos retulerunt. Athanasius contra idola. Diocletianus, ut Deus adorari uoluit. Eutropius libro decimo.

Hominem apud Anubin oppidum in Ægypto adorant. Eusebius de Præparatione Euangelica libro tertio, capite secundo. In castello Anamis colitur homo, qui sacrificia oblata deuorat. Eusebius libro tertio de Præparatione Euangelica, capite tertio. Epiphanes in Samo: apud Epiphanium libro primo tomi secundi, hæresi trigesimasecunda. Moyses in Arabia: Epiphanius libro secundo tomi secundi, hæresi quinquagesimaquinta. Maria: Epiphanius libro tertio tomi secundi, hæresi septuagesimaoctaua. Puella quædam in Sicimis: ibidem. Thermutis, filia Amenoph, filij Pharaonis, eo quòd educauit Moysen: Epiphanius ibidem. Archemor, Athamas, Melicerta, Priapus, Rhea, Dionysius, Saturnus, Harpocrates, Antinous, Hirtus Mendesius, Asinus in nomine Seth, Gigas Typho, Hecate, Senepthij, Isis sacrificatur. Epiphanius libro tertio tomi secundi, de fide catholicæ Ecclesiæ. Timagenes Anasiæ, & Canobus Menelai gubernator, & uxor eius Eumenuthis, Marnas, (cuius & Hieronymus in uita Hilarionis meminit) seruus Asterij Cretensis apud Gazæos, Cæsius nauclerus apud Pelusiotas, diuinis afficiuntur honoribus. Epiphanius in Anacephalæosi. Belus, Astartes: & uernaculi dij Romanorum, quales sunt Romulus, Picus, Tyberinus, Cœsus, Pilumnus, Picumnus, Acca Laurentia & Flora meretrices propudiosæ. Arnobius lib. octauo. Summanus: Arnobius libro sexto.

Alij in lapides & ligna & reptilia tum aquatici generis, tum terrestris, & in brutas ferasq; beluas diuinum nomen transtulerunt, ijsq; diuinos honores attribuerunt. Athanasius contra idola, & Hilarius in Psalmum sexagesimumprimum, & sexagesimumquintum.

Templa felibus, scarabeis & buculis sunt ædificata: Arnobius libro primo. Ægyptios bouem, ouem, canem, Anubim, felem, ichneumonem, accipitrem, aquilam, hircum, Priapum, Pæanas, Satyros, sacros tauros Apin & Mneuin, & lupos, & scarabeum animatam Solis effigiem putantes, ut Deos uenerari, Eusebius libro tertio de præparatione Euangelica, capite secundo indicat. Arnobius his accenset asinos, capita boum & ueruecum, Deos ex homine & capro mixtos, item ex leone & cane, serpentes, crocodilos, bestias, aues & pisces: libro octauo contra Gentes.

Alij monstra pro dijs coluerunt: ut apud Ægyptios sunt Canicipites, serpenticipites, asinicipites: & in Libya Iupiter Ammon, ueruecino capite configuratus. Athanasius contra idola.

Alij partes corporis, aut caput, aut humeros, aut manus, aut pedes, inter Deos retulerunt, & ceremonijs extulerunt. Athanasius.

Alij ex uitijs Deos fecerunt: ut Libidinem, & Venerem, & Amorem. Athanasius ibidem.

Alij ausi sunt suos principes, eorumque liberos inter numina referre, aut per reuerentiam regum, aut metum tyrannorum: ut in Creta Iupiter, in Arcadia Mercurius, apud Indos Dionysius, apud Ægyptios Isis & Osyris, Horus & Antinous amasius Adriani. Non ita pridem, & fortasse etiam nunc Romanus Senatus suos ab origine Imperatores, aut omnes, aut saltem eos quos ipsis libitum est, cœlo arisq; dedicant, legibusque & senatusconsultis Deos esse iubent. Sic prisci Græcorum dij, Iupiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Mercurius, Iuno, Ceres, Pallas, Diana, Thesei edicto accepere numen & diuinitatem: & apud Ægyptios Isis, Proserpina minor, & apud alios Venus. Athanasius, & Arnobius libro primo. & Prudentius libro primo contra Symmachum enumerat multa simulachra, inter quæ & Augusti & Liuiæ sunt, quæ Romæ coluntur. Arnobius plurimorum meminit, ut sunt: Iupiter Dodonæus, libro primo: Saturnus, libro secundo. Mars, Mercurius, Apollo Delius, Clarius, Didymæus, Philesius, Pythius, Æsculapius, Aius, Locutius, Hercules, Liber, Triptolemus, Romulus, Quirinus: libro primo. Dis pater, Vulcanus, Picus Fauni pater, Latinus: libro secundo. Pales, & Inuus: libro tertio. Nemestrinus deus, Noclutis deus, Serapis: libro quarto. Libentinus, Faunus, Pansus, Genij Grundules, Lares: libro primo.

Bellona, Diana, Ceres, Minerua: Arnobius libro primo. Latona, Leda, Dione, Maia: Arnobius libro secundo. Flora curat, ut arua floreſcant: Iuno puerperijs præpoſita, Præſtana dea, Panda dea, Pellenda dea, Pertunda dea, Peta dea, Patellana dea, Orbona, Mellonia, Oſsilago. Arnobius libro quarto.

Muſarum Heliconiadum & Panos memi nit Sozomenus libro ſecundo, capite quinto. Meminit & Panos Euſebius lib. quinto de præparatione Euangelica, capite nono. Iouis Capitolini mentio fit apud Zonaram, tomo tertio, de Conſtantino. Recitantur & alij quidã, ut Dionyſius Gynides: Theodoreto libro tertio, capite ſeptimo. Bacchus: Theodoret. libro quinto, capite uigeſimo. Venus: Euſebio libro ſecundo de uita Conſtantini. Canopus Ægyptiorum deus hydria ſudante Chaldæorum deum Ignem extinxit: Ruffinus libro ſecundo, capite uigeſimoſexto. In ciuitatibus maximis atq; potentioribus populis, ſacra fiebant ſcortis meritorijs quondam, atq; in uulgarem libidinẽ proſtitutis. Arnobius libro primo. Thebani Liberum tyrannum olim adorabant: Iulius Firmicus Maternus. Pluto & Proſerpina, Adonis, Venus, Penates, Veſta, Palladij numẽ, ab eodem Iulio Materno recenſentur. Magna mater, ſeu Cybele, ab Arnobio libro ſeptimo, & Prudentio contra epiſtolam Symmachi.

Alij etiam res alias inanimatas pro Dijs coluerunt, ut Romam: Prudentius libro primo contra Symmachum, & Hieronymus libro decimoſexto in Eſaiam. & Victoriã, Symmachus in epiſtola pro ſacris patrum. Publicam Fortunam Iulianus Conſtantinopoli ueneratus eſt: Socrates libro tertio, capite primo & undecimo: & Theodoretus libro quinto, capite uigeſimo. Meminit & Sozomenus libro quinto, capite quarto, templi Fortunæ. Cloacinam Tatius inuenit, & coluit: Pauorem Hoſtilius, atq; Pallorem: mox neſcio à quo Febris dedicata. Arnobius libro octauo.

Sentiebant ſingulos Deos certarum rerũ & ſingularum eſſe datores: ut Liberum patrem credebant poſſe dare uindemiam, Cererem fruges, Aeſculapium ſanitatem, Neptunum aliud, aliud poſſe Iunonem, Fortunam, Mercurium, Vulcanum. Arnobius lib. ſecundo contra Gentes.

Sentiebant, Deos ſuos inueniſſe artes. Athanaſius contra idola. Iupiter figulinam inuenit artem, Neptunus gubernatoriam, Vulcanus ærariam, Minerua textoriam, Apollo muſicam, Diana uenatoriam, Iuno ſtolæ confectionem, Agriculturam Ceres, & alias alij reperiſſe traduntur ab his qui illorum geſta conſcripſere.

Gentes ſuos deos, quos colunt, natos, & ex maſculorum fœminarumq; conuentionum lege genitos fatentur. Item alios eſſe mares, alios fœminas: Gerere ſimilitudinem hominum, & mortalium uultibus eſſe formatos. Singulos habere opificum more ſua artificia: alios eſſe deos diſcordiarum, peſtilentiarum, amorum, furiarum, bellorũ: iræ, perturbationi, cæteriſq; animorum affectibus mancipatos & obnoxios eſſe: gaudere, lætari eos pecorũ ſanguine, cædibus & mactatione hoſtiarum. Arnobius libro ſeptimo aduerſus Gentes.

Epicurus & alij eius ſectæ ſenſerunt, Deũ nemini iraſci, neque curare res humanas. Lactantius libro de ira Dei, capite octauo: & Hilarius in ſexageſimumprimum & ſexageſimumquintum pſalmum.

Exiſtimant Deum terrenis operibus indigere. Lactantius libro ſexto, capite primo.

Somniant Deos ſub nudo cœlo inuocatos, extra ſua templa non poſſe audire. Arnobius lib. ſexto contra Gentes.

De IESV CHRISTO.

SEntiunt Chriſtum eſſe hominem, ignominioſa morte peremptum. Arnobius libro primo contra Gentes.

DE ANGELIS.

IAmblichus archangelos & angelos inter ſuperos ponit: eos q; inuocatos, ſcilicet per magiam, uenire dicit, capite nono.

Magorum primus Hoſthanes, Angelos, id eſt, miniſtros & nuncios Dei, ſed ueri, eiusq; uenerationi nouit aſsiſtere: ut & nutu ipſo & uultu contremiſcant. Arnobius libro octauo.

DE DAEMONIBVS, ET HEroibus, & animabus.

POſt deos ponimus dæmones, heroes & animas puras. hi tres ordines ſunt perdiſſequi deorum. Iamblichus de myſterijs capite primo.

Dæmones alios bonos, alios malos, Porphyrius & Iamblichus de myſterijs cap. tri geſimo ſentiunt.

Plato in ſympoſio naturam dæmonum exprimere nititur. Vult enim eſſe ſubſtantiam inter mortalem immortalemque, id eſt, inter corpus & ſpiritum mediam, rereni ponderis & cœleſtis leuitatis admixtione concretam, ex qua promanet in nos procupido amoris. & dicit eos informari & illabi pectoribus humanis, & ſenſum mouere, & affectus fingere, & ardorem cupiditatis infundere. Arnobius libro octauo.

Dæmonum bonorum officium eſt, opificium

ficium circa naturas mundanas usq; ad singula transigere simul atque perficere, & animas alligare corporibus. Iamblichus capite decimooctauo.

Et quæ sunt in dijs ineffabilia & occulta, exprimere atque patefacere. Iamblichus capite secundo.

Dæmonum improborũ officium est, deci pere homines malos, eosq; obsidere, & incitare ad alia atq; alia scelera. Iamblichus de mysterijs capite tertio.

Hostanes prodidit, dæmones terrenos, uagos & humanitatis inimicos esse. Arnobius libro octauo.

Inter dæmones esse ordinem, ut unus aliquis sit dux, qui habeat suos ministros, Iamblichus capite quadragesimoquarto indicat.

Dæmones abominari & fugere crucem CHRISTI, historia Iuliani testatur apud Theodoretum libro tertio, capite tertio.

Dæmonum substantiam ali animabus, & cruore ex pecudum assidua cæde profuso, Iulius Firmicus ex Porphyrio refert.

HEROES.

Heroum officium est, uiuificare, & ratiocinari, & animas custodire, easq; à corporibus soluere. Iamblichus capite decimooctauo. Genios nascentibus animabus addi custodes, & urbibus, Symmachus in epistola pro sacris patrum affirmat.

ANIMAE.

Nulla est in Anima passio uel peremptoria, uel turbatoria. atq; hanc impassibilitatẽ anima nõ solum acquirit electione, sed possidet ipsa natura admodum superiore. Iamblichus capite nono.

Non dicimus animas fieri, sed accipere à dæmonibus heroibusque nonnihil, & ex se multa insuper adhibere. Iamblichus capite decimooctauo.

Pherecydes & Plato senserunt, animas immortales esse: sed Dicearchus & Democritus contrarium asseruerunt. & Lucretius, animam mortalem esse probare uoluit his rationibus. Prima, quia cum corpore nascatur, ideoq; & cum eodem intereat. Secunda, quia sensus crescant in pueris, in senibus uerò imminuantur. Tertia, quia anima sit obnoxia dolori & luctui, & ebrietatis dementiæ. Quarta, quia ut oculus à corpore diuulsus non uideat, ita anima separata à corpore non sentiat, propterea quod & ipsa sit pars corporis. Lactantius libro septimo, capite septimo & duodecimo.

Pythagoras & eius assectæ sentiebant, animas in alia atque alia transire corpora. Lactantius libro tertio, capite decimonono.

Deum, Deos, Heroes & Animas sic discernunt. Dij tenent summum entium, animæ infimum. Dij possunt omnia, momento uniti: animæ contrà neque omnia, neque momento, neque unitæ. Dij faciunt curantq; omnia, non inclinati: animæ cum inclinatione quadam agunt. Dij sunt præcipuæ causæ: animæ uerò ex illorum uoluntate dependent. Iamblichus capite quarto. Item, Deorum prouidentia uniuersalis est, dæmonum uerò particularis. Deus dat omnia omnibus. Dij omnibus aliqua largiuntur: dæmones atque animæ aliquibus solum, aliqua tantum. Idem capite decimoseptimo.

DE CREATIONE.

EPicurus sensit, mundum ex atomis conflatum. Lactantius libro de ira DEI, capite decimo.

Ægyptij senserunt, Solem esse creatorem omnium rerum: & Solem & Lunam mundum gubernare, & omnes res per eos crescere & ali & augeri. Eusebius de Præparatione Euangelica libro tertio, capite secundo.

Stellas proprium sensum diuinamq; prudentiam ex Deo habere: & quidem mentem diuinam necessitate cuiusdam legis stellis infundi, & in orbe solis descendere, & in orbe lunæ ascendere, Iulius Firmicus Maternus lib. 1. cap. 3 Matheseõn sentit.

Deos architectos mundi appellat Iamblichus capite secundo: & dæmones res creatas perficere, idem capite decimooctauo indicat.

Crediderunt quidam, genus humanum ex lapidibus procreatum. Arnobius libro 5. aduersus Gentes.

Alij tamen senserunt, Deum natura monstrante hominem condidisse ex quatuor elementis, & diuinum spiritum è cœlesti mente in corpus infudisse. Iulius Firmicus in libri tertij Matheseõn præfatione, idem in præfatione libri septimi, Deum fabricatorem mundi, & omnium aliarum rerum facit.

Per Spiritum flatilem, autorem omnium, senserunt creaturas sustentari. Ambrosius libro secundo de spiritu sancto: & Iulius Firmicus lib. 1. cap. 3 Matheseõn.

DE LIBERO ARBITRIO.

Animarum suarum salutem in seipsos reposuerunt, fieriq; sese deos suo intestino conatu confisi sunt. Arnobius libro secundo contra Gentes.

De Lege diuina.

De lege diuina nihil apud Gentiles legas. Iamblichus de legibus ciuilibus, & alij, elegantia dicta habent.

De

De Peccato.

Ignorant peccatum & nefas esse, alium præter Deum uerum adorare. Lactantius libro quinto, capite decimonono.

De Euangelio.

De Euangelio nusquam quidquam apud Gentiles reperitur.

DE IVSTIFICATIONE, *seu salute.*

Senserunt se saluari per bona opera, eaq; ceremonialia magis quàm moralia. Lactantius libro sexto, capite primo.

Homines autem neglecta iusticia, cum sint omnibus flagitijs ac sceleribus inquinati, religiosos se putant, si templa ac aras hostiarum sanguine cruentauerint, si focos adoleuerint, ac ueteris uini perfusione madefecerint, &c. Item libro sexto, capite secundo: Quisquis hanc saginã præstiterit, quamuis ille grassator, adulter, ueneficus, parricida sit, beatus ac felix erit. Hunc dij diligunt, hunc tuentur, huic omnia quæ optauerit præstant.

Scholastici gentiles docebant, se Deo esse gnatos, nec fati obnoxios legibus: si uitã restrictius agerent, aulam sibi eius patêre, ac post hominis functionem, prohibente se nullo, tanquam in sedem patriam referri. Arnobius libro secundo contra Gentes.

Magi spondẽt se habere commendaticias preces, quibus emollitæ nescio quæ potestates, uias faciles præbeant ad cœlum contendentibus subuolare. idem ibidem.

Hetruria in libris Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato, diuinas animas fieri, & à legibus mortalitatis educi. Arnobius ibidem.

Felix est, qui Deo, quatenus fieri potest, similis fuerit, perfectus, simplex, purus & separatus ab humana uita. Iamblichus in epistolis, referente Stobæo.

De bonis operibus.

Quædam Gentes censuerunt, etiam contra legem naturæ, inhonestè uiuendum esse. Vnde apud Geloos, male facientes à legibus laudari, Epiphanius prodidit libro tertio, tomo secũdo, de fide catholicæ Ecclesiæ: & Lactantius libro sexto, cap. primo indicat, Gentiles neglecta iusticia turpissimè uixisse.

Alij tamen econtrà senserunt, ciuiliter honestè uiuendum esse, & Deos esse secundum patrios ritus colendos: ac quidem summum Dei cultum in operibus ceremonialibus posuerunt. Arnobius lib. 4. aduersus Gentes.

Senserunt etiam, opera bona sine Dei alicuius auxilio solis humanis uiribus præstari nõ posse. unde Iamblichus inquit, cap. uigesimo sexto: In religione nullum potest opus esse efficax, nisi adsit illic superiorũ aliquis, spectator operis, & impletor. Natura enim humana nec rationem, orationem ue sine dijs susci pere potest, nedum diuina opera facere sine ijs ualet. Est enim imbecillis & hebes usq; adeò, ut nullum nullitatis suæ remedium habeat, nisi quandam diuini luminis portionem desuper accedentem, sine qua nihil à nobis fit diuinum. Et Maximinus in edicto quod extat apud Eusebium libro nono, capite septimo, dicit Iouem Tyriorum mentibus salutarem uoluntatem inspirasse.

De Sacramentis.

Symbolorum & Sacramentorum mira potestas, solis nota numinibus, præstat nobis deificam unionem: quando operamur in sacris, non conficimus per intelligentiam Sacraméta. alioquin & actio eorum intellectualis foret, & daretur à nobis. Contrà uerò, & nobis non intelligentibus hęc propriũ opus peragunt, & Deorum potestas quò hæc referuntur. Iamblichus capite uigesimo.

De sacrificijs.

Sentiebant dijs superis albas, inferis uerò nigras uictimas mactandas esse. Arnobius libro septimo contra Gentes. Item, Deabus fœminas, dijs uerò masculas hostias offerri oportere. Arnobius libro septimo contra Gentes.

Sentiebant Deos pecorum sanguine, cædibus & mactationibus, mero, thure, æris tinnitibus, tibiarum sonis, equorum curriculis & theatralibus ludis coli. Arnobius libro septimo.

Sentiebant sacrificijs Deos coli: Sozomenus libro quinto, capite primo. & honorari: Arnobius libro septimo contra Gentes. & iratos placari: Lactantius libro quinto, capite decimotertio: & Arnobius libro septimo contra Gentes. & res prosperas impetrari, & aduersas auerti: Arnobius libro septimo. & Deorum auctitari potentias, & clariorem, ampliorem & angustiorem fieri eorum sublimitatem: Arnobius libro septimo contra Gentes. Et remissionem peccatorum & salutem acquiri. Lactantius libro sexto, capite secundo: & Arnobius secundo contra Gentes. & sacrificiorũ cruore & animabus animantium nutriri dæmonum substantias: Iulius Maternus Firmicus.

De oratione.

Gentes ignorabant tantum unum uerum Deum esse adorandum, ideoq; uaria genera & monstra Deorum à se excogitata adorabant. Lactantius libro quinto, cap. decimoquinto. Et quidem totidem deos adorarũt, quot esse finxerunt, quorum catalogum suprà recensuimus. ac testatur Lactantius lib. quinto, cap. decimoquarto, Gentes terram Dei digitis imaginatam metuere & adorare. Ac testatur Athanasius contra idola, Platonem cum Socrate descendisse in Pyreæũ, & effictam

effictam humana arte Dianam adoraſſe.

Inuocabant etiam eos, quos dubitabant dij ne an deæ eſſent: dicentes, Siue tu deus es, ſiue tu dea es. Arnobius libro tertio contra Gentiles.

Adorabant etiam planetas, cuius rei exemplum ex libri primi capite quarto Matheſεως Iulij Materni Firmici adſcribimus: Sol igitur optime, maxime, qui mediam cœli poſsides partem, mens mundi atque temperies, dux omnium, princepsq́;, qui cæterarum ſtellarum ignes flammiferarum luminis tui moderatione perpetuas: tuq́; Luna, quæ in poſtremis cœli regionibus collocata, ad genitalium ſeminum perennitatem menſtruis ſemper incerta luminibus, ſolis auguſta radiatione fulgeſcis: & tu Saturne, qui in ſummo cœli uertice conſtitutus, radiationem ſideris tui, pigro curſu & tardis agitationibus prouehis: & tu Iupiter, Tarpeiæ rupis habitator, qui mundum ac terras ſalutari ſemper ac benigna maieſtate lætificas, ſed ſecundi globi poſsides principatum: tu uerò Gradiue Mars, rutilo ſemper horrore metuende, qui in tertijs cœli regionibus contineris: uos etiam fidi Solis comites Mercuri & Venus, Conſtantinum maximum principem, & eius inuictiſsimos liberos, Dominos & Cæſares noſtros, conſenſu ueſtræ moderationis, & DEI ſummi obſequente iudicio, perpetuaq́; eis imperia decernente, facite etiam noſtris poſteris, & poſterorum noſtrorum poſteris, infinitis ſeculorum continuationibus impera re, ut omni malorum acerbitate depulſa, humanum genus quietę felicitatis munera conſequatur. Nobis uerò tenuem ingenij ſpiratę ſubſtantiam, ut ueſtro præſidio fulti, facile ea quæ Lolliano promiſimus, compleamus: & quicquid ex diuino ſapientum magiſterio concepimus, ueris ſententiarum definitionibus explicemus. Idem in præfatione libri quinti Matheſeon: Tu quicunq; es Deus, qui per ſingulos dies cœli curſum celeri feſtinatione continuas, qui maris fluctus mobili ſemper agitatione perpetuas, qui terræ ſoliditatem immoto fundamentorum ſolio roborasti, qui laborem terrenorum corporum nocturnis opibus recreaſti, qui refectis uiribus rurſus dulciſsimi luminis gratiam reddis, qui corporis fragilitatem diuinæ mentis inſpiratione ſuſtentas, qui omnem operis tui ſubſtantiam ſalutaribus uẽtorum flatibus uegetas, qui fontium ac fluuiorum undas infatigabili neceſsitate profundis, qui temporum uarietatem certis dierum curſibus reddis, ſolus omnium gubernator ac princeps, ſolus Imperator ac Dominus, cui tota poteſtas numinum ſeruit, cuius uoluntate operis perfectio ac ſubſtantia conſtat, cuius incorruptibilis natura cunctam perpetuitatis ſubſtantiam ornat: tu omnium pater pariter ac mater, tu tibi pater ac filius uno uinculo neceſsitatis obligatus, tibi ſupplices manus tendimus, te trepida ſupplicatione ueneramur, da ueniam quòd tuorum curſus ſiderum, eorumq́; efficacias explicare conamur. Tuum ſit, quod ad iſtam nos interpretationem neſcio quod impulit numen: pura mente & ab omni terrena conuerſatione ſepoſita, ac cunctorum flagitiorum labe purgata, hos Romanis tuis libros ſcripſimus, ne omni diſciplinarum arte translata, ſolum hoc opus extitiſſe uideatur, ad quod Romanum non affectaſſet ingenium. Vosq́; perennium ſiderum curſus, tuq́; Luna etiam humanorum corporum mater: ac tu omnium ſiderum princeps, qui menſtruis Lunæ curſibus, lumen & adimis pariter ac reddis, Sol optime maxime, qui omnia per dies ſingulos maieſtatis tuę moderatione componis, per quem cunctis animantibus immortalis anima diuina diſpoſitione diuiditur, qui ſolus cœli ianuas aperis claudisq́;, ad cuius arbitrium fatorum ordo diſponitur: Da ueniam, quòd gracilis ſermo, ad numinis tui ſecreta peruenit. non enim ſacrilega cupiditas, aut profanæ mentis ardor ad hoc nos ſtudium nuper impegit: ſed animus diuina inſpiratione firmatus, totum conatus eſt, quod didicerat explicare, ut quicquid diuini ueteres ex Ægyptijs adytis protulerunt, ad Tarpeiæ rupis templa perferret.

Sentiebant Deos in templis eſſe inuocandos, eo quòd ſub axe nudo & ęthereo tegmine inuocati, non poſsint audire: & niſi de proximo admoneantur, fruſtrà eis preces fiant. Arnobius libro ſexto.

Docebant ſtatuas eſſe adorandas, non quidem ea opinione, quòd æs, aurum & argentum, & ſimiles ſtatuarum materiæ dij ſint: ſed quòd per ſimulachra deorum aliàs inuiſibilium præſentia exhibeatur: & quòd ijs Dij inhabitant, & uirtutes diuinæ inſint, propter dedicationem ſeu conſecrationem: & quòd per ea dij colantur & honorentur. Arnobius libro ſexto. Et teſtatur Sozomenus libro ſeptimo, capite decimoquinto, Libanium ſophiſtam gentiles Alexandrinos, cõtriſtatos ob ſtatuarum deiectionem, conſolatum eſſe, ne propterea à religione deficerent. Simulachra enim eſſe quidem corruptibiles materias, ideoq́; deleri poſſe: uerùm ineſſe illis quaſdam uirtutes, easq́; in cœlum ſubuolare.

Iudicabant Deos non in rebus proſperis, ſed in aduerſis inuocandos & colendos eſſe. Lactantius libro ſecundo, capite primo.

Magi

Magi ſpondebant ſe ſuis commendaticijs precibus poſſe mortuis aditũ ad ſuperos patefacere. Arnobius libro ſecundo.

Sentiebãt oratione & ſupplicatione Deos dæmonesq́; cultos, multa mala repellere, quæ alioquin naturaliter euenirent. Iamblichus libro de myſteriis, capite decimo.

De Oraculis.

De futuris euentibus ex idolis & dæmonibus ſciſcitari, licitum eſſe cenſebant: ut patet ab exemplis Licinij, apud Euſebiũ de uita Conſtantini lib. ſecundo: & apud Sozomenum lib. primo, capite ſeptimo: & Iuliani apud Theodoretum lib. tertio, cap. nono: & Paulum Diaconum libro undecimo.

Oracula per malos dæmones reddi, Porphyrius ſenſit: ſed Iamblichus, per deos reſponſa dari autumat, libro de myſterijs, capite trigeſimo.

Heraclitus dixit, Delphicum Deum neq; abſcõdere, neq; dicere oracula, propterea ut homines ad Dialecticam inueſtigationẽ excitet. Iamblichus, referente Stobæo.

De Ceremonijs.

Exiſtimabant magnũ nefas & piaculum eſſe, officia rituum, procurationemq́; miſcere, & generis certi certas hoſtias ius eſſe conſecrare numinibus, certaq́ue ſupplicamenta præſtanda propter antiquitatem & conſuetudinem & hominum ſcita. Arnobius libro ſeptimo contra Gentes.

Dierum obſeruationem, & maximè lunarium, in obeundis negotijs neceſſariam eſſe ob felicitatem, aut infortunia, putabant. Ambroſius libro decimo, epiſtola octogeſima-tertia.

Obſeruabant diſcrimina ciborum. Sozomenus libro quinto, capite tertio.

In hos fines ſuos ritus exercebant, ut uel remuneraretur diuina indulgentia, uel auerteretur imminens ira, uel iam tumens & ſæuiens placaretur. Arnobius libro octauo contra Gentes.

Philoſophi hanc afferunt rationem: idcirco ſe imagines Deorum fingere, ut per eas ſibi Deus reſpondeat, & reueletur. Non enim poſſe inuiſibilem aliter noſci, quàm per huiuſmodi. Alij ſapientiora & altiora his ſe dicere arbitrantes, aiunt ideo hæc fingi atque formari, ut per ea cœleſtes inuocentur & appareant angeli atque uirtutes, ſicq́; apparentes, ueram illis Dei inſinuent notitiam. Athanaſius contra idola.

De Ludis.

Ludis Floralibus & Megalenſibus putabant honorari Deos, & offenſos reconciliari. Arnobius libro ſeptimo.

Opinabantur ſuos Deos affici & delectari æris tinnitibus, tibiarum ſonis, equorũ curriculis, theatralibus ludis, irasq́; aliquando cõceptas eorũ ſatisfactione molliri. ibidem.

Somniabant etiam ſuos Deos indiligentia in peragendis ludis ad iram cõmotos, pœnas irrogare, easq́; rurſus inſtauratis & curioſa repetitis obſeruatione ludis auertere. Idẽ libro eodem.

De translatione idolorum.

Idolis peregrinis iuſſu aruſpicum & uatum aliunde accerſitis, & delubris & altioribus columnis & ſimulachris in eorum honorẽ conſtitutis, ſentiebant auerti metus, & grauiſsimos hoſtes pelli, & reſpublicas amplificari, & uictorias, prouinciarumq́; poſſeſsiones recuperari. Arnobius libro ſeptimo. Sic magna Matre ex Phrygio Peſsinũte accita, iuſsis uatũ, ſalutaris populo & magnarum cauſa lætitiarum fuit. Nam & diu potens hoſtis ab Italiæ poſſeſsione detruſus eſt, & glorioſis illuſtribusq́; uictorijs decus urbis reſtitutum eſt priſtinum, & Imperij fines longè lateq́; porrecti, & innumeris gentibus, ciuitatibus, populis, libertatis ius raptum eſt, & iugum ſeruitutis impoſitũ, multæq́ue res aliæ foris domiq́ue perfectæ, ineluctabili firmitate Gentis nomen, maieſtatemq́ue fundarunt. Arnobius libro ſeptimo contra Gentes.

De Calamitatibus.

Cauſam calamitatũ & malorum, elementorum inæqualitati adſcribebant. Arnobius libro ſecundo contra Gentes.

Alij malum per ſeſe ſubſiſtere, & peculiarem ſubſtantiam habere ſomniabant. Athanaſius contra idola.

Alij mala & publicas calamitates imputabant neglecto idolorum cultui, & uiolatis ſacerdotũ priuilegijs: ut Symmachus in epiſtola pro ſacris patrum.

Chriſtiani opinabantur ideo multa accidere mala, quia dij ijs eſſent infenſi: propterea quòd hominem natum, & crucis ſupplicio interemptum, & Deum fuiſſe contendant, & ſupereſſe adhuc credant, & quotidianis ſupplicationibus adorent. Arnobius libro primo. Et quia Deus eorum aut non poſsit, aut non uelit opitulari ipſis: & ita aut inualidus ſit, aut iniquus. Arnobius libro octauo.

Suas uerò calamitates uel præſentes uel imminentes cultu idolorũ, uel præſentium, uel aliunde accerſitorum, auerti poſſe opinabantur. Arnobius lib. ſeptimo cõtra Gentes.

De Coniugio.

Phœnices Heliopolitani ſentiebant, uxores debere eſſe communes: eamq́; ob cauſam liberi eorum incerti erant, cum nulla liberorum & parentum eſſet diſcretio. Virgines etiam hoſpitibus proſtituebant. Socrates libro primo, capite decimooctauo.

Indos

Indos & Barbaros uxores plurimas habere, eorumq; lege uxorem cariſsimã cum marito defuncto cremari, Hieronymus lib. primo aduerſus Iouinianum indicat.

De Cœlibatu.

Virginitatem Veſtaliũ ſenſerunt prodeſſe publicæ ſaluti: ut conſtat ex epiſtola Symmachi pro ſacris patrum. Ægyptij non permiſerũt ſuis ſacerdotibus, ut mulieribus miſcerentur. Hieronymus libro ſecundo aduerſus Iouinianum.

De Magiſtratu.

Magiſtratum ſeruatorem & cuſtodem legum eſſe oportere, & ſubditos tueri, & uim inferẽtibus reſiſtere: & in eum finem omnia dirigere, ut ſubditos beatos efficiat: Iamblichus ſenſit, citante Stobæo ex eius epiſtolis.

De Philoſophia.

Philoſophiã ueram ſapiẽtiam eſſe, eamq; præferendam ſacris literis putabant. Lactantius libro tertio, capite decimotertio.

De Artibus.

Artes Deorum inuentum eſſe docebant: Arnobius lib. tertio contra Gentes. & cuiq; Deorum ſuam artem adſcribebant: Athanaſius contra idola. Dialecticam aut Mercurium aut Calliopen hominibus monſtraſſe, Iamblichus dixit, citante Stobæo.

De Aſtrologia.

Secundum ſtellarum decreta, quod fatum uocant, ſentiunt omnia proſpera & aduerſa hominib⁹ accidere. Iulius Firmicus Siculus lib. primo cap. 3 Matheſeon. Idem in præfatione libri octaui Matheſeon, ſtudio Aſtrologiæ tribuit, quòd ſeparet ab omnium prauarum cupiditatum deſiderijs. Idem lib. 2 capite 33 dicit, ſolum Imperatorem ſtellarum non ſubiacere curſibus, & in eius ſolius fato ſtellas non habere decernendi poteſtatem: ideoq; Mathematicum & aruſpices nihil certi poſſe de ſtatu Reip. uel de uita Romani imperatoris prædicere.

De Morte.

Cum primùm ſoluti membris abieritis, enodes alas uobis affuturas putatis, quibus ad cœlum pergere, atq; ad ſidera uolare poſsitis. Arnobius lib. 2 contra Gentes.

De Somnijs.

Quædam ſceleratæ mulieres dæmonum illuſionibus ſeductæ, credunt ac profitentur ſe nocturnis horis cum Diana paganorũ dea, uel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierũ equitare ſuper quibuſdã beſtijs, & multa terrarũ ſpacia intẽpeſta nocte tranſire, eiusq; iuſsionibus uelut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius ſeruitiũ euocari. Canon Concilij Ancyrani.

De Mortuorum apparitionibus.

Somniabant animas mortuorum circa tumulos & corporum ſuorum reliquias oberrare. Lactantius lib. 2, cap. 2.

De Purgatorio.

Opinabantur animas poſt mortem purgari à uitioſitatibus. Arnobius lib. ſecũdo contra Gentes.

De Inferno.

Credebant ſub terris eſſe regna & domicilia Plutonia, & eſſe deos & manes ibi, dijs inferis ſubditos: ac Deos inferos hominibus eſſe minus fauſtos, & triſtioribus rebus prępoſitos. Arnobius lib. 7 contra Gentes.

De Reſurrectione.

Græci reſurrectionem mortuorum prorſus negãt. Epiphanius in Ancorato. Et Cæcilius apud Arnobium libro octauo, irridet Chriſtianos, quòd ſeſe renaſci poſt mortem, & fauillas & cineres aſſerãt, & cœlo & aſtris interitum denuncient,

DE REGIMINE SACRO ET *ritibus Gentilium.*

DE ſacrorum gentilium adminiſtratione & ritibus, utile eſt lectorem commonefieri, ut fœdas & horrendas eorum ſuperſtitiones agnoſcat, & originẽ uanarũ ceremoniarum, quę ex Gentiliſmo in Eccleſiam *λαικοſυλίαν*, incuria & improbitate hominum irrepſerũt, notet, & ſenſibus imis reponat.

De Sacerdotibus.

Præfecerunt etiam Gentiles ſuis ſacris certos homines, quorũ alios ſacerdotes appellant: ut apud Euſebium lib. 8, cap. 15: & libro nono, capite quarto: Sozomenum lib. quinto, capite tertio: & Hieronymum libro ſecundo aduerſus Iouinianum, & alibi paſsim. Alios uates & prophetas. nam uatis Didymæi Apollinis meminit Sozomenus lib. primo, capite ſeptimo: & uatis Heleni, Arnob. libro primo contra Gentes. & prophetas ac ſacerdotes ut incantatores & ſeductores Maximinus interfecit: Euſebius libro nono, capite decimo. & prophetarum Mithræ meminit Epiphanius lib. ſecundo tomi ſecundi, hæreſi ſexageſimaſexta. Alios diuinatores. Euſebius enim lib. 2. de uita Conſtantini, diſtinctè diuinatorũ & prophetarũ Ægyptiorum meminit. Alios aruſpices: & horũ mentionem facit Euſebius lib. 2 de uita Conſtãtini, quòd fortunata Licinio prędixerint. Hariolorum meminit Arnobius lib. primo contra Gentes. Incantatorum & ueneficorũ etiam crebra paſsim eſt mentio, ut apud Euſebium lib. ſecundo de uita Conſtantini, & alios. Ædituorum meminit Zonaras tomo tertio, de Iuliano. Æditualium, Theodoretus lib. tertio, cap. decimoquarto. & Mithrę ſimulachro ædituos, ſacerdotes & prophetas adiunctos fuiſſe, Epiphanius lib. 2 tomi ſecundi, hæreſi ſexageſimaquinta teſtatur. Pontificũ Arualium & Saliorum, Veſtaliũ &

Augurum, Arnobius libro octauo meminit. Pontificum maximorum, & Curionum maximorum, & quindecimuirorum laureatorum, & Flaminum Dialium mentionem facit Arnobius lib. 4 contra Gentes. Theologorum & Antistitum, ut Timothei & Butę Tarentini & aliorum meminit Arnob. libro quinto, qui de originibus sacrorũ rituũ scripserunt. Præerant etiam sacris mulieres, quales erant apud Romanos uirgines Vestales: Symmachus in epistola pro sacris patrũ. quas nutrices & conseruatrices perpetui ignis uocabant: Arnob. lib. 4. & prędagæ, quę erant uates quæ impulsu dæmonũ oracula reddebant. Arnobius lib. 1 contra Gentes.

Officia ædituorum erant, astare ad ianuas tẽpli, & ingredientes aspergere aqua lustrali. Theodoretus lib. 3, cap. decimosexto: Sozomenus lib. sexto, cap. sexto. & Daphnæ ædituales lustrasse cibos Iuliani: Theodoretus lib. 4, cap. 14 indicat.

Sacerdotum munus erat, custodire sacra: Sozom. lib. 5, cap. 3. & gerere curam eorum quæ intra templa erant: Iulianus in epistola ad Arsatium: Sozomenus libro quinto, cap. decimosexto. & sacra rectè administrare, & examinare spiritus apparentes iuxta regulas certas: Iamblichus libro de Mysterijs cap. 19. inspicere uiscera & exta ob futurorum euentuum inquisitionem: Eusebius lib. 2 de uita Constantini. rerum naturas, causasq; & rationes siderum contemplari, omnibus alijs mundi negotijs curisq; postpositis: Hieronymus libro 2 contra Iouinianum. profiteri philosophiam: nam apud Socratẽ lib. quinto, cap. decimosexto, Helladius grammaticus Iouis sacerdos, & Ammonius Apollinis, dicitur Magiã exercere: nam apud Paulũ diaconum sub Iuliano lib. undecimo, sacerdos idolorum magus est, & in adyto euocat dæmones, qui Iuliano apparent. Literarum sacerdotaliũ mysteria explicare: cuius sub prętextu artẽ magicam eos tradidisse, ex Ruffini lib. 2, cap. uigesimosexto cõstat. Augures Arnobius lib. quarto appellat, diuinæ mentis & uoluntatis interpretes.

Successio sacerdotum.

Apud Persas Magi suam religionẽ ex auita progenie & sacerdotali genere procurabãt: Sozom. lib. 2, cap. 8. Sed alijs in locis nõ fuisse eandem rationem, apparet ex Eusebij lib. octauo, cap. decimoquinto: & lib. nono, cap. 4, ubi Imperator dicitur constituisse sacerdotes & pontifices.

Collegia sacerdotum.

Habuerũt sua collegia sacerdotes, in quæ etiã alios solebant recipere. Nã Symmachus in epistola pro sacris patrum dicit, Constantium nobilibus repleuisse sacerdotia. Et habebant suos reditus & sumptus, nã Iulianus annonam ecclesiarum, quam Constantinus etiã ex ærario Ecclesijs dari præceperat, ministris dæmonũ adscripsit. Sozom. lib. 5, cap. tertio: & Nicephorus lib. decimo, capite decimotertio. Et Iulianus ipse in epistola ad Arsaciũ affirmat, se singulis annis triginta millia modiorum frumenti per uniuersam Galatiã dari præcepisse, ad sacerdotes & pauperes alendos. & iubet ut Gentiles adsuefaciat ad offerendũ dijs primitias frugũ: Sozom. lib. 5, cap. decimosexto. Impensarum ab Imperatoribus in Romanas ceremonias collatarũ, meminit Symmach⁹ in epistola ꝑ sacris patrũ.

Habebant etiam sua priuilegia. nam Constantium priuilegijs uirginum sacrarũ nihil decerpsisse, Symmachus testatur epistola ꝑ sacris patrũ. Et Eusebius libro 8, cap. 15 dicit, Maximinum incantatoribus dignitates & maximas prerogatiuas largitum esse: & Sozomenus libro quinto, cap. tertio testis est, Iulianum sacerdotes idolorum immunitate ab oneribus publicis donasse.

De uita antiquorum Ægypti sacerdotum Chæremon Stoicus narrat, referente Hieronymo aduersus Iouinianum libro 2, quòd se nunquã miscuerint mulieribus: nunquã cognatos et propinquos, et ne liberos quidem uiderint. Sed hoc seculo sacerdotes ethnicos impurum uitæ genus egisse sub prætextu religionis, apparet ex historia sacerdotis Serapidis nomine Tyranni, qui nobilibus matronis stupra offerebat, asserendo Saturnum iubere ut in templo pernoctent: apud Ruffinũ lib. 2, cap. uigesimoquinto. Et ex epistola Iuliani ad Arsacium apparet, sacerdotes uxores proprias habuisse: apud Sozomenum lib. 5, capite decimosexto.

Sacerdotes Isidis atq; Serapis rasis capitibus incedebant, teste Hieronymo libro decimotertio in Ezechielem: & Serapij sacerdotes Athenis rasos esse, Epiphanius indicat libro secundo tomi primi, hæresi sexagesimaquarta.

Cogebantur etiã sacerdotes à prophanis cibis abstinere: Sozomenus libro quinto, capite tertio. Non licebat sacerdotibus ad theatra accedere, aut in tabernis bibere, aut operi alicui turpi ac probroso præesse: ut patet ex epistola Iuliani ad Arsacium, apud Sozomenum libro quinto, capite uigesimosexto. Domi in cubiculis suis habebant sua etiam quæ colebant simulachra: Theodoretus lib. tertio, capite decimoquarto. Apparet etiam eos pallijs fuisse amictos. nam sub Iouiniano, pallijs abiectis communi uestitu usi dicuntur: apud Socratem libro tertio, capite uigesimoquarto.

Officia & ritus uirginum Vestalium Prudentius libro secundo contra Symmachum describit in hunc modum:

Quæ nunc ueſtalis ſit uirginitatis honeſtas,
Diſcutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primùm paruæ teneris capiuntur in annis,
Ante uoluntatis propriæ quàm libera ſecta
Laude pudicitiæ feruens, & amore deorum,
Iuſta maritandi condemnat uincula ſexus.
Captiuus pudor ingratis addicitur aris,
Nec contempta perit miſeris, ſed adempta uoluptas
Corporis intacti, non mens intacta tenetur.
Nec requies datur ulla thoris, quibus innuba cæcum
Vulnus, & amiſſas ſuſpirat fœmina tædas.
Tum, quia non totum ſpes ſalua interficit ignem:
Nam reſides quandoq; faces adolere licebit,
Feſtáq; decrepitis obtendere flammea canis,
Tempore præſcripto membra intemerata requirens,
Tandem uirgineam faſtidit Veſta ſenectam.
Tum thalamis habilis tumuit uigor, irrita nullus
Fœcundauit amor materno uiſcera partu,
Nubit anus ueterana ſacro perfuncta labore,
Deſertisq; focis, quibus eſt famulata iuuentas,
Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas,
Diſcit & in gelido noua nupta tepeſcere lecto.
Interea dum torta uagos ligat infula crines,
Fatalesq; adolet prunas innupta ſacerdos,
Fertur per medias ut publica pompa plateas,
Pilento reſidens molli, ſecq; ore retecto
Imputat attonitæ uirgo ſpectabilis urbi.
Inde ad conſeſſum caueæ, pudor almus & expers
Sanguinis it pietas, hominum uiſura cruentos
Congreſſus, morteſq; & uulnera uendita paſtu
Spectatura ſacris oculis, ſed & illa uerendis
Vittarum inſignis phaleris, fruiturq; laniſtis.
O tenerum, mitemq; animum, conſurgit ad ictus,
Et quoties uictor ferrum iugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectuſq; iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi:
Ne lateat pars ulla animæ uitalibus imis,
Altius impreſſo dum palpitat enſe ſequutor.
Hoc illud meritum eſt, quòd continuare feruntur
Excubias, Latij pro maieſtate palatij,
Quòd redimunt uitam populi, procerumq; ſalutem,
Perfundunt quia colla comis bene, uel bene cingunt
Tempora tæniolis, & licia crinibus addunt.
Et quia ſubter humum luſtrales teſtibus umbris
Inflammam iugulant pecudes, & murmura miſcent.
An quoniam podij meliore in parte ſedentes,
Spectant æratam faciem, quam crebra tridente
Impacta quatiant haſtilia, ſaucius & quam
Vulneribus patulis partem perfundat arenæ?
Quum fugit, & quanto ueſtigia ſanguine ſignet, &c.

DE SCHOLIS.

GEntiles etiã ſuas Academias & Scholas habuiſſe, & Philoſophos in ijs docuiſſe, ſuprà in loco de Politia Eccleſię dictũ eſt. Meminit et Euſebius libro nono, cap. quinto et ſeptimo, ſcholarum Ethnicarum, in quibus pueris inculcarunt blaſphema de Pilato & Chriſto pœmata. Et ſcholis & libris Gentiliũ Iulianus interdixit: Theodoretus lib. tertio, capite octauo: Sozomenus lib. quinto, cap. decimooctauo. In ſcholis ingenia puerorũ corrumpi fabulis poëtarũ de dijs, Arnobius lib. 8 contra Gentes indicat. Et Canopi publicam ſcholam artis magicæ fuiſſe, & celebriorem Alexandrina, uſq; ad Theophilum, qui id ſimulachrum deſtruxit, Ruffinus lib. ſecundo, cap. uigeſimoſexto indicat.

Conſociatio Prouincialium ſacerdotum.

In ſingulis prouincijs unus aliquis ſacerdos principatũ obtinebat, qui alijs ſacerdotibus per oppida et diuerſa loca cõſtitutis præerat. Solebãt autẽ tales deligi ex hominibus, qui in negotijs ciuilibus & rebuſpublicis erant illuſtriſsimi & exercitatiſsimi: ut patet ex Euſebij lib. 8, cap. 15: & lib. 9, cap. 4. & ex epiſtola Iuliani ad Arſaciũ: Sozomeni libro quinto, cap. decimoſexto. Appellabantur autem ſummi ſacerdotes, ut patet ex iam allegatis dictis. nam Iulianus Arſacium ſummum ſacerdotem Galatiæ uocat.

Officium autem horum erat, agere inſpectorem & gubernatorem aliorũ ſacerdotũ, eosq; ordinare, & de officijs ſuis admonere, & minus bene ſeſe gerẽtes à ſacro ordine remouere, dictare decreta de ſacris, & de ſacerdotum moribus, gerere curam ſacerdotaliũ prouentuum, & de ijs ſuppeditare ſumptus miniſtris ſacrorum, & pauperibus in xenodochijs, & alijs egenis ſubſidium petentib⁹. Iulianus in epiſtola ad Arſacium. Porro ut maiori autoritate præeſſent alijs, inſtructi erant huiuſmodi metropolitani ſeu archiepiſcopi, caterua militari, & ſatellitio. Euſebius lib. 8, cap. 15. & præſides politicos eos uenerari oportebat, ad quos nec accedere, aut ijs occurrere in ciuitatẽ ingrediẽtibus tenebantur. Iulianus in epiſtola ad Arſacium.

De Primatu.

Summam poteſtatem pontifices eligendi & conſtituendi per prouincias, Imperatores gentiles ſibi arrogabant. nam eã ob cauſam Diocletianus pro DEO adorari uoluit, & ut pedes ſuos exoſcularentur in terram proſtrati præcepit: uti libro ſuperiori ex Euſebio, & Pomponio Læto, & Eutropio relatum eſt. Maximinus apud Euſebium lib. octauo, capite decimoquinto: & libro nono, cap. quarto, eam autoritatem ſibi uſurpat. & Iulianus ſeipſum titulo ſummi Sacerdotis ornat: apud Sozomenum lib. 5 cap. 1.

DE TEMPLIS.

AEdificia illa in quibus ſacra ſua gentiles tractarũt, autores huius ſeculi modò tẽpla appellabãt, ut Arnobius lib. 6 cõtra Gentes, Symmachus in epiſtola pro ſacris patrũ: modò delubra, ut Arnobius lib. 8 (ait autẽ, ut hoc obiter moneamus, Varro lib. octauo rerũ diuinarũ, Delubrũ alios exiſtimare, in quo præter ædẽ ſit area aſſumpta Deũm cauſa, ut

sa, ut est in circo Flaminio Iouis Stratoris: alios, in quo loco Dei simulachrum dedicatũ sit) modò phana: ut idẽ Arnobius lib. 6 & 8: & Lactantius libro primo, capite uigesimo, & alij passim. Fana autem à fando Festus dici putat, quòd pontifex in dedicatione templi certa uerba præfari soleat.

Solebant autem templa struere nõ modò ex uulgaribus lapidibus, cęmentis & lignis, sed etiam ex marmoribus, & alijs preciosis materijs. Laquearia exornabantur auro & gemmis, ita ut fidereos euomeret uariata distinctione fulgores: Arnobius libro sexto cõtra Gentes. Intus erant fabrefacta conclauia, & cellulæ: Arnobius ibidem. adytorum secretorum, & tenebricorum antrorum, & secretorum recessuum, & intimorum sacrorũ penetralium, ad quæ fas non erat accedere profanos, meminit Eusebius libro de uita Constantini. In illis occultis locis custodiebant simulachra, & alia quæ à Ioue prouenisse dicebantur. Ex his erãt Pythię diuinatoris Apollinis, & Musæ Heliconides, & ex Delphis tripodes, & uulgatus ille Pan. Sozom. lib. 2, cap. quinto. Item in ijs sacrificantes homines mactabant, & ex uiscerum scrutatione diuinabant, & incantationes conficiebãt, & alia scelera, ut libidines & stupra & adulteria perpetrabant. unde in adyto Mythræo Alexandriæ, multa hominum tum recens, tum olim occisorum crania sunt reperta. Socrates libro tertio, capite secundo. Idem lib. quinto, capite decimosexto indicat, in Mythręo à Theophilo destructo Alexãdriæ, mysteria homicidiorum reperta. & priapos in adytis inuentos, Sozom. lib. septimo, cap. 15. indicat. & Arnobius inquit: Vbi magis à sacerdotibus, quàm inter aras & delubra, conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? Deniq; in ædituorum cellulis magis, quàm in ipsis lupanaribus, flagrans libido defungitur. Vestibulorum & fastigiorum Eusebius libro tertio de uita Cõstantini meminit: & Arnobius indicat, templa fuisse aureis tholis & sublimibus elata fastigijs, quibus Deorũ nomina, & fortè eorum qui ibi colebantur erant inscripta: ut patet ex Symmachi epistola ad Imperatores, pro sacris patrum.

Iouis templum Apameę porticũ quadratã habebat, quæ in sublime excitata, adaptata & imposita ei erat. Columnæ erãt maximę, magnitudine ipsa templo iuxta proportionem respondentes. Columnæ cuiusq; ambitus sedecim cubitos habebat. Nicephorus libro duodecimo, cap. uigesimoseptimo.

Habebant intus in tẽplis aras & altaria. nã horũ meminit Symmachꝰ in epistola pro sacris patrũ. Super aris autẽ stetisse simulachra idolorũ, quę colebãtur, atq; ita in uno tẽplo plures aras fuisse, apparet ex Prudentio, qui libro primo contra Symmachum inquit de simulachris Romæ deæ tutelari adiunctis:

Omnibus ante pedes posita est sua cuiq; uetusta
Arula.—— Nec in tẽplis tantũ, sed etiã in aulis (ut apud Theodoretum lib. 3, cap. 16) & in curijs (ut patet ex epistola Symmachi ad Imperatores pro sacris patrum) aras habuerunt, in quibus sacrificia tractarunt.

Statuas & simulachra in omnibus templis fuisse, apparet ex Arnobij sexto contra Gentes.

De materia statuarũ, Arnobius monet lib. septimo, quòd fuerint ossa, lapides, æra, argẽtum, aurum, testa, gypsum, marmor. Et Eusebius lib. tertio de uita Constantini, meminit simulachrorũ aureorũ, & ex ære elegãter fabrefactorũ: et Pythij simulachrũ Antiochię ligneum, sed auro obductum fuisse, Theodoretus lib. 3, cap. 11 indicat. Et in altioribus columnis signa quędam & simulachra in honorem Deorum constituta esse, aduersus imminentiũ periculorũ metus, Arnobius libro septimo narrat.

In Statuis autem illis, cum postea sub Cõstantino & Theodosio euerterentur, reperiebant aut mortuorum corporum ossa, atque arida crania, incantatorum peruersitate imposita: aut sordidos panniculos, fœda abominatione repertos: aut fœni & stipularum fasciculos. Eusebius libro tertio de uita Cõstantini. Ac per statuas incantatores suas exercuisse fraudes, patet ex historia Theotecni apud Eusebium lib. 9, capite 3 & 11. Ex adytis per cuniculos in statuas prorepebãt, indeq; responsa dabant: Theodoretus lib. 5, capite uigesimosecundo.

Iulianus, ut tẽpla gentilia Christianorum Ecclesijs conformaret, iussit in ijs altaria & primarias sedes ædificari. Sozom. lib. 5, cap. decimosexto. Et tibias & tympana & cymbala & symphonias in templis habuisse, ex Arnobij lib. septimo contra Gentes patet. Imaginũ, anathematũ & ornatus templorũ Alexandriæ meminit Sozom. lib. 4, cap. 30.

Templa extructa solebant pontifices consecrare certis ceremonijs, & dedicare uni alicui, quos pro dijs colebant, indeq; templũ denominare. Emesæ Græci consecrarunt ecclesiã paulo antè extinctã, Dionysio Gynidi, quod mollem sonat: ibiq; posuerũt ridiculũ simulachrũ eius gemini sexus, Theodoret. lib. 3, cap. 7. Templũ, inquiunt, hoc Martis est, hoc Iunonis & Veneris: Apollo hic habitat, in hoc manet Hercules, in illo Summanus. Arnobius lib. 6 contra Gentes.

Solebant & consecrare statuas, easq; ungere oleo. nam Arnobius libro primo cõtra Gentes inquit: si quando cõspexeram lubricatum lapidẽ, & ex oliui unguine ordinatũ, tanquam

tanquàm ineſſet uis præſens, adulabar, affabar, & beneficia poſcebam. Et lib. 6. indicat, Gẽtiles per dedicationes uelle efficere, ut Dij in ſtatuis habitent.

Plura in una ciuitate habebant templa. nã Prudentius libro primo cõtra Symmachum dicit, Romã tot templa Deũm habere, quot in urbe ſepulchra Heroum numerare liceat. Et Alexandrię templum Bacchi & Serapidis fuiſſe, patet ex Sozomeno lib. 7. cap. 15. Et alia ad uiam publicam, alia in locis remotis poſita eſſe, ex eodem colligere licet. Reperiuntur & in collibus & nemorib. delubra: quale fuit templum Veneris in uertice montis Libani, in fruticeto poſitũ. Euſebius lib. 3. de uita Conſtantini. & templum Apollinis Daphnæ, cuius ſitus & natura loci ad ignauiam & uoluptatem inuitabat. nam iucundus ille locus & delectabilis erat, copia ac ue nuſtate undarum, temperieq; aeris. Sozomenus lib. 5. cap. 19. Et Hieronymus lib. 2 in Hieremiam dicit, Gentiles ad capita fontiũ & lucos amœniſsimos uictimas immolare.

Et templis ac aris reditus deſtinatos eſſe, ex Sozomeni lib. 5. cap. 3 cõſtat: ubi Iulianus templa per Orientẽ reſerari, & renouari, & aras reſtitui mandaſſe, & multos reditus illis conſtituiſſe dicitur. Et Lactantiꝰ inquit lib. 1. ca. 20: Quid tantos ſumptus uel fingendis, uel colendis imaginibus impẽdere prodeſt? Romanos mille ædituis & excubitoribus ſimulachra protexiſſe, canes in Capitolio paſciſſe, & anſeribus uictum præbuiſſe, Arnobius narrat lib. 6 contra Gentes. & pullos cauea recluſos, Arnobius libro octauo.

Porrò quibus ſtatis diebus aut horis Gentiles ſoliti ſint in templa ſua conuenire, non admodũ explicatè legitur in autorib. huius ſeculi. Diem Dominicũ, & feriam quintam, eos pro ſacris celebraſſe, ex Meltiadis decreto cõſtat, quo ſanxiſſe dicitur, ne quis ijs diebus ieiunet. Quotidie Apollini ſupplicari, Arnobius lib. 1. cõtra Gentes dicit. Non autem in omnia templa, quolibet die & tempore, ingredi licebat. Arnobius lib. 8. Quædam fana ſemel in anno adire permittũt, quędam in totũ nefas eſt uiſere: quædã uiro nõ licet, nõnulla abſq; fœminis ſacra ſunt. Etiam ſeruo quibuſdã ceremonijs intereſſe, piaculare flagitium eſt. alia ſacra coronat uniuira, alia multiuira: & magna religione conquiritur, quæ plura poſsit adulteria numerare. Præſides in templa ingrediẽtes, nõ licebat præcedere milites, ſed ſequi. Iulianꝰ in epiſtola ad Arſaciũ, apud Sozom. lib. 55. cap. 16. Qui ſacris intereſſe uolebant, à cibis prophanis abſtinere cogebãtur. Sozom. lib. 5. cap. 3. Chriſtianos ad gentiliũ ſuperſtitionem redeũtes, nõ prius ad aras & ſacra admittebãt, q̃ dæmones ἀποτροπαίους placaſſent, & mũdati purgationibus & expiationib. eſſent, et Chriſtianę religioni renũciaſſent: Sozom. lib. 5. capite 5. Ingredientes in templa ædituj, utrinq; adiuuas adſtantes, madidos quoſdam oliuæ ramuſculos manu tenentes, aſpergebant aqua luſtrali. Theodoretus libro tertio, capite decimoſexto: Sozomenus lib. ſexto, cap. ſexto.

In templis aũt hæc peregiſſe ſiue ſacerdotes, ſiue alij uidentur. Mane cantiones quaſdam, collatis ad tibiam uocibus, cantabant, quas Excitationes appellabãt. Arnobius lib. 7. Lectionum & concionũ, quibus populus de cultu Deorum & honeſtate uitę fit inſtitutus, mentio apud autores non fit: niſi quòd Iulianus ad imitationẽ Chriſtianiſmi, doctores & lectores gentiliũ dogmatũ & admonitionum cœpit conſtituere: ut narrat Sozomenus libro quinto, capite decimoſexto.

Sed ut fit ab ijs qui uera Dei agnitione carent, in ceremonijs, ſacrificijs & adorationibus ſummũ Deorum ſuorũ cultũ ponebant. Genera aũt ſacrificiorũ hæc ferè recẽſentur: Oblatio uictimarũ, & Hecatombarũ, & anathematũ & holocauſtorũ. Euſeb. lib. 3. de uita Conſtantini. Pro uictimis autem, Gentiles olim uſq; ad Hadrianũ mactaſſe homines: Euſebius lib. 4 de præparatione Euangelica, cap. 7. & Lactantius lib. 1. cap. 21 teſtantur. De hoc ſeculo teſtatur Hieronymꝰ lib. 5. in Ezechielem, Ethnicos filios ſuos, uel paruulos per ignem transferre, uel adultos tranſire cõpellere. Ac ſub Iuliano, inſpectores uiſcerũ imberbes pueros, maſculos & fœmellas mactaſſe, et carnes eorum guſtaſſe: Socrates libro 3. capite 13 indicat. Sed uulgo animantia immolarunt, uerùm ea pro diuerſa ratione deorum, non unius generis. Nam dijs ſuperis offerebant uictimas candidi coloris: & extremitates tantum cõſecrabant, relĩ quas partes comedebãt. Euſeb. lib. 4. cap. 4 de præparat. Euang. dijs inferis uerò, terreſtrib. & infernis, quadrupedes furui coloris: & dijs maſculas, deabus fœminas cædebant uictimas. Dijs terreſtribus ſuper aras, infernis aũt in foueis mactabãt hoſtias. Dijs marinis offerebãt uolucres, ſed eas cõijciebant in fluctus, & quidem nigri coloris. alijs dijs omnibus præter terreſtres, licebat uolatilia albi coloris offerre: ſed ita, ut corpora eorum comburerentur, & ſanguis ad aram circũduceretur. Euſeb. lib. 4. cap. 4 de præparatione Euang. Telluri matri ſcropha ingens immolabatur fœta: Mineruæ uirgini uirgo cædebatur uitula, nullis unquã ſtimulis, & nullius excitata conatu. Arnobius lib. 7. Ioui taurũ, Mercurio & patri Libero caprũ, Proſerpinæ bouẽ mactabant. Arnobius lib. eodem: ubi & aliorũ animaliũ meminit, ut porci, gallinæ, uituli, anſeris, capri, paui. Cereri ouis ſolebat mactari: Euſeb. lib. 4. cap. 4. de præpar.

Euang. Et Iulianus tauros ad aras immolauit. Socrat. lib. 3. cap. 17. Aras hostiarum sanguine cruētabant. Lactantius lib. 6. cap. 1. & terra hostiarū sanguine polluebatur: Theodoret. lib. 3. cap. 5. In aris ignis toto tempore Valentis ardebat: Theodoret. lib. 5. cap. 20. & altaria igne resplendebāt: Theodoret. lib. 3. cap. 5. Ac usq; ad Theodosiū, ad idolorum aras ignem incensum esse, Iuo in Chronico. & Heinricus de Erphordia tempus annotat: usq; scilicet ad annū sextū Theodosij. Sole bāt autem in sacrificijs inspicere iecur & exta, ad explorandū arcana et futura: l. secunda, Cod. de paganis. Exta autem sub Romulo & Pompilio percocta & madida cremabant: sed sub Tullio, semicruda cœperūt porricere. Arnobius lib. 2. Post sacrificia pellibus uictimarum incubabant per noctem in templis, ut somnijs futura cognoscerent. Hieronymus lib. decimooctauo in Esaiam.

Oblatio thymiamatum: Sozomen. lib. 2. cap. 4. Incensio thuris masculi ante ipsa numinum signa: Arnobius lib. 7. cōtra Gentes. testatur etiam Epiphanius libro secundo tomi primi, Gentes dijs thus sacrificare. & Lactantius inquit: Thure colunt, quod corde debebant: lib. primo. cap. uigesimo. Idem inquit, Thus aris imponūt: lib. 5. cap. 21. Solis autē dijs superis thus offerri moris erat: Arnobius libro septimo.

Oblatio libaminū: & horū meminit Eusebius lib. 3. de uita Constantini: & Sozom. libro secundo, capite quarto: & Theodoretus lib. quinto, cap. uigesimo. et Lactantiꝰ inquit lib. sexto, cap. primo: Focos adolent, ac uetere uino madefaciūt: sacras dapes apparant, & exquisitas epulas offerūt. cum adoleuissent thus, uinū superfundebāt altaribus, & uenerabiles cnissas seu fumos carbonib. excitabāt extinctis, hac formula uerborū, Mactus hoc uino inferio esto. Inferio, inquit Trebatiꝰ, uerbū ea causa est additū, eaq; ratione profertur, ne uinū omne omnino quod in cellis atque apothecis est cōditū, ex quib. illud quod effunditur promptū est, esse sacrū incipiat, & ex usibus eripiatur humanis. Addito ergo hoc uerbo, solum erit quod inferetur sacrū, nec religione obligabitur. Et postea, Mactus hoc uino inferio esto: quid est aliud q̄ dicere, Tantū esto mactus, quantū uolo: tantum amplificatꝰ, quantū iubeo? Arnobiꝰ lib. 7. Solebāt in templis post immolationē uictimarū, mundiori uestitu induti cœnare: ut patet ex Canone 4. & 5. concilij Ancyrani.

Oblationes primitiarū de frugibus, quas Iulianus sanxit in epistola ad Arsacium.

Adorabant simulachra in terrā prostrati: Arnobius lib. 6. Ad sacrificia adiungebant adoratiōes: ut patet ab exēplo Iuliani. Theodoretus lib. 3. cap. 9. & Sozom. lib. 6. cap. 1. & nobilium uirorū, apud Ruffinum lib. 2. cap. 25. Lactantius lib. 5. capite 21. Adorant hostes. & Arnobius inquit libro primo, Grundules adorāt Lares, Aios, Locutios, Libentinos. item: Romulum in ædibus adoratis amplisimis. Inter orandum dicebant, Siue tu Deus es, siue tu Dea es. Arnobius lib. 3. Solebant sacerdotes uiolentis quibusdam minis aduersum superos uti, ueluti: Nisi uos ita feceritis, uel cōtrà si feceritis aliquid, cœlos cōfringam: uel, Occulta Isidis patefaciā: uel, Arcanum in abysso reconditum diuulgabo: aut, Sistam barin, id est, sacram nauim: aut, Membra Osyridis Typhoni dispergam, & similia. Porphyrius apud Iamblichū, cap. 36. de mysterijs. Honorabant idola coronis, floribus, aris, tinnitibus, quassationib. cymbalorum, tympanis, symphonijs, tibijs, crepitibus scabillorū. Arnobius lib. 7. Vndique hospites deos quærebāt, eosq; deos faciebāt. Extruebant etiam ignotis numinibus & manibus aras. Arnobius lib. 8. Dijs accēdebant in templis lumina. Lactantius libro 6. cap. 2. & Licinius accensis cereis candelis pro consuetudine sacrificasse dicitur apud Eusebiū, lib. 2 de uita Constantini. In templo etiam post sacrificia cœnabant Gentiles, ut apparet ex canone 4. concilj Ancyrani. Cum è templo sacerdotes domum ibant, auspicabili salutatione mandabant, per lenes nænias, ut dij bene ualerent. Arnobius libro septimo contra Gentes.

DE RITIBVS QVORVNdam simulachrorum & sacrorum.

Quia uerò singula numina suas certas ceremonias, & officia cōsuetudine recepta habuisse, Arnobius libro septimo testatur: ideo quorundam descriptiones, prout in autorib. huius seculi occurrūt, adijciemꝰ.

SATVRNVS.

Carthaginenses Saturno humanas hostias immolabāt olim: Lactantius lib. 1. cap. 21. & Phœnices & Cretenses eum mactatu liberorum placabant: Athanasius contra idola. In Ægypti regione sacra Saturno facientes, uinculis ferreis seipsos includebant, comamq; prolixissimā nutriebāt, & uestitū sordidum ac attritum gerebant: & quotidie suos nasos annulo includebāt, & perforabant in honorem Saturni. Epiphanius lib. 3 tomi secūdi, de fide catholicæ Ecclesiæ.

IVPITER.

Prisci Latini Iouem Latialē humanis cædib. uenerabātur: Athanasiꝰ cōtra idola. & Arnobius lib. 8. testatur, adhuc suo tempore Iouem homicidio coli: & quòd Saturni filio dignum sit, mali et noxij hominis sanguine sanginari. Sebazium Iouem uenerātes, cum iniciabant, anguem per sinum ducebant: Iulius Firmicus de errore profanarum religionum.

Cultum

Cultum Iouis Cretenſium deſcribit Arnobius libro 8 : Nutrix capella eſt: & auido patri ſubtrahitur infans, ne uoretur: & Corybantũ cymbalis, ne audiat uagitus, tinnitus eliditur. Idem lib. 2 indicat, Ioui taurũ immolari oportuiſſe, & nõ caprum aut bouem.

SOL.

Perſæ Solem adorando colebant. Sozomenus libro 2, capite octauo, nono & decimo.

MARS.

Marti ex prælio reduces Scythæ, deputato triumpho captos bello centeſimant, in centurias diuiſis captiuorum corporibus, ac pro numero centuriarum hoſtias cędunt. Athanaſius contra idola.

MERCVRIVS.

Mercurio Galli humanas uel inhumanas cædebant hoſtias : Arnobius libro 8 contra Gentes. Mactare etiam caprum Mercurio ſolebant: Arnobius libro ſeptimo.

VENVS.

Audio Cyniram Cyprium templum amicę meretrici donaſſe, cui erat Venus nomen: initiaſſe etiá Cypriæ Veneri plurimas, & uanis cõſecrationibus deputaſſe. Statuiſſe etiã, ut quicunq; initiari uellet, ſecreto Veneris ſibi tradito aſſe, manum mercedis nomine Deæ daret: quod ſecretũ quale ſit, omnes tacitè intelligere debem⁹, quia hoc ipſum propter turpitudinem manifeſtius explicare nõ poſſumus. Iulius Firmicus de errore profanarũ religionũ. Arnobius lib. 5: Cypriæ Veneris abſtruſa illa initia prętereamus, in quibus ſumentes ea, certas ſtipes inferũt, ut meretrici, & referunt phallos propitij numinis ſigna donatos. De cultu Veneris apud Phœnices, Euſebius lib. 3 de uita Conſtãtini hæc refert: Nemus erat, & delubrum, non in mediis ciuitatibus, neq; in foro & plateis, ſicuti multa ciuitatib. ornatus gratia delectantur: ſed extra uiam, extra triuia, extra publicam uiam, ſpurco Veneris dæmoni in parte uerticis montis Libani in fruticeto poſitum. Erat hic maliciæ ſchola omnibus laſciuis, & multa ocij indulgentia corpore corruptis. Itaque uiri quidã effœminati, non uiri, abnegata naturæ honeſtate, muliebri morbo dæmonem placabãt. Deinde & illegitimi ac furtiui mulierũ congreſſus, arcanaq; & turpia facta, tanquam in loco illegitimo ac remoto, in eo delubro exercebantur: nec quiſquã erat magiſtratus, ea quæ fiebant puniens, eo quòd nemo uir honeſtus illic cõparere auderet. Verùm nõ poterãt, quæ illic agebantur, magnũ latére Imperatorem. Cum aũt ipſe illa regia prouidentia uidiſſet, huiuſmodi delubrum Solis radijs iudicauit indignũ: ideoq; totum funditus unà cum ipſis ſacris deleri iubet. Athanaſius oratione cõtra idola: Olim certè Phœniſſæ mulieres ante idola proſtituebantur, dedicantes numinib. ſuũ quæſtũ: perſuaſæ meretricatu ea propitiari, ac proſperitatẽ rerũ inde naſci. Viri quoq; abdicato ſexu, nec ſe amplius mares eſſe ferẽtes, mulierũ naturã affectarũt.

ADONIS.

Hieronymus in Ezechielis caput octauũ: quẽ nos Adonidẽ interpretati ſumus, & Hebræus & Syrus ſermo Thammutz uocat. un de quia iuxta gentilẽ fabulã in menſe Iulio amaſius Veneris, & pulcherrim⁹ iuuenis occiſus, & deinceps reuixiſſe narratur, eũdem Iuniũ menſem eodẽ appellãt nomine, & anniuerſariam ei celebrãt ſolennitatem, in qua plãgitur quaſi mortuus, & poſtea reuiuiſcẽs canitur atq; laudatur. Iulius Firmicus in libro de errore profanarũ religionũ, eadẽ fermè ſcribit: In plurimis, inquit, Orientis ciuitatibus, licet hoc malum etiã ad nos tranſitũ fecerit, Adonis quaſi maritus plangitur Veneris, et percuſſor eius uulnusq; monſtratur circumſtantibus. Mars enim in porci ſyluęſtris ſpeciem formamq; mutatus, ut ſibi primas partes in amore Veneris uendicaret, incautè contra ſe ruentem percutit iuuenem. Idem ſymbolon quoddã cõmemorat, quod non incommodè ad Adonim applicari uidetur. Nocte quadam, inquit, ſimulachrũ in lectica ſupinum ponitur, & per numeros digeſtis fletibus plangitur. Deinde cum ſe ficta lamentatione ſatiauerint, lumen infertur. Tunc à ſacerdote omniũ qui fleuerãt fauces unguntur, quib. perunctis ſacerdos hoc lento murmure ſuſurrat: θαῤῥεῖτε τῷ θεῷ, ἔσται γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία. atq; ita cum gaudio idolum de ſepultura profertur. Haud diſſimili ceremonia poſtea ſtatua CHRISTI ſepulchro impoſita, & pſalmis plancta, & gutturibus chorauliũ largis potationibus irrigatis, tandem circa diluculũ cum candelis & acclamatione è ſepulchro erepta, & hinc inde à curſitantibus circumagitata eſt.

CYBELE, RHEA, MATER *Deorum.*

De cultu matris Deûm, Iulius Firmicus in lib. de errore profanarũ religionũ, ad Cõſtantium, hæc refert: Phryges qui Peſſinuntẽ incolunt, circa Galli fluminis ripas, terræ cæterorum elementorũ tribuũt principatum, & hanc uolunt omniũ eſſe matrẽ. Deinde ut & ipſi annuũ ſibi ſacrorũ ordinem facerẽt, mulieris diuitis ac reginæ ſuæ amorem, quæ faſtus amati adoleſcentis tyrannicè uoluit ulciſci, cum luctibus annuis conſecrarunt. Et ut ſatis iratæ mulieri facerent, aut ut pœnitenti ſolatium quærerent, quem paulo antè ſepelierant, reuixiſſe iactarunt: & cum mulieris animus ex impatientia nimij amoris arderet, mortuo adoleſcenti templa fecerunt. Tunc quod irata mulier pro iniuria ſpretæ fecerat formæ, hoc ordinantes

à se pati uoluere sacerdotes. Sic annuis sacris cum honore terræ istius funeris pompa cõponitur. & cum persuaderetur hominibus, quòd colant terram, miseri funeris ueneran tur exitium. Idem postea dicit, in Phrygijs sacris, quæ Matris Deûm dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media ar bore simulachrum iuuenis subligatur. Arnobius etiam libro quinto originem & cere monias sacrorum Matris Deûm commemorat his uerbis: Apud Timotheum, non ignobilem Theologorum uirum, nec non apud alios eque doctos, super magna Deorum matre, superq; sacris eius, origo hæc sita est, ex reconditis antiquitatũ libris, & ex intimis eruta (quẽ ad modũ ipse scribit, insinuatq;) mysterijs. In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia uastitatis petra, inquit, est quædam, cui nomen est Agdus, regionis eius ab indigenis sic uocatæ. Ex ea lapides sumptos, sicut Themis mandauerat præcinens, in orbẽ mortalibus uacuum Deucalion iactauit, & Pyrrha: ex quibus, cum cæteris & hæc Magna quæ dicitur informata est mater, atq; animata diuinitùs. Hanc in uertice ipso petrę datam quieti & somno, incestis Iupiter cupiditatibus appetiuit. Sed cũ obluctatus diu, id quod sibi promiserat, obtinere nequisset, uoluptatẽ in lapidem fudit uictus. Hanc petra cõcepit, & mugitibus editis multis prius, mẽse nascitur decimo, materno ab nomine cognominatus Acdestis. Huic robur inuictum, & ferocitas animi fuerat intractabilis, insana & furialis libido: & ex utroq; sexu: ui rapta diuastare, disperdere, immanitas quò animi duxerat. non deos curare, non homines, nec præter se quicquã potentius credere: terras, cœlum & sidera cõtemnere. Cuius cum audacia quibus nam modis posset uel debilitari, uel cõprimi, sępenumero esset deorum in deliberatione quęsitum, hæsitantibus cęteris, huius muneris curam Liber in se suscipit: familiarem illi fontem, quo ardorem fuerat suetus, & sitiendi lenire flagrantiam, ludo & uenationibus excitatam, ualidissima succendit ui meri. necessitatis in tẽpore haustum accurrit Acdestis: immoderatius potionem hiantibus uenis rapit: fit ut insolita re uictus, soporem in altissimum deprimatur. Adest ad insidias Liber, ex setis scientissimè complicatis unum plantæ injicit laqueum, parte altera proles cum ipsis genitalibus occupat. exolutus ille, ui meri corripit se impetu, & adducẽte nexus planta, suis ipse se uiribus, eo quo fuerat priuat sexu, cũ disidio partium sanguis fluit immensus. rapiuntur & combibuntur hæc à terra, malũ repentè cum pomis ex his Punicũ nascitur: cuius Nana speciem contemplata, regis Sangarij fluminis filia, carpit mirans, atq; in finu reponit, fit ex eo prægnans. tanquam uiri tiatam claudit pater, & curat ut inedia mori atur. Pomis atq; alijs bacculis deûm sustentatur à matre, enititur paruulum. Sed expo ni Sangarius præcipit. repertum nescio quis sumit, format, lacte alit hirquino: & quoniã Lydia scitulos sic uocat, uel qa hircos Phryges suis Atagos elocutionibus nuncupant, inde Atys nomen ut sortiretur effluxit. Hũc unicè mater deûm, ore fuerat quòd excellentissimo, diligebat: & Acdestis blandus adulto comes, & quà solũ poterat amans, tectis assentationibus uinctus, saltuosa ducens per nemora, & ferarũ multis munerib' donans, quæ puer Atys primò sui esse dicebat laboris atq; operis glorians, per uinũ deinde cõsi tetur, & ab Acdesti se diligi, & ab eo donis syluestribus honorari. Vnde uinum quod silẽtium prodidit, in eius nefas est sanctuariũ inferre pollutis. Tunc Pessinuntius rex Midas, alienare cupiens tam infami puerũ conIunctione, matrimonio eius suam filiam destinat: ac ne sęuus aliquis nuptialia interrumperet gaudia, fecit oppidum claudi. uerùm Deûm mater adolescentuli fatũ sciens, interq; homines illũ tam diu futurũ saluũ, quandiu esset solutus à matrimonij fœdere, ne quid accideret mœsti, ciuitatem ingredine tur clausam, muris eius capite subleuatis: quod esse turritũ ratione ab hac cœpit. Acdestis scatens ira conuulsi à se pueri, & uxoris ad studium deriuati, conuiuantibus cunctis furorem & insaniam suggerit. conclamant exterriti adorandorũ Phryges: mammas sibi demetit Galli filia pellicis: rapit Atys tesludam, quam instigator ipse gestitabat insanię, furiarum & ipse iam plenus, perbacchatus, iactatus. proijcit se tandẽ, & sub pini arbore genitalia sibi desecat, dicẽs: Tibi Acdesti hęc habe, propter quæ motus tantos furialium discriminum concitasti. euolat cũ profluuio sanguinis uita: sed abscisa quæ fuerant, Magna legit mater Deûm, & injicit his terram, uestę prius tectis atq; inuolutis defuncti. Fluore de sanguinis uiola flos nascitur, & redimitur ex hac arbos. Inde natum & orotum est, nunc etiam sacras uelarier & coronarier pinos. uirgo sponsa quæ fuerat, quam Valerius pontifex Iam nomine fuisse conscribit, exanimati pectus lanis mollioribus uelat, dat lachrymas cum Acdesti, interficitq; seipsam: purpurantes in uiolas cruor uertitur interemptæ, mater suffodit eam deûm: unde amygdalus nascitur, amaritudinem significans funeris. Tunc arborem pinum, sub qua Atys nomine spoliauerat se ui ri, in antrum suum defert, & sociatis planctibus cum Acdesti tundit, & sauciat pectus pausatæ circùm arboris robur. Iupiter rogatus ab Acdesti, ut Atys reuiuiscceret, non finit:

finit: quod tamen fieri per Fatum posset, sine ulla difficultate condonat, ne corpus eius putrescat: crescant comæ semper, digitorum ut minimus uiuat, & perpetuo solus agitetur motu. Quibus contentum beneficijs Acdestim, consecrasse corpus in Pessinunte ceremonijs annuis, & sacerdotum antistitibus honorasse. Epiphanius libro tertio tomi secundi de fide catholicæ Ecclesiæ, dicit, Rheâ colentes pueros masculos execare, & sine uirilibus membris uitam degere. Et Arnobius libro octauo dicit, Gallos, sacerdotes scilicet Cybeles, colere eam corporis sui supplicio. Telluri matri scropham ingentem immolare solebant: Arnobius libro septimo contra Gentes.

ATYS.

Non 'ne illum Atym Phrygem, abscissum & spoliatum uiro Magnæ matris in adytis, Deum propitium, Deum sanctum, Gallorũ conclamatione testamini? Arnobius lib. primo contra Gentes.

PROSERPINA.

In Proserpinæ sacris cæsa arbor in effigiẽ uirginis, formamq; componitur: & cum intra ciuitatem esset illata, usq; ad quadragesimam noctem deplorata comburitur. Iulius Firmicus in libro de errore profanarum religionum. Epiphanius de ijsdem sacris libro tertio tomi secundi, de fide catholicæ Ecclesiæ inquit: In adytis fiunt turpia, mulierum denudationes, tympana, placẽtæ, rhombus, calathus, lana confecta, & cymbalum, & cyceon potus in phiala præparatus. Arnobius libro quinto de origine horum sacrorũ hæc scribit: Quodam tempore, inquiunt, cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, & adhuc uirgo Proserpina: cumq; illam per floream messem huc atq; illuc passim lectionis cupiditas auocaret, per profundæ altitudinis speluncam rex prosiliens manium, raptam uirginem secum uehit, & terrarum absconditur successibus rursus. Quod cum factum nesciret Ceres, nec filia esset ubi nam gentium suspicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere. sumit faces geminas, flammis comprehensas Aetnæis, quibus sibi prælucens, pergit ire quæsitum terrarum in regionibus cunctis. In istius conquisitionis errore Eleusinos etiam peruehitur fines. Pagi istud est nomen, regione in Attica cõstituti: qui illud temporis has partes incolebant, terrigenæ, quibus nomina hæc fuerant: Baubo, Triptolemus, capellarum Dysaules custos, Euboleus porcorũ: gregis lanitij Eumolpus, à quo & gens fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen: & qui postea floruerunt caduceatores, hierophantæ atq; præcones. Igitur Baubo illa, quam inco lam diximus Eleusinij fuisse pagi, malis multiformibus fatigatam accipit hospitio Cererem, adulatur obsequijs mitibus, reficiendi corporis rogat curam ut habeat: sitienti ardori oggerit potionẽ cymum, cyceonem quam nuncupat Græcia. auersatur & respuit humanitatis officia mœrens dea, nec eam fortuna perpetitur ualetudinis meminisse cõmunis. Rogat illa, atq; hortatur cõtrà (sicut mos est in huiusmodi casibus) ne fastidium suæ humanitatis assumat: obstinatissimè durat Ceres, & rigoris indomiti pertinaciam retinet. Quod cũ sæpius fieret, neq; ullis quiret obsequijs ineluctabile propositum fatigari, uertit Baubo artes: & quam seriò non quibat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis. partem illã corporis, per quam sexus fœmineus & sobolem prodere, & nomen solet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat, facit sumere habitum puriorem, & in speciem leuigari nondũ duri atq; striculi pusionis. redit ad Deam tristem, & inter illa cõmunia, quibus moris est frangere ac temperare mœrores, retegit seipsam, atq; omnia illa pudoris loca reuelata mõstrat. inguinibus atq; pubi affigit oculos diua, & inauditi speciem solaminis pascitur. tum diffusior facta per risum, aspernatam sumit atque ebibit potionem. & quod diu nequiuit uerecundia Baubonis exprimere, propudiosi facinoris extorsit obscœnitas.

Symbola, quæ rogati in sacrorũ acceptionibus respondebant, erant: Ieiunaui, atque ebibi cyceonem: exta sumpsi, & in calathum misi: accepi rursus, & in cistulam transtuli.

Bouem Proserpinæ immolare moris erat. Arnobius libro septimo.

DIANA.

Scythæ Taurici colunt Dianam, ita ut naufragos & quoscunque ex Græcis cæperint, pro hostijs ei iugulent. Athanasius contra idola.

IVNO.

De cultu Iunonis, quæ nunc Argiua, nunc Samia, nunc Pœna dicebatur (ut refert Arnobius libro octauo) hæc Iulius Firmicus, in libro de errore profanarum religionum refert: Assyrij & pars Afrorũ aerem ducatum habere elementorũ uolunt, & hũc imaginata figuratione uenerantur. nam hũc eundem, id est aërem, nomine Iunonis, uel Veneris uirginis (si tamen Veneri placuit aliquando uirginitas) consecrarunt. Iunonem sanè, ne & huic deesset incestus, Iouis uolunt ex sorore coniugem factam. Et fœmineum sanè hoc elementum colunt. Nam quia aër interiectus est inter mare & cœlum, effœminatis eum sacerdotum uocibus prosequuntur: Dic mihi hoc nomen, quod in uiro fœminam quærit. Cui aliter seruire

sacerdotum

ſacerdotũ ſuorũ chorus non poteſt, niſi effœminẽt uultũ, cutem poliãt, & uirilem ſexum ornatu muliebri dedecorẽt. Videntur in ipſis templis cum publico gemitu miſerãda ludibria, uiros muliebria pati: & hanc impuri & impudici corporis labẽ glorioſa oſtẽtatione detegere. Publicãt facinora ſua, & cõtamina ti corporis uitiũ, cum maxima delectationis macula cõfitentur. Exornãt muliebriter nutritos crines: & delicatis amicti ueſtibus, uix caput laſſa ceruice ſuſtentãt. Deinde cum ſic ſe alienos à uiris fecerint, adimpleti tibiarũ cantu uocãt deam ſuã, ut nefario repleti ſpiritu, uanis hominibus quaſi futura prædicant.

VESTA.

Virgines Veſtales per omnem calẽdarum diem accedebant ad Draconis, qui Romæ erat, deſcenſum, & cibos ei ſimilaginis miniſtrabãt. Vincẽtius lib. 13, cap. 53.

MINERVA.

Mineruę uirgini uirgo cæditur uitula, nullis unquã ſtimulis ullius operis excitata conatu. Arnobius lib. ſeptimo contra Gentes.

ISIS.

Iſis perditũ filium cum Cynocephalo ſuo, & alijs ſacerdotibus luget, plangit, inquirit: & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & doloré infœliciſsimæ matris imitantur. mox inuento paruulo gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur: nec deſinit annis omnibus uel perdere quod inueniũt, uel inuenire quod perdũt. hæc Ægyptia quõdam, nunc & ſacra Romana ſunt. Arnobius libro octauo contra Gentes.

OSYRIS.

In ſacris Iſiacis de pinea arbore cæditur truncus, huius trunci media pars ſubtiliter excauatur, illis de ſeminibus factũ idolum Oſyridis ſepelitur in adytis: hoc annuis luctibus plangunt, raſa capita tundunt, pectus lacerant, ueterum uulnerum reſecant cicatrices. Et cum certis diebus hæc fecerunt, fingunt ſe lacerati corporis reliquias reperire: & cum inuenerint, quaſi ſopitis luctib. gaudent. Iulius Firmicus. Originẽ huius idololatriæ ibidem commemorat. Iſis ſoror eſt, Oſyris frater, Typhon maritus. is cum comperiſſet Iſidem uxorem incæſtis fratris cupiditatibus corruptam eſſe, occidit Oſyrim, artuatimque lacerauit & per omnes Nili fluminis ripas miſeri corporis palpitãtia membra proiecit. Iſis cum ſorore & Anube uenatore quærit diſcerpti mariti membra, quę Anubis artificio canum ueſtigãtium inuenit: unde & canino capite pingitur. Inuentũ Oſyrin Iſis ſepulturæ tradidit, & in rei memoriam publicam ceremoniam inſtituit.

SERAPIS.

Serapis idololatriã Ruffin. lib. 2, cap. 23, in hunc modũ deſcribit: Locus eſt non natura, ſed manu & cõſtructione per centum, aut eo amplius gradus, in ſublime ſuſpẽſus, quadratis & ingẽtib. ſpacijs omni ex parte diſtẽtus: cuncta uerò, quo ad ſummum pauimentorum euadatur, opere forniceo cõſtructa, quę immenſis deſuper luminaribus, & occultis aditibus, inuicem in ſemet diſtinctis, uſum diuerſis miniſterijs & clãdeſtinis officijs exhibebant. Iam uerò in ſuperioribus extrema totius ambitus ſpacia occupãt exhedræ, & paſtophoria, domus q; in excelſum porrectæ, in quibus uel æditui, uel hi quos appellabant ἀγνοῦντας, id eſt, qui ſe caſtificãt, commanere ſoliti erant. Porticus quoq; poſt hęc omnem ambitũ quadratis ordinibus diſtinctæ intrinſecus circumibant. In medio totius ſpacij ædes erat, preciofis edita columnis, & marmoris ſaxo extrinſecus amplè magnificeq; conſtructa. In hac ſimulachrum Serapis ita erat uaſtum, ut dextra unum parietem, alterum læua perſtringeret: quod monſtrum ex omnibus generibus metallorum ignorumq; compoſitum ferebatur. Interioris delubri parietes laminis primò aureis ueſtiti, ſuper has argenteis, ad poſtremũ æreis habebantur, quæ munimento preciofioribus metallis forent. Erant etiam quędam ad ſtuporem admirationemq; uidentiũ, dolis & arte compoſita. Feneſtra perexigua ab ortu ſolis ita erat aptata, ut die qua fuerat inſtitutum ſimulachrũ Solis ad Serapin ſalutandum introferri, diligenter temporibus obſeruatis, ingrediente ſimulachro, radius ſolis per eandem feneſtrã directus, os & labra Serapis illuſtraret: ita ut inſpectante populo, oſculo ſalutatus Serapis uideretur à ſole. Erat & aliud fraudis genus huiuſmodi. Natura lapidis magnetis huius uirtutis eſſe perhibetur, ut ad ſe rapiat & attrahat ferrum. Signum ſolis ad hoc ipſum ex ferro ſubtiliſsimo manu artificis fuerat fabricatũ, ut lapis cuius naturam ferrum ad ſe trahere diximus deſuper in laquearibus fixus, cum temperatè ſub ipſo radio ad libram fuiſſet poſitum ſimulachrum, & ui naturali ad ſe raperet ferrum, aſſurrexiſſe populo ſimulachrum, ut in aere pendere uideretur. Et ne hoc lapſu propero proderetur, miniſtri fallaciæ: Surrexit (aiebant) ſol, ut ualedicens Serapi diſcedat ad propria. De cuius origine diuerſa fertur opinio paganorũ. Alij Iouem putant, cuius capiti modius ſuperpoſitus: uel quia cum menſura modoq; cuncta indicet moderari, uel uitam mortalibus frugum largitate præberi. Alij uirtutem Nili fluminis, cuius Ægyptus opibus & fœcũditate paſcatur. Quidam in honorem noſtri Ioſeph formatum perhibent ſimulachrum, ob diuiſionem frumenti, qua famis tempore ſubuenit Ægyptijs. Alij repertum in hiſtorijs Græcorum

ueteribus

ueteribus ferunt, Apin quendam patremfamiliâs seu regem in Ægypto Memphis positum, cum famis tempore frumenta apud Alexandriã defeciſſent, ex proprio affatim ciuibus alimenta præbuiſſe. Quo defuncto, in honorẽ eius inſtituerint apud Memphis templum, in quo bos quaſi indicium optimi agricolæ nutritur, habens quædam coloris inſignia, qui ex nomine eius Apis appelletur: σορὸν uerò, id eſt ſepulchrũ, in quo corpus eius inerat, Alexandriã deduxerint, & ſoron Apis primò ex cõpoſitione Sorapin. pòſt uerò per corruptionẽ Serapin nominarint. Quod an uerum ſit, aut nihil omnino, de his Deus uiderit.

Iulius Maternus Firmicus etiam affirmat, Ioſephũ ſub nomine Serapis à Neogrorũ turba coli, & adorari. Et fuiſſe thoraces Serapis Alexandrię per ſingulas quaſq; domos in parietibus, in ingreſsibus, in poſtibus & feneſtris poſitos, Ruff. lib. 2. cap. 29 indicat. Solebant aũt ad Serapin gentiles cubitũ Nili & ſymbola quædam deferre: id enim ut ſuo itẽrum tempore fieret, Iulianus præcepit. Sozomenus lib. 5, cap. 3. Athenis etiã Serapij ſimulachrũ fuiſſe, eiusq; ſacerdotes raſos eſſe, & frondes palmarũ porrexiſſe aſcendẽtibus ad ſimulachri adorationem, patet ex Epiphanij lib. 2, tomo 1, hæreſi ſexageſimaquarta.

MYTHRA.

In Perſia Mythrę numen habebat ſacerdotes, ędituos & prophetas, Labdacũ & Parcũ. Epiphanius lib. 2, tomi ſecundi, hæreſi ſexageſimaſexta. Iulius Firmicus in libro de errore profanarũ religionũ dicit, Mythram eſſe ignem, & Perſas ſimulachra eius gemina uenerari, alterũ forma uiri, alterum fœminæ: & hanc quidẽ triformi uultu & monſtroſis ſerpentibus effingere.

TVTELA.

Ipſa Roma orbis domina, in ſingulis inſulis domibusq; Tutelæ ſimulachrũ cereis uenerans ac lucernis, quã ad tuitionem ædium iſto appellãt nomine, ut tam intrantes quàm exeuntes domos ſuas inoliti ſemper commoneantur erroris. Hieronymus in quinquageſimumſextum caput Eſaiæ.

ROMAE SIMVLACHRVM.

Simulachrum & cultum Romæ Prudentius in libro priori contra Symmachũ in hũc modum deſcribit:

Delubrum Romæ colitur. nam ſanguine & ipſa
More deæ, nomenq; loci ceu numen habetur,
Atq; urbis, Veneriſq; pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura deabus.
Vera ratus, quæcunq; ſenatu autore probentur,
Contulit ad ſimulachra fidem, dominoſq; putauit
Aetheris, horrifico qui ſtant ex ordine uultu.
Illic Alcides ſpoliatis Gadibus hoſpes
Arcadiæ ſuluo ære riget: Gemini quoq; fratres
Corrupta de matre nothi Ledeia proles,
Nocturniq; equites, celſæ duo numina Romæ
Impendens retinente ſolo, magniq; triumphi
Nuncia, ſuffuſo figunt ueſtigia plumbo.
Aßiſtunt etiam priſcorum inſignia regum,
Dux Italus, Ianusq; bifrons, genitorq; Sabinus,
Saturnusq; ſenex, maculoſo & corpore Picus,
Coniugis epotum ſparſus per membra uenenum.
Omnibus ante pedes poſita eſt ſua cuiq; uetuſta
Arula: Iano etiam celebri de menſe litatur
Auſpicijs, epuliſq; ſacris, quas inueterato
Heu miſeri ſub honore agitant, & gaudia ducunt
Feſta calendarum: ſic obſeruatio creuit,
Ex atauis quondam male cœpta, deinde ſequutis
Tradita temporibus, ſeriſq; nepotibus aucta
Traxerunt longam corda inconſulta catenam,
Mosq; tenebroſus uitioſa in ſecula fluxit.

AESCVLAPIVS.

Æſculapius cupidinis & auariciæ cauſa, ſicut canit Bœotius Pindarus, fulminis tranſfixus eſt telo. Arnob. lib. 4. & in Epidauro & Tyberina inſula pro deo, qui ualetudini præſideat, cultus eſt. Sed cum Romæ peſtis graſſaretur, uatum reſponſis ad Vrbem inuitari iuſſus eſt, ut ab luis cõtagio morbisq; peſtilentibus tutã eam atq; incolumẽ præſtaret. Ex Epidauro aũt nihil aliud allatum eſt, quàm magni agminis coluber, qui poſtquã è naui ſe extulit, ad inſulam Tyberinã repſit. Arnobius lib. 7 contra Gentes. In fano eius Ethnicos ſtratis pellibus hoſtiarũ incubare, ut ſomnijs futura cognoſcant: Hieronymus libro decimooctauo in Eſaiam.

ASCLEPIVS.

Ægis Ciliciæ Aſclepius habebat templũ: in quo Ægeatę uota facientes, ad Aſclepium precabãtur, ut ægrotãtes priſtinę ualetudini reſtitueret. Apparebat autẽ dæmon noctu, & male habentes ſanabat. Sozom. lib. 2, cap. 5.

HERCVLES.

Herculẽ ſacrificijs, hoſtijs & thure incenſo inuitabant, & colebant. Arnobius lib. 1.

ROMVLVS.

Non'ne Romulũ patrẽ, ſenatorũ manibus dilaceratũ centũ, & Quirinũ eſſe Martiũ dicitis, & ſacerdotib. & puluinarib. honoratis, & in ædib. adoratis ampliſsimis, & poſt hæc omnia cœlũ aſcendiſſe iuratis? Arnob. lib. 1.

PRIAPVS.

Quoſdam Phallum ſiue Priapum circumferre, & Priapeia turpitudinis ſacra perficere, Epiphanius libro tertio, tomo ſecundo, de fide catholicæ Eccleſiæ dicit.

MOYSES.

In Arabia Petræa Moyſen propter diuina miracula pro Deo colũt, & adorant eius imaginem. Epiphanius libro ſecundo tomi primi, hæreſi quinquageſimaquinta.

MARIA.

Quędã mulieres in Arabia ad partes Thra-

ces,

ces, currũ quendam siue sellam quadratam ornantes, expasso super eam linteo, per aliquot dies panem proponunt, & offerunt in nomine Marię. Omnes autem de pane participant. Item habebant imaginem Mariæ, quam adorabant, & offerebãt ei collyridem seu placentam. Epiphanius libro tertio tomi secũdi, hæresi septuagesimaoctaua, & septuagesimanona.

LIBER CRETENSIS.

ORiginem & ceremonias Liberi Cretẽsis, Iulius Firmicus in libro de errore profanarum religionum commemorat. Liber Iouis fuit filiº, regis scilicet Cretici. Hic cum fuisset adultera matre progenitus, nutriebatur apud patrem studiosius quàm decebat. Vxor Iouis, cui Iunoni fuit nomen, nouercalis animi furore commota, ad necem infantis omnifariam parabat insidias. Proficiscens peregrè pater, quia indignationes tacitas sciebat uxoris, ne quid ab irata muliere dolo fieret, idoneis, sicut sibi uidebatur, custodibus tutelam credit filij. Tunc Iuno opportunum insidiarum nacta tempus, & ex hoc fortius inflammata, quia proficiscens pater, & sellam regni puero tradiderat, & sceptrum, custodes primùm regalibus præmijs muneribusq; corrupit. Deinde satellites suos, qui Titanes uocabantur, in interioribus regiæ locat partibus: & crepundijs ac speculo fabrefacto, animos ita pueriles illexit, ut desertis regijs sedibus, ad insidiarum locum puerilis animi desiderio duceretur. Illic interceptus trucidatur: & ut nullum posset necis inueniri uestigium, particulatim membra conscissa satellitum sibi diuidit turba. Tunc, ut huic facinori aliud facinus adderetur, quia uehementer tyranni crudelitas timebatur, decocta uarijs generibus pueri membra consumunt, ut humani cadaueris inauditis usque in illum diem epulis uescerentur. Cor uisum sibi soror seruat, cui Minerua fuit nomẽ: quia & ipsa sceleris fuit particeps: & ut manifestum delationis esset indicium, & ut haberet unde furẽtis patris impetum mitigaret. Reuerso Ioui filia ordinem facinoris exponit. Tunc pater funesta calamitate cladis, et acerbi luctus atrocitate commotus, Titanes quidem uario genere excruciatos necat. Nec prætermissum est in ultione filij aut tormentum aliquod, aut pœna: sed per omnia pœnarum genera bacchatus, necem qualitercunque filij uindicauit, affectu quidem patris, sed tyrannica potestate. Tunc, quia diutius pater ferre lugentis animi tormenta non poterat, & quia dolor ex orbitate ueniens nullis solatijs mitigabatur, imaginem eius ex gypso, plastico opere perfecit: & cor, ex quo facinus fuerat sorore deferente detectum, in ea parte plastæ collocat, qua pectoris fuerant lineamenta formata. Post hęc, pro tumulo extruit templum, & pædagogum pueri constituit sacerdotẽ. huic Silenus fuit nomen.

Cretenses, ut furentis tyranni sæuitiam mitigarent, festos funeris dies statuunt, & annuum sacrum trieterica cõsecratione componunt, omnia per ordinem facientes, quæ puer moriens aut fecit, aut passus est. Viuum laniant dentibus taurũ, crudeles epulas annuis commemorationibus excitãtes, & per secreta syluarum clamoribus dissonis eiulantes, fingunt animi furentis insaniam, ut illud facinus non per fraudem factum, sed per insaniam crederetur. Præfertur cista, in qua cor soror latenter abscõderat: tibiarum cantu, & cymbalorum tinnitu, crepundia, quibus puer deceptus fuerat, mentiũtur. Sic in honorem tyranni à seruiente plebe Deus factus est, qui habere non potuit sepulturam.

IDOLOLATRIA AD QVERcum Mambre.

De idololatria ad quercum Mambre Sozomenus libro secundo, capite quarto, hæc commemorat: Locus ille quem nunc Terebinthum uocant, quindecim stadijs ab Hebron, quam à meridie uicinã habet, ab Hierosolymis uerò circiter ducentis & quinquaginta stadijs distat: de quo uerax sermo est, Abrahamo ibi filiũ Dei unà cum angelis contra Sodomitas missis apparuisse, illiúque filij generationem prædixisse. Annuam uerò illic panegyrin, eamque splendidam, regionis illius incolæ, & ulteriores Palæstini & Phœnices & Arabes, etiamnum messis tempore celebrant. Conueniunt autem illic plurimi etiam nundinarum gratia, tam empturi quàm uenditurι. Est enim id festum cunctis frequentissimũ, Iudæis tanquam de patriarcha Abrahamo gloriãtibus, Græcis propter angelorum apparitionem: Christianis uerò, quoniam etiam tum temporis pio uiro is apparuit, qui posterioribus temporibus ad salutem humani generis per uirginem sese manifestè exhibuit. Honorant autem eum locum pro sua quique religione, alij ad unum omnium Deum orantes, alij angelos inuocantes, & uinum libantes, ac thure uel boue uel hirco uel oue aut gallo sacrificantes. Quod enim quisq; charum ac bonũ habebat, toto anno accuratè nutritum, secundum uotum, cùm sibi ipsi, tum domesticis suis, ad eiusdem festi conuiuium asseruabat. Honorantes autem eum locum cuncti, siue ad cauendam iram Dei, ne quid mali paterentur, ne cum uxoribus quidem, cum in eo agerent, commiscebantur: quamuis illæ eo festo ornato, & mundiciei muliebri plus solito

solito uacarent, & temerè in conspectũ progrederentur, neq; aliàs lasciuiebant, tametsi tabernacula communiter & promiscuè haberẽt. Est enim locus ille serenus & indiscretus, nec ulla habens ædificia, nisi sola quę circa ipsam quercum ab Abrahamo olim structa fuerant, unà cum puteo ab ipso parato. Tempore uerò panegyrico nemo ex eo hauriebat. Etenim secundum legem gentilium alij lychnos accensos in illum iaciebant, alij uinum infundebant, alij placentulas, alij numismata, unguenta, uel thymiamata inijciebant: eamq; ob causam, sicut fieri solet, aqua illa cõmixtione iniectorum corrupta et inutilis uidebatur.

CARPOCRATES.

DE Carpocratis idololatria hæc Epiphanius libro tertio, tomo secundo scribit: Apud Buticum, siue ipsam Buto ciuitatem, Harpocratem nutriunt instar nutricum: qui senes iam sunt ætate, quiq; in mensis solennitate imaginarias Ori numinis afflationes perficere ex dæmone coguntur. Vnusquisq; autem ciuis, & ualde iam senex, unà cum adolescentibus contribulibus, & alijs ætatibus puberibus, sacerdotes eiusdem, Ori uidelicet & Harpocratis existentes, capite rasi, unusquisq; inquam fert impudenter seruile ac detestabile puerile signũ, & furiosi ac desipiẽtis, & ob hos ludos derisi, ab his qui seipsos à dęmonis pręstigijs prudentes exemerunt, sursum ac deorsum nullo detinente feruntur, & pulticulis farinæ ac similaginis, atque alijs eiusmodi confectionibus primùm facie obliti, ita ut in ebullientem lebetem faciem immittant, & à facie, miraculi uidelicet gratia, multitudinem fraudulenter extimulent, impertiunt per manum de facie detergentes unicuiq; petenti, ut particeps fiat: atque hoc sanitatis ac medelæ morborum gratia.

NILVS.

AEgyptij & Alexandrini Nilum colebant per uiros effœminatos androgynos: Eusebius libro quarto de uita Constantini. Ac sub Theodosio eum incantationibus eliciebant, & sacrificijs oblectabant, & sanguinis profluuio conspurcabant: ut testatur Sozomenus libro septimo, capite uigesimo.

DE IMAGINIBVS QVO-*rundam deorum.*

PIngebantur etiã dij certis imaginibus. ut Saturnus cum falce messoria: Ianus fronte ancipiti, & dentata claue: Iupiter riciniatus & barbatus, dextra fomitem sustinẽs perdolatum in fulminis morem: Iunonius ille cæstus, aut militari sub galea puellula delitescẽs: Deûm mater cum tympano, cum tibijs & cum psalterijs Musæ: Mercurius pinnatus, Argiphontes: Æsculapius baculo: Ceres mammis cum grandibus, aut in Liberi dextra pendens potorius cantharus: Mulciber fabrili cum habitu: at Fortuna cum cornu, pomis, ficis, aut frugibus autumnalibus pleno: semitectis femoribus Diana, aut ad libidinem concitans Venus nuda, Anubis canina cum facie, aut genitalibus proprijs inferior Priapus. O' species formidinum diræ, metuendique terrores, propter quos genus hominũ torpedine in perpetua affigeretur, nihil moliretur attonitum, ab omniq; se actu sceleroso flagitiosoq; frenaret. Falciculę, claues, caliãdria, fomites, talaria, baculi, tympaniola, tibiæ, psalteria, mammæ promptæ, atq; ingentes cantharuli, forcipes, cornuaq; pomifera, nuda corpora fœminarum, & ueretrorum magnitudines publicatæ. Nonne satius fuerat saltitare, cantare, quàm sub titulo grauitatis & seueritatis obtentu, tam frigida tamq; inepta narrare simulachra, ab antiquis ad peccata cohibenda & ad nocentiũ formata impiorumq; formidines? Arnobius libro sexto contra Gentes. Item: Hammon cum cornibus iam formatur et fingitur arietinis: Saturnus cum obunca falce: custos ruris, ut aliquis ramorum luxuriantium tonsor: cum petaso gnatus Maiæ, tanquam uias aggredi præparet, & solem pulueremq; declinet: Liber membris cum mollibus, & liquoris fœminei dissolutissimus laxitate: Venus nuda & aperta, tanquam si illam dicas publicare, diuendere meritorij corporis formam: cum pileo Vulcanus, & malleo, manu liber, sed dextra, & fabrili expeditione succinctus: cum plectro & fidibus Delius, citharistæ gestus seruans, cantaturi, & nænias histrionis: cum fuscina rex maris, tanquam illi pugna sit gladiatorij obeunda certaminis: neq; ullum est reperire figmentum alicuius numinis, quod non habitus certos ferat fabrorum liberalitate donatos.

DE INITIATIONIBVS.

SOlebant Gentiles, suos initiare, quos ad sacra idolorum primùm admittebant: et habuisse singula idola suas certas initiationũ formas, patet ex ijs quæ hactenus commemorauimus. & Iulius Firmicus in libro de errore profanarum religionũ meminit symbolorum & signorum, quibus initiati sacris se inuicem discreuerint: & Arnobius initiationis per colubrum mentionem facit, libro quinto contra Gentiles. Christianos uerò non admittebãt ad sacra, nisi suæ priori professioni & fidei Christianæ renunciassent: & dæmones ἀποτροπαίους, id est malorum depulsores placassent: & purgationibus & uictimis cruentis, baptismũ ab Ecclesia acceptũ abluissent. quod Iulianus fecit ipse, & ut alij facerent mandauit. Theodoretus lib. 3. cap. 3. Sozom. lib. 5. cap. 2 & 5.

DE CIRCVMCISIONE.

VT à Iudęis ad gentes etiam ritus circumcisionis peruenit, ita hoc quoque seculo eo quidam populi usi sunt. Nam Hieronymus libro secundo in Hieremiam testatur, suo adhuc tempore circumcidi aliquos Palæstinos, Ægyptios & Idumæos, Ammonitas, Moabitas, & Sarracenos solitudinem incolentes. Et circumcisionis Sarracenorum Sozomenus quoque meminit libro sexto, capite trigesimooctauo. Et gentem Indorum circumcidi, Nicephorus libro octauo, capite trigesimoquinto indicat. Gentes autem eam rationem quam Deus suo populo olim tradiderat, non obseruasse in circumcidendo, ex Ambrosij libro secundo, capite undecimo de Abraham apparet. Refert enim, Ægyptios decimoquarto demum anno mares circumcidere: & uulgo ferri, fœminas apud eosdem anno eodem circumcidi, eo quòd ab anno decimoquarto incipiat flagrare passio uirilis, & fœminarum menstrua fumant exordia.

DE FESTIS.

DIem solis, & feriam quintam seu Iouis, sacros gentilibus fuisse, ex Miltiadis decreto, si tamen eius est, apparet. Deinde certis anni diebus celebrabant suorum idolorum quædam solennia festa: qualia sunt Cerealia, quæ ad quintum idus Aprilis celebrabantur à mulieribus. Epiphanius libro tertio, tomo secundo, de fide catholicæ Ecclesiæ. Et lectisternij Cereris Arnobius libro septimo contra gentes meminit. Ac Cereris festa palàm Antiochiæ sub Valente celebrari permissa esse, Theodoretus libro quarto, capite uigesimoquarto indicat. Et Megatalia, quæ similiter à mulieribus obseruabantur: Epiphanius ibidem. Dialia, quorum Theodoretus libro quarto, capite uigesimoquarto meminit. Et Arnobius libro septimo cõtra Gentes inquit: Iouis epulum cras est: Iupiter enim cœnat, magnisque implendus est dapibus, iamdudum inedia gestiens, & anniuersaria interiectione ieiunus. Ad publicum epulum Iulianus Daphnen ueniisse, idque festum per dies septem egisse, dicitur apud Theodoretum libro tertio, capite decimoquarto. Orgia, seu Bacchanalia, seu Liberalia, quæ Romæ celebrantes decimosexto calendas Aprilis, gestabant perticas: Epiphanius libro tertio, tomo secundo, de fide catholicæ Ecclesiæ. Bacchabundi in uijs et plateis cum parmis cursitabant, rabioso clamore & strepitu: canes discerpebant. Theodoretus libro tertio, capite quinto: & libro quinto, capite uigesimo. Meminit & Bacchanalium Arnobius libro quinto contra Gentes. Lauatio matris Deûm festum erat, quo aquis adiuncta cineris frictione, sordes statuæ eius abluebantur. Arnobius libro septimo contra Gentes. Hanc ceremoniam postea Antichristus imitans, certis diebus præcepit in Ecclesijs altaria lauari.

Vindemia Æsculapij festum erat, quod celebrabant uindemiatores post uinũ expressum. Arnobius libro septimo contra gentes. Sed ea solennitas postea ad diuum Martinũ est translata.

Natalem Telluris solenni ceremonia obseruatũ esse, ex Arnobij septimo contra gentes patet. Idem libro primo indicat, tyrannos & reges à Romanis indigetes & diuos appellari, puluinaribus & aris, & ludorum & natalium celebritate honorari. Idem imitatus Antichristus, sanctos canonizauit, eorumq; natales religiose coli instituit.

Calendas Ianuarij in honorem Iani, solenni ritu obseruabant: ita quidem, ut epularentur, & in campum procederent, & saltarent, ut patet ex Ambrosij sermone decimoseptimo. Eodem die Romani strenas sibi inuicem dabant, ut patet ex epistola sexta libri primi Epistolarum Symmachi. In cunctis urbibus, & maximè in Ægypto, & in Alexãdria, idololatriæ uetus consuetudo est, ut ultimo die anni & mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refertam uarij generis epulis, & poculum mulso mistum, uel præteriti anni, uel futuri fertilitatem auspicantes. Hieronymus libro decimooctauo in Esaiam.

Circuitionum gentilium Arnobius libro octauo meminit. Si Romanorum ritus percenseas, ridenda quàm multa, multa etiam miseranda sunt. Nudi cruda hyeme discurrunt. alij incedunt pileati, scuta uetera circumferunt, pelles cædunt mendicantes, uicatim Deos ducunt, quædam fana semel anno adire permittunt, quædam in totum nefas est uisere.

DE LVDIS.

LVdos etiam sacros inter religionis officia deputabant, & ad Deos honorandos, & placandos in publicis deorum festis exhibebant: quales erant Florales, & Megalenses, & Attellanæ. Arnobius libro septimo: ubi & nominatim quorundam meminit, ut Amphitryonis Plautini, Europæ, Ledæ, Ganymedis, Danais, Atyis, Adonis, & tragœdiæ Alcidæ Sophoclis, & Herculis Euripidis, item Floræ. Spectacula gladiatorum Constantinus quidem prohibuit: Sozomenus libro primo, capite octauo. Sed tamen Romę ea adhuc sub Theodosio in usu fuisse, appareret ex epistola Symmachi ad Theodosium: & ex Prudentij libro posteriori contra Symmachum, ubi Imperatorẽ rogat, ut eam consuetudinem abroget.

Tu

Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.

Solebant Imperatores singulis decennijs panegyres celebrare. Sozomenus libro primo, capite uigesimoquinto.

Solebant autem in spectaculis publicis, omniũ sacerdotum magistrorumq; collegia, pontifices maximi, & maximi curiones, & quindecimuiri laureati, & diales cum apicibus flamines, & augures, & castæ uirgines Vestales, & cunctus populus, & consulatib. functi patres, dijs proximi & augustissimi reges, assidere. Arnobius lib. 4.

DE TRANSLATIONE IDOLORUM.

IN magnis calamitatib. solebãt cõsulere uates & oracula, per quos Deos possent liberari à malis uel præsentib. uel imminẽtibus: et cũ uates respõdissent de peregrinis dijs aduehendis, sedulò id curabãt. Sic ad Hannibalem uincendum, & Romanum imperiũ ampliandum, magna mater Deũm ex Phrygio Pessinunte accita, & Romam translata est, & magnifico templo honorata. Arnobius libro septimo contra Gentes. Et ad pestem abigendam, Æsculapius, qui erat magnus coluber, Epidauro Romã est adductus, & templo & sacrificijs cultus. Arnobius ibidem. Planè simili superstitione Constantinus reliquias quasdam de cruce ab Helena reperta, Constantinopolim dicitur transtuliſſe, ut esset eius urbis conseruatrix. Huc & translatio capitis Ioannis, & aliorum sanctorum & martyrum congruit, de qua suprà in loco de Miraculis dictum.

RITVS CIRCA MORIENTES & *defunctos.*

MOribundis solebant facem tribuere, mortuis uerò coronam. Arnobius libro octauo. Funera curabant tibijs, & publico ploratu. Eusebius libro nono, capite octauo. Apud Indos cadauera cremabantur, & quidem uxor carissima uiua cum mortuo marito in rogum collocata exurebatur: ut indicat Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum. Pro mortuis magi preces cõmendaticias faciebãt, quibus tantam uim attribuebant, quòd ijs placatæ potestates permittant animas ad cœlos subuolare. Arnobius lib. 2. Hinc Antichristus indulgentiarum aucupium didicit.

OBLATIO PRO MORTVIS.

GRæci in Pandemis, hoc est popularibus diebus, deferebant ad monumenta mortuorũ, cibos ac potus: & edulia quidem prorsus exurebant, sed uina libabant, & nomina sepultorum mortuorum proferentes acclamabant: Surge tu, comede & bibe & lætare. Epiphanius in Ancorato. Et hanc ceremoniam Antichristus in Ecclesiam Christi inuexit, in Missa offerendo pro uiuis & mortuis.

DE MORIBVS GENTILIVM.

IDololatriam omnis generis scelera sequi, quis est qui ambigat? ea uerò quis enumeret? Athanasius in oratione contrà Idola inquit: Omnes in turpissimis uiuunt, & certamen inter se prauitatis suscipere uidentur. &, ut dixit sanctus ille Christi minister Paulus: Mulieres eorum mutauerunt usum naturalem, in eum qui est præter naturam. Itidem quoq; & masculi, omisso naturali usu fœminę, libidine in se mutuò exarserunt, mares in mares turpitudinem patrantes. Hæc & huiusmodi designantes, confitentur & ostendunt, Deos suos hoc genere uitæ usos fuisse. Ex Ioue enim stupra puerorũ & adulteria, ex Venere meretricatũ, ex Rhea obscœnitatem, ex Marte cædes, ex alijs alia huiusmodi didicerunt: quæ quidem ut à legibus uindicantur, ita quicunq; purus & integer est, auersatur. Et passim turpissimæ cõsuetudines in usu fuerunt. Vt apud Phœnices, mulieres ante idola prostituebantur: Athanasius de idolis. Et sponsæ ante connubium experiundæ prius sponsis tradebantur: Sozomenus libro primo, capite octauo. Apud Alexandriam androgyni: Eusebius libro quarto de uita Constantini. Romæ spectacula gladiatorum, sese mutuò interficientium: Sozomenus libro primo, capite octauo. Et alia consuetudo fœda, adulteram castigandi per manifestam stuprationem: Socrates libro quinto, capite decimooctauo. Indi plures habebant uxores: Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum. Scotorum natio uxores proprias nõ habet. & quasi Platonis politiam legerit, & Catonis secte tur exemplum, nulla apud eos cõiunx propria est: sed ut cuiq; libitũ fuerit, pecudum more lasciuiunt. Persæ, Medi, Indi, & Æthiopes, regna non modica, & Romano regno paria, cum matribus & auijs, cum filiabus & neptib. copulantur. Tibareni, quos dilexerunt, senes suspendunt in patibulis. Hircani, uolucribus & canibus semiuiuos proijciunt: Caspij, ijsdem bestijs mortuos. Scythę eos qui à defunctis amati sunt, uiuos infodiunt cum ossibus mortuorum. Bactri, canibus ad hoc ipsum nutritis obijciunt senes. Hieronymus libro secundo aduersus Iouinianum.

Apud Seras uiri crines implicant, et domi desident, unguentis delibuti, effœminati, ac uxoribus parati: mulieres uerò uiceuersa capillum capitis tondent, uirili cingulo se cingunt, & in agro omnia opera faciunt. Epiphanius libro tertio, tomo secundo, de fide catholicæ Ecclesiæ.

Regnabant etiam inter eos horrendæ su-

perſtitiones: qualis illa eſt, quòd Magi Perſici Trabulam Simeonis ſororem ſerra in duas partes diſſectam, ſtipitibus alligabant, & Reginam ægrotantem per medias tranſire iubebant, ſpe recuperandæ ſanitatis. Sozomenus libro ſecundo, capite duodecimo. Et ſacerdotes Iouis Capitolini Conſtantinum iuſsiſſe, ſuam lepram ſanguine infantum curare & abluere, Nicephorus libro ſeptimo, capite trigeſimotertio narrat. quanquã Platina in uita Marci id factum eſſe neget. Et ad uictoriam acquirendam ſaga quædam Magnentium iuſsit uirginem immolare, eiusq; ſanguinem uino miſtum militibus guſtandum præbere: ipſa interim carmina quędam recitante, & dæmonum opem implorante. Zonaras tomo tertio, de imperio filiorum Conſtantini.

Superſtitioſe obſeruabant dies lunę, in obeundis uel omittendis negotijs: & quintam diem lunæ fugiebant, nihilq; in ea incipiebant. Ambroſius libro decimo, epiſtola octogeſimatertia. Ad inquiſitionem nominis eius, qui poſt Valentem eſſet imperio potiturus, Iamblichus & Libanius literas uigintiquatuor puleri inſcripſerunt, & cuique granum tritici & hordei impoſuerunt, & gallum recitatis carminibus quibuſdam dimiſerunt: ut ex quibus literis grana ſumeret, nomen ſucceſſoris cognoſcerent. Accepit autem grana ex literis θ, ε, ο, Δ. Valens ea recognita, multos ijs nominibus appellatos ſibi ſuſpectos ſuſtulit. Zonaras tomo tertio, de Valente.

Etiam in cibis ſuos quoſdam ritus obſeruarunt. nam Arabes & Sarracenos & Barbaros in eremo habitantes camelorum lacte & carnibus uiuere, & nefas putare porcorum carnibus ueſci: Septentrionales uerò populos ijs non ueſci. In Ponto & Phrygia xylophagis, qui naſcuntur in lignorum carie, & Orientales & Lybiæ populos locuſtis, Syros crocodilis terrenis, Afros lacertis uiridibus ueſci: & Ægyptios & Palæſtinos propter boum raritatem à uaccarum eſu abſtinere, ſed taurorum & boum & uitulorum carnibus uti: ac econtrà in ſua prouincia ſcelus putare, uitulos comedere. Nomades, Troglodytas, & Scythas & Hunnos ſemicrudis ueſci carnibus: Ichthyophagos errantes in littore maris rubri, ſolis calore aſſatos piſces uorare: Sarmatas, Quados, Vandalos, equorum & uulpium carnibus delectari: & Scotos ſe in Gallia uidiſſe humanis carnibus ueſci, Hieronymus teſtatur lib. 2. contra Iouinianum.

Maſſagetæ & Derbices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriantur: & parentes, cognatos, propinquos, cum ad ſenectam uenerint, iugulatos deuorant: rectius eſſe ducentes, ut à ſe potius quàm à uermibus comedantur. Hieronymus ibidem.

Iurare ſolebant per deos ſuos. nam teſtatur Socrates libro tertio, capite uigeſimo tertio, Libanium frequenter per Herculem, Bacchum & Aſclepium iurare in libris ſuis. Romæ in curia aram idololatricam fuiſſe, & ad eam iuramenta facta eſſe, patet ex epiſtola Symmachi ad Imperatores pro ſacris patrum, & Ambroſij duabus contra eandem.

A' QVIBVS ET QVOMODO *propugnatus Gentiliſmus.*

NOn defuerunt etiam hoc ſeculo, qui diabolo in propugnando et defendendo Gentiliſmo, & oppugnando & calumniando ueram Chriſtianorum religionem, ſuam operam gnauiter præſtiterunt. Inter eos primum locum iure tenent ſacerdotes, & collegia eorum. Nam eos malè habuit ſuas uanitates & deceptiones manifeſtari, & argui, & ſuperſtitionem ſibi quæſtuoſiſsimam abrogari, & ſuam dignitatem immimnui, ſeque in odium & contemptum uulgi adduci: quare manibus pedibusque obnixè ſua ſacra exornare & tueri, & Chriſtianorum religionem calumnijs & mendacijs nõ modò inuiſam, ſed etiam periculoſam & detrimentoſam omnibus reddere ſtudebant. Maximè uerò id agebant, ut Imperatores facerent ſuæ ſuperſtitioni addictos. per eos enim reliquum uulgus in officio retinere, & Chriſtianis periculum creare poterant. Sacerdos idolorum Iulianum à uera religione abduxit, & odio Chriſtiani ſignaculi repleuit. Paulus Diaconus libro undecimo. Et principem idolorum Iuliano mandaſſe, ne quicquam Chriſtianum uel ageret, uel cogitaret: Sozomenus libro quinto, capite ſecundo narrat. Ad ſacerdotum, philoſophi quoque ſuas coniunxerunt copias. nam Ruffinus libro primo, capite tertio, & alij narrant, philoſophos etiam quoſdam gentiles Nicæam, cum ibi ſynodus congregata eſſet, ueniſſe, & cum epiſcopis, fretos Dialecticis ſophiſmatibus, concertaſſe. Sozomenus etiam libro primo, capite decimo octauo commemorat, philoſophos ad Conſtantinum Byzantium acceſsiſſe, eique obieciſſe, quòd ueterem religionem, quam maiores ſui & omnes Romani principes eſſent amplexi, abdicaret, & nouam inſtitueret: & petijſſe, ut ſibi cum Alexandro epiſcopo diſputare ea de re liceret. Quod cum eſſet permiſſum, & Alexander ad opponentem dixiſſet, Præcipio tibi in nomine IESV CHRISTI, ut obmuteſcas, philoſophum obmutuiſſe prorſus, nec uerbum amplius prolo-

proloquutum esse, atq; ita cum ignominia cæteros discessisse. Libanium Sophistam apparet gentilismi fuisse acrem defensorem & propagatorem. Nam eam ob causam Constantius mandasse uidetur Iuliano, ne Libanium Syrum sophistam accederet. Socrates libro tertio, capite primo. Et libro eodem, capite uigesimosecundo refert, quòd Christianismum in libro de Iuliano uellicauerit. Iamblichus non quidem, quantum ex historijs liquet, contra Christianos expresse, sed tamen pro Ethnicis librum de mysterijs Ægyptiorum scripsit. Et Olympus philosophus nomine & habitu, Alexandriæ doctrina & armis gentilium sacra propugnauit. Ruffinus libro secundo, capite uigesimosecundo: Sozomenus libro septimo, capite decimoquinto. Et scholarum magistros in Gentilium religione in pueros propaganda, & odium Christiani dogmatis instillando, multum laborasse, Eusebius indicat libro nono, capite quinto & septimo.

Imperatores etiam, & alij politici domini, sua autoritate, edictis & uiolentia ac armis Ethnicas superstitiones defenderunt, & promouerunt, Christiq́ue doctrinam impugnauerunt. Inter eos sunt Diocletianus, Maximinus, ut suprà in loco de Persecutione est expositum: et Licinius, qui à Christianismo ad Gentilismum defecit. Eusebius libro primo & secundo de uita Constantini: Sozomenus libro primo, capite septimo. Et Iulianus, qui nõ modò ipse ad gentilium uanitates à uera religione desciuit, sed etiam subditis suis, ut idem facerent suasit. Sozomenus libro quinto, capite primo. Et obtemperantes honoribus & dignitatibus & beneficijs cumulauit, ijsq́ue permisit quicquid uellent contra Christianos agere. erga reluctantes sese difficilem & infensum ac hostem exhibuit: & idolorum templis aperto uetusta priuilegia & prouentus Christianis ademptos gentibus dicauit. Sozomenus libro quinto, capite tertio. Militiæ cingulum non dari nisi immolantibus iussit, studijs autorum gentilium Christianis interdixit, ludos literarum solis ijs qui deos uenerarentur patêre decreuit: ac præmijs, honoribus, blanditijs, persuasionibus, maiorem populi partem, quàm si atrociter persequutus esset, elisit. Ruffinus libro primo, capite trigesimosecundo. Miro artificio studuit Gentilismum in externis ritibus Christianismo conformem reddere: ut patet ex epistola eius ad Arsacium, apud Sozomenum libro quinto, capite decimosexto.

Primarium Romani exercitus uexillum, cui Constantinus crucis symbolum inscribi curauerat, in priscam formam redegit; & in popularibus uexillis Iouem pingi iussit, tanquam cœlitus apparentem, coronamq́ue & purpuram Imperij symbola exhibentem: Martem denique et Mercurium in ipsum respicientes, & ueluti oculo attestantes, quod & eloquio & bellandi ualeret industria. Hęc autem & quæcunq; alia ad cultum paganismi facere uidebat, imaginibus immiscëri iubebat, ut prætextu honoris, qui Imperatori deputatus erat, clanculum quæ per picturam accesserant adorarentur, abusuq́; priscorum rituum omnimoda circumspectione subditorum animos suffurari satagebat. Sozomenus libro quinto, capite decimoseptimo: Socrates libro tertio, capite decimotertio. Et Hieronymus ad Oratorem Magnũ testis est, Iulianum in expeditione Parthica aduersus Christũ septem euomuisse libros, & iuxta fabulas poetarum se suo ense lacerasse. Ac laudasse Iuliani libros Libanium in epitaphio Iuliani, & dixisse omnes Christianorum libros ad illos collatos, esse ridiculos & nugaces: Socrates libro tertio, capite uigesimosecundo narrat: & capite sequenti, eam laudationem ut uanam infringit. Iulianus alter, auunculus Imperatoris Iuliani, strenuum quoq; sese Gentilismi propugnatorem præbuit, apud Sozomenum lib. quinto, capite septimo.

Sapores Rex Persarum, eiusq́; successores aliquot, gentilium idola tutati sunt, uiolentiam & crudelitatem in Christianos exercentes. Sozomenus libro secundo, capite octauo & nono: ut suprà suo loco copiosius expositum est. Valens Imperator Christianã quidem religionem professus est, sed gentibus suam idololatriam quouis modo liberè exercere permisit: ut narrat Theodoretus libro quarto, capite uigesimoquarto: & Zonaras tomo tertio de Valente. Sub eo Palladius prætor Alexandrinus nõ parum Alexandrię pios afflixit, & sacra gentilium promouit. Theodoretus libro quarto, capite uigesimosecundo. Sub Theodosio Symmachus prefectus urbis Romæ, unà cum Senatu, conati sunt gentilium sacris mederi: ut patet ex epistola Symmachi pro sacris patrum, in qua nomine senatus petit, ne quid de gentili religione Imperatores mutent, & mutata in integrum restituant. Idem facit libro primo, epistola quinta, & sexta, & undecima.

Athanaricus rex Gotthorum, etiam in sua ditione patrocinium idolis præstitit, & sacrificare detrectantes capitali supplicio affecit. Socrates libro quarto, capite trigesimotertio: Sozomenus libro sexto, capite trigesimoseptimo: & Orosius libro septimo.

Exemplum sacerdotum & philosophorũ & Imperatorum & prefectorum imitans, indomitum uulgus in conseruanda idolorum

religione, haud poſtremas ſerebat. Nam aduerſus Chriſtianos irreconciliabili odio flagrabant, & dicterijs & calumnijs, & conuicijs & falſis criminationibus eos proſcindebant. Narrat Nicephorus libro ſeptimo, capite trigeſimoquinto, Græcos idololatras Conſtantinũ, quòd filium ſuum manu propria occidiſſet, calumniatos eſſe: & Sozomenus libro quarto, capite decimo indicat, Ethnicos Athanaſium criminatos eſſe, quòd incantationibus uſus futura præſciret. Et Theodoretus lib. tertio, capite quinto, gentes ſcurrilitate et dicterijs in pios inuectas eſſe, neq; ullis in pompis ſibi à conuicijs temperaſſe: Verùm Chriſtianos non conuicijs cum illis certaſſe, ſed apertè errores eorum redarguiſſe, commemorat.

A' criminationibus ad uim apertam ſæpe peruentum eſt: ut patet ex Theodoreti libro tertio, capite ſexto: & Sozomeni libro ſexto, capite trigeſimoquarto: Socratis libro quinto, capite decimoſexto. Ac refert Sozomenus, ſub Theodoſio, libro ſeptimo, capite decimoquinto, pro fanis acerrimè dimicaſſe gentiles, Alexandrinos & Petræos, & Acropolitas in Arabia, Raphiotas & Gazęos in Palæſtina, Heliopolitanos in Phœnicia, Apamæos in Syria.

¶ Cæterùm ad patrocinium ſuæ ſuperſtitionis his ferè utebantur argumentis. Primùm ab antiquitate, quòd ſua religio eſſet antiquiſsima, quam ſui maiores omnes eſſent amplexi: à quorum conſenſu recedere, ſummum ſit nefas. Arnobius libro octauo cõtra Gentes, et Symmachus in Epiſtola pro ſacris patrum apud Prudentium inquit: Iam ſi longa ætas autoritatem religionibus faciat, ſeruanda eſt tot ſeculis fides: & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt feliciter ſuos. Eodem argumento philoſophi Byzantij Conſtantinum inuadunt, obijcientes, ab eo non rectè fieri, quòd res diuinas nouaret, & nouam religionem in ciuitatem introduceret, præter eam quæ in uſu fuiſſet ſuis parentibus, & anteceſſoribus in Romano imperio. Sozomenus libro primo, capite decimooctauo.

Secundum ab effectu, quòd eſſet utilis ac ſalubris hominibus & imperijs. Per eam enim Romam eſſe contra Hannibalem & alios hoſtes ſeruatam: Symmachus in epiſtola pro ſacris patrum. Et Romam ideo omnium prouinciarum & partium orbis terrarum Imperio potitam, quòd uniuerſos Deos qui eſſent in orbe terrarũ, ac ignotos etiam uenerata ſit & coluerit, Cæcilius apud Arnobium libro octauo affirmat. Et Maximinus apud Euſebium lib. 9. cap. 7, ob cultum idolorum aſſerit Tyrijs & alijs, omnis generis beneficia à dijs conferri.

Tertium ab incommodis: ob religionem idolorum intermiſſam, aut abolitam, Deos iraſci, & omnis generis mala cumulari. nam Maximinus libro nono, capite ſeptimo, in edicto ſuo omnes calamitates publicas imputat Chriſtianorum à gentilibus ſacris defectioni. Et Symmachus in epiſtola pro ſacris patrũ affirmat, publicam famem ſequutam eſſe, ob mutationem ſacrorum, & abrogationem priuilegiorum Veſtalium & ſacerdotum.

¶ Criminationes uerò has ferè contexebant, ad Chriſtianorum religionem deformandam. Quòd noua eſſet, & nuper admodum nata, quam maiores omnes ignorarint: Sozomenus lib. 1. cap. 18.

Quòd eius inuentores & aſſertores eſſent homines deploratæ, inclinatæ, deſperatæ factionis: Cæcilius apud Arnobium lib. 8.

Quòd cœtus ille Chriſtianorum eſſet collectus ex ultima fece imperitiorum & mulierum, qui nocturnis congregationibus & ieiunijs ſolennibus, & inhumanis cibis confœderarentur, latebroſa & lucifugax natio, in publico muta, in angulo garrula.

Quòd ſeſe occultis notis noſcãt, & ament mutuò, antequam nouerint.

Quòd inter eos uelut quædam libidinum religio miſceatur, & ſe promiſcuè fratres appellent, & ſorores, & interceſsione ſacri nominis committant incæſtum.

Quòd uulgò feratur, eos aſini caput conſecratum uenerari. Alij uerò dicant, eos ipſius antiſtitis & ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam.

Quòd hominem ſummo ſupplicio punitum pro facinore colant.

Quòd initiãdis apponatur farre cõtectus, quem occultis uulnerib. occidant, & ſitienter ſanguinem eius lambant.

Quòd ad epulas ſolenni die coëant cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis: ac illic poſt multas epulas, ubi conuiuium caluit, & incæſtę libidinis ebrietate feruor exarſit, canis qui candelabro nexus eſt, iactu offulæ ultra ſpacium lineæ qua uinctus eſt, ad impetum & ſaltum prouocetur: & ſic euerſo & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris, nexus infandę cupiditatis inuoluant per incertum ſortis: & ſi non omnes opera, tamen conſcientia pariter committant incæſtum.

Quòd religio eorum ſit obſcura, & nullas aras habeant, nulla templa, nulla nota ſimulachra. Cæcilius apud Arnobium libro octauo.

Quòd cum eorum Deum Romana gens non norit, cum aliàs omnes Deos colat, uerisimile ſit, non eſſe Deum, quem Chriſtiani colant.

Quòd

Quòd doctrina eorum planè sit monstrosa, & rationi absurda. Nam de Deo eos sentire, quod omnium mores & actus, uerba deniq; & occultas cogitationes diligenter inquirat, & ubique discurrat & præstò sit: cum id Deum non deceat, ut molestias sustineat, & inquietus sit, & curiosus: & si quidem adstet factis, & omnib. in locis intersit, nequeat singulis inseruire per uniuersa distractus, nec uniuersis sufficere, in singulis occupatus. Cæcilius apud Arnobium lib. 8.

Item eos hominem in Palæstina natum, & crucis supplicio affectum, & Deum & Dei filium facere & colere. Libanius & Iulianus apud Socratem lib. tertio, capite uigesimotertio: Arnobius libro primo.

De mundo eos docere, quòd incendio sit conflagraturus, quasi aut naturæ diuinis legibus constitutus ordo turbetur: aut rupto elementorũ omnium fœdere, & cœlesti compage diuisa, moles ista, qua continetur & cingitur, subruatur.

Culpam uel innocentiam eos Deo attribuere, ut qui spontaneos non cupiat, sed electos: eoq; Deum iniustum iudicem fingi, qui sortem in hominibus puniat, & non uoluntatem.

De resurrectiõe aniles fabulas eos adstruere, quòd post mortem & cineres & fauillas sint renascituri: cum tamen planè sit absurdum, astris denunciare interitum, & sibi æternitatem repromittere: & cum nulla ratione possit explicari, siue fingatur resurrectio cum corpore, siue sine corpore, siue alio corpore, quòd resuscitatio mortuorum fieri possit: & cum in tot seculis quæ effluxerũt, nullus ab inferis remeauerit, ut exemplo credi posset. Arnobius lib. 8.

De uita æterna eos fabulari, quòd ipsi sint bonis fruituri, alijs iniustis in æternas pœnas abiectis: cum tamen neq; in hac uita bene habeant, sed sint omnium calamitosissimi. Vnde constet, Deum ipsorũ aut non posse ijs opitulari, aut nõ uelle: atq; ita eum uel inualidum, uel iniquum esse. Cæcilius apud Arnobium lib. 8 contra Gentes.

Quòd nec ipsi inter sese de dogmate suo consentirent. Hoc argumento utebantur philosophi, qui Niceam conueniebant, cum ibi synodus celebraretur. Sozomenus libro primo, capite decimooctauo.

Quòd sacra scriptura esset perplexitatibus & contradictionibus plena, ideoque incerta omnia. Hac calumnia usum esse Iulianum et Porphyrium, Socrates libro tertio, capite uigesimotertio indicat.

Quòd Christianismus omnis generis calamitates publicas secum afferret. Deos enim eos punire, quòd hominem credãt esse Deũ: eumq; post crucis supplicium adhuc superesse dicant, & adorent. Arnobius lib. 1. & Maximini edictum apud Eusebium libro nono, capite septimo.

A' QVIBVS ET QVOMODO *laboratum sit in gentilium superstitione refutanda, & abolenda.*

VT autem diabolus cum suis organis in defensione & propagatione gentilismi sudauit: ita econtrà Dominus noster IESVS Christus per suum exercitũ ad eius expugnationem & subuersionem incubuit, ac subinde magis magisq; promouit. In eo uerò exercitu primipili & antesignani erant Ecclesiarum fideles & uigiles ministri, qui non modò uoce & doctrina in arces & munitiones gentilium superstitionũ impressionem faciebant: sed etiam scriptis, ut machinis & arietibus admotis, & fortissimè incussis, fundamenta subruebant. In horum numero erant, Eusebius Pamphili, in libris de præparatione Euangelica: Lactantius, in libris septem diuinarum institutionũ, & in libris de ira Dei, & de opificio Dei, & alijs: Arnobius, in octo libris contra Gentes: Athanasius tum in alijs libris, maximè uerò in oratione cõtra idola: Iulius Firmicus Maternus in libro de errore profanarum religionum, ad Constantem & Constantium Augustos: Ambrosius tum in alijs, præcipuè autem in duabus epistolis contra Symmachi epistolam, libro Epistolarum quinto, epistola trigesima, & trigesimaprima: Apollinarius, qui ad Iulianũ contra Gentilium errores de Deo scripsit, ut indicat Theodoretus lib. 5. cap. 20: & Sozom. lib. 5. cap. 18. Hieronymus etiam passim in suis scriptis: Prudentius in libris duobus cõtra Symmachum, & in alijs passim: Epiphanius in Ancorato & Anacephalæosi, ac in libris de hæresibus. Socrates in lib. 3. cap. 23 refutat Libanium, & Porphyrium, & Iulianum. Eusebius Emisenus, quem libros cõtra Gentes edidisse, Hieronymus in catalogo testatur: & alij innumerabiles. Fuerunt etiam qui manibus rem aggressi, templa idolorum destruxerũt, permissu Imperatorum. nam Marcus episcopus Arethusæ, sub Constantino, simulachrorũ templum destruxit. Cyrillus diaconus, eodem imperãte, Heliopoli ad Libanum, multa simulachra, quæ adorabantur, confregit. Theodoretus libro tertio, capite septimo: & Marcellus accepto mandato ab Imperatore Theodosio, Iouis templum apud Apamenos euertit. Theodoretus libro quinto, capite uigesimoprimo. Idem fecit Theophilus Alexandrinus, ut narrat Ruffinus libro secundo, capite uigesimosecundo, tertio, quarto, quinto & sexto: & Socrat. lib. quinto, cap. decimosexto: Theodoretus libro 5. capite 22. Georgius episcopus Alexandrinus prohibuit, ne gentes sa-

crificarent, & patria festa celebrarent: militesq; & ducem Ægypti armata manu in ciuitatem introduxit, & imagines & anathemata & ornatum templorum abstulit. Sozomenus libro quarto, capite trigesimo: & libro quinto, capite septimo.

In secundo ordine pij magistratus erant, nimirum Imperatores, eorumq; præfecti & collegæ. Ii autem edictis & legibus & externa ui gentilium idololatriam coercuerũt, & magna ex parte aboleuerũt. Nam Constantinus Magnus lege edixit, ne simulachris sacrificarent, ne uaticinia sciscitarentur, ne statuas erigerent, ne sacrificia occulta facerent, ne ciuitates monomachijs polluerent. Eusebius lib. quarto de uita Constantini. Templa idolorum claudi iussit, l. prima, Cod. de paganis & sacrificis. eaq; accedere & sacrificare capitali pœna uetuit. Theodoretus lib. quinto, capite uigesimo: & Sozomenus libro primo, capite octauo. Ac multis in locis idolorum templa destrui curauit: & pœna capitali edixit, ne quis gentilis aruspex, aut sacerdos limen alterius accedat. l. Nullus aruspex. Item uetuit, ne quis aruspicem, aut mathematicum, aut hariolum consulat. l. Nemo aruspicem. Et ne quis dæmones inuocet, uel imagines cereas incantet, l. multi magicis. Cod. de maleficis & mathematicis. Et turpes gentilium consuetudines abrogauit, ut suprà suo loco dictum est. Helena mater Imperatoris Hierosolymis fanum Veneris destruxit: Paulus diaconus libro undecimo. Artemius dux Aegyptiorum militum sub Constantino plurima simulachra deiecit, ob quod à Iuliano postea capite mulctatus est. Theodoretus lib. 3. cap. 18.

Constans etiam & Constantius leges statuerunt, contra eos qui uel sacrificare, uel imagines colere, aut alius Ethnicas superstitiones exercere præsumerent. Theodoretus libro quinto, capite uigesimo: Sozomenus lib. 3. cap. 17. & lib. 4. cap. 10.

Iouinianus templa idolorum à Iuliano aperta iterum claudi iussit, & sacrificationes prohibuit. Socrates libro tertio, capite uigesimoquarto: Theodoret. lib. 5. cap. 20.

Valentinianus, idolorum cultum in Europa suppressit. Theodoretus libro quinto, capite uigesimo. Et Valentinianus unà cum Valente, ne quis artem magicam disceret, interdixit, l. Culpa similis. Cod. de maleficis & mathematicis. Tandem autem Deus Theodosium, ut alterum Iosiam excitauit, qui ab Ambrosio & alijs pijs doctoribus de officio suo admonitus, & probè instructus, funditus extirpari templa idolorum iussit. Theodoretus libro quinto, capite uigesimo.

Fecerunt & alij Christiani suum, in eo cõtra Gentilismum bello, officium, instituendo, monendo sanabiliores & imperitiores, & taxando gentiliũ errores, & demonstrando idolorum uanitates. Theodoretus libro tertio, capite quinto: Socrates libro tertio, capite secundo: Sozomenus libro quinto, capite septimo. Orando Deum, ut confundat idola, eorumq; cultores. Theodoretus libro tertio, capite nono: Sozomenus libro quinto, capite decimonono. Ac etiam destruendo idola: Socrates libro tertio, capite decimoquinto. Et fugiendo eorum templa, sacrificia, festa, ludos & alios ritus superstitiosos: ut patet ex Arnobij lib. 8 contra Gentes, & Ambrosij sermone decimoseptimo.

Postremò & Busyridem de Encratitarum hæresi fortiter contra Ethnicos egisse sub Iuliano, Sozomenus lib. quinto, capite undecimo prodidit. Et Photinum hæreticũ contra Gentes uolumina scripsisse, Platina sub Syricio testatur. Iudæos etiam Gentes execrari, quòd creaturæ potius quàm creatori inseruiant, Athanasius oratione contra gregales Sabellij monet. Imò & ipsi gentiles Imperatores, quædam legibus abrogarunt. Sic Diocletianus & Maximianus artem Mathematicam ut damnabilem interdixerunt, l. Artem geometrię. Cod. de maleficis & mathematicis.

In conflictu autem cum Ethnicis hoc egerunt, ut argumenta ab antiquitate & ab utilitate Ethnicæ superstitionis dissoluerent. De antiquitate Arnobius lib. octauo respondet, quod non possit gentilium religio esse antiquissima: cum demonstrari possit, omnes eorum Deos homines fuisse, & mortuos esse. Ac eleganter inquit inter cætera: Non debet antiquitas imperitorum, fabellis suis delectata, uel capta, ad errorem mutui rapere consensus, cum philosophorum suorum sententijs refellatur, quibus & rationis & uetustatis assistit autoritas. Et libro secundo demonstrat, Deos gentilium non fuisse ante duo millia annorũ: siquidẽ à Ioue usq; ad hęc tempora non plures quàm tot numerari possint anni.

Prudentius uerò in libro posteriori contra Symmachũ, his contra antiquitatis obiectionem utitur rationibus. Prima, quòd nõ omnes antiquæ consuetudines obseruandę sint, & quòd in melius eas liceat mutare, idque probat exemplis tum sacrorum mutatorum, tum aliarum consuetudinum. Secunda, quòd sicut in homine sint discrimina ætatis, ita etiam in mundo: & iam adesse tempus, ut homines diuina sapiant. Tertia, quòd extet in antiquis exemplum nobile libris,

Iam tunc diluuij sub tempore, uel prius, uni
Inseruisse Deo gentem, quæ prima recentes
Incoluit terras, uacuoq; habitauit in orbe.

Quæ-

Quarta, quòd olim Romani non coluerint multos Deos, sed raris sacellis contenti, paucas posuerint in collibus aras.

Innumeros pòst deinde Deos (inquit) uirtute subactis
Vrbibus, ex claris peperit sibi Roma triumphis:
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera uictoris, simulachra hostilia cæpit,
Et captiua domum uenerans ceu numina uexit.

Et Ambrosius in epistola ad Theodosium & Valentinianum inquit: Non annorum canicies est laudanda, sed morum: nullus pudor est, ad meliora transire.

De utilitate, quòd religio Ethnica seruarit & ampliarit Romanum imperium, respondet Arnobius libro octauo prolixè: Non religione, sed iniusticia Romanos cœpisse suũ regnum. Et non ideo tantos esse factos, quòd religiosi essent: sed quòd impunè sacrilegi. nec potuisse Deos illos peregrinos Romanos iuuare, cum contra eos arma cœperint, & cum dij illi suos non potuerint contra Romanos tutari. Ac longa historiarum serie demonstrat, auguria obseruantes & Deos colentes, infelices euentus esse sortitos: & ecõtrà Deos & auguria & oracula spernẽtes, fortuna secunda usos esse. Et affirmat Deos gentilium esse diabolos, eosq; impotentes & fallaces, ideo non posse eos suis cultoribus opem ferre. Ambrosius libro quinto, epistola trigesimaprima ad Valentinianum: Hæc sacra, inquit, Hannibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerũt. Itaq; dum sacrorũ potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo Hannibal diu sacris insultauit Romanis, & dijs contra se dimicantibus usq; ad muros urbis uincẽdo peruenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus deorum suorum arma pugnabant? Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolij secreta penetrantes Romanę reliquiæ non tulissent, nisi eos pauido anser strepitu prodidisset. En quales templa Romana prędules habent. Vbi tunc erat Iupiter? An in anſere loquebatur? Verùm quid negẽ sacrorum ritus militasse Romanis. Sed etiam Hannibal eosdem Deos colebat. Vtrum uolunt igitur, eligant. Si in Romanis uicerunt sacra, in Carthaginẽsibus ergo superata sunt: si in Carthaginensibus triumphata, nec Romanis utiq; profuerunt.

Prudentius etiam in libro posteriori contra Symmachum monet, Deos gentiles, cum suos à quibus colebantur non potuerint seruare, neq; Romam seruasse, aut imperium eius ampliasse. & postea Deum probat esse imperij Romani autorem, qui cunctos populos uoluit sub aduentu Messiæ in unam monarchiam coactos.

Quòd ob neglectum cultum Dij irascantur, & publicis malis & calamitatibus sese uindicent, Ambrosius libro quinto, epistola tricesimaprima negat: quia non in omnibus locis, ubi sacra abolita sint, fames & difficultas rerum fuerit. Et Prudentius libro posteriori contra Symmachum dicit, famem & alias difficultates suas ob causas accidere: & quidem eueniſſe, antequam Dij gentiliũ coli cœperint. Ac si ob abolitos sacros ritus illa accidãt, cur nõ soli Christiani ijs affligantur? Cur non idololatris parcant sui dij?

¶ Deinde sese accingunt etiã ad uanas opiniones eorum infringendas, quales suprà recensuimus. Nam assertionem eorum, quòd non possit inuestigari an sit Deus, refutat Arnobius lib. 8. & ostendit, illud opificiũ mundi, & omniũ rerum pulcherrimũ ordinẽ, manifestum esse testimonium & argumentum, Deum esse. Deinde, omnes homines in eo consentire, quòd Deus sit. Tertiò, omnes philosophos et poetas affirmare Deum esse.

Opinionem quòd plures sint dij, quàm unus, refutat Arnobius lib. 8. ubi indicat: quẽadmodũ in imperio politico unum aliquem summum esse oporteat, ita quoq; in rerum omniũ gubernatione unum tantum Deum esse oportere. Et Lactãtius ex poetis & philosophis & Sibyllis probat, unum tantũ esse Deum: lib. 1. diuinarum institutionum, capitibus quinto, sexto & septimo.

Opinionẽ quòd Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Luna, Mercurius, Iuno, Cybele, Hercules, Æsculapius, Apollo, Neptunº, Castor, Pollux, Minerua, Diana, & alij qui à gẽtibus coluntur, nõ sint dij: refutãt Arnobius, Lactantius, Athanasius, Prudentius, his rationibus: quia homines fuerint, quia multis sceleribus sese polluerint, & mortui & sepulti sint, eorum sepulchra adhuc demonstrari possint, & ab hominibus diuinos honores acceperint, & plures eiusdem nominis fuerint: & nõ sint immortales, nec omnipotentes, neq; ubiq; præsentes: & quòd suos cultores neque tutari, neque hostes suos ulcisci queant: & licet allegoricè fabulæ de dijs exponantur, tamen ad res creatas referantur.

Opinionem quòd alij superi, alij inferi, & hi uictimis furuis, illi albis delectentur, Arnobius euertit libro septimo: docens, inferorum prorsus esse cassum nomen & uacuum, neque ulla sub terris regna esse, aut domicilia Plutonia: & quamuis inferis mactent nigras uictimas, tamen carnem & ossa esse alba.

Opinionem quòd alij sint boni, alij sinistri dij, idem eleganter destruit libro eodem: eo quòd, cum Dij alij natura mali sint, non possint uel mille gregibus, uel altaribus mille immutari, ut boni fiant. Deinde si bonis, ut prosint, res diuina conficiatur: alijs autem, ne noceant, ijsdem rationibus supplicetur: sequitur, ut intelligi debeat,

debeat, nihil dexteros profuturos, si nulla acceperint bona, fieriq; ex hoc malos: malos autem si acceperint, nocendi posituros mentem, fieriq; ex hoc bonos. atq; ita perducitur res eò, ut neque hi dextri, neque illi sint læui.

Cæteras de Dijs opiniones eleganti collatione Christianorum doctrinæ infringit Arnobius lib. septimo, quam adscribimus: Age nunc summatim, quoniam sermo prolatus est & perductus in hæc loca, singularum partium oppositionibus comparemus, utrum ne uos melius rebus de superis sentiatis, an potius nos multo & honoratius opinemur, & rectius, quodq; rei diuinæ suam præstet atq; attribuat dignitatem. Ac primùm uos, Deos, quos in rerum natura uel arbitramini esse, uel creditis, quorumq; in tẽplis omnibus simulachra constituistis, & formas, profitemini esse natos, & ex masculorum fœminarumq; seminibus, conuentionum progenitos lege. At uerò nos contrà, si modò dij certi sunt, habentq; huius nominis autoritatem, potentiam, dignitatem, aut ingenitos esse censemus (hoc enim religiosum est credere) aut si habent natiuitatis exordium, Dei summi est scire, quibus eos rationibus fecerit: aut secula quanta sint, ex quo eis attribuit perpetuitatem sui numinis inchoare. Vos habere sexus Deos, aliosq; ex his mares, fœminini generis alios esse censetis: nos potentias cœlestes discretas esse sexibus abnegamus: quoniam discrimen huiusmodi terrenis animantibus datũ est, quas coire, quas generare autor uoluit rerũ, substituendis per libidinem prolibus. Vos hominum similitudinem gerere, & mortaliũ uultibus existimatis esse formatos: nos effigiemur remur submotas esse ab his longè, quoniam forma mortalis est corporis: & si fortè est ulla, comprehendere neminem posse indubitabili asseueratione iuramus. A' uobis artificia singuli opificum more habere perhibentur: ridemus, cum audimus nos ista. quoniã Dijs artes necessarias non ducimus, arbitramurq; nõ esse, quas constat & liquidum est paupertatis ad subsidium comparatas esse. Discordiarum alios ex his uos, alios dicitis qui pestilentias irrogent, alios qui amores, qui furias: alios uerò qui præsint bellis, & sanguinis effusione lætentur. At uerò nos contrà, ab ingenijs numinum iudicamus esse disiuncta: aut si sunt qui hæc mala miserrimis inferant subijciantque mortalibus, ab deorum contendimus procul esse natura, nec sub huius nominis prædicatione ponendos. Irasci & perturbari uos numina, cæterisq; animorum affectibus mancipata esse, atque obnoxia iudicatis: nos huiusmodi motus alienos existimamus ab his esse, sunt enim ferocium generum, & mortalitati subeuntium functiones. Vos pecorum sanguine, uos cędibus & mactationibus hostiarum gaudere, lætari, & in gratiam cum hominibus remissis offensionibus redire opinamini: nos amorem sanguinis nullum esse in cœlitibus ducimus: nec esse tam duros, ut miserorum animantium cęde saturatas abijciant iras. Vos mero, uos thure, honorem arbitramini dijs addi, & eorum augescere dignitates. nos monstrum & prodigium iudicamus, quòd quisquam hominum credit, aut augustiorem fieri Deum fumo: aut ex roribus exiguis uini, ipsum sibi ab hominibus ducere satis sanctè atq; honorificè supplicatum. Vos æris tinnitibus & tibiarum sonis, uos equorum curriculis, & theatralibus ludis persuasum habetis Deos delectari & affici, iras q; aliquando conceptas eorum satisfactione molliri. nos inconueniens ducimus, quinimò incredibile iudicamus, eos qui gradibus mille genus omne uirtutum perfectionis transierint summitate, in uoluptatibus habere, atque in delicijs res eas quas homo sapiens rideat, & quæ non alijs uideantur continere aliquid gratiæ, quàm infantibus paruulis, & triuialiter & populariter institutis. Hæc cum ita se habeant, cumq; sit opinionum tanta nostrarum ueſtrarumq; diuersitas: ubi aut nos impij, aut uos pij, cum ex partium sensibus pietatis debeat atque impietatis ratio ponderari? Non enim, simulachrum qui aliquod sibi conficit, quod pro Deo ueneretur: aut qui pecus trucidat innoxium, sacrisq; incendit altaribus, is habendus est rebus deditus esse diuinis. Opinio religionem facit, & recta de dijs mens, ut nihil eos existimes contra decus præsumptæ sublimitatis appetere. Cum enim cuncta quæ his dantur, sub oculis hic nostris uideamus absumi, quid ad eos aliud ab nobis dicendum est peruenire, nisi opiniones dijs dignas, & eorum conuenientissimas nomini? Hæc sunt dona certissima, sacrificia hæc uera. nam pulticulæ, thura cum carnibus, rapacium alimenta sunt ignium, & parentalibus coniunctissima mortuorum.

Opinionem Epicuri, quòd Deus res humanas non curet, refutat Lactantius libro de ira Dei, capite decimo: Quia si Deus sit, necesse sit eum esse prouidentem, ita ut teneat præterita, & sciat præsentia, & præsciat futura.

Opinionem de atomorum conglobatione ad mundi et rerum omnium compositionem, refellit capite undecimo: Quia si una esset omnibus eademque natura, non possent res effici diuersæ tanta uarietate, ut in mundo uidemus. Item, non possent conseruari certæ species.

Opinio-

Opinionem quòd dæmones sint dij, Arnobius libro octauo, eo refutat, quòd à Christianis adiurati per Deum uerum & solum, inuiti miseris corporibus inhorrescant, & uel exiliant statim, uel euanescant gradatim, prout fides patientis adiuuet, aut gratia curantis aspiret. Constantinus etiam in epistola sua ad Orientales prouincias, quam Eusebius de uita Constantini libro secundo recitat, indicat, Apollinem respondisse, se impediri per eos qui iusti essent in terra, quo minus uera proferret. & haud obscurè inde colligit, dæmonem illum non esse Deum.

Contra opiniones de iustificatione seu salute per bona opera siue sua siue aliorum acquirenda, Arnobius libro secundo inquit: Blandimenta hæc cassa sunt, & inanium fomenta uotorum. Seruare animas alius, nisi Deus omnipotens, non potest: nec præterea quisquam est, qui longæuas facere perpetuitates possit, & spiritum subrogare, nisi qui immortalis & perpetuus solus est, et nullius temporis circumscriptione finitus. Cum enim dij omnes, uel quicunq; sunt ueri, uel qui esse rumore atq; opinione dicuntur, immortales & perpetui uoluntate eius sint, & beneficij munere: quî fieri potest, ut alij præstare uel quod ipsi sunt ualeant, cùm alienum id habeant, & maioris potentiæ cõmodatum? Cędat licet hostias quantas libet Etruria, humana sibi omnia sapientes negent, Magi cunctas emolliant & commulceant potestates: nisi à Domino rerum datum fuerit animis id quod ratio postulat, idque per mandatum, multum postea pœnitebit fuisse irrisui, cum ad sensum cœperit interitionis accedi. Et paulo pòst: Christianus ergo ni fuero, spem salutis habere non potero? Ita est, ut ipse proponis. Partes enim salutis dandæ, conferendæq; animis, quod tribui conuenit, necessariumq; est applicari, solus à Deo patre iniunctum habet, & traditũ, ita se habentibus semotis atque interioribus causis. Vt enim dij certi, certas apud uos habent tutelas, licentias, potestates, neque eorum ab aliquo id quod eius non sit potestatis ac licentiæ postulatis: ita unius pontificis CHRISTI est, dare animis salutem, & spiritum perpetuitatis apponere. Si enim patrem creditis Liberum dare posse uindemiã, medicinam non posse: si Cererem fruges, si Æsculapium sanitatem, si Neptunum aliud, aliud posse Iunonẽ, Fortunam, Mercurium, Vulcanũ, rerum esse singulos certarũ ac singularũ datores; & hoc necesse à nobis est ut debeatis accipere, à nullo animas posse uim uitæ atque incolumitatis accipere, nisi ab eo quem Rex summus huic muneri officioque præfecit. Hanc omnipotens Imperator esse uoluit salutis uiã, hanc uitæ, ut ita dixerim, ianuã, per hunc solũ est ingressus ad lucem: neq; aliàs datũ est uel irrepere, uel inuadere, cæteris omnibus clausis, atq; inexpugnabili arce munitis. Licet ergo tu purus, & ab omni fueris uitiorũ contaminatione purgatus, cõciliaueris illas, atq; inflexeris potestates, ne ad cœlum redeunti uias claudant, atque obsepiant transitum: ad immortalitatis accedere nullis poteris cõtentionibus præmium, nisi, quod ipsam immortalitatem facit, Christo attribuente perceperis, & ueram fueris admissus ad uitam.

Opinionem de sacrificijs, quòd ijs colantur & propitij reddantur Dij, refutat Lactantius libro sexto, capite primo: quia Deus nõ indigeat terrenis operibus. & Arnobius lib. septimo: quia uniuersi animorum affectus dijs ignoti sint, ideo consentaneum esse, Deos nunquam irasci, præsertim cùm ira sit ferarum & brutorum, & cum afferat dolorem animi, & passiones, quæ in diuinam naturam nullo modo competant. Item, si Dij irascantur, non sciri certum, quòd sacrificijs placandi sint: cum nunquam ab ijs constitutum aut sancitum sit, quod eo modo irati reconciliari debeant. Et postea docet, Deum iratum sine ullis præmijs, nullisque mercedibus, iras atque animos ponere, & peccatorib. delicta donare. Hoc enim esse proprium numinũ, liberales uenias & concessiones habere gratuitas. Monet etiam, eam opinionem esse moribus hominũ pernicioſam. crescere enim multitudinem peccantium, si redimendi peccati spes detur: & facilè iri ad culpas, ubi uenalis sit ignoscentium gratia.

Etiã illã opinionẽ refellit, q, dij sacrificijs fiant auctiores, Arnobius libro eodem: quia prorsus sit cõtumelioſum in diuinã naturã, eam ab homine per sacrificia augeri: indeq; sequatur, Deum homine inferiorem esse.

Opinionem deos per simulachra coli & adorari, similiter uanam esse Arnobius lib. 6 ostendit. Nam nihil iniurioſius aut durius esse, quàm Deum alterum scire, & rei alteri supplicare: opem sperare de numine, & ad effigiẽ nullius sensus deprecari. Deinde nihil diuini inesse simulachris, ex eo probat, q, ab hominib. fiãt: & q, sub ijs reperiãtur stelliones, sorices, mures, blattæ lucifugæ, & omnis generis spurcitię & semiroſæ panis duricies, ossa, panni, lanugines, chartulæ.

Contra opinionem quòd dedicatio sacra in simulachra inferat eos qui ibi adorentur, inquit: Nõ improba, neq; aspernabilis ratio, qua possit quiuis tardus, necnõ & prudẽtiſſimus credere, deos relictis sedib. ,pprijs (id est cœlo) nõ recusare, nec fugere habitacula inire terrena, quinimò iure dedicationis immulsos simulachrorum coalescere iunctioni.

In gy-

In gypso ergo manſitant, atq; in teſtulis dij ueſtri? quinimo teſtularum & gypſi, mẽtes, ſpiritus, atq; animæ dij ſunt? atq; ut fieri auguſtiores uiliſsimæ res poſsint, concludi ſe patiuntur, & in ſedis obſcuræ coercitione latitare? Ergo illud à uobis parte in hac primùm deſideramus & poſtulamus audire, inuiti ne hoc faciunt, id eſt iure dedicationis attracti ſimulachrorũ ineunt manſiones? an proni & faciles, neq; ullis neceſsitatibus irrogati? Si inuiti hoc faciunt, & quî fieri pote eſt, ut in aliquam neceſsitatem imminuta maieſtate cogantur uoluntarię obſecutionis aſſenſu? Et quid in teſtulis dij petunt, ut eas ſedibus ſidereis anteponant? Vincti omnes, & propemodum colligati, nobilitent teſtulas, & cætera quibus ſigna confiunt? Quid ergo, in materijs talib. ſemper ne dij manſitãt, neq; abeunt uſpiam, etiamſi res poſtulauerit maxima? an habent itus liberos, cum libuerit abire quocunq;, & ab ſuis ſedibus ſimulachriſq; diſcedere? Si permanendi neceſsitatem patiuntur, quid miſerius his eſſe, aut quid infelicius poterit, quàm ſi eos in baſibus ita unci retinẽt, & plumbeę uinctiones? Sed concedamus, ut cœlo & ſidereis ſedibus anteponant, diuinitatis ſuæ perdiderint poteſtatem. Sin autem cum uoluerint euolant, & abſolutum ius habent, inania relinquere ſimulachra: ergo aliquo tempore deſinent eſſe dij ſigna, & in dubio ſtabit quando ſacra debeant reddi, quando his conueniat atque oporteat abſtinere. Sæpenumerò uidemus ab artificibus hæc ſigna modò paruula fieri, & palmarem in minutiem contrahi: modò in immenſum tolli, & admirabilem in amplitudinem ſubleuari. Ratione hac ergo ſequitur, ut intelligere debeamus in ſigilliolis paruulis contrahere ſe deos, & alieni ad corporis ſimilitudinem coarctari: aut uerò in uaſtis porrigere ſe longius, atq; in maximitate producere. Ergo ſi hoc ita eſt, & in ſedentibus ſignis deum ſedere dicendum eſt, & in ſtantibus ſtare, in procurrentibus currere, iaculârier in iacientibus tela, ad illorum formare atq; aptare ſe uultus, & ad reliquos habitus figurati corporis ſimilitudinem commodare: in ſimulachris dij habitant, ſingulinę in ſingulis? toti, an partiliter, atq; in mẽbra diuiſi? Nam neq; unus Deus in compluribus potis eſt uno tempore ineſſe ſimulachris, neq; rurſus in partes ſectione interueniente diuiſus. Conſtituamus enim decem millia ſimulachrorum toto eſſe in orbe Vulcani: nunquid eſſe (ut dixi) decem omnib. in millibus potis eſt unus, uno in tempore? Non opinor. qua cauſa? quia quę ſunt priuata, ſingulariaq; natura, multa fieri nequeũt, ſimplicitatis ſuæ integritate ſeruata: & hoc amplius nequeunt, ſi hominum formas dij habẽt, opinatio ut ueſtra declarat. neq; enim manus à capite ſeparata, aut pes diuiſus à corpore, ſummam poſſunt præſtare totius: aut dicendũ eſt, portiones idem poſſe quod totum, cum conſiſtere nequeat, niſi fuerit partium congregatione conflatum. Si autem in cunctis idem eſſe dicetur, perit omnis ratio atq; integritas ueritati, ſi hoc fuerit ſumptum, poſſe unum in omnibus uno tempore permanere: aut deorum eſt unuſquiſq; dicendus, ita ipſumſemet ab ipſo ſe ipſe diuidere, ut & ipſe ſit, & alter, non aliquo diſcrimine ſeparatus, ſed ipſe idem & alius. Quod quoniam recuſat & reſpuit aſpernaturq; natura, aut innumeros dicendum eſt, confitendumq; eſſe Vulcanos, ſi in cunctis uolumus eum degere atq; ineſſe ſimulachris: aut erit in nullo, quia eſſe diuiſus natura prohibetur in plurimis. Et tamen, ô iſti, ſi apertum uobis & liquidum eſt, in ſignorum uiſceribus deos uiuere, atque habitare cœlites, cur eos ſub ualidiſsimis clauibus, ingentibusq; claſtris, ſub repagulis, peſſulis, alijsq; huiuſmodi rebus cuſtoditis, conſeruatis, atq; habetis incluſos: ac ne fortè fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, ædituis mille protegitis, et excubitoribus mille? Cur canes in Capitolijs paſcitis? cur anſeribus uictum, alimoniamq; præbetis? Quinimo ſi fiditis, Deos iſtic eſſe, nec ab ſignis uſpiam, ſimulachriſq; diſcedere: permittite illis curam ſui, reſerata ſint ſemper atq; aperta delubra: ac ſi quid à quopiam temeraria fuerit fraude ſubreptũ, uim numinis monſtrent, & ſub ipſo furti atque operis nomine ſacrilegos pœnis conuenientibus figant. Indigna enim res eſt, & potentiam deſtruens, autoritatemq; ſummorum, cuſtodiam numinum canum ſolicitudinibus credere: & cum aliquâ quæras prohibendis formidinem furibus, non ab ipſis petere, ſed in anſerũ ponere & collocare gingritibus. Arnobius lib. 6. contra Gentiles.

¶ Tertiò criminationes etiã, quibus Chriſtianiſmum infeſtabant Gentiles, firmis fundamentis & demonſtrationibus infringebant, & diluebant. Nam ad uulgarem illam obiectionem, quòd Chriſtianorum religio nouella eſſet, & ante annos quadringentos non fuiſſet, reſpondet Arnobius libro ſecundo inter alia: Religionis autoritas nõ eſt tempore æſtimanda, ſed numine: nec colere quadie, ſed quid cœperis, intueri conuenit. Et poſtea: Niſi moleſtũ eſt, dicite, omnipotens & primus Deus nouella uobis uidetur res eſſe: & qui eum uenerãtes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atq; inducere religiones? Eſt ne illo antiquius quicquã? aut quod eum præcedat re, tempore, nomine, poteſt aliquid inueniri? Nonne ſolus ingenitus, immortalis, & perpetuus ſolus eſt? Quis

Quis caput aut fons rerum est? non ipse? Cui debet æternitas hoc ipsum, quod nuncupatur æternitas? non ipsi? Infinita ut prodeãt secula, non ex eius perpetuitate perficitur: indubitabile istud, & uerum. Non ergo quod sequimur nouum est: sed nos serò addidicimus, quid nam sequi oporteat, & colere: aut ubi nam conuenire, & spem salutis affigere, & salutaria subsidia collocare. Nondum enim affulserat, qui uiam monstraret errantibus, & caligine in altissima constitutis cognitionis lumẽ immitteret, & ignorationis discuteret cæcitatem.

Contra criminationem quòd Christiana religio esset falsa, pugnat Lactantius libro quinto, capite decimotertio: & probat eam ueram esse sapientiam, eo quòd faciat, ut homo hominẽ diligat, eiq; benefaciat: & quòd ei tanquam uero bono omnes inuideant: & quòd subinde plures accedant, etiam in ipsis afflictionibus: & quòd in eius professione plurimi uitam profundant: & quod ij qui fortè cruciatuum dolore uicti sacrificarint, postea per pœnitentiam ad eam reuertantur. Et libro quinto diuinarum institutionum, capite uigesimo, eleganti comparatione gentilismi & Christianismi demonstrat, in illo omnia uana & incerta, falsa & inutilia esse: in hoc uerò omnia firma, uera & certa. Verba eius hæc sunt: Nihil ibi ad uitam, nihil ad sapientiã, nihil ad fidem discitur. Quæ enim est superstitio illorum deorum? quæ uis? quæ disciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ substantia? quò tendit? aut quid pollicetur, ut ab homine possit fideliter seruari, fortiterq; defendi? In qua nihil aliud uideo, quàm ritum ad solos digitos pertinentem. Nostra uerò religio eo firma est, & solida, & immutabilis: quia iusticiam docet, quia nobiscum semper est, quia tota in animo colentis est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Illic nihil exigitur aliud quàm sanguis pecudum, & fumus, & inepta libatio: hic bona mens, hic purum pectus, innocens uita. Illuc ueniunt sine delectu adulteræ impudicæ, lenæ procaces, & obscœnæ meretrices: ueniunt gladiatores, latrones, fures, uenefici: & precantur nihil aliud, quàm ut scelera impunè committant. Quid enim latro sacrificans, aut gladiator roget, nisi ut occidat? Quid fœnerarius, nisi ut fallat? Quid meretrix, nisi ut plurimùm peccet? Quid adultera, nisi ut mortem uiri optet, aut ut sua impudicitia celetur? Quid lena, nisi ut multos bonis exuat? Quid fur, nisi ut plura compilet? Hic uerò etiam leui communiq; peccato locus nullus est. Et si quis ad sacrificium non integra conscientia uenerit, audit quæ illi Deus comminetur: ille qui latebras cordis uidet, qui peccatis semper infestus est, & exigit iusticiam, qui fidem poscit. Quis huic malæ menti, aut malæ preci locus est? At illi infœlices, nec ex sceleribus suis intelligunt, quàm malum sit quod colunt: quandoquidem flagitijs omnibus inquinati ueniunt ad precandum: & se piè sacrificare opinantur, si cutem lauerint: tanquam libidinem intrà pectus inclusam ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent. Quanto satius est, mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus sordidatur: & uno uirtutis ac fidei lauacro uniuersa uitia depellere? Quod qui fecerit, quamlibet inquinatum ac sordidum corpus gerat, satis purus est.

Criminationem illam, quòd CHRISTVS non possit esse Deus, cùm sit homo natus, & patibulo affixus interierit, Arnobius libro primo refellit: et probat ex eius rebus gestis, quòd uerus sit Deus: ac eum sua uirtute, & non arte magica edidisse miracula, ex eo demonstrat, quòd nullus unquã extiterit Magus, qui similia solo uerbo, ut Christus, fecisset. ac indicat, qualitatem & deformitatẽ mortis eius, dicta aut facta non immutare: ac retorquet criminationem in Gentiles, quòd & ipsi Deos colãt, qui interfecti & membratim discerpti sint: ut Liberum patrem, Herculem, & alios. Hieronymus etiam in primum caput ad Romanos, contra Gentilium calumniam, quòd infamia sit dicere Saluatorem hominem factum, crucifixũ esse, inquit: Imò si nõ pudet uos affirmare, Iouem in animalia mutatũ irrationabilia & insensibilia, propter inanem libidinẽ: multo minus nos pudere debet, ut hæc affirmemus de Christo. Nam in illo est horrendum dedecus, in hoc admiranda pietas. Et Socrates lib. tertio, capite uigesimotertio, contra Porphyriũ & Iulianum & Libanium inquit: Quomodo homo in Christo Deus prædicetur, & quomodo manifestè quidem fuerit homo, occultè uerò Deus, & quomodo utraq; uera sint, diuini quidem Christianorum libri norunt: gentiles uerò antequam credant, intelligere non possunt.

Ad quæstionem autem, cur Christus non prius sit exhibitus, quàm illo tẽpore, respondet Arnobius lib. 2: Ratio & hîc fuit, cur non nuper, sed hodie sospitator generis aduenit. Quæ nam igitur ratio? Non imus inficias, nescire nos. Neq; enim promptum est cuiquam, Dei mentem uidere: aut quibus modis ordinauerit res suas, homo animal cæcũ, & ipsum se nescius, ullis potest rationibus cõsequi. Quid oporteat fieri, quãdo uel quo genere, ipse rerum cunctarũ pater, moderator & Dominus scit solus. Nec si ego nequiuero causas uobis expromere, cur aliquid fiat illo uel hoc modo, continuò sequitur, ut

infecta fiant quæ facta sunt: & amittat res fidem, quæ generibus uirtutum tantis, & potestatum, indubitabilis esse monstrata est. Tu opponas & referas, cur tam serò emissus est sospitator? In infinitis perpetuis seculis nihil omnino dicẽdum est serum. Vbi enim finis & initium nullum est, nihil præmaturum est, nihil tardũ: tempus enim à finibus & extremitatibus noscitur, quæ habere nõ potest series & immoderata continuatio seculorum. Quid enim si res ipsæ, quibus opem conueniebat ferri, opportunitatem istã temporis exigebant? Quid si alterius conditionis antiqua, alterius fuere sequẽtia? Quid si priscis aliter subueniri, aliter debuit posterioribus consuli? Nonne literas auditis commemorantes uestras, fuisse homines olim semideos, Heroas, cum immanibus corporibus atq; uastis? Non infantes sub uberibus matrum Stentoreos legitis edidisse uagitus, quorum ossa uarijs in regionibus eruta, uix repertoribus fecerunt fidem, humanorum reliquias esse membrorum? Potest ergo fieri, ut tum demum emiserit Christũ Deus omni potẽs, Deus solus, postq̃ gens hominũ fracti or & infirmior cœpit nostra esse natura. si quod hodie factum est, ante millia fieri potuisset annorũ, fecisset istud Rex summus: aut si post totidem millia id quod hodie factum est, debuisset impleri, nihil Deum cogebat necessarias temporum non expectare mensuras. Rationibus fixis peraguntur res eius: & quod semel decretũ est fieri, nulla potest nouitate mutari.

Ad criminationes, quòd Christiani caput asini, & uirilia sacerdotis & hominem colãt, Arnobius respondet libro octauo: Quis tam stultus ut hoc colat? quis stultior, ut hoc coli credat? nisi quòd uos & totos asinos in stabulis cum uestra Hippona cõsecratis, & eosdem asinos cum Iside religiose deuoratis: itẽ boum capita, & capita ueruecum, & immolatis, & colitis: de capro etiã & homine mixtos deos, & leonũ & canũ uultu deos dedicatis. Nonne et Apim bouem cum Ægyptijs adoratis & pascitis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodilis, beluis cæteris, & auibus & piscibus: quorum aliquem deũm si quis occiderit, etiã capite punitur. Iidẽ Ægyptij cum pleriſq; uobis nõ magis Isidem, quàm cæparũ acrimonias metuunt: nec Serapidẽ magis, quàm strepitus per pudẽda corporis expressos extremiscũt. Etiã ille q̃ de adoratis sacerdotis uirilibus ad uersum nos fabulatur, tentat in nos cõferre quæ sua sunt. Ista enim impudicitiæ eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia uocatur urbanitas, qui scortorũ licentię inuident, qui medios uiros lambũt, libidinoso ore inguinibus inhæresc unt: homines malæ linguæ, etiamsi tacerent: quos prius tædescit impudicitiæ suæ, quàm pudescit. Proh nefas, id in se pessimi facinoris admittunt, quod nec ætas potest pati mollior, nec cogi seruitus durior. Hæc & huiusmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere est. Ea enim de castis fingitis & pudicis, quæ fieri non credemus, nisi de uobis probaretis. Nam quod religioni nostræ hominem noxium, & crucem eius adscribitis, longe de uicinia ueritatis erratis, qui putatis Deum credi, aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum. Næ ille miserabilis, cuius in homine mortali spes omnis innititur: totum enim eius auxiliũ cum extincto homine finitur. Ægyptij sanè hominem sibi, quem colant, eligunt: illum unum propitiant, illum de omnibus cõsulunt, illi uictimas cædunt: & ille qui cæteris Deus, sibi certe homo est, uelit nolit. nec enim conscientiam suam decipit, si fallit alienam. Etiam principibus & regibus, non ut magnis & electis uiris (sicut fas est) sed ut deis turpiter adulatio falsa blanditur, cum & præclaro uiro honor uerius, & optimo amor dulcius præbeatur. Sic eorum numen inuocant, ad imagines supplicant: genium, id est dæmonem eius implorant, & est eis tutius per Iouis genium peierare, quàm regis.

Contra calumniam quòd cruces colant, Arnobius libro octauo inquit: Cruces etiam nec colimus, nec optamus. Vos platanè qui ligneos Deos consecratis, cruces lignеas, ut deorum uestrorum partes, forsitan adoratis. Nam & signa ipsa, & cantabra, & uexilla castrorum, quid aliud quàm inauratæ cruces sunt, & ornatæ? trophæa uestra uictricia non tãtum simplicis crucis faciem, uerùm & affixi hominis imitantur. Signum sanè crucis naturaliter uisimus in naui, cum uelis tumentibus uehitur, cum expansis palmulis labitur: & cum erigitur iugum: crucis signum est: et cum homo porrectis manibus Deum pura mente ueneratur. ita signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut uestra religio formatur.

Contra illud quòd Christiani de cæde infantis & sanguine initientur, idem libro eodem ait: Putas posse fieri, ut tam molle, tam paruulum corpus fata uulnerum capiat, ut quisquam illum rudem sanguinem nouelli, & uixdum hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui posit audere. Vos enim uideo procreatos filios nunc feris & auibus exponere, nunc adstrãgutos misero mortis genere elidere: sunt quę in ipsis uiscerib. medicaminibus epotis originẽ futuri hominis extinguãt, & parricidium

ciditum faciant antequam pariant. Et hæc utiq; de deorum ueſtrorum diſciplina deſcendunt. Nam Saturnus filios ſuos non expoſuit, ſed uorauit. Meritò ei in nonnullis Africę partibus à parentibus infantes immolabantur, blanditijs & oſculo comprimente uagitum, ne flebilis hoſtia immoletur. Tauris etiam Ponticis, & Ægyptio Buſiridi ritus fuit hoſpites immolare: & Mercurio Gallos, humanas uel inhumanas uictimas cædere. Romani græcum & græcam, gallum & gallam, ſacrifici uiuentes obruere: hodieque ab ipſis Latialis Iupiter homicidio colitur: & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxij hominis ſanguine ſaginatur. Ipſum credo docuiſſe ſanguinis fœdere coniurare Catilinam, & Bellonam ſeruum ſuum hauſtu humani cruoris imbuere: & comitialem morbum hominis ſanguine, id eſt, morbo grauiore ſanare. Non diſſimiles, & qui de arena feras deuorãt, illitas & infectas cruore, uel membris hominis & uiſcere ſagi natas. Nobis homicidium nec uidere fas, nec audire: tantũq; ab humano ſanguine cauemus, ut nec eduliũ pecorũ in cibis ſanguinem nouerimus.

De incæſto conuiuio, idem eodem libro inquit: Fabulam grandem aduerſum nos dæmonum concio mentita eſt, ut gloriam pudicitiæ deformis infamiæ auerſione macularet: ut ante exploratam ueritatem, homines à nobis terrore infandæ opinionis auerteret. Sic de iſto & tuus Fronto, non ut affirmator teſtimonium fecit, ſed cõuicium ut orator aſperſit. Hæc enim potius de ueſtris gentibus nata ſunt. Ius eſt apud Perſas, miſceri cum matribus: Aegyptijs & Athenis cum ſororibus ſunt legitima connubia. Memoriæ & Tragœdię ueſtræ incæſtis glorian tur, quas uos libenter & legitis & auditis. Sic & deos colitis inceſtos, cum matre, cum filia, cum ſorore coniunctos. Meritò igitur incæſtũ penes uos ſæpe deprehenditur, ſem per admittitur: etiã neſciẽtes miſeri poteſtis in illicita proruere, dum Venerẽ proniſcuè ſpargitis, dũ paſsim liberos feritis, dũ etiã do mi natos alienæ miſericordiæ frequẽter exponitis: neceſſe eſt in ueſtros recurrere, in filios inerrare. Sic incæſti fabulã nectitis, etiã cũ cõſcientiã nõ habetis. At nos pudorẽ nõ facie, ſed mente præſtamus: unius matrimonij uinculo libenter inhæremus: cupiditate procreandi aut unam ſcimus, aut nullam: cõ uiuia non tantum pudica colimus, ſed & ſobria. nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus: ſed grauitate hilaritatẽ temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore: pleriq; inuiolati corporis uirginitate perpetua fruũtur, potius quàm gloriãtur. Tantũ deniq; abeſt incæſti cupido, ut nõnul lis rubori ſit etiã pudica coniunctio. Nec de ultima ſtatim plebe conſiſtimus, ſi honores ueſtros & purpuras recuſamus: nec faſtidioſi ſumus, ſi omnes unum bonum ſapimus, eadem cõgregati quiete, qua ſinguli: nec in angulis garruli, ſi audire nos publicè aut erubeſcitis, aut timetis. Et quòd indies noſtri numerus augetur, nõ eſt crimen erroris, ſed teſtimonium laudis. Nam in pulchro genere uiuendi & perſtat & perſeuerat ſuus, et accreſcit alienus. Sic nos denique non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno facile dignoſcimus. Sic mutuo, quod deletis, amore diligimus, quoniã odiſſe nõ nouimus: ſic nos, quod inuidetis, fratres uocamus, ut unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei cohæredes. Vos enim nec inuicem agnoſcitis, & in mutua odia ſæuitis. nec fratres uos, niſi ſanè ad parricidium, recognoſcitis.

Contra obiectionẽ, quòd occultent quod colant, & delubra & ſimulachra non habeant, idem reſpondet eodem libro: Putatis nos occultare quod colimus, ſi delubra & aras non habemus? quod enim ſimulachrum Deo fingam, cum, ſi rectè exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulachrum? Templum quod ei extruam, cum totus hic mundus eius opere frabricatus, eum capere nõ poſsit? & cum homo latius maneam, intra unam ædiculam uim tantæ maieſtatis includam? nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente? in noſtro imò conſecrandus eſt pectore? hoſtias & uictimas Domino offeram, quas in uſum mei protulit? ut reijciam ei ſuum munus, ingratum eſt, cum ſit litabilis hoſtia, bonus animus, & pura mens, & ſyncera ſententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino ſupplicat: qui iuſticiam, Deo libat: qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum: qui hominem periculo ſurripit, opimam uictimam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt: ſic apud nos religioſior eſt ille, qui iuſtior. At enim quem colimus Deum, nec oſtendimus, nec uidemus? Imò ex hoc Deum credimus, quòd eum ſentire poſſumus, uidere non poſſumus. In operibus enim eius, & in mundi omnibus motibus uirtutem eius ſemper prę ſentem aſpicimus, cũ tonat, fulgurat, fulminat, cum ſerenat. Nec mireris, ſi Deum non uides. Vento & flatibus omnia impellũtur, uibrantur, agitantur: et ſub oculis tamen nõ uenit uentus & flatus. Solem adeò, qui uidendi omnib. cauſa eſt, uidere nõ poſſumus, radijs acies ſubmouetur, obtutus intuentis hebetatur: & ſi diutius inſpicias, omnis uiſus extinguitur. Quid ipſum ſolis artificẽ, illum luminis fontẽ poſsis ſuſtinere: cũ te ab eius fulgoribus auertas, à fulminib. abſcon-

das? Deum oculis carnalibus uis uidere, cũ ipſam animam tuam, qua uiuificaris & loqueris, nec aſpicere poſsis, nec tenere? Sed enim Deus actũ hominis ignorat: & in cœlo conſtitutus, nõ poteſt aut omnes obire, aut ſingulos noſſe? Erras ô homo, & falleris. Vnde enim Deus longè eſt, cùm omnia cœleſtia terrenaq;, & quæ extra iſtam orbis prouincia ſunt, Deo cognita plena ſint? ubiq; non tantum nobis proximus, ſed infuſus eſt. In ſolem adeò rurſus intende: cœlo affixus, ſed terris omnibus ſparſus eſt, pariter præſens ubiq; intereſt, & miſcetur omnibus: nuſquã enim claritudo uiolatur. quãto magis Deus autor omnium, ac ſpeculator omniũ, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum, tenebris intereſt: intereſt cogitationibus noſtris, quaſi alteris tenebris? Non tantum ſub illo agimus, ſed cum illo (ut propè dixerim) uiuimus. Nec nobis de noſtra frequẽtia blandiamur: multi nobis uidemur, ſed Deo admodum pauci ſumus. Nos gentes, nationesq; diſtinguimus: Deo una domus eſt mundus hic totus. Reges tantum regni ſui per officia miniſtrorum uniuerſa nouere. Deo indicijs opus nõ eſt: nõ ſolum in oculis eius, ſed & in ſinu uiuimus.

Opinionem Gentilium, quòd mundus non poſsit incendio conſumi, etiam Arnob. libro octauo contra Gentes refutat illo principio: quòd cũ omnia quæ orta & facta ſint, poſsint interire, etiam cœlum neceſſe ſit ut pereat. Et ab autoritate, quòd Stoici affirment, conſumpto humore omnem mundũ ignem concepturum: & Epicurei de conflagratione elementorum & mundi ruina eadẽ ſentiãt, & Platonem & alios philoſophos eadem ex umbra diuinarum prædictionũ prophetarum dixiſſe.

Somnium etiam illud, quòd homines nõ ſint reſurrecturi, refellit eodem libro Arnobius, ex eo quòd etiam Philoſophi aliquid ſenſerint de animarum immortalitate: & quòd cum homo potuerit primùm à Deo fingi, etiam denuò poſsit reformari: & quòd licet nobis uideantur perire corpora, tamen Deo elementorum cuſtodia reſeruetur. & quòd omnis natura meditetur futuram reſurrectionem: ſolem enim demergi & nàſci, aſtra labi & redire, flores occidere & reuiuiſcere poſt ſenium, arbuſta frondeſcere, ſemina non niſi corrupta reuireſcere.

Nugas etiam illas Gentilium, quod nullum ſit futurum iudicium, in quo pij præmia accepturi, impij uerò pœnas daturi ſint æternas, idem refutat eodem libro, ex philoſophorum libris, & carminibus poëtarum de Stygia palude, & Phlegetonte: & monet, quòd ſicut ignes fulminum corpora tangant, nec abſumant; & ignes Aetnæ montis & Veſuuij, & ardentium ubique terrarum flagrent, nec erogentur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſci, ſed inexeſa corporum laceratione nutriri.

Ad obiectionem de paupertate & miſerijs Chriſtianorum reſpondet: Quòd pleriq; pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria. Animus enim ut luxu ſoluitur, ita frugalitate firmatur. & tamen quis poteſt pauper eſſe, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives eſt? magis pauper ille eſt, qui cum multa habeat, plura deſiderat. Dicam tandem, quemadmodum ſentio: nemo tam pauper poteſt eſſe, quàm natus eſt. Aues ſine patrimonio uiuunt, & in diem paſcua paſcuntur: & hæc nobis tamen nata ſunt, quæ omnia ſi non concupiſcimus, poſsidemus. Igitur ut qui uiam terit, eo felicior quo leuior incedit: ita beatior in hoc itinere uiuendi, qui paupertate ſe ſubleuat, non ſub diuitiarum onere ſuſpirat: & tamẽ facultates, ſi utiles putaremus, à Deo poſceremus utiq;. Indulgere poſſet aliquantum, cuius eſt totum. Sed nos contemnere malumus opes, quàm cõtinere: innocentiã magis cupimus, magis patiẽtiã flagitamus: malumus nos bonos eſſe, quàm prodigos. Et quòd corporis humana uitia ſentimus & patimur, non eſt pœna, militia eſt. fortitudo enim infirmitatibus roboratur, & calamitas ſæpius diſciplina uirtutis eſt. uires deniq; et mentis et corporis ſine laboris exercitatione torpeſcũt: omnes adeò ueſtri uiri fortes, quos in exẽplũ prædicatis, ærumnis ſuis inclyti floruerunt. Itaq; & nobis Deus nec nõ poteſt ſubuenire, nec deſpicit: cum ſit & omnium rector, & amator ſuorum: ſed in aduerſis unumquemq; explorat & examinat, ingenium ſingulorũ periculis penſitat: uſq; ad extremam mortem uolũtatẽ hominis ſciſcitatur, nihil ſibi poſſe perire ſecurus. Itaq; ut aurũ ignibus, ſic nos diſcriminibus arguimur. Quàm pulchrum ſpectaculum Deo, cum Chriſtianus cum dolore cõgreditur, cum aduerſum minas & ſupplicia & tormenta componitur, cum ſtrepitũ mortis & horrorẽ carnificis irridens inculcat, cũ libertatẽ ſuã aduerſus reges & principes erigit: ſoli Deo, cuius eſt, cedit: cum triumphator & uictor, ipſi qui aduerſum ſe ſententiam dixit, inſultat. Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit. Quis non miles ſub oculis Imperatoris audacius periculũ prouocet? nemo enim præmium percipit ante experimentum: & Imperator tamen, quod non habet, non dat: nõ poteſt propagare uitã, poteſt honeſtare militiã. At enim Dei miles, nec in dolore deſeritur, nec morte finitur. Sic Chriſtianus miſer uideri poſt, nõ poteſt inueniri.

Vos

Vos ipsi calamitosos uiros fertis ad cœlum: Mutiũ Scæuolam, qui cum errasset in regẽ, perijsset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri, cremari sine ullis eiulatibus pertulerunt, cum dimitti præsertim haberẽt in sua potestate? Viros cum Mutio, uel cum Aquilio aut Regulo comparo. Pueri & mulierculæ nostræ cruces & tormenta, feras, & omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt.

¶ Rationes generales, quibus probarunt, Gentilium religionem non esse uerã, sed falsam, hæ ferè colligi possunt.

Prima: Quia in sacris literis sit prohibitus cultus idolorum: Erubescãt omnes qui adorant sculptilia, & q gloriãtur in simulachris. Theodoretus libro tertio, capite nono: Sozomenus libro quinto, capite decimonono.

Secunda: Quia multos Deos colere sit cõtra rationem. Lactantius libro quarto Institutionum diuinarum, capite tertio: & Apollinarius in libris cõtra gẽtiles philosophos. Ad Iulianum etiam, sine sacrarum scripturarum testimonio probauit: eos de Deo aliter quàm secundum rationem sentire. Sozom. libro quinto, cap. decimooctauo.

Tertia: Quia idolorum cultus ortus sit ab Ægyptijs & Babylonijs, qui eos qui in uita aliquid memorabile gesserunt, inter Deos retulerunt, illisq; statuas erexerunt, aut alioquin imagines ipsorũ in honore habuerunt: & postea ad Græcos translata est eiusmodi superstitio, & inde ad omnes nationes. Epiphanius in Anacephaleosi, Arnobius, Lactantius, Athanasius, Prudentius.

Quarta: Quia diaboli sint autores gentiliũ superstitionum, qui asciuerint sibi nomina potentum regum, & sub eorum titulis sibi deorum uendicarint honores. Lactantius libro quarto de diuinarum rerũ institutione, capite uigesimoseptimo.

Quinta: Quia uana sit religio, inuenta ab ijs qui sint *ἄνοητοι καὶ ἀνόητοι*, surdi & excordes: qui nec audierint, nec senserint diuina. Lactantius lib. 5, cap. decimoquarto. & nõ intelligant terrenis operibus Deum nõ indigere: Lactantius lib. 6, cap. 1.

Sexta: Quia non sit antiquissima religio, sed ante duo millia annorum, eo tẽpore quo Saturnus & Iupiter uixerint, inuenta. Arnobius lib. 2 contra gentes, & Prudentius libro posteriori contra Symmachum.

Septima: Quia omnes quos colãt pro dijs Gentes, demonstrari posse homines aliquando fuisse. Lactantius lib. 7, cap. 6. Arnob. lib. 4: Mortalia sunt, quæcunq; narratis: & possumus mõstrare homines fuisse, quos Deos appellatis. Athanasius contra idola: Prudentius contra Symmachum libro posteriori.

Octaua: Quia gentilium dij aliquando esse cœperũt, nec sunt immortales, nec sibi sufficiunt, nec omnipotentes. Arnobius, Athanasius, Lactantius.

Nona: Quia nomina deorum suorum Ethnici, allegorias tractantes, exponunt de rebus creatis. Arnobius libro tertio contra Gentes.

Decima: Quia nullis iusticiæ uirtutisq; præceptis erudiat, neque homines meliores reddat. Lactantius libro quarto, cap. 3. Athanasius, Eusebius, Arnobius.

Vndecima: Quia dij gentium, eorumq; religio doceat scelera. Athanasius cõtra idola. & Lactantius libro quinto, capite decimo: Nec est difficile docere, cur Deorum cultores boni & iusti esse non possint. Quomodo enim sanguine abstinebunt, qui colunt cruentos Deos, Martem atq; Bellonã? Quomodo autem parentibus parcent, qui expulsorẽ patris sui Iouẽ: aut natis ex se infantibus, qui colunt Saturnum? Quomodo pudicitiã tuebuntur, qui colunt deã nudã & adulteram, & quasi apud Deos prostitutam? quomodo se à rapinis & fraudibus abstinebũt, q Mercurij furta nouerunt, docentis non fraudis esse decipere, sed astutiæ? Quomodo libidines cohercebunt, qui Iouẽ, Herculem, Liberũ, Apollinẽ, cæterosq; uenerãtur: quorũ adulteria & stupra in mares & fœminas nõ tãtum doctis nota sunt, sed exprimuntur etiã in theatris, atq; cantantur, ut sint omnib. notiora? possunt ne inter hæc iusti esse homines, qui etiamsi natura sint boni, ab ipsis tamen dijs erudiantur ad iniusticiam?

Duodecima: Quia philosophi intellexerint falsam eam esse religionem, sed meliorẽ & ueriorem inuenire non potuerint. Lactantius lib. 4, capite tertio.

Tredecima: Quia gentiles in theatris deridеant suos deos, atq; religionẽ eorũ. Lactantius lib. 5, cap. uigesimo.

Decimaquarta: Quia fana & delubra, & statuæ, plena sint abominationibus & fraudibus. Socrates libro tertio, capite secundo: Sozomenus libro quinto, cap. septimo: & Arnobius.

Postremò: Ecclesiam & omnes pios monuerunt, ut à gentilium superstitione sese auellerent & exirent: ut patet ex Iulij Firmici libro de errore profanarum religionũ, ad Augustos. Ac Ambrosius sermone decimoseptimo mãdat, ut Christiani festa gentiliũ, ut calendas Ianuarias, & similia caueãt: quia non debeant esse socij idolorum: quia nõ sit societas luci cum tenebris, & iniusticię cum iusticia, neq; pars fideli cum infideli, & non possint duobus Dominis seruire: quia Ianus fuerit homo: & obseruãtes calẽdas, homini mortuo deferãt honores diuinos: & quia p-

hibitum sit dies obseruare: & quia sit res malæ speciei, & confirmet Gentiles in suo errore.

Deinde Imperatores pios & bonos sedulò monuerunt, ut non modò Gentilium superstitionem non iuuarent, aut fouerent: sed ut eam obnixè studerent etiam suo neruo & gladio stirpitus euellere, & abolere, ut opus diaboli, & uirus Ecclesiæ nocentissimum. Nam Iulius Firmicus Maternus in libro de errore profanarum religionũ ad Constantium & Constantem Augustos, hac de re sic scribit: Sed & uobis sacratissimi Imperatores ad uindicandum & puniendum hoc malum necessitas imponitur, & hoc uobis summi Dei lege præcipitur, ut seueritas uestra idololatriæ facinus omnifariam persequatur. Audite & commendate sanctis sensibus uestris, quid de isto facinore Deus iubeat. In Deuteronomio lex ista præscripta est. ait enim: Quòd si rogauerit te frater tuus, aut filius tuus, aut uxor tua, quæ est in sinu tuo, aut amicus tuus, qui est æqualis animæ tuę, latēter dicens, Eamus & seruiamus alijs Dijs gentium: non consenties ei, & nõ exaudies eum, & non parcat oculus tuus super eum, & non celabis eum, annuncians annunciabis de illo. Manus tua erit super eum in primis interficere eum, & manus omnis populi deinceps. Lapidabũt eũ, & morietur: quoniam quæsiuit auertere te à Domino tuo. Nec filio iubet parci, nec fratri, & per amatã coniugem gladium uindicem ducit. Amicũ quoq; sublimi seueritate persequitur, & ad discerpẽda sacrilegorũ corpora omnis populus armatur. Integris etiam ciuitatibus, si in isto fuerint facinore deprẽhensæ, decernuntur excidia. Et ut hoc prouidentia uestra manifestius discat, constitutæ legis sententiam proferam. In eodem libro, in integris ciuitatibus pœnã Dominus hac uoce cõstituit. ait enim: Aut si audieris in una ex ciuitatibus, quas Dominus Deus tuus dat tibi, inhabitare illic, dicentes, Eamus & seruiamus Dijs alijs, quos non nostis: interficiens necabis omnes qui sunt in ciuitate cæde gladij, & incendes ciuitatẽ igni, & erit sine habitatore, non ædificabitur in æternum. Et auertetur Dominus ab indignatione iræ suæ, & dabit tibi misericordiã, & miserebitur tui, & multiplicabit te, si exaudieris uocẽ Domini Dei tui, & obseruaueris præcepta eius. Misericordiæ suę uobis, sacratissimi Imperatores, Deus summus præmia pollicetur, & amplificationis maximę augmenta decernit. Facite itaq; quod iubet, cõplete quod prẽcipit. Themistius libro ad Valentem scripto, reprehendit eum, quòd cum uellet Christianus Imperator perhiberi, sexcenta dogmata gentiliũ ferret, & aduersus solam orthodoxorum sentẽtiam iniquum sese præberet. Socrates lib. 4. cap. trigesimosecundo.

Ac cum Gentiles Senatores Romani à Valentiniano per Symmachum præfectum urbis petijssent, ut aram, ad quam in curia solebant iuramenta præstare, & in medium consulere, quam Constantius destrui curauerat, suo edicto mandaret restitui: & sacerdotibus & uirginibus Vestalibus sua emolumenta et priuilegia reddi, quæ Gratianus abrogauerat: Ambrosius duabus epistolis Imperatores Valentinianum & Theodosium grauissimè monuit, ne id faceret; Quia dij gentium sint idola: & qui Deo uero militet, non possit illis simul seruire: & quia non liceat consensum aliquem colendis idolis & prophanis ceremoniarũ cultibus exhibere: & quia ab antecessoribus, & maximè à fratre eius Gratiano, priuilegia illa sint sublata, & non possint restitui bona conscientia: & quòd omnis qui id suadeat, aut statuat, idem faciat, ac si sacrificet, & quidem totum senatũ Christianorum in periculum adducat. Si enim Gentilis succedat Imperator, Senatores ad aram sacrificiaq; conuenire nolentes afflictum iri: & si concesseris, Episcopi hoc æquo animo ferre non poterunt. licebit ad Ecclesiam conuenire: sed illic non inuenies sacerdotẽ, aut inuenies resistẽtem: ea in re quoq; peccabis contra fratrem tuum, eiusq; fidem & decreta damnabis: & cõtra patrem tuum, qui si sciuisset ibi aram esse, ipse destruxisset. Huiusmodi commonefactionibus Imperatores & magistratus tandem excitati, idolorum templa & simulachra funditus delere inceperunt.

CAPVT XVI.

DE MOTIBVS ET MVTATIONIBVS IN IMPERIIS POLITICIS.

DIOCLETIANVS & Maximianus Herculius, anno Domini septimo & trecentesimo, ille Nicomediæ, hic uerò Mediolani, consultò & deliberatè imperio sese abdicarunt: (Eusebius in Chronico) palàm quidem negociorum molem & senectutem causantes: sed amicis, se id ex desperatione facere, quòd nõ possent extingere Christianorum religionem, confitentes. Nicephorus libro septimo, capite uigesimo: Zonaras tomo secundo, de imperio Diocletiani: & Chronicon Vrspergensis.

Maximinus itaque Galerius solus imperium biennio tenuit. Eusebius in Chronico. Sed quia erat Constãtius Chlorus ab Herculio Cæsar iã olim designat⁹, cũ eo prouincias

Imperij

Imperij ſorte partitus eſt: ac obtigit ei Illyricum, Aſia & Oriens: Conſtantio uerò Chloro Italia, Gallia, Hiſpania et Africa. Sed cum hic tantum Gallias, Britannias & Hiſpanias regendas ſuſciperet, Italiam uerò recuſaret, & Africam: Galerius Seuerum & Maximinum Cæſares fecit, & huic Orientem, illi Italiam commiſit, ſibi uerò Illyricum retinuit. Euſebius in Chronico: Paulus Diaconus libro undecimo: Oroſius libro ſeptimo: & Platina in Marcello. Paulò ante Conſtantini imperiũ, Sueui, Vandali & Burgundiones, à Viſtula, & ſinu Venedico, Codanoque per integrum annũ profecti, ad ripas Hiſtri Mariſiæq; conſederunt: & Franci uaſtatis Gallijs, Hiſpanias inuaſerũt. Auentinus libro ſecundo de rebus Boiorum.

Mortuo Conſtantio Chloro, Conſtantinus ex cõcubina Helena procreatus, & apud Tharſum (ut Iulius Firmicus Siculus refert libro ſecundo Matheſeon, capite quarto) genitus, ſuccedit. Maxentius uerò Herculij Maximi filius, à prætorianis militibus Romæ Auguſtus appellatur: quę res cauſam motibus præbuit. Sozomenus libro primo, capite quinto. Nam Galerius Seuerum contra Maxentium mittit. Verùm is Rauennæ, ſecundo Imperij ſui anno, Domini uerò trecenteſimo duodecimo, à Maxentio occiditur. Oroſius. Eutropius uerò ad tres Tabernas id factum eſſe indicat. In cuius locum Galerius Licinium Imperatorẽ Carnũti deſignat. Euſebius in Chronico: & Socrates lib. primo, cap. ſecundo. Maximianus Herculius cùm cognouiſſet, Romæ Maxentium filium ſuum appellatum Auguſtum, ad Imperium, quo ſe abdicarat cum Diocletiano, recipiendum, animum adiecit: eaq; ſpe Romam uenit. Vrſpergenſis in Chronico. Sed à Conſtantino Maſſilię oppreſſus, & extinctus eſt: ut ex Hugone refert Vincentius in Speculo lib. 13. cap. 2. Verùm Socrates lib. 1. cap. 2. Tarſi Ciliciæ eum uitam finiſſe ſcribit. Maximinus Oriẽtis Imperator Armenios, Romanorũ ſocios, in ſeſe irritauit, cum eos ad Gentiliſmum cogere tentaret. Niceph. libro ſeptimo, capite uigeſimooctauo. Sed poſtea Licinius & Conſtantinus contra eum bellum ſuſceperunt: & cum iam eſſet à Licinio puniẽdus, moritur, anno Imperij ſui ſexto, Domini uerò trecenteſimo decimoſeptimo. Euſebius in Chronico.

Cum autem Maxentius Romæ tyrannidem exerceret, & ciuium uxores ſtupraret, & ad Magiæ uſum grauidas mulieres diſcinderet, & infantum uiſcera perquireret (Euſebius lib. octauo, capite decimoquarto: Nicephorus libro ſeptimo, capite uigeſimoprimo) Conſtantinus contra eum arma cepit, & deuicit, (Euſebius in Chronico) anno Domini trecenteſimo decimooctauo: (Socrates libro primo, capite ſecundo) atq; ita Imperij poteſtas ad duos redijt, Conſtantinum & Licinium. Verùm & ipſi de ſumma Imperij decertarũt. ac cum Licinius aliquoties eſſet uictus, reconciliatus eſt tandem Conſtantino propter ſororẽ, ac Imperium certis conditionibus recepit. Verùm cùm nõ ſtaret pactis, denuò uictus & interfectus eſt. Euſebius libro ſecundo de uita Conſtantini: & Zonaras: & Nicephorus libro ſeptimo, capite quadrageſimoquinto. Poſt uictum Licinium, Perſæ arma ceperunt, & incurſiones in Romanum Imperium fecerunt. Nicephorus libro ſeptimo, capite quadrageſimoſeptimo. Et hi quidem poſtea Romanis denuò ſubiecti non ſunt. Bello enim petiti, ſemper ſuperiores eis fuerunt. Ac annotat Anshelmus Ryd in catalogo annorum, Perſas ab hoc tempore, nempe anno quarto Conſtantini Magni, Aſiæ imperium tenuiſſe annos trecẽtos & nouendecim.

Byzantij etiam iugum ſeruitutis excuſſerunt, & Romanis tributum péndere recuſarunt. Sed Conſtantinus, licet ſemel atq; iterum infeliciter cum ijs congreſſus repellere-tut, tamen tandem urbem eorum expugnauit. Nicephorus lib. 7. cap. 47.

Criſpus filius Conſtantini Sueuos deuicit, & tranſtulit eos trans Iſtrum in Pannonias. Vandalos, & partem horũ Burgundionas, ad Rheni Danubijq; ripas deinde diſtribuit. Auentinus lib. ſecundo de rebus Boiorum, ſub Conſtantino.

Inter ea autem quæ ſub Conſtantini Imperio acciderũt memorabilia, illud maximè eſt illuſtre, quòd Cõſtãtinopolim extruxit, eamq; alteram Romani Imperij ſedem conſtituit: atq; ita Romanã aquilam bicipitem fecit, & eam urbem nouam Romam appellauit, & Imperatricẽ omnium populorum, qui Romanum Imperium agnoſcentes, ſiue in Septentrione, ſiue in Auſtro, ſiue in Oriente, ſiue ad mare mediterraneum habitant, ab eis quæ ad Iſtrum extructæ ſunt urbibus, & ab Epidamno, quæ non longè ab Ionio ſinu ſita eſt, uſque ad Cyrenem & proximam Lybiam, per totum quod dicitur Boreale clima, & regionem Arctoam. Sozomenus libro ſecundo, capite tertio: Nicephorus libro octauo, capite quarto. anno Imperij Conſtantini uiceſimooctauo: Nicephorus ibidem. Sed Hieronymus in Chronico indicat, eam urbem dedicatam eſſe anno uigeſimoquinto Conſtantini, & Chriſti trecenteſimo trigeſimoquarto.

Tumultuabantur Gotthi & Sarmatæ: Auentinus Orientales Germanos addit libro ſecundo, eosq; in Thracias irruiſſe dicit. Sed Conſtantinꝰ Gotthos in Sarmatarũ regione

uicit, circa annum Imperij sui uicesimumseptimum, Domini uerò trecentesimum trigesimumsextũ. Orosius lib. septimo. Verùm haud ita multo pòst Sarmatę dominos suos, quos Arcaragantes uocabant, facta manu in Romanum solum expulerunt, anno Domini trecentesimo trigesimoseptimo.

Anno sequenti Callocerus in Cypro res nouas molitus opprimitur. Hieronymus in Chronico. Vt autem Imperij statum in plures diuisum accepit, ita ipse quoque uniuersum eius principatum, ueluti hæreditatem paternam filijs suis tribus distribuit: nempe Constantino, quẽ Cæsarem creauit decimo Imperij sui anno, partes Occidentales trans Alpes, nimirum Britannias, Gallias, Hispanias: Constantio uerò, quem anno uicesimo Cęsarem designauit, partes Oriẽtales, à freto Propontidis, cui interfecto Dalmatio Armenia & uicinæ regiones accesserũt: Constanti aũt, quẽ tricesimo Imperij sui anno Cæsarẽ cõstituit, partes medias, nimirum Illyricum, Noricũ, Pannonias, Mœsos, Liburnos, Dalmatas, Thraciam, Græcos, Macedoniam, Achaiam, Africam, Italiam. Auentinus libro secundo annalium Boiorũ, & Pomponius Lætus: Eusebius libro quarto de uita Constantini: Socrates libro primo, capite trigesimonono: Theodoretus lib. primo, capite trigesimoprimo. Sed Sozomenus libro secundo, capite trigesimoquarto, dicit Constãtino & Constanti Occidentem contigisse.

De ficta donatione Constantini, qua Romano pontifici Occidentis imperium donarit, suprà in capite de politia Ecclesię dictum est. Et Auentinus libro secundo de rebus Boiorum dicit, se mirari, extare tam stolidos homines qui credant, & tam imprudentes qui defendere audeãt: præcipuè cum etiam Pius secundus Pontifex maximus, uir harum rerum peritus, nugas huiusmodi ut commenta anilia, fabulamq; inanem rideat. Ac notet pius Lector, Chronica recẽtiorũ, inter quos & Anshelmus Ryd est, turpiter hallucinari, cum asserunt, Constantinum Romano episcopo ter supra Reges coronato, Romã cum Italiæ Siciliæq; regnis donasse, & cessisse. id enim ex commentitijs scriptis, cõtra omnis historiæ huius seculi consensum, absq; ulla autoritate probatorum autorum affirmant. Habitum regium Constantinus gemmis, & caput suum perpetuo diademate decorauit. Vincentius libro decimoquarto, capite primo: ex Hugone.

Imperium filiorũ Constantini, quod fuit annorũ uigintiquatuor, & mensium quinque, & dierum duodecim, autore Hieronymo in Chronico, turbulentũ etiam satis fuit. Nam Sapores rex Persarum, qui, cum Constantinus esset Nicomediæ mortuo, occasionem opportuniorem nactus, in Mesopotamiam excurrit, eamq; depopulatus, Nisibin obsidebat duobus fermè mensibus: Hieronymus in Chronico. Oritur & intestinũ bellum inter duos fratres Constantinũ & Constantem, de finib. distributi Imperij. & Constantinus natu maximus, dum accitis Francis & alijs Germanię populis, occupatis Rhetijs & Vindelicia & Norico Italiam inuadere conatur, ut natu minimi partes: apud Aquileiam, ad Alsam, à Constantis ducibus tumulentus interficitur, cõsulibus Acyndino & Proclo, anno Domini trecentesimo quadragesimotertio. Hieronymus in Chronico: Socrates libro secundo, capite quinto: Paulus Diaconus lib. undecimo. Constans autem, ubi de cæde fratris cognouit, regiones eius occupat: sed in Gallijs recuperandis maximus ei labor fuit. nam Franci inter ciuilia bella rege Theodomaro Gallias deuastarãt, & sedes ibi cæperant. Integro biennio decertat cum ijs Constãs: & tandem rex Francorũ cum matre sua gladio perit. Imperator pacẽ facit, icto cum Francis fœdere. Hieronymus in Chronico: Paulus Diaconus libro undecimo. Atq; ita occiso Constantino, Romani Imperij pars Occidentalis ad Constantẽ, Orientalis uerò ad Constantium deuenit. Sozomenus lib. tertio, cap secundo. Constantius autem cum Sapore rege Persarum octo prælia cõmisit, & Nisibis iterum obsessa est mensibus tribus, anno Imperij eius decimo, Domini uerò trecẽtesimo quinquagesimo. & in nono tandem apud Singaram, haud dubiam uictoriam militum stoliditate amisit. Post eam Nisibis tertiò obsessa, Bizabda & Amida captæ sunt, anno Imperij Constantij undecimo, Domini trecentesimo quinquagesimoprimo. Eusebius in Chronico. Constantem uerò Magnẽtius dux Rhetici & Vindelici limitis, à militibus pecunia corruptis Augustus appellatus, oppugnat: & fugientem in Hispaniã, occidi in Helenæ castro curat, anno Domini trecentesimo quinquagesimoquarto. Meminit & Athanasius in apologia ad Constantiũ, eius cædis. In ea turbatione Nepotianus Romæ arripit Imperiũ, & Vetranio (Nicephorus Britannio habet) Murſæ à Constantia Imperatoris sorore diadema accipit, iussus Magnentio repugnare. Id cum publicè profiteretur, & Constãtium per literas ad Magnentij oppressionem euocaret, Constãtius ei insignia Imperatoris misit. Nicephorus libro 9, cap. uigesimooctauo.

Cum autem Magnentius proditione Heraclidæ senatoris, populum Romanũ & Nepotianum cõcidisset, Britannio certis conditionibus de Imperij societate cum Magnentio transegit. Quia uerò Constantium contra se in expeditione esse intelligebant, mis-

sis

sis legatis rogât, ut armis positis, principem honorem obtineret, & se regni socios agnosceret. Zonaras tomo tertio, de Constantio. Verùm Constantius facta cum Persis pace, ad Europam liberãdam arma capit. In Thraciam ubi uenit, Britannio ei obuiam processit: & deposita purpura, ueniam supplex petit & impetrat (factum id anno Domini trecentesimo quinquagesimoseptimo. Athanasius tamẽ in epistola ad solitariã uitam agentes, dicit Constantiũ è medio Britannionem sustulisse) & postea ad Mursam cum Maxentio prælium cõmittit, eumq; uincit: sed magno Romani Imperij detrimento. Nam cæsa sunt tria & quinquaginta millia præstantissimorũ militũ. Anno sequẽti, cum Lugduni Magnentiꝰ uires recuperare tentaret, à Constantij copijs obsessus, sua manu sese in palatio interfecit. Athanasiꝰ in apologia ad Constantiũ dicit, Magnentiũ Iudã imitatũ, eodẽ mortis genere sibi ipsi carnificẽ factum esse.

Interea in Oriente Iudæi præsidio Romano noctu intetfecto, sese in libertatẽ uindicare moliũtur, sed à Gallo Constantij patruele delentur, anno Dómini trecentesimo quinquagesimoseptimo. Germaniæ etiam populi, Alemanni, Franci, Chamani, uiuere rapto assueti, Gallias uastant, & ditantur rapinis Romanorũ. Auentinus lib. secũdo Annalium Boiorũ. Cum iam Constantiꝰ recuperasse omnia uideretur, Syluanus dux Germaniæ inferioris, à militib. Imperator creatur: sed à Constantij copijs Agrippinę, uicesimonono die interficitur, anno Imperij Constantij decimonono, Christi trecentesimo quinquagesimonono. Eodem etiam anno Constantius patruelẽ suum Gallum, quem Cæsarem fecerat, ob suspicionẽ interfecit. Hieronymus in Chronico. Interea Germani magna ui in Galliã irruũt, & florẽtissimas urbes & antiquissimas capiũt, diripiũt, excindũt, castra hyberna æstiua expugnãt, legiones cũ auxilijs delent. Nobilitas omnis Gallorũ aut ferro in acie cecidit, aut capta ad undecim millia Germanis seruiuit. Contra hos Constantiꝰ arma cæpit: sed cum ui nihil posset, & auxilia Germanorũ Romanis necessaria esse dictitaret, actum est de pace: ad quam confirmandam fœdus intercesit. Alia manꝰ Germanorũ in Rhetias Vindelicum erupit, Italiam petitura. contra quos Constantij copiæ missæ, primò quidẽ à Germanis atteruntur, ex insidijs prorumpentibus: sed postea auctę Germanos uincunt, & ex Rhetijs in Germanias expellũt. Ammianꝰ Marcellinus lib. 15. Auentinus lib. 2 Annalium Boiorum. Germani qui Gallias occuparãt, longè lateq; ruptis limitibus grassabantur. contra eos Constantius Iulianũ Imperatorẽ creat, & emittit octauo idus Nouembris, anno Domini trecentesimo sexagesimo: qui Alemãnos apud Argentoratũ & alijs in locis uincit. Hieronymus in Chronico, & Ammianus Marcellinꝰ libro eodem. Rebus ad Rhenum nondum prorsus à Iuliano pacatis, Sueui, Quadi, Sarmatæ, Scythę, qui sunt Daci, Gotthi, Getæ, similes moribus & armis, Pannonias & Mœsias latrocinantium modo incursant. Contra eos uenit Constantius. & cũ fuga elapsi cum præda essent, insequutus Quados & Sarmatas & Sueuos in deditionẽ & societatem cogit: & seruos Sarmatas, qui dominos suos eiecerant, captos in Pannoniã Seruiam transtulit. Cum Iulianus Rhenũ apud Moguntiam ponte fabricato trausijsset, Germanos fœdus secum inire coegit. Sozom. lib. 5. cap. 1. & serui in Pannoniã translati, rebellare nituntur: uerùm à Constantio teprimuntur. Turbas rex Persarũ denuò mouet, & à Constantio reposcit Armeniã et Mesopotamiam: quas nisi cedat, bellum indicit. Marcellinus lib. 17. Ad quem reprimẽdum dum Constantius abit, Scoti & Picti Saxonum populi Britannias uastant: aduersus quos Lupicinus mittitur. Accidit & Constantinopoli insignis mutatio. nam Constantius eam urbem ingressus, proconsularem dignitatem abolet, & Honoratũ primum urbis præfectum constituit. Nicephorus lib. 9. cap. 44. Et Saracenorum tumultuantiũ circa annum Domini trecentesimũ sexagesimum secundum, Hieronymus in Chronico meminit.

Cum iam Gallias à Germanis Iulianus liberasset, à militib. appellatur Augustus. Sed declinandæ suspicionis causa id ad Constantium perscribit, & rogat ut eam dignitatem sibi confirmet, se ipsi non aliter quàm antea cum Cęsar esset obtemperaturũ. Verùm cum Constãtius per literas cum eo expostulasset, quòd suam sententiam non expectasset: ac ei turpe esse ostendisset, quòd Augusti titulum non ab eo cuius esset autoritas, sed à confuso militum tumultu accepisset, & suasisset ut ad pristinum habitum à se traditum reueteretur: & Quæstori mandasset, ut illis qui magistratũ gererent, abrogaret, & alios surrogaret, propterea quòd Iulianum Augustum appellari cõcesisset: Julianꝰ firmata cum Germaniæ gentibus pace, acceptis copijs, Occidentis regiones sibi adiungit, & Constantinopolim uenit. Marcellinus, & Zonaras tomo tertio, de filijs Constantini. Constantius ea re cognita, inducias cum Persarum rege facit, & aduersus Iulianum sese accingit. Sozomen. libro 5. cap. 1. Verùm in itinere inter Ciliciam Cappadociamq;, in Mopsi uiculo, seu Tharsi, ex febri moritur. Hieronymꝰ in Chronico, anno Domini trecentesimo sexagesimoquarto. & in Epitaphio Nepotiani. Occupauit itaq; Iulianus Imperiũ. Theodoretus

doretus lib.3,cap.1. Sub eius imperio, quod unius anni & septem mensium, aut duorum annorum & octo mensium fuit, ut Hieronymus annotat, in Ecclesia quidē magnæ acciderunt mutationes, ut suis in locis dictum est: sed Imperium in cæteris locis satis tranquillum fuit, nisi quòd rex Persarū, ut uiuo Constantio, ita eo mortuo, in fines Romanorum, unde paulo antè recesserat, incursionem fecit. Coëgit contra eum exercitum Iulianus, & Antiochiam uenit. Persæ metuentes eius potentiam & fortunam, legatos ad Iulianū mittebant, postulātes ut rem ipsam quibusdam nobilibus componendam committeret. Verùm ille eos dimittebat, dicēs: Meipsum paulo pòst uidebitis, nec opus est legatione ulla. Socrates libro tertio, cap. decimonono. Cum iam in Persas mouisset, & quibusdam urbibus expugnatis, multis interfectis, plurimis captis, magnaq; præda parta, Ctesiphontem urbem obsideret: rex quidem Persarum legatione missa pacem petebat. Verùm cum non impetraret, coniunctis omnibus suis uiribus cum Iuliano congreditur: & Iuliano siue à Persa aliquo, siue ab uno ex suis militibus, siue à dæmone (ut Callistus, unus ex necessarijs Imperatoris, in carmine de bello Iuliani scripsit) interfecto, uictoriam obtinuit. Socrates lib. tertio, cap. uigesimoprimo: Zonaras tomo tertio, de imperio Iuliani.

Iuliano extincto, imperium ad nouos homines, qui non erant Romani, à militibus transferri cœpit. Nam Iouinianus, tribunus militum, Augustus creatur à militibus in Persia. Socrates libro tertio, cap. uigesimosecundo. & postea Tharsi Ciliciæ Consul pronunciatur: Socrates libro tertio, capite uigesimosexto.

Sub Iouiniani imperio, quod tantum octo mensium fuit, hoc memorabile accidit, quod Imperator ob factam cladem Iuliani, & exercitus Romani in Persarum regione conclusi angustiam, & famem, ac ob metum ne quis alius sibi Imperium in Occidente arriperet, pacem à rege Persarum redemit, resignato Syrię principatu, & Nisibi & Singara, cum magna Mesopotamiæ parte, anno Domini trecentesimo sexagesimoseptimo. Hieronymus in Chronico: & Socrates libro tertio, capite uigesimosecundo: Theodoretus libro quarto, capite secundo. Estque fœdus de pace triginta annorum initum: Socrates libro quarto, capite secundo. Et regi Persarum cautum, de non ferendo auxilio Arsaci regi Armeniorum: Auentinus libro secundo Annalium Boiorum. Paulus Diaconus, ante eum diem, ex quo Romanum imperium conditum fuerit, nunquam accidisse dicit, ut mutatis finibus, & parte Imperij tradita, pacem redemerint. libro undecimo, de Iouiniano.

Ad Valentinianum genere Pannonium, Imperij summa, militum Septimanorū Niceę Bithynię electione et suffragio delata est: qui trigesimo die pòst Constātinopolim ueniens, fratrem suum Valentē ad Imperij consortium legit. Socrates lib. quarto, capite primo. eiq; Orientales Imperij partes Asiam et Ægyptum tradidit: sibi uerò reliqua, ab Illyrijs ad Oceanum occidentalem usq;, & uniuersam Epirum eregionè sitam, usq; ad extremas Lybias subiecit. Sozomen⁹ lib. sexto, cap. sexto: Theodoretus libro quarto, capite quinto. Horum Imperium turbas multas habuit, & mutationes insignes. Nam Valentinus duas uxores duxit: & legem promulgauit, licere cuiuis duas simul habere uxores. quo sanè non parum deformauit & turbauit Romani Imperij statum, quem Constantinus & filij eius à legib. pietati & rationi contrarijs repurgauerant. Socrates libro quarto, cap. trigesimoprimo. Deinde cum Valens Antiochiæ in Syria rectè sentiētes affligeret, Procopius consobrinus Iuliani, qui paulo antè sub Iouiano tyrannidē affectans, cæperat Chalcedonem (ut Nicephorus narrat libro undecimo, capite quarto) Constantinopolim ingressus, Imperium sibi rapuit: & multis copijs breui temporis interuallo contractis, Valentem adoriri parat. Socrates lib. quarto, capite tertio. Valens recognita, exercitu collecto ei obuiam procedit. Apud Phrygiam salutarem (ut Hieronymus in Chronico habet) seu Natoliam, (ut Socrates libro quarto, capite quinto: & Sozomenus lib. sexto, capite octauo) congrediuntur. Procopius à ducibus suis Agelone et Gomario capitur, & Valenti traditur. Iurauerat Valens, se eis parciturū: sed postea iuramento uiolato, Agelonem & Gomariū serra dissecari, Procopium uerò duabus arboribus incuruatis alligatū discerpi curauit. Socrates libro quarto, capite quinto. In hoc bello Vadomarus rex Germanorum Valenti auxilio fuit, ob quod Phœniciæ ducatu donatus est: ut Auentinus libro secūdo Annalium Boiorum narrat, de Valentiniano. Chalcedonis muri destructi sunt, eo quòd ciues Procopio fauentes, Imperatori conuicia ti fuerant, & transitum denegarant. Socrates libro quarto, capite octauo. Factum id anno secundo imperij Valentiniani, Domini trecentesimo sexagesimonono, iuxta Hieronymum: consulatu Gratiani & Dagalæphi, circa finem mensis Maij. Socrates libro quarto, capite nono.

Cum Valentem Orienti prefecisset Valentinianus, Mediolanum uenit. Germani eò legatos mittunt pro more, ut ad principem nouum,

nouum, pacemq; uenalem offerunt: sed cum minora quàm sperauerant munera accepissent, abiectis donis in Germanias reuertuntur. ubi grauiter in auaritiã perfidiamq; Romanorum perorãtes, sæuissimas cõcitarunt nationes. nam omnis Germania transrhenana in armis erat. Limites proximos sibi quęque gens persultat: Gallias simul & Rhetias, Vindeliciamq; Alemanni depopulãtur. Sueui, Quadi, Noricum & Pannonias (Sarmatæ præsidem à Romanis datũ expulerunt: Pomponius Lætus) & Mœsias uexant. Gothi Thracias deprædantur. Scoti, Picti, Saxonũ nationes, Britannias, oramq; Gallicã ærumnis atterũt cõtinuis: Ammaricęq; gentes Africam solito acrius incursant. Persarũ rex non contentus ijs quæ antea à Romano Imperio auulserat, Armenijs quoq; manũ iniectabat, dicens eos antea ad maiores suos pertinuisse. Marcellinus lib. 26. Sed occurrente Arintheo legato, ex Armenia recessit. Pomponius Lætus. Valentinianus primùm Gallias, deinde Britannias pacauit: & quendam Valentinum in ijs tyrannidẽ meditantẽ, antequam erumperet in actum, oppressit: anno Imperij sui octauo, Christi trecentesimo septuagesimoquinto, iuxta Chronicon Hieronymi. & Africam, Mauritaniã, à Thirmo tyranno (ut Paulus Diaconus lib. undecimo indicat) uindicauit, per Theodosium ducem, patrem Theodosij Imperatoris: ut testatur Claudianus ad Honoriũ, de auo ipsius Theodosio:

Hinc processit auus,——
Ille leues Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit, Scotumq; uago mucrone secutus
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas.
Quid rigor æternus, cœli quid frigora prosunt?
Ignotumq; fretum? maduerunt Saxone fuso
Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule,
Scotorum tumulos fleuit glacialis Hyberne.

Alemannos (Paulus Diaconus Saxones uocat) auxilio Francorũ Valentinianus in eorundem regione uicit, anno Imperij sui decimo, Domini trecẽtesimo septuagesimosepti mo, iuxta Hieronymi Chronicon. Paulo pòst alterũ ex filijs Gratianũ, insignib. ornatum, appellauit Augustum, cõsentiente exercitu: & præfecit urbi Romæ Ophitũ, ut Pomponius Lætus indicat. Burgundiones, qui quondã à Druso & Tyberio subacta Germania interiore per castra quæ Burg appellantur dispositi erant, in magnam gentem excreuerãt, plures quàm octoginta millia ad Rheni ripas descenderũt. Hieronymus in Chronico, anno Domini trecentesimo septuagesimoseptimo: & Paulus Diaconus.

Valentiniano, duodecimo Imperij sui anno ob indignationem aduersus Sauromatas, uomitu sanguinis extincto: Gratianus assumpto in Imperium Valentiniano fratre, quem milites in Aconco ciuitate Italiæ Imperatorem pronunciarunt, cum patruo Valente regnare cœpit. Hieronymus in Chronico: & Socrates libro quarto, capite trigesimoprimo. Is anno Domini trecẽtesimo octogesimo, impari militũ numero cum Alemannis, admodum iuuenis apud Argentoriã oppidũ Galliarum signa contulit, & ultra triginta millia Alemannorum interfecit. Hieronymus in Chronico: & Paulus Diaconus lib. 11. de Gratiano. Gothi, Istri ulteriora incolẽtes, intestino bello sese cõficiunt. & Valente Phrygernum iuuante, Athanaricus uincitur. quæ res occasionẽ multis Barbaris, ut Christiani fierent, præbuit. Socrates lib. 4. capite 33. Haud multo pòst, alio inter Barbaros exorto dissidio, Gothi ab Hunnis è finibus eiecti, ad Romanos cõfugiũt, et petunt sibi hospitium dari: & promittunt Imperatori seruitium & obedientiam. Valens eos sine ulla fœderis pactione recipit, & Thracię partes concedit: & sperans se opera eorum usurum contra hostes, Romanorum militum negligit augere numerum: quæ res sanè Romano Imperio infausta & pernicioſa fuit. Socrates lib. quarto, cap. trigesimoquarto. Nam Gothi (Pomponius Lætus Alanos uocat) accepta Thracia, Romana regione securè fruentes, ea fortuna abusi, bellum contra hospites & benefactores mouerunt: & Thraciam, Pannoniam, Epirumq; & Thessaliã, direptis & incẽsis aliquot urbibus, depopulati sunt. Ea re cognita Valens, omissa persequutione orthodoxorum Antiochia discedens, Constantinopolim uenit: & clamore ciuium, arma aduersus hostes suburbia uastantes postulãtium inflammatus, in hostes mouet, eosq; ab urbe arcet, & Adrianopolim usque prosequitur. Ibi autem cum hostibus congressus, cæso exercitu, ipse in uico quodam uulneratus obsidetur, & igne crematur, anno Valentis decimoquarto, Domini trecentesimo octogesimoprimo: iuxta Chronicon Hieronymi. Sed Socrates libro quarto, capite trigesimooctauo dicit, illum annos tredecim cum fratre, & tres annos post illum imperasse.

Cum autem Valens Antiochia discederet, aliud detrimentũ Romanum Imperium accepit. Nam Saraceni Mauia Imperatrice à Romanis deficiunt, & Orientem uastant. Verùm id bellum paulo pòst compositum est per Moysen episcopum, qui ad eos missus, CHRISTI doctrinam eis tradidit. Socrates libro quarto, capite trigesimosexto: Sozomenus libro sexto, capite trigesimooctauo. Gothi, sublato Valente, Constantinopolim properant. sed Dominica uxor Valentis ciuium præsidio, & Saracenorum à Mauia missorum auxilio, ab urbis uastatione hostes propulsauit. Socrates lib. quinto, capite primo;

primo:Paulus diaconus libro undecimo.

Gratianus cum iuniore Valentiniano tenebat imperium in Occidente: & quia Valentinianus propter ætatem rempublicam Italiæ administrare nondum poterat, consules Probo cuidam prouinciarum gubernationem commiserunt. Cum autem Gratianus uideret opus esse Imperatore contra Hunnos & Alanos & Gothos Thraciam depopulantes, ex Hispania Theodosium accersit, & cõtra Barbaros mittit. quos cum ex Thracia magna strage edita eiecisset, ad Gratianum uenit: qui eum Sirmij, consulatu Ausonij & Olybrij decimasexta Ianuarij Imperatorem designauit, eiq; purpuram induit, & sceptra regni Valentis, hoc est Orientis & Thraciæ commisit, anno Domini trecentesimo octogesimosecundo. Prosper in Chronico: & Socrates libro quinto, capite secundo: Theodoretus libro quinto, capite quinto & sexto: Paulus diaconus libro undecimo, de Gratiano. Eodem anno Longobardi ab extremis Germaniæ finibus, Oceaniq; littore, Scandiaq; insula magna multitudine egressi, & nouarum sedium auidi, Iborea & Aione ducibus Vandalos primùm uicerunt. Prosper in Chronico. Theodosius Constantinopolim post uictoriam Scytharum, hoc est Alanorum & Hunnorum et Gothorum uenit, ibiq; cum Athanarico Gothorum rege fœdus percussit. quo paulo pòst mortuo, ut Paulus Diaconus dicit: seu interfecto, ut Prosper in Chronico affirmat: uniuersæ Gothorum gentes sese Imperatori dediderunt. Venerunt & Parthi, & cæteræ Barbaræ nationes Constantinopolim, & pacem ac fœdus cum Theodosio fecerunt. Paulus Diaconus: Socrates libro quinto, capite undecimo. His bene feliciterq; peractis, Theodosius filium suum Arcadiũ, quinto imperij sui anno, Augustum creat: anno Domini trecentesimo octogesimosexto, iuxta Prosperum in Chronico.

Cum iam per Gratianum Occidentis, & per Theodosiũ Orientis Imperij partes suæ tranquillitati restitutæ uiderentur, anno sequenti nouæ seditiones fiunt. Nam cum Gratianus Romanos negligeret milites, & paucos ex Alanis amplis stipendijs aleret, & Barbarorum amicitia, comitatu & habitu uteretur: exercitus Romanus id ægrè ferens, in eius odium Maximum quendam, uirum strenuum, Imperatorem in Britannia creat. Ac is contra sacramenti fidem in Galliam transiens, Romanas sibi adiungit legiones: & Gratianum, Merobaudis magistri militum proditione uincit, & fugientem Lugduni dolo Andragathij cæpit, & occidit. Socrates libro quinto, capite undecimo: & Hieronymus in epitaphio Nepotiani: Prosper in Chronico. Et Valentinianum iuniorem cogit, suum imperium approbare: eumq; unà cum suo administratore Probo Italia expellit. Socrates libro quinto, capite undecimo: & Paulus Diaconus libro undecimo, de Gratiano. Et filium suum Victorem, consortem regni creat. Prosper in Chronico. Cum autem Maximus legationem ad Theodosium misisset, & Occidentis partes sibi cedi postulasset: Imperator eam neq; reprobauit, neq; recepit: sed collectis copijs Mediolanum uenit. & cum contra Maximum aciem instrueret, milites apparatu Theodosij absterriti, Maximum quem crearant Imperatorem cæperunt, & uinctum Theodosio tradiderunt. Andragathius, qui Gratianum occiderat, de sua salute desperans, in flumen è naui prosilijt, & submersus est. Maximus autem in tertio ab Aquileia lapide spoliatus insignibus Imperatorijs, capite mulctatur: & filius eius Victor, ab Arbogaste in Gallijs interficitur. Imperatores Romam ingressi, triumphalia festa celebrant: & Symmachum Maximi fautorem & laudatorem, & criminis læsæ maiestatis reum, ad Ecclesiam confugientem, intercessione Leontij episcopi Nouatianorum in gratiam receperunt, consulatu Theodosij secundo, & Cynegij, Domini uerò trecentesimo nonagesimoprimo: iuxta Socratem libro quinto, capite decimoquarto: & Prosperi Chronicon. Atque hoc modo Valentinianus Orientis imperium, seditiosis tyrannis extinctis, recepit. Verùm id haud annos tres pacatũ tenuit. nam anno Domini trecentesimo nonagesimoquarto, ut Prosper in Chronico annotauit, Titiano & Symmacho consulibus, Eugenius ex Grammatico miles factus, Arbogasti ducis auxilio Valentinianum suffocat, & de laqueo suspendit: (Hieronymus in epitaphio Nepotiani) & imperium Occidentis arripit. Ea re cognita, Theodosius filium suum Honorium consulatu suo tertio & Abudatij, decima Ianuarij, Imperatorem designat: & unà cum Arcadio Constantinopoli relinquit, & cum exercitu in partes Occidentis proficiscitur. In Gallijs ad Phrigdum fit conflictus. & cum Barbari Transistrani, qui Eugenio suppetias ferebant, uiderentur superiores Romanis, Imperator oratione prostratus in terram, à Deo impetrat uictoriam, sexta die Septembris, consulatu Arcadij tertio, & Honorij secundo: iuxta Socratem libro quinto, capite uigesimoquinto. Sed iuxta Prosperi Chronicon, consulatu Olybrij & Probini, anno Domini trecentesimo nonagesimoseptimo. Altero die Arbogastus in fuga constitutus, suo sese gladio interficit.

Ex hac commemoratione constat, Orientis

tis & Occidentis imperium penes Imperatores, eorumq; succeſſores fuiſſe: & Romanos epiſcopos poſt Conſtantinum non tenuiſſe Occidentis Imperium: quod inferioribus ſeculis in commẽticijs, & nulla antiquitate & autoritate firmatis ſcriptis, ſibi ab eo donatum, ceſſumq; nugati ſunt. Nam Conſtans Italiam, ut hæreditaté paternam tenuit: quæ poſtea, ſublato Nepotiano & Magnentio, ad Conſtantium uenit. qui & Roma Liberium epiſcopum expulit, cum nollet Arij opinionem amplecti. Valentinianus etiam Italiam cum Occidentis imperio gubernauit, et quidem Romæ Ophitum præfecit: & Valentinianus iunior Italiã per Probum præfectum rexit. Et Theodoſio & Arcadio & Valentiniano Romam fuiſſe ſubiectam, teſtãtur plures epiſtolę Symmachi urbis prefecti, ad eoſdem Imperatores: præſertim in libro primo, epiſtola quinta, ſeptima, duodecima, & trigeſimanona.

Deinde & illud conſtat, ius eligendi Imperatores, & deſignandi & inaugurãdi, ſeu purpuram Imperialem induendi, & coronã imponendi, tum exercitus, tum Imperatores adhuc ſuperſtites ſibi uſurpaſſe. Nam Conſtantinus Magnus, & Iulianus, & Iouinianus, & Valentinianus ſenior, & Valentinianus iunior, ab exercitu Imperatores et Auguſti ſunt creati, & inaugurati: ac filij Conſtantini tres à patre ſuo, & Valens à fratre, Theodoſius à Gratiano, Arcadius & Honorius à patre Imperatores & Auguſti declarati, inſignia Imperij acceperunt. Nuſquam in probatis autoribus huius ſeculi annotatum reperitur, quòd quiſpiam Romanus epiſcopus elegerit aut coronarit Imperatorem aliquẽ, nedum ab Imperio remouerit. Theodoretus lib. quinto, capite ſexto narrat, Theodoſium in ſomnis uidiſſe Meletium Antiochenũ epiſcopum, ſibi paludamentum Imperatorium induere, & coronã capiti imponere. Verùm idem indicat, Theodoſium paulo pòſt à Valente deſignatum Imperatorem, ſceptra Imperij accepiſſe: & non à Meletio, quem longè pòſt in Concilio primùm uidit & agnouit. Theodoretus libro quinto, capite ſeptimo.

FINIS QVARTAE CENTVRIAE.

ERRATA, QVORVM DVBIA ASTERIſCO * ſignauimus.

Pag.5.lin.21.iucundiſſima 16.27.Conſtantini 21.42.Aquileienſis 27.17.gentes 29.30.Imperator 32.23.tranſijt 36.15.in felicißimo 39.30.ſuſpenſi 41.23.Siciliam 49.29.priſcorum 52.12.res 74.58. inexplebilis 104.49.adhortationibus 120.43.exagitatus 129.21.patrem 147.57.hebdomadis 163. 19.unus 216.16.inobedientiam 245.17.miſericors 303.56.imitentur 305.32.aureo 350.22.humanitati 352.9.domum 396.19. utriq; 412.10.* cæde 414.16.Chriſtum 415.44.aqua 418.6.fuiſſe 424. 22.* ab hæreſi Arium 434.44.Theodoretus 436.45.nolentibus 444.21.Dominus 462.25. Quæritur 474.44.Aegyptijs 491.17.eſſet 498.26.ſententias 505.33.retulimus 527.41.*. Homœuſiani 530.45.quaſi 550.42.* efferendi 567.49.* Iuonis 575.34.indicijs 588.9.* Romana 33.innocentia. 600.56.* Aliud apud Cæſarienſes 620.7.Ario 622.20.ſocijs 633.1.confutatione 636.9.referet 637. 46.Palæſtinus 640.5.partem 650.36.altera 667.21.autoritate 688.39.laudatißimus 694.5.Tertiò 695.3.circa 713.1.præpoſitis 770.37.permanent 806.56.Thracia 886.11.pius 904.22.* Euſtathium 940.46.ſuperaret 943.4.dolore 986.4.Eleuſius 1092.37.epiſcopatum 1123.56.Epiſcopum 1126.2. fuere 1167.9.Chriſtianus 1172.56.ſcentus 1181.13.Deo 1183.24.opere 1188.16.inimicos 1297.34. aut 1352.41. erant 1367.15.expetentibus 1402.22. Auguſtinus 1427.14. hoſpitem 1429.54.comprehenderunt 1457.17.Iudæis 1470.45.exultare 1473.4. tempore 1480.5.iudicabatur. 1486.53.autem 1495.25.gratos*

LOCORVM SCRIPTVRAE S▸QVI IN QVARTA ECCLESIASTICAE HISTORIÆ *Centuria explicantur*, INDEX.

Primus numerus Paginam, ſecundus Verſum ſignificat.

GEneſ.1. In principio fecit Deus cœlum & terram 950.28 Tenebræ erant ſuper faciem abyſsi 954.30 Sint in ſigna. 284.34 Faciamus hominem 347.1 & 348. 51 & 1464.17

2 Fecit Deus hominem 348.54 Propterea relinquet homo patrem & matrem 265.51 Creſcite & multiplicamini 303.47 Ne comedas de ligno hoc 298.22

3 Serpens decepit me 981.30

6 Videntes enim filij Dei filias hominum 339.38

14 Benedictus Abraham Deo ſummo 334.10

15 Credidit Abraham Deo 911.20

19 Pluit Dominus de cœlo 371.46

49 Non deficiet princeps ex Iuda 224.23 Lauabit in uino ſtolam ſuam 912.24 Gratioſi oculi eius à uino 912.42

¶ Exod.12. Hic menſis principium menſium erit uobis 445.17 Et facies paſcha Domino Deo tuo. 447.40 Agnus ſine macula mundus 447.53

20 Non facietis uobis deos argenteos & aureos 1121.14 Honora patrem tuum & matrem tuam 1304.40

32 Dixit Dominus ad Moſen, Dimitte me 257.56

33 Legem à Deo accipit Moſes 200.8

¶ Deut. 5. Non erunt tibi Dij alij præter me 1121.16

8 Virtus mea aut patientia mea fecit mihi uirtutem 228.20

13 Eamus & ſeruiamus dijs alienis 1559.23

¶ Iudic.17. Vnuſquiſque faciebat quod rectum uideretur in oculis ſuis 583.56

¶ 4 Reg.5. Giezi lepra percutitur 485.18

¶ Iob.38. Cùm me laudarent ſimul aſtra 198.24

¶ Tob.4. Ieiunium & eleemoſyna à peccato liberat 293.29

¶ Pſal. 2. Filius meus es tu 339.26 & 344.33 & 348.13 Dabo tibi gentes 380.14 & 1101.5

6 Lauabo per ſingulas noctes lectum meum 469.19

8 Domine Dominus noſter 249.32

14 Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram 662.42

15 Dominus pars hæreditatis meæ 398.3

19 Hi in curribus, & hi in equis 1314.22 Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos 218.25

21 De uentre matris meæ Deus meus es tu 348.15

23 Attollite portas principes ueſtras 1451.41 Non timebo mala, quoniam tu mecum es 1409.7

24 Domini eſt terra & plenitudo eius 955.22

31 In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum 959.38

32 Verbo Domini cœli firmati ſunt 168.25 & 196.12 & 363.49

33 Et labia mea non loquantur dolum 692.38

35 In lumine tuo uidebimus lumen 340.21 & 639.3

36 Iuſti inhabitabunt terram 1198.20

44 Eructauit cor meum uerbum bonum 620.33 Quoniam ipſe ſit Dominus Deus noſter 398.16

48 Vocauit terram ab ortu ſolis uſque ad occaſum 380.16

49 Immola Deo ſacrificium laudis 248.9 & 249.43

50 Quare tu enarras iuſtificationes meas 359.31

51 Cor mundum crea in me Deus 335.11 Sacrificium Deo ſpiritus contritus 248.13 Et ædificentur muri Hieruſalem 1466.4

54 Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ 475.37

62 Deus meus ad te de luce uigilo 470.4

68 Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius 1337.51

72 Dominabitur à mari uſque ad mare 380.15

74 Congregaſti capita draconum in aquis 235.16

75 Factus eſt in pace locus eius 1473.28

81 Dilata os tuum, & implebo illud 255.22 281.41

85 Veritas de terra orta eſt 1473.28

94 Adoremus ad locum ubi ſteterunt pedes eius 432.25 Ploremus coram Domino 398.11

95 Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ 274.37.

96 Confundantur omnes qui adorant ſculptilia 456.60 & 1557.17

103 Emitte ſpiritum tuum & creabuntur 168.27 Omnia in ſapientia feciſti 362.23

110 Dixit Dominus Domino meo 1168.16 Tu es ſacerdos in æternum 1156.32 Exutero ante luciferum genui te 333.30 & 620.34

112 Laudandum nomen Domini ab ortu ſolis uſque ad occaſum 380.18

116 Dirupiſti uincula mea 249.9

117 Hæc eſt dies quã fecit Dominus 445.45

118 Quoniam bonus eſt, quoniam in ſecula miſericordia eius 241.27 Veniat ſuper me miſericordia tua Domine 250.59 Ab omni uia mala prohibui pedes meos 361.36 Media nocte excitabar ad confitendum tibi 469.59 Tempus faciẽdi Domine 444.44 In corde meo abſcondi eloquia tua 1335.17

127 Niſi Dominus ædificauerit domum 927.4 & 952.6

131 Habitabo in eis, quoniã elegi eam 823.50

133 Quàm iucũdum habitare fratres in unum 823.46

134 Idola gentium argentũ & aurum 1121.17

140 Pone cuſtodiam ori meo 449.8

141 Eleuatio manuum mearum ſacrificiũ uespertinum 248.12 Fiat oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo 248.39

¶ Pro-

¶Prouerb.4. Viæ iuſtorum ſimiliter ut lux fulgebunt 228.14
8 Dominus creauit me initio uiarum ſuarũ 335.1 & 886.23 & 887.890.45 Ante æuũ fundauit me 332.51 Ante oẽs colles generauit me 184.30 Docebo uos uerba mea 361.31
12 Dolus in cordibus architectantium mala 643.25
18 Iuſtus ipſe accuſator ſui in primo ſermone ſuo 241.20 & 242.6 Impius cùm uenerit in profundum contemnit 621.13
30 Veſtigium ſerpentis in petra 339.6
¶Cant.4. Hortus concluſus ſoror mea 1162.43
¶Eccleſiaſt.3. Altiora te ne quæſieris 337.24
¶Eſa.1. Agnouit bos poſſeſſorem ſuum 444.51 Filios genui, & amplitudine extuli 339.39 Conſtituam conſiliarios tuos ſicut à principio 1465.58
7 Ecce uirgo concipiet 1463.47 Emanuel 1375.5
14 Aſcendam, & ſimilis ero altiſsimo 201.40
30 Si conuerſus ingemueris, ſaluus eris 233.47
49 Tempore accepto exaudiui te 444.57
52 Intelliget ſeruus meus dilectus, quem dilexit anima mea 321.58
53 Hic peccata noſtra fert 909.50 Generationem eius quis enarrabit? 164.1 & 184.26.36 & 337.37 & 647.25 & 787.52 & 908.6
55 Qui inebriat terrã, & infundit eam 166.57
61 Spiritus Domini ſuper me 903.39
¶Hierem.8. Turtur & hirundo nouerunt tempus ſuum 444.48
9 Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua 6
10 A ſignis cœli nolite metuere 286.57
22 Nolite flere mortuum, neque lugere 771.26
23 Nónne uerba mea uelut ignis 361.30
¶Ezech.18. Viuo ego, nolo mortem peccatoris 253.60
¶Dan.3. Species quarti qui apparebat ſimilis filio Dei 344.34
7 Aſpiciebam in uiſione noctis 351.13
¶Ioel.2. Quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit 229.43
¶Amos 4. Firmans tonitruum & creans ſpiritum 393.16
¶Zach.2. Qui uos tangit 577.3
8 Veritatem & pacem diligite 920.39
11 Non eruam eos de manu eorum 1474.26
14 In oriente pedes Domini ſtabunt 432.27
¶Malach.1. Et in omni loco offertur incenſum nomini meo 248.23
3 Videte quòd ego ſim, & non mutor 620.46
¶Matth.1. Liber generationis Ieſu Chriſti 184.
35 Ecce uirgo in utero habebit 385.49 Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt 192.29
2 Mortui ſunt qui quærunt animam pueri 385.19
Facite fructus dignos pœnitentia 230.17
Ego à te debeo baptizari 420.26 Hic eſt filius meus, de quo benè ſenſi: hunc audite 178.52 & 187.46 & 339.24
4 Si tu es filius Dei 290.52 Non in ſolo pane uiuit homo 468.59
5 Ciuitas ſuper montem poſita 261.30 Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio 230.35 Non iurate omnino 222.40 Eſto conſentiens cum aduerſario tuo 1198.24
6 Orantes nolite multum loqui 1329.29 Quærite primùm regnum Dei 256.50
7 Arbor bona fructus bonos facit 377.48 Nolite quod ſanctum eſt dare canibus 778.6 Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum 229.49
8 Leproſus adorabat Chriſtum 350.4 Mulier ſimbriæ contactu ſanata eſt 350.6
10 Eſtote prudentes ut ſerpentes 794.15 Qui corpus poſſunt occidere, animam non 371.5
11 Neq; patrem quis nouit niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare 182.39 & 337.45 & 341.37 Venite ad me omnes 204.55
12 Qui dixerit uerbum contra filium hominis 217.20 Quicunq; autem dixerit contra Spiritum ſanctum 194.3 & 729.20
14 Et increpauit mare 350.9 Verè filius Dei es 335.39
16 Tu es Chriſtus filius Dei uiui 261.15 & 559.17 & 563.49 & 575.9 Quicquid ligaueris ſuper terram 984.9 Hodie tempeſtas erit. rutilat enim triſte cœlum 283.16
18 Quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? 240.24 Si duo ex uobis conſenſerint ſuper terram 240.29 Quicunq; de minimis iſtis ſcandalizauerit quempiam 269.21 Expedit ei, ut demergatur in profundo maris 692.22 Angeli uident ſemper faciem patris 352.30
19 Et erunt duo in carne una 265.45 Si uis perfectus eſſe, uade & uẽde quæ habes 1307.22 & 1320.58
20 Et primi erunt nouiſsimi 376.60 Multi ſunt uocati, pauci uerò electi 862.53 Sed quibus datum eſt à patre 213.42 Creditis quòd poſſum hoc uobis facere 348.43
22 Date Cæſari quæ Cęſaris ſunt, & Deo quę ſunt Dei 129.30 & 149.40 & 838.59 & 1187.14 In reſurrectione neque ducent uxores 386.32 Si Dauid Dominũ eum uocat, quomodo filius eius eſt? 371.22
24 Videte ne quis uos ſeducat 621.30 Cœlum & terra tranſibunt 982.43
26 Euntes parate nobis paſcha 443.54 Hoc eſt corpus meum 243.13 & 244.45 Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis 243.44 Ter me negabis 1162.37 Spiritus quidem promptus eſt, caro infirma 350.42 Vt tranſeat poculũ hoc 289.3 Peccaui quòd tradiderim ſanguinem iuſtum 233.30
27 Heli Heli lamazabathani 288.60 Sol obtenebratus eſt 350.14 Verè hic filius Dei erat 335.41
28 Data eſt mihi omnis poteſtas 351.30

Euntes docete omnes gentes 161.47 & 353.40 & 670.11 & 788.18 & 1342.15 Baptizate omnes gentes 380.33
¶ Marci 1. Volo, mundus esto 348.41
2 Fili remittuntur tibi peccata tua 348.42
14 Videbitis cœlum apertum 351.14
¶ Lucæ 1. Gabriel missus est ad Mariam 385.49 Spiritus sanctus superueniet in te 398.50 Quod ex te nascetur, sanctum est 1373.26
2 Simeon accipit eum in ulnas suas 385.52 Crescebat ac proficiebat ætate 327.36 & 332.16
3 Confitentes peccata sua 242.31 Neminem concutiatis 719.46
10 Non est discipulus supra magistrum 692.11 Qui uos spernit, me spernit 302.46
22 Principes gentium dominantur 573.6
23 Hodie mecum eris in Paradiso 164.19 & 647.43 Pater in manus tuas commendo spiritum meum 191.45
24 Videte quòd ego ipse sum 1374.32 Sicut me uidetis habere 385.54
¶ Ioan. 1. In principio erat uerbum 183.16 & 335.49 & 336.51 & 370.20 & 620.22 Omnia per ipsum facta sunt 336.49 & 346.55 & 349.8 & 352.38 & 363.44 & 371.34 & 393.17 Et sine ipso factum est nihil 333.6 Verbum caro factum est 361.45 & 385.17 & 561.33 & 645.20 & 822.35 & 895.10 & 902.49 & 951.47 & 1024.56 & 1375.8 Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis 336.42 Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi 178.39 & 225.59
2 Soluite templum hoc 371.10 & 446.5
3 Quod natum est ex carne, caro est 350.44 Omnis qui credit in eum non peribit 227.21 Qui non credit, non habebit uitam, sed ira Dei manet super eum 4
4 Spiritus est Deus 331.60
5 Pater meus usque modò operatur, & ego operor 214.44 Filius non potest facere quicquam, nisi quod uiderit Patrem facientem 321.18 Quæcunque pater facit, eadem & filius facit 348.39 Nil facit filius, nisi quod uiderit patrem facientem 349.1 Sic & filio dedit uitam habere in semetipso 789.12 & 790.14 Qui non honorificat filium 334.22
6 Hic panis quem ego dabo 1157.28 Hic est panis qui de cœlo descendit 1260.46 Caro mea uerè est cibus 243.22 Verba quæ ego locutus sum 361.39
8 Qui à seipso loquitur, gloriam propriã quærit 985.10
9 Cæcus à natiuitate sanatur 350.10
10 Ego sum pastor bonus 385.25 Sicut nouit me pater, & ego cognosco patrem 336.27 & 620.60 Oues meæ uocem meam audiunt 182.53 Ego & pater unum sumus 177.46 & 340.8 & 346.9 & 347.25 & 620.44 & 644.52 & 639.4 & 760.12 Potestatem habeo ponendi & recipiendi animã meam 346.36 Nemo tollit animam meam à me 164.8 & 348.44 & 647.32 & 888.52 Pater in me est, & ego in patre 334.2 & 360.26 & 759.40
13 Qui lotus est, non opus est ut iterum lauetur 1101.32
14 Pater maior me est 341.48 & 347.22.35 Qui uidet me, uidet & patrem meum 163.58 & 334.1 & 336.4 & 340.17 & 620.37 & 644.53 & 647.23 Ego sum ueritas 281.40 Ego rogabo Patrem & alium aduocatũ mittet uobis 194.34 & 353.38 & 1261.14 Qui diligit patrem, diligit & filium 341.16 342.43
15 Ego uici mundum
16 Adhuc multa habeo uobis dicere 194.32
